SACRORUM

CONCILIORUM

NOVA

ET AMPLISSIMA COLLECTIO.

TOMUS TRIGESIMUS TERTIUS.

Ab anno MDXLV. ad annum MDLXV.

SUMPTI SUNT TEXTUS SEQUENTES EX TOMO VIGESIMO
CONCILIORUM EDITIONIS A COLETI CURATÆ.

REPRODUCTION

EN FAC-SIMILÉ

TIRÉE A 250 EXEMPLAIRES SEULEMENT

PAR LES PROCÉDÉS ANASTATIQUES

DE

CARL REINECKE NACHF.

A BERLIN

POUR

H. WELTER, ÉDITEUR
RUE BERNARD-PALISSY, N° 4, PARIS
ET A LEIPZIG, SALOMONSTRASSE, 16
1901

SACRORUM
CONCILIORUM

NOVA ET AMPLISSIMA COLLECTIO

CUJUS

JOANNES DOMINICUS MANSI

ET POST IPSIUS MORTEM FLORENTINUS ET VENETIANUS EDITORES

AB ANNO 1758 AD ANNUM 1798, PRIORES TRIGINTA UNUM TOMOS EDIDERUNT
NUNC AUTEM CONTINUATA ET, DEO FAVENTE, ABSOLUTA.

TOMUS TRIGESIMUS TERTIUS.

Ab anno ***MDXLV.*** *ad annum* ***MDLXV.***



CATHOLIC UNIVERSITY
OF AMERICA LIBRARIES
Washington, DC

PARISIIS
MDCCCCII

EXPENSIS HUBERTI WELTER, BIBLIOPOLÆ.

TOMI TRIGESIMI TERTII.

ANNO CHRISTI

1562. *Comparitio oratoris Sebaſtiani Portugalliæ regis, qua continentur quatuor.
1. Ejus litteræ ad concilium. 417
2. Mandatum ejuſdem. 418
3. Oratio ejuſdem nomine. 419
4. Reſponſum ſynodi. 422
*Comparitio oratoris Philippi Hiſpaniarum regis, qua continentur
1. Mandatum Philippi. 423
2. Galeatii Brugoræ oratio, nomine Davali, marchionis Piſcariæ, regis catholici oratoris. 424
3. Reſponſum ſynodi. 426
*Comparitio oratoris Coſmi ducis Florentiæ & Senarum, qua continentur
1. Litteræ ducis Florentiæ. 427
2. Mandatum ejuſdem. 428
3. Oratio Joannis Strozzii, oratoris Coſmi Medicis, ducis Florentiæ. 429
4. Reſponſum ſynodi. 431
*Comparitio oratorum reipublicæ Venetæ, qua continentur
1. Litteræ reipublicæ Venetæ. 433
2. Mandatum reip. *ibid.*
3. Reſponſum ſynodi. 434
*Comparitio comitis a Luna, oratoris Philippi regis catholici, qua continentur
1. Proteſtatio comitis de Luna, ſuper præcedentia, quam ſibi deberi proximam oratoribus regis Romanorum adſerit. 436
2. Reſponſum oratorum Chriſtianiſſimi regis. 437
3. Mandatum Philippi regis catholici. *ibid.*
4. Petri Fontidonii oratio, nomine comitis Lunenſis, regis catholici oratoris. 439
5. Reſponſum ſynodi. 448
*Comparitio oratorum Caroli IX. regis Chriſtianiſſimi.
1. Litteræ Caroli regis. 449
2. Oratio Guidonis Fabri oratoris Caroli regis Chriſtianiſſimi. 450
3. Reſponſum ſynodi. 455
*Litteræ Caroli Chriſtianiſſimi regis. 457
*Oratio Caroli cardinalis Lotharingici. 458
*Oratio Arnaldi Ferrerii, oratoris Caroli regis Chriſtianiſſimi. 461
*Reſponſum ſynodi. 463
*Comparitio oratorum ſeptem cantonum Helvetiorum catholicorum, & cleri eorumdem. 465
1. Litteræ ſeptem cantonum. *ibid.*
2. Mandatum eorumdem. *ibid.*
3. Mandatum prælatorum, & cleri eorumdem. 467
4. Oratio Adamantii, (Diamantis) nomine oratoris ſeptem cantonum. 469
5. Reſponſum ſynodi. 471
*Comparitio oratoris Sigiſmundi regis Poloniæ. 472
1. Litteræ regis Poloniæ. *ibid.*
2. Oratio Valentini epiſcopi Præmiſlienſis, oratoris regis Poloniæ. 473
3. Reſponſum ſynodi. 475

1563. *Comparitio oratoris Emmanuelis Philiberti, ducis Sabaudiæ. 476
1. Ducis litteræ. *ibid.*
2. Mandatum ejuſdem. 477
3. Oratio epiſcopi Auguſtenſis, oratoris ducis Sabaudiæ. 478
4. Reſponſum ſynodi. 481
*Litteræ Chriſtianiſſimi regis Caroli. 482
*Oratio Arnaldi Ferrerii, oratoris Chriſtianiſſimi regis. 484
*Reſponſum ſynodi. 486
*Litteræ Coſmi Medicis, Florentiæ & Senarum ducis. 487
*Mandatum ejuſdem. 488

ANNO CHRISTI

1563. *Oratio Martini Royas, Portaleubei, magn Magiſtri, ac totius ordinis Hieroſolymitani, oratoris. 489
*Reſponſum ſynodi. 492

Pars IV.

Doctorum virorum orationes habitæ ad patres Tridentinos, Pio IV. pontifice. 493

1561. *Camilli Campegii oratio de mundi fallaciis, Dominica prima Adventus. *ibid.*
*Oratio Maximiani Benjami, Dominica ſecunda Adventus. 497
*Oratio Eugenii Piſaurenſis, Dominica tertia Adventus. 502
*Joannis Franciſci Lombardi oratio, die S. Stephani protomartyris. 506
*Pauli Guidelli oratio. 513

1562. *Litteræ Marci Antonii, cardinalis Amulii, ſuper profeſſione fidei patriarchæ Aſſyriorum Orientalium. 521
*Profeſſio fidei Abd-Iſu, patriarchæ Aſſyriorum. 523
*Oratio de eccleſiæ authoritate, & imitandis apoſtolis, per Gaſparum a Foſſo. 525
*Oratio die ſancti Gregorii, per Auguſtinum Luſcos habita. 533
*Oratio Theodori Maſii, quarta Dominica Quadrageſimæ. 538
*Oratio Franciſci Zamorenſis, Dominica ſecunda Quadrageſimæ. 546

1562. *Oratio, Dominica tertia Quadrageſimæ, per Angelum Ferrum. 550
*Quod non ſit laicis calix permittendus, oratio Gaſpari Cardilli Villalpandei. 555
*Oratio Joannis Fonſecæ, feria ſexta in Paraſceve. 565
*Andreæ Duditii Sbardellati, Hungarici oratoris, ad concilium oratio. 574
*Reſponſum concilii. 579
*Concio Didaci de Payva d'Andrade, Dominica ſecunda poſt Paſcha. 580
*Thadæi Peruſini concio, feſto Aſcenſionis. 589
*Sermo Petri Favonni, die Pentecoſtes. 596
*Oratio Andreæ Duditii Sbardellati. 602
*Diſputatio de communione ſub una panis ſpecie, per Ludovicum Joannem Villetanum. 611
*Concio Petri Fontidonii, Dominica ſanctiſſimæ Trinitatis. 646
*Henrici de ſancto Hieronymo, oratio, Dominica prima Quadrageſimæ. 662
*De primatu Petri oratio, die SS. Petri & Pauli, per Gaſparum Cardillum Villalpandeum. 667
*Sermo, Dominica quarta poſt Pentecoſten, authore Petro Morcato. 674
*Concio Petri Fontidonii, die B. Hieronymi. 684
*Oratio Franciſci Orantii, die ſanctorum omnium. 701
*Concio Franciſci Vicedomini, Dominica vigeſima quarta poſt Pentecoſten. 718
*Oratio Seraphini Caballi, Dominica prima Adventus. 730
*Oratio Bartholomæi Baphii, ſecunda Dominica Adventus. 738
*Concio Joannis Baptiſtæ Burgos, Dominica tertia Adventus. 746
*Gaſparis (ſeu potius Cæſaris) Ferrantii oratio in feſto divi Joannis apoſtoli & evangeliſtæ. 753

SYLLABUS

ANNO CHRISTI		ANNO CHRISTI	
1563.	*De Chriſto puero circumciſo concio habita Kalendis Januarii, a Roberto Furniero. 761	1546.	*Ejuſdem epiſtola ad Helvetios. 1106
	*De nomine JESU oratio Gaſpari Cardilli Villalpandei. 768		*Concio Bartholomæi Carranzæ de Miranda, prima Dominica Quadrageſimæ. 1108
	*Franciſci Belcarii Peguilionis oratio de victoria, qua Carolus IX. Galliarum rex, rebelles cauſam religionis prætexentes ingenti clade ſuperavit. 778		*Alfonſi Salmeronis oratio, die S. Joannis evangeliſtæ. 1117
	*Coſmi Palmæ Fonteii oratio, feria quarta cinerum. 790		*Joan. Baptiſtæ Campegii oratio de religione tuenda. 1127
	*Adeodati Senenſis oratio, die cinerum. 800		*Ludovici Majorani oratio miſſa ad patres concilii. 1133
	*Concio Joannis a Ludegna, prima Dominica Quadrageſimæ. 810		*Indictionis concilii Tridentini apologia, adverſus Joannem Fabricium Montanum, authore Gaſparo Cardillo Villalpandeo. 1152
	*Joannis de Ludegna diſputatio theologica de cælibatu ſacerdotum. 818		*Antonii Pagani, pro eccleſiæ reformatione, oratio. 1216
	*In laudem S. Thomæ Aquinatis, oratio Joannis Gallio. 835		*Jacobi Ferrauſii oratio in feſto Aſſumptionis B. Virginis. 1236
	*Oratio Alfonſi Contreras, Dominica ſecunda Quadrageſimæ. 847		*Alia monumenta quamplurima, quæ ad hoc concilium attinent, videre poſſunt in collectione Puteanorum fratrum, quæ in omnium manibus eſt.*
	*Antonii Monchiaceni Democharis ſermo, feria ſexta in Paraſceve. 856	1549.	Concilium provinciale cleri Scotiani habitum Edinburgi. — Mansi t. XXXV. col. 429
	*Verba prolata a Joanne cardinale Morono, primo præſidente & legato concilii, in ejus prima comparitione. 874	1550.	JULII PAPÆ III. VITA. 1245
	*Concio Chriſtophori Sanctotiſii, Dominica tertia Quadrageſimæ. 875		*Quæ illius tempore in Tridentino concilio geſta ſunt, vide ſupra a pag. 69 & ſequent. ad 112. Item pag. 317 & ſeq.*
	*Oratio, quarta Dominica Quadrageſimæ, per Lucretium Tiraboſcum. 888	1551.	Concilium provinciale cleri Scotiani habitum Edinburgi. — Mansi t. XXXV. col. 452
1563.	*De myſterio ſanctiſſimæ Trinitatis concio Michaelis Oronſuſpei, habita Dominica ſanctiſſimæ Trinitatis. 894	1551.	*Narbonenſe concilium. 1247
	*Concio de Divino ſpiritu eccleſiæ, & œcumenici concilii, authore Lud. Joanne Villetano. 899		1. *Præfatio. 1249
	*Sententia Guillelmi de Prato, epiſcopi Claromontenſis, de reſidentia prælatorum. 909		2. *Canones LXVI. 1250 *& ſeq.*
	*Brachii Martelli, epiſcopi Feſularum, ſententia, qua declarat, regulares, ſine licentia epiſcoporum, nec in monaſteriis, nec extra monaſteria debere fungi officio prædicandi. 912	1552.	Concilium provinciale prælatorum et cleri Scotiæ Lythquoi habitum. — Mansi t. XXXV. col. 459
	*Ejuſdem ſententia de reſidentia epiſcoporum. 918	1554.	Cardinalis Poli litteræ diſpenſatoriæ cum iis, qui bona eccleſiæ poſſident, et illicita matrimonia contraxerunt. — Mansi t. XXXV. col. 460
	*Oratio funebris de laudibus Joannis cardinalis Medicis, per Petrum Victorium. 920	1555.	Cardinalis Poli monitio ad ſynodum Legatinam celebrandam apud Weſtmonaſt. — Mansi t. XXXV. col. 464
	*Oratio in funere Hieronymi cardinalis Seripandi, per Ægidium Marcheſinium. 926	1555.	MARCELLI PAPÆ II. VITA. 1281
	*Oratio habita in ſeſſione octava, per Franciſcum Ricardotum, epiſcopum Atrebatenſem. 930	1555.	PAULI PAPÆ IV. VITA. 1283
	*Oratio habita in ſeſſione ultima, ab Hieronymo Ragazzono. 935	1556.	**Reformatio Angliæ, ex decretis Reginaldi Poli cardinalis, ſedis apoſtolicæ legati.* Habetur ſupra a pag. 1009
	Pars V.	1556.	Lowitienſe in Polonia concilium provinciale. — Mansi t. XXXV. col. 505
	*Reginaldi Poli cardinalis de concilio liber unus, cum præfatione Pauli Manutii, Aldi filii. 941	1557.	Convocatio prælatorum et cleri provinciæ Cantuarienſis. — Mansi t. XXXV. col. 475
	*Ejuſdem Reginaldi de baptiſmo Conſtantini Magni imperatoris tractatus. 1003	1557.	o Viennenſe concilium. 1285
	*Ex ejuſdem decretis, anno MDLVI. de reformatione Angliæ liber unus. 1009	1559.	PII PAPÆ IV. VITA. 1287
	*Petri Fontidonii, pro concilio Tridentino, adverſus Joannem Fabricium Montanum, ad Germanos oratio. 1034		*Quæ ad concilium Tridentinum ſpectant eo pontifice ſtatuta, vide ſupra a pag. 112. ad 196. tum a pag. 409. ferme uſque ad finem.*
	** Appendix.* *Ea continens quæ in editione Lovanienſi non extant.*	1559.	Concilium provinciale cleri Scoticani habitum Edinburgi. — Mansi t. XXXV. col. 525
1545.	*Pauli papæ III. bulla, qua indicit ſupplicationes pro celebratione concilii. 1103	1564.	*Remenſe concilium. 1289
1546.	*Ejuſdem epiſtola ad epiſcopos & abbates aliquot Helvetiæ. 1105		1. *Statuta XIX. 1290
			2. *Acta concilii diviſa in congregationes XIX. 1299
			3. *Nomina eorum qui vel interfuerunt, vel miſerunt procuratorem. 1351
			4. *Decreta duo a ſynodo probata, ſed non publicata; 1. de matrimoniis; 2. de raptoribus. 1354
			5. *Commiſſio convocatoria concilii, ad epiſcopum Morinenſem. 1362
			6. *Litteræ epiſcopi Tornacenſis ſe excuſantis. 1363
			7. *Litteræ capituli Tornacenſis, ejuſdem argumenti. *ibid.*

TOMI TRIGESIMI TERTII.

Anno Christi			Anno Christi		
1564.	8. *Litteræ decani & capituli Atrebatenſis, ejuſdem argumenti.	1363	1565.	1. *Litteræ Maximiliani archiep.	*ibid.*
	9. *Actum datum procuratoribus epiſcopi Cameracenſis.	*ibid.*		2. *Præfatio ſtatutorum.	1394
	10. *Tranſſumptum litterarum apoſtolicarum a dictis procuratoribus huic concilio oblatarum.	1365 *& ſeq.*		3. *Statuta.	1395. *& ſeq.*
	11. *Litteræ Caroli archiepiſcopi Remenſis, ad epiſcopos & capitula, Camerac., Atrebat. & Tornac.	1379		4. *Acta concilii. 1. Litteræ indictionis. 2. Litteræ prorogationis. 3. Seſſio patrum. 4. Cohortatio archiepiſcopi. 5. Cætera in concilio geſta narrantur.	1423. *& ſeq.*
	12. *Cæremoniæ & preces, quibus in publica ſeſſione concilii provincialis Remenſis mos eſt uti.	1380		5. *Oratio Franciſci Ricardoti Atrebatenſis epiſcopi.	1449
1565.	*Cameracenſe concilium.	1391		6. *Oratio Rogerii Varlerii.	1456
				7. *Concio Joannis Carthenii Carmelitæ.	1468
				8. *Oratio Matthæi Galeni Weſtcappellii.	1474
				9. *Nomina eorum qui per ſe, vel per procuratores ſuos interfuerunt.	1482

ANNO CHRISTI 1545.

EX SYNOPSI HISTORICA CONC. GENER. NATION. PROVINC. DIOECES.

OBSERVATIO PHILIPPI LABBE, S. J.

TRidentinum concilium œcumenicum & universale ab anno 1545. & sequentibus aliquot usque ad 1563. sub tribus Romanis pontificibus PAULO III. JULIO III. ET PIO IV. tum adversus Martini Lutheri ejusque sequacium a catholica majorum suorum fide apostatarum detestandas hæreses toto fere septentrione ebullientes, tum pro reformatione morum cleri populique Christiani celebratum fuit maximo orbis universi applausu, hoc sessionum decretorum ac canonum servato ordine.

SUB PAULO III. ROMANO PONTIFICE.

Bulla indictionis data Romæ anno 1542. die 11. Kal. Junii anno pontificatus Pauli III. octavo.

I. Sessio celebrata die 13. Decembris anni 1545. indictione 3. dominica tertia adventus, præsidentibus Joanne Maria de Monte, Marcello Cervino, & Reginaldo Polo cardinalibus. Nomina prælatorum qui adfuerunt, & ad eos admonitio atque hortatio legatorum sedis apostolicæ, lecta in I. sessione. II. sessio celebrata die Jovis 7. Januarii, indictione 4. anno 1546. III. sessio die 4. Febr. IV. die 8. Aprilis, qua decretum de canonicis scripturis promulgatum. V. die 17. Junii, in qua decretum de peccato originali, cum capitibus duobus de reformatione. VI. die 13. Januarii anni 1547. Decreti de justificatione capita sexdecim cum canonibus triginta tribus. Decreti de reformatione capita quinque. VII. die 3. Martii. Decreti de sacramentis ecclesiæ canones tredecim, de baptismo quatuordecim, & de confirmatione tres. Decreti de reformatione capita quindecim, cum bulla facultatis transferendi concilii. VIII. die 11. Martii, in qua decreta est translatio. IX. sessio celebrata Bononiæ die 21. Aprilis, in qua decreta prorogatio. X. in eadem urbe die 2. Junii, decreta iterum prorogatio XI. in eadem urbe die 14. Septembris, in qua decreta etiam prorogatio.

SUB JULIO III. ROMANO PONTIFICE.

Bulla resumptionis concilii Tridentini sub Julio III. data 18. Kal. Decembris anno 1550. pontificatus anno primo.

Ejusdem mandatum in reductione concilii ad urbem Tridentinam ad legatos Marcellum cardinalem, Sebastianum Pighium archiepiscopum Sipontinum, & Aloysium Lipomanum episcopum Veronensem.

Mandatum Caroli V. imperatoris, cum oratione oratoris imperatoris post præsentationem sui mandati. XII. sessio die 1. Septembris 1551. in qua decreta prorogatio. XIII. die 11. Octobris. Decreti de sanctissimo eucharistiæ sacramento capita octo, cum canonibus undecim: & decreti de reformatione capita octo, cum decreto prorogationis definitionis quatuor articulorum de sacramento eucharistiæ & salvi conductus protestantibus dandi, cujus sequitur forma. XIV. sessio die 25. Novembris 1551. doctrinæ de pœnitentiæ sacramento capita novem, & de sacramento extremæ unctionis capita tria, cum canonibus quindecim de pœnitentia, & quatuor de extrema unctione. Decreti de reformatione capita quatuordecim. In XV. sessione die 25. Januarii anni 1552. decreta prorogatio, cum protestatione synodi, anteaquam protestantes audirentur, acta, & salvo conductu. In XVI. die 18. Aprilis decreta fuit suspensio concilii ob tumultus & bella.

SUB PIO IV. ROMANO PONTIFICE.

Bulla celebrationis concilii Tridentini sub Pio IV. pontifice maximo, data Romæ 3. Kal. Decembris anno 1560.

Breve Pii IV. super ordine sedendi in concilio, non habita ratione dignitatis primatialis: cum declaratione legatorum super illo decreto. XVII. sessio die 18. Januarii anno 1562. in qua emanavit decretum de celebrando concilio, & indictio futuræ sessionis. XVIII. die 26. Februarii, in qua decretum de librorum delectu, & omnibus ad concilium fide publica invitandis, cum salvo conductu concesso Germanicæ nationi in congregatione generali die 4. Martii 1562. & extensione ad alias nationes. XIX. die 14. Maii, in qua decreta prorogatio. XX. in qua iterum decreta prorogatio. XXI. die 16. Julii celebrata: doctrinæ de communione sub utraque specie & parvulorum capita quatuor cum totidem canonibus: decreti vero de reformatione capita novem. XXII. die 17. Septembris: doctrinæ de sacrificio missæ capita novem cum canonibus totidem: & decreta de observandis & evitandis in celebratione missæ: decreti autem de reformatione capita undecim, cum decreto super petitione concessionis calicis. XXIII. die 15. Januarii 1563. doctrinæ de sacramento ordinis capita quatuor, cum canonibus octo: decreti vero de reformatione capita octodecim. XXIV. die 11. Novembris ejusdem anni 1563. doctrina de sacramento matrimonii cum canonibus duodecim, & decreti de matrimonio capitibus decem: decreti vero de reformatione capita sunt 21. XXV. sessio & ultima die 3. Decembris ejusdem anni, in qua decretum de purgatorio, de invocatione, veneratione, reliquiis sanctorum, & sacris imaginibus, cum reformationis de regularibus & monialibus capitibus viginti duobus, & decreti de reformatione capitibus uno & viginti. In continuatione sessionis die sequenti 4. Decembris sabbato habita decretum de indulgentiis, de delectu ciborum, jejuniis & diebus festis, de indice librorum, catechismo, breviario, & missali, de loco oratorum, de recipiendis & observandis decretis concilii, iisque recitandis, quæ sub Paulo III. & Julio III. statuta & definita sunt, de fine concilii, & confirmatione petenda a summo pontifice, cum acclamationibus patrum in fine concilii, quibus præivit illustrissimus cardinalis a Lotharingia. Sequuntur I. nomina, cognomina, patriæ, & dignitates legatorum & aliorum patrum; item oratorum & theologorum, qui ad Tridentinam synodum convenerunt sub Pio IV. II. confirmatio concilii, cum bulla Pii IV. papæ super eadem confirmatione, data 7. Kalendas Februarii anni 1564. III. bulla ejusdem Pii IV. super declaratione temporis ad observanda decreta sacri œcumenici & generalis concilii Tridentini, data Romæ 15. Kal. Augusti anni 1564. pontificatus anno quinto.

SACRO-

SYLLABUS

EORUM QUÆ TOMO XXXIII. CONCILIORUM CONTINENTUR.

*Quæ aſteriſco * notata ſunt, non erant in prioribus aliis editionibus: quibus vero hæc nota † impreſſa eſt, eorum incertus eſt annus; quibus signum o præpoſitum, ea huic editioni acceſſere.*

Anno Christi		p.
1545.	Tridentinum concilium œcumenicum.	1
	Synopſis concilii Tridentini.	1
	Bulla indictionis concilii.	1
	I. Seſſio.	8
	Decretum de inchoanda ſynodo.	*ibid.*
	Indictio futuræ ſeſſionis.	*ibid.*
	Nomina præſentium.	*ibid.*
	Admonitio legatorum apoſtolicorum ad patres concilii.	9
1545.	Ad Tridentinum concilium œcumenicum additio. — Mansi t. XXXV. col. 347-430.	
1546.	II. Seſſio.	16
	Nomina præſentium.	*ibid.*
	Decretum de modo vivendi, & aliis in concilio ſervandis.	17
	Indictio tertiæ ſeſſionis.	18
	III. Seſſio.	18
	Nomina præſentium.	*ibid.*
	Decretum de ſymbolo fidei.	19
	Symbolum fidei.	19
	Indictio futuræ ſeſſionis.	20
	IV. Seſſio.	20
	Nomina præſentium.	21
	Decretum de canonicis ſcripturis.	22
	Decretum de editione & uſu ſacrorum librorum.	*ibid.*
	Indictio futuræ ſeſſionis.	24
	V. Seſſio.	24
	Indictio futuræ ſeſſionis.	*ibid.*
	Nomina præſentium.	*ibid.*
	Decretum de peccato originali.	27
	Decretum de reformatione.	29
1547.	VI. Seſſio.	32
	Decretum de juſtificatione.	*ibid.*
	De juſtificatione canones XXXIII.	40
	Decretum de reformatione.	44
	Indictio futuræ ſeſſionis.	46
	Nomina præſentium.	*ibid.*
1547.	VII. Seſſio.	48
	Nomina præſentium.	49
	Decreti de ſacramentis procœmium.	51
	Canones XIII. de ſacramentis.	52
	Canones XIV. de baptiſmo.	53
	Canones III. de Confirmatione.	55
	Decretum de reformatione.	*ibid.*
	Indictio futuræ ſeſſionis.	58
	Bulla facultatis transferendi concilii.	59
	VIII. Seſſio.	60
	Decretum de concilii translatione Bononiam.	*ibid.*
	Nomina præſentium.	61
	IX. Seſſio.	63
	Decretum de prorogatione ſeſſionis.	63
	Nomina præſentium.	64
	X. Seſſio.	65
	Decretum de prorogatione ſeſſionis.	*ibid.*
	Nomina præſentium.	*ibid.*
	XI. Seſſionis in eadem urbe decreta prorogatio.	66
	Nomina præſentium.	69
	Bulla resumptionis concilii Tridentini per Julium III.	69
	Ejuſdem mandatum de reductione concilii ad urbem Tridentinam.	71
	Mandatum Caroli V. imperatoris.	72
	Oratio oratoris Imperatoris poſt præſentationem ſui mandati.	73
	Reſponſum ſynodi.	74
1551.	XI. Seſſio.	74
	Decretum de reſumendo concilio.	75
	Indictio futuræ ſeſſionis.	*ibid.*
	Exhortatio, præfidum nomine recitata.	*ibid.*
	XII. Seſſio.	79
	Decretum de prorogatione ſeſſionis.	*ibid.*
	XIII. Seſſio.	80
	Decretum de euchariſtiæ ſacramento.	*ibid.*
	De eodem ſacramento canones XI.	84
	Decretum de reformatione.	86
	Decretum prorogationis definitionis quatuor articulorum de ſacramento euchariſtiæ, & ſalvi conductus Proteſtantibus dandi.	88
	Salvus conductus datus Proteſtantibus.	89
	Nomina præſentium.	90
	XIV. Seſſio.	91
	Doctrina de pœnitentiæ ſacramento.	*ibid.*
	De ſacramento extremæ unctionis.	97
	De pœnitentiæ ſacramento canones XV.	99
	De extrema unctione canones IV.	102
	Decretum de reformatione.	*ibid.*
1552.	XV. Seſſio.	107
	Decreta prorogatio.	*ibid.*
	Proteſtatio ſynodi, antea quam Proteſtantes audirentur.	108
	Salvus conductus datus Proteſtantibus.	*ibid.*
1560.	XVI. Seſſio.	111
	Decretum ſuſpenſionis concilii ob bella.	*ibid.*
	Bulla celebrationis concilii Tridentini, pe Pium IV.	112
	Breve Pii IV. ſuper ordine ſedendi in concilio.	115
	Declaratio legatorum ſuper illo decreto.	116
1562.	XVII. Seſſio.	*ibid.*
	Decretum de celebrando concilio.	*ibid.*
	Indictio futuræ ſeſſionis.	117
	Propoſitio de rebus ſequenti ſeſſione agitandis.	*ibid.*

SYLLABUS

ANNO CHRISTI

1562. XVIII. Seſſio. *ibib.*

Decretum de librorum delectu, & omnibus ad concilium fide publica invitandis. *ibid.*
Indictio futuræ ſeſſionis. 118
Salvus conductus conceſſus Germanis. *ibid.*
Ejuſdem extenſio ad alias nationes. 120

XIX. Seſſio, in qua decreta prorogatio. 121

XX. Seſſio, in qua iterum decreta prorogatio. ibid.

1562. XXI. Seſſio. ibid.

Doctrina de communione ſub utraque ſpecie, & parvulorum. *ibid.*
Canones IV. de eodem argumento. 123
Decretum de reformatione. 124
Indictio futuræ ſeſſionis. 128

XXII. Seſſio. 128

Doctrina de ſacrificio Miſſæ. *ibid.*
Canones IX. de ſacrificio Miſſæ. 131
Decretum de obſervandis & evitandis in celebratione Miſſæ. 132
Decretum de reformatione. 133
Decreta ſuper petitione conceſſionis calicis. 137
Indictio futuræ ſeſſionis. *ibid.*

1563. XXIII. Seſſio. 138

Doctrina de ſacramento Ordinis. *ibid.*
De eodem canones VIII. 139
Decretum de reformatione. 140
Indictio futuræ ſeſſionis. 149

XXIV. Seſſio. 149

Doctrina de ſacramento matrimonii. *ibid.*
De eodem canones XII. 150
Decretum de reformatione matrimonii. 152
Decretum de reformatione. 156
Indictio futuræ ſeſſionis. 170

XXV. Seſſio. 170

Decretum de purgatorio. *ibid.*
De invocatione, veneratione, reliquiis ſanctorum, & ſacris imaginibus. 171
Reformatio de regularibus & monialibus. 172
Decretum de reformatione. 181
Decretum de continuanda ſeſſione in diem ſequentem. 193
Continuata ſeſſione, decretum editum de indulgentiis, de delectu ciborum, jejuniis, & diebus feſtis, de indice librorum, catechiſmo, breviario & miſſali, de loco oratorum, de recipiendis & obſervandis decretis concilii, de iis recitandis, quæ ſub Paulo III. & Julio III. pontificibus ſtatuta ſunt, de fine concilii, & confirmatione petenda a ſummo pontifice. *ibid. & ſeq.*
Acclamationes patrum in fine concilii. 196

Hucuſque ſeſſiones.

Nomina, patriæ, & dignitates eorum, qui ad Tridentinam ſynodum convenerunt. 197
Confirmatio concilii. 215
Bulla Pii papæ IV. ſuper confirmatione concilii. *ibid.*
Bulla ejuſdem ſuper declaratione temporis ad obſervanda decreta concilii Tridentini. 219
*Bulla ejuſdem ſuper forma juramenti profeſſionis fidei. 220
*Motus proprius ejuſdem, per quem deputantur octo cardinales, qui faciant obſervari reformationes editas. 222
*Bulla ejuſdem revocatoria quorumcumque privilegiorum, & exemptionum, quæ decretis concilii Tridentini adverſantur. 224

ANNO CHRISTI

1563. *Ejuſdem bulla de indice librorum prohibitorum. 226
*Regulæ decem de libris prohibitis, cum præfatione Franciſci Forerii. 228

* *Concilii Tridentini τὰ ἰσοριικὰ, ex editione Lovanienſi anni*

MDLXVII.

Index chronologicus litterarum, orationum, ſimiliumque actorum, quæ continet editio Lovanienſis. 237

Pars I. Paulo III. pontifice.

1545. *Admonitio atque hortatio legatorum ſedis apoſtolicæ, ad patres in concilio Tridentino. 249
*Concio Dominici Soto, prima Dominica Adventus, de extremo judicio. 256
*Oratio Cornelii Muſſi, tertia Dominica Adventus. 266
1545. *Oratio Antonii Marinarii, quarta Dominica Adventus. 275
*Oratio Ambroſii Catharini Politi. 287
*Oratio Didaci a Mendocia, oratoris Cæſarei. 287
*Oratio Franciſci a Toleto, oratoris Cæſarei. 289
*Reſponſio ſynodi. 290
*Joannis tertii Luſitaniæ regis litteræ ad Paulum III. 291
*Oratio Petri Daneſii, Francorum regis oratoris. 293
1547. *Oratio Dominica prima Quadrageſimæ, per Georgium de ſancto Jacobo. 300
*Oratio Antonii Marinarii, Dominica quarta in Quadrageſima. 309

Pars II.

Orationes habitæ in concilio, Julio III. pontifice, cujus præmittitur vita ex appendice ad Platinam. 317

1550. *Bulla continuandum concilium Tridentinum indicens. 319
1551. *Oratio Petri Fragi in Aſcenſione Dom. 320
*Salvatoris Salapuſii oratio, Dominica cœnæ nuptiarum. 333
*De Chriſtiana profeſſione oratio, tertia Adventus Dominica, per Leonardum Aretinum. 349
1552. *Mariani Rocha oratio, Dominica tertia Quadrageſimæ. 355
*Oratio Pauli Paſſotæ. 362
*Oratio de circumciſione Domini habita per Everhardum Billicum. 364
*Oratio Franciſci Herediæ, in die omnium ſanctorum. 383
*Sententia Joannis Haſſelani, ſuper facto Nectarii, circa ſublationem confeſſionis. 397

Parte III.

Chriſtianorum principum ad ſacrum concilium litteræ & mandata, legatorumque orationes, una cum ſynodi reſponſionibus, Pio IV. pontifice maximo. 409. & ſeq.

1562. *Mandatum Ferdinandi imperatoris electi. *ibid.*
*Mandatum alterum ejuſdem. 410
*Litteræ ejuſdem. 412
*Oratio Georgii Draſcovitii, Ferdinandi imperatoris electi, pro regno Hungariæ oratoris. 413
*Reſponſio ſynodi. 415
*Comparitio ſecunda Ferdinandi imperatoris electi. 416
*Reſponſio ſynodi. *ibid.* 417

SACROSANCTUM ŒCUMENICUM ET GENERALE CONCILIUM TRIDENTINUM SUB PAULO III. JULIO III. ET PIO IV. PONTIFICIBUS MAXIMIS.

ANNO CHRISTI 1545.

BULLA INDICTIONIS sacsi œcumenici concilii Tridentini sub Paulo III. pontifice maximo.

Paulus episcopus servus servorum Dei ad futuram rei memoriam.

INITIO nostri hujus pontificatus, quem non ob merita nostra, sed propter suam magnam bonitatem, Dei omnipotentis providentia nobis commisit, cernentes jam tum in quas perturbationes temporum, quotque incommoda rerum fere omnium nostra pastoralis solicitudo & vigilia esset vocata, cupiebamus quidem mederi Christianæ reipublicæ malis, quibus illa jamdudum vexata, & propemodum oppressa est; sed ipsi etiam, ut homines, circumdati infirmitate, ad tantum onus tollendum impares vires nostras esse sentiebamus: nam cum pace opus esse intelligeremus ad liberandam & conservandam a plurimis impendentibus periculis rempublicam, omnia invenimus odiis & dissentionibus plena, * dissentientibus præsertim principibus iis inter se, quibus summa rerum pene omnis a Deo permissa est: cum unum ovile & unum pastorem dominici esse gregis, ad integritatem Christianæ religionis, & ad cœlestium bonorum spem in nobis confirmandam necessarium duceremus, schismatis, dissidiis, hæresibus erat Christiani nominis divulsa jam pene & lacerata unitas: cum tutam atque munitam ab infidelium armis atque insidiis rempublicam optaremus, nostris erratis, nostraque cunctorum culpa, Dei videlicet ira peccatis nostris imminente, Rhodus fuerat amissa, Hungaria vexata, conceptum & meditatum contra Italiam, contraque Austriam & Illyricum terra marique bellum: cum impius & immitis hostis noster Turca nullo tempore requiesceret, nostrorumque inter se odia & dissensiones suam bene gerendæ rei occasionem duceret: igitur, ut dicebamus, in tanta hæresum, dissensionum, bellorumque tempestate, tantisque excitatis fluctibus, cum essemus ad moderandam & gubernandam Petri naviculam vocati, nec viribus ipsi nostris satis fideremus, primum conjecimus in domino cogitatus nostros, ut ipse nos nutriret, animumque nostrum firmitate & robore, mentem consilio sapientiaque instrueret; deinde animo repetentes, majores nostros sapientia admirabili & sanctitate præditos, sæpe in summis Christianæ reipublicæ periculis, remedium optimum atque opportunissimum œcumenica concilia & episcoporum generales conventus adhibuisse; ipsi quoque animum ad generale habendum concilium adjecimus, exquisitisque principum sententiis, quorum nobis videbatur utilis in primis & opportuna ad hanc rem esse consensio, cum eos tunc non alienos ab hoc tam sancto opere invenissemus, œcumenicum concilium & generalem eorum episcoporum, aliorumque patrum, ad quos pertineret, conventum in civitate Mantuæ indiximus, anno incarnationis domini, sicut literis & monumentis nostris testatum est, millesimo quingentesimo trigesimoseptimo, pontificatus nostri tertio, ad decimum Kalendarum Junii inchoandum, spem prope certam habentes fore, ut cum illic in nomine domini essemus congregati, ipse, sicut promisit, dominus in medio nostrum adfuturus, & bonitate ac misericordia sua omnes temporum procellas, omniaque pericula spiritu oris sui facile depulsurus esset. Sed ut semper insidiatur piis actionibus humani generis hostis, primum contra omnem spem & expectationem nostram denegata fuit nobis Mantuana civitas, nisi aliquas conditiones subiremus, ab institutis majorum nostrorum, & conditione temporum, nostraque ac hujus sanctæ sedis ac nominis ecclesiastici dignitate libertateque prorsus alienas quas in aliis literis nostris expressimus. Quapropter alium invenire locum, aliamque deligere civitatem necesse habuimus; quæ cum non statim nobis occurreret idonea & apta, ad sequentes Kalendas Novembris prorogare concilii celebrationem fuimus coacti. Interim sævus & perpetuus hostis noster Turca, ingenti classe Italiam adortus, aliquot oppida in litoribus Apuliæ cepit, vastavit, diripuit, prædas hominum abegit: nos in maximo timore & periculo omnium muniendis litoribus nostris, finitimisque auxilio juvandis, fuimus occupati: nec tamen interea destitimus consulere & hortari Christianos principes, ut de idoneo ad habendum concilium loco quid sentirent nobis exponerent. Quorum cum essent incertæ variæque sententiæ, tempusque diutius, quam erat opus, videretur extrahi, nos optimo animo atque (ut arbitramur) etiam consilio, Vicentiam elegimus, urbem copiosam, & Venetorum, qui eam nobis concedebant, virtute, auctoritate, potentia, cum aditum patentem, tum stationem omnibus liberam atque tutam, in primis in se habentem. Sed cum jam tempus longius progressum esset, novæque urbis electionem omnibus significari conveniret: jamque Kalendæ Novembris appetentes facultatem

Matth. 18.

ANNO CHRISTI 1545.

tem hujus divulgationis excluderent, hiemsque esset propinqua, rursus altera prorogatione tempus concilii differre in proximum sequens ver, Majique futuras Kalendas compulli fuimus. Qua re firmiter constituta atque decreta, cum & nosipsos, & cetera omnia ad eum bene agendum, Deo juvante, celebrandumque conventum pararemus, plurimum reputantes interesse cum celebrationis concilii, tum universæ Christianæ reipublicæ, Christianos principes pace inter se & concordia consentire, carissimos in Christo filios nostros, Carolum Romanorum imperatorem semper Augustum, & Christianissimum regem Franciscum, duo præcipua Christiani nominis firmamenta atque subsidia, orare atque obsecrare institimus, ut ad colloquium inter se & nobiscum una convenirent: quorum quidem apud utrumque literis, nunciis, & a latere nostro missis ex venerabilium fratrum nostrorum numero legatis sæpissime egeramus, ut ex simultate & dissidiis ambo in unum fœdus & piam amicitiam vellent convenire, labentibusque succurrere Christianis rebus: quarum servandarum cum esset illis potestas a Deo præcipue tributa, si id non agerent, & ad commune Christianorum bonum sua consilia non dirigerent, acris & severa ratio eidem Deo ab ipsis reddenda esset. Qui aliquando precibus nostris annuentes, Nicæam se contulere: quo nos quoque longum iter, & senili ætati nostræ vehementer contrarium, Dei & pacis conciliandæ causa suscepimus; neque prætermisimus interea, cum tempus concilii præstitutum, Kalendæ videlicet Maii, appropinquarent, tres legatos summæ virtutis ac auctoritatis a latere nostro de numero eorumdem fratrum nostrorum, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium, Vicentiam mittere, qui initium concilii facerent, prælatosque undique venientes exciperent, & ea quæ judicarent esse opus agerent & tractarent; quoad nos ab itinere & negotio pacis reversi omnia accuratius dirigere possemus. Interim vero in illud sanctum opus maximeque necessarium, tractationem videlicet pacis inter principes, incubuimus; & quidem omni animi studio, omni pietate ac diligentia. Testis est nobis Deus, cujus freti clementia, nosmetipsos itineris & vitæ periculo exposuimus. Nostra testis conscientia, quæ nihil habet hac in re quidem, in quo nos arguat, aut prætermissæ, aut non quæsitæ ad pacificandum occasionis. Principes ipsi testes, quos tam sæpe, tamque vehementer nunciis, literis, legatis, monitis, hortatu, precibusque omnibus oblecraveramus, ut simultates deponerent, ut in societatem coirent, ut Christianæ reipublicæ in maximum & propinquum jam adductæ discrimen communibus studiis & subsidiis opitularentur. Jam vero testes illæ vigiliæ atque curæ, illi diurni nocturnique animi nostri labores, gravesque solicitudines, quas ob hanc rem & causam plurimas jam suscepimus; nec tamen ad optatum exitum nostra consilia & acta adhuc perducta sunt. Ita enim visum domino Deo est; quem tamen non desperamus aliquando optata nostra benignius respecturum. Ipsi quidem, quantum in nobis fuit, nihil quod esset pastorali nostro officio debitum in hac re omisimus. Quod si qui sunt qui actiones pacis nostras in aliam interpretentur partem, dolemus quidem: sed tamen in dolore nostro gratias Deo omnipotenti agimus, qui ad exemplum & doctrinam patientiæ nostræ suos voluit apostolos haberi dignos, qui pro non ine Jesu, qui pax nostra est, contumeliam paterentur. Verum in illo congressu colloquioque nostro, quod Nicææ habitum est, etsi, peccatis nostris impedientibus, inter duos principes vera & perpetua pax non potuit confici, induciæ tamen decennales factæ sunt; quarum opportunitate nos sperantes & sacrum concilium commodius celebratum iri, & deinde ex concilii auctoritate perfici posse pacem, apud principes institimus, ut & ipsi venirent ad concilium, & prælatos suos præsentes ducerent, absenteisque accerserent, Qui cum de utroque se excusassent, quod & ipsis redire in regna sua tum necesse esset, & prælatos, quos secum habuissent, itinere atque impendiis fessos atque exhaustos recreari & refici oporteret, nos hortati sunt, ut aliam quoque prorogationem temporis habendi concilii decerneremus. Qua in re concedenda cum essemus aliquantum difficiles, literas interim a legatis nostris, qui Vicentiæ erant, accepimus, translato jam & longius præterito concilii ineundi die, unum vix aut alterum ex externis nationibus prælatum Vicentiam se contulisse. Quo nuncio accepto, cum videremus eo tempore nulla jam ratione haberi concilium posse, ipsis principibus concessimus, ut differretur tempus concilii usque ad sanctum pascha, diemque festum futuræ dominicæ resurrectionis. Cujus nostri præcepti expectationisque decretæ literæ Genuæ anno incarnationis domini millesimo quingentesimo trigesimo octavo, IV. Kalendas Julii, factæ publicatæque sunt; atque hanc dilationem eo propensius fecimus, quod pollicitus est nobis uterque princeps legatos suos Romam ad nos se missurum, ut ea quæ ad perfectionem pacis reliqua essent, neque Nicææ ob brevitatem temporis potuerant omnia confici, Romæ commodius coram nobis agerentur & tractarentur. Et ob hanc rationem etiam a nobis ambo petierunt, ut hæc pacificationis procuratio concilii celebrationi præponeretur, cum ipsum concilium pace facta multo deinde utilius & salutarius Christianæ reipublicæ futurum esset. Semper enim hæc pacis spes nobis injecta, principum nos voluntatibus assentiri hortata est: quam spem vehementer auxit, post discessum a Nicæa nostrum, ipsorum duorum principum inter se benevola amicaque congressio, quæ maxima nostra cum lætitia a nobis intellecta confirmavit nos in bona spe, ut tandem aliquando nostras preces apud Deum exauditas, & vota pacis accepta esse crederemus. Hanc igitur pacis conclusionem cum & expeteremus & urgeremus, nec solum duobus antedictis principibus, verum etiam carissimo in Christo filio nostro Ferdinando regi Romanorum videretur, actionem concilii, nisi pace facta, suscipi non oportere, cunctique a nobis per literas suosque oratores contenderent, ut alias rursus temporis prorogationes faceremus, præcipue autem instaret serenissimus Cesar, promisisse se demonstrans iis, qui a catholica unitate dissentiunt, se operam suam apud nos interpositurum, ut aliqua concordiæ ratio iniretur, quod ante suam in Germaniam profectionem apte non posset fieri: nos eadem semper spe pacis, & tantorum principum voluntate adducti, cum præsertim cerneremus, ne ad dictum quidem resurrectionis festum alios prælatos Vicentiam convenisse, prorogationis nomen jam fugientes, quod tam sæpe frustra fuerat repetitum, celebrationem generalis concilii ad nostrum & sedis apostolicæ beneplacitum suspendere maluimus: itaque fecimus, & de suspensione hujusmodi literas ad singulos

Act. 5.
2. Cor. 12.

gulos supradictorum principum decima die Junii 1539. dedimus, sicuti ex illis perspicue potest intelligi. Ea itaque suspensione necessario per nos facta, dum tempus illud magis idoneum a nobis pacisque aliqua conclusio expectatur, quæ & dignitatem postea frequentiamque concilio, & Christianæ reipublicæ præsentiorem salutem erat allatura; Christianæ interea res in deterius quotidie prolapsæ sunt, Hungaris, rege ipsorum mortuo, Turcam vocantibus, Ferdinando rege bellum in eos movente, Belgis ad defectionem a Cæsare ex parte quadam incitatis, cujus defectionis comprimendæ causa per Galliam amicissime, & cum rege Christianissimo concordissime, magno benevolæ inter eos voluntatis indicio transiens in Belgas sereniſſimus Cæsar, & illinc deinde in Germaniam profectus, conventus Germaniæ principum & civitatum, tractandæ ejus, quam dixerat, concordiæ causa habere cœpit. Sed cum, spe pacis jam deficiente, ille quoque modus curandæ in conventibus tractandæque concordiæ ad majores potius discordias concitandas *aptus esse videretur, inducti fuimus ad pristinum concilii generalis remedium reverti; idque per legatos nostros sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales ipsi Cæsari obtulimus, quod etiam postremo & præcipue in Ratisponensi conventu egimus, cum illic dilectus filius noster Gaspar tituli sanctæ Praxedis cardinalis Contarenus, summa doctrina & integritate, legatum nostrum ageret. Nam cum (id quod ne accideret antea veriti eramus) ex ejus conventus sententia peteretur a nobis, ut ab ecclesia dissentientium quosdam articulos tolerandos declararemus, quoad per œcumenicum concilium illi excuterentur & deciderentur; idque nobis ut concederemus, neque Christiana & catholica veritas, neque nostra & sedis apostolicæ dignitas permitteret, palam potius concilium ut quamprimum fieret proponi mandavimus. Neque vero in alia unquam sententia & voluntate fuimus, quam ut primo quoque tempore concilium œcumenicum & generale congregaretur. Sperabamus enim ex eo & pacem populo Christiano, & Christianæ religionis integritatem posse recuperari: verumtamen id cum bona gratia & voluntate Christianorum principum habere volebamus. Quam voluntatem dum expectamus, dum observamus tempus absconditum, tempus beneplaciti tui, *Psalm. 68.* o Deus, aliquando tandem decernere compulsi sumus, omne esse tempus beneplacitum Deo, cum de rebus sanctis & ad Christianam pietatem pertinentibus consilia ineuntur. Quapropter videntes, maximo quidem animi nostri cum dolore, rem Christianam quotidie in pejus ruere, Hungaria a Turcis oppressa, Germanis periclitantibus, ceteris omnibus metu mœroreque afflictis, nullius jam principis consensum expectare, sed tantum Dei omnipotentis voluntatem, & Christianæ reipublicæ utilitatem attendere constituimus. Itaque cum Vicentiam amplius non haberemus, cuperemusque cum universæ Christianorum saluti, tum Germanicæ nationis incommodis, in eligendo per nos novo concilii habendi loco, consulere, aliquotque locis propositis, ipsam Tridentinam civitatem ab ipsis desiderari videremus, nos, etsi in citeriore Italia commodius omnia tractari posse judicabamus, ad eorum tamen postulationes nostram voluntatem paterna caritate defleximus; itaque Tridentum civitatem elegimus, qua in civitate œcumenicum concilium ad proxime venturas Kalendas Novembris haberetur, idoneum locum illum statuentes, quo ex Germaniæ quidem, aliisque Germaniæ finitimis nationibus facillime, ex Gallia, Hispania, ceterisque provinciis remotioribus, non difficiliter episcopi & prælati convenire possent. Dies autem concilii ea a nobis spectata est, quæ spatium in se haberet & publicandi per Christianas nationes nostri hujus decreti, & facultatis omnibus prælatis ad veniendum tribuendæ. Quo minus autem annuum tempus præfiniremus mutando concilii loco, sicut quibusdam constitutionibus alias præscriptum est, ea res fuit in causa, quod longius extrahi spem sanandæ aliqua in parte Christianæ reipublicæ, quæ tot detrimentis & calamitatibus affecta est, noluimus. Et tamen videmus tempora, agnoscimus difficultates, quid sperari possit ex consiliis nostris, incertum esse intelligimus. Sed quia scriptum est, *Revela domino viam tuam, & spera in eo, & ipse faciet*, magis Dei clementiæ & misericordiæ confidere, quam nostræ imbecillitati diffidere constituimus. Sæpe enim fit in bonis operibus incipiendis, ut quod humana consilia non valent, divina virtus efficiat. Hujus igitur ipsius Dei omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus sancti, ac beatorum ejus apostolorum Petri & Pauli auctoritate, qua nos quoque in terris fungimur, freti atque subnixi, de venerabilium item fratrum nostrorum sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium consilio & assensu, sublata amotaque suspensione, de qua supra commemoratum est, quam per præsentes tollimus & amovemus, sacrum œcumenicum & generale concilium in civitate Tridentina, loco commodo & libero, omnibusque nationibus opportuno ad Kalendas proximas Novembris anni præsentis ab incarnatione domini millesimo quinquagesimo quadragesimo secundo incipiendum, prosequendum, &, eodem domino adjuvante, ad ipsius gloriam atque laudem, & Christiani totius populi salutem, absolvendum perficiendumque indicimus, annunciamus, convocamus, statuimus, atque decernimus: omnes omnibus ex locis tam venerabiles fratres nostros patriarchas, archiepiscopos, episcopos, & dilectos filios abbates, quam alios quoscumque, quibus jure aut privilegio in conciliis generalibus residendi, & sententias in eis dicendi permissa potestas est; requirentes, hortantes, admonentes, ac nihilo minus eis in vi jurisjurandi, quod nobis & huic sanctæ sedi præstiterunt; ac sanctæ virtute obedientiæ, aliisque sub pœnis jure aut consuetudine in celebrationibus conciliorum adversus non accedentes ferri & proponi solitis mandantes, arcteque præcipientes, ut ipsimet, nisi forte justo detineantur impedimento, de quo tamen fidem facere compellantur, aut certe per suos legitimos procuratores & nuncios sacro huic concilio omnino adesse & interesse debeant. Supra autem dictos imperatores, regemque Christianissimum, nec non ceteros reges, duces, principes, quorum præsentia, si alias unquam, hoc quidem tempore maxime sanctissimæ Christi fidei, & Christianorum omnium futura est salutaris; rogantes atque obsecrantes per viscera misericordiæ Dei & domini nostri Jesu Christi, cujus fidei veritas & religio & intus & extra graviter jam oppugnatur, ut si salvam volunt Christianam esse rempublicam, si se domino obstrictos & obligatos pro maximis illius erga ie beneficiis intelligunt, ne deserant ipsius Dei causam & negotium, ipsimet ad sacri concilii celebrationem veniant, in quo ipsorum pietas atque virtus communi utilitati, salutique suæ ac ceterorum & temporali & æternæ plurimum est profutura. Sin autem (id quod nollemus) accedere

ANNO CHRISTI 1545.

Concil. Constanc. Sessio. 30.

Psalm. 36.

ANNO CHRISTI 1545.

ipsi non poterunt, at graves saltem viros legatos cum auctoritate mittant, qui personam principis sui quisque & cum prudentia & cum dignitate possint in concilio referre. In primis vero ut id curent, quod ipsis facillimum est: ut ex suis cujusque regnis ac provinciis episcopi & prælati sine tergiversatione & mora ad concilium proficiscantur. Quod maxime quidem a prælatis principibusque Germaniæ Deum ipsum atque nos impetrare æquum est, ut cum eorum præcipue causa ipsisque cupientibus concilium indictum sit, & in ea civitate indictum, quæ ab eis est desiderata, non graventur ipsi sua cunctorum præsentia id celebrare & ornare, quo melius atque commodius quæ ad integritatem & veritatem Christianæ religionis, quæ ad bonorum morum reductionem, emendationemque malorum, quæ ad Christianorum inter se tam principum quam populorum pacem, unitatem, concordiamque pertineant, & quæ ad repellendos impetus barbarorum & infidelium, quibus illi universam Christianitatem obruere moliuntur, sint necessaria, Deo nostris consultationibus præeunte, & lumen sapientiæ suæ ac veritatis mentibus nostris præferente, agi in dicto sacro œcumenico concilio, & conspirante omnium caritate consuli, tractari, confici, ad optatosque exitus deduci quamprimum & quam optime possint. Atque ut nostræ hæ literæ, & quæ in eis continentur, ad notitiam cunctorum, quorum oportet, perveniant: neve quis illorum ignorantiæ excusationem prætendat, cum præsertim etiam non ad omnes eos, quibus nominatim illæ essent intimandæ, tutus forsitan pateat accessus, volumus & mandamus, ut in basilica Vaticana principis apostolorum & ecclesia Lateranensi, cum ibi multitudo populi ad audiendam rem divinam congregari solita est, palam clara voce per curiæ nostræ cursores, aut notarios aliquos publicos, legantur, lectæque in valvis dictarum ecclesiarum, itemque cancellariæ apostolicæ portis, & Campi Floræ solito loco, affigantur; ubi ad lectionem & notitiam cunctorum aliquamdiu expositæ pendeant: cumque inde amovebuntur, earum nihilo minus exempla in eisdem locis remaneant affixa. Nos enim per lectionem, publicationem, affixionemque hujusmodi omnes & quoscumque, quos antedictæ nostræ literæ comprehendunt, post spatium duorum mensium, a die literarum publicationis & affixionis, ita volumus obligatos esse atque adstrictos, ac si ipsismet illæ coram lectæ & intimatæ essent: transumptis quidem earum, quæ manu publici notarii scripta, aut subscripta, & sigillo personæ alicujus ecclesiasticæ in dignitate constitutæ munita fuerint, ut fides certa & indubitata habeatur, mandamus atque decernimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ indictionis, annunciationis, convocationis, statuti, decreti, mandati, præcepti & obsecrationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis dominicæ millesimo quingentesimo quadragesimosecundo, undecimo Kalendas Junii, pontificatus nostri anno octavo.

Blosius,

Hier. Dand.

SESSIO PRIMA

ANNO CHRISTI 1545.

SACROSANCTI OECUMENICI & generalis concilii Tridentini, sub Paulo III. pontifice maximo celebrata die decimatertia mensis Decembris, anno domini MDXLV. præsidentibus in ea nomine ejusdem pontificis reverendissimis dominis Joanne Maria de Monte, Marcello Cervino, & Reginaldo Polo, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus, & apostolicæ sedis de latere legatis,

In nomine domini, Amen.

SESSIO I. 3. Dec. 1545.

ANNO a nativitate ejusdem domini nostri millesimo quingentesimo quadragesimo-quinto, indictione tertia, die vero dominica tertia adventus domini, in qua fuit festum sanctæ Luciæ, & decimatertia mensis Decembris, pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri domini Pauli, divina providentia papæ tertii, anno duodecimo, pro felici inchoatione sacrosanctæ œcumenicæ & generalis Tridentinæ synodi fuit facta processio generalis in civitate Tridentina ab ecclesia sanctissimæ & individuæ Trinitatis ad ecclesiam cathedralem; assistentibus in ea tribus sedis apostolicæ legatis, & reverendissimo & illustrissimo domino Christophoro Madrucio, tituli sancti Cæsarii sanctæ Romanæ ecclesiæ presbytero cardinali & episcopo Tridentino; nec non reverendis patribus dominis archiepiscopis, episcopis, abbatibus, doctoribus, ac illustribus & nobilibus viris infrascriptis, cum multis aliis doctoribus tum in theologia, tum in utroque jure, etiam cum magno numero baronum & comitum, nec non cum clero & populo dictæ civitatis. Qua finita, præfatus reverendissimus & illustrissimus dominus cardinalis de Monte, primus legatus, celebravit missam de sancto Spiritu in sancta cathedrali ecclesia, & reverendus pater dominus episcopus Bitontinus habuit orationem. Deinde finita missa, dictus reverendissimus dominus de Monte cardinalis dedit benedictionem populo. Postmodum comparuit coram eisdem reverendissimis legatis & prælatis egregius vir magister Zorrilla, secretarius illustrissimi domini Didaci de Mendoza, oratoris Cæsareæ & catholicæ majestatis, & præsentavit literas excusatorias super ejus absentia, quæ fuerunt lectæ alta voce. Interea lectæ fuerunt bullæ indictionis concilii, postmodum præfatus reverendissimus de Monte legatus vertit se ad patres concilii, dicens:

* In finibus Italiæ versus Germaniam.

DECRETUM PRIMÆ SESSIONIS.

De inchoando concilio.

Placetne vobis ad laudem & gloriam sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus sancti, ad incrementum & exaltationem fidei & religionis Christianæ, ad extirpationem hæresum, ad pacem & unionem ecclesiæ, ad reformationem cleri & populi Christiani, ad depressionem & extinctionem hostium Christiani nominis, decernere & declarare, sacrum Tridentinum & generale concilium incipere, & inceptum esse? Responderunt: Placet.

Indictio futuræ sessionis.

Et cum proxima sit celebritas nativitatis domini nostri Jesu Christi, & subsequantur aliæ festivi-

festivitates labentis & incipientis anni, placetne vobis primam futuram sessionem habendam esse die Jovis post epiphaniam, quæ erit septima mensis Januarii, anno domini millesimo quingentesimo quadragesimo sexto. Responderunt: Placet.

Postremo idem reverendissimus de Monte benedixit synodum: & deinde cantatores cantaverunt Te Deum. Super quibus omnibus dominus Hercules Severolus, ipsius concilii promotor, petiit a domino Claudio de la Casa, clerico Virdunensis diœcesis, & notario ejusdem concilii, & ab aliis notariis, unum vel plura fieri instrumentum seu instrumenta.

Sequuntur nomina prælatorum qui interfuerunt apertioni concilii.

Archiepiscopi.

Reverendissimi patres domini archiepiscopi, Aquensis, Panormitanus, Upsalensis, Armacanus.

Episcopi.

Hipporegiensis, Feltrensis, Cavensis, Fæsulanus, Caputaquensis, sancti Marci, Giennensis Hispanus, Stabiensis, Pacensis, Astoricensis, Sidoniensis, Thermularum, Lancianensis, Syracusanus, Agathensis, Aquinatensis, Bitontinus, Vigornensis, Bellicastrensis, Britonoriensis, Clodiensis, Joannes Fonseca episcopus Castelli maris Hispanus.

Oratores.

Fuerunt præsentes illustres domini, Castel-Alto, capitaneus civitatis Tridentinæ, & dominus Antonius Queta, oratores serenissimi Romanorum regis.

Generales ordinum.

Interfuerunt etiam generales ordinum Mendicantium, ordinis Minorum, ordinis Conventualium, ordinis eremitarum sancti Augustini, ordinis beatæ Mariæ de monte Carmelo, ordinis beatæ Mariæ Servorum, cum multis tum sæcularibus tum regularibus doctoribus.

Angelus Massarellus, sacri concilii secretarius, manu propria.

Admonitio atque hortatio legatorum sedis apostolicæ ad patres in concilio Tridentino, lecta in prima sessione.

Patres reverendissimi, *&c.* Cum ipsa muneris nostri ratio, qui in hac sancta synodo præsidentium & sedis apostolicæ legatorum personam gerimus, hoc postulatura videtur, ut crescentibus negotiis, quæ in hoc sacro consessu ad Dei gloriam & ecclesiæ utilitatem sunt expedienda, sæpius apud vos, cohortandi & commonendi causa, verba faciamus; tum vero in hac prima sessione, quæ felix, ut speramus, principium ipsi concilio est datura, minime hoc a nobis prætermittendum duximus. Eo vero libentius hoc officio fungimur, quod cum vos vel hortamur ut ea faciatis quæ digna tanto conventu sint, vel a contrariis dehortamur, nosmetipsos etiam hortamur ac dehortamur, qui in eadem quasi navi vobiscum sumus, iisdemque periculis, quibus vos, iisdem tempestatibus subjicimur. Nosmetipsos, inquam, excitamus ad vigilandum, ne vel in scopulos incidamus, qui plurimi procul dubio in hoc cursu sese offerent: vel magnitudine negotiorum, tanquam fluctuum obrui nos negligentia nostra patiamur: verum spe & fide erecti eo navigationem dirigamus, quo maxime portus salutis ad Dei gloriam in Christo Jesu sese ostendet. Igitur ut ab eo incipiamus, de quo maxime in hoc principio admonendi omnes sumus, unusquisque nostrum ante oculos sibi in primis proponere debet, quænam sint, quæ ab hoc sacro concilio expectentur: ex quo quisque facile intelliget, quantum sibi oneris incumbat. Sunt vero ea (ut omnia summatim complectamur) quæ in bulla indictionis concilii continentur; nempe hæresum extirpatio, disciplinæ ecclesiasticæ & morum reformatio, ac tandem pax æterna totius ecclesiæ. Hæc ergo sunt, quæ nos curare, vel potius pro quibus assidue orare, ut Dei benignitate fiant, oportet: atque illud est, de quo ante omnia in ipso concilii exordio, omnes & singulos, qui huc convenimus, primum autem nosipsos qui in tam sancto ministerio præsidemus, admonendos duximus, ne unquam cogitemus, vel per singulos, qui hic adsunt, vel per universum concilium, etiamsi omnes pastores ex universo terrarum orbe huc coirent, tantis malis, quibus nunc grex Christi est oppressus, provideri posse. Si enim putamus hoc a nobis perfici posse, aut ab alio, quam ab ipso Christo, quem Deus Pater unicum nobis servatorem & pastorem dedit, cui etiam omnem potestatem dedit, erramus sane in fundamento omnium actionum nostrarum, & divinam iram magis provocabimus. Adjungimus enim ad superiora mala, quæ propterea nobis acciderunt, quod ipsum fontem aquæ vivæ reliquimus, hoc alterum maximum peccatum, quod nostra vel prudentia vel potentia iisdem malis mederi velimus: ut merito de nobis dicatur, quod propheta in persona Dei, veterem populum accusans, dicit: *Duo mala fecit populus hic: me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas, non valentes continere aquas.* Jerem. 2. Tales vero cisternæ sunt consilia, quæ a nostra prudentia, non afflata Spiritu divino, proficiscuntur, quæ non modo populos in pietate & obedientia, tanquam aquas in cisternis, continere non valent: sed quo magis his artibus retinere eos laboramus, eo violentius tanquam torrentes a nobis defluunt & discedunt: ut superiorum annorum experientia multis in locis satis nos docere potest, & nunc admonere, unicam tantum viam medendis his malis relictam, si nostra omnia remedia inutilia esse agnoscentes, & valere potius ad augenda quam ad tollenda mala: ad Christi potentiam, quem dexteram suam Deus Pater appellat; ad Christi sapientiam, qui est sapientia Patris, in omnibus nos, qui patrum personam gerimus, fide & spe confugiamus: hujus nos in omnibus ministros esse agnoscamus. *Hic vero quæritur,* inquit apostolus, *inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur. Hoc autem nunc nobis agendum est, ut ministros nos in omnibus idoneos præbeamus.* 1. Cor. 4. Erimus vero idonei, si nos ex nobis minime idoneos esse judicaverimus. *Quis enim,* inquit idem apostolus, *ad hæc idoneus? ut, qui ne cogitare quidem aliquid ex nobis, simus sufficientes.* 2. Cor. 2. 3. Verum hoc fateri non satis est nobis; hoc dicere potuit apostolus, & per hanc portam ingredi ad obeundum munus suum, in eo se ministrum fidelem ac idoneum ostendere, qui simul dicere potuit, de ministerio suo loquens: *Nihil mihi conscius sum.* 1. Cor. 4. Nobis vero, qui, si verum fateri volumus, aliter dicere non possumus, quin nobis conscii simus in administrando munere nobis impositio in plurimis defeciisse, & horum etiam malorum, ad quæ corri-

SESSIO I. 3. DEC. 1545.

SESSIO I. 3. DEC. 1545.

genda vocamur, non minima ex parte cauſam extitiſſe, non ſatis eſt hic fateri ad tantum munus nos impares eſſe. Quid ergo nobis agendum, ut idonei hoc tempore Chriſti miniſtri in eccleſia inſtauranda eſſe poſſimus? Idem prorſus, quod Chriſtus ipſe epiſcopus animarum noſtrarum fecit, cum venit ad fundandam & formandam eccleſiam ſuam. Idem ſane, patres, faciendum erit nobis, quod ipſa ſapientia Patris fecit, cum venit, ut multos filios in gloriam adduceret; id quod nobis item propoſitum nunc eſſe debet. Is enim cum oppreſſos peccatis omnes inveniſſet, omnia omnium peccata in ſeipſum tranſtulit, ſeque unum ante Deum pro omnibus reum & nocentem conſtituit, ac pœnam nobis debitam ſuſtinuit, tanquam omnia flagitia & omnia ſcelera, quæ nos commiſeramus, ipſe commiſiſſet, cum tamen ab omni labe peccati puriſſimus eſſet: quippe qui peccatum non fecit, neque unquam inventus eſt dolus in ore ejus. Quod vero Chriſtus pro immenſa ſua caritate erga Deum Patrem, & pro miſericordia erga noſtrum genus fecit, hoc nunc ut ipſi faciamus juſtitia ipſa a nobis flagitat, ut omnium horum malorum, quibus grex Chriſti eſt oppreſſus, nos paſtores coram tribunali miſericordiæ Dei reos conſtituamus, atque omnium peccata in noſipſos non tam pie quam juſte transferentes, quia revera horum malorum magna ex parte nos cauſa ſumus, divinam miſericordiam per Jeſum Chriſtum imploremus. Quod vero dicimus, nos paſtores his malis, quibus eccleſia eſt oppreſſa, cauſam dediſſe, ſi quis hoc acrius, & magis per exaggerationem quamdam verborum, quam vere dictum exiſtimet, hoc quidem ipſa rerum experientia, quæ mentiri non poteſt, comprobabit. Reſpiciamus ergo paululum ad ipſa mala, quibus eccleſia opprimitur, ac ſimul etiam ad noſtra peccata. Sed quis hæc numerare valeat, quæ ſimul cum reliquis malis multitudine ſuperant arenam maris, & uſque ad cœlum clamant? Circumſcribamus ergo tantam multitudinem noſtrorum malorum illis limitibus, quibus hoc concilium, quod capitalibus malis medendis eſt vocatum, ea circumſcripſit. Sunt vero illa tria, quæ ſupra commemoravimus, hæreſes, lapſa morum diſciplina, & inteſtinum atque externum bellum. Hic ergo videamus & conſideremus, cum tam multis annis eccleſia his calamitatibus vexetur, undenam ipſa originem habuerunt? num illis nos quodammodo principium, num fomentum dederimus? Primum vero examinemus initium hæreſum, quæ hac noſtra ætate paſſim pullularunt: quibus ſi negare volumus nos principium dediſſe, quia nullius hæreſeos ipſi auctores fuimus, tamen cum perverſæ de fide ſententiæ tanquam vepres quædam ſint & ſpinæ, quæ in agro domini, qui nobis colendus commendatus eſt, ortæ ſunt: & ſi illæ quidem ſua ſponte, ut ſolent aliquando vitioſæ herbæ, pullularunt: tamen qui non coluit quem debuit agrum, qui non ſeminavit, qui pullulantes per ſe non ſtatim curam adhibuit ut extirparet, non minus quidem principium illis dediſſe dicendus eſt, quam ſi ipſa ſeminaverit, præſertim cum hæc omnia a negligentia agricolæ ortum ducant, & incrementum habeant. Hic ergo ſeipſos excutiant, qui ſunt agricolæ in agro domini, conſcientiam ſuam interrogent, quomodo in eo colendo, quomodo in ſeminando ſe geſſerint. Quod qui fecerint, his præſertim temporibus, quibus pauciſſimi agro domini colendo incumbunt, non multum (credimus) dubitabunt, num ad ipſos pullulantium paſſim in eccleſia hæreſum culpa pertineat. Hæc vero monendi tantum cauſa dicta ſatis ſint de his quæ ad primum caput pertinent. Veniamus ad ſecundum, quod lapſam morum diſciplinam, & abuſus (ut vocant) complectitur. Hic vero nihil attinet diu inveſtigare, quinam tantorum malorum auctores fuerint, cum præter noſipſos ne nominare quidem ullum alium auctorem poſſimus. Quare ad tertium accedamus, quod impedimenta pacis eccleſiæ in ſe continet: qualia ſunt arma, vel domeſtica, vel externa: hæc enim jampridem pacem eccleſiæ perturbarunt, & adhuc perturbant. De quibus hoc tantum dicimus: ſi (quod Deus ipſe certiſſimis ſignis oſtendit) hæc arma flagella ejus ſunt, quibus nos affligit; quia duorum priorum capitum rei ſumus, in quibus nos excuſare non poſſumus, etiam horum armorum præcipuam nos cauſam eſſe negare non poſſumus. Ejuſmodi vero flagella Deum ob eam cauſam immittere cenſemus, ut nos peccantes caſtiget: & peccata ipſa, quibus majeſtatem ejus maxime offendimus, nobis ante oculos ponat. Hic vero quiſquis aliquando animadvertit, quibus modis eccleſia armorum violentia vexata fuerit, ſecum ipſe conſideret, quænam illa ſint, in quibus præcipue eccleſia propter ipſa arma detrimentum patiatur. Nec vero hic refert de quorum armis loquamur, ſive de inteſtinis noſtrorum principum, ſive de externis Turcarum armis, quæ ſuperioribus annis nos magnis calamitatibus affecerunt: ſive de eorum qui ab obedientia ſuorum paſtorum deceſſerunt, & ipſos a ſuis ſedibus expulerunt. Hoc enim ſummatim dicimus de omni genere armorum, ſi qui illa contra nos tractarunt, a ſuis eccleſiis paſtores fugarunt, ordines confuderunt, laicos autem in epiſcoporum locum ſuffecerunt, eccleſiæ bona diripuerunt, curſum verbi Dei impediverunt: hic, inquam, dicimus, nihil horum eſſe, quod in libro abuſuum paſtorum, maxima illorum pars, qui hoc nomen ſibi vendicant, per ſe factum eſſe, ſi legere libuerit, non ſcriptum apertis verbis inveniat. Noſtram enim ambitionem, noſtram avaritiam, noſtras cupiditates, his omnibus malis populum Dei prius affeciſſe ſtatim inveniet, atque harum vi ab eccleſiis paſtores fugari, eaſque pabulo verbi privari, bona eccleſiarum, quæ ſunt bona pauperum, ab illis tolli, indignis ſacerdotia conferri, & illis, qui nihil a laicis, præterquam in veſtis genere, ac ne in hoc quidem differunt, dari. Quid enim horum eſt, quod negare poſſimus per hos annos a nobis factum eſſe? Quare ſi Turca, ſi hæretici hoc idem adverſus non faciunt, quid hic aliud quam flagitia noſtra, & ſimul juſtum Dei judicium videmus? judicium vero plenum miſericordia: ſi enim pro meritis nos caſtigaret, jampridem ſicut Sodoma & Gomorrha fuiſſemus. Cur vero hæc nunc commemoramus? an ut vos confundamus? abſit, ſed magis, ut vos ceu patres & fratres cariſſimos, primum autem noſmetipſos admoneamus: quo pacto hæc, quibus nunc affligimur, flagella & graviora quæ impendent, niſi reſipiſcamus, vitare poſſimus, ut effugiamus tremendum illud Dei judicium, omnibus quidem non reſipiſcentibus tremendum, maxime vero illis qui præſunt. *Judicium enim grave*, inquit ſcriptura, *his qui præſunt, fiet*. Judicium vero incipere nunc vidimus a domo Dei. Dum enim nunc ejiciuntur ſacerdotes, dum conculcantur ab hominibus, quid aliud hoc indicat, quam divinum de nobis judicium, quod prædixit Chriſtus, cum diceret, ſacerdotes ſuos eſſe ſal terræ;

ANNO CHRISTI 1546.

Sap. 5.

terræ: quod si sal evanuerit, ad nihil valere ultra, nisi ut ejiciatur foras, & conculcetur ab hominibus. Hæc vero omnia nos nunc patimur. Quod si propter justitiam, ut nostri majores, beati nos quidem: at nunc juste quidem, quia sal evanuit: minime autem propter justitiam patimur: in omnibus enim nostris afflictionibus videmus judicium Dei. Atque utinam quidem illud videremus: hoc enim initium esset omnia Dei judicia & flagella effugiendi, atque in gratiam & veram gloriam ingrediendi. Quæ res fecit, ut in his commemorandis acriores & longiores fuerimus: nisi enim hæc bene cognita & perspecta fuerint, frustra intramus in concilium, frustra invocamus Spiritum sanctum, qui primum ingressum in animam hominis semper facere solet, per ipsius hominis condemnationem, ut condemnet mundum de peccato. Quare nisi ille Spiritus nos apud nosmetipsos primum condemnaverit, nondum illum ingressum esse ad nos affirmare possumus, ac ne ingressurum quidem, si peccata nostra audire recusamus. Idem enim dicetur nobis, quod populo veteri per prophetam Ezechielem est dictum, cum nondum agnitis suis sceleribus, Deum per prophetam interrogare vellent. Sic autem ait propheta: *Venerunt viri Israel ad interrogandum dominum, & sederunt coram me. Hæc autem dicit dominus: Numquid ad interrogandum me veniſtis? Vivo ego, dicit dominus, quia non respondebo vobis.* Sequitur autem: *Si judicas eos, abominationes patrum illorum ostende illis.* In quibus verbis ostendit Deus, quare noluerit respondere illis, quia nondum scilicet abominationes suas & patrum suorum audierant. Quare cum idem Dei Spiritus sit, qui tum dabat responsa, & quem nunc nos sedentes coram domino invocamus, quid nobis faciendum sit, ut propria responsa habeamus, ex his videtis: & simul quam necessario nos, qui præsidemus in hoc sacro consessu, a detegendis nostris peccatis sermonis exordium vobiscum duximus. Quia vero nonnullos nunc videmus, sua primum peccata, & nostri ordinis graviter deflentes, atque Dei misericordiam omnibus votis implorantes, ideo quidem in maxima spe sumus, adveniſſe, quem invocamus, Dei Spiritum. Hoc nos vero maximum pignus divinæ misericordiæ habemus, nempe ipsam hanc inchoationem concilii, in quo nunc convenimus, ad erigendam & instaurandam pene collapsam ecclesiam, ut vetus populus post diuturnam captivitatem apud externos reges rediit Hierosolymam ad instaurandum templum. In illius vero populi statu, in illorum læta ad patriam profectione, & templi instauratione nostri quidem temporis & nostri status, in hoc præsertim concilio, imaginem intueri possumus; & in ducum ejusdem populi exemplo, vestrum, qui duces estis populo Dei, ad cœlestem patriam contendenti officium videre. Quare omnes vos magnopere hortamur, ut sæpius ad memoriam revocetis quæ in Esdræ, quæ in Nehemiæ, quæ etiam in Danielis libris sunt scripta: in quibus consilia omnium ducum populi explicantur, quæ hunc unum semper scopum habuerunt, ut sua & populi atque patrum peccata confitentes, ad pœnitentiam & implorationem divinæ misericordiæ omnes excitarent. Quod cum populus faceret, tum quidem omnia illis feliciter succesſere. Eadem vero consilia nobis, si felicem successum & exitum expectare volumus in instauranda ecclesia, ob quam causam læti huc in spiritu convenimus, sequenda erunt; atque eo quidem magis, quo etiam majora nobis certamina impendent instauraturis ecclesiam, quam illis instauraturis templum. Si enim illis multi, quo minus id perficeretur, se opposuere; si multi etiam, cum opus impedire non possent, eos irriserunt; hoc quidem sic habetote, nobis nec irrisores defuturos, nec qui maximis viribus a cœpto opere nos deterreant & avocent. Habebimus vero non modo colluctationem cum carne & sanguine, sed cum spiritualibus nequitiis in cœlestibus. Verum his omnibus potentior est is, in cujus nomine hoc opus sumus aggressi. Quare in eo confidamus, ipsum precibus invocemus, & ipse omnia perficiet. Quia vero hoc concilium cum deliberantium, tum vero judicantium speciem refert; in quo & deliberatur de iis quæ ad universalis ecclesiæ bonum pertinent, & etiam judicatur tam de rebus, quam de personis: sedemus enim tanquam judicantes duodecim tribus Israel, quibus comprehenditur universus populus Dei: ideo maxime locus videtur nosipsos admonendi, ut caveamus ab his quæ vel consultandi, vel judicandi vim in nobis depravare solent. Hæc vero sunt ipsæ animi passiones: quæ ideo etiam perturbationes vocantur, quia rectum & verum de rebus judicium & sensum perturbant ac pervertunt. In quibus maxime illa sunt cavenda, quæ recte monet ethnicus ille in consiliis abjicienda, cum dicit: Omnes homines qui de rebus dubiis consultant, ab ira, odio, amicitia, vacuos esse debere. Nam cum in hæc omne genus hominum sit propensum, tum vero ii maxime qui principibus serviunt; tales enim vehementiores habent affectiones: facillime autem ad gratiam loquuntur, vel ad odium, prout scilicet ipsos existimant principes affectos esse, a quibus mercedem expectant. Cum vero de principibus loquimur, tam de his qui ecclesiastici vocantur, quam qui sæculares, loquimur. Ac licet quidem nos principes Christianos habere agnoscamus & gaudeamus, id quod in veteri, & jam recens fundata ecclesia patres nostri non habuerunt, tamen ante omnia nobis in hoc concilio semper est animadvertendum, hunc non esse locum laudandi aliquem, nisi solum Deum in Christo Jesu, atque illum solum justificandi: omne autem genus hominum condemnandi, primum vero nosipsos, qui hæc loquimur, ut cum Daniele dicamus: *Nobis confusio faciei, regibus nostris, principibus nostris, & patribus nostris, qui peccaverunt. Tibi autem domino Deo nostro misericordia, & propitiatio, quia recessimus a te; & non audivimus vocem domini Dei nostri, ut ambularemus in lege ejus, quam posuit nobis per servos suos prophetas. Et omnis Israel prævaricati sunt legem tuam, & declinaverunt, ne audirent vocem tuam: & stillavit super nos maledictio & detestatio.* Hic vero nunc locus esset, ut ejusdem prophetæ exemplum sequentes, cujus verba modo recitavimus, non solum nostra, qui sacerdotes sumus, sed populi, sed principum, coram Deo & ecclesia ejus, peccata confiteremur, proque omnibus veniam imploraremus. Sic vero dicit Daniel: *Cumque adhuc loquerer, & orarem, & confiterer peccata mea, & peccata populi mei*: nomine populi hoc loco omnium ordinum personas complectens, ut ejus confessio, quam modo recitavimus, declarat, qua in re, quid nobis, qui pro salute universæ ecclesiæ tantis malis oppressæ huc convenimus, faciendum sit, satis indicare videtur: nimirum, ut nostra, & simul principum, ac populi peccata flentes confiteamur. Id quod plane in spiritu

SESSIO I. 13. DEC. 1545.

Cæsaris in Catilinam verba.

Dan. 9.

Ibidem.

SESSIO I. 13. DEC. 1545.

spiritu mœroris satis nunc abunde facimus: verbis vero uberius faceremus, si ipsi principes adessent qui suam nobiscum confessionem & lacrymas conjungerent. Ejusmodi vero quasi funiculis peccatorum, ut prophetæ loquuntur, sacerdotum ac principum, atque ipsius populi peccata sunt colligata, ut difficile sit de unius ordinis peccatis inquirere, quin reliquorum simul ordinum peccata appareant. Sic vero omnes ordines una rationis serie accusans in veteri populo dicit Ezechiel in persona Dei: *Sacerdotes ejus contempserunt legem meam, & polluerunt sanctuaria mea: inter sanctum & profanum, non habuerunt distantiam. Principes ejus in medio illius, quasi lupi rapientes prædam, ad effundendum sanguinem, ad perdendas animas, & avare sectanda lucra. Populi terræ calumniabantur calumniam.* Hæc ille. Quæ utinam ad illa solum tempora pertinerent, ac non nostri quoque temporis imaginem referrent. Utinam cum de corruptela morum sacerdotum loquimur, huic maximam occasionem, maximam materiam, & auctoritatem ipsos principes, atque ipsum populum dedisse negare possemus. Sed reprimamus nunc verba usque ad tempus magis opportunum, fontes autem communium lacrymarum aperiamus. Redeamus vero ad eos, quos cepimus admonendos, præsertim episcopos, qui cum mandatis principum huc venerunt. Sic vero illos admonemus, ut omni, qua possunt fide & diligentia suis principibus serviant: verum, ut episcopos decet, sic illis serviant, ut servi Dei, non ut servi hominum: *Nolite*, inquit apostolus, *servi hominum esse*. Primum vero serviant uni regi Christo, cui Deus Pater omnem potestatem dedit; deinde vero propter eum omnibus, maxime autem principibus: cui honorem, honorem, cui tributum, tributum. Hortamur autem, ut principibus serviant ad honorem, quemadmodum eorum mandata verbis ipsis præ se ferunt: in quibus nihil fere, nisi honorificum, & ad publicam utilitatem spectans, proponitur. Si vero in summa serviant, ut eorum officium in primis spectet ad honorem Dei, & utilitatem hujus concilii, quod propter publicum bonum est convocatum. Quare ut ab hoc maxime dehortamur omnes, qui hic sententias coram Deo & angelis ejus, atque coram universa ecclesia sumus dicturi, ne ad gratiam hominis alicujus loquamur, sic etiam multo magis, ne ad odium cujusquam sententiam proferamus, etiamsi contra nos adversarii, vel inimici & hostis personam gerat; denique ut ab omni inter nos contentione abstineamus, maxime optamus, & in domino hortamur. Hæ enim sunt, quæ contristant & repellunt, quem invocamus, Spiritum sanctum; sine quo nihil omnino facere poterimus, quod ad bonum & pacem ecclesiæ cedat: *Cum enim*, inquit apostolus, *sint inter vos contentiones, nonne homines estis, & secundum hominem ambulatis?* Cum vero homines eos appellat, Spiritus Dei expertes intelligit. In omnibus autem, quæ ad reformationem ecclesiæ pertinent, ob quam causam convenimus, imitari nos oportet illum, qui eam primum formavit: de quo hoc ipsum opus ingrediente, sic in persona Dei propheta loquitur: *Ecce servus meus, quem elegi: dilectus meus, in quo bene complacui animæ meæ: dedi spiritum meum super eum: judicium gentibus nunciabit. Non contendet, neque clamabit: arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet.* Hunc vero spiritum pacis, caritatis & mansuetudinis, cum semper apud omnes & cum omnibus ostendere debeamus, tum vero maxime in hoc sacro consessu, in quo convenimus, ut per gratiam ipsius Spiritus, contentionibus, quæ nimis diu ecclesiam vexarunt, finis tandem imponatur. Quare ne ipsi ullam contentionis ansam alicui demus, qui pacificorum personam gerimus, maxime est cavendum. Hoc vero & cetera omnia incommoda & impedimenta pacis unico modo evitabimus, atque ad optatum pacis portum perveniemus, si precibus ab humili & contrito corde profectis ipsum Christi Spiritum, qui est pax nostra, invocaverimus: ut in hoc concilio præsideat, ut lucem cordibus nostris infundat, utque nos in omnibus ad ipsius honorem & veram ecclesiæ utilitatem regat & dirigat. Ad tales enim ipse dicit: *Adhuc te loquente, ecce adsum.* Quare ut hujusmodi orationibus assidue incumbamus, quanta possumus caritate vos in domino hortamur, ut uno ore atque uno spiritu Deum Patrem in Christo Jesu glorificemus, qui est Deus benedictus in sæcula. Amen.

Exech. 22.

Isa. 65

1. Cor. 7.

Rom. 13.

1. Cor. 3.

Isa. 42.

ANNO CHRISTI 1555.

SESSIO SECUNDA.

Celebrata die septima mensis Januarii, anno MDXLVI.

SESSIO II. 7. Januarii 1546.

ANNO a nativitate domini millesimo quingentesimo quadragesimosexto, indictione IV. die Jovis, septima mensis Januarii, pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini domini nostri Pauli, divina providentia papæ tertii, anno duodecimo, reverendus pater dominus episcopus Castelli maris celebravit missam de Spiritu sancto in ecclesia cathedrali & in loco sessionis. Qua finita, reverendus pater dominus episcopus sancti Marci habuit orationem. Deinde reverendissimi cardinales & alii prælati acceperunt pluvialia & mitras, fueruntque cantatæ litaniæ. Postea reverendissimus cardinalis de Monte benedixit synodum, & fuerunt factæ ceremoniæ, in sessionibus publicis fieri solitæ. Deinde reverendus pater dominus episcopus Castelli maris legit decretum. Quo lecto, interrogavit patres, utrum hæc placerent: qui responderunt: Placent, cum aliquibus additionibus, per aliquos ex patribus additis. Deinde interrogavit eos: Placet quod proxima sessio fiat quarto Februarii proxime futura? Qui responderunt: Placet.

Sequuntur nomina prælatorum qui interfuerunt huic sessioni, & in primis.

Præsidentes.

Antedicti legati.

Archiepiscopi.

Aquensis, Upsalensis, Panormitanus, Armacanus.

Episcopi.

Hipporegiensis, Cavensis, Feltrensis, Gienensis, nunc cardinalis, Placentinus, Forojulensis, Claromontanus, Fæsulanus, Caputaquensis, sancti Marci, Soranus, Motulensis, Stabinensis, Sidoniensis, Termularum, Agathensis, Lancianensis, Syracusanus, Vigorniensis, Bitontinus, Bellicastrensis, Pacensis, Astoricensis, Britonoriensis, Aquinatensis, Clodiensis, Canariensis, Castelli maris.

Ora-

ANNO CHRISTI 1546.

Oratores.

Regis Romanorum Caſtel Alto, & Antonius de Queta.

Abbates.

Tres abbates ordinis ſancti Benedicti,

Generales.

Generales ordinum Mendicantium, Minorum Obſervantium & alter Conventualium, eremitarum ſancti Auguſtini, generalis ordinis Carmelitarum, & ſanctæ Mariæ Servorum.

Et Claudius Jayus Sabaudus, & presbyter reformatus, procurator C. D. Cardinalis Auguſtenſis, & plures barones.

Decretum ſecundæ ſeſſionis,

De modo vivendi & aliis in concilio ſervandis,

Sacroſancta Tridentina ſynodus, in Spiritu ſancto legitime congregeta, in ea præſidentibus apoſtolicæ ſedis legatis, agnoſcens cum beato Jacobo apoſtolo, quod *omne datum optimum, & omne donum perfectum, de ſurſum eſt, deſcendens a patre luminum, qui iis, qui poſtulant a ſe ſapientiam, dat omnibus affluenter, & non improperat eis*: & ſimul ſciens quod *initium ſapientiæ eſt timor domini*, ſtatuit, & decrevit, omnes & ſingulos Chriſti fideles, in civitate Tridentina congregatos, exhortandos eſſe, prout exhortatur, ut ſe a malis & peccatis hactenus commiſſis emendare, ac de cetero in timore domini ambulare, & deſideria carnis non perficere, orationibus inſtare, ſæpius confiteri, euchariſtiæ ſacramentum ſumere, eccleſias frequentare, præcepta denique dominica quantum quiſque poterit, adimplere, nec non quotidie pro pace principum Chriſtianorum ac unitate eccleſiæ privatim orare velint: epiſcopos vero, & quoſcumque alios, in ordine ſacerdotali conſtitutos, œcumenicum concilium in ea civitate concelebrantes, ut aſſidue Dei laudibus incumbere, hoſtias, laudes, & preces offerre, ſacrificium miſſæ quolibet ſaltem die dominico (in quo Deus lucem condidit, & a mortuis reſurrexit, ac Spiritum ſanctum in diſcipulos infudit) peragere ſatagant; facientes, ſicut idem Spiritus ſanctus per apoſtolum præcipit, obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones, pro ſanctiſſimo domino noſtro papa, pro imperatore, pro regibus, & ceteris qui in ſublimitate conſtituti ſunt, ac pro omnibus hominibus, ut quietam & tranquillam vitam agamus, pace fruamur, & fidei incrementum videamus. Præterea hortatur, ut jejunent ſaltem ſingulis ſextis feriis in memoriam paſſionis domini, eleemoſynas pauperibus erogent: in eccleſia autem cathedrali ſingulis quintis feriis celebretur miſſa de Spiritu ſancto, cum litaniis & aliis orationibus ad hoc inſtitutis. In aliis vero eccleſiis eadem die dicantur ad minus litaniæ & orationes. Tempore autem, quo ſacra peragentur, " collocutiones & confabulationes non fiant, ſed ore & animo celebranti aſſiſtatur.

Et quoniam oportet epiſcopos eſſe irreprehenſibiles, ſobrios, caſtos, domui ſuæ bene præpoſitos, hortatur etiam, ut ante omnia quilibet in menſa ſervet ſobrietatem moderationemque ciborum: deinde cum in eo loco ſæpe otioſi ſermones oriri ſoleant, ut in ipſorum epiſcoporum menſis divinarum ſcripturarum lectio admiſceatur, Familiares vero ſuos unuſquiſque inſtruat & erudiat, ne ſint rixoſi, vinoſi, impudici, cupidi, elati, blaſphemi & voluptatum amatores: vitia demum fugiant & virtutes amplectantur, & in veſtitu & in cultu, & omnibus actibus honeſtatem præ ſe ferant, ſicut decet miniſtros miniſtrorum Dei.

SESSIO II. 7. Januarii 1546.

Ad hæc, cum hujus ſacroſancti concilii præcipua cura, ſolicitudo & intentio ſit, ut propulſatis hæreſum tenebris, quæ per tot annos operuerunt terram catholicæ veritatis, lux, Jeſu Chriſto, qui vera lux eſt, annuente, candor, puritaſque refulgeat, & ea quæ reformatione egent, reformentur, ipſa ſynodus hortatur omnes catholicos hic congregatos & congregandos, atque eos præſertim, qui ſacrarum literarum peritiam habent, ut ſedula meditatione diligenter ſecum ipſi cogitent, quibus potiſſimum viis & modis ipſius ſynodi intentio dirigi, & optatum effectum ſortiri poſſit, quo maturius & conſultius damnari damnanda, & probanda probari queant, ut per totum orbem omnes uno ore, & eadem fidei confeſſione glorificent Deum & patrem domini noſtri Jeſu Chriſti. In ſententiis vero dicendis juxta " Toletani concilii ſtatutum, in loco benedictionis conſidentibus domini ſacerdotibus, nullus debeat aut immodeſtis vocibus perſtrepere, aut tumultibus perturbare, nullus etiam falſis vaniſve aut obſtinatis diſceptationibus contendere: ſed quidquid dicatur, ſic mitiſſima verborum prolatione temperetur, ut nec audientes offendantur, nec recti judicii acies perturbato animo inflectatur.

Jon. 1.

" Tolet. XI. c. 1. Tolet. IV. c. 3. Conſt. ſeſſ. 1. Bracar. 6. 14.

Inſuper ipſa ſacra ſynodus ſtatuit & decrevit, quod ſi forte contigerit aliquos debito in loco non ſedere, & ſententiam etiam ſub verbo, Placet, proferre, congregationibus intereſſe, & alios quoſcumque actus facere, concilio durante, nulli propterea præjudicium generetur, nullique novum jus acquiratur.

Angellus Maſſarellus ſacri concilii ſecretarius, manu propria.

Indictio futuræ ſeſſionis,

Deinde indicta fuit futura ſeſſio ad diem Jovis, quartam menſis Februarii proxime venturi.

SESSIO TERTIA.

SESSIO III. 4. Febr. 1546.

ANNO a nativitate domini milleſimo quingenteſimo quadrageſimo ſexto, quarto menſis Februarii, fuit ſeſſio generalis, & celebrata miſſa de Spiritu ſancto per archiepiſcopum Panormitanum, magiſter Ambroſius Catharinus habuit orationem, & reverendus pater dominus archiepiſcopus Turritanenſis legit decretum, & interrogavit patres, an placeret, reſponderuntque, ſed aliqui cum certis additionibus, Placet.

Sequuntur nomina prælatorum, qui interfuerunt huic ſeſſioni, & in primis,

Antedicti legati & præſidentes.

Cardinales.

Reverendiſſimus dominus cardinalis ſancti Cæſarii,

Act. 2. 1. Tim. 2.

" Seſſ. 22. de celebr. miſſar. 1. Tim. 3. Tim. 1. Seſſ. 25. c. 1. de reform.

SESSIO III. 4. Febr. 1546.

sarii, & episcopus Tridentinus, ac administrator Brixinensis.

Reverendissimus dominus Petrus Paceus cardinalis & episcopus Gienensis.

Archiepiscopi.

Aquensis, Turritanus, Acheruntinus, Upsalensis, Panormitanus, Armacanus.

Episcopi.

Iidem, qui in præcedenti sessione, & adhuc Basionensis, & Fanensis.

Oratores regis Romanorum iidem qui in præcedenti sessione.

Abbates iidem qui in præcedenti.

Generales ordinum iidem qui in præcedenti.

Angellus Massarellus sacri concilii secretarius.

Decretum de symbolo fidei.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus sancti.

Hæc sacrosancta œcumenica & generalis Tridentina synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, & in ea præsidentibus eisdem tribus apostolicæ sedis legatis, magnitudinem rerum tractandarum considerans, præsertim earum quæ duobus illis capitibus, de extirpandis hæresibus, & moribus reformandis, continentur, quorum causa præcipue est congregata: agnoscens autem cum apostolo, non esse sibi colluctationem adversus carnem & sanguinem, sed adversus spiritales nequitias, in cœlestibus, cum eodem omnes & singulos in primis hortatur, ut confortentur in domino, & in potentia virtutis ejus, in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possint omnia tela nequissimi ignea extinguere: atque galeam spem salutis accipiant cum gladio spiritus, quod est verbum Dei. Itaque ut hæc pia ejus solicitudo principium & progressum suum per Dei gratiam habeat, ante omnia statuit & decernit præmittendam esse confessionem fidei, patrum exempla in hoc secuta, qui sacratioribus conciliis hoc scutum contra omnes hæreses in principio suarum actionum apponere consuevere: quo solo aliquando & infideles ad fidem traxerunt, hæreticos expugnarunt, & fideles confirmarunt. Quare symbolum fidei, quo sancta Romana ecclesia utitur, tanquam principium illud, in quo omnes, qui fidem Christi profitentur, necessario conveniunt, ac fundamentum firmum & unicum, contra quod portæ inferi nunquam prævalebunt, totidem verbis, quibus in omnibus ecclesiis legitur, exprimendum esse censuit, quod quidem ejusmodi est:

Ephes. 6.

Ibidem.

Nic. Rom. sub Julio, Hippon. Const. &c.

Matth. 16.

SYMBOLUM FIDEI.

Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, visibilium omnium & invisibilium: Et in unum dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum, & ex Patre natum ante omnia sæcula; Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero; genitum, non factum; consubstantialem Patri; per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis; & incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine; & homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, & sepultus est: & resurrexit tertia die secundum scripturas; & ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris; & iterum venturus est cum gloria judicare vivos & mortuos: cujus regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum, dominum & vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit: qui cum Patre & Filio simul adoratur & conglorificatur; qui locutus est per prophetas: Et unam sanctam catholicam & apostolicam ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum: & expecto resurrectionem mortuorum, & vitam venturi sæculi. Amen.

ANNO CHRISTI 1546.

Indictio futuræ sessionis.

Eadem sacrosancta, œcumenica & generalis Tridentina synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, in ea præsidentibus eisdem tribus apostolicæ sedis legatis, intelligens multos prælatos ex diversis partibus accinctos esse itineri, nonnullos etiam in via esse, quo huc veniant: cogitansque omnia ab ipsa sacra synodo decernenda eo majoris apud omnes existimationis & honoris videri posse, quo majori fuerint & pleniori patrum concilio & præsentia sancita & corroborata, statuit & decrevit futuram sessionem post præsentiam, celebrandam esse die Jovis, quæ subsequetur dominicam Lætare proxime futuram: interim tamen non differri discussionem & examinationem eorum, quæ ipsi synodo discutienda & examinanda videbuntur.

SESSIO QUARTA.

SESSIO IV. 8. April. 1546.

ANNO a nativitate domini millesimo quingentesimo quadragesimosexto, indictione quarta, die vero Jovis, octava mensis Aprilis; pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri domini Pauli, divina providentia papæ tertii, anno duodecimo, præsidentibus eisdem tribus apostolicæ sedis legatis, reverendus pater dominus Salvator Alexius archiepiscopus Turritanensis, celebravit missam de sancto Spiritu in ecclesia cathedrali, & loco sessionis. Deinde generalis Servorum habuit orationem. Qua finita, reverendissimi cardinales & prælati acceperunt pluvialia & mitras: & cantores inceperunt cantare antiphonam, Exaudi nos, domine, quoniam benigna est misericordia tua. Qua finita, diaconus clamavit, Orate. Quo dicto, omnes prælati flexerunt genua, & orarunt. Deinde subdiaconus clamavit, Erigite. Tunc reverendus de Monte, primus præsidens, dixit hanc orationem: Adsumus, domine sancte Spiritus. Qua finita, idem diaconus dixit iterum, Orate: & paulo post dixit, Erigite. Deinde idem præsidens dixit hanc orationem: Mentibus nostris quæsumus, domine, aspirando, &c. Quibus peractis, cantores inceperunt litanias. Et cum venerunt ad illum locum, Ut domnum apostolicum, præsidentes, qui flexis genibus erant, surrexerunt, & reverendissimus cardinalis de Monte primus præsidens vertit se ad congregationem, dans benedictionem, & dixit: Ut hanc sanctam synodum, &c. Cantores responderunt, Te rogamus audi nos. Completis vero litaniis diaconus dixit: Flectamus genua: & subdiaconus respondit: Erigite. Deinde idem reverendissimus præsidens dixit hanc orationem: Da quæsumus ecclesiæ tuæ misericors Deus, ut Spiritu sancto

Psalm. 68.

ANNO CHRISTI 1546. *Matth. 7.*

SESSIO IV. 8. April. 1546.

to congregata. Quibus peractis diaconus cantavit evangelium: *Attendite a falsis prophetis.* Quo finito, præfatus reverendissimus præsidens incepit hymnum, Veni creator Spiritus. Quo finito, idem reverendissimus præsidens dixit hanc orationem: Deus qui corda. Deinde præfatus dominus archiepiscopus legit decretum, & quæsivit ex patribus, utrum hæc placerent. Qui omnes respondérunt: Placet, cum aliquibus additionibus. Postremo, utrum placeret, quod prima futura sessio celebraretur die Jovis post festum pentecostes. Qui respondérunt: Placet.

Item hæc sancta synodus statuit & decrevit, proximam futuram sessionem tenendam & celebrandam esse feria quinta post sacratissimum festum proximum pentecostes.

Quo quidem decreto, ut præmittitur, lecto, postquam patres in concilio præsentes respondérunt, Placet, dominus Angelus Massarellus, ipsius concilii secretarius, legit deputationem oratorum Cæsaræ & catholicæ majestatis, in personam illustrium domini Didaci de Mendoza, & domini Francisci a Toleto ad concilium Tridentinum, ad faciendum ea quæ Cæsarea majestas faceret, si præsens esset.

Nomina prælatorum qui interfuerunt huic sessioni.

Præsidentes & legati,

In primis antedicti præsidentes & legati sessionis secundæ, cardinales iidem, qui in præcedenti sessione.

Archiepiscopi.

Aquensis, Turritanus, Corcyrensis, Senensis, Materanus & Acheruntinus, Upsalensis, Panormitanus, Armachanus.

Episcopi.

Senogallensis, Asculanus, Cavensis, Feltrensis, Aciensis, Placentinus, Gadditanensis, Torcellanensis, Sibinicensis, Pientinus, Claromontanus, Chironensis, & Melopotamensis, Reatinus, Fæsularum, sancti Marci, Caputaquensis, Majoricensis, Aquensis, Soranus, Vasionensis, Motulanensis, Castelli maris, Fanensis, Methonensis, coadjutor Veronensis, Thermularum, Agathensis, Lancianensis, Syracusanus, Caprulanus, Vigornensis, Biruntinus, Corsulanensis, Bellicastrensis, Pacensis, Astoricensis, Britonorensis, Aquinatensis, Oscensis, Bergomensis, Clodiensis, Canarensis.

Oratores.

Illustrissimus dominus Franciscus a Toleto, orator & procurator invictissimi Caroli quinti Romani imperatoris.

Procuratores.

Dominus Claudius Jayus procurator reverendissimi domini cardinalis & episcopi Augustensis.

Abbates & generales ordinum iidem qui in præcedenti sessione.

Angelus Massarellus sacri concilii secretarius.

Decretum de canonicis scripturis, octavo Aprilis promulgatum in quarta sessione.

Sacrosancta œcumenica & generalis Tridentina synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, præsidentibus in ea eisdem tribus apostolicæ sedis legatis, hoc sibi perpetuo ante oculos proponens, ut sublatis erroribus, puritas ipsa evangelii in ecclesia conservetur: quod promissum ante per prophetas in scripturis sanctis dominus noster Christus Dei Filius proprio ore primum promulgavit, deinde per suos apostolos, tanquam fontem omnis salutaris veritatis & morum disciplinæ, omni creaturæ prædicari jussit: perspicientesque hanc veritatem & disciplinam contineri in libris scriptis, & sine scripto traditionibus, quæ ex ipsius Christi ore ab apostolis acceptæ, aut ab ipsis apostolis Spiritu sancto dictante, quasi per manus traditæ, ad nos usque pervenerunt: orthodoxorum patrum exempla secuta, omnes libros tam veteris quam novi testamenti, cum utriusque unus Deus sit auctor, nec non traditiones ipsas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel ore tenus a Christo, vel a Spiritu sancto, dictatas, & continua successione in ecclesia catholica conservatas, pari pietatis affectu ac reverentia suscipit ac veneratur. Sacrorum vero librorum [a] indicem huic decreto adscribendum censuit, ne cui dubitatio suboriri possit, quinam sint, qui ab ipsa synodo suscipiantur. Sunt vero infrascripti testamenti veteris quinque libri Mosis, id est, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Josue, Judicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, Esdræ primus, & secundus, qui dicitur Nehemias, Tobias, Judith, Esther, Job, Psalterium Davidicum centum quinquaginta psalmorum, Parabolæ, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Jeremias, cum Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim prophetæ minores, scilicet Osee, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias, duo Machabæorum, primus & secundus: Testamenti novi, quatuor evangelia, secundum Matthæum, Marcum, Lucam, & Joannem, actus apostolorum a Luca evangelista conscripti, quatuordecim epistolæ beati Pauli apostoli, scilicet ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duæ ad Thessalonicenses, duæ ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos; Petri apostoli duæ; Joannis apostoli tres; Jacobi apostoli una; Judæ apostoli una; & apocalypsis Joannis apostoli.

Jerem. 31. *Matth. ult.* *Marci ult.* *2. Thessal. c. 2.* *C. cum Marthæ de celeb. miss.*

[a] *Laod. 59. Carth. III. 47. Inno. I. ep. III. c. 7. Gelas. dist. xv. c. sancta Romana.*

Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in ecclesia catholica legi consueverunt, & in veteri vulgata Latina editione habentur, pro sacris & canonicis non susceperit, & traditiones prædictas sciens & prudens contempserit, anathema sit. Omnes itaque intelligant quo ordine & via ipsa synodus, post jactum fidei confessionis fundamentum, sit progressura, & quibus potissimum testimoniis ac præsidiis in confirmandis dogmatibus, & instaurandis in ecclesia moribus sit usura.

Decretum de editione & usu sacrorum librorum.

Insuper eadem sacrosancta synodus considerans,

SESSIO IV. 8. April. 1546.

rans, non parum utilitatis accedere posse ecclesiæ Dei, si ex omnibus Latinis editionibus, quæ circumferuntur sacrorum librorum, quænam pro authentica habenda sit, innotescat; statuit & declarat, ut hæc ipsa vetus & vulgata editio, quæ longo toto sæculorum usu in ipsa ecclesia probata est in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus & expositionibus, pro authentica habeatur; ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat vel præsumat. Præterea ad coercenda petulantia ingenia, decernit, ut nemo suæ prudentiæ innixus, in rebus fidei & morum ad ædificationem doctrinæ Christianæ pertinentium, sacram scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum quem tenuit & tenet sancta mater ecclesia, cujus est judicare de vero sensu & interpretatione scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum patrum ipsam scripturam sacram interpretari audeat, etiamsi hujusmodi interpretationes nullo unquam tempore in lucem edendæ forent. Qui contravenerint, per ordinarios declarentur, & pœnis a jure statutis puniantur.

Infra Sess. 13. c. 1.

Sed & impressoribus " modum in hac parte ut par est, imponere volens, qui jam sine modo, hoc est, putantes sibi licere quidquid libet, sine licentia superiorum ecclesiasticorum, ipsos sacræ scripturæ libros, & super illis annotationes & expositiones quorumlibet indifferenter, sæpe tacito, sæpe etiam ementito prælo, &, quod gravius est, sine nomine auctoris imprimunt, alibi etiam impressos libros hujusmodi temere venales habent, decernit & statuit, ut posthac sacra scriptura, potissimum vero hæc ipsa vetus & vulgata editio quam emendatissime imprimatur; nullique liceat imprimere, vel imprimi facere, quosvis libros de rebus sacris sine nomine auctoris: neque illos in futurum vendere, aut etiam apud se retinere, nisi primum examinati probatique fuerint ab ordinario, sub pœna anathematis & pecuniæ in canone concilii " novissimi Lateranensis apposita. Et si regulares fuerint, ultra examinationem & probationem hujusmodi, licentiam quoque a suis superioribus impetrare teneantur, recognitis per eos libris, juxta formam suarum ordinationum. Qui autem scriptos eos communicant, vel evulgant, nisi antea examinati probatique fuerint, eisdem pœnis subjaceant quibus impressores. Et qui eos habuerint vel legerint, nisi prodiderint auctores, pro auctoribus habeantur. Ipsa vero hujusmodi librorum probatio in scriptis detur, atque ideo in fronte libri, vel scripti vel impressi authentice appareat; idque totum, hoc est, & probatio & examen, gratis fiat, ut probanda probentur, & reprobentur improbanda.

" reg. 10. de libr. prohibitis.

" sub Julio II. & Leone X. Sessione 10. de impressione librorum.

Post hæc temeritatem illam reprimere volens, qua ad profana quæque convertuntur, & torquentur verba, & sententiæ sacræ scripturæ, ad scurrilia scilicet, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitiones, impias & diabolicas incantationes, divinationes, sortes, libellos etiam famosos; mandat & præcipit, ad tollendam hujusmodi irreverentiam & contemptum, ne de cetero quisquam quomodolibet verba scripturæ sacræ ad hæc & similia audeat usurpare, ut omnes hujus generis homines, temeratores & violatores verbi Dei, juris & arbitrii pœnis per episcopos coerceantur.

ANNO CHRISTI 1546.

Indictio futuræ sessionis.

Item hæc sacrosancta synodus statuit & decernit, proximam futuram sessionem tenendam & celebrandam esse feria quinta post sacratissimum festum proximum pentecostes.

SESSIO QUINTA.

SESSIO V. 17. Junii 1546.

ANNO a nativitate domini millesimo quingentesimo quadragesimosexto, indictione IV. die vero Jovis decimaseptima mensis Junii, pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri domini Pauli, divina providentia papæ tertii, anno duodecimo, præsidentibus eisdem tribus apostolicæ sedis legatis, reverendus pater dominus Alexander de Picolominibus Senensis, episcopus Pientinus in Tuscia celebravit missam de Spiritu sancto in cathedrali ecclesia & loco sessionis. Deinde magister Marcus Laureus Calaber, fratrer ordinis Prædicatorum habuit orationem. Qua finita, reverendissimi cardinales & alii prælati acceperunt pluvialia & mitras: fueruntque factæ ceremoniæ in aliis sessionibus fieri solitæ: lectum fuit etiam decretum.

Indictio futuræ sessionis.

Item hæc sacrosancta synodus statuit & decrevit primam futuram sessionem tenendam & celebrandam esse die Jovis, feria quinta post festum beati Jacobi apostoli.

Nomina, cognomina, & patriæ prælatorum qui interfuerunt quintæ sessioni.

Præsidentes & legati.

Reverendissimus & illustrissimus dominus dominus Joannes Maria, episcopus Prænestinus, de Monte, Aretinus.

Reverendissimus & illustrissimus dominus dominus Marcellus tituli sanctæ Crucis in Jerusalem presbyter, Cervinus, Politianus.

Reverendissimus & illustrissimus dominus dominus Reginaldus, sanctæ Mariæ in Cosmedin diaconus, Polus Anglicus.

Sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales, sacri concilii præsidentes, & apostolici de latere legati.

Cardinales.

Reverendissimus & illustrissimus dominus dominus Petrus Pacecus, sanctæ Romanæ ecclesiæ presbyter cardinalis, & episcopus Gienensis, Hispanus.

Oratores.

Illustrissimus dominus dom. Didacus Hurtadus de Mendoza, Hispanus.

Illustrissimus dominus dom. Franciscus a Toleto, Hispanus, oratores & procuratores invictissimi domini domini Caroli quinti Romanorum imperatoris, a Hispaniarum, &c. regis.

Archiepiscopi.

Reverendus dominus Antonius Filholi, archiepiscopus Aquensis, Gallus.

Reve-

ANNO CHRISTI 1546.

Reverendus dominus Salvator Alexius Saſſarus, archiepiſcopus Turitanenſis, Hiſpanus.

Reverendus dominus Cauchus, archiepiſcopus Corcyrenſis, Venetus.

Reverendus dominus Franciſcus Bandineus archiepiſcopus Senenſis, Senenſis.

Reverendus dominus Joannes Michael Sarracenus, archiepiſcopus Materanus & Acheruntinus, Neapolitanus.

Reverendus dominus Sebaſtianus Lecavela, archiepiſcopus Parienſis & Naxienſis, Græcus.

Reverendus dominus Olaus Magnus, archiepiſcopus Upſalenſis, Gothus.

Reverendus dominus Petrus Tagliava, archiepiſcopus Panormitanus, Siculus.

Reverendus dominus Robertus Waucop, archiepiſcopus Armachanus, Scotus.

Epiſcopi.

Reverendus dominus Marcus Vigerius, epiſcopus Senogallienſis, Saonenſis.

Reverendus dominus Philos Roverella, epiſcopus Aſculanus, Ferrarienſis.

Reverendus pater dominus Robertus de Croy, epiſcopus Cameracenſis, Germanus.

Reverendus dominus Joannes Thomas de ſancto Felicio, epiſcopus Cavenſis, Neapolitanus.

Reverendus dominus Thomas Campegius, epiſcopus Feltrenſis, Bononienſis.

Reverendus dominus Benedictus de Nobilibus, epiſcopus Acienſis, Lucenſis.

Reverendus D. Quintius de Ruſticis, epiſc. Militenſis, Romanus.

Reverendus dominus Cathalanus Trivultius, epiſcopus Placentinus, Mediolanenſis.

Reverendus dominus Hieronymus Fuſcherus, epiſcopus Torcellanus, Venetus.

Reverendus dominus Antonius de Numai, epiſcopus Iſernienſis, Forolivienſis.

Reverendus dominus Hieronymus Theodolis, epiſcopus Gaditanus, Forolivienſis.

Reverendus dominus Joannes Lucius Staphyleus, epiſcopus Sibinicenſis, Illyricus.

Reverendus dominus Alexander Picolomineus, epiſcopus Pientinus, Senenſis.

Reverendus dominus Guilielmus a Prato, epiſcopus Claromontanus, Gallus.

Reverendus dominus Dionyſius epiſcopus Chironenſis, & Melopotamenus, Græcus.

Reverendus dominus Marcus Aligerius de Columna, epiſcopus Reatinus, Reatinus.

Reverendus dominus Braccius Martellns, epiſcopus Fæſularum, Florentinus.

Reverendus dominus Coriolanus Martyranus, epiſcopus ſancti Marci, Neapolitanus.

Reverendus dominus Henricus Loffredus, epiſcopus Caputaquenſis, Neapolitanus.

Reverendus dominus Baptiſta Campegius, epiſcopus Majoricenſis, Bononienſis.

Reverendus dominus Hieronymus Vida, epiſcopus Albenſis, Cremonenſis.

Reverendus dominus Eliſeus Theodinus epiſcopus Soranus, Arpinas.

Reverendus dominus Jacobus Corteſius a Prato, epiſcopus Vaſionenſis, Romanus.

Reverendus dominus Baltaſſar de Hæredia, epiſcopus Boſſanenſis, Sardus.

Reverendus dominus Angelus Paſchalis, epiſcopus Motulanus, Dalmatus.

Reverendus dominus Joannes Fonſeca, epiſcopus, Caſtelli maris, Hiſpanus.

Reverendus dominus Petrus Bertanus, epiſc. Fanenſis, Mutinenſis.

SESSIO V. 17. Junii. 1546.

Reverendus dominus Ludovicus Simonetta, epiſcopus Piſaurienſis, Mediolanenſis.

Reverendus dominus Aloyſius Lypomanus, epiſcopus Mothonenſis coadjutor Veronenſis, Venetus.

Reverendus dominus Vincentius de Durantibus, epiſcopus Thermularum, Brixienſis.

Reverendus dominus Andreas Centanus, epiſcopus Nemaſienſis, Venetus.

Reverendus dominus Joannes Petrus Ferretus, epiſcopus Milenſis, Ravennatenſis.

Reverendus dominus Claudius de la Guiſche, epiſcopus Agathenſis, Gallus.

Reverendus dominus Joannes de Salazar, de Burgo, epiſcopus Lancianenſis, Hiſpanus.

Reverendus D. Fabius Mignanellus, epiſc. Lucerinus, Senenſis.

Reverendus dominus Hieronymus de Bononia, epiſcopus Syracuſanus, Siculus.

Reverendus dominus Ægidius Falſetta, epiſcopus Caprulanus, Cingulanus.

Reverendus dominus Richardus Patus, epiſcopus Wigornienſis, Anglicus.

Reverendus dominus Cornelius Muſſus, epiſcopus Bitontinus, Placentinus.

Reverendus dominus Jacobus Jacobellus, epiſcopus Bellicaſtrenſis, Romanus.

Reverendus dominus Franciſcus de Navarra, epiſcopus Pacenſis, Hiſpanus:

Reverendus dominus Didacus de Alava, epiſcopus Aſtoricenſis, Hiſpanus.

Reverendus dominus Thomas Caſellus, epiſcopus Britonorienſis, Roſſanenſis.

Reverendus dominus Julius Contarenus, epiſcopus Bellunenſis, Venetus.

Reverendus dominus Galeatius Florimontius, epiſcopus Aquinatenſis, Sueſſanus.

Reverendus D. Petrus de Auguſtinis, epiſcopus Oſcenſis, Hiſpanus.

Reverendus dominus Bernardus Diaz, epiſcopus Calaguritanus, Hiſpanus.

Reverendus dominus Gregorius Caſtagnola, epiſcopus Milenſis, Græcus.

Reverendus dominus Antonius de Cruce, epiſcopus Canarienſis, Hiſpanus.

Procuratores.

Reverendus dominus Claudius Jayus, procurator reverendiſſimi & illuſtriſſimi domini domini Othonis Truchſes, ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalis & epiſcopi Auguſtenſis, Sabaudienſis.

Reverendus dominus Ambroſius Pelargus, ordinis Prædicatorum, procurator reverendiſſimi domini domini archiepiſcopi Treverenſis, ſacri imperii electoris, Germanus.

Abbates.

Reverendus dominus Iſidorus Clarius, abbas Pontidæ Bergomenſis, Brixienſis.

Reverendus dominus Chyſoſtomus Gimilianenſis, abbas ſanctæ Trinitatis de Caieta, Calaber.

Generales ordinum.

Reverendus dominus Hieronymus Seripandus, generalis ordinis eremitarum ſancti Auguſtini, Neapolitanus.

SESSIO V. 17. Junii 1546.

Reverendus pater Nicolaus Audetus, generalis ordinis Carmelitarum, Cyprius.
Reverendus pater Augustinus Bonucius, generalis sanctæ Mariæ Servorum, Aretinus.

Angelus Massarellus, sacri concilii secretarius.

Decretum de peccato originali.

Ut fides nostra catholica, sine qua impossibile est placere Deo, purgatis erroribus, in sua sinceritate integra & illibata permaneat, & ne populus Christianus omni vento doctrinæ circumferatur; cum serpens ille antiquus, humani generis perpetuus hostis, inter plurima mala, quibus ecclesia Dei his nostris temporibus perturbatur, etiam de peccato originali, ejusque remedio non solum nova, sed etiam vetera dissidia excitaverit, sacrosancta, œcumenica & generalis Tridentina synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, præsidentibus in ea eisdem tribus apostolicæ sedis legatis, jam ad revocandos errantes, & nutantes confirmandos, accedere volens, sacrarum scripturarum, & sanctorum patrum, ac probatissimorum conciliorum testimonia, & ipsius ecclesiæ judicium & consensum secuta, hæc de ipso peccato originali statuit, fatetur ac declarat.

I.

Si quis non confitetur [r] primum hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem & justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse, incurrisseque per offensam prævaricationis hujusmodi iram & indignationem Dei, atque ideo mortem, quam antea illi comminatus fuerat Deus, & cum morte captivitatem sub ejus potestate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc est, diaboli, totumque [s] Adam per illam prævaricationis offensam secundum corpus & animam in deterius commutatum fuisse; anathema sit.

[r] Ep. i. Cæl. c. 4.
[s] Conc. Arausic. II. c. 2.

II.

Si quis Adæ prævaricationem sibi soli, & non ejus propagini asserit nocuisse, & acceptam a Deo sanctitatem & justitiam, quam perdidit, sibi soli, & non nobis, etiam eum perdidisse; aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum, mortem & pœnas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem & peccatum, quod mors est animæ, anathema sit: cum contradicat apostolo dicenti; *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors; & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt.*

III.

Si quis hoc Ada peccatum, quod origine unum est & propagatione, non imitatione transfusum, omnibus inest unicuique proprium, vel per humanæ naturæ vires, vel per aliud remedium asserit tolli, quam per meritum unius mediatoris domini nostri Jesu Christi, qui nos Deo reconciliavit in sanguine suo, factus nobis justitia, sanctificatio, & redemptio: aut negat ipsum Jesu Christi meritum per baptismi sacramentum in forma ecclesiæ rite collatum, tam adultis, quam parvulis applicari, anathema sit: *Quia non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Unde illa vox: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Et alia: *Quicumque baptizati estis, Christum induistis.*

ANNO CHRISTI 1546.

Act. 4. Joan. 1. Gal. 3.

IV.

Si quis parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, etiamsi fuerint a baptizatis parentibus orti; aut dicit in [t] remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro necesse sit expiari ad vitam æternam consequendam; unde fit consequens ut in eis forma baptismatis in remissionem peccatorum non vera, sed falsa intelligatur, anathema sit: quoniam non aliter intelligendum est id quod dixit apostolus: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt*: nisi quemadmodum ecclesia catholica ubique diffusa semper intellexit. Propter hanc enim regulam fidei ex traditione apostolorum, etiam parvuli, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideo in remissionem peccatorum veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur quod generatione contraxerunt: *Nisi enim qui renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non poteſt introire in regnum Dei.*

[t] Milevi. c. 2. Afric. c. 77.
Rom. 5.
Joan. 3.

V.

Si quis per Jesu Christi domini nostri gratiam, quæ in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat; aut etiam asserit non tolli totum id quod veram, & propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum [u] radi, aut non imputari, anathema sit. In renatis enim nihil odit Deus, quia nihil est damnationis iis qui vere consepulti sunt cum Christo per baptisma in mortem: qui non secundum carnem ambulant, sed veterem hominem exuentes, & novum induentes, qui secundum Deum creatus est, innocentes, immaculati, puri, innoxii, ac Deo dilecti, effecti sunt, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, ita ut nihil prorsus eos ab ingressu cœli remoretur. Manere autem in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem, hæc sancta synodus fatetur ac sentit: quæ cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, & viriliter per Jesu Christi gratiam repugnantibus, non valet: quinimo,

[u] Aug. l. contra 2. ep. Pelag. c. 13.
Rom. 6. 8.
Coloss. 3. Ephes. 4.
Rom. 8. Gal. 3.

Qui

ANNO CHRISTI 1546. 2. Tim. 2. Rom. 7. 8. Coloss. 3.

Qui legitime certaverit, coronabitur. Hanc concupiscentiam, quam aliquando apostolus peccatum appellat, sancta synodus declarat ecclesiam catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod vere & proprie in renatis peccatum sit; sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit, anathema sit.

Declarat tamen hæc ipsa sancta synodus, non esse suæ intentionis, comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam & immaculatam virginem Mariam, Dei genitricem, sed observandas esse " constitutiones felicis recordationis Sixti papæ quarti, sub pœnis in eis constitutionibus contentis, quas innovat.

" Exer. Com. tit. de reliquiis & veneratione sanctorum.

Decretum de reformatione.

CAPUT I.

De instituenda lectione sacræ scripturæ & liberalium artium.

Eadem sacrosancta synodus, piis summorum pontificum & probatorum conciliorum " constitutionibus inhærens, easque amplectens, & illis adjiciens; ne cœlestis ille sacrorum librorum thesaurus, quem Spiritus sanctus summa liberalitate hominibus tradidit, neglectus jaceat; statuit & decrevit, quod in illis ecclesiis, in quibus præbenda, aut præstimonium, seu aliud quovis nomine nuncupatum stipendium, pro lectoribus sacræ theologiæ deputatum reperitur, episcopi, archiepiscopi, primates, & alii locorum ordinarii, eos qui præbendam, aut præstimonium, seu stipendium hujusmodi obtinent, ad ipsius sacræ scripturæ expositionem & interpretationem per seipsos, si idonei fuerint, alioquin per idoneum substitutum ab ipsis episcopis, archiepiscopis, primatibus, & aliis locorum ordinariis eligendum, etiam per subtractionem fructuum cogant, & compellant. De cetero vero præbenda, præstimonium, aut stipendium hujusmodi non nisi personis idoneis, & quæ per seipsos id munus explere possint, conferantur: & aliter facta provisio nulla sit & invalida.

" Later. IV. sub Inn. III. c. 11. Cabil. 3.

" Inf. sess. 23. de reform. c. 18.

In ecclesiis autem" metropolitanis, vel cathedralibus, si civitas insignis vel populosa, ac etiam in collegiatis existentibus in aliquo insigni oppido, etiam nullius diœcesis, si ibi clerus numerosus fuerit, ubi nulla præbenda, aut præstimonium, seu stipendium hujusmodi deputatum reperitur, præbenda quomodocumque, præterquam ex causa resignationis, primo vacatura, cui aliud onus incompatibile injunctum non sit, ad eum usum ipso facto perpetuo constituta & deputata intelligatur. Et quatenus in ipsis ecclesiis nulla vel non sufficiens præbenda foret, " metropolitanus, vel episcopus ipse, per assignationem fructuum alicujus simplicis beneficii, ejusdem tamen debitis supportatis oneribus, vel per contributionem beneficiatorum suæ civitatis & diœcesis, vel alias, prout commodius fieri poterit, de capituli consilio ita provideat, ut ipsa sacræ scripturæ lectio habeatur; ita tamen, ut quæcumque aliæ lectiones, vel consuetudine, vel quavis alia ratione institutæ, propter id minime prætermittantur.

" Inf. sess. 24. de ref. c. 15.

Ecclesiæ vero, quarum annui proventus tenues fuerint, & ubi tam exigua est cleri & populi multitudo, ut theologiæ lectio in eis commode haberi non possit; saltem" magistrum habeant ab episcopo cum consilio capituli eligendum, qui clericos aliosque scholares pauperes grammaticam gratis doceat, ut deinceps" ad ipsa sacræ scripturæ studia, annuente Deo, transire possint. Ideoque illi magistro grammatices, vel alicujus simplicis beneficii fructus, quos tamdiu percipiat, quamdiu in docendo perstiterit, assignentur; dum tamen beneficium ipsum suo debito non fraudetur obsequio, vel ex capitulari vel episcopali mensa condigna aliqua merces persolvatur; vel alias episcopus ipse aliquam rationem ineat suæ ecclesiæ & diœcesi accommodam; ne pia hæc, utilis atque fructuosa provisio quovis quæsito colore negligatur.

SESSIO V. 17. Junii 1546.

" Later. sub Alex. III. c. 18. & sub Inn. III. c. 11. " Inf. sess. 23. c. 18. Clem. Ne in agro. de statu monach. 2. de mag.

In monasteriis quoque monachorum, ubi commode fieri queat, etiam lectio sacræ " scripturæ habeatur: qua in re si abbates negligentes fuerint, episcopi locorum in hoc, ut sedis apostolicæ delegati, eos ad id opportunis remediis compellant.

" Paulus V. addidit lectionem Hebraicam Græcam & Arabicam.

In conventibus vero aliorum regularium, in quibus studia commode vigere possunt, sacræ scripturæ lectio similiter habeatur: quæ lectio a capitulis generalibus vel provincialibus assignetur dignioribus magistris.

In gymnasiis etiam publicis, ubi tam honorifica, & ceterorum omnium maxime necessaria lectio hactenus instituta non fuerit, religiosissimorum principum ac rerumpublicarum pietate & caritate ad catholicæ fidei defensionem & incrementum, sanæque doctrinæ conservationem & propagationem, instituatur: & ubi instituta foret, & negligeretur, restituatur.

Et ne sub specie pietatis impietas disseminetur, statuit eadem sancta synodus, neminem ad hujusmodi lectionis officium tam publice quam privatim admittendum esse, qui prius ab episcopo loci de vita, moribus, & scientia examinatus & approbatus non fuerit: quod tamen de lectoribus in clausstris monachorum non intelligatur.

Docentes vero ipsam sacram scripturam, dum publice in scholis docuerint, & scholares, qui in ipsis scholis student, privilegiis omnibus de perceptione fructuum, præbendarum, & beneficiorum " suorum in absentia, a jure communi concessis, plene gaudeant & fruantur.

" cap. finali de magistris

CAPUT II.

De verbi Dei concionatoribus & quæstoribus eleemosynariis.

Quia vero Christianæ reipublicæ non minus necessaria est prædicatio" evangelii, quam lectio, & hoc est præcipuum episcoporum munus; statuit & decrevit eadem sancta synodus, omnes episcopos, archiepiscopos, primates, & omnes alios ecclesiarum prælatos, teneri per seipsos, si legitime impediti non fuerint, ad prædicandum sanctum Jesu Christi evangelium.

" Inf. sess. 24. de ref. c. 4. Tolet. XI. 3.

Si vero contigerit episcopos & alios prædictos legitimo detineri impedimento, juxta formam generalis concilii, viros idoneos assumere teneantur, ad hujusmodi prædicationis officium salubriter " exequendum. Si quis autem hoc adimplere contempserit, districtæ subjaceat ultioni.

Concilii Lateranensis sub Innocent. III. cap. 20. " Inf. sess. 24. de ref. c. 4.

Archipresbyteri quoque, plebani, & quicum-

SESSIO V. 27. Junii 1546.

cumque parochiales, vel alias curam animarum habentes, ecclesias quocumque modo obtinent, per se, vel alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem "dominicis & festis solennibus plebes sibi commissas pro sua & earum capacitate pascant salutaribus verbis; docendo ea quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annunciandoque eis cum brevitate & facilitate sermonis vitia quæ eos declinare, & virtutes quas sectari oporteat, ut pœnam æternam evadere, & cœlestem gloriam consequi valeant. Id vero si quis eorum præstare negligat, etiamsi ab episcopi jurisdictione quavis ratione exemptum se esse prætenderet, etiamsi ecclesiæ quovis modo exemptæ dicerentur, aut alicui monasterio, etiam extra diœcesim existenti, forsan annexæ vel unitæ, modo re ipsa in diœcesi sint, provida pastoralis episcoporum solicitudo non desit, ne illud adimpleatur: *Parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.* Itaque ubi ab episcopo moniti trium mensium spatio muneri suo defuerint, per censuras ecclesiasticas, seu alias ad ipsius episcopi arbitrium cogantur, ita ut etiam, si sic ei expedire visum fuerit, ex beneficiorum fructibus alteri, qui id præstet, honesta aliqua merces persolvatur, donec principalis ipse resipiscens officium suum impleat.

v Conſt. VI. c. 8. Later. V. ſeſſ. 11.

Thren. 4.

Si quæ vero parochiales ecclesiæ reperiantur subjectæ monasteriis in nulla diœcesi existentibus, si abbates, & regulares prælati in prædictis negligentes fuerint, a metropolitanis, in quorum provinciis diœceses ipsæ sitæ sunt, tanquam, quoad hoc, sedis apostolicæ delegatis, compellantur. Neque hujus decreti executionem consuetudo, vel exemptio, aut appellatio, aut reclamatio, sive recursus impedire valeat, quousque desuper a competenti judice, qui summarie, & sola facti veritate inspecta, procedat, cognitum & decisum fuerit.

w Later. V. ſeſſ. 11. de modo prædi

Regulares vero " cujuscumque ordinis, nisi a suis superioribus de vita, moribus, & scientia examinati & approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in ecclesiis suorum ordinum prædicare non possint: cum qua licentia personaliter se coram episcopis præsentare, & ab eis benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiant.

In ecclesiis vero, quæ suorum ordinum non sunt, ultra licentiam suorum superiorum, etiam

Inf ſeſſ. 24. de ref. c. 4.

episcopi " licentiam habere teneantur, sine qua in ipsis ecclesiis non suorum ordinum nullo modo prædicare possint: ipsam autem licentiam gratis episcopi concedant.

Si vero, quod absit, prædicator errores aut scandala disseminaverit in populum, etiamsi in monasterio sui vel alterius ordinis prædicet, episcopus ei prædicationem interdicat. Quod si hæreses prædicaverit, contra eum secundum juris dispositionem aut loci consuetudinem procedat, etiamsi prædicator ipse generali vel speciali privilegio exemptum se esse prætenderet: quo casu episcopus auctoritate apostolica, & tanquam sedis apostolicæ delegatus procedat. Curent autem episcopi, ne quis prædicator vel ex falsis informationibus, vel alias calumnioſe vexetur, justamve de eis conquerendi occasionem habeat.

Caveant præterea episcopi, ne aliquem, vel eorum, qui cum sint nomine regulares, extra claustra tamen & obedientiam religionum suarum vivunt, vel presbyterorum sæcularium, nisi ipsis noti sint, & moribus atque doctrina probati, etiam quorumlibet privilegiorum prætextu, in sua civitate vel diœcesi prædicare permittant: donec ab ipsis episcopis super ea re sancta sedes apostolica consulatur: a qua privilegia hujusmodi, nisi tacita veritate, & expresso mendacio, ab indignis extorqueri verisimile non est.

ANNO CHRISTI 1546.

" Later. ſub Inno. III. c. 62. Inf. ſeſſ. 21. de ref. c. 9.

Quæstores vero eleemosynarii, qui etiam " quæstuarii vulgo dicuntur, cujuscumque conditionis existant, nullo modo nec per se, nec per alium prædicare præsumant: & contra facientes ab episcopis & ordinariis locorum, privilegiis quibuscumque non obstantibus, opportunis remediis omnino arceantur.

Indictio futuræ sessionis.

Item hæc sacrosancta synodus statuit & decernit, primam futuram sessionem tenendam & celebrandam esse die Jovis, feria quinta post festum beatr Jacobi apostoli.

Præfatæ sessioni interfuerunt cardinales quatuor, archiepiscopi novem, & episcopi quinquaginta; abbates ordinis sancti Benedicti duo: generales duo ordinum Mendicantium.

Prorogata deinde fuit sessio ad diem decimumtertium mensis Januarii MDXLVII.

SESSIO SEXTA.

In nomine domini Jesu Christi. Amen.

SESSIO VI. 13. Januarii 1547.

ANNO a nativitate ejusdem millesimo quingentesimo quadragesimoseptimo, indictione quinta, pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri domini Pauli, divina providentia papæ tertii, anno tertiodecimo, die vero Jovis decimatertia mensis Januarii, Tridenti in ecclesia cathedrali, in loco eminentiori ipsius ecclesiæ, ad concilium celebrandum & sessiones habendas deputato, celebrata est sexta publica sessio sacrosancti œcumenici & generalis concilii Tridentini, præsidentibus in ea nomine ejusdem sanctissimi domini nostri papæ reverendissimis patribus & illustrissimis dominis Joanne Maria de Monte episcopo Prænestino, & Marcello tituli sanctæ Crucis in Jerusalem presbytero, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus, & apostolicis de latere legatis. In qua quidem sessione, post celebratam missam de Spiritu sancto per reverendum patrem dominum archiepiscopum Spalatrensem, & habita oratione per reverendum patrem dominum episcopum Salpensem, nec non peractis per reverendissimum & illustrissimum cardinalem de Monte præfatum solitis ceremoniis, publicatum est decretum de justificatione tenoris infrascripti.

DECRETUM DE JUSTIFICATIONE.

Proœmium.

Cum hoc tempore, non sine multarum animarum jactura, & gravi ecclesiasticæ unitatis detrimento, erronea quædam disseminata sit de justificatione doctrina; ad laudem & gloriam omnipotentis Dei, ecclesiæ tranquillitatem, & animarum salutem, sacrosancta œcumenica & generalis Tridentina synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, præsidentibus in ea nomine sanctissimi in Christo patris & domini nostri domini Pauli divina providentia papæ tertii, reverendissimis dominis dominis Joanne Maria de Monte episcopo Prænestino, & Marcello tituli sanctæ Crucis in Jerusalem presbytero, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus, & apostolicis de latere legatis, exponere intendit omnibus

ANNO CHRISTI 1547. *Malach. 4. Hebr. 12.*

bus Christi fidelibus veram sanamque doctrinam ipsius justificationis, quam sol justitiæ Christus Jesus, fidei nostræ auctor & consummator docuit, apostoli tradiderunt, & catholica ecclesia, Spiritu sancto suggerente, perpetuo retinuit; districtius inhibendo, ne deinceps audeat quisquam aliter credere, prædicare, aut docere, quam præsenti decreto statuitur ac delaratur.

CAPUT I.

De naturæ & legis ad justificandos homines imbecillitate.

Primum declarat sancta synodus, ad justificationis doctrinam probe & sincere intelligendam, oportere ut unusquisque agnoscat & fateatur, quod cum omnes homines in prævaricatione Adæ innocentiam perdidissent, facti immundi, &, ut apostolus inquit, natura filii iræ, quemadmodum in decreto de peccato originali expositum fuit, usque adeo servi erant peccati, & sub potestate diaboli ac mortis, ut non modo gentes per vim naturæ, sed ne Judæi quidem per ipsam etiam literam legis Moysi, inde liberari aut surgere possent: tametsi in eis liberum arbitrium minime extinctum esset, viribus licet " attenuatum & inclinatum.

" sup. sess. 5. in principio can. 1. &c. Rom. 5. 1. Cor. 15. Isai. 64. Ephes. 2.

" Arauf. 11. c. 25.

CAPUT II.

De dispensatione & mysterio adventus Christi.

Quo factum est, ut cœlestis Pater, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, Christum Jesum Filium suum, & ante legem, & legis tempore, multis sanctis patribus declaratum ac promissum, cum venit beata illa plenitudo temporis, ad homines miserat; ut & Judæos, qui sub lege erant, redimeret: & gentes, quæ non sectabantur justitiam, justitiam apprehenderent, atque omnes adoptionem filiorum reciperent. Hunc proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius pro peccatis nostris: non solum autem pro nostris, sed etiam pro totius mundi.

2. Cor. 1. Gen. 49. Gal. 4. Rom. 9. Rom. 3. 5. Coloss. 2. 1. Tim. 2. 2. Tim. 1. 1. Joan. 2.

CAPUT III.

Qui per Christum justificantur.

Verum, etsi ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt; sed ii dumtaxat, quibus meritum passionis ejus communicatur. Nam sicut revera homines, nisi ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur injusti, cum ea propagatione, per ipsum, dum concipiuntur, propriam injustitiam contrahant: ita nisi in Christo renascerentur, nunquam justificarentur, cum ea renascentia per meritum passionis ejus, gratia, qua justi fiunt, illis tribuatur. Pro hoc beneficio apostolus gratias nos semper agere hortatur Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine, & eripuit de potestate tenebrarum, transtulitque in regnum Filii dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem & remissionem peccatorum.

2. Cor. 5. Coloss. 1.

CAPUT IV.

Insinuatur descriptio justificationis impii, & modus ejus in statu gratiæ.

Quibus verbis justificationis impii descriptio insinuatur, ut sit translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius Adæ, in statum gratiæ & adoptionis filiorum Dei per secundum Adam Jesum Christum salvatorem nostrum: quæ quidem translatio, post evangelium promulgatum, sine lavacro regenerationis, aut ejus voto, fieri non potest, sicut scriptum est: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.*

SESSIO VI. 13. Januarii 1547. *Gal. 3. Tit. 3. Joan. 3.*

CAPUT V.

De necessitate præparationis ad justificationem in adultis, & unde sit.

Declarat præterea, ipsius justificationis exordium in adultis a Dei per Christum Jesum præveniente gratia sumendum esse, hoc est ab ejus vocatione, qua, nullis eorum existentibus meritis, vocantur; ut qui per peccata a Deo aversi erant, per ejus excitantem atque adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiæ libere assentiendo & cooperando, disponantur: ita ut tangente " Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens; quippe qui illam & abjicere " potest; neque tamen sine gratia Dei movere se ad justitiam coram illo libera sua voluntate possit. Unde in sacris literis cum dicitur, *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*, libertatis nostræ admonemur; cum respondemus: *Converte nos, domine, ad te, & convertemur*, Dei nos gratia præveniri confitemur.

" inf. can. 3.

" De vocatione gentium lib. 11. c. 27. & 29.

Zach. 1. Thren. 5. Jerem. 31.

CAPUT VI.

Modus præparationis.

Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia & adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera esse quæ divinitus revelata & promissa sunt, atque illud in primis, a Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem quæ est in Christo Jesu: & dum peccatores se esse intelligentes, a divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt; ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod & detestationem, hoc est per eam pœnitentiam, quam ante baptismum agi oportet; denique dum proponunt suscipere baptismum, inchoare novam vitam, & servare divina mandata; de hac dispositione scriptum est: *Accedentem ad Deum oportet credere quia est, & quod inquirentibus se remunerator sit*: &: *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua*: &: *Timor domini expellit peccatum*: &: *Pœnitentiam agite. Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus sancti*: &: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti; docentes eos servare quæcumque mandavi vobis*: denique, *Præparate corda vestra domino.*

Rom. 10. Rom. 3. Psalm. 41. " infra sess. XIV. c. 4. de contritione Hebr. 11. Matth. 7. Eccl. 1. Act. 2. Matth. 28. Marc. ult. 1. Reg. 7.

CAPUT VII.

Quid sit justificatio impii, & quæ ejus causæ.

Hanc dispositionem, seu præparationem, justificatio ipsa consequitur, quæ non est sola pecca-

SESSIO VI. 13. Januar. 1547. Tit. 3.

peccatorum remissio, sed & sanctificatio, & renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum: unde homo ex injusto fit justus, & ex inimico amicus, ut sit hæres secundum spem vitæ æternæ. Hujus justificationis causæ sunt: finalis quidem gloria Dei & Christi, ac vita æterna: efficiens vero, misericors Deus, qui gratuito abluit, & sanctificat, signans & ungens Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ: meritoria autem, dilectissimus unigenitus suus dominus noster Jesus Christus; qui cum essemus inimici, propter nimiam caritatem, qua dilexit nos, sua sanctissima passione in ligno crucis nobis justificationem meruit, & pro nobis Deo Patri satisfecit: instrumentalis item, sacramentum baptismi, quod est sacramentum fidei, sine qua nulli unquam contigit justificatio: demum unica formalis causa est, justitia Dei: non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit, qua videlicet ab eo donati renovamur spiritu mentis nostræ, & non modo reputamur, sed vere justi nominamur & sumus; justitiam in nobis recipientes, unusquisque suam, secundum mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis prout vult, & secundum propriam cujusque dispositionem, & cooperationem. Quamquam enim nemo possit esse justus, nisi cui merita passionis domini nostri Jesu Christi communicantur, id tamen in hac impii justificatione fit, dum ejusdem sanctissimæ passionis merito per Spiritum sanctum caritas Dei diffunditur in cordibus eorum qui justificantur, atque ipsis inhæret; unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, & caritatem. Nam fides, nisi "ad eam spes accedat & caritas, neque unit perfecte cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit: qua ratione verissime dicitur, fidem si neoperibus mortuam & otiosam esse, & in Christo Jesu neque circumcisionem aliquid valere, neque præputium, sed fidem, quæ per caritatem operatur. Hanc fidem ante baptismi sacramentum ex apostolorum traditione cathecumeni ab ecclesia petunt, cum petunt fidem, vitam æternam præstantem, quam sine spe & caritate fides præstare non potest: unde & statim verbum Christi audiunt: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Itaque veram & Christianam justitiam accipientes, eam, ceu primam stolam, pro illa, quam Adam sua inobedientia sibi & nobis perdidit, per Christum Jesum illis donatam, candidam & immaculatam jubentur statim renati conservare, ut eam perferant ante tribunal domini nostri Jesu Christi, & habeant vitam æternam.

Hebr. 11. — 1. Cor. 12. Ephes. 4. — Philipp. 3. — Rom. 5. — "inf. c. 10. — Jacob. 2. Gal. 5. 6. — Matth. 19. — Luc. 15.

CAPUT VIII.

Quomodo intelligatur, impium per fidem, & gratis justificari.

Cum vero apostolus dicit, justificari hominem per fidem, & gratis, ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus ecclesiæ catholicæ consensus tenuit, & expressit: ut scilicet per fidem ideo justificari dicamur, quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum & radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum ejus consortium pervenire: gratis autem justificari ideo dicamur, quia nihil eorum quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur. Si enim gratia est, jam non ex operibus: *alioquin*, ut idem apostolus inquit, *gratia jam non est gratia.*

Rom. 3. 5. — Hebr. 11. — Rom. 11.

CAPUT IX.

Contra inanem hæreticorum fiduciam.

Quamvis autem necessarium sit credere, neque remitti, neque remissa unquam fuisse peccata, nisi gratis divina misericordia propter Christum, nemini tamen "fiduciam & certitudinem remissionis peccatorum suorum jactanti, & in ea sola quiescenti, peccata dimitti vel dimissa esse dicendum est, cum apud hæreticos & schismaticos possit esse, imo nostra tempestate sit, & magna contra ecclesiam catholicam contentione prædicetur vana hæc & ab omni pietate remota fiducia. Sed neque illud asserendum est, oportere eos, qui vere justificati sunt, absque ulla omnino dubitatione apud semetipsos statuere, se esse justificatos, neminemque a peccatis absolvi, ac justificari, nisi eum, qui certo credat "se absolutum & justificatum esse, atque hac sola fide absolutionem & justificationem perfici, quasi qui hoc non credit, de Dei promissis, deque mortis & resurrectionis Christi efficacia dubitat. Nam sicut nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito, deque sacramentorum virtute & efficacia dubitare debet, sic quilibet dum seipsum, suamque propriam infirmitatem & indispositionem respicit, de sua gratia formidare, & timere potest: cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.

" infra can. 12. & 13. — " infra can. 14.

CAPUT X.

De acceptæ justificationis incremento.

Sic ergo justificati, & amici Dei ac domestici facti, euntes de virtute in "virtutem, renovantur, ut apostolus inquit, de die in diem, hoc est, mortificando membra carnis suæ, & exhibendo ea arma justitiæ in sanctificationem, per observationem mandatorum Dei & ecclesiæ, in ipsa justitia, per Christi gratiam accepta, cooperante fide bonis operibus, crescunt, atque magis justificantur, sicut scriptum est: *Qui justus est, justificetur adhuc.* Et iterum: *Ne verearis usque ad mortem justificari.* Et rursus: *Videtis quoniam ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantum.* Hoc vero justitiæ incrementum petit sancta ecclesia, cum orat: "Da nobis, domine, fidei, spei & caritatis augmentum.

Ephes. 1. Psalm. 83. 1. Cor. 3. — 2. Cor. 4. " inf. can. 24. Coloss. 3. Rom. 6. Apoc. 22. Eccles. 18. Jac. 2. — " Dominica 13. post pentecosten.

CAPUT XI.

De observatione mandatorum, deque illius necessitate & possibilitate.

Nemo autem, quantumvis justificatus, liberum se esse ab observatione mandatorum putare debet: nemo temeraria illa, & a patribus sub anathemate prohibita voce uti; Dei præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia. Nam "Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis. Cujus mandata gravia non sunt, cujus jugum suave est, & onus leve. Qui enim sunt filii Dei, Christum diligunt: qui autem diligunt eum, ut ipsemet testatur, servant sermones ejus: quod utique cum divino auxilio præ-

" S. Aug. de nat. & gratia cap. 43. conc. Arauf. II. c. 25. Hier. ad Ctes. — 1. Jo. 5. Matth. 11.

ANNO CHRISTI 1547.

præstare possunt. Licet enim in hac mortali vita quantumvis sancti & justi in levia saltem & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant, non propterea desinunt esse justi, nam justorum illa vox est & humilis & verax: *Dimitte nobis debita nostra*. Quo fit ut justi ipsi eo magis se obligatos ad ambulandum in via justitiæ sentire debeant, quo liberati jam a peccato, servi autem facti Deo, sobrie, juste & pie viventes, proficere possnnt per Christum Jesum, per quem accessum habuerunt in gratiam istam. Deus namque sua "gratia semel justificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur. Itaque nemo sibi in sola fide blandiri debet, putans fide sola se hæredem esse constitutum, hæreditatemque consecuturum, etiamsi Christo non compatiatur, ut & conglorificetur. Nam & Christus ipse, ut inquit apostolus, *cum esset Filius Dei, didicit ex iis quæ passus est, obedientiam; & consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ*. Propterea apostolus ipse monet justificatos, dicens: *Nescitis quod ii qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit brabium? sic currite, ut comprehendatis. Ego igitur sic curro, non quasi in incertum; sic pugno, non quasi aerem verberans; sed castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne forte, cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar*. Item princeps apostolorum Petrus: *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis: hæc enim facientes non peccabitis aliquando*. Unde "constat, eos orthodoxæ religionis doctrinæ adversari, qui dicunt justum in omni bono opere saltem venialiter peccare: aut (quod intolerabilius est) pœnas æternas mereri: atque etiam eos, qui statuunt in omnibus operibus justos peccare, si in illis suam ipsorum socordiam excitando, & sese ad currendum in stadio cohortando, cum hoc, ut in primis glorificetur Deus, mercedem quoque "intuentur æternam, cum scriptum sit: *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas, propter retributionem*. Et de Moyse dicat apostolus, quod respiciebat in remunerationem.

Cōc. Afric. c. 81. 82. & 83. cū Mil. 7. 8. & 9. Joan. 14. Matth. 6. Luc. 11. Rom. 5. & 16. Tit. 2. Rom. 5. " Aug. c. 26. de natura & gratia. Prosper sent. 7. & ad 7. obj. Vinc. " infr. can. 20. Rom. 8. Philip. 2. Hebr. 5. 1. Cor. 9. 2. Petr. 1. "infra can. 25. "infra can. 31. Psal. 118. Hebr. 11.

CAPUT XII.

Prædestinationis temerariam præsumptionem cavendam esse.

Nemo quoque, quamdiu in hac mortalitate "vivitur, de arcano divinæ prædestinationis mysterio usque adeo præsumere debet, ut certo statuat, se omnino esse in numero prædestinatorum: quasi verum esset, quod justificatus aut amplius peccare non possit, aut si peccaverit, certam sibi resipiscentiam promittere debeat: nam, nisi ex speciali revelatione, sciri non potest quos Deus sibi elegerit.

"infra can. 15. & 16. Ezech. 18. Gal. 3.

CAPUT XIII.

De perseverantiæ munere.

Similiter perseverantiæ munere, de quo scriptum est: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*. Quod quidem aliunde haberi non potest, nisi ab eo qui potens est eum qui stat statuere, ut perseveranter stet, & eum qui cadit, restituere: nemo sibi certi aliquid absoluta certitudine polliceatur; tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare & reponere omnes debent. Deus enim (nisi ipsi illius gratiæ defuerint) sicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle & perficere. Verumtamen qui se existimant stare, videant ne cadant, & cum timore ac tremore salutem suam operentur in laboribus, in vigiliis, in eleemosynis, in orationibus & oblationibus, in jejuniis, & castitate. Formidare enim debent, scientes quod in spem gloriæ, & nondum in gloria renati sunt, de pugna, quæ superest cum carne, cum mundo, cum diabolo, in qua victores esse non possunt, nisi cum Dei gratia, apostolo obtemperent, dicenti: *Debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis*.

Philip. 2. Sessio VI 13. Januar. 1547. 1. Pet. 1. Rom. 8.

CAPUT XIV.

De lapsis & eorum reparatione.

Qui vero ab accepta justificationis gratia per peccatum "exciderunt, rursus justificari poterunt, cum excitante Deo per pœnitentiæ sacramentum, merito Christi, amissam gratiam recuperare procuraverint. Hic enim justificationis modus est lapsi reparatio, quam secundam "post naufragium deperditæ gratiæ tabulam sancti patres apte nuncuparunt. Etenim pro iis, qui post baptismum in peccata labuntur, Christus Jesus sacramentum instituit pœnitentiæ, cum dixit: *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*. Unde docendum est, Christiani hominis pœnitentiam post lapsum multo aliam esse a baptismali, eaque contineri non modo cessationem a peccatis, & eorum detestationem, aut cor contritum & humiliatum, verum etiam "eorumdem sacramentalem confessionem, saltem in voto, & suo tempore faciendam, & sacerdotalem absolutionem, itemque satisfactionem per jejunia, eleemosynas, orationes, & alia pia spiritalis vitæ exercitia, non quidem pro pœna æterna, quæ vel sacramento, vel sacramenti voto una cum culpa remittitur, sed pro pœna temporali, quæ, ut sacræ literæ docent, non tota semper, ut "in baptismo fit, dimittitur illis, qui gratiæ Dei, quam acceperunt, ingrati, Spiritum sanctum contristaverunt, & templum Dei violare non sunt veriti. De qua pœnitentia scriptum est: *Memor esto unde excideris, age pœnitentiam, & prima opera fac*. Et iterum: *Quæ secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur*; & rursus: *Pœnitentiam agite*; & *Facite fructus dignos pœnitentiæ*.

"infra can. 23. & 29. " Hier. ep. ad Demetriadem. Joan. 20. Matth. 16. Psal. 50. "infra sess. 14. de pœnit. c. 3. " Decretum Eugenii ad Arm. Ephes. 4. 1. Cor. 3. Apocal. 2. 2. Cor. 7. Matth. 3. 4. Luc. 3.

CAPUT XV.

Quolibet peccato mortali amitti gratiam, sed non fidem.

Adversus etiam hominum quorumdam callida ingenia, qui per dulces sermones & benedictiones feducunt corda innocentium, asserendum est, non "modo infidelitate, per quam & ipsa fides amittitur, sed etiam quocumque alio mortali peccato, quamvis non amittatur fides, acceptam justificationis gratiam amitti: divinæ legis doctrinam defendendo; quæ a regno Dei non solum infideles excludit, sed & fideles quoque fornicarios, adulteros, molles, masculorum concubitores, fures, avaros, ebriosos, maledicos, rapaces, ceterosque omnes, qui lethalia committunt peccata; a quibus cum divinæ gratiæ adjumento abstinere possunt, & pro quibus a Christi gratia separantur.

Rom. 16. "infra can. 27. 1. Tim 1. 1. Cor. 6. Philip. 4. 2. Cor. 12.

CAPUT

SESSIO VI. 13. Januar. 1547.

CAPUT XVI.

De fructu justificationis, hoc est de merito bonorum operum, deque ipsius meriti ratione.

Hac igitur ratione justificatis hominibus, sive acceptam gratiam perpetuo conservaverint, sive amissam recuperaverint, proponenda sunt apostoli verba: *Abundate in omni opere bono, scientes quod labor vester non est inanis in domino. Non enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri, & dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius.* Et: *Nolite amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem.* Atque ideo bene operantibus usque in finem, & in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, & tanquam gratia filiis Dei per Christum Jesum misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus, & meritis fideliter reddenda. Hæc est enim illa corona justitiæ, quam post suum certamen & cursum repositam sibi esse ajebat apostolus, a justo Judice sibi reddendam; non solum autem sibi, sed & omnibus qui diligunt adventum ejus. Cum enim ille ipse Christus Jesus, tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipsos justificatos jugiter virtutem influat, quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, & comitatur, & subsequitur; & sine qua nullo pacto Deo grata & meritoria esse possent, nihil ipsis justificatis amplius deesse credendum est, quo minus plene illis quidem operibus, quæ in Deo sunt facta, divinæ legi pro hujus vitæ statu satisfeciſſe, & vitam æternam suo etiam tempore (si tamen in gratia decesserint) consequendam, vere promeruisse censeantur: cum Christus salvator noster dicat: *Si quis biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum: sed fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Ita neque propria nostra justitia, tanquam ex nobis propria statuitur, neque ignoratur, aut repudiatur justitia Dei. Quæ enim justitia nostra dicitur, quia per eam nobis inhærentem justificamur, illa eadem Dei est, quia a Deo nobis infunditur per Christi meritum.

Neque vero illud omittendum est, quod licet bonis operibus in sacris literis usque adeo tribuatur ut etiam qui uni ex minimis suis potum aquæ frigidæ dederit, promittat Christus eum non esse sua mercede cariturum; & apostolus testetur, id quod in præsenti est momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operari in nobis: absit tamen ut Christianus homo in seipso vel confidat, vel glorietur, & non in domino; cujus tanta est erga omnes homines bonitas, ut eorum velit esse merita, quæ sunt ipsius dona. Et quia in multis offendimus omnes; unusquisque sicut misericordiam & bonitatem, ita severitatem & judicium ante oculos habere debet, neque seipsum aliquis, etiamsi nihil sibi conscius fuerit judicare: quoniam omnis hominum vita non humano judicio examinanda & judicanda est, sed Dei, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium; & tunc laus erit unicuique a Deo; *Qui*, ut scriptum est, *reddet unicuique secundum opera sua.*

Post hanc catholicam de justificatione doctrinam, quam nisi quisque fideliter, firmiterque receperit, justificari non poterit; placuit sanctæ synodo hos canones subjungere, ut omnes sciant, non solum quid tenere & sequi, sed etiam quid vitare & fugere debeant.

ANNO CHRISTI 1547.

DE JUSTIFICATIONE.

CANON I.

Si quis dixerit, hominem "suis operibus, quæ vel per humanæ naturæ vires, vel per legis doctrinam fiant, absque divina per Jesum Christum gratia posse justificari coram Deo, anathema sit. "supra c. 1. & 3.

II.

Si quis dixerit, ad hoc solum divinam gratiam per Christum Jesum dari, ut "facilius homo juste vivere, ac vitam æternam promereri possit; quasi per liberum arbitrium sine gratia utrumque, sed ægre tamen & difficulter possit, anathema sit. "African. c. 80.

III.

Si quis dixerit, sine præveniente "Spiritus sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit. "Arausic. II. c. 6.

IV.

Si quis dixerit, liberum "hominis arbitrium a Deo motum & excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat, ac præparet, neque posse dissentire, si velit, sed velut inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passive se habere, anathema sit. "Arausic. II. c. 3. 4. 5. 6. 9. 25.

V.

Si quis liberum "hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum & extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imo titulum sine re, figmentum denique a satana invectum in ecclesiam, anathema sit. "Aug. lib. 2. contra ep. 2. Pelag. c. 2.

VI.

Si quis dixerit, non esse in potestate hominis vias suas "malas facere, sed mala opera, ita ut bona Deum operari, non permissive solum, sed etiam proprie & per se, adeo ut sit ejus proprium opus, non minus proditio Judæ, quam vocatio Pauli, anathema sit. "Idem Aug. Prosper. Arausic. &c.

VII.

Si quis dixerit, opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, vere esse peccata, vel odium Dei mereri: aut quanto vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tanto eum gravius peccare, anathema sit.

VIII.

Si quis dixerit, gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere, anathema sit. *Psal. 17. Luc. 12. Matth. 9.*

IX.

Si quis dixerit, sola "fide impium justificari, ita ut intelligat nihil aliud requiri, "Vide supra c. 7. & 8.

quod

1. Cor. 15. Hebr. 6. *Hebr. 10. Infra can. 26. Matth. 10.* *Psalm. 102. Rom. 6.* *2. Tim. 4.* *Apoc. 14.* *Joan. 4.* *Rom. 10.* *Matth. 10 Marc. 9.* *2. Cor 4.* *1. Cor. 1. 2. Cor. 10. Gal. 6.* *Cæl. ep. 1. c. 12.* *Jacob. 3. 1. Cor. 4.* *Ibidem* *Matth. 16. Rom. 2.*

ANNO CHRISTI 1547.

quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur, & nulla ex parte necesse esse eum suæ voluntatis motu præparari atque disponi, anathema sit. A

X.

V. sup. c. 7. Si quis dixerit, homines sine Christi justitia, per quam nobis meruit, justificari, aut per eam ipsam formaliter justos esse, anathema sit.

XI.

Si quis dixerit, homines justificari vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia & caritate, quæ in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffundatur, quæ illis inhæreat: aut etiam gratiam, qua justificamur, esse tantum favorem Dei, anathema sit. Rom. 5. B

XII.

Si quis dixerit, fidem justificantem nihil aliud esse, quam "fiduciam divinæ misericordiæ, peccata remittentis propter Christum, vel eam fiduciam solam esse, qua justificamur, anathema sit. "Vide sup. cap. 9.

XIII.

Si quis dixerit, omni homini ad remissionem peccatorum assequendam, necessarium esse ut credat certo & absque ulla hæsitatione propriæ infirmitatis & indispositionis peccata sibi esse remissa, anathema sit. C

XIV.

Si quis dixerit, hominem a peccatis absolvi, & justificari ex eo quod se absolvi ac justificari "certo credat, aut neminem vere esse justificatum, nisi qui credat se esse justificatum, & hac sola fide absolutionem & justificationem perfici, anathema sit. "sup. c. 9.

XV.

Aug. c. 13. de corr. & gratia. Si quis dixerit, hominem renatum & justificatum teneri ex fide ad credendum se certo esse in numero prædestinatorum, anathema sit. D

XVI.

Idem ci 13. de bono perseverantiæ. sup. c. 12. & 12. Si quis magnum illud usque in finem perseverantiæ donum se certo habiturum absoluta & infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali revelatione didicerit, anathema sit.

XVII.

Si quis justificationis gratiam non nisi prædestinatis ad vitam contingere dixerit, reliquos vero omnes qui vocantur, vocari quidem, sed gratiam non accipere, utpote divina potestate prædestinatos ad malum, anathema sit. E "Arausi. II. c. 25.

XVIII.

Vide supr. cap. 11. Si quis dixerit, Dei præcepta homini etiam justificato, & sub gratia constituto esse ad observandum impossibilia, anathema sit.

XIX.

SESSIO VI. 13. Januar. 1547.

Si quis dixerit, nihil præceptum esse in evangelio præter fidem, cetera esse indifferentia, neque præcepta, neque prohibita, sed libera, aut decem præcepta nihil pertinere ad Christianos, anathema sit.

XX.

Si quis hominem justificatum, & quantumlibet perfectum, dixerit non teneri ad observantiam mandatorum Dei & ecclesiæ, sed tantum ad credendum: quasi vero evangelium sit nuda & absoluta promissio vitæ æternæ, sine conditione observationis mandatorum, anathema sit. *Ibidem.*

XXI.

Si quis dixerit, Christum Jesum a Deo hominibus datum fuisse, ut redemptorem cui fidant, non etiam, ut "legislatorem cui obediant, anathema sit. Isaiæ 33. Matth. 2. 6.

XXII.

Si quis dixerit, justificatum vel sine speciali auxilio Dei in accepta justitia perseverare posse, vel cum eo non posse, anathema sit. "sup. c. 13.

XXIII.

Si quis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse, nec gratiam amittere, atque ideo eum qui labitur & peccat nunquam vere fuisse justificatum, aut contra posse in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de beata virgine Maria tenet ecclesia, anathema sit. "supra c. 14.

XXIV.

Si quis dixerit, justitiam acceptam "non conservari, atque etiam non augeri coram Deo per bona opera, sed opera ipsa fructus solummodo & signa esse justificationis adeptæ, non autem ipsius augendæ causam, anathema sit. "sup. c. 10.

XXV.

Si quis in quolibet bono opere "justum saltem venialiter peccare dixerit, aut (quod intolerabilius est) mortaliter, atque ideo pœnas æternas mereri, tantumque ob id non damnari, quia Deus ea opera bona non imputet ad damnationem, anathema sit. "In fine c. 11.

XXVI.

Si quis dixerit, justos non debere pro "bonis operibus, quę in Deo fuerint facta, expectare & sperare æternam retributionem a Deo, per ejus misericordiam, & Jesu Christi meritum, si bene agendo, & divina mandata custodiendo, usque in finem perseveraverint, anathema sit. "sup. c. 16. Matth. 24.

XXVII.

Si quis dixerit, nullum esse mortale peccatum,

SESSIO VI. 13 Januar. 1547.

catum, nisi infidelitatis, aut nullo alio quantumvis gravi & enormi, præter quam infidelitatis peccato, semel acceptam gratiam amitti, anathema sit.

XXVIII.

Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia simul & fidem semper amitti, aut fidem quæ remanet, non esse veram fidem, licet non sit viva; aut eum, qui fidem sine caritate habet, non esse Christianum, anathema sit.

XXIX.

Si quis dixerit, eum qui post baptismum "lapsus est, non posse per Dei gratiam resurgere, aut posse quidem, sed sola fide amissam justitiam recuperare sine sacramento pœnitentiæ, prout sancta Romana & universalis ecclesia, a Christo domino & ejus apostolis edocta, hucusque professa est, servavit, & docuit, anathema sit.

" sup. c. 14.

XXX.

Si quis post acceptam justificationis gratiam, cuilibet peccatori pœnitenti culpam ita remitti, & reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus "pœnæ temporalis exolvendæ, vel in hoc sæculo, vel in futuro in "purgatorio, antequam ad regna cœlorum aditus patere possit, anathema sit.

" inf. sess. 14. c. 8. " sess. 25.

XXXI.

Si quis dixerit, justificatum peccare, "dum intuitu æternæ mercedis bene operatur, anathema sit.

" sup. c. 11.

XXXII.

Si quis dixerit, hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita, aut ipsum justificatum, bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & Jesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum, anathema sit.

XXXIII.

Si quis dixerit, per hanc doctrinam catholicam de justificatione, a sancta synodo hoc præsenti decreto expressam, aliqua ex parte gloriæ Dei, vel meritis Jesu Christi domini nostri derogari, & non potius veritatem fidei nostræ, Dei denique, ac Jesu Christi gloriam illustrari, anathema sit.

DECRETUM DE REFORMATIONE.

ANNO CHRISTI 1547.

Publicatum in eadem sexta sessione decimatertia Januarii.

CAPUT I.

Prælatos convenit in ecclesiis suis residere; si secus fecerint, juris antiqui pœnæ in eos innovantur & novæ decernuntur.

Eadem sacrosancta synodus, eisdem præsidentibus apostolicæ sedis legatis, ad restituendam collapsam admodum ecclesiasticam disciplinam, depravatosque in clero & populo Christiano mores emendandos se accingere volens; ab his qui majoribus ecclesiis præsunt initium censuit esse sumendum. Integritas enim præsidentium salus est subditorum. Confidens itaque per domini ac Dei nostri misericordiam, providamque ipsius Dei in terris vicarii solertiam, omnino futurum, ut ad ecclesiarum regimen (onus quippe angelicis humeris formidandum) qui maxime digni fuerint, quorumque prior vita ac omnis ætas a puerilibus exordiis, usque ad perfectiores annos, per disciplinæ stipendia ecclesiasticæ laudabiliter acta, testimonium præbeat, secundum venerabiles beatorum "patrum sanctiones assumantur: omnes patriarchalibus, primatialibus, metropolitanis & cathedralibus ecclesiis quibuscumque, quovis nomine ac titulo præfectos monet, ac monitos esse vult, ut attendentes sibi & universo gregi, in quo Spiritus sanctus posuit eos regere ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo, vigilent, sicut apostolus præcipit, in omnibus laborent, & ministerium suum impleant. Implere autem illud se nequaquam posse sciant, si greges sibi commissos mercenariorum more deserant, atque ovium suarum, quarum sanguis de eorum est manibus a supremo judice requirendus, custodiæ minime incumbant: cum certissimum sit non admitti pastoris excusationem, si lupus oves comedit, & pastor nescit. Ac nihilo minus, quia nonnulli (quod vehementer dolendum est) hoc tempore reperiuntur, qui propriæ etiam salutis immemores, terrenaque cœlestibus, ac divinis humana præferentes, in diversis curiis vagantur, aut in negotiorum temporalium solicitudine (ovili derelicto, atque ovium sibi commissarum cura neglecta) se detinent occupatos, placuit sacrosanctæ synodo antiquos canones, qui temporum atque hominum injuria pene in desuetudinem abierunt, adversus non residentes promulgatos, innovare; quemadmodum virtute præsentis decreti innovat, ac ulterius pro firmiori eorumdem residentia, & reformandis in ecclesia moribus in hunc qui sequitur modum statuere atque sancire: Si quis a patriarchali, primatiali, metropolitana, seu cathedrali ecclesia, sibi quocumque titulo, causa, nomine, seu jure commissa, quacumque ille dignitate, gradu, & præeminentia præfulgeat, (legitimo impedimento, seu justis & rationabilibus causis cessantibus) sex mensibus continuis extra suam diœcesim morando abfuerit, quartæ partis fructuum unius anni, fabricæ ecclesiæ & pauperibus loci, per superiorem ecclesiasticum applicandorum pœnam ipso jure incurrat: quod si per alios sex menses in hujusmodi absentia perseveraverit, aliam quartam partem fructuum similiter applicandam eo ipso amittat. Crescente vero contumacia, ut severiori sacrorum canonum censuræ subjiciantur, metropolitanus suffraganeos

" Sardic. c. 13. Sess. 24. de ref. c. 1. Act. 20. 2. Tim. 4. Joan. 10. Ezech. 33. & 34. Sess. 24. c. 1. de ref. Sess. 23. c. 1. de ref.

ANNO CHRISTI 1547.

neos episcopos absentes, metropolitanum vero absentem suffraganeus episcopus antiquior residens, sub pœna interdicti ingressus ecclesiæ, eo ipso incurrenda, infra tres menses per literas seu nuncium Romano pontifici denunciare teneatur: qui in ipsos absentes (prout cujusque minor aut major contumacia exegerit) suæ supremæ sedis auctoritate animadvertere, & ecclesiis ipsis de pastoribus utilioribus providere poterit, sicut in domino noverit salubriter expedire.

CAPUT II.

Nulli beneficium exigens personalem residentiam obtinenti abesse licet, nisi justa de causa ab episcopo approbanda; qui tum etiam vicarium subducta parte fructuum substituat, ob curam animarum.

Episcopi inferiores quævis beneficia ecclesiastica, personalem residentiam de jure sive consuetudine exigentia, in titulum sive commendam obtinentes, ab eorum ordinariis, quemadmodum eis pro bono ecclesiarum regimine, & divini cultus augmento, locorum & personarum qualitate pensata, expediens videbitur, opportunis juris remediis residere cogantur; nullique privilegia seu indulta perpetua de non residendo, aut de fructibus in absentia percipiendis suffragentur: indulgentiis vero, & dispensationibus temporalibus, ex veris & rationabilibus causis tantum concessis, & coram ordinario legitime probandis, in suo robore permansuris: quibus casibus, nihilo minus officium sit episcoporum, tanquam in hac parte a sede apostolica " delegatorum, providere: ut per deputationem idoneorum vicariorum, & congruæ portionis fructuum assignationem, cura animarum nullatenus negligatur, nemini, quoad hoc, privilegio, seu exemptione quacumque suffragante.

" Sess. 7. c. 5. & 7. de ref.

CAPUT III.

Excessus sæcularium clericorum & regularium agentium extra monasteria ab ordinario loci corrigantur.

Ecclesiarum prælati, ad corrigendum subditorum excessus prudenter ac diligenter intendant: & nemo sæcularis clericus, cujusvis personalis, vel regularis, extra monasterium degens, etiam sui ordinis privilegii " prætextu tutus censeatur, quo minus, si deliquerit, ab ordinario loci, tanquam super hoc a sede apostolica delegato, secundum canonicas sanctiones visitari, puniri & corrigi valeat.

" Sess. 14. c. 4. & 5. de ref.

CAPUT IV.

Ecclesias quascumque episcopi & alii majores prælati, quoties opus fuerit, visitent; omnibus, quæ huic decreto obstare possent, sublatis.

Capitula cathedralium & aliarum majorum " ecclesiarum, illorumque personæ, nullis exemptionibus, consuetudinibus, sententiis, juramentis, concordis, quæ tantum suos obligent auctores, non etiam successores, tueri se possint, quo minus a suis episcopis & aliis majoribus prælatis, per se ipsos solos, vel illis, quibus sibi videbitur adjunctis, juxta canonicas sanctiones, totiès quoties opus fuerit, " visitari, corrigi, & emendari, etiam auctoritate apostolica possint & valeant.

" Ibidem & Sess. 25. c. 6. de ref.

" Sess. 25. c. 6. de ref.

SESSIO VI. 13. Januar. 1547.

CAPUT V.

Episcopi in aliena diœcesi nec pontificalia exerceant, nec ordines conferant.

Nulli episcopo liceat cujusvis privilegii prætextu pontificalia in alterius diœcesi " exercere, nisi de ordinarii loci expressa licentia, & in personas eidem ordinario subjectas tantum. Si secus factum fuerit, episcopus ab exercitio pontificalium, & sic ordinati ab executione ordinum, sint ipso jure suspensi.

" Nic. I. Arel. Antioch. Sard. Carth. III Aur. &c. Sess. 14. c. 2. 3. & 8. de ref.

Indictio futuræ sessionis.

Placet ne vobis proximam futuram sessionem celebrari die Jovis feria quinta post primam dominicam subsequentis quadragesimæ, quæ erit die tertia mensis Martii? Responderunt: Placet.

Nomina, cognomina, & patriæ prælatorum qui interfuerunt sextæ sessioni.

Præsidentes & legati.

Reverendissimus & illustrissimus dominus dominus Joannes Maria, episcopus Prænestinus, de Monte, Aretinus.

Reverendissimus & illustrissimus dominus dominus tituli sanctæ Crucis in Jerusalem presbyter, Cervinus, Politianus.

Cardinales.

Reverendissimus dominus Christophorus Madrucius tituli sancti Cæsarii in Palatio, presbyter cardinalis, & episcopus Tridentinus, ac administrator Brixiensis, Germanus.

Reverendissimus dominus Petrus Pacecus, sanctæ Romanæ ecclesiæ presbyter cardinalis, & episcopus Giennensis, Hispanus.

Archiepiscopi.

Reverendus dominus Andreas Cornelius, archiepiscopus Spalatrensis, Venetus.

Reverendus dominus Antonius Filholi, archiepiscopus Aquensis, Gallus.

Reverendus dominus Salvator Alexius Sassarus, archiepiscopus Turitanensis, Hispanus.

Reverendus dominus Ludovicus Chieregatus, archiepiscopus Antibarensis, Vicentinus.

Reverendus dominus Jacobus Cauchus, archiepiscopus Corcyrensis, Venetus.

Reverendus dominus Joannes Michael Sarracenus, archiepiscopus Materanus & Acheruntinus, Neapolitanus.

Reverendus dominus Sebastianus Lecavela, archiepiscopus Naxiensis, Græcus.

Reverendus dominus Olaus Magnus, archiepiscopus Upsalensis, Gothus.

Reverendus dominus Petrus Tagliavia, archiepiscopus Panormitanus, Siculus.

Reverendus dominus Robertus Waucop, archiepiscopus Armachanus, Scotus.

Episcopi.

Reverendus dominus Marcus Vigerius, episcopus Senogallensis, Saonensis.

Reverendus dominus Philos Roverella, episcopus Asculanus, Ferrariensis.

Reve-

SESSIO VI. 13. Januar. 1547.

Reverendus dominus Thomas Campegius, episcopus Feltrenſis, Bononienſis.

Reverendus dominus Benedictus de Nobilibus, epiſcopus Acienſis, Lucenſis.

Reverendus dominus Quintius de Ruſticis, epiſcopus Militenſis, Romanus.

Reverendus dominus Antonius de Numai, epiſcopus Iſernienſis, Forolivienſis.

Reverendus dominus Hieronymus Theodolis, epiſcopus Gaditanus, Forolivienſis.

Reverendus dominus Hieronymus Fuſcherus, epiſcopus Torcellanus, Venetus.

Reverendus dominus Joannes Lucius Staphyleus, epiſcopus Sibinicenſis, Illyricus.

Reverendus dominus Guilielmus a Prato, epiſcopus Claromontanus, Gallus.

Reverendus dominus Dionyſius epiſcopus Chironenſis, & Milopotamenus, Græcus.

Reverendus dominus Braccius Martellus, epiſcopus Fæſularum, Florentinus.

Reverendus dominus Coriolanus Martyranus, epiſcopus ſancti Marci, Neapolitanus.

Reverendus dominus Henricus Loffredus, epiſcopus Caputaquenſis, Neapolitanus.

Reverendus dominus Eliſeus Theodinus, epiſcopus Soranus, Arpinas.

Reverendus dominus Jacobus Corteſius a Prato, epiſcopus Vaſionenſis, Romanus.

Reverendus dominus Baltaſſar de Hæredia, epiſcopus Boſſanenſis, Sardus.

Reverendus dominus Alexander de Urſis, epiſcopus Emonienſis, Venetus.

Reverendus dominus Angelus Paſchalis, epiſcopus Motulanus, Dalmata.

Reverendus dominus Baltaſſar Limpus, epiſcopus Portuenſis, Portugallenſis.

Reverendus dominus Joannes Fonſeca, epiſcopus Caſtelli maris, Hiſpanus.

Reverendus dominus Petrus Bertonus, epiſcopus Fanenſis, Mutinenſis.

Reverendus dominus Joannes Campegius, epiſcopus Parentinus, Bononienſis.

Reverendus dominus Ludovicus Simonetta, epiſcopus Piſaurienſis, Mediolanenſis.

Reverendus dominus Aloyſius Lipomanus, epiſcopus Mothonenſis, coadjutor Veronenſis, Venetus.

Reverendus dominus Philippus Archintus, epiſcopus Salutiarum, vicarius ſanctiſſimi domini noſtri papæ in Urbe, Mediolanenſis.

Reverendus dominus Joannes Petrus Ferretus, epiſcopus Mylenſis, Ravennatenſis.

Reverendus dominus Claudius de la Guiſche, epiſcopus Agathenſis, Gallus.

Reverendus dominus Joannes de Salazar, de Burgo, epiſcopus Lancianenſis, Hiſpanus.

Reverendus dominus Hieronymus de Bononia, epiſcopus Syracuſanus, Siculus.

Reverendus dominus Richardus Patus, epiſcopus Wigornienſis, Anglicus.

Reverendus dominus Cornelius Muſſus, epiſcopus Bitontinus, Placentinus.

Reverendus D. Marcus Maliperius, epiſcopus Corſulan. Venetus.

Reverendus dominus Jacobus Jacobellus, epiſcopus Bellicaſtrenſis, Romanus.

Reverendus dominus Franciſcus de Navarra, epiſcopus Pacenſis, Hiſpanus.

Reverendus dominus Didacus de Alava, epiſcopus Aſtoricenſis, Hiſpanus.

Reverendus dominus Thomas Caſellus, epiſcopus Britonorienſis, Roſſanenſis..

Reverendus dominus Galeatius Florimontius, epiſcopus Aquinatenſis, Sueſſanus.

Reverendus D. Petrus de Auguſtinis, epiſcopus Oſcenſis, Hiſpanus.

Reverendus dominus Philippus Bonus, epiſcopus Famauguſtenſis, Venetus.

Reverendus dominus Joannes Baptiſta Cicada, epiſcopus Albiganenſis, auditor cameræ apoſtolicæ, Januenſis.

Reverendus dominus Thomas de Stella, epiſcopus Salpenſis, Venetus.

Reverendus dominus Bernardus Diaz, epiſcopus Calaguritanus, Hiſpanus.

Reverendus dominus Gregorius Caſtagnola, epiſcopus Milenſis, Græcus.

Reverendus dominus Antonius de Cruce, epiſcopus Canarienſis, Hiſpanus.

Reverendus dominus Sebaſtianus Pighinus, epiſcopus Aliphanus, auditor rotæ Romanæ, Rhegienſis.

Reverendus dominus Ambroſius Carharinus Politus, epiſcopus Minorienſis, Senenſis.

ANNO CHRISTI 1547.

Procuratores abſentium.

Reverendus dominus Claudius Jayus, procurator reverendiſſimi & illuſtriſſimi domini domini Othonis Truchſes, ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalis & epiſcopi Auguſtenſis, Sabaudienſis.

Reverendus dominus Ambroſius Pelargus, ordinis Prædicatorum, procurator reverendiſſimi domini domini archiepiſcopi Treverenſis, ſacri imperii electoris, Germanus.

Abbates.

Reverendus dominus Lucianus de Othonibus, abbas Pompoſiæ Ferrarienſis, Mantuanus.

Reverendus dominus Chryſoſtomus Gimilianenſis, abbas ſanctæ Trinitatis de Cajeta, Calaber.

Generales.

Reverendus pater Franciſcus Romæus, generalis ordinis Prædicatorum, Aretinus.

Reverendus pater Bonaventura Pius, generalis ordinis Minorum conventualium, Coſtacciarius.

Reverendus dominus Hieronymus Seripandus, generalis ordinis eremitarum ſancti Auguſtini, Neapolitanus.

Reverendus pater Nicolaus Audetus, generalis ordinis Carmelitarum, Cyprius.

Reverendus pater Auguſtinus Bonucius, generalis ordinis ſanctæ Mariæ Servorum, Aretinus.

Angellus Maſſarellus ſacri concilii ſecretarius.

SESSIO SEPTIMA.

In nomine domini. Amen.

SESSIO VII. 3. Martii 1547.

ANNO a nativitate ejuſdem domini milleſimo quingenteſimo quadrageſimoſeptimo, indictione quinta, pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri domini Pauli, divina providentia papæ tertii, anno tertiodecimo, die vero Jovis tertia menſis Martii, Tridenti in eccleſia cathedrali, in loco eminentiori ipſius eccleſiæ, ad concilium celebrandum, & ſeſſiones habendas deputato, celebrata eſt ſeptima publica ſeſſio ſacroſancti œcumenici & generalis concilii Tridentini, præſidentibus in ea nomine ejuſdem ſanctiſſimi domini noſtri papæ reverendiſſimis patribus & illuſtriſſimis dominis

Joanne

ANNO CHRISTI 1547.

Joanne Maria de Monte episcopo Prænestino, & Marcello tituli sanctæ crucis in Jerusalem presbytero, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus, & apostolicis de latere legatis. In qua quidem sessione, post celebratam missam de Spiritu sancto per reverendissimum dominum dominum archiepiscopum Corcyrensem, (non fuit enim habita oratio, quia reverendus pater dominus episcopus sancti Marci Neapolitanus, qui eam habiturus erat, erat raucus) nec non post peractas per reverendissimum & illustrissimum dominum cardinalem de Monte, præsidentem præfatum, solitas ceremonias, publicata fuerunt duo decreta, seu certi canones super sacramentis in genere, & super baptismo & confirmatione in specie, nec non certi alii canones super residentia, tenorum B infrascriptorum.

Nomina, cognomina, & patriæ prælatorum qui interfuerunt septimæ sessioni.

Præsidentes & legati.

Reverendissimus & illustrissimus dominus dominus Joannes Maria, episcopus Prænestinus, de Monte, Aretinus.

Reverendissimus & illustrissimus dominus dominus Marcellus tituli sanctæ Crucis in Jerusalem presbyter, Cervinus, Politianus.

Sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales, sacri concilii præsidentes, & apostolici de latere legati. C

Cardinales.

Reverendissimus & illustrissimus dominus Petrus Pacecus, sanctæ Romanæ ecclesiæ presbyter cardinalis, & episcopus Gienensis, Hispanus.

Archiepiscopi.

Reverendus dominus Andreas Cornelius, archiepiscopus Spalatrensis, Venetus.

Reverendus dominus Salvator Alexius Sassarus, archiepiscopus Turitanensis, Hispanus.

Reverendus dominus Ludovicus Chieregatus, archiepiscopus Antibarensis, Vicentinus.

Reverendus dominus Jacobus Cauchus, archiepiscopus Corcyrensis, Venetus.

Reverendus dominus Joannes Michael Sarracenus, archiepiscopus Materanus & Acheruntinus, Neapolitanus. D

Reverendus dominus Sebastianus Lecavela, archiepiscopus Naxiensis, Græcus.

Reverendus dominus Olaus Magnus, archiepiscopus Upsalensis, Gothus.

Reverendus dominus Petrus Tagliavia, archiepiscopus Panormitanus, Siculus.

Reverendus dominus Robertus Waucop, archiepiscopus Armachanus, Scotus.

Episcopi.

Reverendus dominus Marcus Vigerius, episcopus Senogallensis, Saonensis. E

Reverendus dominus Philos Roverella, episcopus Asculanus, Ferrariensis.

Reverendus dominus Thomas Campegius, episcopus Feltrensis, Bononiensis.

Reverendus dominus Benedictus de Nobilibus, episcopus Aciensis, Lucensis.

Reverendus dominus Quintius de Rusticis, episcopus Militensis, Romanus.

Reverendus dominus Cathalanus Trivultius, episcopus Placentinus, Mediolanensis.

Reverendus dominus Hieronymus Fuscherus, episcopus Torcellanus, Venetus.

A Reverendus dominus Hieronymus Theodolis, episcopus Gaditanus, Forolivensis.

Reverendus dominus Antonius de Numai, episcopus Isernensis, Forolivensis.

Reverendus dominus Marcus Antonius Crucius, episcopus Tiburtinus, Tiburtinus.

Reverendus dominus Joannes Lucius Staphyleus, episcopus Sibinicensis, Illyricus.

Reverendus dominus Guilielmus a Prato, episcopus Claromontanus, Gallus.

Reverendus dominus Dionysius episcopus Chironensis, & Milopotamenus, Græcus.

Reverendus dominus Braccius Martellus, episcopus Fæsularum, Florentinus.

Reverendus dominus Hieronymus Vida, episcopus Albensis, Cremonensis.

Reverendus dominus Eliseus Theodinus, episcopus Soranus, Arpinas.

Reverendus dominus Jacobus Cortesius a Prato, episcopus Vasionensis, Romanus.

Reverendus dominus Petrus Franciscus Ferretus, episcopus Vercellensis, *Hiporigensis. *Eporhediensis

Reverendus dominus Baltassar Limpus, episcopus Portuensis, Portugallensis.

Reverendus dominus Baltassar de Hæredia, episcopus Bossanensis, Sardus.

Reverendus dominus Angelus Paschalis, episcopus Motulanus, Dalmata.

Reverendus dominus Alexander de Ursis, episcopus Emonienſis, Venetus.

Reverendus dominus Georgius Cornelius, episcopus Tarvisinus, Venetus.

Reverendus dominus Joannes Fonseca, episcopus, Castelli maris, Hispanus.

Reverendus dominus Petrus Bertonus; episcopus Fanensis, Mutinensis.

Reverendus dominus Joannes Campegius, episcopus Parentinus, Bononiensis.

Reverendus dominus Ludovicus Simonetta, episcopus Pisaurensis, Mediolanensis.

Reverendus dominus Aloysius Lipomanus, episcopus Mothonensis, coadjutor Veronensis, Venetus.

Reverendus dominus Philippus Archintus, episcopus Salutiarum, vicarius sanctissimi domini nostri papæ in Urbe, Mediolanensis.

Reverendus dominus Joannes Petrus Ferretus, episcopus Mylensis, Ravennatensis.

Reverendus dominus Claudius de la Guische, episcopus Mirapicensis, Gallus.

Reverendus dominus Joannes Salazar de Burgo, episcopus Lancianensis, Hispanus.

Reverendus dominus Hieronymus de Bononia, episcopus Syracusanus, Siculus.

Reverendus dominus Ægidius Falsetta, episcopus Caprulanus, Cingulanus.

Reverendus dominus Richardus Patus, episcopus Wigornensis, Anglicus.

Reverendus dominus Cornelius Mussus, episcopus Bitontinus, Placentinus.

Reverendus D. Marcus Maliperius, episcopus Corsulan. Venetus.

Reverendus dominus Jacobus Jacobellus, episcopus Bellicastrensis, Romanus.

Reverendus dominus Franciscus de Navarra, episcopus Pacensis, Hispanus.

Reverendus dominus Didacus de Alaba, episcopus Astoricensis, Hispanus.

Reverendus dominus Thomas Casellus, episcopus Britonorienſis, Rossanensis.

Reverendus dominus Galeatius Florimontius episcopus Aquinatensis, Suessanus.

Reverendus dominus Petrus de Augustinis, episco-

SESSIO VII. 5. Martii 1547.

SESSIO VII. Martii 1547.

episcopus Oscensis, Hispanus.
Reverendus dominus Philippus Bonus, episcopus Famaugustensis, Venetus.
Reverendus dominus Joannes Baptista Cicada, episcopus Albiganensis, auditor cameræ apostolicæ, Januensis.
Reverendus dominus Thomas de Stella, episcopus Salpensis, Venetus.
Reverendus dominus Gregorius Castagnola, episcopus Milensis, Græcus.
Reverendus dominus Bernardus Diaz, episcopus Calaguritanus, Hispanus.
Reverendus dominus Petrus Donatus Cæsius, episcopus Narniensis, de Cæsis.
Reverendus dominus Antonius de Cruce, episcopus Canariensis, Hispanus.
Reverendus dominus Sebastianus Pighinus, episcopus Aliphanus, auditor rotæ Romanæ, Rhegiensis.
Reverendus dominus Ambrosius Catharinus Politus, episcopus Minoriensis, Senensis.

Procuratores absentium.

Reverendus dominus Claudius Jayus, procurator reverendissimi & illustrissimi domini domini Othonis Truchses, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis & episcopi Augustensis, Sabaudiensis.
Reverendus dominus Ambrosius Pelargus, ordinis Prædicatorum, procurator reverendissimi domini domini archiepiscopi Treverensis, sacri imperii electoris, Germanus.

Abbates.

Reverendus dominus Lucianus de Othonibus, abbas Pomposiæ Ferrariensis, Mantuanus.
Reverendus dominus Chrysostomus Gimilianensis, abbas sanctæ Trinitatis de Cajeta, Calaber.

Generales.

Reverendus pater Franciscus Romæus, generalis ordinis prædicatorum, Aretinus.
Reverendus pater Bonaventura Pius, generalis ordinis Minorum conventualium, Costacciarus.
Reverendus dominus Hieronymus Seripandus, generalis ordinis eremitarum sancti Augustini, Neapolitanus.
Reverendus pater Nicolaus Audetus, generalis ordinis Carmelitarum, Cyprius.
Reverendus pater Augustinus Bonucius, generalis ordinis sanctæ Mariæ Servorum, Aretinus.

Angellus Massarellus sacri concilii secretarius.

DECRETUM DE SACRAMENTIS ECCLESIÆ,

Publicatum in sacrosancta œcumenica & generali Tridentina synodo, septima sessione, die tertia Martii, anno MDXLVII.

Proœmium.

Ad consummationem salutaris de justificatione doctrinæ, quæ in præcedenti proxima sessione uno omnium patrum consensu promulgata fuit, consentaneum visum est, de sanctissimis ecclesiæ sacramentis agere, per quæ omnis vera justitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amissa reparatur. Propterea sacrosancta œcumenica & generalis Tridentina synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, præsidentibus in ea eisdem apostolicæ sedis legatis, ad errores eliminandos, & extirpandas hæreses, quæ circa sanctissima ipsa sacramenta hac nostra tempestate, tum de damnatis olim a patribus nostris hæresibus suscitatæ, tum etiam de novo adinventæ sunt, quæ catholicæ ecclesiæ puritati, & animarum saluti magnopere officiunt, sanctarum scripturarum doctrinæ apostolicis traditionibus, atque aliorum conciliorum & patrum consensui inhærendo, hos præsentes canones statuendos & decernendos censuit, reliquos qui supersunt ad cœpti operis perfectionem deinceps divino spiritu adjuvante editura.

ANNO CHRISTI 1547.

CANONES DE SACRAMENTIS.

I.

Si quis dixerit, sacramenta novæ legis non fuisse omnia a Jesu Christo domino nostro instituta, aut esse plura vel pauciora quam septem, videlicet, baptismum, confirmationem, eucharistiam, pœnitentiam, extremam unctionem, ordinem, & matrimonium, aut etiam aliquod horum septem non esse vere & proprie sacramentum, anathema sit. Eug. decr.

II.

Si quis dixerit, ea ipsa novæ legis sacramenta a sacramentis antiquæ legis non differre, nisi quia ceremoniæ sunt aliæ, & alii ritus externi, anathema sit.

III.

Si quis dixerit, hæc septem sacramenta ita esse inter se paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius, anathema sit.

IV.

Si quis dixerit, sacramenta novæ legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua, & sine eis, aut eorum voto per solam fidem homines a Deo gratiam justificationis adipisci, licet omnia singulis necessaria non sint, anathema sit. Sess. 6. de Justif. c. 5. & can. 7.

V.

Si quis dixerit, hæc sacramenta propter solam fidem nutriendam instituta fuisse, anathema sit.

VI.

Si quis dixerit, sacramenta novæ legis non continere gratiam, quam significant; aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre; quasi signa tantum externa sint acceptæ per fidem gratiæ vel justitiæ, & notæ quædam Christianæ professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus, anathema sit. Eug. decr.

VII.

Si quis dixerit, non dari gratiam per hujusmodi sacramenta semper & omnibus, quantum est ex parte Dei, etiamsi rite ea suscipiant, sed aliquando & aliquibus, anathema sit.

VIII.

Si quis dixerit, per ipsa novæ legis sacramenta ex opere operato non conferri

gratiam

ANNO CHRISTI 1547.

gratiam, sed solam fidem divinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere, anathema sit. A

IX.

Sess. 23. can. 4. Dec. Eug. Si quis dixerit, in tribus sacramentis, baptismo scilicet, confirmatione, & ordine, non imprimi characterem in anima; hoc est signum quoddam spirituale & indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit.

X.

Carth. IV. can. 98. Constantiense &c. sess. 14. de pœn. c. 6. Decr. Eug. Si quis dixerit, Christianos omnes in verbo & omnibus sacramentis administrandis habere potestatem, anathema sit. B

XI.

Si quis dixerit, in ministris, dum sacramenta conficiunt & conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit ecclesia, anathema sit.

XII.

Const. sess. 8. adv. Wiel. Si quis dixerit, ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quæ ad sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere, aut conferre sacramentum, anathema sit. C

XIII.

Si quis dixerit, receptos & approbatos ecclesiæ catholicæ ritus in solemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque ecclesiarum pastorem mutari posse, anathema sit.

DE BAPTISMO.

CANON I.

Aug. Euch. c. 49. Si quis dixerit, baptismum Joannis habuisse eamdem vim cum baptismo Christi, anathema sit. D

II.

Si quis dixerit, aquam veram & naturalem non esse de necessitate baptismi, atque ideo verba illa domini nostri Jesu Christi: *Joan. 3.* *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto*, ad metaphoram aliquam detorserit, anathema sit.

III.

Si quis dixerit, in ecclesia Romana, quæ omnium ecclesiarum mater est & magistra, non esse veram de baptismi sacramento doctrinam, anathema sit. E

IV.

Decr. Eug. Si quis dixerit, baptismum, qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, cum intentione faciendi quod facit ecclesia, non esse verum baptismum, anathema sit.

V.

Si quis dixerit, baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem, anathema sit.

VI.

SESSIO VII. 3. Martii. 1547.

Si quis dixerit, baptizatum non posse, etiamsi velit, gratiam amittere, quantumcumque peccet, nisi nolit credere, anathema sit.

VII.

Si quis dixerit, baptizatos per baptismum ipsum solius tantum fidei debitores fieri, non autem universæ legis Christi servandæ, anathema sit. *Gal. 5.*

VIII.

Si quis dixerit, baptizatos liberos esse ab omnibus sanctæ ecclesiæ præceptis, quæ vel scripta vel tradita sunt; ita ut ea observare non teneantur, nisi se sua sponte illis submittere voluerint, anathema sit.

IX.

Si quis dixerit, ita revocandos esse homines ad baptismi suscepti memoriam, ut vota omnia quæ post baptismum fiunt, vi promissionis in baptismo ipso jam factæ irrita esse intelligant, quasi per ea, & fidei, quam professi sunt, detrahatur, & ipsi baptismo, anathema sit.

X.

Si quis dixerit, peccata omnia, quæ post baptismum fiunt, sola recordatione & fide suscepti baptismi vel dimitti, vel venialia fieri, anathema sit.

XI.

Si quis dixerit, verum & rite collatum baptismum iterandum esse illi qui apud infideles fidem Christi negaverit, cum ad pœnitentiam convertitur, anathema sit.

XII.

Si quis dixerit, neminem esse baptizandum, nisi ea ætate, qua Christus baptizatus est, vel in ipso mortis articulo, anathema sit.

XIII.

Si quis dixerit, parvulos, eo quod actum credendi non habent, suscepto baptismo inter fideles computandos non esse, ac propterea cum ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos; aut præstare omitti eorum baptisma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide ecclesiæ, anathema sit. *Aug. de pecc. mer. & rem. 1. 19. & III. 2.*

XIV.

Si quis dixerit, hujusmodi parvulos baptizatos, cum adoleverint, interrogandos esse, an ratum habere velint, quod patrini eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti sunt; & ubi se nolle responderint, suo esse arbitrio relinquendos, nec alia interim pœna ad Christianam vitam cogendos, nisi ut ab eucharistiæ, aliorumque sacramentorum perceptione arceantur, donec resipiscant, anathema sit.

SESSIO VII. 3. Martii 1547.

DE CONFIRMATIONE.

CANON I.

Si quis dixerit, confirmationem baptizatorum otiosam ceremoniam esse, & non potius verum & proprium sacramentum; aut olim nihil aliud fuisse quam catechesim quamdam, qua adolescentiæ proximi fidei suæ rationem coram ecclesia exponebant, anathema sit.

II.

Decr. Eug. Inn. 1. ep. 1. c. 3. Sess. 23. c. 4.

Si quis dixerit, injurios esse Spiritui sancto eos qui sacro confirmationis chrismati virtutem aliquam tribuunt, anathema sit.

III.

Si quis dixerit, sanctæ confirmationis ordinarium ministrum non esse solum episcopum, sed quemvis simplicem sacerdotem, anathema sit.

DECRETUM DE REFORMATIONE.

Publicatum in eadem septima sessione concilii Tridentini, die vero tertia mensis Martii anno MDXLVII.

Sess. 6. c. 2. & 23. c. 1.

Eadem sacrosancta synodus, eisdem præsidentibus legatis, inceptum residentiæ & reformationis negotium ad Dei laudem & Christianæ religionis incrementum prosequi intendens, ut sequitur statuendum censuit, salva semper in omnibus sedis apostolicæ auctoritate.

CAPUT I.

Quis capax regiminis ecclesiarum cathedralium.

Ad cathedralium ecclesiarum regimen nullus, nisi ex legitimo matrimonio natus, & ætate matura, gravitate morum, literarumque scientia, juxta constitutionem Alexandri tertii, quæ incipit: Cum in cunctis, in concilio Lateranensi promulgatam, præditus assumatur.

Cap. 14. concilii Lateranensis 1. lib. Decret. de elect. & el. pot.

CAPUT II.

Tenentes plures cathedrales ecclesias jubentur omnes, excepta una, dimittere, certo modo & tempore.

Sess. 24. c. 17. de ref.

Nemo, quacumque etiam dignitate, gradu aut præeminentia præfulgens, plures metropolitanas, seu cathedrales ecclesias in titulum, sive commendam, aut alio quovis nomine, contra sacrorum canonum instituta, recipere, & simul retinere præsumat, cum valde felix sit ille censendus, cui unam ecclesiam bene ac fructuose, & cum animarum sibi commissarum salute regere contigerit. Qui autem plures ecclesias contra præsentis decreti tenorem nunc detinent, una, quam maluerint, retenta, reliquas infra sex menses, si ad liberam sedis apostolicæ dispositionem pertineant, alias infra annum dimittere teneantur: alioquin ecclesiæ ipsæ, ultimo obtenta dumtaxat excepta, eo ipso vacare censeantur.

CAPUT III.

Habilibus dumtaxat personis beneficia conferantur.

ANNO CHRISTI 1547.

Inferiora beneficia ecclesiastica, præsertim curam animarum habentia, personis dignis & habilibus, & quæ in loco residere, ac per seipsos curam ipsam exercere valeant, juxta constitutionem Alexandri tertii in Lateranensi, quæ incipit: Quia nonnulli; & alia Gregorii decimi, in generali Lugdunensi" concilio, quæ incipit: Licet canon editam, conferantur; aliter autem facta collatio sive provisio omnino irritetur, & ordinarius collator pœnas constitutionis concilii generalis, quæ incipit: Grave nimis, se noverit incursurum.

Cap. 13. concilii Lateranensis. " Lib. III. Decr. De clericis non residentibus. " In sexto: De elect. & el. por. Cap. 30. concilii Lateranensis sub Innocentio III. lib. 3. Decret. de præb. & dig. Sess. 24. c. 17. de ref. Cap. 29. concilii Lateranensis lib. 3. de præb. & dig.

CAPUT IV.

Plurium beneficiorum retentor contra canones, iis privetur.

Quicumque de cetero plura curata, aut alias incompatibilia beneficia ecclesiastica, sive per viam unionis ad vitam, seu commendæ perpetuæ, aut alio quocumque nomine & titulo contra formam sacrorum canonum, & præsertim constitutionis Innocentii tertii, quæ incipit: De multa, recipere ac simul retinere præsumpserit, beneficiis ipsis juxta ipsius constitutionis dispositionem, ipso jure, etiam præsentis canonis vigore, privatus existat.

CAPUT V.

Plura beneficia curata obtinentes ordinario suas dispensationes exhibeant, qui de vicario ecclesiis provideat congrua portione fructuum assignata.

Ordinarii locorum quoscumque plura curata, aut alias incompatibilia beneficia ecclesiastica obtinentes, dispensationes suas exhibere districte compellant: alias procedant juxta constitutionem Gregorii decimi in generali Lugdunensi concilio editam, quæ incipit: Ordinarii: quam eadem sancta synodus innovandam censet, & innovat; addens insuper, quod ipsi ordinarii etiam per idoneorum vicariorum deputationem, & congruæ portionis fructuum assignationem, omnino provideant, ut animarum cura nullatenus negligatur, & beneficia ipsa debitis obsequiis minime defraudentur: appellationibus, privilegiis, & exemptionibus quibuscumque, etiam cum judicum specialium deputatione, & illorum inhibitionibus, in præmissis nemini suffragantibus.

Sess. 6. c. 1. de ref. " In sexto cit. 16. de officio ordinarii.

CAPUT VI.

Quæ beneficiorum uniones validæ censeantur.

Uniones perpetuæ a quadraginta annis citra factæ, examinari ab ordinariis, tanquam a sede apostolica delegatis, possint; & quæ per subreptionem vel obreptionem obtentæ fuerint, irritæ declarentur. Illæ vero, quæ a dicto tempore citra concessæ nondum in toto vel in parte fortitæ sunt effectum, & quæ deinceps ad cujusvis instantiam fient, nisi eas ex legitimis, aut alias rationabilibus causis, coram loci ordinario, vocatis quorum interest, verificandis, factas fuisse constiterit, per subreptionem obtentæ præsumantur, ac propterea, nisi aliter a sede apostolica declaratum fuerit, viribus omnino careant.

Sess. 14. c. 9. de ref. Sess. 24. c. 13. de ref. Sess. 25. c. 9. de ref.

CAPUT

ANNO CHRISTI 1547.

CAPUT VII.

Beneficia eccleſiaſtica unita viſitentur; per vicarios etiam perpetuos cura exerceatur; quorum deputatio fiat cum portione aſſignanda, etiam ſuper re certa.

Sess. 24. c. 9. de ref.

Beneficia eccleſiaſtica curata, quæ cathedralibus, collegiatis, ſeu aliis eccleſiis, vel monaſteriis, beneficiis, ſeu collegiis, aut piis locis quibuſcumque perpetuo unita & annexa reperiuntur, ab ordinariis locorum annis ſingulis viſitentur; qui ſolicite providere procurent, ut per idoneos

Sess. 25. c. 16. de ref.

vicarios, etiam perpetuos, (niſi ipſis ordinariis pro bono eccleſiarum regimine aliter expedire videbitur) ab eis cum tertiæ partis fructuum, aut B majori, vel minori, arbitrio ipſorum ordinariorum, portione, etiam ſuper certa re aſſignanda, ibidem deputandos, animarum cura laudabiliter exerceatur; appellationibus, privilegiis, exemptionibus, etiam cum judicum deputatione, & illorum inhibitionibus quibuſcumque in præmiſſis minime ſuffragantibus.

CAPUT VIII.

Eccleſiæ reparentur: cura animarum ſolicite habeatur.

Sess. 21. c. 8. de ref. Sess. 24. c. 9. de ref. Tol. IV. Brac. Arel. VI. &c.

Locorum ordinarii eccleſias quaſcumque, quomodolibet exemptas, auctoritate apoſtolica ſingulis annis viſitare teneantur, & opportunis juris C remediis providere, ut quæ reparatione indigent, reparentur, & cura animarum, ſi qua illis immineat, aliiſque debitis obſequiis minime defraudentur, appellationibus, privilegiis, conſuetudinibus, etiam ab immemorabili tempore præſcriptis, judicum deputationibus, & illorum inhibitionibus penitus excluſis.

CAPUT IX.

Munus conſecrationis non differendum.

Sess. 24. c. quoniam de ref.

Ad majores eccleſias promoti munus conſecrationis infra tempus a jure ſtatutum ſuſcipiant, & prorogationes ultra ſex menſes conceſſæ nulli D ſuffragentur.

CAPUT X.

Sede vacante capitula nulli dent reverendas, niſi arctato occaſione obtinendi aut obtenti beneficii; variæ contravenientium pœnæ.

Non liceat capitulis eccleſiarum, ſede vacante, infra annum a die vacationis, ordinandi licentiam, aut literas dimiſſorias, ſeu reverendas, ut aliqui vocant, tam ex juris communis diſpoſitione, quam etiam cujuſvis privilegii, aut conſuetudinis vigore, alicui, qui beneficii eccleſiaſtici recepti ſive recipiendi occaſione arctatus non fuerit, concedere; ſi ſecus fiat, capitulum contraveniens eccleſiaſtico ſubjaceat interdicto; & ſic E

Ibidem;

ordinati, ſi in minoribus ordinibus conſtituti fuerint, nullo privilegio clericali, præſertim in criminalibus, gaudeant: in majoribus vero, ab executione ordinum, ad beneplacitum futuri prælati, ſint ipſo jure ſuſpenſi.

CAPUT XI.

Facultates de promovendo ſine juſta cauſa nemini ſuffragentur.

Sess. 6. c. 5. de ref. Sess. 14. c. 2. de ref.

Facultates de promovendo a quocumque non ſuffragentur, niſi habentibus legitimam cauſam, ob quam a propriis epiſcopis ordinari non poſ-

ſint, in literis exprimendam: & tunc non ordinentur, niſi ab epiſcopo in ſua diœceſi reſidente, aut pro eo pontificalia exercente, & diligenti prævio examine.

SESSIO VII. 3. Martii 1547.

CAPUT XII.

Facultas de non promovendo annum non excedat.

Facultates de non promovendo, præterquam in caſibus a jure expreſſis, conceſſæ, ad annum tantum ſuffragentur.

De electione in ſexto;

CAPUT XIII.

A quocumque præſentati non inſtituantur ſine prævio examine ordinarii & approbatione, certis exceptis.

Præſentati, ſeu electi, vel nominati a quibuſvis eccleſiaſticis perſonis, etiam ſedis apoſtolicæ nunciis, ad quævis eccleſiaſtica beneficia non inſtituantur, nec confirmentur, neque admittantur, etiam prætextu cujuſvis privilegii, ſeu conſuetudinis, etiam ab immemorabili tempore præſcriptæ, niſi fuerint prius a locorum ordinariis examinati, & idonei reperti; & nullus appellationis remedio ſe tueri poſſit, quo minus examen ſubire teneatur: præſentatis tamen electis, ſeu nominatis ab univerſitatibus, ſeu collegiis generalium ſtudiorum, exceptis.

Sess. 25. c. 7. de ref.

Sess. 24. c. 18. de ref.

CAPUT XIV.

Cauſæ civiles exemptorum clericorum ſæcularium & regularium degentium extra monaſterium ab epiſcopis cognoſcantur.

In exemptorum cauſis conſtitutio Innocentii quarti, quæ incipit, Volentes, in generali concilio Lugdunenſi edita, ſervetur: quam eadem ſacroſancta ſynodus innovandam cenſuit, & innovat: addendo inſuper, quod in civilibus cauſis mercedum, & miſerabilium perſonarum, clerici ſæculares, aut regulares extra monaſterium degentes, quomodolibet exempti, etiamſi certum judicem a ſede apoſtolica deputatum in partibus habeant; in aliis vero, ſi ipſum judicem non habuerint, coram locorum ordinariis, tanquam in hoc ab ipſa ſede delegatis, conveniri, & jure medio ad ſolvendum debitum cogi & compelli poſſint: privilegiis, exemptionibus, conſervatorum deputationibus, & eorum inhibitionibus adverſus præmiſſa nequaquam valituris.

Cap. 1. de privilegiis in 6. Sess. 24. c. 6. de ref.

CAPUT XV.

Ordinarii curent ut hoſpitalia quæcumque, etiam exempta, a ſuis adminiſtratoribus fideliter gubernentur.

Curent ordinarii, ut hoſpitalia quæcumque a ſuis adminiſtratoribus, quocumque illi nomine cenſeantur, etiam quomodolibet exemptis, fideliter & diligenter gubernentur; conſtitutionis concilii Viennenſis, quæ incipit, Quia contingit, forma ſervata; quam quidem conſtitutionem eadem ſancta ſynodus innovandam duxit, & innovat, cum derogationibus in ea contentis.

Sess. 25. c. 8. de ref. Clem. Quia contingit, de religioſis domibus.

Indictio futuræ ſeſſionis.

Item hæc ſacroſancta ſynodus ſtatuit & decrevit, proximam futuram ſeſſionem habendam & celebrandam eſſe die Jovis feria quinta poſt ſequentem dominicam in Albis, quæ erit vigeſima-

SESSIO VII. 3. Martii 1547.

prima menſis Aprilis præſentis anni milleſimi quingenteſimi quadrageſimiſeptimi.

Et quia ego Angelus Maſſarellus, Sanctoſeverinas, utriuſque juris doctor, & protonotarius apoſtolicus, ac ſacri Tridentini concilii ſecretarius, publicationi ſuprafcriptorum decretorum, manu aliena mihi fida ſcriptorum interfui, & ea cum originalibus, quæ penes me ſunt, collata ſunt, & cum eis concordant; ideo ſuprafcripta decreta ſingula manu meaopropria obſignavi, ac de eis omnibus, ad quorum manus pervenerint, fidem facio indubitatam.

BULLA FACULTATIS TRANSPERENDI CONCILII.

Paulus epiſcopus, ſervus ſervorum Dei venerabili fratri Joanni Matiæ epiſcopo Præneſtino, & dilectis filiis Marcello tituli ſanctæ Crucis in Jeruſalem presbytero, ac Reginaldo ſanctæ Mariæ in Coſmedin diacono, cardinalibus noſtris, & apoſtolicæ ſedis legatis delatere, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Regimini univerſalis eccleſiæ, meritis licet imparibus, diſponente domino præſidentes, noſtri officii partes eſſe putamus, ut ſi quid gravius cauſa reipublicæ Chriſtianæ conſtituendum ſit, id non modo tempore opportuno, verum etiam loco commodo, & idoneo perficiatur. Cum itaque nos nuper, poſtquam ſuſpenſionem celebrationis ſacri œcumenici & univerſalis concilii, alias per nos in civitate Tridentina ex cauſis tunc expreſſis, de venerabilium fratrum noſtrorum ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalium conſilio & aſſenſu indicti, ex certis aliis etiam tunc expreſſis cauſis, uſque ad aliud opportunius & commodius tempus per nos declarandum, de ſimili conſilio & aſſenſu factam, audita pace inter cariſſimos in Chriſto filios noſtros Carolum Romanorum imperatorem ſemper Auguſtum, & Franciſcum Francorum regem Chriſtianiſſimum conciliata, pari conſilio & aſſenſu ſuſtuleramus & amoveramus, nequeuntes ipſi, tunc legitime impediti, ad dictam civitatem perſonaliter accedere, & eidem concilio intereſſe, vos noſtros & apoſtolicæ ſedis legatos de latere in eodem concilio de ſimili conſilio conſtituerimus & deputaverimus, voſque ad eamdem civitatem tanquam pacis angelos deſtinaverimus, prout in diverſis noſtris deſuper confectis literis plenius continetur. Nos ne tam ſanctum celebrationis concilii hujuſmodi opus ex incommoditate loci, aut alias quovis modo impediatur, aut plus debito differatur, opportune providere volentes, motu proprio, & ex certa ſcientia ac de apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, parique conſilio & aſſenſu, vobis inſimul, aut duobus ex vobis, reliquo legitimo impedimento detento, ſeu inde forte abſente, quandocumque vobis videbitur, concilium prædictum de eadem civitate Tridentina ad quamcumque aliam commodiorem & opportuniorem ſeu tutiorem civitatem, de qua vobis etiam videbitur, transferendi & mutandi, ac illud in ipſa civitate Tridentina ſupprimendi & diſſolvendi, nec non prælatis & aliis perſonis concilii hujuſmodi, ne in eo ad ulteriora in dicta civitate Tridentina procedant, etiam ſub cenſuris & pœnis eccleſiaſticis inhibendi, ac idem concilium in alia civitate hujuſmodi, ad quam illud transferri & mutari contigerit, continuandi, tenendi, & celebrandi, & ad illud prælatos & alias perſonas concilii Tridentini hujuſmodi; etiamſub perjurii, & aliis in literis indictionis concilii hujuſmodi expreſſis pœnis evocandi, eidemque ſic translato & mutato concilio nomine & auctoritate prædictis præſidendi, ac in eo procedendi, ceteraque in præmiſſis, & circa ea neceſſaria & opportuna, alias juxta priorum vobis directarum literarum continentiam & tenorem faciendi, ſtatuendi ordinandi & exequendi plenam & liberam apoſtolica auctoritate tenore præſentium concedimus poteſtatem & facultatem, ratum & gratum habituri quidquid per vos in præmiſſis factum, ſtatutum, ordinatum, executumve fuerit, idque facturi, auctore domino, inviolabiliter obſervari: non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

ANNO CHRISTI 1547.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum; anno Incarnationis dominicæ 1547. octavo Kalendas Martii, pontificatus noſtri anno undecimo.

Fab. epiſcopus Spol.
B. Motta.

Hucuſque progreſſum fuit concilium Tridentinum ſub Paulo tertio, a quo poſtea concilium idem Bononiam translatum, illic ad tempus eſt intermiſſum. Interim vero Paulus tertius viam univerſæ carnis ingreſſus, ſucceſſorem habuit Julium tertium, ſub quo poſtea convocatum eſt iterum in eadem civitate Tridentina, & vocati omnes, qui ſolent intereſſe concilio, ad primam diem Maii, milleſimo quingenteſimo quinquageſimo primo. Qua die adfuit præſens legatus Creſcentius cum nonnullis epiſcopis, nihil tamen actum eſt propter paucitatem epiſcoporum uſque ad undecimum Octobris ejuſdem anni, qua die celebrata eſt tertia ſeſſio ſub Julio pontifice.

SESSIO OCTAVA.

SESSIO VIII. 11. Martii 1547.

Decretum, ſancitum, & publicatum in octava ſeſſione, habita die undecimo menſis Martii, milleſimo quingenteſimo quadrageſimoſeptimo, ſuper translatione concilii ex Tridento ad civitatem Bononienſem, rogante reverendiſſimo & illuſtriſſimo domino cardinale de Monte, ipſius concilii præſidente & legato, patrum ſententias ſub infraſcripta forma, videlicet:

Decretum de translatione concilii.

Placetne vobis decernere & declarare, de hujuſmodi morbo ex præmiſſis & aliis allegatis ita manifeſte & notorie conſtare, ut prælati in hac civitate ſine vitæ diſcrimine commorari, & in ea idcirco inviti minime retineri poſſint & debeant; itemque attento receſſu multorum prælatorum poſt proxime præteritam ſeſſionem, & attentis proteſtationibus aliorum complurium prælatorum in congregationibus generalibus factis, hinc omnino timore ipſius morbi abire volentium, qui juſte detineri non poſſunt, & ex quorum diſceſſu concilium vel diſſolveretur, vel ex paucitate prælatorum bonus ejus progreſſus impediretur: & attento etiam imminenti periculo vitæ, & aliis cauſis per aliquos ex patribus in ipſis congregationibus allegatis, utpote notorie veris & legitimis: placetne vobis ſimiliter decernere & declarare, pro conſervatione & proſecu-

ANNO CHRISTI 1547.

prosecutione ipsius concilii, & securitate vitæ ipsorum prælatorum, concilium ipsum ad civitatem Bononiæ, veluti ad locum magis paratum, salubrem & idoneum, pro tempore transferendum esse, & exnunc transferri, & ibidem sessionem jam indictam, statuta die vigesimaprima Aprilis celebrandam esse, & celebrari; & successive ad ulteriora procedendum, donec sanctissimo domino nostro, & sacro concilio expedire videbitur, ut ad hunc, seu alium locum, communicato etiam consilio cum invictissimo Cæsare, & Christianissimo rege, & aliis regibus ac principibus Christianis, ipsum concilium reduci possit & debeat. Respondernnt. Placet.

Decretum suprascriptum placuit longe majori parti patrum, contradicentibus tamen & palam reclamantibus patribus nonnullis.

Nomina, cognomina, & patriæ prælatorum, qui interfuerunt translationi concilii.

Præsidentes & legati.

Reverendissimus & illustrissimus dominus dominus Joannes Maria, episcopus Prænestinus, de Monte, Aretinus.

Reverendissimus & illustrissimus dominus dominus Marcellus tituli sanctæ Crucis in Jerusalem presbyter, Cervinus, Politianus.

Sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales, sacri concilii præsidentes, & apostolici de latere legati.

Archiepiscopi.

Reverendus dominus Andreas Cornelius, archiepiscopus Spalatrensis, Venetus.

Reverendus dominus Ludovicus Chieregatus, archiepiscopus Antibarensis Vicentinus.

Reverendus dominus Joannes Michael Sarracenus, archiepiscopus Materanus, & Acheruntinus, Neapolitanus.

Reverendus dominus Sebastianus Lecavela, archiepiscopus Naxiensis, Græcus.

Reverendus D. Olaus Magnus, archiepiscopus Upsalensis, Gothus.

Reverendus dominus Robertus Waucop, archiepiscopus Armachanus, Scotus.

Episcopi.

Reverendus dominus Philos Roverella, episcopus Asculanus, Ferrarienſis.

Reverendus dominus Thomas Campegius, episcopus Feltrensis, Bononiensis.

Reverendus dominus Benedictus de Nobilibus, episcopus Aciensis, Lucensis.

Reverendus dominus Quintius de Rusticis, episcopus Militensis, Romanus.

Reverendus dominus Antonius de Numai, episcopus Hernienſis, Forolivienſis.

Reverendus dominus Cathalanus Trivultius, episcopus Placentinus, Mediolanenſis.

Reverendus dominus Hieronymus Fuscherus, episcopus Torcellanus, Venetus.

Reverendus dominus Hieronymus de Theodolis, episcopus Gaditanus, Forolivienſis.

Reverendus dominus Joannes Lucius Staphyleus, episcopus Sibinicenſis, Illyricus.

Reverendus dominus Hieronymus Vida, episcopus Albenſis, Cremonenſis.

Reverendus dominus Jacobus Cortesius a Praso, episcopus Vasionenſis, Romanus.

Reverendus dominus Alexander de Ursis, episcopus Emonienſis, Venetus.

SESSIO VIII. 11. Martii 1547.

Reverendus dominus Georgius Cornelius, episcopus Tarvisinus, Venetus.

Reverendus dominus Joannes Campegius, episcopus Parentinus, Bononiensis.

Reverendus dominus Ludovicus Simonetta; episcopus Pisaurienſis, Mediolanenſis.

Reverendus dominus Aloysius Lipomanus, episcopus Mothonenſis, coadjutor Veronenſis, Venetus.

Reverendus dominus Philippus Archintus; episcopus Salutarium, vicarius sanctissimi domini nostri papæ in Urbe, Mediolanenſis.

Reverendus dominus Joannes Ferretus episcopus Mylenſis, Ravennatenſis.

Reverendus dominus Ægidius Falsetta, episcopus Caprulan. Cingulanus.

Reverendus dominus Richardus Parus, episcopus Wigornienſis, Anglicus.

Reverendus D. Marcus Maliperius, episcopus Corsulan. Venetus.

Reverendus dominus Jacobus Jacobellus, episcopus Bellicastrenſis, Romanus.

Reverendus dominus Thomas Caselus, episcopus Britonorienſis, Rossanenſis.

Reverendus dominus Joannes Baptista Cicada, episcopus Albiganenſis, auditor cameræ apostolicæ, Gienenſis.

Reverendus dominus Philippus Bonus, episcopus Famaugustenſis, Venetus.

Reverendus dominus Gregorius Castagnola, episcopus Milenſis, Græcus.

Reverendus dominus Petrus Donatus Cæsius, episcopus Narnienſis, de Cæsis.

Reverendus dominus Sebastianus Pighinus, episcopus Aliphanus, Romanæ rotæ auditor, Rhegienſis.

Reverendus dominus Ambrosius Catharinus Politus, episcopus Minoricenſis, Senenſis.

Abbates.

Reverendus dominus Lucianus de Othonibus, abbas Pomposiæ Ferrarienſis, Mantuanus.

Reverendus dominus Chrysostomus Gimilianenſis, abbas sanctissimæ Trinitatis de Cajeta, Calaber.

Generales.

Reverendus pater Franciscus Romæus, generalis ordinis Prædicatorum, Aretinus.

Reverendus pater Hieronymus Seripandus, generalis ordinis eremitarum sancti Augustini, Neapolitanus.

Reverendus pater Augustinus Bonucius, generalis ordinis sanctæ Mariæ Servorum, Aretinus.

Angelus Massarellus, sacri concilii secretarius.

Patres qui non consenserunt in translationem concilii.

Reverendissimus & illustrissimus dominus dominus Petrus Pacecus, sanctæ Romanæ ecclesiæ presbyter cardinalis, & episcopus Gienenſis, Hispanus.

SESSIO VIII. 11. Martii 1547.

Archiepiscopi,

Reverendus dominus Salvator Alexius Sallarus, archiepiscopus Turritanensis, Hispanus.

Reverendus dominus Petrus Tagliavia, archiepiscopus Panormitanus, Siculus.

Episcopi,

Reverendus dominus Marcus, Vigerius, episcopus Senogallienſis, Saonenſis.

Reverendus dominus Braccius Martellus, episcopus Fæsularum, Florentinus.

Reverendus dominus Coriolanus Martyranus, episcopus ſancti Marci, Neapolitanus.

Reverendus dominus Baltaſar de Hæredia, episcopus Roſſanenſis, Sardus.

Reverendus dominus Joannes Fonſeca, episcopus Caſtelli maris, Hiſpanus.

Reverendus dominus Joannes Salazar, episcopus Lancianenſis, Hiſpanus.

Reverendus dominus Hierothymus de Bononia, episcopus Syracuſanus, Siculus.

Reverendus dominus Franciſcus de Navarra, episcopus Pacenſis, Hiſpanus.

Reverendus dominus Didacus de Alaba, episcopus Aſtoricenſis, Hiſpanus.

Reverendus dominus Petrus de Auguſtinis, episcopus Oſcenſis, Hiſpanus.

Reverendus dominus Bernardus Diaz, episcopus Calagurritanus, Hiſpanus.

Reverendus dominus Antonius de Cruce, episcopus Canarienſis, Hiſpanus.

Reverendus dominus Baltaſar Limpus, episcopus Portuenſis, Portugalenſis.

Reverendus dominus Claudius de la Guiſche episcopus Mirapicenſis, Gallus.

Reverendus dominus Galeatius Florimantius, episcopus Aquinatenſis, Sueſſanus.

SESSIO NONA.

Bononiæ celebrata die vigeſimaprima menſis Aprilis, MDXLVII.

DECRETUM PROROGATIONIS ſeſſionis.

SESSIO IX. 21. April. 1547.

HÆC ſacroſancta œcumenica & generalis ſynodus, quæ dudum in civitate Tridentina congregata erat, nunc Bononiæ in Spiritu ſancto legitime congregata, præſidentibus in ea, nomine ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri domini Pauli, divina providentia papæ tertii, eiſdem reverendiſſimis dominis dominis Joanne Maria, epiſcopo Præneſtino, de Monte, & Marcello, tituli ſanctæ Crucis in Jeruſalem presbytero, ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalibus, & apoſtolicis de latere legatis: conſiderans, quod die undecima menſis Martii præſentis anni, in generali publica ſeſſione in eadem civitate Tridenti, & in loco conſueto celebrata, omnibuſque agendis de more peractis, ex cauſis tunc inſtantibus, vigentibus, & legitimis; interveniente etiam auctoritate ſanctæ ſedis apoſtolicæ; eiſdem reverendiſſimis præſidentibus etiam ſpecialiter conceſſa, decrevit & ordinavit, concilium ex eo loco in hanc civitatem transferendum eſſe, ſicuti tranſtulit; itemque ſeſſionem pro præſenti die vigeſimaprima Aprilis illic inductam, ut de ſacramentorum, & reformationis materiis, de quibus tractandum propoſuerat, canones ſancirentur & promulgarentur, in hac ipſa civitate Bononiæ celebrari debere: conſideranſque nonnullos ex patribus, qui in hoc concilio intereſſe conſueverunt, his ſuperioribus majoris hebdomadæ, & ſolennitatis paſchalis diebus, in propriis eccleſiis occupatos, aliquos etiam aliis impedimentis detentos, huc nondum acceſſiſſe, quos tamen brevi adfuturos ſperandum eſt, ac propterea factum eſt, ut non ea, quam ſancta ſynodus deſiderabat, prælatorum frequentia potuerint materiæ ipſæ ſacramentorum & reformationis examinari & diſcuti: ut omnia maturo conſilio cum dignitate & gravitate debita fiant, bonum, opportunum & expediens cenſuit, cenſetque, ſeſſionem prædictam, quæ hoc ipſo die, ut præfertur celebranda erat, ad diem Jovis infra octavam pentecoſtes proxime futuram, quoad ipſas materias expediendas, differendam & prorogandam eſſe, quemadmodum differt ac prorogat; quam diem & rei gerendæ maxime opportunam, & patribus præſertim abſentibus percommodam judicavit & judicat: hoc tamen adjecto, quod terminum ipſum ipſa ſancta ſynodus pro ejus arbitrio & voluntate, ſicuti rebus concilii putaverit expedire, etiam in privata congregatione reſtringere & imminuere poſſit & valeat.

ANNO CHRISTI 1547.

Nomina, cognomina & patriæ prælatorum qui interfuerunt nonæ ſeſſioni.

Præſidentes & legati iidem qui in præcedenti ſeſſione.

Archiepiscopi.

Reverendus dominus Jacobus Caucus, archiepiscopus Corcyrenſis, Venetus.

Et alii qui in præcedenti ſeſſione, præter Olaum magnum.

Episcopi.

Reverendus dominus Marcus Antonius Campegius, epiſcopus Groſſetan. Bononienſis.

Reverendus dominus Dionyſius, Græcus, epiſcopus Chironenſis & Milopotamenſis, Græcus.

Reverendus dominus Joannes Baptiſta Campegius, epiſcopus Majoricenſis, Bononienſis.

Reverendus dominus Petrus Boriſtius, epiſcopus Aquenſis, Flandrus.

Reverendus dominus Auguſtinus Zannettus, epiſcopus Sebaſtenſis, Bononienſis.

Reverendus dominus Eliſeus Theodinus, epicopus Soranus, Arpinas.

Reverendus dominus Vincentius de Durantibus, epiſcopus Thermularum, Brixienſis.

Reverendus dominus Cornelius Muſſus, epiſcopus Bituntinus, Placentinus.

Reverendus dominus Galeatius Florimantius, epiſcopus Aquinatenſis, Sueſſanus.

Reverendus dominus Camillus Mantuanus, epiſcopus Satuanenſis, Placentinus.

Et alii omnes qui in præcedenti ſeſſione, demptis his decem, epiſcopo Feltrenſi, Torcellano, Gaddicenſi, Albenenſi, Emonienſi, Parentino, Piſaurienſi, Albiganenſi, Mylenſi, Narnienſi. Exceptis etiam illis qui non conſenſerunt tranſlationi concilii, præter Galeatium Florimantium epiſcopum Aquinatenſem, Sueſſanum.

Abba-

ANNO CHRISTI 1547.

Abbates.

Reverendus dominus Chryſoſtomus Gimilianenſis, abbas ſanctiſſimæ Trinitatis de Cajeta, Calaber.

Generales ordinum iidem qui in præcedenti.

Et adhuc reverendus pater Bonaventura Pius, generalis ordinis Minorum conventualium, Coſtacciarus.

Angelus Maſſarellus, ſacri concilii ſecretarius.

B

SESSIO DECIMA.

Bononiæ celebrata die ſecunda menſis Junii MDXLVII.

DECRETUM PROROGATIONIS ſeſſionis.

SESSIO X. 2. Junii. 1547.

QUAMVIS hæc ſacroſancta œcumenica & generalis ſynodus ſeſſionem, quæ die vigeſimaprima menſis Aprilis proxime præteriti, ſuper ſacramentorum & reformationis materiis in hac inclyta civitate Bononiæ, ex decreto in urbe Tridentina in publica ſeſſione die undecima menſis Martii promulgato, celebranda erat; propter aliquas cauſas, ac præſertim propter abſentiam nonnullorum patrum, quos brevi adfuturos ſperabat, ad hunc præſentem diem differendam & prorogandam eſſe decreverit; volens tamen cum his, qui non venerunt, etiam adhuc benigne agere, eadem ſacroſancta ſynodus in Spiritu ſancto legitime congregata, præſidentibus in ea eiſdem ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalibus & apoſtolicæ ſedis legatis, ſtatuit & decernit, ſeſſionem ipſam, quam hac die ſecunda menſis Junii præſentis anni milleſimi quingenteſimi quadrageſimi ſeptimi celebrare decreverat, ad diem Jovis poſt feſtum nativitatis beatæ Mariæ virginis, quæ erit decimaquinta menſis Septembris proxime futuri, quoad prædictas & alias materias expediendas, differendam & prorogandam eſſe, quemadmodum differt & prorogat: ita tamen, quod perſecutio diſcuſſionis & examinationis eorum, quæ tam ad dogmata quam ad reformationem pertinent, interim non omittatur, & terminum ipſum ipſa ſancta ſynodus pro ejus libito & voluntate, etiam in privata congregatione, abbreviare & prorogare libere poſſit & valeat.

C

D

Reverendi prælati qui interfuerunt decimæ ſeſſioni.

Præſidentes & legati.

E

Reverendiſſimus & illuſtriſſimus dominus dominus Joannes Maria, epiſcopus Prænestinus de Monte, Aretinus, reverendiſſimus & illuſtriſſimus dominus dominus Marcellus, tituli ſanctæ Crucis in Jeruſalem presbyter, Cervinus, Politianus, ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinales, ſacri concilii præſidentes, & apoſtolici de latere legati.

Reverendi domini archiepiſcopi.

Antibarenſis, Corcyrenſis, Materanenſis & Acheruntinus, Naxienſis, Upſalenſis, Armathanus.

SESSIO X. 2. Junii. 1547.

Reverendi domini epiſcopi.

Aſculanus, Feltrenſis, Aſcienſis, Militenſis, Bononienſis, Iſernienſis, Sibinicenſis, Groſſetanus, Chironenſis & Milopotamenſis, Majoricenſis, Aquenſis, Sebaſteenſis, Soranus, Vaſionenſis, Mothonenſis, Jeracenſis, Saluciarum, Mylenſis, Thermularum, Caprulanenſis, Wigornienſis, Cavellicenſis, Bituntinus, Corſulanus, Bellicaſtrenſis, Venuſinus, Britonorienſis, Aquinatenſis, Famauguſtanus, Lavelenſis, Milenſis, Alphanus, Minorienſis.

Abbates.

Reverendus dominus Chryſoſtomus Gimilianenſis, abbas ſanctiſſimæ Trinitatis de Cajeta, Calaber.

Geuerales ordinum.

Reverendus pater Bonaventura Pius, generalis ordinis Minorum conventualium, Coſtacciarus: reverendus pater Auguſtinus Bonucius, generalis ordinis ſanctæ Mariæ Servorum, Aretinus.

Angelus Maſſarellus, ſacri concilii ſecretarius.

** Die XIV. Septemb. MDXLVII. in congregatione generali Bononiæ prorogata fuit ſeſſio quæ futura erat die ſequenti, ad beneplacitum ſacri concilii.

SESSIO UNDECIMA.

PROROGATIO,

Acta in generali congregatione, habita die Mercurii decimaquarta menſis Septembris, anni milleſimi quingenteſimi quadrageſimiſeptimi, ſuper prorogatione undecimæ ſeſſionis Bononienſis.

In nomine domini noſtri Jeſu Chriſti. Amen.

ANNO a nativitate ejuſdem milleſimo quingenteſimo quadrageſimoſeptimo, indictione quinta, die vero Mercurii decimaquarta menſis Septembris, pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri domini Pauli, divina providentia papæ tertii, anno tertiodecimo, Bononiæ in domo Campegiorum, & ſolitæ reſidentiæ reverendiſſimorum & illuſtriſſimorum dominorum, ſacri concilii præſidentium, & apoſtolicorum de latere legatorum, & in aula, ubi generales congregationes fieri conſueverunt, hora circiter vigeſimaprima, habita fuit congregatio generalis patrum ipſius ſacri concilii: in qua quidem congregatione primum, more ſolito, reverendiſſimus & illuſtriſſimus dominus Joannes Maria, epiſcopus Prænestinus, cardinalis de Monte, ipſius ſacri concilii præſidens & legatus, invocavit auxilium ſancti Spiritus, legens alta & intelligibili voce infraſcriptam orationem, videlicet:

Adſumus domine ſancte Spiritus, adſumus quidem peccati immanitate detenti, ſed in nomine tuo ſpecialiter aggregati, veni ad nos, & eſto

ANNO CHRISTI 1547.

esto nobiscum, & dignare illabi cordibus nostris, doce nos quid agamus, quo gradiamur, & ostende quid efficere debeamus, ut te auxiliante, tibi complacere in omnibus valeamus. Esto salus & effector judiciorum nostrorum, qui solus cum Deo Patre & ejus Filio nomen possides gloriosum. Non patiaris perturbatores esse justitiæ, qui summam diligis æquitatem. Non in finistrum nos ignorantia trahat, non favor inflectat, non acceptio munerum vel personæ corrumpat: sed junge nos efficaciter tibi solius tuæ gratiæ dono, ut simus in te unum, & in nullo aberremus a vero: quantenus in nomine tuo collecti, sic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis justitiam, ut hic a te in nullo dissentiat sententia nostra & in futuro pro bene gestis consequamur præmia sempiterna.

Qua oratione absoluta, idem reverendissimus & illustrissimus dominus cardinalis de Monte, præsidens & legatus præfatus, allocutus fuit patres his verbis, videlicet:

Dies crastina, sanctissimi patres, ut dominationes vestræ sciunt, erit ea dies, quæ statuta fuit a nobis ad sessionem celebrandam. Quot quantisque, & quam diversis circumveniamur angustiis, difficultatibus & impedimentis, nemo est qui non videat. Nondum venerunt prælati complures, quos scimus arripuisse iter, ac præsertim piæ & inclytæ nationis Gallicanæ. Aliqui venerunt hodie, heri, nudiustertius, nudiusquartus, denique tam de repente, ut non potuerint seipsos & animum suum informare in materia tam gravi, ampla & diffusa, prout est hæc sacramentorum ecclesiæ, & abusuum innumerabilium, qui in ministerio ipsorum sacramentorum irrepserunt. Sed quid loquimur de absentibus, aut de iis qui nuper venerunt, cum illi, qui semper fuerunt præsentes, & tota æstate versati sunt in disputationibus & examinationibus, & in audiendo privatim, & publice minores theologos, adhuc parati non sint, neque esse potuerint? His difficultatibus accedit atrocitas insperati casus illustrissimi ducis Placentiæ, qui nos ita detinet occupatos in tuenda libertate civitatum ecclesiæ, ut nosipsi neque per horam quidem vel punctum temporis liberi simus. Lætamur, & gratias agimus Deo, quod in decreto proximæ præteritæ sessionis fuerit addita illa clausula in fine, prorogandi & restringendi terminum, etiam in privata congregatione, &c. per quam certe magna cura & solicitudine levamur, cum non oporteat nos imparatos ad ecclesiam accedere, ut sessionem celebremus. Itaque, ne diutius dominationes vestras perplexas detinеamus, consilium nostrum est, (quid dicimus consilium? quinimo necessitas) ut beneficio illius decreti & clausulæ nos juvemus, prorogando nunc terminum sessionis, & omittendo crastina die celebrationem. Cupimus intelligere, utrum placeat dominationibus vestris consilium nostrum. Hoc puncto absoluto, agemus de tempore.

Super qua re rogatis sententiis patrum, placuit omnibus sessionem ipsam, quæ die crastina celebranda erat, prorogari.

Deinde idem reverendissimus & illustrissimus dominus cardinalis de Monte, præsidens & legatus præfatus, prosequendo sermonem suum dixit infrascripta verba, videlicet:

Multum cogitavimus de tempore hujus prorogationis: nullam tandem invenimus in mente nostra rationem, in qua possimus figere pedem pro aliquo die certo. Certi esse non possumus quando erimus parati in materiis nostris, ita ut super ipsis possit promulgari decretum. Scimus quod cum essemus Tridenti, & crederemus spatio quindecim dierum expediri posse decretum justificationis, coacti fuimus insudare in eo septem continuis mensibus non intermittendo unam diem, & habendo sæpe duas congregationes in uno & eodem die. Ubi agitur de fide, de dogmatibus, de confundendis hæreticis, oportet nos cum pede plumbeo procedere, & interdum in unius verbuli discussione longo tempore immorari. Occurrunt nobis etiam aliæ difficultates permultæ: sed quæ nos acrius & vehementius urget, est, quia eam videamus esse conditionem temporum, & ita esse tempora præparata, & disposita ad producendas res novas, ut nesciamus, neque pro firmo & constanti asserere possimus, utrum necessitas nobis futura sit celebrandi sessionem perendie, ex aliquo novo & insperato emergenti & incidenti, vel hinc ad octo dies, vel ad unum mensem, vel plures. Propterea sumus hujus sententiæ, ut si velimus caute & prudenter agere, debeamus facere prorogationem ipsam ab beneplacitum concilii; hoc modo, & hac ratione, erit semper sacro concilio liberum & integrum, ut possit celebrare sessionem tunc & quando noverit ita honori divino, & rationibus ipsius concilii, & reipublicæ, expedire. Sic denique putamus ex usu esse præsentis temporis. Sciunt patres nos semper habuisse oculos ad conservandum jus & auctoritatem concilii, & ad bene dirigendum & ordinandum ipsum concilium: credere debent nos non mutasse animum: & propterea possunt habere aliquam fidem in nobis, & quoad hoc se nobiscum conformare; habentes pro certo, quod nos bene considerabimus quid deceat & expediat in præsenti rerum & temporum statu. Una tantum ratio posset forte aliquid scrupuli injicere in mente alicujus, videlicet quia si patres scirent diem certum sessionis, possent aliqui ex eis melius consulere rebus suis propriis una ratione, vel alia. Credimus quod hæc hæsitatio haud longo tempore durabit, & quod unusquisque post non multos dies videre poterit quem cursum & quem progressum sit sancta hæc synodus habitura. Et nihilo minus, capiendo rem in quemcumque sensum, etiam asperiorem, & in quocumque eventu, possunt patres sperare, & sibi polliceri de nobis, quod non erimus secundiores, quam hactenus fuerimus; & quod ita semper publica dirigemus, ut privatæ patrum commoditatis rationem (quantum fieri poterit) habeamus. Sit igitur conclusio, quod hujus sententiæ & opinionis sumus, ut, si patribus ita videatur & placeat, hæc prorogatio fiat ad beneplacitum concilii. Unusquisque dicat libere, more solito, sententiam suam, prout reipublicæ Christianæ, honori concilii, commoditati patrum putaverit expedire, & Spiritus sanctus suggesserit ei. Quæcumque a nobis dicta sunt, nulla alia ratione dicta esse censeri volumus, quam pro majori patrum informatione; quia multi a nobis perierunt, utquid in hac re sentiremus, patribus aperire vellemus.

Postea patres dixerunt sententias suas, & omnibus placuit, sessionem ipsam, quæ die crastina juxta decretum publicatum in proxima præcedenti sessione, die secunda Junii præsentis anni celebranda erat, prorogandi ad beneplacitum sacri concilii. Et ita fuit conclusum decretum & firmatum. Deinde dimittitur congregatio,

ANNO CHRISTI 1547.

ANNO CHRISTI 1547. gatio, & patres omnes receſſerunt circa horam vigeſimatertiam.

Interfuerunt huic ſeſſioni patres præcedentis ſeſſionis, præterquam ſequentes:

Archiepiſcopi.

Reverendus dominus archiepiſcopus Antibarenſis, Venetus, reverendus dominus archiepiſcopus Corcyrenſis, Venetus.

Epiſcopi.

Reverendus dominus epiſcopus Aſculanus, Ferrarienſis, reverendus dominus epiſcopus Militenſis, Romanus, reverendus dominus epiſcopus Soranus, Arpinas.

Orator Chriſtianiſſimi regis.

Illuſtriſſimus dominus Claudius Durfè, Gallus.

ANNO CHRISTI 1550. BULLA RESUMPTIONIS CONCILII TRIDENTINI SUB JULIO III. pontifice maximo.

Julius epiſcopus ſervus ſervorum Dei ad futuram rei memoriam.

Cum ad tollenda religionis noſtræ diſſidia, quæ in Germania longo tempore, non ſine totius Chriſtiani orbis perturbatione & ſcandalo, viguerunt, bonum, opportunum & expediens eſſe videatur, ſicuti etiam cariſſimus in Chriſto filius noſter Carolus Romanorum imperator ſemper Auguſtus nobis per ſuas literas & nuntios ſignificari fecit, ut ſacrum œcumenicum & generale concilium per felicis recordationis Paulum papam tertium prædeceſſorem noſtrum indictum, & per nos, tunc cardinalatus honore fungentes, atque ipſius prædeceſſoris nomine, una cum duobus aliis ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalibus, ipſi concilio præſidentes, inceptum, ordinatum & continuatum, in quo plures publicæ & ſolennes habitæ fuerunt ſeſſiones, pluraque tam in cauſa fidei quam reformationis promulgata decreta, multaque etiam ad utramque cauſam pertinentia, examinata & diſcuſſa, ad civitatem Tridentinam reducatur: nos, ad quos, & ſummos pro tempore pontifices, ſpectat generalia concilia indicere, & dirigere, ut eccleſiæ pacem, & Chriſtianæ fidei atque orthodoxæ religionis incrementum ad omnipotentis Dei laudem & gloriam procuremus, &, quantum in nobis eſt, tranquillitati ipſius Germaniæ, quæ ſane provincia retroactis temporibus in vera religione, ac ſacrorum conciliorum & ſanctorum patrum doctrina excolenda, exhibendaque, maximis pontificibus Chriſti redemptoris noſtri in terra vicariis, debita obedientia & reverentia, nulli Chriſtianorum provinciæ fuit unquam ſecunda, paterne conſulamus; ſperantes per ipſius Dei gratiam & benignitatem futurum, ut reges omnes ac principes Chriſtiani, juſtis piiſque noſtris in hac re votis annuant, faveant, atque aſſiſtant, venerabiles fratres patriarchas, archiepiſcopos, epiſcopos, & dilectos filios abbates, omneſque alios & ſingulos, qui de jure vel conſuetudine, vel privilegio, conciliis generalibus intereſſe debent, quoſque idem prædeceſſor noſter ſuis indictionis, & aliis quibuſcumque de-

Nicol. I. ep. ad Mich. Imp. &c.

ſuper confectis & publicatis literis concilio intereſſe voluit, per viſera miſericordiæ domini noſtri Jeſu Chriſti hortamur, requirimus, & monemus, ut proximis futuris Kalendis Maii, quem diem ad ipſum concilium in eo, in quo nunc reperitur ſtatu reſumendum, & proſequendum, prævia matura deliberatione, & ex certa noſtra ſcientia, & de apoſtolicæ auctoritatis plenitudine, ac venerabilium fratrum noſtrorum ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalium conſilio & aſſenſu, ſtatuimus, decernimus, & declaramus in ipſa civitate Trideuti, legitimo ceſſante impedimento, convenire & ſe congregare, ac ipſius concilii continuationi & proſecutioni, omni mora poſtpoſita, incumbere velint. Nos enim operam ſedulo daturi ſumus, ut eodem tempore, in eadem civitate noſtri omnino adſint legati, per quos (ſi per ætatem noſtram, valetudinemque, & ſedis apoſtolicæ neceſſitates perſonaliter adeſſe nequiverimus) Spiritu ſancto duce, ipſi concilio præſidebimus, quacumque ipſius concilii tranſlatione & ſuſpenſione, ceteriſque contrariis non obſtantibus quibuſcumque, ac præſertim illis quæ idem prædeceſſor noſter in ſuis literis prædictis, quas cum omnibus & ſingulis in eis contentis clauſulis & decretis in ſuo robore permanere volumus, atque decernimus, & quatenus opus ſit, innovamus, voluit non obſtare: irritum nihilo minus decernentes & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum hortationis, requiſitionis, monitionis, ſtatuti, declarationis, voluntatis, innovationis, & decretorum infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno incarnationis dominicæ milleſimo quingenteſimo quinquageſimo, decimo octavo Kalendas Decembris, pontificatus noſtri anno primo.

M. Car. Creſcentius.
Rom. Amaſæus.
R. per Romulum ſecret.
R. de ſancta Maria.

ANNO CHRISTI 1550.

Julius papa III. ad futuram rei memoriam.

Superioribus diebus de venerabilium fratrum noſtrorum ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalium conſilio, ex cauſis tunc expreſſis, apoſtolica auctoritate decrevimus, quod ſacrum œcumenicum & univerſale concilium Tridentum, ubi olim inceptum fuerat, reduci, & ibi (adjuvante domino) terminari deberet, tempuſque ad illud reſumendum & proſequendum Kalendas Maii proxime futuri præfiximus, omneſque & ſingulos quomodolibet in eo intereſſe debentes hortati fuimus & monuimus, ut dicto tempore Trideuti eſſe vellent, prout in noſtris ſub plumbum deſuper expeditis literis plenius continetur. Ne autem, propterea quod dictæ literæ nondum publicatæ fuerunt, aliqui ignorantiam rei ullo modo prætexere poſſint, ſed omnes plenam illius notitiam habeant, dicta auctoritate per præſentes ordinamus, quod tam prædictæ, quam præſentes literæ, per aliquem ex noſtris curſoribus in baſilicis ſancti Petri de Urbe & ſancti Joannis Lateranenſis, dum ibi divina celebrantur, publice ac alta & intelligibili voce legatur, poſtquam

lectæ

ANNO CHRISTI 1550.

lectæ fuerint, valvis ipsarum basilicarum affigantur, & ibi aliquamdiu dimittantur, & relicta postea illarum copia, amoveantur: decernentes publicationem faciendam omnes & singulos ipsius concilii celebrationi quomodolibet interesse debentes, perinde arctare, ac si eis personaliter intimatæ fuissent: quodque ipsarum literarum transumptis, etiam impressis, manu alicujus notarii subscriptis, ac sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis originalibus adhiberetur: ac hortantes & in domino requirentes omnes & singulos venerabiles fratres nostros, patriarchas & archiepiscopos, ad quos ipsarum literarum exempla impressa transmitti curabimus, ut pro suo officio & debito id eorum suffraganeis, & aliis minoribus prælatis, & abbatibus notificent: contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris, die vigesimaseptima Decembris, millesimo quingentesimo quinquagesimo, pontificatus nostri anno I.

ANNO CHRISTI 1551.

MANDATUM JULII TERTII SUMMI PONTIFICIS, IN REDUCTIONE CONCILII ad civitatem Tridentinam.

Julius episcopus servus servorum Dei dilecto filio Marcello, tituli sancti Marcelli presbytero cardinali, Crescentio nuncupato, nostro & apostolicæ sedis ad concilium Tridentinum legato de latere, & venerabilibus fratribus Sebastiano Pighino archiepiscopo Sipontina, ac Aloysio Lipomano episcopo Veronensi, nostris & ipsius sedis, ac in dicto concilio una cum eodem Marcello cardinali & legato, nomine nostro ad præsidendum nunciis, salutem & apostolicam benedictionem.

Ad prudentis patrisfamilias officium spectat ea, quæ per seipsum commode efficere non potest, ut per alios idoneos fiant, diligenter curare. Dudum siquidem, cum ex certis tum expressis causis bonum, opportunum & expediens esse videretur, ut sacrum œcumenicum & generale concilium, per felicis recordationis Paulum papam tertium prædecessorem nostrum indictum ad civitatem Tridentinam reduceretur, nos sperantes per omnipotentis Dei gratiam & benignitatem futurum, ut reges omnes & principes Christiani justis piisque nostris in hac re votis annuerent, faverent, & assisterent, venerabiles fratres nostros patriarchas, archiepiscopos & episcopos, ac dilectos filios abbates, omnesque alios & singulos, qui de jure vel consuetudine, aut privilegio conciliis generalibus interesse debent, hortati fuimus, requisivimus & monuimus, ut proxime futuris Kalendis Maii, quam diem ad ipsum concilium, in eo quo reperitur statu resumendum, prævia matura deliberatione, ex certa nostra scientia, & de apostolicæ potestatis plenitudine, ac venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium consilio & assensu, statuimus, decrevimus & declaravimus in ipsa civitate Tridentina, legitimo cessante impedimento, convenire & se congregare, ac ipsius concilii continuationi & prosecutioni, omni mora postposita, incumbere vellent, prout in aliis nostris inde confectis literis plenius continetur. Nos igitur, qui ætate nostra jam ingravescente & aliis multipliciter impediti, ad dictam civitatem ad præsens A personaliter accedere, & ipsi concilio juxta desiderium cordis nostri interesse nequimus, volentes resumptionem, continuationem & prosecutionem concilii hujusmodi ex nostra absentia non impediri, te, fili Marcelle cardinalis, fide ferventem, prudentia, scientia ac rerum usu conspicuum, nostrum & apostolicæ sedis ad concilium hujusmodi legatum de latere, ac vos, fratres Sebastiane archiepiscope, & Aloysi episcope, pietate & doctrina, ac rerum experientia insignes, nostros & ipsius sedis ad dictum concilium una tecum, fili Marcelle cardinalis & legate, nomine nostro præsidendum nuncios cum speciali & expresso mandato, nec non ratihabitionibus & aliis clausulis in similibus apponi solitis, de simili eorumdem fratrum nostrorum consilio, apostolica auctoritate tenore præsentium constituimus & deputamus, vosque ad dictam civitatem Tridentinam, tanquam pacis angelos, destinamus, ac vobis nomine & auctoritate nostra eidem concilio præsidendi, ac illud reassumendi, continuandi, dirigendi & prosequendi, nec non in illo pro vestra pietate & sapientia ea omnia, quæ in præmissis & circa ea necessaria, & alias quomodolibet opportuna esse, ac alias ad laudem & honorem Dei pertinere noveritis, etiamsi magis speciale mandatum exigant, juxta nostrarum prædictarum, ac indictionis & aliarum ipsius prædecessoris super præmissis confectarum, & publicatarum literarum formam faciendi & exercendi plenam & liberam auctoritate & tenore prædictis concedimus potestatem & auctoritatem. Hoc itaque munus vobis injunctum ita implere studeatis, ut sperati fructus inde proveniant, vosque a nobis commendationem, & a Deo bonorum operum retributore felicitatis æternæ gloriam consequi mereamini. Datum pontificatus nostri anno secundo.

ANNO CHRISTI 1550.

MANDATUM IMPERATORIS.

Carolus quintus divina favente clementia Romanorum imperator semper Augustus, ac rex Germaniæ, Hispaniarum, utriusque Siciliæ, Jerusalem, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. archidux Austriæ, dux Burgundiæ, Brabantiæ, comes Habspugi, Flandriæ & Tyrolis, &c.

Cum beatissimus in Christo pater & dominus dominus noster Julius tertius, divina providentia sanctæ Romanæ ac universalis ecclesiæ pontifex maximus, D. N. R. sacrum œcumenicum & generale concilium, per sanctitatis suæ prædecessorem felicis recordationis Paulum papam tertium, indictum & inceptum & aliquandiu intermissum ad tollenda religionis nostræ dissidia, quæ in Germania longo tempore, maxima totius orbis Christiani perturbatione viguerunt, denuo ad civitatem Tridentinam revocaverit, ac per literas suæ sanctitatis ad Kalendas Majas proxime præteritas convocaverit: nos vero ob adversam valetudinem, eum qua aliquamdiu jam continuo ferme conflictamur, tum aliis negotiis impediti, cum eidem concilio uti cupiebamus personaliter interesse non possimus; ne tamen muneri nostro in re tam ardua defuisse videamur, operæpretium duximus, mandatarios & procuratores nostros eo ablegare, ac proinde confisi de fide, probitate & rerum experientia, ac erga sacrosanctam religionem nostram orthodoxam zelo & pietate venerabilium, devotorum, ac generositate nobilium fidelium, nobis dilecto-

ANNO CHRISTI 1551. P. f. Roncevollensis

lectorum Hugonis comitis a Monfort, dom. Franciſci a Toleto prioris monaſterii Reconvallenſis, & Guilielmi a Pictavia archidiaconi Campaniæ, conſiliariorum noſtrorum, eoſdem tam ratione imperialis noſtræ dignitatis, quam ſuſtinemus, quam regnorum, & provinciarum hereditario jure nobis ſpectantium, conjunctim, & ſeparatim fecimus, creavimus, conſtituimus, & ordinavimus, atque exnunc tenore præſentium, ex certa animi noſtri ſcientia, & omnibus aliis melioribus medio, via, jure & cauſa, quibus validius & efficacius poſſumus & debemus, ſolenniter facimus & creamus, conſtituimus & ordinamus noſtros veros legitimos & indubitatos oratores & mandatarios: dantes eis, & cuilibet eorum in ſolidum, amplam facultatem & poteſtatem, ut omnes ſimul, aut tres, duo, vel unus ipſorum, nomine noſtro in dicto concilio œcumenico comparere, in omnibus ſeſſionibus noſtrum locum uti oratores & mandatarii noſtri habere, res & negotia religionis & fidei, & alia quæcumque in prædicto concilio tractanda, una cum aliis ibidem ſtantibus reipublicæ Chriſtianæ principibus, eorumve legatis, oratoribus, mandatariis conſultare, agere & tractare, illiſque omnibus & per omnia adeſſe, conſilium, votum & decretum noſtro nomine dare, impartiri ac interponere, aliaque omnia tractare, procurare, agere, concludere & exercere debeant & poſſint, quæ ad Dei gloriam, fidei unionem & exaltationem, & reipublicæ Chriſtianæ honorem, commodum & augmentum pertinere, & in ipſo concilio expedire viſa fuerint, & quæ nos ipſi agere, tractare, procurare & facere poſſemus, ſi præmiſſis omnibus & ſingulis perſonaliter intereſſemus; etiamſi talia eſſent, quæ mandatum exigerent magis ſpeciale, quam præſentibus eſt expreſſum: ponentes idcirco præfatos oratores & mandatarios noſtros, quoad præmiſſa, in locum & vicem perſonæ noſtræ; promittentes in verbo noſtro Cæſareo, nos habituros ratum, & gratum quidquid per ipſos oratores mandatarios noſtros, tres aut duos, vel unum ipſorum, ad modum prænarratum, actum, procuratum & geſtum fuerit, dolo & fraude penitus ſemotis: harum teſtimonio literarum, ſigilli noſtri appenſione munitarum.

Datum in civitate noſtra imperiali Auguſta Vindelica, die primo menſis Julii, anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimoprimo, imperii noſtri trigeſimoprimo, & regnorum noſtrorum trigeſimoſexto.

CAROL.

Ad mandatum Cæſareæ & catholicæ M. proprium.

Joannes Burger.

Oratio oratoris imperatoris, poſt præſentationem ſui mandati.

Poſtquam intermiſſum annis aliquot ſacroſanctum concilium, illuſtriſſimi domini reverendi præſules, patres ampliſſimi, ad fidei & religionis Chriſtianæ incrementum, hæreſes extirpandas morumque reformationem non modo utiliſſimum, verum & neceſſarium, a ſanctiſſimo patre Julio tertio pontifice maximo Cæſar invictiſſimus in hac civitate Tridentina proſequendum impetravit; omnes tam imperii Romani quam regnorum ſuorum & patrimonialium provinciarum præſules hortari, monere, frequenter etiam orare, ut ad concilium ſe conferrent, non deſtitit: quod equidem & præſulum in hoc conventu frequentia, & illuſtriſſimorum ſacri Romani imperii electorum præſentia, vel me tacente, atteſtatur? Nec his contentus Cæſar, quo majorem teſtatioremque animi ſui erga ſacram ſynodum propenſionem oſtenderet, præter fideliſſimum, & jamdudum hoc munere fungentem dominum illuſtriſſimum Franciſcum a Toleto, " unum ex Hiſpaniarum regis ex patrimonialibus ſuis provinciis, alterum me quoque, licet indignum ex Germania, ad ipſius vices una cum illo hic gerendas, oratorem ac mandatarium conſtituit. Unde magnum animi Caroli Cæſaris invictiſſimi erga religionem Chriſtianam, ac Germanicæ nationis ſalutem extat argumentum. Ut vero voluntati clementiſſimi domini mei morem gererem, ejuſque juſſis obtemperarem, omiſſis rebus omnibus, huc me, quam diligentiſſime potui, contuli. Quamobrem ergo vos, præſules reverendiſſimi ac patres ampliſſimi, precor, ut juxta Cæſarei mandati tenorem in ejus me oratorem recipiatis. Dixit.

" Hic locus in editionibus Romana, Biniana & Lupanenſi, vitioſa interpunctione laborare videtur.

Reſponſum ſynodi ad oratores imperatoris.

Illuſtres domini, mandatum Cæſareæ majeſtatis, quod modo a dominationibus veſtris exhibitum eſt, coram patribus recitatum fuit, huic ſanctæ ſynodo jucundiſſimum nuncium attulit: quantum enim in hoc tam univerſæ Chriſtianæ reipublicæ ſalutari opere, de piiſſima hujus religione, & potentiſſimi principis animo ſibi polliceri poſſit, facile tum ex ipſius mandati lectione, tum ex perſonarum veſtrarum deſtinatione intellexit. Quare & dominationes veſtras, quas ob ſingularem earum prudentiam & religionis ſtudium magno ſibi adjumento fore ſperat, grato & benevolo animo amplectitur, mandatum ſuæ Cæſareæ majeſtatis, quantum de jure poteſt, libentiſſime admittit: & cum de his omnibus ſancta ſynodus Deo benedicto gratias aget, ſimul & divinam clementiam pro ſalute ejuſdem majeſtatis, & felici rerum ipſius eventu aſſidue precabitur.

SESSIO UNDECIMA.

Sacroſancti œcumenici & generalis concilii Tridentini, quæ eſt prima ſub Julio tertio pontifice maximo, celebrata Kalendis Maii MDLI.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii, & Spiritus ſancti. Amen.

SESSIO XI. 1. Maii 1551.

ANNO a nativitate domini milleſimo quingenteſimo quinquageſimoprimo, indictione nona, die vero Veneris prima menſis Maii, pontificatus ſanctiſſimi domini noſtri Julii, divina providentia papæ tertii, anno ſecundo, reverendiſſimus & Illuſtriſſimus Marcellus ſanctæ Romanæ eccleſiæ presbyter cardinalis de Creſcentiis, prælibati ſanctiſſimi domini papæ de latere legatus, ac reverendus dominus Sebaſtianus Pighinus archiepiſcopus Sipontinus, & Aloyſius Lipomanus epiſcopus Veronenſis, apoſtolicæ ſedis nuncii, una cum reliquis patribus, qui Tridenti aderant, de mane convenerunt in eccleſia cathedrali ſancti Vigilii civitatis Tridentinæ, in qua

SESSIO XI. 1. Maii 1551.

qua celebrarunt primam ſeſſionem hujus ſacri concilii Tridentini ſub eodem ſanctiſſimo domino noſtro Julio: ubi, celebrata prius de Spiritu ſancto ſolenni miſſa, peractiſque conſuetis ceremoniis, lectæ fuerunt literæ ejuſdem ſanctiſſimi domini noſtri papæ ſuper reaſſumptione & proſecutione ſacri œcumenici & generalis concilii Tridentini. Deinde reverendus dominus archiepiſcopus Turritanus converſus ad patres alta & intelligibili voce legit hæc quæ ſequuntur:

Decretum de reſumendo concilio.

Reverendiſſimi & illuſtriſſimi domini & reverendi patres, placetne vobis, ad laudem & gloriam ſanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ad incrementum & exaltationem fidei, & religionis Chriſtianæ, ſacrum œcumenicum & generale concilium Tridentinum, juxta formam & tenorem literarum ſanctiſſimi domini noſtri, reſumi debere, & procedendum eſſe ad ulteriora? Reſponderunt: Placet.

Indictio futuræ ſeſſionis.

Domini & illuſtriſſimi domini reverendique patres, placetne vobis proxime futuram ſeſſionem habendam & celebrandam eſſe in futuris Kalendis Septembris? Reſponderunt: Placet. Et ſucceſſive ab ipſo reverendiſſimo & illuſtriſſimo domino legato declaratum eſt concilium ipſum reſumptum eſſe, & procedendum eſſe ad ulteriora.

Ego Angelus Maſſarellus, ſacri concilii ſecretarius, ſcripta omnia, ita ut notata ſunt acta fuiſſe, &c. *in quorum fidem manu mea propria ſubſcripſi.*

Exhortatoria oratio reverendiſſimorum ſacri concilii Tridontini præſidum nomine recitata Kalendis Septembris MDLI.

Cum poſt reſtitutam huc ſynodum, patres ampliſſimi, recens iſque peropportunus ac nobis optatiſſimus duorum clariſſimorum Germaniæ præſulum, eorumdem ſacri Romani imperii principum electorum adventus magnam ſpem attulerit nobis fore, ut non ſolum multi ejuſdem nationis epiſcopi, illorum exemplo excitati, verum etiam alii quamplurimi variis ex locis propediem huc adſint, atque ita ſacrum concilium, ad Dei omnipotentis honorem proſequi & peragere liceat: nunc denique noſtras eſſe partes duximus, pro loco ac perſona quam ſuſtinemus, ut in principio & tanquam limine actionum noſtrorum, pauca verba veſtri ſimul & noſtri hortandi atque admonendi cauſa faciamus: etſi enim vos pro veſtra pietate & ſapientia ac ſtudio ſalutis animarum, in tam gravi Chriſtianæ reipublicæ tempore ac neceſſitate, bonorum ſacerdotum & paſtorum officio fungi paratos eſſe minime dubitamus: tamen tanta eſt earum rerum, quas præclare inchoatas, Deo adjuvante, perſequi, & ad exitum adducere inſtituimus, magnitudo, ut nulla, quæ nos vehementius excitet, & officii noſtri ſæpius admoneat, ſupervacanea videri debeat oratio. Tollendæ enim nobis, ut ſcitis, atque extirpandæ ſunt hæreſes: quibus non ſine maxima animarum jactura longe lateque diſſeminatis, & in dies longius ſerpentibus miſerandum in modum eccleſia ſciſſa, lacerata & perturbata eſt. Corrigenda & reformanda eſt eccleſiaſtica diſciplina, quæ jamdiu depravata atque corrupta, harum ipſarum hæreſum magna ex parte cauſa origoque extitit. Poſtremo agendum eſt de ſedandis regum inter ſe principumque diſcordiis: quibus effectum eſt ut Chriſtiana reſpublica maximas intus & foris calamitates acceperit, & impiorum hoſtium aucta potentia, noſtris autem fractis & debiſitatis viribus, ſalus jam & libertas Chriſtianorum omnium, atque adeo ipſa fides & religio in ſummum & extremum pene diſcrimen adducta ſit. Unde autem noſtræ hortationis initium aptius duxerimus, quam ut nos tantis ac tam arduis rebus non modo perficiendis, ſed ne aggrediendis quidem impares eſſe intelligamus. Quis enim oculos ad tantarum rerum molem inſpiciendam attollens inde eoſdem ad humanarum virium exiguitatem conſiderandam dejiciens, hoc non intelligat, nequaquam tanto oneri ſubeundo, ac ſuſtinendo infirmitatem humanam poſſe ſufficere? Nec vero hoc deterrendi veſtri cauſa dicimus, ſed ut noſtram imbecillitatem agnoſcentes ad Dei optimi maximi opem & miſericordiam nobis confugiendum eſt ſtatuamus. *Ex eo enim omnis*, ut inquit apoſtolus, *ſufficientia noſtra eſt*. 2. Cor. 3. Itaque in illo noſtra omnis nobis ſpes & fiducia collocanda & reponenda eſt, qui omnibus, dummodo in fide poſtulent, affluenter dat, & non improperat. Agitur ipſius religionis cauſa: agitur eccleſiæ ſalus, quam tantopere dilexit, ut eam Filii ſui unigeniti paſſione & morte redimendam putaverit: ut ſuperioribus temporibus illi nunquam defuit, ita nec hoc quidem tempore, aut in poſterum unquam, eſt defuturus. Jacta ſunt eo auctore harum rerum fere omnium fundamenta. Profecto cujus impulſu atque auxilio opus jam inſtitutum & cœptum eſt, eodem quoque vires ſubminiſtrante, & nobiſcum ſimul operante, abſolvetur. Non eſt abbreviata manus domini, ut eccleſiæ ſuæ opitulari non poſſit; neque minuta clementia, ut nolit. Cujus quidem propitiæ voluntatis erga nos, cum alia multa, tum hoc non minimum teſtimonium habemus, quod Germaniæ præſules auctoritate, prudentia, pietate præſtantiſſimos in eam mentem impulit, ut tam opportuno tempore, multis magnis, quibus impediebantur, difficultatibus conſilio & virtute ſperatis, ad hanc ſacroſanctam ſynodum accederent. Nos modo contrito & humiliato corde ſupplices ejus opem aſſidue imploremus, quemadmodum paulo ante more majorum atque inſtituto fecimus: intimo animi dolore peccata noſtra ingemiſcamus, atque in bonis operibus & dignis pœnitentiæ fructibus ambulantes, animas noſtras & corda Spiritui ſancto, tanquam ſedes ac templa munda, præbeamus; memores ejus quod ſcriptum eſt: *Mundamini qui fertis vaſa domini*. Iſai. 52. Maxima ſemper, ut vos minime præterit, patres, generalium conciliorum vis, maxima fuit auctoritas: nec enim dubium eſt quin eis, modo recte & ordine habeantur, Spiritus ſanctus ipſe præſideat. Etenim ſi dominus noſter, ubicumque duo aut tres in nomine ejus fuerint congregati, in medio eorum ſe futurum eſſe confirmavit, quis eum & ſanctum ipſius Spiritum abeſſe putet ab hujuſmodi plurimorum patrum & ſacerdotum conventu juſto atque legitimo; qui, quemadmodum hic noſter, propter cauſam fidei & religionis, propter correctionem morum, propter pacem denique & tranquillitatem eccleſiæ ſit coactus? Itaque talium conciliorum ſcita, non hominum magis quam Matth. 18.

ANNO CHRISTI 1551.

Dei

ANNO CHRISTI 1551.

Dei ipſius exiſtimantur eſſe decreta. Horum exemplum nobis, primis illis eccleſiæ temporibus, Spiritu ſancto pleni apoſtoli prodiderunt. Ad hoc remedium majores noſtri deinceps graviſſimis eccleſiæ temporibus confugerunt. Hoc Arianam illam ſectam, toto terrarum orbe diffuſam, tam inveteratam, tantis ſtudiis opibuſque potentiſſimorum principum defenſam, hoc Macedonii, Neſtorii & Eutychetis hæreſim, innumerabileſque alias ſuſtulerunt. Hoc ſæpe ſacerdotum & populi vitam ac mores reformarunt. Hoc ſeditionibus & diſcordiis aliquando agitatam eccleſiam in quietum & tranquillum ſtatum redegerunt. Quare magna ſpe, magno animo, patres, tam pias actiones & tam Chriſtiano nomini ſalutares proſequamur. Hoc munus, hæ partes, hoc officium noſtrum eſt, qui hanc ob cauſam ex tam diſtantibus ac remotis regionibus in hanc urbem convenimus. Ac primum quidem æterni Dei honor & gloria, & ſanctiſſimæ ipſius fidei ac religionis cauſa nos moveat. Nam cum propter pravos & corruptos mores, Dei venerationem, cultum & caritatem ubique imminuta, tum vero hæreſibus & impietate dogmatum, veritatem & ſinceritatem fidei nuſquam fere non contaminatam atque pollutam videamus, quis tam ingratus ac tam immemor divinorum munerum ac beneficiorum erit, qui non Dei benedicti cultum & gloriam non ceteris modo rebus anteponat, ſed vita & anima ſua habeat cariorem? Qui, ut reliqua ejus in humanum genus beneficia, quæ ſunt innumerabilia; & longe maxima, omittamus, tantopere nos figmentum manuum ſuarum luteum amavit, quamquam inimici ei eſſemus, & eo impie relicto ac repudiato muta & fragilia quædam ſimulacra coleremus, tamen perunigeniti Filii ſui mortem crudeliſſimoſque cruciatus nos ſibi reconciliaverit, & fatanæ dominatu ac peccatorum mole oppreſſos, æterniſque ſupplicüis addictos, liberarit, atque in filios ſibi in ſpem æternæ gloriæ & cœleſtis hæreditatis adoptarit. Quod ſi ejus honori & gloriæ fideles omnes tantopere inſervire oportet, quanto majore ſtudio nos, quos ille ſibi ſacerdotes elegit, ejus cultum & religionem tueri, defendere & conſervare debemus? Salus præterea nos moveat animarum, pro quibus agnus ille immaculatus dominus noſter Jeſus Chriſtus ſuum in ara crucis ſanctiſſimum & pretioſiſſimum ſanguinem effudit: quæ cum fidei & cuſtodiæ noſtræ commiſſæ & commendatæ fuerint, earum incolumitati a nobis cura & ſolicitudine providendum eſt, ſi officio noſtro ſatisfacere, ſi noſtræ ipſorum ſaluti conſulere volumus. *Jerem. 48.* *Væ enim iis, qui Dei opus negligenter faciunt.* Væ nobis, ſi tam neceſſario tempore officio ac muneri noſtro defuerimus. Quas per Ezechielem minas dominus paſtoribus oves ſibi commiſſas negligentibus intentavit? quam acriter, quam ſevere, quam atrociter gregem ſuum ſe de eorum manu requiſiturum eſſe denunciavit? Qui cum primo eorum negligentiam his verbis accuſaſſet: *Ezech. 34.* *Quod infirmum fuit, non conſolidaſtis; & quod ægrotum, non ſanaſtis; & quod confractum, non alligaſtis; & quod abjectum, non reduxiſtis; & quod perierat, non quæſiſtis*; hæc paulo poſt adjunxit: *Vivo ego, quia pro eo quod facti ſunt greges mei in rapinam, & oves meæ in devorationem omnium beſtiarum agri, ecce ego ipſe ſuper paſtores requiram gregem meum de manu eorum.* Quæ eadem fere, quamquam aliis verbis, per Jeremiam minatus eſt. *Jerem. 2.* Utinam vero, patres, hæc magno animæ diceremus cum dolore: utinam hæc tam vehemens increpatio in noſtra tempora minime conveniret, non tantum ovium numerum deſideraremus, non grex domini tantopere disjectus ac laceratus fuiſſet. Heu quis tantam ejus diſſipationem, diſſipationem autem, imo vero ſtragem, ac vaſtitatem ſatis digne poſſit deplorare? Superat omnem non orationis modo copiam, ſed vim etiam doloris, tantæ & tam luctuoſæ cladis magnitudo. Expergiſcamur igitur, expergiſcamur per viſcera miſericordiæ domini noſtri Jeſu Chriſti. Et quoniam iis quæ interierunt ovibus amplius ſubvenire non poſſumus, demus ſaltem operam ut tum ab ovili dominico abducta recuperemus, tum illas, quæ inde non exierunt, diligentius in poſterum cuſtodiamus. Non de ſalute tantum eorum agitur noſtra quoque ipſorum ſalus agitur. Neque perire illæ incuria noſtra poſſunt, quin id animabus noſtris exitioſum futurum ſit. Earum a nobis rationem in tremendo illo judicio is repoſcet, qui illas ſanguine ſuo redemptas nobis paſcendas cuſtodiendaſque commiſit. Hinc nos viventis Dei minæ commoveant, cujus in manus incidere horrendum eſt, ſi officio noſtro defuerimus: inde parata nobis laboris & ſolicitudinis futuræ merces excitet, ſi fuerit per nos dominici gregis ſaluti proſpectum atque conſultum. Omittimus laudem, quæ ab omnibus non hujus modo ætatis hominibus, ſed ab omni poſteritate ſacro huic concilio ſine dubio maxima tribuetur: & eam omittimus, propterea quod minime decet nos inanem iſtam & falſam gloriam aucupari, aut in ea ullum recte favorum fructum ponere: *Matth. 1.* *Quod qui faciunt, iis*, ut dominus in evangelio inquit, *mercedem jam ſuam receperunt*. De vera illa & ſolida & ſempiterna gloria loquimur, quæ bonis operibus a Chriſto domino noſtro promiſſa & præparata eſt. Etenim ſi iis, qui proximum ſuum eſurientem, aut ſitientem, aut nudum, cibo, potu, veſte, aut aliis hujuſmodi caritatis officiis juverint, regnum ab eo cœleſte promiſſum eſt, quanto illud magis ſperare is debebit, qui proximi & fratris ſui animam ex ipſis ſatanæ faucibus eripuerit? quid qui non de uno aut altero fratre, ſed de cuncto fidelium cœtu & univerſa republica Chriſtiana optime fuerit meritus, ipſamque Dei religionem conſiliis & laboribus ſuis inſtauraverit? quanto majora ab illo omnium bonorum operum auctore & eodem remuneratore præmia conſequetur? Hæc ſunt quæ ſpectare, quæ intueri, quæ propoſita habere & poſſumus & debemus. Hæc ſunt genere ipſo ineffabilia, magnitudine infinita, diuturnitate perpetua & ſempiterna. Quamobrem incumbamus, patres, toto pectore, ut ajunt, ad ſananda Chriſtianæ reipublicæ vulnera: incumbamus quanta maxima poſſumus cura & diligentia ad eas actiones, ex quibus ad Deum honor, ad eccleſiam ſalus, ad nos æterna gloria & felicitas perventura eſt. Incredibile eſt, quibus piorum omnium votis expetitum, qua lætitia cœptum, qua expectatione rurſus reſtitutum huc fuerit inſtauratumque concilium. Perſuaſum iis eſt, & recte perſuaſum, hoc unum eſſe remedium, quo eccleſiæ navis, jam diu hæreſum & diſcordiarum procellis agitata atque quaſſata, & cum vi tempeſtatis, tum naturarum etiam negligentia prope obruta, e periculo eripi, & tuto in portu poſſit collocari.

Hæcne eorum vota inania, has ſpes fallaces, hanc voluntatem irritam patiemur evadere? Quid reliquum erit amplius quod ſperent? quid ſupererit quod expectent? Si ullo unquam tempore

SESSIO XI. 1. Maii 1551.

SESSIO XI. 1. Maii 1551.

pore bonorum & ſapientium ſacerdotum eccleſia fidem auxiliumque imploraviť, hoc tempore, patres, hoc tempore maxime implorat, afflicta, vexata, lacerata, tot ſpoliata præſidiis, tot cariſſimis filiis orbata, ſupplex Deo & vobis manus tendit: filios ſuos e ſinu ſibi ereptos recuperare pia parens deſiderat, & cum eorum deſiderio angitur, tum de reliquorum etiam ſalute eſt ſolicita. Quas illa Deo grates aget? quanta præ lætitia ac voluptate exultabit, ſi quod optat, per vos fuerit conſecuta? Quam ea res non huic ſolum quæ in terris eſt, verum etiam illi cœleſti eccleſiæ grata, jucunda optataque accidet? Etenim ſi vel uno peccatore in terris pœnitentiam agente beatæ illæ mentes tantopere in cœlo gaudent, quid tot populis ad veritatis lucem & rectam vivendi rationem revocatis futurum eſſe cenſemus? Ipſum profecto cœlum eccleſiæ hac unione, & religionis ac diſciplinæ eccleſiaſticæ inſtauratione lætabitur, & terra ob factoris ſui gloriam jubilabit, ac domino nobis placato atque propitio lætiores poſthac dies, feliciora tempora, uberiores terræ fructus erunt. Reliquum eſt; patres ampliſſimi, ut vos pro officio noſtro admoneamus, tametſi gravitas & ſapientia veſtra minime admonitionem noſtram deſideret, ut hæc quæ pro totius eccleſiæ ſalute agere molimur, in ſpiritu lenitatis & manſuetudinis, quemadmodum ſanctæ huic ſynodo dignum eſt, agantur. Faceſſat hinc omnis hujus ſacroſancti cœtus majeſtate indigna contentio. Faceſſat omne odium, omnis verborum immoderatio. Sit ſumma inter nos, ut debet, caritas, ſumma animorum conſenſio, ſumma concordia. Nemo noſtrum quæ ſua ſunt quærat, ſed quæ Jeſu Chriſti. Denique meminerimus huic conventui Deum ipſum noſtrorum conſiliorum & actionum omnium ſpectatorem ac judicem eſſe adfuturum; cui ſalus eſt & honor in ſæcula ſæculorum. Amen.

SESSIO DUODECIMA.

Quæ eſt II. ſub Julio III. pontifice maximo, celebrata die prima Septembris MDLI.

Decretum prorogationis ſeſſionis.

SESSIO XII. 1. Septemb. 1551.

SACROSANCTA œcumenica & generalis Tridentina ſynodus, in Spiritu ſancto legitime congregata, præſidentibus eiſdem ſedis apoſtolicæ legato & nunciis, quæ in proxime præterita ſeſſione ſequentem hanc hodie habendam, & ad ulteriora procedendum eſſe decreverat, cum ob inclytæ Germanicæ nationis, cujus præcipue cauſa agitur, abſentiam, ac non magnam ceterorum patrum frequentiam, procedere hactenus diſtulerit, de venerabilium in Chriſto fratrum & filiorum ſuorum, Moguntini & Trevirenſis archiepiſcoporum, ac ſacri Romani imperii principum electorum, & complurium ipſius aliarumque provinciarum epiſcoporum ſub hanc ipſam diem adventu in domino exultans, & dignas ipſi omnipotenti Deo agens gratias, firmamque ſpem concipiens, quamplurimos tam ipſius Germaniæ, quam aliarum nationum prælatos, & ſui officii debito, & hoc exemplo commotos, propediem eſſe venturos, futuram ſeſſionem ad quadrageſimam diem, quæ erit undecima menſis Octobris proxime ſequentis, indicit, & concilium ipſum in ſtatu, in quo reperitur, proſequendo, cum in præteritis ſeſſionibus de ſeptem ſacramentis novæ legis in genere, & in ſpecie de baptiſmate, & confirmatione definitum fuerit, ſtatuit & decernit de ſanctiſſimæ euchariſtiæ ſacramento, nec non quod ad reformationem attinet, de reliquis, quæ ad faciliorem & commodiorem prælatorum reſidentiam pertinent, agi & tractari debere: ac monet & hortatur omnes patres, ut interim domini noſtri Jeſu Chriſti exemplo, quantum tamen humana fragilitas patietur, jejuniis & orationibus vacent, ut tandem placatus, qui in ſæcula ſit benedictus Deus, corda hominum ad veræ ſuæ fidei agnitionem & ſanctæ matris eccleſiæ unitatem, ac recte vivendi normam reducere dignetur.

ANNO CHRISTI 1551.

Concordat cum originali; in cujus fidem ego Angelus Maſſarellus, ſacri concilii ſecretarius, ſubſcripſi manu propria.

SESSIO DECIMATERTIA.

Quæ eſt tertia ſub Julio III. pontifice maximo, celebrata die undecima Octobris MDLI. Celebravit autem miſſam ſummam epiſcopus Majoricenſis; orationemque habuit archiepiſcopus Turritanus.

Decretum de ſanctiſſimo euchariſtiæ ſacramento.

SESSIO XIII. 11. Octobr. 1551.

SACROSANCTA œcumenica & generalis Tridentina ſynodus, in Spiritu ſancto legitime congregata, præſidentibus in ea eiſdem ſanctæ ſedis apoſtolicæ legato & nunciis, etſi in eum finem non abſque peculiari Spiritus ſancti ductu & gubernatione convenerit, ut veram & antiquam de fide & ſacramentis doctrinam exponeret, & ut hæreſibus omnibus & aliis graviſſimis incommodis, quibus Dei eccleſia miſere nunc exagitatur, & in multas & varias partes ſcinditur, remedium afferret; hoc præſertim jam inde a principio in votis habuit, ut ſtirpitus convelleret zizania execrabilium errorum, & ſchiſmatum, quæ inimicus homo his noſtris calamitoſis temporibus in doctrina fidei, uſu & cultu ſacroſanctæ euchariſtiæ ſuperſeminavit: quam alioqui ſalvator noſter in eccleſia ſua, tanquam ſymbolum reliquit ejus unitatis & caritatis, qua Chriſtianos omnes inter ſe conjunctos & copulatos eſſe voluit. Itaque eadem ſacroſancta ſynodus ſanam & ſinceram illam de venerabili hoc & divino euchariſtiæ ſacramento doctrinam tradens, quam ſemper catholica eccleſia ab ipſo Jeſu Chriſto domino noſtro & ejus apoſtolis erudita, atque a Spiritu ſancto, illi omnem veritatem in dies ſuggerente, edocta retinuit, & ad finem uſque ſæculi conſervabit, omnibus Chriſti fidelibus interdicit, ne poſthac de ſanctiſſima euchariſtia aliter credere, docere, aut prædicare audeant, quam ut eſt hoc præſenti decreto explicatum atque definitum.

Luc. 22. Joan. 14.

Sess. 5. c. 2. Sess. 22. c. 1.

CAPUT I.

De reali præſentia domini noſtri Jeſu Chriſti in ſanctiſſimo euchariſtiæ ſacramento.

Principio docet ſancta ſynodus, & aperte ac ſimpliciter profitetur, in almo ſanctæ euchariſtiæ ſacramento, poſt panis & vini conſecrationem, dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, verum Deum

ANNO CHRISTI 1551.

Deum atque hominem, vere; realiter ac substantialiter sub specie illarum rerum sensibilium contineri. Neque enim hæc inter se pugnant, ut ipse salvator noster semper ad dexteram Patris in cœlis assideat, juxta modum existendi naturalem, & ut multis nihilo minus aliis locis sacramentaliter præsens sua substantia nobis adsit, ea existendi ratione, quam, etsi verbis exprimere vix possumus, possibilem tamen esse Deo, cogitatione per fidem illustrata, assequi possumus, & constantissime credere debemus. Ita enim majores nostri omnes, quotquot in vera Christi ecclesia fuerunt, qui de sanctissimo hoc sacramento disseruerunt, apertissime professi sunt, hoc tam admirabile sacramentum in ultima cœna redemptorem nostrum instituisse, cum post panis vinique benedictionem se suum ipsius corpus illis præbere ac suum sanguinem disertis ac perspicuis verbis testatus est. Quæ verba a sanctis evangelistis commemorata, a divo Paulo postea repetita, cum propriam illam & apertissimam significationem præferant, secundum quam a patribus intellecta sunt, indignissimum sane flagitium est, ea a quibusdam contentiosis & pravis hominibus ad fictitios & imaginarios tropos, quibus veritas carnis & sanguinis Christi negatur, contra universum ecclesiæ sensum, detorqueri, quæ tanquam columna & firmamentum veritatis hæc ad impiis hominibus excogitata commenta velut satanica detestata est, grato semper & memore animo præstantissimum hoc Christi beneficium agnoscens.

Matth. 19. Luc. 18.

Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. 1. Cor. 11.

1. Tim. 3.

CAPUT II.

De ratione institutionis hujus sanctissimi sacramenti.

Ergo salvator noster discessurus ex hoc mundo ad Patrem sacramentum hoc instituit, in quo divitias divini sui erga homines amoris velut effudit, memoriam faciens mirabilium suorum, & in illius sumptione colere nos sui memoriam præcepit, suamque annunciare mortem, donec ipse ad judicandum mundum veniat. Sumi autem voluit sacramentum hoc, tanquam spiritualem animarum cibum, quo alantur & confortentur viventes vita illius, qui dicit: *Qui manducat me, & ipse vivet propter me*: & tanquam antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis, & a peccatis mortalibus præservemur. Pignus præterea id esse voluit futuræ nostræ gloriæ & perpetuæ felicitatis, adeoque symbolum unius illius corporis, cujus ipse caput existit, cuique nos, tanquam membra arctissima fidei, spei, & caritatis connexione adstrictos esse voluit, ut idipsum omnes diceremus, nec essent in nobis schismata.

Psalm. 110. Luc. 22. 1. Cor. 11.

Joan. 6.

CAPUT III.

De excellentia sanctissimæ eucharistiæ super reliqua sacramenta.

Commune hoc quidem est sanctissimæ eucharistiæ cum ceteris sacramentis, symbolum esse rei sacræ, & invisibilis gratiæ formam visibilem; verum illud in ea excellens & singulare reperitur, quod reliqua sacramenta tunc primum sanctificandi vim habent, cum quis illis utitur: at in eucharistia ipse sanctitatis auctor ante usum est: nondum enim eucharistiam de manu domini apostoli susceperant, cum vere tamen ipse affirmaret, corpus suum esse quod præbebat. Et semper hæc fides in ecclesia Dei fuit, statim post consecratio-

Matth. 26. Marci 14.

nem verum domini nostri corpus, verumque ejus sanguinem, sub panis & vini specie una cum ipsius anima & divinitate existere; sed corpus quidem sub specie panis, & sanguinem sub vini specie ex vi verborum: ipsum autem corpus sub specie vini, & sanguinem sub specie panis; animamque sub utraque, vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ, qua partes Christi domini, qui jam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur: divinitatem porro propter admirabilem illam ejus cum corpore & anima hypostaticam unionem. Quapropter verissimum est, tantumdem sub alterutra specie atque sub utraque contineri: totus enim & integer Christus sub panis specie, & sub quavis ipsius speciei parte, item sub vini specie, & sub ejus partibus, existit.

Rom. 6.

Sess. 21. c. 3.

SESSIO XIII. 11. Octobr. 1551.

CAPUT IV.

De transsubstantiatione.

Quoniam autem Christus redemptor noster corpus suum id quod sub specie panis offerebat vere esse dixit, ideo persuasum semper in ecclesia Dei fuit, idque nunc denuo sancta hæc synodus declarat, per consecrationem panis & vini, conversionem fieri totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi domini nostri, & totius substantiæ vini in substantiam sanguinis ejus; quæ conversio convenienter & proprie a sancta catholica ecclesia transsubstantiatio est appellata.

Joan. 6. Luc. 22. 1. Cor. 11.

CAPUT V.

De cultu & veneratione huic sanctissimo sacramento exhibenda.

Nullus itaque dubitandi locus relinquitur, quin omnes Christi fideles, pro more in catholica ecclesia semper recepto latriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic sanctissimo sacramento in veneratione exhibeant. Neque enim ideo minus est adorandum, quod fuerit a Christo domino ut sumatur institutum: nam illum eumdem Deum præsentem in eo adesse credimus, quem Pater æternus introducens in orbem terrarum, dicit: *Et adorent eum omnes angeli Dei, quem Magi procidentes adoraverunt*; quem denique in Galilæa ab apostolis adoratum fuisse scriptura testatur.

Matth. 16.

Hebr. 1. ex Psalm. 96. Matth. 2. Matth. 28. Luc. 24.

Declarat præterea sancta synodus, pie & religiose admodum in Dei ecclesiam inductum fuisse hunc morem, ut singulis annis peculiari quodam & festo die præcelsum hoc & venerabile sacramentum singulari veneratione ac solennitate celebraretur, utque in processionibus reverenter & honorifice illud per vias & loca publica circumferretur: æquissimum est enim, sacros aliquos statutos esse dies, cum Christiani omnes singulari ac rara quadam significatione gratos & memores testentur animos erga communem dominum & redemptorem, pro tam ineffabili & plane divino beneficio, quo mortis ejus victoria & triumphus repræsentatur, atque sic quidem oportuit victricem veritatem de mendacio & hæresi triumphum agere, ut ejus adversarii in conspectu tanti splendoris, & in tanta universæ ecclesiæ lætitia positi, vel debilitati & fracti tabescant, vel pudore affecti & confusi aliquando resipiscant.

1. Cor. 15. Hebr. 2.

SESSIO XIII. 11. Octobr. 1551.

CAPUT VI.

De asservando sacræ eucharistiæ sacramento, & ad infirmos deferendo.

Consuetudo asservandi in sacrario sanctam eucharistiam adeo antiqua est, ut eam sæculum etiam
" can. 13. Nicæni " concilii agnoverit. Porro deferri ipsam sacram eucharistiam ad infirmos, & in hunc usum diligenter in ecclesiis conservari, præterquam quod cum summa æquitate & ratione conjunctum est, tum multis in conciliis præceptum invenitur, & vetustissimo catholicæ ecclesiæ more est
Later. sub Joan. III. c. 26. Ancyr. Carth. IV. Agath. Rhem. &c. observatum. Quare sancta hæc synodus retinendum omnino salutarem hunc & necessarium morem statuit.

CAPUT VII.

De præparatione quæ adhibenda est, ut digne quis sacram eucharistiam percipiat.

Si non decet ad sacras ullas functiones quempiam accedere, nisi sancte, certe quo magis sanctitas & divinitas cœlestis hujus sacramenti viro Christiano comperta est, eo diligentius cavere ille debet, ne absque magna reverentia, & sanctitate ad id percipiendum accedat; præsertim cum illa plena formidinis verba apud apostolum legamus: *Qui manducat & bibit indigne, judicium sibi*
1. Cor. 11. *mandacat & bibit, non dijudicans corpus domini*. Quare communicare volenti revocandum est
2. Cor. 12. in memoriam ejus præceptum: *Probet seipsum homo*. Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione ad sacram eucharistiam accedere debeat; quod a Christianis omnibus, etiam ab iis sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc sancta synodus perpetuo servan-
Vide infra canonem 11. dum esse decrevit, modo non desit illis copia confessoris: quod si necessitate urgente sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quamprimum confiteatur.

CAPUT VIII.

De usu admirabilis hujus sacramenti.

SS. Aug. Prosp. &c. Quoad usum autem, recte & sapienter patres nostri tres rationes hoc sanctum sacramentum accipiendi distinxerunt: quosdam enim docuerunt
Galat. 5. sacramentaliter dumtaxat id sumere, ut peccatores: alios tantum spiritualiter, illos nimirum,
Matth. 22. qui voto propositum illum cœlestem panem edentes, fide viva, quæ per dilectionem operatur, fructum ejus & utilitatem sentiunt: tertios porro sacramentaliter simul & spiritualiter; ii autem sunt, qui ita se prius probant & instruunt, ut vestem nuptialem induti ad divinam hanc mensam accedant. In sacramentali autem sumptione sem-
Hebr. 5. & 7. per in ecclesia Dei mos fuit, ut laici a sacerdotibus communionem acciperent, sacerdotes autem celebrantes seipsos communicarent: qui mos tanquam ex traditione apostolica descendens jure ac merito retineri debet.

Demum autem paterno affectu admonet sancta synodus, hortatur, rogat & obsecrat per viscera misericordiæ Dei nostri, ut omnes & singuli, qui Christiano nomine censentur, in hoc unitatis signo, in hoc vinculo caritatis, in hoc concordiæ symbolo jam tandem aliquando conveniant & concordent: memoresque tantæ majestatis, & tam eximii amoris Jesu Christi domini nostri, qui dilectam animam suam in nostræ salutis pretrum, Joan. 6. & carnem suam nobis dedit ad manducandum, hæc sacra mysteria corporis & sanguinis ejus ea fidei constantia & firmitate, ea animi devotione, ea pietate & cultu credant & venerentur, ut panem illum supersubstantialem frequenter suscipere possint, & is vere eis sit animæ vita, & perpetua sanitas mentis: cujus vigore confortati ex hujus miseræ peregrinationis itinere ad cœlestem patriam pervenire valeant, eumdem pa- Psalm. 77. nem angelorum, quem modo sub sacris velaminibus edunt, absque ullo velamine manducaturi.

ANNO CHRISTI 1551.

Quoniam autem non est satis veritatem dicere, nisi & detegantur & refellantur errores, placuit sanctæ synodo hos canones subjungere, ut omnes jam agnita doctrina catholica intelligant quoque, quæ ab illis hæreses caveri vitarique debeant.

DE SACROSANCTO EUCHARISTIÆ SACRAMENTO.

CANON I.

Si quis negaverit, in sanctissimo eucha- Conc. Later. IV. sub Innoc. III. Conc. Const. adv. Wicl. Decr. Eug.
ristiæ sacramento contineri vere, realiter & substantialiter corpus & sanguinem una cum anima & divinitate domini nostri Jesu Christi, ac proinde totum Christum, sed dixerit tantummodo esse in eo, ut in signo, vel figura, aut virtute, anathema sit.

II.

Si quis dixerit in sacrosancto eucharistiæ sacramento remanere substantiam panis Eadem. infra sess. 21. cap. 1. de comm.
& vini una cum corpore & sanguine domini nostri Jesu Christi, negaveritque mirabilem illam & singularem conversionem totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis & vini, quam quidem conversionem catholica ecclesia aptissime transsubstantiationem appellat, anathema sit.

III.

Si quis negaverit, in venerabili sacramento eucharistiæ sub unaquaque specie, & sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri, anathema sit.

IV.

Si quis dixerit, peracta consecratione, in admirabili eucharistiæ sacramento non esse corpus & sanguinem domini nostri Jesu Christi, sed tantum in usu dum sumitur, non autem ante, vel post, & in hostiis seu particulis consecratis, quæ post Sup. c. 5. communionem reservantur vel supersunt, non remanere verum corpus domini, anathema sit.

V. Si

ANNO CHRISTI 1551.

V.

Si quis dixerit, vel præcipuum fructum ſanctiſſimæ euchariſtiæ eſſe remiſſionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire, anathema ſit. Sup. c. 2.

VI.

Si quis dixerit, in ſancto euchariſtiæ ſacramento Chriſtum unigenitum Dei Filium non eſſe cultu latriæ etiam externo adorandum, atque ideo nec feſtiva peculiari celebritate venerandum, neque in proceſſionibus ſecundum laudabilem & univerſalem eccleſiæ ritum, & conſuetudinem ſolemniter circumgeſtandum, vel non publice, ut adoretur, populo proponendum, & ejus adoratores eſſe idololatras, anathema ſit. Sup. c. 5.

VII.

Si quis dixerit, non licere ſacram euchariſtiam in ſacrario reſervari, ſed ſtatim poſt conſecrationem aſtantibus neceſſario diſtribuendam, aut non licere, ut illa ad infirmos honorifice deferatur, anathema ſit. Sup. c. 6.

VIII.

Si quis dixerit, Chriſtum in euchariſtia exhibitum ſpiritualiter tantum manducari, & non etiam ſacramentaliter ac realiter, anathema ſit. Sup. c. 8.

IX.

Si quis negaverit, omnes & ſingulos Chriſti fideles utriuſque ſexus, cum ad annos diſcretionis pervenerint, teneri ſingulis annis, ſaltem in paſchate, ad communicandum, juxta præceptum ſanctæ eccleſiæ, anathema ſit. Infra ſeſſ. 14. c. 8. de pœnit. Conc. Later. IV. ſub Innoc. III. c. omnis 21. de pœnit. & remiſſ.

X.

Si quis dixerit, non licere ſacerdoti celebranti ſeipſum communicare, anathema ſit. Sup. c. 8.

XI.

Si quis dixerit, ſolam "fidem eſſe ſufficientem præparationem ad ſumendum ſanctiſſimum euchariſtiæ ſacramentum, anathema ſit. Et ne tantum ſacramentum indigne, atque ideo in mortem & condemnationem ſumatur, ſtatuit atque declarat ipſa ſancta ſynodus, illis, quos conſcientia peccati mortalis gravat, "quantumcumque etiam ſe contritos exiſtiment, habita copia confeſſoris, neceſſario premittendam eſſe confeſſionem ſacramentalem. Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter aſſerere, ſeu etiam publice diſputando defendere præſumpſerit, eo ipſo excommunicatus exiſtat. "Sup. c. 7. "Ibidem.

DECRETUM DE REFORMATIONE.

SESSIO XIII. 11. Octob. 1551.

CAPUT I.

Epiſcopi prudenter moribus caſte informandis invigilent: ab eorum correctione non appelletur.

Eadem ſancta Tridentina ſynodus, præſidentibus in ea eiſdem ſanctæ ſedis apoſtolicæ legato & nunciis, intendens nonnulla ſtatuere, quæ ad juriſdictionem pertinent epiſcoporum, ut, juxta proximæ ſeſſionis decretum, illi in commiſſis ſibi eccleſiis eo libentius reſideant, quo facilius & commodius ſibi ſubjectos regere, & in vitæ ac morum honeſtate continere potuerint; illud primum eos admonendos cenſet, ut ſe paſtores, non percuſſores, eſſe meminerint; atque ita præeſſe ſibi ſubditis oportere, ut non in eis dominentur, ſed illos tanquam filios & fratres diligant: elaborentque, ut hortando & monendo ab illicitis deterreant, ne ubi deliquerint, debitis eos pœnis coercere cogantur. Quos tamen ſi quid per humanam fragilitatem peccare contigerit, illa apoſtoli eſt ab eis ſervanda præceptio, ut illos arguant, obſecrent, increpent in omni bonitate & patientia: cum ſæpe plus erga corrigendos agat benevolentia quam auſteritas, plus exhortatio quam comminatio, plus caritas quam poteſtas. Sin autem ob delicti gravitatem virga opus fuerit, tunc cum manſuetudine rigor, cum miſericordia judicium, cum lenitate ſeveritas adhibenda eſt; ut ſine aſperitate diſciplina populis ſalutaris ac neceſſaria conſervetur, & qui correcti fuerint emendentur: aut, ſi reſipiſcere noluerint, ceteri ſalubri in eos animadverſionis exemplo a vitiis deterreantur: cum ſit diligentis & pii ſimul paſtoris officium, morbis ovium lenta primum adhibere fomenta: poſt, ubi morbi gravitas ita poſtulet, ad acriora & graviora remedia deſcendere: ſin autem ne ea quidem proficiant, illis ſubmovendis, ceteras ſaltem oves a contagionis periculo liberare. 1. Tim. 3. Tit. 1. 1. Petr. 5. 1. Tim. 4.

Cum igitur rei criminum plerumque, ad evitandas pœnas & epiſcoporum ſubterfugienda judicia, querelas & gravamina ſimulent, & appellationis diffugio judicis proceſſum impediant, ne remedio ad innocentiæ præſidium inſtituto ad iniquitatis defenſionem abutantur, atque ut hujuſmodi eorum calliditati & tergiverſationi occurratur, ita ſtatuit & decrevit.

In cauſis viſitationis & correctionis, ſive habilitatis & inhabilitatis, nec non criminalibus, ab epiſcopo, ſeu illius in ſpiritualibus vicario generali, ante definitivam ſententiam ab interlocutoria, vel alio quocumque gravamine, non appelletur: nec epiſcopus ſeu vicarius appellationi hujuſmodi, tanquam frivolæ, deferre teneatur; ſed ea, ac quacumque inhibitione ab appellationis judice emanata, nec non omni ſtylo & conſuetudine etiam immemorabili contraria non obſtante, ad ulteriora valeat procedere, niſi gravamen hujuſmodi per definitivam ſententiam reparari, vel ab ipſa definitiva appellari non poſſit: quibus caſibus ſacrorum & antiquorum canonum ſtatuta illibata perſiſtant. Seſſ. 22. c. 1. de ref. Seſſ. 24. c. 20. de ref.

CAPUT

SESSIO XIII. 11. Octob. 1551.

CAPUT II.

In criminalibus appellatio ab episcopo quando metropolitano aut uni ex vicinioribus committenda.

A sententia episcopi, vel ipsius in spiritualibus vicarii generalis, in criminalibus appellationis causa (ubi appellationi locus fuerit) si apostolica auctoritate in partibus eam committi contigerit, metropolitano, seu illius etiam in spiritualibus vicario generali; aut si ille aliqua de causa suspectus foret, vel ultra duas legales diætas distet, seu ab ipso appellatum fuerit, uni ex vicinioribus episcopis, seu illorum vicariis, non autem inferioribus judicibus committatur.

CAPUT III.

Acta primæ instantiæ intra triginta dies detur gratis reo appellanti.

Reus ab episcopo, aut ejus vicario in spiritualibus generali, in criminali causa appellans, coram judice, ad quem appellavit, acta primæ instantiæ omnino producat, & judex, nisi illis visis, ad ejus absolutionem minime procedat: is autem, a quo appellatum fuerit, intra triginta dies acta ipsa postulanti gratis exhibeat, alioqui absque illis causa appellationis hujusmodi prout justitia suaserit terminetur.

CAPUT IV.

Qua ratione clerici ob gravia delicta sacris exauctorandi.

Cum vero tam gravia nonnunquam sint delicta ab ecclesiasticis commissa personis, ut eb eorum atrocitatem e sacris ordinibus deponendæ, & curiæ sint tradendæ sæculari, in quo secundum sacros canones certus episcoporum numerus requiritur: quos si omnes adhibere difficile esset, debita juris executio differretur; si quando autem intervenire possent, eorum residentia intermitteretur: propterea statuit & decrevit, episcopo, per se, se illius vicarium in spiritualibus generalem, contra clericum, in sacris etiam presbyteratus ordinibus constitutum, etiam ad illius condemnationem, nec non verbalem depositionem, & per seipsum etiam ad actualem atque solemnem degradationem ab ipsis ordinibus & gradibus ecclesiasticis in casibus, in quibus aliorum episcoporum præsentia in numero a canonibus definito requiritur, etiam absque illis procedere liceat: adhibitis tamen & in hoc sibi assistentibus totidem abbatibus, usum mitræ & baculi ex privilegio apostolico habentibus, si in civitate aut diœcesi reperiri & commode interesse possint: alioquin aliis personis in ecclesiastica dignitate constitutis, quæ ætate graves ac juris scientia commendabiles existant.

Conc. Carthag. I. cap. 16. II. cap. 10. III. c. 8. Hispal. II. c. 6.

CAPUT V.

Summarie cognoscat episcopus de gratiis quibus peccatum remittitur aut pœna.

Et quoniam per fictas causas, quæ tamen satis probabiles videntur, interdum accidit, ut nonnulli ejusmodi gratias extorqueant, per quas pœnæ illis episcoporum justa severitate inflictæ, aut remittuntur omnino, aut minuuntur, cum non ferendum sit, ut mendacium, quod tantopere Deo displicet, non modo ipsum impunitum sit, verum etiam alterius delicti veniam impetret mentienti; idcirco, ut sequitur, statuit & decrevit: Episcopus apud ecclesiam suam residens, de subreptione & obreptione gratiæ, quæ super absolutione alicujus publici criminis vel delicti, de quo ipse inquirere cœperat, aut remissione pœnæ, ad quam criminosus per eum condemnatus fuerit, falsis precibus impetratur, per seipsum, tanquam sedis apostolicæ delegatus, etiam summarie cognoscat, ipsamque gratiam, postquam per falsi narrationem, aut veri taciturnitatem obtentam esse legitime constiterit, non admittat.

Exod. 23. Levit. 19.

ANNO CHRISTI 1551. Prov. 6. &c.

CAPUT VI.

Non citetur personaliter episcopus, nisi depositionis aut privationis causa.

Quoniam vero subditi episcopo, tametsi jure correpti fuerint, magnopere tamen eum odisse, & tanquam injuria affecti sint falsa illi crimina objicere solent, ut, quoquo pacto possint, ei molestiam exhibeant, cujus vexationis timor plerumque illum ad inquirenda & punienda eorum delicta segniorem reddit; idcirco ne is magno suo & ecclesiæ incommodo, gregem sibi creditum relinquere, ac non sine episcopalis dignitatis diminutione vagari cogatur, ita statuit & decrevit: Episcopus nisi ob causam, ex qua deponendus sive privandus veniret, etiamsi ex officio, aut per inquisitionem, seu denunciationem, vel accusationem, sive alio quovis modo procedatur, ut personaliter compareat, nequaquam citetur, vel moneatur.

Sess. 24. c. 5. de ref.

CAPUT VII.

Qualitates testium contra episcopum describantur.

Testes in causa criminali ad informationem vel indicia seu alias in causa principali contra episcopum, nisi contestes, & bonæ conversationis, existimationis & famæ fuerint, non recipiantur: & si odio, temeritate, aut cupiditate aliquid deposuerint, gravibus pœnis mulctentur.

Carth. II. c. 6. IV. c. 96.

CAPUT VIII.

Graves episcoporum causæ a pontifice maximo cognoscantur.

Causæ episcoporum, cum pro criminis objecti qualitate comparere debeant, coram pontifice maximo referantur, ac per ipsum terminentur.

Sard. c. 3. Sess. 24. c. 5. de ref.

DECRETUM PROROGATIONIS definitionis quatuor articulorum de sacramento eucharistiæ, & salviconductus protestantibus dandi.

Eadem sancta synodus errores omues, qui super hoc sanctissimo sacramento repullularunt, tanquam vepres ex agro dominico evellere; ac omnium fidelium saluti prospicere cupiens, quotidianis precibus Deo omnipotenti pie oblatis, inter alios ad hoc sacramentum pertinentes articulos diligentissima veritatis catholicæ inquisitione tractatos, plurimis accuratissimisque pro rerum gravitate disputationibus habitis, cognitis quoque præstantissimorum theologorum sententiis hoc etiam tractabat: An necessarium sit ad salutem, & divino jure præceptum, ut singuli Christi fideles sub utraque specie ipsum venerabile sacramentum accipiant: & num minus sumat qui sub altera quam qui sub utraque communicat:

ANNO CHRISTI 1551.

municat: & an erraverit ſancta mater eccleſia laicos, & non celebrantes ſacerdotes, ſub panis ſpecie dumtaxat communicando: & an parvuli etiam communicandi ſint. Sed quoniam ex nobiliſſima Germaniæ provincia ii, qui ſe proteſtantes nominant, ſuper his ipſis articulis, antequam definiantur, audiri a ſancta ſynodo cupiunt, & eam ob cauſam fidem publicam ab illa poſtularunt, ut ipſis tuto huc venire & in hac urbe commorari, ac libere coram ſynodo dicere atque proponere quæ ſenſerint, & poſtea, cum libuerit, recedere liceat: ſancta ipſa ſynodus, licet magno deſiderio eorum adventum multos antea menſes expectarit, tamen ut pia mater, quæ ingemiſcit & parturit, ſummopere id deſiderans ac laborans, ut in iis, qui Chriſtiano nomine cenſentur, nulla ſint ſchiſmata: ſed quemadmodum, eumdem omnes Deum & redemptorem agnoſcunt, ita idem dicant, idem credant, idem ſapiant: confidens in Dei miſericordia, & ſperans fore ut illi in ſanctiſſimam & ſalutarem unius fidei, ſpei caritatiſque concordiam redigantur, & libenter eis in hac re morem gerens; ſecuritatem & fidem, ut petierunt, publicam, quam ſalvumconductum vocant, quoad ſe pertinet, ejus, qui infra ſcriptus erit, tenoris dedit atque conceſſit; & eorum cauſa definitionem illorum articulorum ad ſecundam ſeſſionem diſtulit: quam, ut illi commode intereſſe poſſent, in diem feſtum converſionis divi Pauli, quæ erit vigeſimaquinta die menſis Januarii anni ſequentis, indixit: illudque præterea ſtatuit, ut in eadem ſeſſione de ſacrificio miſſæ agatur, propter magnam utriuſque rei connexionem. Interea ſeſſione proxima de pœnitentiæ & extremæ unctionis ſacramentis tractandum. Illam autem die feſto divæ Catharinæ virginis & martyris (qui erit vigeſimaquinta Novembris) habendam eſſe decrevit: ſimulque in utraque materiam reformationis proſequatur.

SALVUS CONDUCTUS DATUS PROTESTANTIBUS.

Sacroſancta generalis Tridentina ſynodus, in Spiritu ſancto legitime congregata, præſidentibus in ea eiſdem ſanctæ ſedis apoſtolicæ legatis & nuntiis.

Omnibus & ſingulis, ſive eccleſiaſticis ſive ſæcularibus perſonis univerſæ Germaniæ, cujuſcumque gradus, ſtatus, conditionis, & qualitatis ſint, quæ ad œcumenicum hoc & generale concilium accedere voluerint, ut de iis rebus, quæ in ipſa ſynodo tractari debent, omni libertate conferre, proponere & tractare, ac ad ipſum œcumenicum concilium libere & tuto venire, & in eo manere, & commorari, ac articulos, quot illis videbitur, tam ſcripto quam verbo offerre, proponere, & cum patribus, ſive iis qui ab ipſa ſancta ſynodo delecti fuerint, conferre, & abſque ullis conviciis & contumeliis diſputare, nec non quando illis placuerit, recedere poſſint & valeant, publicam fidem & plenam ſecuritatem, quam ſalvumconductum appellant, cum omnibus & ſingulis clauſulis, & decretis neceſſariis, & opportunis, etiamſi ſpecialiter, & non per verba generalia exprimi deberent, quæ pro expreſſis haberi voluit, quantum ad ipſam ſanctam ſynodum ſpectat, concedit. Placuit præterea ſanctæ ſynodo, ut pro majori libertate ac ſecuritate eorum, certos tam pro commiſſis, quam pro committendis per eos delictis judices deputari cupiant, illos ſibi benevolos nominent, etiamſi delicta ipſa quantumcumque enormia ac hæreſin ſapientia fuerint.

SESSIO XIII. 1. Octobr. 1551.

Angelus Maſſarellus ſecretarius.

Reverendi patres & oratores qui adfuerunt in ſeſſione, quæ habita fuit undecima Octobris.

Reverendiſſimus dominus Marcellus, tituli ſancti Marcelli cardinalis Creſcentius, legatus concilii a latere, patria Romanus.

Præſidentes concilii.

Sebaſtianus Pighinus, archiepiſcopus Sipontinus, Reſanus.

Aloyſius Lipomanus, epiſcopus Veronenſis, Venetus.

Chriſtophorus Madrucius, tituli ſancti Cæſarii in Palatio ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalis, & princeps Tridentinus, de Madrucio.

Electores & principes ſacri Romani imperii.

Sebaſtianus ab Hauſenſtain, archiepiſcopus Moguntinenſis, Germanus.

Joannes comes ab Eyſemburg, archiepiſcopus Treverenſis, Germanus.

Adolphos a Schavvemburg, archiepiſcopus Colonienſis, Germanus.

Oratores imperatoris:

Hugo Comes a Monfort & Rotenfels, orator imperii, Germanus.

Franciſcus a Toleto, prior Reconvallenſis, orator Cæſaris, Hiſpanus.

Guilielmus a Pictavia, archidiaconus Campaniæ, orator Flandriæ, Flandrus.

Oratores regis Romanorum.

Paulus de Gregorianis, epiſcopus Zagabrienſis, Hungarus.

Fridericus Nauſea, epiſcopus Viennenſis, Germanus.

Archiepiſcopi.

Archiepiſcopus Turritanus, Antibarenſis, Upſalenſis, Panormitanus, Granatenſis, Calaritanus.

Epiſcopi.

Epiſcopus Feltrenſis, Senobricenſis, ſancti Marci, Majoricenſis, Camerinenſis, Caſtelli maris, Lancianenſis, Alguerenſis, Mitienſis, Syracuſanus, Wigornienſis, Bellicaſtrenſis, Bitontinus, Aurienſis, Pacenſis, Argentinenſis, Conſtantienſis, Oſcenſis, Clodienſis, Salonnenſis, Calaguritanus, Elvenſis, Ecnedenſis, *Monopothanus, Legionenſis, Ovetenſis, Tridentinus, Jacorenſis, Gnichxerſis, Aſtoricenſis, Virdunenſis, Salaminenſis, Boſenſis, Mutinenſis.

* Quædam ex iis corrupta etiam in editione Romana.

Abbates & generales.

Gerardus Hamericurth, abbas Bortini, ordinis Carmelitarum, Germanus.

Mar-

SESSIO XIV. 25. Nov. 1551.

Marcus de Brixida, abbas sancti Vitalis de Ravenna, ordinis sancti Benedicti, Italus.

Eusebius de Parma, abbas sanctæ Mariæ Gratiarum, diœcesis Placentinæ, ejusdem ordinis, Italus.

Christophorus Patavinus, generalis ordinis sancti Augustini, Italus.

Oratores marchionis Brandeburgensis.

Christophorus de Strassen.

Joannes Hofmannus.

Angelus Massarellus, sacri concilii secretarius.

Joannes Baptista Castellus, promotor concilii, Italus, Bononiensis.

Ludovicus Firmanus, magister ceremoniarum, Italus.

SESSIO QUARTADECIMA,

Quæ est quarta sub Julio tertio pontifice maximo, celebrata die vigesimaquinta Novembris MDLI.

Doctrina de sanctissimis pœnitentiæ & extremæ unctionis sacramentis.

Sacrosancta œcumenica & generalis Tridentina synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, præsidentibus in ea eisdem sanctæ apostolicæ sedis legato & nunciis,

QUamvis in decreto de justificatione multus fuerit de pœnitentia "sacramento, propter locorum cognationem, necessaria quadam ratione sermo interpositus, tanta nihilo minus circa illud nostra hac ætate diversorum errorum est multitudo, ut non parum publicæ utilitatis retulerit, de eo exactiorem & pleniorem definitionem tradidisse, in qua, demonstratis & convulsis Spiritus sancti præsidio universis erroribus, catholica veritas perspicua & illustris fieret, quam nunc sancta hæc synodus Christianis omnibus perpetuo servandam proponit.

"Sess. sexta c. 14.

CAPUT I.

De necessitate & institutione sacramenti pœnitentiæ.

Si in ea regeneratis omnibus gratitudo erga Deum esset, ut justitiam in baptismo, ipsius beneficio & gratia susceptam, constanter tuerentur, non fuisset opus aliud ab ipso sacramentum ad peccatorum remissionem esse institutum. Quoniam autem Deus, dives in misericordia, cognovit figmentum nostrum, illis etiam vitæ remedium contulit, qui sese postea in peccati servitutem & dæmonis potestatem tradidissent: sacramentum videlicet pœnitentiæ, quo lapsis post baptismum, beneficium mortis Christi applicatur. Fuit quidem pœnitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam & justitiam assequendam necessaria, illis etiam, qui baptismi sacramento ablui petivissent, ut perversitate abiecta & emendata, tantam Dei offensionem cum peccati odio, & pio animi dolore detestarentur. Unde propheta ait: *Convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas.* Dominus etiam dixit: *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.* Et princeps apostolorum Petrus, peccatoribus baptismo initiandis pœnitentiam commendans, dicebat: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum.* Porro nec ante adventum Christi pœnitentia erat sacramentum, nec est post adventum illius cuiquam ante baptismum. Dominus autem sacramentum pœnitentiæ tunc præcipue instituit, cum a mortuis excitatus insufflavit in discipulos suos, dicens: *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Quo tam insigni facto, & verbis tam perspicuis, potestatem remittendi & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles post baptismum lapsos, apostolis, & eorum legitimis successoribus, fuisse communicatam, universorum patrum consensus semper intellexit. Et" Novatianos remittendi potestatem olim pertinaciter negantes magna ratione ecclesia catholica tamquam hæreticos explosit atque condemnavit. Quare verissimum hunc illorum verborum domini sensum sancta hæc synodus probans & recipiens, damnat eorum commentitias interpretationes, qui verba illa ad potestatem prædicandi verbum Dei, & Christi evangelium annuntiandi contra hujusmodi sacramenti institutionem falso detorquent.

Psal. 102. Ephes. 2.

Sess. sexta c. 14. Cabill. c. 8.

Ezech. 18. & 33. Osee. 2. Luc. 23.

Joan. 20.

ANNO CHRISTI 1551. *Act. 2. Infra cap. 8. & can. 3.*

Euf. aliique Hift. eccle. fcriptores.

CAPUT II.

De differentia sacramenti pœnitentiæ & baptismi.

Ceterum hoc sacramentum multis rationibus a baptismo differre dignoscitur. Nam præterquam quod materia & forma, quibus sacramenti essentia perficitur, longissime dissidet, constat certe baptismi ministrum judicem esse non oportere, cum ecclesia in neminem judicium exerceat, qui non prius in ipsam per baptismi januam fuerit ingressus. *Quid enim mihi*, inquit apostolus, *de his qui foris sunt, judicare?* Secus est de domesticis fidei, quos Christus dominus lavacro baptismi sui corporis membra semel effecit. Nam hos, si se postea crimine aliquo contaminaverint, non jam repetito baptismo ablui, cum id in ecclesia catholica nulla ratione liceat, sed ante hoc tribunal tanquam reos sisti voluit, ut per sacerdotum sententiam non semel, sed quoties ab admissis peccatis ad ipsum pœnitentes confugerint, possent liberari. Alius est præterea baptismi, alius pœnitentiæ fructus. Per baptismum enim Christum induentes, nova prorsus in illo efficimur creatura, plenam & integram peccatorum omnium remissionem consequentes: ad quam tamen novitatem & integritatem per sacramentum pœnitentiæ sine magnis nostris fletibus & laboribus, divina id exigente justitia, pervenire nequaquam possumus: ut merito pœnitentia "laboriosus quidam baptismus a sanctis patribus dictus fuerit. Est autem hoc sacramentum pœnitentiæ lapsis post baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse baptismus.

Sess. 6. c. 14. de justificatione & infra can. 2.

1. Cor. 5. & 12.

Gal. 3.

"1. Nazianz. or. 39. insancta lumina, Damasc. lib. IV. de fide c. 10.

CAPUT III.

De partibus & fructu hujus sacramenti.

Docet præterea sancta synodus, sacramenti pœnitentiæ formam, in qua præcipue ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam esse: Ego te absolvo, &c. Quibus quidem de ecclesiæ sanctæ more preces quædam laudabiliter adjunguntur, ad ipsius tamen formæ essentiam nequaquam spectant, neque ad ipsius sacramenti

ANNO CHRISTI 1551.

menti administrationem sunt necessariæ. Sunt autem quasi materia hujus sacramenti, ipsius pœnitentis actus, nempe contritio, confessio, & satisfactio: qui, quatenus in pœnitente ad integritatem sacramenti, ad plenamque & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione partes pœnitentiæ dicuntur. Sane vero res & effectus hujus sacramenti, quantum ad ejus vim & efficaciam pertinet, reconciliatio est cum Deo, quam interdum in viris piis & cum devotione hoc sacramentum percipientibus, conscientiæ pax ac serenitas cum vehementi spiritus consolatione consequi solet. Hæc de partibus & effectu hujus sacramenti sancta synodus tradens, simul eorum sententias damnat, qui pœnitentiæ partes incussos conscientiæ terrores & fidem esse contendunt.

Sess. 6. de just. c. 14. & infr. can. 4.

CAPUT IV.

De contritione.

Contritio, quæ primum locum inter dictos pœnitentis actus habet, animi dolor ac detestatio est de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero. Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius: & in homine post baptismum lapso ita demum præparat ad remissionem peccatorum, si cum fiducia divinæ misericordiæ, & voto præstandi reliqua, conjunctus sit, quæ ad rite suscipiendum hoc sacramentum requiruntur. Declarat igitur sancta synodus, hanc contritionem, non solum cessationem a peccato, & vitæ novæ propositum, & inchoationem, sed veteris etiam odium continere, juxta illud: *Projicite a vobis omnes iniquitates vestras, in quibus prævaricati estis: & facite vobis cor novum & spiritum novum.* Et certe, qui illos sanctorum clamores consideraverit: *Tibi soli peccavi, & malum coram te feci: Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum: recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*: & alios hujusmodi generis, facile intelliget, eos ex vehementi quodam anteactæ vitæ odio, & ingenti peccatorum detestatione manasse. Docet præterea, etsi contritionem hanc aliquando caritate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur; ipsam nihilo minus reconciliationem ipsi contritioni sine sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse ascribendam. Illam vero contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ, declarat non solum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verumetiam donum Dei esse, & Spiritus sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat. Et quamvis sine sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit. Hoc enim timore utiliter concussi Ninivitæ ad Jonæ prædicationem plenam terroribus pœnitentiam egerunt, & misericordiam a domino impetrarunt. Quamobrem falso quidam calumniantur catholicos scriptores, quasi tradiderint sacramentum pœnitentiæ absque bono motu suscipientium gratiam conferre: quod nunquam ecclesia Dei docuit, nec sensit; sed & falso docent contritionem esse extortam & coactam, non liberam & voluntariam.

Sess. 6. c. 6. & 14.

Infra can. 5.

Exod. 18.

Psalm. 50. Psalm. 6. Isaj. 38.

Jonæ 3. Matth. 12. Luc. 11.

SESSIO XIV. 25. Nov. 1551.

CAPUT V.

De confessione.

Ex institutione sacramenti pœnitentiæ jam explicata universa ecclesia semper intellexit, institutam etiam a domino integram peccatorum confessionem, & omnibus post baptismum lapsis jure divino necessariam existere, quia dominus noster Jesus Christus, e terris ascensurus ad cœlos, sacerdotes suiipsius vicarios reliquit, tanquam præsides & judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles cecideriut, quo pro potestate clavium remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronuncient. Constat enim sacerdotes judicium hoc incognita causa exercere non potuisse, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis servare potuisse, si in genere dumtaxat, & non potius in specie ac sigillatim sua ipsi peccata declarassent. Ex his colligitur oportere pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum, post diligentem sui discussionem, conscientiam habent, in confessione recenseri, etiamsi occultissima illa sint, & tantum adversus duo ultima decalogi præcepta commissa, quæ nonnunquam animum gravius sauciant, & periculosiora sunt iis quæ in manifesto admittuntur. Nam venialia, quibus a gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentius labimur, quamquam recte & utiliter, citraque omnem præsumptionem, in confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat, taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt. Verum cum universa mortalia peccata, etiam cogitationes, homines iræ filios & Dei inimicos reddant, necessum est omnium etiam veniam cum aperta & verecunda confessione a Deo quærere. Itaque dum omnia quæ memoriæ occurrunt peccata Christi fideles confiteri studeut, procul dubio omnia divinæ misericordiæ agnoscenda exponunt. Qui vero secus faciunt, & scienter aliqua retinent, nihil divinæ bonitati per sacerdotem remittendum proponunt. Si enim erubescat "ægrotus vulnus medito detegere, quod ignorat, medicina non curat. Colligitur præterea, etiam eas circumstantias in confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant; quod sine illis peccata ipsa neque a pœnitentibus integre exponantur, nec judicibus innotescant; & fieri nequeat ut de gravitate criminum recte censere possint, & pœnam, quam oportet, pro illis, pœnitentibus imponere. Unde alienum a ratione est, docere, circumstantias has ab hominibus otiosis excogitatas fuisse, aut unam tantum circumstantiam confitendam esse, nempe peccasse in fratrem. Sed & impium est, confessionem, quæ hac ratione fieri præcipitur, impossibilem dicere, aut carnificinam illam conscientiarum appellare. Constat enim nihil aliud a pœnitentibus in ecclesia exigi, quam ut postquam quisque diligentius se excusserit, & conscientiæ suæ sinus omnes & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se dominum & Deum suum mortaliter offendisse meminerit: reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem confessione inclusa esse intelliguntur, pro quibus fideliter cum propheta dicimus: *Ab occultis meis munda me domine.* Ipsa vero hujusmodi confessionis difficultas, ac peccata detegendi

Luc. 5. 17. 1. Jo. 1. Jac. 5.

Jo. 20. Matth. 16.

Infra can. 6.

Deut. 5.

" cogitationis Ephes. 2.

" Hier. in eccle. 10. Si mordeat serpens in silentio.

Psalm. 18.

SESSIO XIV. 25. Nov. 1551.

gendi verecundia, gravis quidem videri posset, nisi tot tantisque commodis & consolationibus levaretur, quæ omnibus digne ad hoc sacramentum accedentibus per absolutionem certissime conferuntur. Ceterum quoad modum confitendi secreto apud solum sacerdotem, & si Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum, & sui humiliationem, cum ob aliorum exemplum, tum ob ecclesiæ offensæ ædificationem, delicta sua publice confiteri possit, non est tamen hoc divino præcepto mandatum, nec satis consulte humana aliqua lege præciperetur, ut delicta, præsertim secreta, publica essent confessione aperienda. Unde cum a sanctissimis & antiquissimis patribus magno unanimique consensu secreta confessio sacramentalis, qua ab initio ecclesia sancta usa est, & modo etiam utitur, fuerit semper commendata, manifeste refellitur inanis eorum calumnia, qui eam a divino mandato alienam, & inventum humanum esse, atque a patribus in concilio Lateranensi congregatis initium habuisse, docere non verentur. Neque enim per Lateranense concilium ecclesia statuit ut Christi fideles confiterentur, quod jure divino necessarium & institutum esse intellexerat; sed ut præceptum confessionis, saltem semel in anno, ab omnibus & singulis, cum ad annos discretionis perveniissent, impleretur. Unde jam in universa ecclesia, cum ingenti animarum fructu observatur mos ille salutaris confitendi sacro illo & maxime acceptabili tempore quadragesimæ: quem morem hæc sancta synodus maxime probat & amplectitur, tanquam pium & merito retinendum.

Concilium Cabil. c. 3.

Concilio Lateranensi sub Innoc. III. cap. 21. cap. Omnis utriusque, de pœnis & remiss.

Infra can. 8. & 14.

CAPUT VI.

De ministro hujus sacramenti, & absolutione.

Circa ministrum autem hujus sacramenti declarat sancta synodus falsas esse & a veritate evangelii penitus alienas doctrinas omnes, quæ ad alios quosvis homines, præter episcopos & sacerdotes, clavium ministerium perniciose extendunt; putantes verba illa domini, *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt alligata & in cœlo, & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo:* &, *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt*, ad omnes Christi fideles indifferenter & promiscue, contra institutionem hujus sacramenti, ita fuisse dicta, ut quivis potestatem habeat remittendi peccata; publica quidem per correptionem, si correptus acquieverit, secreta vero per spontaneam confessionem cuicumque factam. Docet quoque, etiam sacerdotes, qui peccato mortali tenentur, per virtutem Spiritus sancti in ordinatione collatam, tanquam Christi ministros functionem remittendi peccata exercere; eosque prave sentire, qui in malis sacerdotibus hanc potestatem non esse contendunt. Quamvis autem absolutio sacerdotis alieni beneficii sit dispensatio, tamen non est solum nudum ministerium vel annunciandi evangelium, vel declarandi remissa esse peccata, sed ad instar actus judicialis, quo ab ipso, velut a judice, sententia pronunciatur: atque ideo non debet pœnitens adeo sibi de sua ipsius fide blandiri, ut etiamsi nulla illi adsit contritio, aut sacerdoti animus serio agendi & vere absolvendi desit, putet tamen se propter suam solam fidem, vere & coram Deo esse absolutum. Nec enim fides sine pœnitentia remissionem ullam peccatorum præstaret; nec is esset nisi salutis suæ negligentissimus, qui sacerdotem jocose absolventem cognosceret, & non alium serio agentem sedulo requireret.

Infra can. 10.

Matth. 16. & 18.

Joan. 20.

Infra can. 9.

CAPUT VII.

ANNO CHRISTI 1551.

De casuum reservatione.

Quoniam igitur natura & ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur, persuasum semper in ecclesia Dei fuit, & verissimum esse synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet jurisdictionem. Magnopere vero ad Christiani populi disciplinam pertinere sanctissimis patribus nostris visum est, ut atrociora quædam & graviora crimina non a quibusvis, sed a "summis dumtaxat sacerdotibus absolverentur. Unde merito pontifices maximi pro suprema potestate sibi in ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari judicio reservare. Neque dubitandum est, quando omnia quæ a Deo sunt, ordinata sunt, quin hoc idem episcopis omnibus, in sua cuique diœcesi, in ædificationem tamen, non in destructionem, liceat; pro illis in subditos tradita supra reliquos inferiores sacerdotes auctoritate, præsertim quoad illa quibus excommunicationis censura annexa est. Hanc autem delictorum reservationem consonum est divinæ auctoritati, non tantum in externa politia, sed etiam coram Deo, vim habere. Verumtamen pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis: atque ideo omnes sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis & censuris absolvere possint: extra quem articulum sacerdotes, cum nihil possint in casibus reservatis, id unum pœnitentibus persuadere nitantur, ut ad superiores legitimos judices pro beneficio absolutionis accedant.

" Cypr. Orig. Innoc. III. Alex. III. &c.

Cæl. 1. ep. 2. c. 2. & 4. Carthag. Tol. &c.

CAPUT VIII.

De satisfactionis necessitate & fructu.

Demum quoad satisfactionem, quæ ex omnibus pœnitentiæ partibus quemadmodum a patribus nostris Christiano populo fuit perpetuo tempore commendata, ita una maxime nostra ætate, summo pietatis prætextu, impugnatur ab iis qui speciem pietatis habent, virtutem autem ejus abnegarunt; sancta synodus declarat, falsum omnino esse, & a verbo Dei alienum, culpam ᵛ a domino nunquam remitti, quin universa etiam pœna condonetur. Perspicua enim & illustria in sacris literis ᵛ exempla reperiuntur, quibus, præter divinam traditionem, hic error, quam manifestissime revincitur. Sane & divinæ justitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante baptismum per ignorantiam deliquerint, aliter vero qui semel a peccati & dæmonis servitute liberati, & accepto Spiritus sancti dono scienter templum Dei violare & Spiritum sanctum contristare non formidaverint. Et divinam clementiam decet, ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut occasione accepta, peccata leviora putantes, velut injurii & contumelioſi Spiritui sancto in graviora labamur, thesaurizantes nobis iram in die iræ. Procul dubio enim magnopere a peccato revocant, & quasi freno quodam coercent hæ satisfactoriæ pœnæ, cautioresque & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt: medentur quoque peccatorum

ᵛ Sess. 6. c. 14. & can. 30. de justif.

ᵛ Gen. 3. 2. Reg. 12. Num. 12. & 20.

2. Cor. 3. Ephes. 4.

Hebr. 10. Rom. 2.

ANNO CHRISTI 1551.

torum reliquiis, & vitiosos habitus male vivendo comparatos contrariis virtutum actionibus tollunt. Neque vero securior ulla via in ecclesia Dei unquam existimata fuit ad amovendam imminentem a domino pœnam, quam ut hæc pœnitentiæ opera homines cum vero animi dolore frequentent. Accedit ad hæc, quod dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Jesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, ex quo omnis nostra sufficientia est, conformes efficimur; certissimam quoque inde arrham habentes, quod si compatimur & conglorificabimur. Neque vero ita nostra est satisfactio hæc, quam pro peccatis nostris exolvimus, ut non sit per Christum Jesum: nam qui ex nobis tanquam ex nobis nihil possumus, eo cooperante qui nos confortat, omnia possumus. Ita non habet homo unde glorietur, sed omnis gloriatio nostra in Christo est: in quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur a Patre. Debent ergo sacerdotes domini, quantum spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum & pœnitentium facultate, salutares & convenientes satisfactiones injungere: ne, si forte peccatis conniveant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, leviſsima quædam opera pro graviſsimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem. Nam claves sacerdotum non ad solvendum dumtaxat, sed & ad ligandum concessas, etiam antiqui patres & credunt & docent. Nec propterea existimarunt sacramentum pœnitentiæ esse forum iræ, vel pœnarum, sicut nemo unquam catholicus sensit, ex hujusmodi nostris satisfactionibus vim meriti & satisfactionis domini nostri Jesu Christi vel obscurari, vel aliqua ex parte imminui: quod dum Novatores intelligere volunt, ita optimam pœnitentiam novam vitam esse docent, ut omnem satisfactionis vim & usum tollant.

Exech. 33. Jonæ 3. Jerem. 3. 18. 25. Is. 30. Eccl. 17. Matt. 3. &c. 2. Jo. 2. 2. Cor. 3.

2. Cor. 3. Psal. 4. 1. Cor. 1. 2. Cor. 10. Gal. 6. Matth. 3. Luc. 3. 10. 17. Carthag. II. & IV. Afric. Cabil. &c.

Matth. 16. Joan. 20. Infra can. 3. 13. & ult. de pœnit.

CAPUT IX.

De operibus satisfactionis:

Docet præterea, tantam esse divinæ munificentiæ largitatem, ut non solum pœnis sponte a nobis pro vindicando peccato susceptis, aut sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositis, sed etiam (quod maximum amoris argumentum est) temporalibus flagellis a Deo inflictis, & a nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem per Christum Jesum satisfacere valeamus.

DOCTRINA DE SACRAMENTO extremæ unctionis.

Visum est autem sanctæ synodo præcedenti doctrinæ de pœnitentia adjungere ea quæ sequuntur de sacramento extremæ unctionis: quod non modo pœnitentiæ, sed etiam totius Christianæ vitæ, quæ perpetua pœnitentia esse debet, consummativum existimatum est a patribus. Primum itaque circa illius institutionem declarat & docet, quod clementissimus redemptor noster, qui servis suis quovis tempore voluit de salutaribus remediis adversus omnia omnium hostium tela esse prospectum, quemadmodum auxilia maxima in sacramentis aliis præparavit, quibus Christiani conservare se integros, dum viverent, ab omni graviore spiritus incommodo possint, ita extremæ unctionis sacramento finem vitæ tanquam firmissimo quodam præsidio munivit. Nam etsi adversarius noster occasiones per omnem vitam quærat & captet, ut devorare animas nostras quoquo modo possit, nullum tamen tempus est, quo vehementius ille omnes suæ versutiæ nervos intendat ad perdendos nos penitus, & a fiducia etiam, si possit, divinæ misericordiæ deturbandos, quam cum impendere nobis exitum vitæ prospicit.

Infra can. primo de extr. unct. Epist. 6.

SESSIO XIV. 25. Nov. 1551. *1. Petr. 5.*

CAPUT I.

De institutione sacramenti extremæ unctionis.

Instituta est autem sacra hæc unctio infirmorum, tanquam vere & proprie sacramentum novi testamenti, a Christo domino nostro apud Marcum quidem insinuatum, per Jacobum autem apostolum ac domini fratrem, fidelibus commendatum ac promulgatum. *Infirmatur*, inquit, *quis in vobis? inducat presbyteros ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine domini: & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum dominus: & si in peccatis sit, dimittentur ei.* Quibus verbis, ut ex apostolica traditione per manus accepta ecclesia didicit, docet materiam, formam, proprium ministrum, & effectum hujus salutaris sacramenti. Intellexit enim ecclesia, materiam esse oleum ab episcopo benedictum: nam unctio aptissime Spiritus sancti gratiam, qua invisibiliter anima ægrotantis inungitur, repræsentat. Formam deinde esse illa verba, Per istam unctionem, *&c.*

Jacob. 5.

CAPUT II.

De effectu hujus sacramenti.

Res porro & effectus hujus sacramenti illis verbis explicatur: *Et oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum dominus: & si in peccatis sit, dimittentur ei.* Res etenim hæc gratia est Spiritus sancti, cujus unctio delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias, abstergit, & ægroti animam alleviat & confirmat, magnam in eo divinæ misericordiæ fiduciam excitando: qua infirmus sublevatus, & morbi incommoda ac labores levius fert, & tentationibus dæmonis, calcaneo insidiantis facilius resistit, & sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, consequitur.

Ibidem.

Can. 2. infra.

Gen. 2.

CAPUT III.

De ministro hujus sacramenti, & tempore quo dari debeat.

Jam vero, quod attinet ad præscriptionem eorum qui & suscipere & ministrare hoc sacramentum debent, haud obscure fuit illud etiam in verbis prædictis traditum. Nam & ostenditur illic, proprios hujus sacramenti ministros ecclesiæ presbyteros, quo nomine eo loco non ætate seniores, aut primores in populo, intelligendi veniunt, sed aut episcopi aut sacerdotes ab ipsis rite ordinati per impositionem manuum presbyterii. Declaratur etiam, esse hanc unctionem infirmis adhibendam, illis vero præsertim, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur: unde & sacramentum exeuntium nuncupatur. Quod si infirmi post susceptam hanc unctionem convaluerint, iterum hujus sacramenti subsidio juvari

Can. ult. infra.

1. Tim. 4.

SESSIO XIV. 25. Nov. 1551.

juvari poterunt, cum in aliud simile vitæ discrimen inciderint. Quare nulla ratione audiendi sunt, qui contra tam apertam & dilucidam apostoli Jacobi sententiam, docent hanc unctionem vel figmentum esse humanum, vel ritum a patribus acceptum, nec mandatum Dei, nec promissionem gratiæ habentem: & qui illam jam cessasse asserunt, quasi ad gratiam curationum dumtaxat in primitiva ecclesia referenda esset; & qui dicunt ritum & usum, quem sancta Romana ecclesia in hujus sacramenti administratione observat, Jacobi apostoli sententiæ repugnare, atque ideo in alium commutandum esse; & denique, qui hanc extremam unctionem a fidelibus sine peccato contemni posse affirmant. Hæc enim omnia manifestissime pugnant cum perspicuis tanti apostoli verbis. Nec profecto ecclesia Romana, aliarum omnium mater & magistra, aliud in hac administranda unctione, quantum ad ea quæ hujus sacramenti substantiam perficiunt, observat, quam quod beatus Jacobus præscripsit. Neque vero tanti sacramenti contemptus absque ingenti scelere, & ipsius Spiritus sancti injuria, esse posset.

Can. 3. infra.

Hæc sunt, quæ de pœnitentiæ & extremæ unctionis sacramentis hæc sancta œcumenica synodus profitetur & docet, atque omnibus Christi fidelibus credenda & tenenda proponit. Sequentes autem canones inviolabiliter servandos esse tradit, & asserentes contrarium perpetuo damnat & anathematizat.

DE SANCTISSIMO POENITENTIÆ SACRAMENTO.

CANON I.

Sup. c. 1. Si quis dixerit, in catholica ecclesia pœnitentiam non esse vere & proprie sacramentum, pro fidelibus, quoties post baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, a Christo domino nostro institutum, anathema sit.

II.

Ibidem. Si quis sacramenta confundens, ipsum baptismum pœnitentiæ sacramentum esse dixerit, quasi hæc duo sacramenta distincta non sint, atque ideo pœnitentiam non recte secundam post naufragium tabulam appellari, anathema sit.

III.

Ibidem & sess. 6. c. 14. Joan. 20. Matth. 16. Si quis dixerit, verba illa domini salvatoris, *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt*, non esse intelligenda de potestate remittendi & retinendi peccata in sacramento pœnitentiæ, sicut ecclesia catholica ab initio semper intellexit, detorserit autem contra institutionem hujus sacramenti, ad auctoritatem prædicandi evangelium, anathema sit.

IV.

Sup. c. 3. Si quis negaverit ad integram & perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in pœnitente, quasi materiam sacramenti pœnitentiæ, videlicet contritionem, confessionem, & satisfactionem, quæ tres pœnitentiæ partes dicuntur: aut dixerit, duas tantum esse pœnitentiæ partes, terrores scilicet incussos conscientiæ, agnito peccato, & fidem conceptam ex evangelio, vel absolutione, qua credit quis sibi per Christum remissa peccata, anathema sit.

ANNO CHRISTI 1551.

V.

Sup. c. 4. Si quis dixerit, eam contritionem, quæ paratur per discussionem, collectionem, & detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incursum, cum proposito melioris vitæ, non esse verum & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam, & magis peccatorem; demum illam esse dolorem coactum, & non liberum ac voluntarium, anathema sit. Isa. 38.

VI.

Sup. c. 5. Si quis negaverit confessionem sacramentalem vel institutam, vel ad salutem necessariam esse jure divino; aut dixerit modum secrete confitendi soli sacerdoti, quem ecclesia catholica ab initio semper observavit & observat, alium esse ab institutione & mandato Christi, & inventum esse humanum, anathema sit.

VII.

Ibidem. Si quis dixerit, in sacramento pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino, confiteri omnia & singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta & quæ sunt contra duo ultima decalogi præcepta, & circumstantias quæ peccati speciem mutant: Deut. 5. sed eam confessionem tantum esse utilem ad erudiendum & consolandum pœnitentem, & olim observatam fuisse tantum ad satisfactionem canonicam imponendam; aut dixerit eos, qui omnia peccata confiteri student, nihil relinquere velle divinæ misericordiæ ignoscendum: aut demum non licere confiteri peccata venialia, anathema sit.

VIII.

Sup. c. 5. Si quis dixerit, confessionem omnium peccatorum, qualem ecclesia servat, esse impossibilem, & traditionem humanam, a piis abolendam: aut ad eam non teneri omnes & singulos utriusque sexus Christi fideles, juxta magni concilii Lateranensis constitutionem, semel in anno, & ob id suadendum esse Christi fidelibus, ut non confiteantur tempore quadragesimæ, anathema sit. "cap. Omnis, de pœn. & remiss.

X.

SESSIO XIV. 25. Nov. 1551.

IX.

Si quis dixerit, absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum judicialem, Sup. c. 6. sed nudum ministerium pronunciandi & declarandi remissa esse peccata confitenti, modo tantum credat se esse absolutum: aut sacerdos non serio sed joco absolvat; aut dixerit non requiri confessionem pœnitentis, ut sacerdos eum absolvere possit, anathema sit.

X.

Sup. c. 1. & 6. Si quis dixerit, sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi & solvendi non habere, aut non solos sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus & singulis Christi fidelibus esse dictum: *Quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo;* &: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt;* quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata, publica quidem per correptionem dumtaxat, si correptus acquieverit, secreta vero per spontaneam confessionem, anathema sit.

Matth. 16. & 18. Joan. 20.

XI.

Sup. c. 7. Si quis dixerit, episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideo casuum reservationem non prohibere, quo minus sacerdos a reservatis vere absolvat, anathema sit.

XII.

Sup. c. 8. Si quis dixerit totam pœnam simul cum culpa remitti semper a Deo, satisfactionemque pœnitentium non esse aliam quam fidem, qua apprehendunt Christum pro eis satisfeciisse, anathema sit.

XIII.

Sup. c. 8. & 9. Si quis dixerit, pro peccatis, quoad pœnam temporalem, minime Deo per Christi merita satisfieri pœnis ab eo inflictis, & patienter toleratis, vel a sacerdote injunctis, sed neque sponte susceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus, atque ideo optimam pœnitentiam esse tantum novam vitam, anathema sit.

XIV.

Sup. c. 8. Si quis dixerit, satisfactiones, quibus pœnitentes per Christum Jesum peccata redimunt, non esse cultus Dei, sed traditiones hominum, doctrinam de gratia & verum Dei cultum, atque ipsum beneficium mortis Christi obscurantes, anathema sit.

XV.

Sup. c. 2. & 8. Si quis dixerit, claves ecclesiæ esse datas tantum ad solvendum, non etiam ad ligandum; & propterea sacerdotes, dum imponunt pœnas confitentibus, agere contra finem clavium, & contra institutionem Christi, & fictionem esse, quod virtute clavium sublata pœna æterna, pœna temporalis plerumque exolvenda remaneat, anathema sit.

ANNO CHRISTI 1551.

DE SACRAMENTO EXTREMÆ UNCTIONIS.

CANON I.

Si quis dixerit, extremam unctionem non esse vere & proprie sacramentum a Christo domino nostro institutum, & a beato Jacobo apostolo promulgatum, sed ritum tantum acceptum a patribus, aut figmentum humanum, anathema sit. Sup. c. 1. de hoc sacramento. Jac. 5.

II.

Si quis dixerit, sacram infirmorum unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos, sed jam cessasse, quasi olim tantum fuerit gratia curationum, anathema sit. Sup. c. 2.

III.

Si quis dixerit, extremæ unctionis ritum & usum, quem observat sancta Romana ecclesia, repugnare sententiæ beati Jacobi apostoli, ideoque eum mutandum, posseque a Christianis absque peccato contemni, anathema sit. Sup. c. 3. Jac. 5.

IV.

Si quis dixerit, presbyteros ecclesiæ, quos beatus Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse sacerdotes ab episcopo ordinatos, sed ætate seniores in quavis communitate, ob idque proprium extremæ unctionis ministrum non esse solum sacerdotem, anathema sit. Jac. 5. Sup. c. 3.

DECRETUM DE REFORMATIONE.

Proœmium.

Episcoporum munus esse, subditos, præsertim ad animarum curam constitutos, admonere officii sui.

Cum proprie episcoporum munus sit subditorum omnium vitia redarguere; hoc illis præcipue cavendum erit, ne clerici, præsertim ad animarum curam constituti, criminosi sint, neve inhonestam vitam ipsis conniventibus ducant. Nam si eos pravis & corruptis moribus esse permittant, quo pacto laicos de ipsorum vitiis redarguent, qui uno ab eis sermone convinci possent, quod clericos ipsi patiantur esse deteriores? Qua etiam libertate laicos corripere poterunt sacerdotes, cum tacite sibiipsi respondeant, eadem se admisisse quæ corripiunt? Monebunt propterea episcopi suos clericos, in quocumque ordine fuerint, ut conversatione, sermone, & scientia commisso sibi Dei populo præeant, memores ejus quod scriptum est: *Sancti estote, quia & ego sanctus sum*: & juxta apostoli vocem, nemini dent ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium Sess. 6. de ref. c. 3. Conc. Tol. IX. 1. Cor. 9. Sess. 22. c. 1. de ref. Levit. 11. 19. & 20. 2. Cor. 6.

SESSIO XIV. 23. Nov. 1551.

ium eorum : ſed in omnibus exhibeant ſe ſicut A miniſtros Dei, ne illud prophetæ dictum impleatur in eis: *Sacerdotes Dei contaminant ſancta, & reprobant legem*. Ut autem ipſi epiſcopi id liberius exequi, ac quoquam prætextu deſuper impediri nequeant, eadem ſacroſancta & œcumenica & generalis Tridentina ſynodus, præſidentibus in ea eiſdem apoſtolicæ ſedis legato & nunciis, hos qui ſequuntur canones ſtatuendos & decernendos duxit.

Exech. 22. Sophon. 3.

CAPUT I.

Si prohibiti aſcendere ad ordines, aſcendant; ſi interdicti, ſi ſuſpenſi, puniantur.

B

Cum honeſtius ac tutius ſit ſubjecto, debitam præpoſitis obedientiam impendendo, in inferiori miniſterio deſervire, quam cum præpoſitorum ſcandalo graduum altiorum appetere dignitatem; ei, cui aſcenſus ad ſacros ordines a ſuo prælato ex quacumque cauſa, etiam ob occultum crimen, quomodolibet, etiam extrajudicialiter, fuerit interdictus; aut qui a ſuis ordinibus, ſeu gradibus, vel dignitatibus eccleſiaſticis fuerit ſuſpenſus, nulla contra ipſius prælati voluntatem conceſſa licentia de ſe promoveri faciendo, aut ad priores ordines, gradus & dignitates ſive honores reſtitutio ſuffragetur.

CAPUT II.

C

Si epiſcopus quoſcumque ordines contulerit ſibi non ſubdito, etiam familiari, ſine expreſſo proprii prælati conſenſu, utrque decretæ pœnæ ſubjaceat.

Et quoniam nonnulli epiſcopi eccleſiarum quæ in partibus infidelium conſiſtunt, clero carentes & populo Chriſtiano, cum fere vagabundi ſint, & permanentem ſedem non habeant, non quæ Jeſu Chriſti, ſed alienas oves inſcio proprio paſtore quærentes, dum per hanc ſanctam ſynodum ſe pontificalia officia in alterius diœceſi, niſi de loci ordinarii expreſſa licentia, & in perſonas eidem ordinario ſubjectas tantum, exercere prohibitos D vident, in legis fraudem, & contemptum, quaſi epiſcopalem cathedram in loco nullius diœceſis ſua temeritate, eligunt, & quoſcumque ad ſe venientes, etiamſi ſuorum epiſcoporum prælatorum literas commendatitias non habeant, clericali charactere inſignire, & ad ſacros etiam presbyteratus ordines promovere præſumunt: quo plerumque fit, ut minus idonei & rudes ac ignari, & qui a ſuo epiſcopo tanquam inhabiles & indigni rejecti fuerunt, ordinati, nec divina officia peragere, nec eccleſiaſtica ſacramenta recte valeant miniſtrare: nemo epiſcoporum, qui titulares vocantur, etiamſi in loco nullius diœceſis, etiam exempto, aut aliquo monaſterio cujuſvis ordinis reſederint, aut moram traxerint, vigore cujuſvis pri- E vilegii, ſibi de promovendo quoſcumque ad ſe venientes pro tempore conceſſi, alterius ſubditum, etiam prætextu familiaritatis continuæ commenſalitatis ſuæ, abſque ſui proprii prælati expreſſo conſenſu, aut literis dimiſſoriis, ad aliquos ſacros, aut minores ordines, vel primam tonſuram promovere ſeu ordinare valeat. Contra faciens ab exercitio pontificalium per annum; taliter vero promotus, ab executione ordinum ſic ſuſceptorum, donec ſuo prælato viſum fuerit, ipſo jure ſint ſuſpenſi.

Supra ſeſſ. 6. c. 5 de reformatione. Infra c. 8.

Infra ſeſſ. 23. c. 3. 8. & 19. de ref. Nic. I. 15. Aurel. III. 13. Mog. c. 14.

CAPUT III.

ANNO CHRISTI 1551.

Epiſcopus ſuos clericos ab alio male promotos non admittat ad officia celebranda, niſi prævio examine.

Epiſcopus quoſcumque ſuos clericos, præſertim in ſacris conſtitutos, abſque ſuo præcedenti examine & commendatitiis literis, quacumque auctoritate promotos, licet tanquam habiles ab eo a quo ordinati ſunt, probatos, quos tamen ad divina officia celebranda, ſeu eccleſiaſtica ſacramenta miniſtranda minus idoneos & capaces repererit, a ſuſceptorum ordinum exercitio ad tempus, de quo ei videbitur, ſuſpendere, & illis ne in altari aut aliquo ordine miniſtrent interdicere poſſit.

ſeſſ. 23. c. 8. de ref.

CAPUT IV.

Nullus clericus eximatur a correctione epiſcopi, etiam extra viſitationem.

Omnes eccleſiarum prælati, qui ad corrigendos ſubditorum exceſſus diligenter intendere debent, & a quibus nullus clericus per hujus ſanctæ ſynodi ſtatuta, cujuſvis privilegii prætextu, tutus cenſetur, quo minus juxta canonicas ſanctiones viſitari, puniri & corrigi poſſit; ſi in eccleſiis ſuis reſederint, quoſcumque ſæculares clericos, qualitercumque exemptos, qui alias ſuæ juriſdictioni ſubeſſent, de eorum exceſſibus, criminibus & delictis, quoties & quando opus fuerit, etiam extra viſitationem, tanquam ad hoc apoſtolicæ ſedis delegati, corrigendi & caſtigandi, facultatem habeant; quibuſcumque exemptionibus, declarationibus, conſuetudinibus, ſententiis, juramentis, concordiis; quæ tantum ſuos obligent auctores, ipſis clericis, ac eorum conſanguineis, capellanis, familiaribus, procuratoribus, & aliis quibuslibet, ipſorum exemptorum contemplatione & intuitu minime ſuffraganeis.

ſeſſ. 6. c. 3 de ref.

ſeſſ. 6. c. 4. de ref. & 14. c. 5. de ref.

CAPUT V.

Conſervatorum juriſdictio certis finibus concluditur.

Inſuper, cum nonnulli, qui ſub prætextu quod ſuper bonis & rebus ac juribus ſuis diverſæ eis injuriæ ac moleſtiæ inferantur, certos judices per literas conſervatorias deputari obtinent, qui illos a moleſtiis & injuriis hujuſmodi tueantur ac defendant, & in poſſeſſione, ſeu quaſi bonorum, rerum, ac jurium ſuorum manuteneant & conſervent, nec ſuper illis eos moleſtari permittant, ejuſmodi literas in pleriſque concedentis mentem in reprobum ſenſum detorqueant: idcirco nemini omnino, cujuſcumque dignitatis & conditionis ſit, etiamſi capitulum fuerit, conſervatoriæ literæ cum quibuſcumque clauſulis aut decretis, quorumcumque judicum deputatione, quocumque etiam alio prætextu aut colore conceſſæ, ſuffragentur ad hoc, ut coram ſuo epiſcopo, ſive alio ſuperiore ordinario, in criminalibus & mixtis cauſis accuſari & conveniri, ac contra eum inquiri & procedi non poſſit; aut quo minus, ſi qua jura ei ex ceſſione competierint, ſuper illis libere valeat apud judicem ordinarium conveniri. In civilibus etiam cauſis, ſi ipſe actor extiterit, aliquem ei apud ſuos conſervatores judices in judicium trahere minime liceat. Quod ſi in iis cauſis, in quibus ipſe

reus

Anno Christi 1551.

reus fuerit, contigerit, vel electus ab eo conservator ab actore suspectus esse dicatur, aut si qua inter ipsos judices, conservatorem & ordinarium; controversia super competentia jurisdictionis orta fuerit, nequaquam in causa procedatur, donec per arbitros in forma juris electos, super suspicione, aut jurisdictionis competentia fuerit judicatum. Familiaribus vero ejus, qui hujusmodi literis conservatoriis tueri se solent, nihil illæ prosint, præterquam duobus dumtaxat: si tamen illi propriis ejus sumptibus vixerint. Nemo etiam similium literarum beneficio ultra quinquennium gaudere possit. Non licet quoque conservatoribus judicibus ullum habere tribunal erectum. In

Supra sessione 7. cap. 14. de reformat.

causis vero mercedum, aut miserabilium personarum, hujus sanctæ synodi super hoc decretum in suo robore permaneat. Universitates autem generales, ac collegia doctorum seu scholarium, & regularia loca, nec non hospitalia actu hospitalitatem servantia, ac universitatum, collegiorum, locorum & hospitalium hujusmodi personæ, in præsenti canone minime comprehensæ, sed exemptæ omnino sint, & esse intelligantur.

CAPUT VI.

Pœna decernitur in clericos, qui in sacris constituti, aut beneficia possidentes, decenti sui ordinis veste non utuntur.

Conc. Matisc. I. c. 5.

Quia vero, etsi habitus non facit monachum, oportet tamen clericos vestes proprio congruentes ordini semper deferre, ut per decentiam habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendant: tanta autem hodie aliquorum inolevit temeritas, religionisque contemptus, ut propriam dignitatem & honorem clericalem parvipendentes, vestes etiam deferant publice laicales, pedes

Conc. Const. sess. 43.

in diversis ponentes, unum in divinis, alterum in carnalibus: propterea omnes ecclesiasticæ personæ, quantumcumque exemptæ, quæ aut in sacris fuerint, aut dignitates, personatus, officia, aut beneficia qualiacumque ecclesiastica obtinuerint, si postquam ab episcopo suo etiam per edictum publicum moniti fuerint, honestum habitum clericalem, illorum ordini & dignitati congruentem, & juxta ipsius episcopi ordinationem & mandatum non detulerint, per suspensionem ab ordinibus, ac officio & beneficio, ac fructibus, reditibus & proventibus ipsorum beneficiorum, nec non si semel correpti denuo in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum & beneficiorum hujusmodi, coerceri possint & debeant, constitutionem

Clementina Quoniam. De vita & honestate clericorum.

Clementis V. in concilio Viennensi editam, quæ incipit, Quoniam innovando & ampliando.

CAPUT VII.

Voluntarii homicidæ nunquam, casuales quomodo ordinandi.

Exod. 21.

Cum etiam qui per industriam occiderit proximum suum & per insidias, ab altari avelli debeat, qui sua voluntate homicidium perpetraverit, etiamsi crimen id nec ordine judiciario probatum, nec alia ratione publicum, sed occultum fuerit, nullo tempore ad sacros ordines promoveri possit; nec illi aliqua ecclesiastica beneficia, etiamsi curam non habeant animarum, conferre liceat; sed omni ordine, ac beneficio & officio ecclesiastico perpetuo careat. Si vero homicidium non ex proposito, sed casu, vel vim vi repellendo, ut quis se a morte defenderet, fuisse commissum narretur,

quam ob causam etiam ad sacrorum ordinum & altaris ministerium, & beneficia quæcumque, ac dignitates, jure quodammodo dispensatio debeatur, committatur loci ordinario, aut ex causa, metropolitano, seu viciniori episcopo, qui non nisi causa cognita, & probatis precibus ac narratis, nec aliter, dispensare possit.

Sessio XIV. 25. Nov. 1551.

CAPUT VIII.

Nulli alienos clericos ex privilegio punire liceat.

Præterea, quia nonnulli, quorum etiam aliqui veri sunt pastores, ac proprias oves habent, alienis etiam ovibus præesse quærunt, & ita alienis subditis quandoque intendunt, ut suorum curam negligant, quicumque, etiam episcopali præditus dignitate, qui alienos subditos puniendi privilegium habuerit, contra clericos sibi non subjectos, præsertim in sacris constitutos, quorumcumque etiam atrocium criminum reos, nisi cum proprii ipsorum clericorum episcopi, si apud ecclesiam suam residerit, aut personæ ab ipso episcopo deputandæ interventu, nequaquam procedere debeat: alias processus & inde secuta quæcumque viribus omnino careant.

Sess. 6. c. uls. de ref. & sup. c. 2.

Conc. Mog. sub Ar. ca. 14. & 15.

CAPUT IX.

Beneficia unius diœcesis nullo prætextu uniantur beneficiis alterius.

Et quia jure optimo distinctæ fuerunt diœceses & parochiæ, ac unicuique gregi proprii attributi pastores, & inferiorum ecclesiarum rectores, qui suarum quisque ovium curam habeant, ut ordo ecclesiasticus non confundatur, aut una & eadem ecclesia duarum quodammodo diœcesum fiat, non sine gravi eorum incommodo qui illi subditi fuerint: beneficia unius diœcesis, etiamsi parochiales ecclesiæ, vicariæ perpetuæ, aut simplicia beneficia, seu præstimonia, aut præstimoniales portiones fuerint, etiam ratione augendi cultum divinum aut numerum beneficiatorum, aut alia quacumque de causa alterius diœcesis beneficio, aut monasterio, seu collegio, vel loco etiam pio, perpetuo non uniantur; decretum hujus sanctæ synodi super hujusmodi unionibus in hoc declarando.

Sess. 24. de ref. cc. 18. & 15. & 17.

Supra sess. 7. cap. 6. & 7. De ref.

CAPUT X.

Regularia beneficia regularibus conferantur.

Regularia beneficia, in titulum regularibus professi provideri consueta, cum per obitum aut resignationem, vel alias illa in titulum obtinentis vacare contigerit, religiosis tantum illius ordinis, vel iis qui habitum omnino suscipere & professionem emittere teneantur, & non aliis, ne vestem lino lanaque contextam induant, conferantur.

Sess. 21. de regular. & monialibus.

Deut. 22.

CAPUT XI.

Translati ad alium ordinem in claustro sub obedientia maneant, & beneficiorum sæcularium incapaces existant.

Quia vero regulares de uno ad alium ordinem translati, facile a suo superiore licentiam standi extra monasterium obtinere solent, ex quo vagandi & apostatandi occasio tribuitur, nemo cujuscumque ordinis prælatus vel superior,

SESSIO XIV. 25. Nov. 1551.

vigore cujuſcumque facultatis aliquem ad habitum & profeſſionem admittere poſſit, niſi ut in ordine ipſo ad quem transfertur, ſub ſui ſuperioris obedientia in clauſtro perpetuo maneat, ac taliter translatus, etiamſi canonicorum regularium fuerit, ad beneficia ſæcularia, etiamſi curata, omnino incapax exiſtat.

CAPUT XII.

Jus patronatus nemo niſi ex fundatione, vel dotatione obtineat.

Sess. 25. §5. de ref.

Nemo etiam, cujuſvis dignitatis eccleſiaſticæ vel ſæcularis, quacumque ratione, niſi eccleſiam, beneficium, aut capellam de novo fundaverit & conſtruxerit, ſeu jam erectam, quæ tamen ſine ſufficienti dote fuerit, de ſuis propriis & patrimonialibus bonis competenter dotaverit, jus patronatus impetrare aut obtinere poſſit aut debeat. In caſu autem fundationis aut dotationis hujuſmodi inſtitutio epiſcopo, & non alteri inferiori, reſervetur.

CAPUT XIII.

Præſentatio fiat ordinario, alias inſtitutio ſit nulla.

Non liceat præterea patrono, cujuſvis privilegii prætextu, aliquem ad beneficia ſui juris patronatus, niſi epiſcopo loci ordinario, ad quem

Ibidem. Conc. Mog. ſ. cit. c. 4. Salzeg. c. 13.

proviſio ſeu inſtitutio ipſius beneficii, ceſſante privilegio, jure pertineret, quoquo modo præſentare: alias præſentatio ac inſtitutio forſan ſecutæ nullæ ſint & eſſe intelligantur.

CAPUT XIV.

Tractandum deinceps de miſſa, ordine, & reformatione.

Declarat præterea ſancta ſynodus, in futura ſeſſione, quam ad vigeſimumquintum diem Januarii ſubſequentis anni milleſimi quingenteſimi quinquageſimiſecundi habendam eſſe jam decrevit, una cum ſacrificio miſſæ, agendum & tractandum eſſe de ſacramento ordinis, & proſequendam eſſe materiam reformationis.

Angelus Maſſarellus ſubſcripſit in fidem & teſtimonium præmiſſorum.

Subſcripſerunt prælati iidem qui in ſeſſione præcedenti.

SESSIO XV. 25. Januar. 1552.

SESSIO DECIMAQUINTA,

Quæ eſt quinta ſub Julio III. pontifice maximo, celebrata die XXV. *Januarii* MDLII.

REM divinam fecit epiſcopus Catanenſis: orationem autem habuit epiſc. Majoricenſis.

Decretum prorogationis ſeſſionis.

Cum ex eo quod proximis ſeſſionibus decretum fuit, ſancta hæc & univerſalis ſynodus per hos dies accuratiſsime diligentiſsimeque tractaverit ea quæ ad ſanctiſſimum miſſæ ſacrificium, & ad ſacramentum ordinis ſpectant, ut hodierna ſeſſione, quemadmodum Spiritus ſanctus ſuggeſſiſſet, decreta de his rebus, & quatuor præterea articulos ad ſanctiſſimum euchariſtiæ ſacramentum pertinentes, in hanc tandem ſeſſionem dilatos publicaret, atque interim affuturos eſſe putaverit ad hoc ſacroſanctum concilium eos qui proteſtantes ſe vocant, quorum cauſa eorum publicationem articulorum diſtulerat, & ut libere ac ſine cunctatione ulla huc venirent, fidem eis publicam ſive ſalvum conductum conceſſerat: tamen cum illi nondum venerint, & eorum nomine ſupplicatum huic ſanctæ ſynodo fuerit, ut publicatio, quæ hodierno die facienda fuerat, in ſequentem ſeſſionem differatur, certa ſpe allata, affuturos eos eſſe omnino multo ante illam ſeſſionem, ſalvoconductu amplioris formæ interim accepto: eadem ſancta ſynodus in Spiritu ſancto legitime congregata, iiſdem legato & nunciis præſidentibus, nihil magis optans, quam ex præſtantiſſima natione Germanica omnes de religione diſſenſiones & ſchiſmata tollere, ac ejus quieti, paci, otioque conſulere, parata ipſos, ſi venerint, & humaniter excipere, & benigne audire; confidenſque eos non fidei catholicæ pertinaciter oppugnandæ, ſed veritatis cognoſcendæ ſtudio eſſe venturos; &, ut evangelicæ veritatis ſtudioſos decet, ſanctæ matris eccleſiæ decretis ac diſciplinæ ad extremum eſſe acquieturos; ſequentem ſeſſionem ad edenda & publicanda ea quæ ſupra commemorata ſunt, in diem feſtum ſancti Joſephi, qui erit die decimanona menſis Martii, diſtulit, ut illi ſatis temporis & ſpatii habeant non ſolum ad veniendum, verumetiam ad ea quæ voluerint, antequam is dies veniat, proponenda. Quibus ut omnem diutius cunctandi cauſam adimat, fidem publicam, ſive ſalvumconductum, ejus qui recitabitur tenoris & ſententiæ, libenter dat & concedit. Interea vero de matrimonii ſacramento agendum, & de eo, præter ſuperiorum decretorum publicationem, definiendum eſſe eadem ſeſſione ſtatuit & decernit, & proſequendam eſſe materiam reformationis.

ANNO CHRISTI 1552. V. ſeſſ. 13.

Synodi Tridentinæ proteſtatio in congregatione generali XXV. *Januarii*, MDLII. *antea quam proteſtantes audirentur, acta.*

Hæc ſacroſancta ſynodus, &c. Ne ob diſceptationes (quæ tam de perſonis comparentibus, mandatiſque & ſcripturis exhibendis, quam de loco ad ſedendum perſonis aſſignando oriri poſſent) felix ipſius concilii progreſſus retardetur, inhærens decreto in ſecunda ſeſſione promulgato, atque illud innovans ſtatuit, decernit, declarat, quod, ſi forte contigerit aliquos, qui ex diſpoſitione juris aut ex approbatorum conciliorum more admittendi aut recipiendi non eſſent, vel per ſeipſos vel per interpoſitas perſonas admitti aut recipi, vel in loco non debito ſedere, vel ſententiam ſub verbo, Placet, proferre, vel congregationibus intereſſe, vel alios quoſcumque actus facere concilio durante, quodque ſi etiam contigerit mandata, inſtrumenta, proteſtationes, & alia cujuſvis generis ſcripta quæcumque, quæ ipſius concilii honorem, jus, ac poteſtatem quomodocumque læderent ſeu lædere poſſent, recipi aut admitti, propterea non præjudicetur, neque aliquo modo præjudicatum cenſeatur, vel intelligatur præſenti concilio, neque conciliis œcumenicis ac generalibus in perpetuum celebrandis: cum omnis intentio hujus concilii ſit & eo tendat, ut pax & concordia quacumque ratione, licita tamen & congruenti, in eccleſia reducantur.

SALVUS CONDUCTUS DATUS PROTESTANTIBUS.

Sacroſancta œcumenica & generalis Tridentina ſynodus, in Spiritu ſancto legitime congregata,

ANNO CHRISTI 1552.

gata, præſidentibus in ea eiſdem ſanctæ ſedis apoſtolicæ legato & nunciis, inhærendo ſalvoconductui in penultima ſeſſione dato, & illum juxta tenorem infraſcriptum ampliando, univerſis fidem facit, quod omnibus & ſingulis ſacerdotibus, electoribus, principibus, ducibus, marchionibus, comitibus, baronibus, nobilibus, militaribus, popularibus, & aliis quibuſcumque viris, cujuſcumque ſtatus & conditionis aut qualitatis exiſtant, Germanicæ provinciæ & nationis civitatibus, ac aliis locis ejuſdem, & omnibus aliis eccleſiaſticis & ſæcularibus, præſertim Auguſtanæ confeſſionis perſonis, qui, aut quæ, una cum ipſis ad hoc generale Tridentinum concilium venient, aut mittentur, ac profecturi ſunt, aut hucuſque venerunt, quocumque nomine cenſeantur, aut valeant nuncupari, tenore præſentium publicam fidem & pleniſſimam veriſſimamque ſecuritatem, quam ſalvumconductum appellant, libere ad hanc civitatem Tridentinam veniendi, ibidemque manendi, ſtandi, morandi, proponendi, loquendi, una cum ipſa ſynodo de quibuſcumque negotiis tractandi, examinandi, diſcutienti, & omnia quæcumque ipſis libuerit, ac articulos quoſlibet tam ſcripto quam verbo libere offerendi, propalandi, eoſque ſcripturis ſacris, & beatorum patrum verbis, ſententiis & rationibus declarandi, aſtruendi & perſuadendi, & ſi opus fuerit, etiam ad objecta concilii generalis reſpondendi, & cum iis qui a concilio delecti fuerint diſputandi, Chriſtiane aut caritative abſque omni impedimento conferendi, opprobriis, conviciis, ac contumeliis penitus ſemotis; & ſignanter, quod

* Seſſ. 5.

cauſæ controverſæ, * ſecundum ſacram ſcripturam, & apoſtolorum traditiones, probata concilia, catholicæ eccleſiæ conſenſum, & ſanctorum patrum auctoritates in prædicto concilio Tridentino tractentur: illo etiam addito, ut religionis prætextu, aut delictorum circa eam commiſſorum, aut committendorum minime puniantur, impartitur, ac omnino concedit; ſic etiam, ut propter illorum præſentiam neque in itinere, aut quocumque locorum, eundo, manendo, aut redeundo, nec in ipſa civitate Tridentina, a divinis officiis quovis modo ceſſetur. Et ut his peractis, vel non peractis, quandocumque ipſis libuerit, aut majorum ſuorum mandato & aſſenſu ad propria reverti optabunt, aut aliquis eorum optabit, mox abſque ulla renitentia & occaſione aut mora, ſalvis rebus eorum, & ſuorum pariter honore & perſonis, vice verſa poſſint juxta beneplacitum libere, & ſecure redire: de ſcientia tamen ab eadem ſynodo deputandorum, ut tunc opportune eorum ſecuritati abſque dolo & fraude provideatur. Vult etiam ſancta ſynodus in hac publica fide ſalvoque conductu, omnes quaſcumque clauſulas includi ac contineri, ac pro inclusis haberi, quæ pro plena, efficaci & ſufficienti ſecuritate in eundo, ſtando, & redeundo, neceſſariæ & opportunæ fuerint. Illud etiam ad majorem ſecuritatem, & pacis ac reconciliationis bonum exprimens, quod ſi quiſpiam aut illorum aliqui, ſive in itinere Tridentum veniendo, ſive ibidem morando, aut redeundo, aliquod enorme, quod abſit, egerint aut commiſerint, quo poſſet hujus fidei publicæ, & aſſecurationis beneficium eis conceſſum, annullari, aut caſſari, vult & concedit eadem ſancta ſynodus, ut in hujuſmodi facinore deprehenſi, ab ipſis dumtaxat, & non ab aliis, condigna animadverſione cum emenda ſufficienti, per partem ipſius ſynodi meri-

A to approbanda, & laudanda, mox puniantur illorum aſſecurationis forma, conditionibus & modis omnino manentibus illibatis. Pariformiter etiam vult, ut ſi quiſquam, vel aliqui ex ipſa ſynodo, ſive in itinere, aut manendo, aut redeundo, aliquod enorme, quod abſit, egerint, aut commiſerint, quo poſſet hujus fidei publicæ & aſſecurationis beneficium violari, aut quoquo modo tolli; in hujuſmodi facinore deprehenſi, ab ipſa ſynodo dumtaxat, & non ab aliis, condigna animadverſione, & emenda ſufficienti; per partem dominorum Germanorum Auguſtanæ confeſſionis, tunc hic præſentium, merito laudanda, & approbanda, mox puniantur, præſenti aſſecurationis, forma conditionibus & mo-

B dis omnino manentibus illibatis. Vult præterea ipſa ſynodus, quod liceat ipſis ambaſiatoribus, omnibus, & ſingulis, toties quotieſcumque opportunum fuerit, ſeu neceſſarium ad auram capiendam exire de civitate Tridentina, & reverti ad eamdem, nec non nuncium vel nuncios ſuos ad quæcumque loca pro ſuis neceſſariis negotiis ordinandis, libere mittere, ſeu deſtinare, ac ipſos miſſos, ſeu deſtinatos, ſeu miſſum & deſtinatum ſuſcipere, toties quoties eis videbitur expedire; ita quod aliqui, vel aliquis per deputandos concilii ſocientur, qui eorum ſecuritati provideant vel provideat. Qui quidem ſalviconductus, & ſecuritates ſtare ac durare debent, & a tempore & per tempus, quo in ipſius

C ſynodi & ſuorum tuitionis curam ipſos ſuſcipi contigerit, & uſque ad Tridentum perduci, ac toto tempore manſionis eorum ibidem, & rurſum poſt ſufficientem audientiam habitam, ſpatio viginti dierum præmiſſo, cum ipſi petierint, aut concilium, habita hujuſmodi audientia, ipſis receſſum indixerit, a Tridento uſque in quem quiſque elegerit ſibi locum tutum, Deo favente, reſtituet, dolo & fraude prorſus excluſis. Quæ quidem omnia pro univerſis & ſingulis Chriſti fidelibus, pro omnibus principibus, tam eccleſiaſticis quam ſæcularibus, quibuſcumque, atque omnibus aliis eccleſiaſticis ac ſæcularibus perſonis, cujuſcumque ſtatus & conditionis exiſtant, aut quocumque nomine cenſeantur,

D inviolabiliter obſervanda eſſe promittit & bona fide ſpondet.

Inſuper omni fraude & dolo excluſis, vera & bona fide promittit ipſam ſynodum nullam vel manifeſte vel occulte occaſionem quæſituram, aut aliqua auctoritate, potentia, jure, vel ſtatuto, privilegio legum, vel canonum, aut quorumcumque conciliorum, præſertim Conſtantienſis & Concilii Conſtantienſis ſeſſione 19. in cap. Quod non obſtantibus ſalviſconductibus.

Senenſis, quacumque forma verborum expreſſa, in aliquod hujus fidei publicæ, & pleniſſimæ aſſecurationis, ac publicæ & liberæ audientiæ, ipſis per ipſam ſynodum conceſſæ, præjudicium quovis modo, uſuram, aut quemquam uti permiſſuram: quibus in hac parte pro hac vice derogat. Quod

E ſi ſancta ſynodus, aut aliquis ex ea, vel ſuis, cujuſcumque conditionis, vel ſtatus, aut præeminentiæ exiſtens, præſcriptæ aſſecurationis & ſalviconductus formam & modum in quocumque puncto vel clauſula violaverit, (quod tamen avertere dignetur omnipotens) & ſufficiens emenda non fuerit mox ſubſecuta, ipſorum arbitrio merito approbanda & laudanda, habeant ipſam ſynodum, & habere poterunt incidiſſe in omnes pœnas, quas jure divino & humano, aut conſuetudine hujuſmodi ſalvorumconductuum violatores incurrere poſſunt, abſque omni excuſatione, aut quavis in hac parte contradictione.

Datum

SESSIO XV. 25. Januarii 1552.

Sessio XVI. 28. Apr. 1552.

Datum Tridenti in seſſione publica, die vigeſimoquinto Januarii milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſecundo.

Angelus Maſſarellus, ſacri concilii ſecretarius. in fidem & teſtimonium præmiſſorum manu propria ſubſcripſi.

Subſcripſerunt huic ſeſſioni patres qui in præcedenti; & inſuper ſequentes, epiſcopus Placentinus, epiſcopus Carthaginenſis, epiſcopus Pampilonenſis, epiſcopus Mandonienſis, epiſcopus Elenenſis, epiſcopus Zamorenſis, epiſcopus Segobienſis, epiſcopus Civitatenſis, epiſcopus Leridenſis.

SESSIO DECIMASEXTA,

Quæ eſt ſexta & ultima ſub Julio III. pontifice maximo, celebrata die XXVIII. Aprilis MDLII.

Decretum ſuſpenſionis concilii.

SACROSANCTA œcumenica & generalis Tridentina ſynodus, in Spiritu ſancto legitime congregata, præſidentibus in ea reverendiſſimis dominis Sebaſtiano archiepiſcopo Siponti no, Aloyſio epiſcopo Veronenſi, apoſtolicis nunciis, tam eorum proprio quam reverendiſſimi & illuſtriſſimi domini Marcelli tituli ſancti Marcelli ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalis Creſcentii, legati, ob adverſam ejus graviſſimam valetudinem abſentis, nomine, non dubitat Chriſtianis omnibus patere hoc concilium œcumenicum Tridentum primo a Paulo felicis recordationis convocatum & collectum fuiſſe; deinde a ſanctiſſimo domino noſtro Julio tertio, efflagitante Carolo quinto Auguſtiſſimo imperatore, ea præcipue de cauſa fuiſſe reſtitutum, ut religionem in multis orbis partibus, & præſertim in Germania, in diverſas opiniones miſerabiliter diſtractam, in ſtatum priſtinum revocaret, abuſus & mores Chriſtianorum corruptiſſimos emendaret: eumque ad hoc agendum quamplurimi patres, nulla laborum ſuorum periculorumque habita ratione, e diverſis regionibus alacriter confluxiſſent; reſque ſtrenue magno fidelium concurſu feliciterque procederet; ac ſpes eſſet non levis illos Germanos, qui eas novitates excitarant, in concilium venturos ſic animatos, ut veris eccleſiæ rationibus unanimiter acquieſcerent: lux denique quædam rebus affulſiſſe videretur, caputque attollere ineiperet profligata antea & afflicta reſpublica Chriſtiana: ii repente tumultus, ea bella, hoſtis generis humani verſutia, exarſerunt, ut concilium velut hærére, ac ſuum curſum interrumpere ſatis incommode cogeretur; ſpeſque omnis ulterioris progreſſus hoc in tempore tolleretur: tantumque aberat ut ſancta ſynodus Chriſtianorum malis & incommodis mederetur, ut multorum mentes præter ſui animi ſententiam irritaret potius quam placaret. Cum igitur ipſa ſancta ſynodus omnia, & præcipue Germaniam, armis ardere & diſcordiis videret, omnes fere epiſcopos Germanos, præſertim principes electores, ſuis conſultum eccleſiis e concilio abiiſſe; decrevit tantæ neceſſitati non reluctari, & ad meliora tempora reticere, ut patres, quod eis nunc agere non licet ſuis ovibus proſpectum ad ſuas eccleſias regredi valerent, ne diutius utrobique inutili otio conterantur. Atque ita, quoniam ſic temporum conditio tulit, hujus œcumenici concilii Tridentini progreſſum per biennium ſuſpendendum fore decernit, prout præſenti decreto ſuſpendit; ea tamen lege, ut ſi citius pacata res ſit, ac tranquillitas priſtina revertatur, quod ſperat Dei optimi maximi beneficio non longo forſan ſpatio futurum, ipſius concilii progreſſus, eodemmet tempore ſuam vim, firmitatem, vigoremque habere cenſeatur. Sin autem, (quod Deus avertat) peracto biennio prædicta legitima impedimenta non fuerint ſubmota, cum primum ceſſaverint, talis ſuſpenſio eo ipſo ſublata eſſe intelligatur, ac ſuus vigor & robur concilio ſit reſtitutum, & eſſe intelligatur, ſine alia nova concilii convocatione: accedente ad hoc decretum conſenſu & auctoritate ſanctitatis ſuæ, & ſanctæ ſedis apoſtolicæ. Interea tamen eadem ſancta ſynodus exhortatur omnes principes Chriſtianos, & omnes prælatos, ut obſervent, & reſpective, quatenus ad eos ſpectat, obſervari faciant in ſuis regnis, dominiis & eccleſiis, omnia & ſingula quæ per hoc ſacrum œcumenicum concilium fuerunt hactenus ſtatuta & decreta.

Anno Christi 1552.

Angelus Maſſarellus ſecretarius concilii ſacri ſubſcripſi.

BULLA CELEBRATIONIS CONCILII TRIDENTINI SUB PIO QUARTO pontifice maximo.

Pius epiſcopus ſervus ſervorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Ad eccleſiæ regimen, licet tanto oneri impares, ſola Dei dignatione vocati, ſtatim circumferentes mentis oculos per omnes reipublicæ Chriſtianæ partes, cernenteſque non ſine magno horrore, quam longe lateque peſtis hæreſum & ſchiſmatis pervaſiſſet, & quanta Chriſtiani populi mores correctione indigerent; in eam curam & cogitationem pro ſuſcepti muneris officio incumbere cœpimus, quemadmodum ipſas hæreſes extirpare, tantumque & tam penicioſum ſchiſma tollere, moreſque adeo corruptos & depravatos emendare poſſemus. Cum autem intelligeremus, ad hæc ſananda mala aptiſſimum eſſe remedium, quod ſancta hæc ſedes adhibere conſueviſſet, œcumenici generaliſque concilii, ejus congregandi conſilium cepimus. Indictum illud quidem antea fuit a felicis recordationis Paulo tertio, & ejus ſucceſſore Julio, prædeceſſoribus noſtris, ſed variis de cauſis ſæpius impeditum & interpellatum, perfici non potuit. Siquidem [a] Paulus, cum id primo in urbem Mantuam, deinde Vicentiam indixiſſet, quaſdam ob cauſas in literis ejus expreſſas id primo ſuſpendit, poſtea Tridentum tranſtulit. Deinde cum quibuſdam de cauſis ibi quoque ejus celebrandi tempus dilatum fuiſſet, tandem ſuſpenſione ſublata, in eadem civitate Tridentina inchoatum fuit. Verum ſeſſionibus aliquot habitis, & nonnullis decretis factis, ipſum ſe poſtea concilium aliquibus de cauſis, accedente etiam ſedis apoſtolicæ auctoritate, Bononiam tranſtulit. Julius autem, qui ei ſucceſſit, in eamdem civitatem Tridentinam id revocavit: quo quidem tempore facta alia quædam decreta ſunt. Sed cum novi in propinquis Germaniæ locis tumultus excitati fuiſſent, & bellum in Italia & Gallia graviſſimum exarſiſſet, rurſus concilium ſuſpenſum & dilatum fuit annitente nimirum humani

Anno Christi 1560.

[a] Paulus III. id pluribus exponit ſup. pag. 726. c. in bula convocationis concilii.

Seſſ. 8.

Seſſ. 11. & ſequentib.

Anno Christi 1560.

manis generis hoſte, aliaſque ex aliis difficultates & impedimenta objiciente, ut tantum eccleſiæ commodum, quod prorſus auferre non poterat, ſaltem quam diutiſſime retardaret. Quantopere vero interea auctæ fuerint & multiplicatæ ac propagatæ hæreſes, quantopere ſchiſma creverit, ſine maximo animi dolore nec meminiſſe poſſumus nec referre; ſed tandem pius & miſericors dominus, qui nunquam ita iraſcitur, ut miſericordiæ obliviſcatur, regibus & principibus Chriſtianis pacem & unanimitatem donare dignatus eſt. Qua nos occaſione oblata, maximam in ſpem venimus, ipſius miſericordia freti, fore ut his tantis quoque eccleſiæ malis eadem concilii via finis imponatur. Nos itaque ad ſchiſma hæreſeſque tollendas, ad corrigendos & reformandos mores, ad pacem inter Chriſtianos principes conſervandam, celebrationem ejus non eſſe duximus diutius differendam. Habita igitur cum venerabilibus fratribus noſtris ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalibus deliberatione matura, factis etiam conſilii noſtri certioribus cariſſimis in Chriſto filiis noſtris, Ferdinando Romanorum imperatore electo, & aliis regibus atque principibus, quos quidem (ſicut de eorum ſumma pietate & ſapientia nobis pollicebamur) paratiſſimos ad ipſius concilii celebrationem adjuvandam invenimus, ad Dei omnipotentis laudem & honorem & gloriam, atque univerſalis eccleſiæ utilitatem de eorumdem fratrum noſtrorum conſilio & aſſenſu, ſacrum œcumenicum & generale concilium, ex auctoritate ejuſdem Dei & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum (qua nos quoque in terris fungimur) freti & ſubnixi, in civitate Tridentina ad ſacratiſſimum diem reſurrectionis dominicæ proxime futurum indicimus, & ibi celebrandum, ſublata ſuſpenſione quacumque, ſtatuimus atque decernimus. Quocirca venerabiles fratres noſtros, omnibus ex locis, patriarchas, archiepiſcopos, epiſcopos, & dilectos filios abbates, ceteroſque quibus in concilio generali ſedere, & ſententiam dicere, jure communi, vel ex privilegio, vel ex antiqua conſuetudine licet, vehementer in domino hortamur & monemus, atque etiam diſtricte præcipiendo mandamus, in virtute ſanctæ obedientiæ, in vi quoque juramenti quod præſtiterunt, & ſub pœnis quas in eos qui ad concilia generalia convenire neglexerint, ſacris ſciunt eſſe canonibus conſtitutas, ut ad concilium ibi celebrandum conveniant intra eam diem, niſi forte impedimento fuerint legitimo præpediti; quod tamen impedimentum per legitimos procuratores ſynodo probare debebunt. Monemus præterea omnes & ſingulos, quorum intereſt, intereſſeve poterit, ut in concilio adeſſe ne negligant. Cariſſimos vero in Chriſto filios noſtros, Romanorum imperatorem electum, ceteroſque reges & principes, quos optandum ſane eſſet concilio intereſſe poſſe, hortamur & rogamus, ut, ſi ipſi intereſſe concilio non potuerint, oratores ſuos prudentes, graves, & pios viros utique mittant, qui ipſorum nomine illi interſint, curentque diligenter pro ſua pietate, ut ex eorum regnis atque dominiis prælati ſine recuſatione ac mora tam neceſſario tempore, Deo & eccleſiæ officium ſuum præſtent: eoſdem etiam curaturos eſſe minime dubitantes, ut per ipſorum regna & dominia tutum ac liberum iter prælatis, eorumque familiaribus, comitibus, & aliis omnibus ad concilium euntibus, & ab illo redeuntibus, pateat, benigneque ac comiter omnibus in locis recipiantur atque tractentur, ſicut (quod ad nos attinet) ipſi quoque curabimus, qui nihil omnino prætermittere decrevimus, quod ad tam pium & ſalutare opus perficiendum a nobis in hoc loco conſtitutis præſtari poſſit: nihil, ut Deus ſcit, quærentes aliud, nihil propoſitum habentes in hoc concilio celebrando, niſi honorem ipſius Dei, diſperſarum ovium reductionem ad ſalutem, & perpetuam Chriſtianæ reipublicæ tranquillitatem ac quietem. Ut vero hæ literæ, & quæ in eis continentur, ad omnium, quorum oportet, notitiam perveniant, nec quiſquam ea excuſatione uti poſſit, quod illa ignoraverit, præſertim cum non ad omnes, quos de his literis certiores fieri oporteret, tutus forſitan pateat aditus; volumus & mandamus ut in baſilica Vaticana principis apoſtolorum, & in eccleſia Lateranenſi, tunc cum in eis populus ut miſſarum ſolennibus interſit congregari ſolet, palam clara voce a curiæ noſtræ curſoribus, ſeu notariis aliquibus publicis, recitentur, & poſtquam recitatæ fuerint, ad valvas earum eccleſiarum, itemque cancellariæ apoſtolicæ, & in loco ſolito campi Floræ, affigantur, ibique quo legi & omnibus innoteſcere poſſint, aliquamdiu relinquantur. Cum autem inde amovebuntur, earum exempla in iiſdem locis affixa remaneant. Nos enim per recitationem hanc, publicationem & affixionem, omnes & ſingulos, qui his literis comprehenduntur, poſt duos menſes a die publicationis, & affixionis earum volumus perinde adſtrictos & obligatos eſſe, ac ſi ipſiſmet illæ coram editæ & lectæ fuiſſent. Tranſumptis quoque earum, quæ manu publici alicujus notarii ſcripta ſubſcriptave, & ſigillo ac ſubſcriptione alicujus perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munita fuerint, ut ſine dubitatione ulla fides habeatur mandamus atque decernimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ indictionis, ſtatuti, decreti, præcepti, admonitionis, & adhortationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno incarnationis dominicæ milleſimo quingenteſimo ſexageſimo, tertio Kalendas Decembris, pontificatus noſtri anno primo.

Antonius Florebellus.

Barengus.

Ego Pius catholicæ eccleſiæ epiſcopus.

Ego R. cardinalis de Carpo epiſcopus Portuenſis.

Ego F. cardinalis epiſcopus Tuſculanus.

Ego Fed. cardinalis Cæſius, epiſcopus Prænestinus.

Ego Joannes cardinalis Moronus epiſcopus Albanenſis.

*

*

Ego Chriſtophorus Madrucius cardinalis Tridentinus.

Ego Ottho Truchſes cardinalis Auguſtanus.

Ego B. de la Cueva cardinalis ſanctæ Crucis.

Ego Tiberius cardinalis Criſpus.

Ego

Hebac. 3.

Matth. 16.

Carth. III. c. 43. Seſſ. 24. c. 2. de ref.

ANNO CHRISTI 1560.

Ego Joannes Michael cardinalis Saracenus.
Ego Joannes cardinalis ſancti Vitalis.
Ego Joannes And. cardinalis Meſſanenſis.
Ego Jacobus cardinalis Puteus.
Ego Jaonnes B. Cicada cardinalis ſancti Clementis.

*
*

Ego Scipio cardinalis Piſarum.
Ego Joannes cardinalis Romanus.
Ego Joannes Ant. cardinalis Capiſuccus.
Ego Thad. cardinalis Gaddus.
Ego F. M. cardinalis Alexandrinus.
Ego Clemens cardinalis Aræcæli.
Ego Jacobus cardinalis Sabellus.
Ego Joannes cardinalis ſancti Georgii.

*

Ego A. cardinalis Farneſius vicecancellarius.
Ego G. Aſ. cardinalis camerarius.
Ego Hip. cardinalis Ferrarienſis.

*

Ego Julius cardinalis Urbinas.
Ego Aloyſius cardinalis Cornelius.
Ego Hieronymus cardinalis Simoncellus.
Ego Vitellotius cardinalis Vitellius.
Ego Joannes cardinalis de Medicis.
Ego Carolus cardinalis Borromæus.

Antonius Florebellus.

Lavellinus Barengus.

Anno a nativitate domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo, indictione tertia, die vero ſecunda menſis Decembris, pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri domini Pii, divina providentia papæ quarti, anno primo, retrorſum literæ apoſtolicæ lectæ affixæ & publicatæ fuerunt in locis ſuprascriptis, juxta earum ſeriem & tenorem, & etiam ut moris eſt: & illis amotis, dimiſſis illarum copiis affixis per nos Bernardinum Andreutium, & Joannem Andream Panniza apoſtolicos curſores.

Petrus Veltrini magiſter curſorum.

ANNO CHRISTI 1562.

BREVE PII PAPÆ IV. SUPER ORDINE SEDENDI IN CONCILIO, NON habita ratione dignitatis primatialis.

Dilecti filii noſtri, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Sicut ea, quæ pacem & concordiam nutriunt, pura mente ſemper inquirimus, ita ex debito noſtræ paſtoralis ſolicitudinis tenemur illa ſubmovere, quæ diſcordiam ſuſcitare, & ſcandalum introducere poſſe videntur. Itaque ad tollendam omnem controverſiam materiarum, quæ inter prælatos, ad celebrationem ſacri œcumenici & generalis concilii, in civitate Tridentina pro tempore congregatos, ſuper eorum præcedentia forte jam ſunt exortæ, & in dies oriri poſſunt; volumus, ac vobis per præſentes mandamus, ut omnes & ſingulos prælatos prædictos, videlicet venerabiles fratres, patriarchas primo, ſecundo archiepiſcopos, tertio autem loco epiſcopos in quibuſvis actibus publicis, ſecundum gradum & ordinem ſuarum ad eorum eccleſias promotionum ita quod, qui prius promotus ad eas fuerit, in ſuo quiſque ordine prior exiſtat) incedere, ſedere ac locum habere (nulla habita ratione ad ipſorum dignitates primatiales, ſive veræ ſive prætenſæ illæ fuerint) auctoritate noſtra faciatis, ſtudioſeque & diligenter curetis, atque pro veſtra prudentia ac pietate geratis, ut cuncta iſtic concordibus animis in virtute Spiritus ſancti, cum Dei omnipotentis honore atque timore, quiete feliciterque procedere valeant, non obſtantibus præmiſſis, & quibuſvis conſtitutionibus & ordinationibus apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

ANNO CHRISTI 1562.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die ultima Decembris milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſecundo, pontificatus noſtri anno ſecundo.

DECLARATIO FACTA PER illuſtriſſimos dominos legatos ſuper decreto ſanctiſſimi domini noſtri domini Pii papæ quarti.

Quia dubitari poſſet an ex prædicto decreto ſanctiſſimi domini noſtri aliquod præjudicium generetur primatibus ſupradictis in proprietate ſeu poſſeſſione ſuarum primatiarum, ſive verarum, ſive prætenſarum: nos Hercules tituli ſanctæ Mariæ Novæ de Mantua, Hieronymus tituli ſanctæ Sulannæ, Seripandus, Staniſlaus tituli ſancti Laurentii in Paliſperna Varmienſis: ac Ludovicus tituli ſancti Cyriaci in Thermis, Simonetta nuncupati, ſanctæ Romanæ eccleſiæ presbyteri cardinales, ſacri œcumenici concilii Tridentini præſidentes, & apoſtolici de latere legati; declaramus quod mens ſanctiſſimi domini noſtri & noſtra eſt, quod per hoc decretum nulli jus de novo acquiratur, nullique præjudicium generetur, nulliuſque jus in proprietate vel poſſeſſione lædatur, atque demum in omnibus & per omnia unumquemque primatem, verum vel prætenſum, in quo antea permanebat.

SESSIO DECIMASEPTIMA.

Quæ eſt I. ſub Pio quarto pontifice maximo, celebrata die decimaoctava Januarii MDLXII.

Decretum de celebrando concilio.

SESSIO XVII. 18. Januarii 1562.

ILUSTRISSIMI & reverendiſſimi, domini reverendique patres, placetne vobis ad laudem & gloriam ſanctæ ac individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ad incrementum & exaltationem fidei & religionis Chriſtianæ, ſacrum œcumenicum & generale concilium Tridentinum, in Spiritu ſancto legitime congregatum ab hodierno die, qui eſt decimus octavus menſis Januarii, anni a nativitate domini milleſimi quingenteſimi ſexageſimiſecundi, cathedræ Romanæ beati Petri apoſtolorum principis conſecrato, ſublata quacumque ſuſpenſione, juxta formam & tenorem litterarum ſanctiſſimi domini noſtri Pii quarti pontificis maximi, celebrari, & in eo ea debito ſervato ordine tractari, quæ proponentibus legatis ac præſidentibus ad horum temporum levandas calamitates, ſedandas de religione controverſias, coercendas linguas dololas, depravatorum morum abuſus corrigendos, eccleſiæ veram atque Chriſtianam pacem conciliandam, apta & idonea ipſi

Seſſ. 24. & 25. de ref.

ANNO CHRISTI 1562.

ipſi ſanctæ ſynodo videbuntur? Reſponderunt: Placet.

Indictio futuræ ſeſſionis.

Illuſtriſſimi & reverendiſſimi domini reverendique patres, placetne vobis proximam futuram ſeſſionem habendam & celebrandam eſſe feria quinta poſt ſecundam dominicam quadrageſimæ, quæ erit die vigeſimaſexta menſis Februarii. Reſponderunt: Placet.

Propoſitio facta.

In prima præterita ſeſſione declaratum eſt, & communi omnium voto approbatum, pertractandum eſſe de eis quæ neceſſaria videbuntur ad catholicæ fidei doctrinam ſtabiliendam, atque morum integritatem reſtituendam.

Ut autem hæc, Deo duce, aggrediamur, viſum eſt magnopere referre ad doctrinam de fide in ſuam puritatem reſtituenda, ut libri a variis auctoribus poſt exortas hæreſes ſcripti, atque etiam librorum cenſuræ in diverſis locis a catholicis editæ, examinentur. De quibus quidquid ſancta ſynodus ſtatuerit, tanquam ſacroſanctum decretum, ſuo tempore publicabitur, ut ab omnibus abſque ulla tergiverſatione cuſtodiatur. Super qua re quicumque pro ejus faciliori expeditione aliquid afferre voluerint, libenter audientur.

Ad hæc rite dijudicanda, ut vocentur omnes ex decreto ſanctæ ſynodi, conſentaneum fore exiſtimavimus, ad quos iſtarum rerum aliqua pertinere quoquo modo poteſt, ne deinceps inauditos ſe eſſe condemnatos cenſeri poſſit.

Non ab re quoque putavimus eſſe, omnes, qui in hæreſes quaſcumque lapſi ſunt, & adhuc irretiti ſunt, ad pœnitentiam invitare, cum ſalviconductus ampla conceſſione, ac promiſſione magnæ & ſingularis clementiæ & benignitatis, modo redeant ad cor, & ſanctæ eccleſiæ catholicæ poteſtatem agnoſcant.

Tam ſuper modo facilioris expeditionis examinis librorum & cenſurarum, quam ſuper aliis, quæ ſequuntur, patres, poſtquam hujus ſcripti exemplum acceperint, & conſideraverint, dicant ſententias ſuas in ſequenti congregatione.

SESSIO DECIMAOCTAVA.

Quæ eſt ſecunda ſub Pio IV. pontifice maximo, celebrata die XXVI. Februarii MDLXII.

Decretum de librorum delectu, & omnibus ad concilium fide publica invitandis.

SESSIO XVIII. 26. Febr. 1562.

SACROSANCTA œcumenica & generalis Tridentina ſynodus, in Spiritu ſancto legitime congregata, præſidentibus in ea eiſdem apoſtolicæ ſedis legatis, non humanis quidem viribus confiſa, ſed domini noſtri Jeſu Chriſti, qui os & ſapientiam eccleſiæ ſuæ daturum ſe promiſit, ope & auxilio freta, illud præcipue cogitat, ut catholicæ fidei doctrinam, multorum inter ſe diſſidentium opinionibus, pluribus locis inquinatam & obſcuratam, in ſuam puritatem & ſplendorem aliquando reſtituat, & mores, qui a veteri inſtituto deflexerunt, ad meliorem vitæ rationem revocet, corque patrum ad filios, & cor filiorum ad patres convertat. Cum itaque omnium primum animadverterit, hoc tempore

Luc. 21.

Luc. 1.

A ſuſpectorum ac pernicioſorum librorum, quibus doctrina impura continetur, & longe lateque diffunditur, numerum nimis excreviſſe (quod quidem in cauſa fuit, ut multæ cenſuræ in variis provinciis, & præſertim in alma urbe Roma, pio quodam zelo editæ fuerint) neque tamen huic tam magno ac pernicioſo morbo ſalutarem ullam profuiſſe medicinam, cenſuit ut delecti ad hanc diſquiſitionem patres de cenſuris librisque quid facto opus eſſet diligenter conſiderarent, atque etiam ad eamdem ſanctam ſynodum ſuo tempore referrent, quo facilius ipſa poſſit varias & peregrinas doctrinas, tanquam zizania, a Chriſtianæ veritatis tritico ſeparare, deque his commodius deliberare & ſtatuere, quæ ad ſcrupulum ex B complurium animis eximendum, & tollendas multarum querelarum cauſas magis opportuna videbuntur. Hæc autem omnia ad notitiam quorumcumque deducta eſſe vult, prout etiam præſenti decreto deducit: ut ſi quis ad ſe pertinere aliquo modo putaverit, quæ vel de hoc generali concilio tractanda prædixit, non dubitet a ſancta ſynodo ſe benigne auditum iri.

SESSIO XVIII. 26. Febr. 1562. Seſſ. 25. in contin. §. de indice libr. &c. Ibidem.

Matth. 13.

Quoniam vero eadem ſancta ſynodus ex corde optat, Deumque enixe rogat quæ ad pacem ſunt eccleſiæ, ut univerſi communem matrem in terris agnoſcentes, quæ quos peperit obliviſci non poteſt, unanimes uno ore glorificemus Deum & Patrem domini noſtri Jeſu Chriſti; per viſcera miſericordiæ ejuſdem Dei & domini noſtri, omC nes qui nobiſcum communionem non habent, ad concordiam & reconciliationem, & ut ad hanc ſanctam ſynodum veniant, invitat atque hortatur, utque caritatem, quod eſt vinculum perfectionis, amplectantur, pacemque Chriſti exultantem in cordibus ſuis præ ſe ferant, in quam vocati ſunt in uno corpore. Hanc ergo non humanam, ſed Spiritus ſancti vocem audientes ne obdurent corda ſua, ſed in ſuo ſenſu non ambulantes neque ſibi placentes, ad tam piam & ſalutarem matris ſuæ admonitionem excitentur & convertantur. Omnibus enim caritatis officiis ſancta ſynodus eos ut invitat, ita complectetur.

Pſalm. 121. Iſai. 49.

Rom. 15.

Coloſſ. 3. Pſalm. 99. Hebr. 3. Epheſ. 4. Rom. 15.

Inſuper eadem ſancta ſynodus decrevit, fidem D publicam in congregatione generali concedi poſſe, & eamdem vim habituram, ejuſdemque roboris & momenti futuram, ac ſi in publica ſeſſione data & decreta fuiſſet.

Indictio futuræ ſeſſionis.

Eadem ſacroſancta ſynodus Tridentina, in Spiritu ſancto legitime congregata, præſidentibus in ea eiſdem apoſtolicæ ſedis legatis, ſtatuit & decrevit, proximam futuram ſeſſionem habendam & celebrandam eſſe feria quinta poſt ſacratiſſimum feſtum aſcenſionis domini, quæ erit die decimaquarta menſis Maii.

E SALVSCONDUCTUS CONCESSUS *Germanicæ nationi.*

In congregatione generali, die quarta Martii milleſimo quingenteſimo ſexageſimo-ſecundo.

Sacroſancta œcumenica & generalis Tridentina ſynodus in Spiritu ſancto legitime congregata, præſidentibus in ea eiſdem apoſtolicæ ſedis legatis, univerſis fidem facit, quod omnibus, & ſingulis ſacerdotibus, electoribus, prin-

Vide ſupra ſeſſ. 5. ubi idem habetur præter extenſiones ad alias nationes.

SESSIO XVIII. 16. Febr. 1562.

principibus, ducibus, marchionibus, comitibus, baronibus, nobilibus, militaribus, popularibus, & aliis quibuſcumque viris, cujuſcumque ſtatus & conditionis aut qualitatis exiſtant, Germanicæ provinciæ & nationis civitatibus, ac aliis locis ejuſdem, & omnibus aliis eccleſiaſticis & ſæcularibus, præſertim Auguſtanæ confeſſionis perſonis, qui, aut quæ una cum ipſis ad hoc generale Tridentinum concilium venient, aut mittentur, ac profecturi ſunt, aut hucuſque venerunt, quocumque nomine cenſeantur, aut valeant nuncupari, tenore præſentium, publicam fidem, & pleniſſimam veriſſimamque ſecuritatem, quam ſalvumconductum appellant, libere ad hanc Tridentinam civitatem veniendi, ibidemque manendi, ſtandi, morandi, proponendi, loquendi, una cum ipſa ſynodo de quibuſcumque negotiis tractandi, examinandi, diſcutiendi, & omnia quæcumque ipſis libuerit, ac articulos quoſlibet, tam ſcripto quam verbo libere offerendi, propalandi, eoſque ſcripturis ſacris & beatorum patrum verbis, ſententiis & rationibus declarandi, aſtruendi, & perſuadendi, &, ſi opus fuerit, etiam ad objecta concilii generalis reſpondendi, & cum iis qui a concilio delecti fuerint diſputandi Chriſtiane aut caritative abſque omni impedimento conferendi, opprobriis, conviciis, ac contumeliis penitus ſemotis: & ſignanter, quod cauſæ controverſæ, ſecundum ſacram ſcripturam, & apoſtolorum traditiones, probata concilia, & catholicæ eccleſiæ conſenſum, & ſanctorum patrum auctoritates, in prædicto concilio Tridentino tractentur: illo etiam addito, ut religionis prætextu, aut delictorum circa eam commiſſorum, aut committendorum, minime puniantur, impertitur, ac omnino concedit: ſic etiam, ut propter illorum præſentiam, neque in itinere, aut quocumque locorum, eundo, manendo, aut redeundo, nec in ipſa civitate Tridentina a divinis officiis quovis modo ceſſetur. Et ut his peractis, vel non peractis, quandocumque ipſis libuerit, aut majorum ſuorum mandato & aſſenſu ad propria reverti optabunt, aut aliquis eorum optabit, mox abſque ulla retinentia, & occaſione, aut mora, ſalvis rebus eorum, & ſuorum pariter honore, & perſonis, vice verſa poſſint juxta beneplacitum libere & ſecure redire; de ſcientia tamen ab eadem ſynodo deputandorum, ut tunc opportune eorum ſecuritati, abſque dolo & fraude provideatur: vult etiam ſancta ſynodus in hac publica fide ſalvoque conductu, omnes, quaſcumque clauſulas includi & contineri, ac pro incluſis haberi, quæ pro plena, efficaci, & ſufficienti ſecuritate in eundo, ſtando, ac redeundo neceſſariæ & opportunæ fuerint. Illud etiam ad majorem ſecuritatem, & pacis, ac conciliationis bonum exprimens, quod, ſi quiſpiam, aut illorum aliqui ſive in itinere, Tridentum veniendo, ſive ibidem morando aut redeundo, aliquod enorme, quod abſit, egerint, aut commiſerint, quo poſſet hujus fidei publicæ & aſſecurationis beneficium eis conceſſum annullari aut caſſari, vult & concedit ut in hujuſmodi facinore deprehenſi ab ipſis dumtaxat, & non ab aliis, condigna animadverſione, cum emenda ſufficienti, per partem ipſius ſynodi merito approbanda & laudanda, mox puniantur, illorum aſſecurationis forma, conditionibus & modis omnino manentibus illibatis. Pariformiter etiam vult, ut ſi quiſquam, vel aliqui ex ipſa ſynodo, ſive in itinere, aut manendo, aut redeundo, aliquod enorme, quod abſit, egerint, aut commiſerint, quo poſſet hujus fidei publicæ & aſſecurationis beneficium violari, aut quoquomodo tolli, in hujuſmodi facinore deprehenſi, ab ipſa ſynodo dumtaxat, & non ab aliis condigna animadverſione, & emenda ſufficienti, per partem dominorum Germanorum Auguſtanæ confeſſionis, tunc hic præſentium, merito laudanda & approbanda, mox puniantur; præſenti aſſecurationis forma, conditionibus, & modis omnino manentibus illibatis. Vult præterea ipſa ſynodus, quod liceat ipſis ambaſiatoribus omnibus & ſingulis, toties quotieſcumque opus fuerit, ſeu neceſſarium, ad auram capiendam exire de civitate Tridentina, & reverti ad eamdem, nec non nuncium, vel nuncios ſuos ad quæcumque loca pro ſuis neceſſariis negotiis ordinandis, libere mittere, ſeu deſtinare, ac ipſos miſſos, ſeu deſtinatos, ſeu miſſum & deſtinatum ſuſcipere, toties quoties eis videbitur expedire; ita quod aliqui vel aliquis per deputandos concilii ſocientur, qui eorum ſecuritati provideant, vel provideat. Qui quidem ſalvuſconductus & ſecuritates ſtare ac durare debeant a tempore & per tempus, quo in ipſius ſynodi & ſuorum tuitionis curam ipſos ſuſcipi contigerit, & uſque ad Tridentum perduci, ac toto tempore manſionis eorum ibidem; & rurſum poſt ſufficientem audientiam habitam, & ſpatio viginti dierum præmiſſo, cum ipſi petierint, aut concilium, habita hujuſmodi audientia, ipſis receſſum indixerit, a Tridento uſque in quem quiſque elegerit ſibi locum tutum, Deo favente, reſtituet, dolo & fraude prorſus excluſis. Quæ quidem omnia, pro univerſis & ſingulis Chriſti fidelibus, pro omnibus principibus, tam eccleſiaſticis quam ſæcularibus quibuſcumque, atque omnibus aliis eccleſiaſticis ac ſæcularibus perſonis, cujuſcumque ſtatus & conditionis exiſtant, aut quocumque nomine cenſeantur, inviolabiliter obſervanda eſſe promittit, & bona fide ſpondet. Inſuper, omni fraude & dolo excluſis, vera & bona fide promittit ipſam ſynodum nullam vel manifeſte vel occulte occaſionem quæſituram, aut aliqua auctoritate, potentia, jure, vel ſtatuto, privilegio legum vel canonum, aut quorumcumque conciliorum, præſertim Conſtantienſis & Senenſis, quacumque forma verborum expreſſa, in aliquod hujus fidei publicæ, & pleniſſimæ aſſecurationis, ac publicæ & liberæ audientiæ, ipſis per ipſam ſynodum conceſſæ, præjudicium, quovis modo uſuram, aut quemquam uti permiſſuram: quibus in hac parte pro hac vice derogat. Quod ſi ſancta ſynodus, aut aliquis ex ea vel ſuis, cujuſcumque conditionis, vel ſtatus, aut præeminentiæ exiſtens, præſcriptæ aſſecurationis & ſalviconductus formam & modum in quocumque puncto vel clauſula violaverit) quod tamen avertere dignetur omnipotens) & ſufficiens emenda non fuerit mox ſubſecuta, ipſorum arbitrio merito approbanda & laudanda, habeant ipſam ſynodum, & habere poterunt, incidiſſe in omnes pœnas, quas jure divino & humano, aut conſuetudine, hujuſmodi ſalvorumconductuum violatores incurrere poſſunt, abſque omni excuſatione aut quavis in hac parte contradictione.

ANNO CHRISTI 1562.

Seſſ. 5. in princ.

Concilii Conſtantienſis ſeſſione 19. in cap. Quod non obſtantibus ſalviſeonductibus.

Extenſio ad alias nationes.

Eadem ſacroſancta ſynodus, in Spiritu ſancto legitime congregata, præſidentibus in ea eiſdem apoſtolicæ ſedis de latere legatis, omnibus & ſingulis aliis, qui nobiſcum in iis quæ ſunt fidei com-

ANNO CHRISTI 1562.

communionem non habent, ex quibuſcumque regnis, nationibus, provinciis, civitatibus ac locis, in quibus publice & impune prædicatur, vel docetur, ſive creditur contrarium ejus, quod ſancta Romana ſentit eccleſia, dat fidem publicam, ſive ſalvumconductum, ſub eadem forma & eiſdem verbis, quibus datur Germanis.

SESSIO DECIMANONA.

Quæ eſt tertia ſub Pio IV. pontifice maximo, celebrata die decimaquarta Maii MDLXII.

Decretum prorogationis ſeſſionis.

SESSIO XIX. 14. Maii 1562.

SACROSANCTA œcumenica & generalis Tridentina ſynodus, in Spiritu ſancto legitime congregata, præſidentibus in ea eiſdem ſanctæ ſedis apoſtolicæ legatis, decreta ea quæ hodie in præſenti ſeſſione ſtatuenda ac ſancienda erant, juſtis nonnullis ac honeſtis cauſis, in feriam quintam poſt proximam ſolennitatem corporis Chriſti (quæ erit pridie Nonas Junii) proroganda eſſe cenſuit ac prorogat : dictaque die ſeſſionem habendam eſſe ac celebrandam, omnibus indicit. Interea rogandus eſt Deus & Pater domini noſtri Jeſu Chriſti, auctor pacis ut ſanctificet corda omnium, quo adjuvante ſancta ſynodus & nunc & ſemper meditari ac peragere valeat quæ ad ejus laudem & gloriam pertineant.

SESSIO VIGESIMA.

Quæ eſt quarta ſub Pio IV. pontifice maximo, celebrata die quarta Junii MDLXII.

Decretum prorogationis ſeſſionis.

SESSIO XX. 4. Junii 1562.

SACROSANCTA œcumenica & generalis Tridentina ſynodus, in Spiritu ſancto legitime congregata, præſidentibus in ea eiſdem apoſtolicæ ſedis legatis, propter varias difficultates ex diverſis cauſis exortas, atque etiam ut congruentius majorique cum deliberatione omnia procedant, nempe ut dogmata, cum iis quæ ad reformationem ſpectant, ſimul tractentur & ſanciantur; ea quæ ſtatuenda videbuntur, tam de reformatione, quam de dogmatibus in proxima ſeſſione, quam omnibus indicit in diem ſextamdecimam ſubſequentis menſis Julii, definienda eſſe decrevit. Hoc tamen adjecto, quod dictum terminum ipſa ſancta ſynodus, pro ejus arbitrio & voluntate, ſicuti rebus concilii putaverit expedire, etiam in generali congregatione reſtringere & prorogare libere poſſit & valeat. Seſſ. 9.

SESSIO VIGESIMAPRIMA.

Quæ eſt quinta ſub Pio IV. pontifice maximo, celebrata die decimaſexta Julii MDLXII.

Doctrina de communione ſub utraque ſpecie, & parvulorum.

SESSIO XXI. 16. Julii 1562.

SACROSANCTA œcumenica & generalis Tridentina ſynodus, in Spiritu ſancto legitime congregata, præſidentibus in ea eiſdem apoſtolicæ ſedis legatis, cum de tremendo & ſanctiſſimo euchariſtiæ ſacramento varia diverſis in locis errorum monſtra nequiſſimi dæmonis artibus circumferantur, ob quæ in nonnullis provinciis multi a catholicæ eccleſiæ fide atque obedientia videantur diſceſſiſſe, cenſuit, ea, quæ ad communionem ſub utraque ſpecie, & parvulorum pertinent, hoc loco exponenda eſſe. Quapropter cunctis Chriſti fidelibus interdicit, ne poſthac de iis aliter vel credere, vel docere, vel prædicare audeant, quam eſt his decretis explicatum atque definitum. SESSIO XXI. 16. Julii 1562.

CAPUT I.

Laicos & clericos non conficientes non adſtringi jure divino ad communionem ſub utraque ſpecie.

Itaque ſancta ipſa ſynodus, a Spiritu ſancto (qui Spiritus eſt ſapientiæ & intellectus, Spiritus conſilii & pietatis) edocta, atque ipſius eccleſiæ judicium & conſuetudinem ſecuta, declarat ac docet, nullo divino præcepto laicos & clericos non conficientes obligari ad euchariſtiæ ſacramentum ſub utraque ſpecie ſumendum : neque ullo pacto, ſalva fide, dubitari poſſe, quin illis alterius ſpeciei communio ad ſalutem ſufficiat. Nam etſi Chriſtus dominus in ultima cœna venerabile hoc ſacramentum in panis & vini ſpeciebus inſtituit, & apoſtolis tradidit : non tamen illa inſtitutio & traditio eo tendunt, ut omnes Chriſti fideles ſtatuto domini ad utramque ſpeciem accipiendam adſtringantur. *Iſai.* 11. Conſtant. ſeſſ. 13. Inf. can. 23. *Matth.* 26. *1. Cor.* 11.

Sed neque ex ſermone illo apud Joannem ſexto recte colligitur, utriuſque ſpeciei communionem a domino præceptam eſſe ; utcumque juxta varias ſanctorum patrum & doctorum interpretationes intelligatur. Namque qui dixit, *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*, dixit quoque : *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*. Et qui dixit, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam*, dixit etiam : *Panis quem ego dabo, caro mea eſt, pro mundi vita*. Et denique qui dixit, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo*, dixit nihilo minus: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*. *Joan.* *Ibidem.* *Ibidem.* *Ibidem.*

CAPUT II.

Eccleſiæ poteſtas circa diſpenſionem ſacramenti euchariſtiæ.

Præterea declarat, hanc poteſtatem perpetuo in eccleſia fuiſſe, ut in ſacramentorum diſpenſatione, ſalva illorum ſubſtantia, ea ſtatueret, vel mutaret, quæ ſuſcipientium utilitati, ſeu ipſorum ſacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire judicaret. Id autem apoſtolus non obſcure viſus eſt innuiſſe, cum ait : *Sic nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei*. Atque ipſum quidem hac poteſtate uſum eſſe, ſatis conſtat, cum in multis aliis, tum in hoc ipſo ſacramento, cum ordinatis nonnullis circa ejus uſum : *Cetera*, inquit, *cum venero, diſponam*. Quare agnoſcens ſancta mater eccleſia hanc ſuam in adminiſtratione ſacramentorum auctoritatem, licet ab initio Chriſtianæ religionis non infrequens utriuſque ſpeciei uſus fuiſſet, tamen progreſſu temporis, latiſſime jam mutata illa conſuetudine, gravibus & juſtis cauſis adducta, hanc conſuetudinem ſub altera ſpecie communicandi approbavit, & pro lege *1. Cor.* 4. *2. Cor.* 6. *2. Cor.* 11. Conſtant. ſeſſ. 13.

SESSIO XXI. 16. Julii 1562.

habendam decrevit: quam reprobare, aut sine ipsius ecclesiæ auctoritate pro libito mutare non licet.

CAPUT III.

Totum & integrum Christum, ac verum sacramentum, sub qualibet specie sumi.

Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. 1. Cor. 11.

Insuper declarat, quamvis redemptor noster, ut antea dictum est, in suprema illa cœna hoc sacramentum in duabus speciebus instituerit, & apostolis tradiderit; tamen fatendum esse, etiam sub altera tantum specie, totum atque integrum Christum, verumque sacramentum sumi. Ac propterea, quod ad fructum attinet, nulla gratia necessaria ad salutem eos defraudari, qui unam speciem solam accipiunt.

Sess. 13. c. 3. & can. 3.

CAPUT IV.

Parvulos non obligari ad communionem sacramentalem.

Infra can. 4.

Denique eadem sancta synodus docet, parvulos usu rationis carentes, nulla obligari necessitate ad sacramentalem eucharistiæ communionem. Siquidem per baptismi lavacrum, regenerati, & Christo incorporati, adeptam jam filiorum Dei gratiam, in illa ætate amittere non possunt. Neque ideo tamen damnanda est antiquitas, si eum morem in quibusdam locis aliquando servavit. Ut enim sanctissimi illi patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt, ita certe eos nulla salutis necessitate id fecisse, sine controversia credendum est.

Tit. 3.

DE COMMUNIONE SUB UTRAQUE SPECIE, ET PARVULORUM.

CANON I.

Constant. sess. 13.

Si quis dixerit, ex Dei præcepto, vel necessitate salutis, omnes & singulos Christi fideles utramque speciem sanctissimi eucharistiæ sacramenti sumere debere, anathema sit.

II.

Supra c. 1.

Si quis dixerit, sanctam ecclesiam catholicam non justis causis & rationibus adductam fuisse, ut laicos, atque etiam clericos non conficientes, sub panis tantummodo specie communicaret, aut in eo erravisse, anathema sit.

III.

Sup. c. 3. & sess. 13. c. 3. & can. 3.

Si quis negaverit totum & integrum Christum omnium gratiarum fontem & auctorem, sub una panis specie sumi, quia, ut quidam falso asserunt, non secundum ipsius Christi institutionem sub utraque specie sumatur, anathema sit.

IV.

Sup. c. 4.

Si quis dixerit, parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse eucharistiæ communionem, anathema sit.

Supra sessione 13. in fine & inf. sess. 22. in decreto finali.

Duos vero articulos alias propositos, nondum tamen excussos, videlicet an rationes, quibus sancta catholica ecclesia adducta fuit, ut communicaret laicos, atque etiam non celebrantes sacerdotes, sub una tantum panis specie, ita sint retinendæ, ut nulla ratione calicis usus cuiquam sit permittendus; & an si honestis & Christianæ caritati consentaneis rationibus concedendus alicui vel nationi, vel regno calicis usus videatur, sub aliquibus conditionibus concedendus sit, & quænam sint illæ, eadem sancta synodus in aliud tempus, oblata sibi quamprimum occasione, examinandos atque definiendos reservat.

ANNO CHRISTI 1562. Ibidem.

DECRETUM DE REFORMATIONE.

Eadem sacrosancta œcumenica & generalis Tridentina synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, præsidentibus in ea eisdem apostolicæ sedis legatis, ad Dei omnipotentis laudem, & sanctæ ecclesiæ ornamentum, ea quæ sequuntur, de reformationis negotio in præsenti statuenda esse censuit.

CAPUT I.

Episcopi gratis cum ordines conferant, tum dimissorias & testimoniales dent, pro quibus eorum ministri nihil prorsus, notarii, quod in decreto præfinitum est, accipiant.

Later. II. 1. Later. IV. 63. Chalc. 2. Brac. II. 3. Aur. II. 3. Tolet. VIII. can. 3. Milevit. c. 21.

Quoniam ab ecclesiastico ordine omnis avaritiæ suspicio abesse debet, nihil pro collatione quorumcumque ordinum, etiam clericalis tonsuræ, nec pro literis dimissoriis aut testimonialibus, nec pro sigillo, nec alia quacumque de causa, etiam sponte oblatum, episcopi, & alii ordinum collatores, aut eorum ministri, quovis prætextu accipiant. Notarii vero in his tantum locis, in quibus non viget laudabilis consuetudo nihil accipiendi, pro singulis literis dimissoriis, aut testimonialibus, decimam tantum unius aurei partem accipere possint; dummodo eis nullum salarium sit constitutum pro officio exercendo: nec episcopis ex notarii commodis aliquod emolumentum ex eisdem ordinum collationibus directe vel indirecte provenire possit. Tunc enim gratis operam suam eos præstare omnino teneri decernit, contrarias taxas, ac statuta, & consuetudines etiam immemorabiles, quorumcumque locorum (quæ potius abusus & corruptelæ simoniacæ pravitati faventes nuncupari possunt) penitus cassando & interdicendo; & qui secus fecerint, tam dantes, quam accipientes, ultra divinam ultionem, pœnas a jure inflictas ipso facto incurrant.

CAPUT II.

Arcentur a sacris ordinibus, qui non habent unde vivere possint.

Cum non deceat eos, qui divino ministerio adscripti sunt, cum ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quæstum exercere, compertumque sit complures plerisque in locis ad sacros ordines nullo fere delectu admitti, qui variis artibus ac fallaciis confingunt se beneficium ecclesiasticum, aut etiam idoneas facultates obtinere; statuit sancta synodus, ne quis deinceps clericus sæcularis, (quamvis alias sit idoneus moribus, scientia & ætate) ad sacros ordines promoveatur, nisi prius legitime constet eum beneficium ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice possidere. Id vero beneficium resignare non possit, nisi facta mentione, quod ad illius beneficii titulum sit promotus: neque ea resignatio admittatur, nisi constito quod aliunde vivere commode possit: & aliter facta resignatio nulla sit.

Patri-

ANNO CHRISTI 1562.

Patrimonium vero vel penſionem obtinentes ordinari poſthac non poſſint, niſi illi, quos epiſcopus judicaverit aſſumendos pro neceſſitate, vel commoditate eccleſiarum ſuarum, eo quoque prius perſpecto, patrimonium illud vel penſionem vere ab eis obtineri, taliaque eſſe, quæ eis ad vitam ſuſtentandam ſatis ſint: atque illa deinceps ſine licentia epiſcopi alienari, aut extingui, vel remitti nullatenus poſſint, donec beneficium eccleſiaſticum ſufficiens ſint adepti, vel aliunde habeant unde vivere poſſint, antiquorum canonum pœnas ſuper his innovando.

Conc. Later. ſub Alex. III. Parte I. 9.

CAPUT III.

Ratio augendi diſtributiones quotidianas præſcribitur: conſuetudo, qua non reſidentes nihil vel minus tertia parte fructuum percipiunt, laudatur: abſentium contumacia punitur.

Cum beneficia ad divinum cultum, atque eccleſiaſtica munia obeunda ſint conſtituta, ne qua in parte minuatur divinus cultus, ſed ei debitum omnibus in rebus obſequium præſtetur, ſtatuit ſancta ſynodus, in eccleſiis tam cathedralibus quam collegiatis, in quibus nullæ ſunt diſtributiones quotidianæ, vel ita tenues, ut veriſimiliter negligantur, tertiam partem fructuum, & quorumcumque proventuum & obventionum, tam dignitatum, quam canonicatuum, perſonatuum, portionum & officiorum ſeparari debere, & in diſtributiones quotidianas converti, quæ inter dignitates obtinentes, & ceteros divinis intereſſentes proportionabiliter, juxta diviſionem ab epiſcopo, etiam tanquam apoſtolicæ ſedis delegato, in ipſa prima fructuum deductione facienda dividantur; ſalvis tamen conſuetudinibus earum eccleſiarum, in quibus non reſidentes, ſeu non ſervientes, nihil vel minus tertia parte percipiunt: non obſtantibus exemptionibus ac aliis conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, & appellationibus quibuſcumque: creſcenteque non ſervientium contumacia, liceat contra eos procedere juxta juris ac ſacrorum canonum diſpoſitionem.

ſeſſ. 22. c. 3. de ref.

ſeſſ. 23. c. 1. de ref.

CAPUT IV.

Sacramenta per convenientem ſacerdotum numerum exhibeantur. Ratio novas parochias erigendi traditur.

Epiſcopi, etiam tanquam apoſtolicæ ſedis delegati, in omnibus eccleſiis parochialibus vel baptiſmalibus, in quibus populus ita numeroſus ſit, ut unus rector non poſſit ſufficere eccleſiaſticis ſacramentis miniſtrandis & cultui divino peragendo, cogant rectores, vel alios, ad quos pertinet, ſibi tot ſacerdotes ad hoc munus adjungere, quot ſufficiant ad ſacramenta exhibenda, & cultum divinum celebrandum. In iis vero, in quibus ob locorum diſtantiam, ſive difficultatem, parochiani ſine magno incommodo ad percipienda ſacramenta & divina officia audienda accedere non poſſunt, novas parochias, etiam invitis rectoribus, juxta formam conſtitutionis Alexandri tertii, quæ incipit, Ad audientiam, conſtituere poſſint. Illis autem ſacerdotibus, qui de novo erunt eccleſiis noviter erectis præficiendi, competens aſſignetur portio arbitrio epiſcopi ex fructibus ad eccleſiam matricem quomodocumque pertinentibus; &, ſi neceſſe fuerit, compellere poſſit populum ea ſubminiſtrare quæ ſufficiant ad vitam dictorum ſacerdotum ſuſtentandam: quacumque reſervatione generali vel ſpeciali, vel affectione, ſuper dictis eccleſiis non obſtantibus. Neque hujuſmodi ordinationes & erectiones poſſint tolli nec impediri ex quibuſcumque proviſionibus, etiam vigore reſignationis, aut quibuſvis aliis derogationibus, vel ſuſpenſionibus.

Cap. 3. De eccleſiaſticis ædificiis.

SESSIO XXI. 16. Julii 1562.

CAPUT V.

Poſſint epiſcopi facere uniones perpetuas in caſibus a jure permiſſis.

Ut etiam eccleſiarum ſtatus, ubi ſacra Deo officia miniſtrantur, ex dignitate conſervetur, poſſint epiſcopi, etiam tanquam apoſtolicæ ſedis delegati, juxta formam juris, ſine tamen præjudicio obtinentium, facere uniones perpetuas quarumcumque eccleſiarum parochialium & baptiſmalium, & aliorum beneficiorum curatorum, vel non curatorum, cum curatis, propter earum paupertatem, & in ceteris caſibus a jure permiſſis, etiamſi dictæ eccleſiæ vel beneficia eſſent generaliter vel ſpecialiter reſervata, aut qualitercumque affecta. Quæ uniones etiam non poſſint revocari, nec quoquo modo infringi vigore cujuſcumque proviſionis, etiam ex cauſa reſignationis, aut derogationis, aut ſuſpenſionis.

Conc. Later. ſub Leone X. ſeſſ. 9. de ref. curiæ. ſup ſeſſ. 9. de ref. & infra ſeſſ. 24. c. 9. de ref.

CAPUT VI.

Imperitis rectoribus vicarii cum parte fructuum pro tempore deputentur: in ſcandalo perſeverantes privari beneficiis poſſint.

Quia illiterati & imperiti parochialium eccleſiarum rectores ſacris minus apti ſunt officiis, & alii propter eorum vitæ turpitudinem potius deſtruunt quam ædificant, epiſcopi, etiam tanquam apoſtolicæ ſedis delegati, eiſdem illiteratis & imperitis, ſi alias honeſtæ vitæ ſint, coadjutores aut vicarios pro tempore deputare, partemque fructuum eiſdem pro ſufficienti victu aſſignare, vel aliter providere poſſint, quacumque appellatione & exemptione remota: eos vero, qui turpiter & ſcandaloſe vivunt, poſtquam præmoniti fuerint, coerceant ac caſtigent. Et ſi adhuc incorrigibiles in ſua nequitia perſeverent, eos beneficiis, juxta ſacrorum canonum conſtitutiones, exemptione & appellatione quacumque remota, privandi facultatem habeant.

CAPUT VII.

Epiſcopi transferant una cum oneribus eccleſias, quæ nequeunt inſtaurari; alias vero reparari procurent.

Cum illud quoque valde curandum ſit, ne ea quæ ſacris miniſteriis dicata ſunt temporum injuria obſoleſcant, & ex hominum memoria excidant; epiſcopi etiam tanquam apoſtolicæ ſedis delegati transferre poſſint beneficia ſimplicia (etiam juriſpatronatus) ex eccleſiis, quæ vetuſtate vel alias collapſæ ſint, & ob eorum inopiam nequeant inſtaurari, vocatis iis quorum intereſt, in matrices aut alias eccleſias locorum eorumdem, ſeu viciniorum, arbitrio ſuo; atque in eiſdem eccleſiis erigant altaria vel capellas ſub eiſdem invocationibus; vel in jam erecta altaria vel capellas transferant, cum omnibus emolumentis & oneribus, prioribus eccleſiis impoſitis. Parochiales vero eccleſias, etiamſi juriſpatronatus ſint, ita collapſas refici & inſtaurari procurent ex fructibus & proventibus quibuſcumque,

ſeſſ. 7. c. 8. de ref.

SESSIO XXI. 16. Julis 1562.

ad eaſdem eccleſias quomodocumque pertineatibus, qui ſi non fuerint ſufficientes, omnes patronos, & alios, qui fructus aliquos ex dictis eccleſiis provenientes percipiunt, aut in illorum defectum, parochianos omnibus remediis opportunis ad prædicta cogant, quacumque appellatione, exemptione & contradictione remota. Quod ſi nimia egeſtate omnes laborent, ad matrices, ſeu viciniores eccleſias transferantur, cum facultate tam dictas parochiales, quam alias eccleſias dirutas, in profanos uſus non ſordidos, erecta tamen ibi Cruce, convertendi.

CAPUT VIII.

Monaſteria commendata, in quibus non viget regularis obſervantia, & beneficia quæcumque quotannis ab ordinario viſitentur.

Quæcumque in diœceſi ad Dei cultum ſpectant, ab ordinario diligenter curari, atque iis, ubi oportet, provideri æquum eſt. Propterea commendata monaſteria, etiam abbatiæ, prioratus, & præpoſituræ nuncupatæ, in quibus non viget regularis obſervantia, nec non beneficia, tam curata quam non curata, ſæcularia & regularia, qualitercumque commendata, etiam exempta, ab epiſcopis, etiam tanquam apoſtolicæ ſedis delegatis, annis ſingulis viſitentur; curentque iidem epiſcopi congruentibus remediis, etiam per ſequeſtrationem fructuum, ut quæ renovatione indigent, aut reſtauratione, reficiantur; & cura animarum, ſi qua illis vel eorum annexis immineat, aliaque debita obſequia recte exerceantur, appellationibus quibuſcumque, privilegiis, conſuetudinibus, etiam immemorabili tempore præſcriptis, conſervatoriis, judicum deputationibus, & eorum inhibitionibus, non obſtantibus. Et, ſi in eis vigeret obſervantia regularis, provideant epiſcopi paternis admonitionibus, ut eorum regularium ſuperiores, juxta eorum regularia inſtituta, debitam vivendi rationem obſervent & obſervari faciant, & ſibi ſubditos in officio contineant ac moderentur. Quod ſi admoniti intra ſex menſes eos non viſitaverint, vel correxerint; tunc iidem epiſcopi, etiam ut delegati ſedis apoſtolicæ, eos viſitare poſſint & corrigere, prout ipſi ſuperiores poſſent juxta eorum inſtituta; quibuſcumque appellationibus, privilegiis & exemptionibus penitus remotis, & non obſtantibus.

Seſſ. 7. c. 8. & 24. 9. & 25. c. 20. de regularibus.

CAPUT IX.

Quæſtorum eleemoſynarum nomen & uſus tollitur; indulgentias & ſpirituales gratias ordinarii publicent. Duo de capitulo eleemoſynas gratis accipiant.

Cum multa a diverſis antea conciliis, tam Lateranenſi, ac Lugdunenſi, quam Viennenſi, adverſus pravos eleemoſynarum quæſtorum abuſus remedia tunc adhibita, poſterioribus temporibus reddita fuerint inutilia, potiuſque eorum malitia ita quotidie magno fidelium omnium ſcandalo & querela excreſcere deprehendatur, ut de eorum emendatione nulla ſpes amplius relicta videatur, ſtatuit ut poſthac in quibuſcumque Chriſtianæ religionis locis eorum nomen atque uſus penitus aboleatur, nec ad officium hujuſmodi exercendum ullatenus admittantur; non obſtantibus privilegiis, eccleſiis, monaſteriis, hoſpitalibus, piis locis, & quibuſvis cujuſcumque gradus, ſtatus, & dignitatis perſonis, conceſſis, aut conſuetudinibus etiam immemorabilibus. Indulgentias vero aut alias ſpirituales gratias, quibus non ideo Chriſti fideles decet privari, deinceps per ordinarios locorum adhibitis duobus de capitulo, debitis temporibus populo publicandas eſſe decernit. Quibus etiam eleemoſynas, atque oblata ſibi caritatis ſubſidia, nulla prorſus mercede accepta, fideliter colligendi facultas datur, ut tandem cœleſtes hos eccleſiæ theſauros, non ad quæſtum, ſed ad pietatem exerceri omnes vere intelligant.

Later. IV. ſub. Inno. III. cap. 63. Vienn. Clem. Abuſionibus tit. de pœn. & rem. ſeſſ. 5. c. 2. de ref. ſeſſ. 25. in cont. decreto de indulgentiis.

ANNO CHRISTI 1562.

Indictio futuræ ſeſſionis.

Eadem ſacroſancta œcumenica & generalis Tridentina ſynodus, in ſpiritu ſancto legitime congregata, præſidentibus in ea eiſdem apoſtolicæ ſedis legatis, ſtatuit & decrevit, proximam futuram ſeſſionem habendam & celebrandam eſſe feria quinta poſt octavam feſti nativitatis beatæ Mariæ virginis, quæ erit decimaſeptima menſis Septembris proxime futuri. Hoc tamen adjecto, quod dictum terminum ac unicuique ſeſſioni in poſterum præfigendum, ipſa ſancta ſynodus pro ejus arbitrio & voluntate, ſicuti rebus concilii putaverit expedire, etiam in generali congregatione reſtringere & prorogare libere poſſit & valeat.

Sup. ſeſſ. 9.

SESSIO VIGESIMASECUNDA,

Quæ eſt ſexta ſub Pio IV. pontifice maximo, celebrata die XVII. Septembris MDLXII.

Doctrina de ſacrificio miſſæ.

SESSIO XXII. 17. Sept. 1562. Seſſ. 13. in principio.

SACROSANCTA œcumenica & generalis Tridentina ſynodus, in Spiritu ſancto legitime congregata, præſidentibus in ea eiſdem apoſtolicæ ſedis legatis, ut vetus, abſoluta atque omni ex parte perfecta de magno euchariſtiæ myſterio in ſancta catholica eccleſia fides atque doctrina retineatur, & in ſua puritate, propulſatis erroribus atque hæreſibus, conſervetur, de ea, quatenus verum & ſingulare ſacrificium eſt, Spiritus ſancti illuſtratione edocta, hæc quæ ſequuntur docet, declarat, & fidelibus populis prædicanda decernit.

CAPUT I.

De inſtitutione ſacroſancti miſſæ ſacrificii.

Quoniam ſub priori teſtamento, teſte apoſtolo Paulo, propter Levitici ſacerdotii imbecillitatem conſummatio non erat, oportuit, Deo Patre miſericordiarum ita ordinante, ſacerdotem alium ſecundum ordinem Melchiſedech ſurgere, dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui poſſet omnes, quotquot ſanctificandi eſſent, conſummare, & ad perfectum adducere. Is igitur Deus & dominus noſter, etſi ſemel ſeipſum in ara Crucis, morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat, ut æternam illic redemptionem operaretur: quia tamen per mortem ſacerdotium ejus extinguendum non erat, in cœna noviſſima qua nocte tradebatur, ut dilectæ ſuæ ſponſæ eccleſiæ viſibile, ſicut hominum natura exigit, relinqueret ſacrificium, quo cruentum illud ſemel in Cruce peragendum repræſentaretur, ejuſque memoria in finem uſque ſæculi permaneret, atque illius ſalutaris virtus in remiſſionem eorum, quæ a nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur, ſacerdotem ſecun-

Hebr. 7. 9. & 10.

Tol. XII. 5. 1. Cor. 11.

ANNO CHRISTI 1562.

secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit, ac sub earumdem rerum symbolis apostolis, quos tunc novi testamenti sacerdotes constituebat, ut sumerent tradidit, & eisdem, eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent præcepit, per hæc verba: *Hoc facite in meam commemorationem*: uti semper ecclesia catholica intellexit & docuit. Nam celebrato veteri pascha, (quod in memoriam exitus de Ægypto multitudo filiorum Israel immolabat) novum instituit pascha, seipsum ab ecclesia per sacerdotes sub signis visibilibus immolandum, in memoriam transitus sui ex hoc mundo ad Patrem, quando per sui sanguinis effusionem nos redemit, atque eripuit de potestate tenebrarum, & in regnum suum transtulit. Et hæc quidem illa munda oblatio est, quæ nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari potest, quam dominus per Malachiam nomini suo, quod magnum futurum esset in gentibus, in omni loco mundam offerendam prædixit; & quam non obscure innuit apostolus Paulus Corinthiis scribens, cum dicit non posse eos, qui participatione mensæ dæmoniorum polluti sunt, mensæ domini participes fieri, per mensam altare utrobique intelligens. Hæc denique illa est, quæ per varias sacrificiorum naturæ & legis tempore similitudines figurabatur, ut pote quæ bona omnia per illa significata velut illorum omnium consummatio & perfectio complectitur.

Psal. 109. *Luc.* 22. *1a Cor.* 11. *Exod.* 13. *Coloss.* 1. *Malach.* 1. *1. Cor.* 10. *Gen.* 4. 22. *Lev.* 1. 2, 3.

CAPUT II.

Sacrificium visibile esse propitiatorium pro vivis & defunctis.

Et quoniam in divino hoc sacrificio, quod in missa peragitur, idem ille Christus continetur, & incruente immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruente obtulit, docet sancta synodus, sacrificium istud vere propitiatorium esse, per ipsumque fieri, ut si cum vero corde & recta fide, cum metu & reverentia contriti ac pœnitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Hujus " quippe oblatione placatus dominus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit. Una enim eademque est hostia, idemque nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa: cujus quidem oblationis, cruentæ inquam, fructus per hanc incruentam uberrime percipiuntur, tantum abest ut illi per hanc quovis modo derogetur. Quare non solum pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus & aliis necessitatibus, sed & pro defunctis in Christo, nondum ad plenum purgatis, rite, juxta apostolorum traditionem, offertur.

Hebr. 9. " S. Aug. X. de civitat. Dei c. 20. *Sess.* 25. princ. & hujus sess. can. 3.

CAPUT III.

De missis in honorem sanctorum.

Et quamvis in honorem & memoriam sanctorum nonnullas interdum missas ecclesia celebrare consueverit, non tamen illis sacrificium offerri docet, sed Deo soli qui illos coronavit. Unde nec sacerdos dicere solet; Offero tibi sacrificium, Petre vel Paule: sed Deo de illorum victoriis gratias agens eorum patrocinia implorat, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam facimus in terris:

S. Aug. VIII. de civ. Dei c. 27. Sess. 25. in cont. de invocatione sanctorum.

CAPUT IV.

De canone missæ.

SESSIO XXII. 17. Sept. 1562.

Et cum sancta sancte administrari conveniat, sitque hoc omnium sanctissimum sacrificium, ecclesia catholica, ut digne reverenterque offerretur ac perciperetur, sacrum canonem multis ante " sæculis instituit, ita ab omni errore purum, ut nihil in eo contineatur, quod non maxime sanctitatem & pietatem quamdam redoleat, mentesque offerentium in Deum erigat. Is enim constat cum ex ipsis domini verbis, tum ex apostolorum traditionibus, ac sanctorum quoque pontificum piis institutionibus.

" S. Aug. ad Januarium & ad Paulinum: Ambr. seu quis author de sacr. IV. c. 6. Vigilius ep. ad Eutherium. Inn. III. c. Cum Marthæ de celebr. missarum. S. Aug. l. de lib. arb. c. 10.

CAPUT V.

De solennibus missæ sacrificii cæremoniis.

Cumque natura hominum ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli, propterea pia mater ecclesia ritus quosdam, ut scilicet quædam sumissa voce, alia vero elatiore, in missa pronunciarentur, instituit. Cæremonias item adhibuit, ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliaque id genus multa, ex apostolica disciplina & traditione: quo & majestas tanti sacrificii commendaretur, & mentes fidelium per hæc visibilia religionis & pietatis signa ad rerum altissimarum, quæ in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur.

infra can. 7.

CAPUT VI.

De missa, in qua solus sacerdos communicat.

Optaret quidem sacrosancta synodus, ut in singulis missis fideles adstantes, non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos hujus sanctissimi sacrificii fructus uberior proveniret: nec tamen, si id non semper fiat, propterea missas illas, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, ut privatas & illicitas damnat, sed probat, atque adeo commendat. Siquidem illæ quoque missæ vere communes censeri debent, partim quod in eis populus spiritualiter communicet: partim vero quod a publico ecclesiæ ministro non pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus, qui ad corpus Christi pertinent, celebrentur.

CAPUT VII.

De aqua vino miscenda in calice offerendo.

Monet deinde sancta synodus, præceptum esse ab ecclesia sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent: tum quod Christum dominum ita fecisse credatur, tum etiam, quia e latere ejus aqua simul cum sanguine exierit: quod sacramentum hac mixtione recolitur, & cum aquæ in Apocalypsi beati Joannis populi dicantur, ipsius populi fidelis cum capite Christo unio repræsentatur.

S. Cypr. ep. 63. Carth III. 24. Brac. III. 1. Tribur. c. 19. Flor. in decr. &c. *Joan.* 19. *Apoc.* 17.

CAPUT VIII.

De missa vulgari lingua passim non celebranda; & mysteriis ejus populo explicandis.

Etsi missa magnam contineat populi fidelis

ANNO CHRISTI 1562.

eruditionem, non tamen expedire visum est patribus, ut vulgari lingua passim celebraretur, Quamobrem retento ubique cujusque ecclesiæ antiquo & a sancta Romana ecclesia, omnium ecclesiarum matre & magistra, probato ritu, ne oves Christi esuriant, neve parvuli panem petant, & non sit qui frangat eis; mandat sancta synodus pastoribus, & singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter missarum celebrationem, vel per se, vel per alios, ex iis quæ in missa leguntur, aliquid exponant, atque inter cetera, sanctissimi hujus sacrificii mysterium aliquod declarent, diebus præsertim dominicis & festis.

Thren. 4.

Sess. c. 5. de ref. & 24. c. 7. de ref.

CAPUT IX.

Præfatio canonum sequentium.

Quia vero adversus veterem hanc in sacrosancto evangelio, apostolorum traditionibus sanctorumque patrum doctrina fundatam fidem, hoc tempore multi disseminati sunt errores, multaque a multis docentur atque disputantur; sacrosancta synodus, post multos gravesque his de rebus mature habitos tractatus, unanimi patrum omnium consensu, quæ huic purissimæ fidei sacræque doctrinæ adversantur, damnare, & a sancta ecclesia eliminare, per subjectos hos canones constituit.

DE SACRIFICIO MISSÆ.

CANON I.

Si quis dixerit, in missa non offerri Deo verum & proprium sacrificium, aut quod offerri non sit aliud, quam nobis Christum ad manducandum dari, anathema sit.

II.

Luc. 22. 1. Cor. 11. Si quis dixerit, illis verbis, *Hoc facite in meam commemorationem*, Christum non instituisse apostolos sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi aliique sacerdotes offerrent corpus & sanguinem suum, anathema sit.

Supra c. 1.

III.

Sup. c. 2. Si quis dixerit, missæ sacrificium tantum esse laudis & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium; vel soli prodesse sumenti; neque pro vivis & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus offerri debere, anathema sit.

IV.

Si quis dixerit, blasphemiam irrogari sanctissimo Christi sacrificio in cruce peracto, per missæ sacrificium, aut illi per hoc derogari, anathema sit.

V.

Sup. c. 3. Si quis dixerit, impostruram esse missas celebrare in honorem sanctorum, & pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut ecclesia intendit, anathema sit.

VI.

Sup. c. 4. Si quis dixerit, canonem missæ errores continere, ideoque abrogandum esse, anathema sit.

SESSIO XXIII. 17. Sept. 1562.

VII.

Sup. c. 5. Si quis dixerit, cerimonias, vestes & externa signa, quibus in missarum celebratione ecclesia catholica utitur, irritabula impietatis esse magis quam officia pietatis, anathema sit.

VIII.

Sup. c. 6. Si quis dixerit, missas, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse, ideoque abrogandas, anathema sit.

IX.

Sup. c. 8. Si quis dixerit, ecclesiæ Romanæ ritum, quo summissa voce pars canonis & verba consecrationis proferuntur, damnandum esse, aut lingua tantum vulgari missam celebrari debere, aut aquam non miscendam esse vino in calice offerendo, eo quod sit contra Christi institutionem, anathema sit.

DECRETUM DE OBSERVANDIS & evitandis in celebratione missæ.

Quanta cura adhibenda sit, ut sacrosanctum missæ sacrificium omni religionis cultu ac veneratione celebretur, quivis facile existimare poterit, qui cogitarit, maledictum in sacris literis eum vocari qui opus Dei facit negligenter. Quod si necessario fatemur, nullum aliud opus adeo sanctum ac divinum a Christi fidelibus tractari posse, quam hoc ipsum tremendum mysterium, quo vivifica illa hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in altari per sacerdotes quotidie immolatur: satis etiam apparet, omnem operam & diligentiam in eo ponendam esse, ut quanta maxima fieri potest interiori cordis munditia & puritate, atque exteriori devotionis ac pietatis specie, peragatur. Cum igitur multa jam sive temporum vitio, sive hominum incuria & improbitate, irrepsisse videantur, quæ a tanti sacrificii dignitate aliena sunt, ut ei debitus honor & cultus ad Dei gloriam, & fidelis populi ædificationem restituatur, decernit sancta synodus, ut ordinarii locorum episcopi ea omnia prohibere, atque e medio tollere sedulo curent ac teneantur, quæ vel avaritia, idolorum servitus, vel irreverentia, quæ ab impietate vix sejuncta esse potest, vel superstitio, veræ pietatis falsa imitatrix, induxit.

Jerem. 48.

Sess. 13. c. 7.

Ephes. 5.

Atque, ut multa paucis comprehendantur, in primis, quod ad avaritiam pertinet, cujusvis generis mercedum conditiones, pacta, & quidquid pro missis novis celebrandis datur, nec non importunas atque illiberales eleemosynarum exactiones potius quam postulationes, aliaque hujusmodi, quæ a simoniaca labe, vel certe a turpi quæstu, non longe absunt, omnino prohibeant.

Deinde, ut irreverentia vitetur, singuli in suis diœcesibus interdicant, ne cui vago & ignoto sacerdoti missas celebrare liceat: neminem præterea, qui publice & notorie criminosus sit, aut sancto altari ministrare, aut sacris interesse permittant: neve patiantur privatis in domibus, atque omnino extra ecclesiam, & ad

Laod. c. 58. Carth. II. 9.

divi-

ANNO CHRISTI 1562.

divinum tantum cultum dedicata oratoria ab eisdem ordinariis designanda & visitanda sanctum hoc sacrificium, a sæcularibus aut regularibus quibuscumque peragi: ac nisi prius qui intersint, decenter composito corporis habitu, declaraverint se mente etiam ac devoto cordis affectu, non solum corpore adesse. Ab ecclesiis vero musicas eas, ubi sive organo, sive cantu, lascivum aut impurum aliquid miscetur, item sæculares omnes actiones, vana atque adeo profana colloquia, deambulationes, strepitus, clamores, arceant, ut domus Dei vere domus orationis esse videatur & dici possit.

Antiss. 9. Cabil. 19. Isa. 59. Matth. 22.

Postremo, ne superstitioni locus aliquis detur, edicto & pœnis propositis caveant, ne sacerdotes aliis quam debitis horis celebrent, neve ritus alios aut alias cæremonias & preces in missarum celebratione adhibeant, præter eas quæ ab ecclesia probatæ ac frequenti & laudabili usu receptæ fuerint. Quarumdam vero missarum, & candelarum certum numerum, qui magis a superstitioso cultu, quam a vera religione inventus est, omnino ab ecclesia removeant: doceantque populum quis sit, & a quo potissimum proveniat hujus sanctissimi sacrificii tam pretiosus ac cœlestis fructus. Moneant etiam eumdem populum, ut frequenter ad suas parochias, saltem diebus dominicis, & majoribus festis, accedant. Hæc igitur omnia, quæ summatim enumerata sunt, locorum ordinariis ita proponantur, ut non solum ea ipsa, sed quæcumque alia huc pertinere visa fuerint, ipsi pro data sibi a sacrosancta synodo potestate, ac etiam ut delegati sedis apostolicæ, prohibeant, mandent, corrigant, statuant, atque ad ea inviolate servanda, censuris ecclesiasticis aliisque pœnis, quæ illorum arbitrio constituentur, fidelem populum compellant, non obstantibus privilegiis, exemptionibus, appellationibus, ac consuetudinibus quibuscumque.

Agath. 21. & 63.

DECRETUM DE REFORMATIONE.

Eadem sacrosancta œcumenica & generalis Tridentina synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, præsidentibus in ea eisdem apostolicæ sedis legatis, ut reformationis negotium prosequatur, hæc in præsenti sessione statuenda censuit.

CAPUT I.

Canones de vita & honestate clericorum innovantur.

Sess. 23. c. 1. de ref.

Nihil est quod alios magis ad pietatem ac Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita & exemplum qui se divino ministerio dedicarunt. Cum enim a rebus sæculi in altiorem sublati locum cònspiciantur, in eos, tanquam in speculum, reliqui oculos conjiciunt, ex iisque sumunt quod imitentur. Quapropter sic decet omnino clericos in sortem domini vocatos, vitam, moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus, nil nisi grave, moderatum, ac religione plenum præ se ferant: levia etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem. Cum igitur, quo majore in ecclesia Dei & utilitate & ornamento hæc sunt, ita etiam diligentius sunt observanda, statuit sancta synodus, ut quæ alias a summis pontificibus, & sacris conciliis, de clericorum vita, honestate, cultu, doctrinaque retinenda, ac simul de luxu, comessationibus, choreis, aleis, lusibus, ac quibuscumque criminibus, nec non sæcularibus negotiis fugiendis, copiose ac salubriter sancita fuerunt, eadem in posterum iisdem pœnis, vel majoribus arbitrio ordinarii imponendis, observentur: nec appellatio executionem hanc, quæ ad morum correctionem pertinet, suspendat. Si qua vero ex iis in desuetudinem abiisse compererint, ea quamprimum in usum revocari, & ab omnibus accurate custodiri studeant, non obstantibus consuetudinibus quibuscumque: ne subditorum neglectæ emendationis ipsi condignas, Deo vindice, pœnas persolvant.

Matth. 5. Tit. 2. Sess. 14. & Sess. 24. de ref. c. 12. Carth. III. 15. & IV. 44. & seqq. Chalc. c. 3. Arel. II. 14. Mat. l. 5. Nic. II. 16.

SESSIO XXII. 17. Sept. 1562.

CAPUT II.

Quinam ad cathedrales ecclesias assumendi.

Quicumque posthac ad cathedrales ecclesias erit assumendus, is non solum natalibus, ætate, moribus, & vita, ac aliis, quæ a sacris canonibus requiruntur, plene sit præditus: verumetiam in sacro ordine antea, saltem sex mensium spatio, constitutus: quarum rerum instructio, si ejus notitia nulla aut recens in curia fuerit, a sedis apostolicæ legatis, seu nunciis provinciarum, aut ejus ordinario, eoque deficiente, a vicinioribus ordinariis sumatur. Scientia vero præter hæc hujusmodi polleat, ut muneris sibi injungendi necessitati possit satisfacere: ideoque antea in universitate studiorum magister, sive doctor, aut licentiatus in sacra theologia vel jure canonico merito sit promotus, aut publicus alicujus academiæ testimonio idoneus ad alios docendos ostendatur. Quod si regularis fuerit, a superioribus suæ religionis similem fidem habeat. Prædicti autem omnes, unde instructio seu testificatio erit sumenda, hæc fideliter & gratis referre teneantur: alioquin eorum conscientias graviter oneratas esse scient, ac Deum & superiores suos habebunt ultores.

Sardic. c. 13. Rom. sub Nic. Bracar. I. 20. Sess. 7. c. 2. de ref. Sess. 24. c. 1 de ref.

CAPUT III.

Creandæ distributiones quotidianæ ex tertia parte quorumcumque fructuum: portio absentium quibus cedat: certi casus excepti.

Episcopi, etiam tanquam delegati apostolici, ex fructibus & proventibus quibuscumque omniam dignitatum, personatuum, & officiorum in ecclesiis cathedralibus, vel collegiatis existentium, tertiam partem in distributiones, eorum arbitrio assignandas, dividere possint: ut scilicet qui eas obtinent, si personaliter competens sibi servitium, juxta formam ab eisdem episcopis præscribendam, quolibet die statuto non impleverint, illius diei distributionem amittant, nec ejus quoquo modo dominium acquirant, sed fabricæ ecclesiæ, quatenus indigeat, aut alteri pio loco arbitrio ordinarii applicetur. Crescente vero contumacia, contra eos juxta sacrorum canonum constitutiones procedant. Quod si alicui ex prædictis dignitatibus in ecclesiis cathedralibus vel collegiatis, de jure, seu consuetudine jurisdictio, administratio, vel officium non competat, sed extra civitatem in diœcesi cura animarum immineat, cui is, qui dignitatem obtinet, incumbere voluerit, tunc pro tempore, quo in curata ecclesia resederit, ac ministraverit, tanquam præsens sit, ac divinis intersit, in ecclesiis cathedralibus ac collegiatis habeatur. Hæc in his tantum ecclesiis instituta

Sess. 21. c. 3. de ref.

SESSIO XXII. 17. Sept. 1562.

instituta intelligantur, in quibus nulla est consuetudo, vel statutum, ut dictæ dignitates non servientes aliquid amittant, quod ad tertiam dictorum fructuum & proventuum partem ascendat: non obstantibus consuetudinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus, & constitutionibus, etiam juramento & quavis auctoritate firmatis.

CAPUT IV.

In quacumque cathedrali vel collegiata, majoribus necdum initiati vocem in capitulo non habeant: quid præstare teneantur ad eos promoti; quive deinceps promovendi.

Quicumque in cathedrali vel collegiata, sæculari aut regulari ecclesia divinis mancipatus officiis, in subdiaconatus ordine saltem constitutus non sit, vocem in hujusmodi ecclesiis in capitulo non habeat, etiamsi hoc sibi ab aliis libere fuerit concessum. Ii vero, qui dignitates, personatus, officia, præbendas, portiones, ac quælibet alia beneficia, in dictis ecclesiis obtinent, aut in posterum obtinebunt, quibus onera varia sunt annexa, videlicet, ut alii missas, alii evangelia, alii epistolas dicant & cantent, quocumque ii privilegio, exemptione, prærogativa, generis nobilitate sint insigniti, teneantur, justo impedimento cessante, infra annum ordines suscipere requisitos; alioquin pœnas incurrant, juxta constitutionem concilii Viennensis, quæ incipit, Ut ii qui, *&c.* quam præsenti decreto innovat, cogantque episcopi eos diebus statutis dictos ordines per seipsos exercere, ac cetera omnia officia, quæ debent in cultu divino præstare, sub eisdem & aliis etiam gravioribus pœnis, arbitrio eorum imponendis. Nec aliis in posterum fiat provisio, nisi iis, qui jam ætatem & ceteras habilitates integre habere dignoscantur: aliter irrita sit provisio.

Clementina, Ut ii qui, de ætate & qualitate. Sess. 2. c. 11. de ref.

CAPUT V.

Committantur episcopo dispensationes extra curiam, & ab eo examinentur.

Dispensationes quacumque auctoritate concedendæ, si extra Romanam curiam committendæ erunt, committantur ordinariis illorum, qui eas impetraverint. Eæ vero, quæ gratiose concedentur, suum non sortiantur effectum, nisi prius ab eisdem, tanquam delegatis apostolicis, summarie tantum & extrajudicialiter cognoscatur, expressas preces subreptionis vel obreptionis vitio non subjacere.

CAPUT VI.

Circumspecte commutanda ultimæ voluntates.

In commutationibus ultimarum voluntatum, quæ non nisi ex justa & necessaria causa fieri debent, episcopi, tanquam delegati sedis apostolicæ, summarie & extrajudicialiter cognoscant, nihil in precibus, tacita veritate vel suggesta falsitate, fuisse narratum, priusquam commutationes prædictæ executioni demandentur.

Sess. 25. c. 4. de ref.

CAPUT VII.

Innovatur decretum Innocentii IV. papæ de appellationibus.

Legati & nuncii apostolici, patriarchæ, primates, & metropolitani, in appellationibus ad eos interpositis, in quibusvis causis, tam in admittendis appellationibus, quam in concedendis inhibitionibus post appellationem, servare teneantur formam & tenorem sacrarum constitutionum, & præsertim " Innocentii quarti, quæ incipit, Romana, quacumque consuetudine etiam immemorabili, aut stylo vel privilegio in contrarium non obstantibus; alias inhibitiones & processus, & inde secuta quæcumque, sint ipso jure nulla.

ANNO CHRISTI 1562.

" in concil. Lugdunensi I. 1245. Cap. Romana de appel. in 6.

CAPUT VIII.

Pias omnium dispositiones exequantur episcopi: quacumque pia loca visitent, dummodo non sint sub immediata regum protectione.

Episcopi, etiam tanquam sedis apostolicæ delegati, in casibus a jure concessis omnium piarum dispositionum tam in ultima voluntate, quam inter vivos, sint executores: habeant jus visitandi hospitalia, collegia quæcumque, ac confraternitates laicorum, etiam quas scholas sive quocumque alio nomine vocant: non tamen quæ sub regum immediata protectione sunt, sine eorum licentia. Eleemosynas montis pietatis, sive caritatis, & pia loca omnia, quomodocumque nuncupentur, etiamsi prædictorum locorum cura ad laicos pertineat, atque eadem pia loca exemptionis privilegio sint munita, ac omnia, quæ ad Dei cultum, aut animarum salutem, seu pauperes sustentandos, instituta sunt, ipsi ex officio suo juxta sacrorum canonum statuta cognoscant, & exequantur: non obstantibus quacumque consuetudine, etiam immemorabili, privilegio, aut statuto.

CAPUT IX.

Quorumcumque locorum piorum administratores reddant rationem ordinario, nisi aliter in fundatione sit cautum.

Administratores tam ecclesiastici quam laici fabricæ cujusvis ecclesiæ, etiam cathedralis, hospitalis, confraternitatis, eleemosynæ, montis pietatis, & quorumcumque piorum locorum, singulis annis teneantur reddere rationem administrationis ordinario, consuetudinibus & privilegiis quibuscumque in contrarium sublatis. Nisi secus forte in institutione & ordinatione talis ecclesiæ seu fabricæ, expresse cautum esset. Quod si ex consuetudine, aut privilegio, aut constitutione aliqua loci, aliis ad id deputatis ratio reddenda esset, tunc cum iis adhibeatur etiam ordinarius, & aliter factæ liberationes dictis administratoribus minime suffragentur.

Sess. 7. c. 9. de ref.

Sess. 25. c. 2 de ref.

CAPUT X.

Notarii episcoporum examini & judicio subjaceant.

Cum ex notariorum imperitia plurima damna & multarum occasio litium oriatur, possit episcopus quoscumque notarios, etiamsi apostolica, imperiali, aut regia auctoritate creati fuerint, etiam tanquam delegatus sedis apostolicæ, examinatione adhibita, eorum sufficientiam scrutari; illisque non idoneis repertis, aut quandocumque in officio delinquentibus, officii ejus, in negotiis, litibus & causis ecclesiasticis & spiritualibus exercendi usum perpetuo aut ad tempus prohibere. Neque eorum appellatio interdictionem ordinarii suspendat.

CAPUT

ANNO CHRISTI 1562.

CAPUT XI.

Bonorum cujuscumque ecclesiæ aut pii loci occupatores puniuntur.

Si quem, clericorum aut laicorum, quacumque is dignitate, etiam imperiali, aut regali præfulgeat, in tantum malorum omnium radix cupiditas occupaverit, ut alicujus ecclesiæ, seu cujusvis sæcularis aut regularis beneficii, montium pietatis, aliorumque piorum locorum, jurisdictiones, bona, census, ac jura, etiam feudalia & emphyteutica, fructus, emolumenta, seu quascumque obventiones, quæ in ministrorum ac pauperum necessitates converti debent, per se vel per alios, vi vel timore incusso, seu etiam per suppositas personas clericorum aut laicorum, seu quacumque arte, aut quocumque quæsito colore, in proprios usus convertere, illosque usurpare præsumpserit, seu impedire, ne ab iis ad quos jure pertinent percipiantur; is anathemati tamdiu subjaceat, quamdiu jurisdictiones, bona, res, jura, fructus, & reditus, quos occupaverit, vel qui ad eum quomodocumque, etiam ex donatione suppositæ personæ, pervenerint, ecclesiæ, ejusque administratori, sive beneficiato, integre restituerit, ac deinde a Romano pontifice absolutionem obtinuerit. Quod si ejusdem ecclesiæ patronus fuerit, etiam jure patronatus, ultra prædictas pœnas, eo ipso privatus existat. Clericus vero, qui nefandæ fraudis & usurpationis hujusmodi fabricator seu consentiens fuerit, eisdem pœnis subjaceat; nec non quibuscumque beneficiis privatus sit, & ad quæcumque alia beneficia inhabilis efficiatur, & a suorum ordinum executione, etiam post integram satisfactionem & absolutionem, arbitrio sui ordinarii suspendatur.

Aurel. III. 27. Aurel. V. 13. & seqq. Tribur. 7. Turon. Mog. Aquisgr. &c. Lat. V. sess. 9. & 10.

Decretum super petitione concessionis calicis.

Insuper, cum eadem sacrosancta synodus superiori sessione duos articulos alias propositos, & tum nondum discussos, videlicet an rationes, quibus sancta catholica ecclesia adducta fuit ut communicaret laicos, atque etiam non celebrantes sacerdotes, sub una panis specie, ita sint retinendæ, ut nulla ratione calicis usus cuiquam sit permittendus: & an, si honestis & Christianæ caritati consentaneis rationibus concedendus alicui vel nationi vel regno calicis usus videatur, sub aliquibus conditionibus concedendus sit, & quænam sint illæ; in aliud tempus, oblata sibi occasione, examinandos atque definiendos reservaverit: nunc eorum pro quibus petitur saluti optime consultum volens, decrevit integrum negotium ad sanctissimum dominum nostrum esse referendum, prout præsenti decreto refert: qui pro sua singulari prudentia id efficiat quod utile reipublicæ Christianæ, & salutare petentibus usum calicis, fore judicaverit.

Sess. 13. in decr. sess. 21. can. 4.

Indictio futuræ sessionis.

Insuper eadem sacrosancta Tridentina synodus diem futuræ sessionis ad feriam quintam post octavam festivitatis omnium sanctorum, quæ erit dies duodecimus mensis Novembris, indicit: & in ea decernetur de sacramento ordinis, & de sacramento matrimonii, *&c.*

APROROGATA FUIT SESSIO usque ad diem decimamquintam Julii MDLXIII.

SESSIO VIGESIMATERTIA,

Quæ est septima sub Pio quarto pontifice maximo, celebrata die decimaquinta Julii MDLXIII.

Vera & catholica doctrina de sacramento ordinis ad condemnandos errores nostri temporis, a sancta synodo Tridentina decreta & publicata fuit hac sessione sub Pio IV. septima.

CAPUT I.

De institutione sacerdotii novæ legis.

SESSIO XXIII. 15. Julii 1563.

SACRIFICIUM & sacerdotium ita Dei ordinatione conjuncta sunt, ut utrumque in omni lege extiterit. Cum igitur in novo testamento sanctum eucharistiæ sacrificium visibile ex domini institutione catholica ecclesia acceperit, fateri etiam oportet in ea novum esse visibile & externum sacerdotium, in quod vetus translatum est. Hoc autem ab eodem domino salvatore nostro institutum esse, atque apostolis eorumque successoribus in sacerdotio potestatem traditam consecrandi, offerendi, & ministrandi corpus & sanguinem ejus, nec non & peccata dimittendi & retinendi, sacræ literæ ostendunt, & catholicæ ecclesiæ traditio semper docuit.

Cypr. lib. 1. adv. Judæos. Hebr. 7. Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. Joh. 20.

CAPUT II.

De septem ordinibus.

Cum autem divina res sit tam sancti sacerdotii ministerium, consentaneum fuit, quo dignius & majori cum veneratione exerceri posset, ut in ecclesiæ ordinatissima dispositione plures & diversi essent ministrorum ordines, qui sacerdotio ex officio deservirent, ita distributi, ut qui jam clericali tonsura insigniti essent, per minores ad majores ascenderent. Nam non solum de sacerdotibus, sed & de diaconis sacræ literæ apertam mentionem faciunt, & quæ maxime in illorum ordinatione attendenda sunt, gravissimis verbis docent; & ab ipso ecclesiæ initio sequentium ordinum nomina, atque uniuscujusque eorum propria ministeria, subdiaconi scilicet, acolythi, exorcistæ, lectoris, & ostiarii, in usu fuisse cognoscuntur, quamvis non pari gradu. Nam subdiaconatus ad majores ordines a patribus & sacris conciliis refertur, in quibus & de aliis inferioribus frequentissime legimus.

Infra can. 2. 1. Tim. 3. Act. 21. Ign. Tert. Cypr. &c. Elib. 33. Carth. IV. 5. & sequentibus.

CAPUT III.

Ordinem vere esse sacramentum.

Cum scripturæ testimonio, apostolica traditione & patrum unanimi consensu perspicuum sit, per sacram ordinationem, quæ verbis & signis exterioribus perficitur, gratiam conferri, dubitare nemo debet, ordinem esse vere & proprie unum ex septem sanctæ ecclesiæ sacramentis. Inquit enim apostolus: *Admoneo te ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum: non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis & sobrietatis.*

1. Tim. 4. 2. Tim. 1.

CAPUT

SESSIO XXIII. 15. Julii 1563.

CAPUT IV.

De ecclesiastica hierarchia & ordinatione.

Quoniam vero in sacramento ordinis, sicut & in baptismo & confirmatione character imprimitur, qui nec deleri nec auferri potest, merito sancta synodus damnat eorum sententiam, qui asserunt, novi testamenti sacerdotes temporariam tantummodo potestatem habere, & semel rite ordinatos iterum laicos effici posse, si verbi Dei ministerium non exerceant. Quod si quis omnes Christianos promiscue novi testamenti sacerdotes esse, aut omnes pari inter se potestate spirituali præditos affirmet, nihil aliud facere videtur, quam ecclesiasticam hierarchiam, quæ est *ut castrorum acies ordinata*, confundere, perinde ac si contra beati Pauli doctrinam, omnes apostoli, omnes prophetæ, omnes evangelistæ, omnes pastores, omnes sint doctores; proinde sacrosancta synodus declarat, præter ceteros ecclesiasticos gradus, episcopos, qui in apostolorum locum successerunt, ad hunc hierarchicum ordinem præcipue pertinere, & *positos*, sicut idem apostolus ait, *a Spiritu sancto regere ecclesiam Dei*: eosque presbyteris superiores esse, ac sacramentum confirmationis conferre, ministros ecclesiæ ordinare, atque alia pleraque peragere ipsos posse, quarum functionum potestatem reliqui inferioris ordinis nullam habent. Docet insuper sacrosancta synodus in ordinatione episcoporum, sacerdotum, & ceterorum ordinum, nec populi, nec cujusvis sæcularis potestatis, & magistratus consensum, sive vocationem, sive auctoritatem, ita requiri, ut sine ea irrita sit ordinatio, quin potius decernit, eos qui tantummodo a populo aut sæculari potestate ac magistratu vocati & instituti ad hæc ministeria exercenda ascendunt, & qui ea propria temeritate sibi sumunt, omnes non ecclesiæ ministros, sed fures & latrones, per ostium non ingressos, habendos esse. Hæc sunt, quæ generatim sacræ synodo visum est, Christi fideles de sacramento ordinis docere. His autem contraria certis & propriis canonibus in hunc qui sequitur modum damnare constituit, ut omnes adjuvante Christo fidei regula utentes in tot errorum tenebris catholicam veritatem facilius agnoscere & tenere possint.

Infra can. 4. & sess. 7. de sacramentis can. 9.

Can. 6. 1. Cor. 12. Ephes. 4.

Act. 20.

Cæl. ep. 1. ad ep. Galliæ c. 1. sess. 7. can. 3. de confirm. Conc. Hisp. II. c. 5. 7. &c.

Laodic. 13.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

CANON I.

Si quis dixerit, non esse in novo testamento sacerdotium visibile & externum; vel non esse potestatem aliquam consecrandi & offerendi verum corpus & sanguinem domini, & peccata remittendi & retinendi, sed officium tantum & nudum ministerium prædicandi evangelium: vel eos, qui non prædicant, prorsus non esse sacerdotes, anathema sit.

Supra c. 1.

Matth. 16.

II.

Si quis dixerit, præter sacerdotium non esse in ecclesia catholica alios ordines, & majores & minores, per quos velut per gradus quosdam in sacerdotium tendatur, anathema sit.

Supra c. 2. infra de ref. c. 13.

III.

Si quis dixerit, ordinem, sive sacram ordinationem non esse vere & proprie sacramentum, a Christo domino institutum; vel esse figmentum quoddam humanum, excogitatum a viris rerum ecclesiasticarum imperitis, aut esse tantum ritum quemdam eligendi ministros verbi Dei & sacramentorum, anathema sit.

ANNO CHRISTI 1563. Supra c. 1.

IV.

Si quis dixerit, per sacram ordinationem non dari Spiritum sanctum, ac proinde frustra episcopos dicere, Accipe Spiritum sanctum: aut per eam non imprimi characterem, vel eum qui sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse, anathema sit.

Tolet. VIII. c. 7.

V.

Si quis dixerit, sacram unctionem, qua ecclesia in sancta ordinatione utitur, non tantum non requiri, sed contemnendam & pernicioſam esse; similiter & alias ordinis ceremonias, anathema sit.

VI.

Si quis dixerit, in ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex episcopis, & presbyteris, & ministris, anathema sit.

VII.

Si quis dixerit, episcopos non esse presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi & ordinandi, vel eam, quam habent, illis esse cum presbyteris communem, vel ordines ab ipsis collatos, sine populi vel potestatis sæcularis consensu aut vocatione, irritos esse: aut eos, qui nec ab ecclesiastica & canonica potestate rite ordinati nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi & sacramentorum ministros, anathema sit.

VIII.

Si quis dixerit, episcopos, qui auctoritate Romani pontificis assumuntur, non esse legitimos ac veros episcopos, sed figmentum humanum, anathema sit.

DECRETUM DE REFORMATIONE.

Eadem sacrosancta Tridentina synodus reformationis materiam prosequens, hæc quæ sequuntur in præsenti decernenda esse statuit & decernit.

CAPUT I.

Rectorum ecclesiarum in residendo negligentia varie coercetur: animarum cura providetur.

Cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, & in cetera munia pastoralia incumbere: quæ omnia nequaquam ab iis præstari & impleri possunt, qui gregi

Joan. 21. Act. 20.

ANNO CHRISTI 1563.

gregi suo non invigilant neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt: sacrosancta synodus eos admonet & hortatur, ut divinorum præceptorum memores, factique forma gregis, in judicio & veritate pascant & regant. Ne vero ea quæ de residentia sancte & utiliter jam antea sub felicis recordationis Paulo tertio sancita fuerunt, in sensus a sacrosanctæ synodi mente alienos trahantur, ac si vigore illius decreti quinque mensibus continuis abesse liceat, illis inhærendo, declarat sacrosancta synodus, omnes patriarchalibus, primatialibus, metropolitanis, ac cathedralibus ecclesiis quibuscumque, quocumque nomine & titulo præfectos, etiamsi sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales sint, obligari ad personalem in sua ecclesia vel diœcesi residentiam, ubi injuncto sibi officio defungi teneantur, neque abesse posse, nisi ex causis & modis infrascriptis. Nam cum Christiana caritas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens ecclesiæ vel reipublicæ utilitas, aliquos nonnunquam abesse postulent & exigant, decernit eadem sacrosancta synodus, has legitimæ absentiæ causas a beatissimo Romano pontifice, aut a metropolitano, vel, eo absente, suffraganeo episcopo antiquiori residente, qui idem metropolitani absentiam probare debebit, in scriptis esse approbandas: nisi cum absentia inciderit, propter aliquod munus & reipublicæ officium episcopatibus adjunctum: cujus quoniam causæ sunt notoriæ, & interdum repentinæ, nec eas quidem significari metropolitano necesse erit. Ad eumdem tamen cum concilio provinciali spectabit judicare de licentiis a se, vel a suffraganeo datis, & videre, ne quis eo jure abutatur, & ut pœnis canonicis errantes puniantur. Interea meminerint discessuri, ita ovibus suis providendum, ut quantum fieri poterit, ex ipsorum absentia nullum damnum accipiant. Quoniam autem qui aliquantisper tantum absunt, ex veterum canonum sententia non videntur abesse, quia statim reversuri sunt, sacrosancta synodus vult, illud absentiæ spatium singulis annis, sive continuum, sive interruptum, extra prædictas causas, nullo pacto debere duos aut ad summum tres menses excedere, & haberi rationem, ut id æqua ex causa fiat, & absque ullo gregis detrimento. Quod an ita sit, abscedentium conscientiæ relinquit, quam sperat religiosam & timoratum fore, cum Deo corda pateant, cujus opus non fraudulenter agere suo periculo tenentur. Eosdem interim admonet, & in domino hortatur, ne per illius temporis spatium, dominici adventus, quadragesimæ, nativitatis, resurrectionis domini, pentecostes, item & corporis Christi diebus, quibus refici maxime & in Domino gaudere pastoris præsentia oves debeant, ipsi ab ecclesia sua cathedrali ullo pacto absint, nisi episcopalia munia in sua diœcesi eos alio vocent. Si quis autem (quod utinam nunquam eveniat) contra hujus decreti dispositionem abfuerit, statuit sacrosancta synodus, præter alias pœnas adversus non residentes sub Paulo tertio impositas & innovatas, ac mortalis peccati reatum quem incurrit, eum pro rata temporis absentiæ fructus suos non facere, nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non secuta, illos sibi detinere posse: sed teneri, aut ipso cessante, per superiorem ecclesiasticum illos fabricæ ecclesiarum, aut pauperibus loci erogare: prohibita quacumque conventione vel compositione, quæ pro fructibus male perceptis appellatur, ex qua etiam prædicti fructus, in totum aut pro parte ei remitterentur, non obstantibus quibuscumque privilegiis cuicumque collegio aut fabricæ concessis. Eadem omnino, etiam quoad culpam & amissionem fructuum, & pœnas, de curatis inferioribus, & aliis quibuscumque, qui beneficium aliquod ecclesiasticum, curam animarum habens, obtinent, sacrosancta synodus declarat & decernit: ita tamen, ut quandocumque eos, causa prius per episcopum cognita & probata, abesse contigerit, vicarium idoneum, ab ipso ordinario approbandum, cum debita mercedis assignatione relinquant. Discedendi autem licentiam in scriptis gratisque concedendam, ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa, non obtineant. Quod si per edictum citati, etiam non personaliter, contumaces fuerint, liberum esse vult ordinariis, per censuras ecclesiasticas, & sequestrationem & subtractionem fructuum, aliaque juris remedia, etiam usque ad privationem, compellere: nec executionem hanc quolibet privilegio, licentia, familiaritate, exemptione, etiam ratione cujuscumque beneficii, pactione, statuto, etiam juramento, vel quacumque auctoritate confirmato, consuetudine etiam immemorabili, quæ potius corruptela censenda est, sine appellatione, aut inhibitione, etiam in Romana curia, vel vigore Eugenianæ constitutionis suspendi posse.

Joan. 10. 1. Pet. 5.

Sess. 6. c. 1. de ref.

Sess. 6. de ref. Sard. c. 14.

Tsal. 7. Jerem. 48.

Suss 6. c. 1. de ref.

SESSIO XXIII. 15. Julii 1563.

Sess. 6. c. 2. 9. de ref.

Postremo tam decretum illud sub Paulo tertio, quam hoc ipsum, in conciliis provincialibus & episcopalibus publicari sancta synodus præcipit. Cupit enim, quæ adeo ex pastorum munere, animarumque salute sunt, frequenter omnium auribus mentibusque infigi, ut in posterum Deo juvante, nulla temporum injuria, aut hominum oblivione, aut desuetudine aboleantur.

Sess. 6. c. 1. de ref.

CAPUT II.

Præfecti ecclesiis consecrationis munus intra tres menses suscipiant.

Ecclesiis cathedralibus, seu superioribus, quocumque nomine ac titulo præfecti, etiamsi sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales sint, si munus consecrationis intra tres menses non susceperint, ad fructuum perceptorum restitutionem teneantur: si intra totidem menses postea id facere neglexerint, ecclesiis ipso jure sint privati. Consecratio vero, si extra curiam Romanam fiat, in ecclesia ad quam promoti fuerint, aut in provincia, si commode fieri poterit, celebretur.

Chalc. c. 26. Vorm. 76. Sess. 7. c. 9. de ref.

CAPUT III.

Extra ægritudinem episcopi per se ordines conferant.

Episcopi per semetipsos ordines conferant: quod si ægritudine fuerint impediti, subditos suos non aliter quam jam probatos, & examinatos, ad alium episcopum ordinandos dimittant.

CAPUT IV.

Qui prima tonsura initiandi.

Prima tonsura non initientur qui sacramentum confirmationis non susceperint, & fidei rudimenta edocti non fuerint, quique legere & scribere nesciant, & de quibus probabilis conjectura non sit, eos, non sæcularis judicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus elegisse.

Infra c. 8. & 10. Carth. III. 21.

CAPUT

SESS. 10 XXIII. 15. Julii 1563.

CAPUT V.

Ordinandi quibus instructi esse debeant.

Ad majores ordines promovendi, bonum a parocho, & a magistro scholæ, in qua educantur, testimonium habeant. Hi vero qui ad singulos majores erunt assumendi, per mensem ante ordinationem episcopum adeant, qui parocho, aut alteri, cui magis expedire videbitur, committat, ut nominibus ac desiderio eorum, qui volent promoveri, publice in ecclesia propositis, de ipsorum ordinandorum natalibus, ætate, moribus & vita, a fide dignis diligenter inquirat, & literas testimoniales, ipsam inquisitionem factam continentes, ad ipsum episcopum quamprimum transmittat.

Carth. III. 22.
Carth. IV. 21.
Infra c. 7.

CAPUT VI.

Ætas annorum quatuordecim ad beneficium ecclesiasticum requiritur: quis privilegio fori gaudere debeat.

Nullus prima tonsura initiatus, aut etiam in minoribus ordinibus constitutus, ante decimumquartum annum beneficium possit obtinere. Is etiam fori privilegio non gaudeat, nisi beneficium ecclesiasticum habeat, aut clericalem habitum, & tonsuram deferens alicui ecclesiæ ex mandato episcopi inserviat, vel in seminario clericorum, aut in aliqua schola vel universitate, de licentia episcopi, quasi in via ad majores ordines suscipiendos, versetur. In clericis vero conjugatis servetur constitutio Bonifacii octavi, quæ incipit: Clerici qui cum unicis; modo hi clerici alicujus ecclesiæ servitio vel ministerio ab episcopo deputati, eidem ecclesiæ serviant vel ministrent, & clericali habitu & tonsura utantur: nemini, quoad hoc privilegio vel consuetudine, etiam immemorabili, suffragante.

In 6. tit. de cler. conjug.

CAPUT VII.

Examinandi sunt ordinandi a viris peritis juris divini & humani.

Sancta synodus, antiquorum canonum vestigiis inhærendo, decernit, ut quando episcopus ordinationem facere disposuerit, omnes qui ad sacrum ministerium accedere voluerint, feria quarta ante ipsam ordinationem, vel quando episcopo videbitur, ad civitatem evocentur. Episcopus autem sacerdotibus, & aliis prudentibus viris, peritis divinæ legis, ac in ecclesiasticis sanctionibus exercitatis, sibi ascitis, ordinandorum genus, personam, ætatem, institutionem, mores, doctrinam, & fidem, diligenter investiget & examinet.

Sup. c. 5.

CAPUT VIII.

Quomodo & a quo unusquisque promoveri debeat.

Ordinationes sacrorum ordinum, statutis a jure temporibus, ac in cathedrali ecclesia, vocatis præsentibusque ad id ecclesiæ canonicis, publice celebrentur. Si autem in alio diœcesis loco, præsente clero loci, dignior quantum fieri poterit, ecclesia semper adeatur. Unusquisque autem a proprio episcopo ordinetur. Quod si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei etiam cujusvis generalis aut specialis rescripti vel privilegii prætextu, etiam statutis temporibus permittatur, nisi ejus probitas ac mores ordinarii sui testimonio commendentur. Si secus fiat, ordinans a collatione ordinum per annum, & ordinatus, a susceptorum ordinum executione, quamdiu proprio ordinario videbitur expedire, sit suspensus.

Gel. ep. 1. 6. 13.
Carth. III. 21.
Sess. 14. c. 2 & 3. de ref.
Supra c. 3 Aur. V. c. 1

CAPUT IX.

Ordinans familiarem episcopus conferat statim reipsa beneficium.

Episcopus familiarem suum non subditum ordinare non possit, nisi per triennium secum fuerit commoratus, & beneficium, quacumque fraude cessante, statim reipsa illi conferat: consuetudine quacumque, etiam immemorabili, in contrarium non obstante.

CAPUT X.

Episcopis inferiores prælati tonsuram vel minores ordines ne conferant nisi regularibus sibi subditis: nec ipsi, aut capitula quæcumque dimissorias concedant; graviori in decretum peccantibus pœna statuta.

Abbatibus, ac aliis quibuscumque, quantumvis exemptis, non liceat in posterum, intra fines alicujus diœcesis consistentibus, etiamsi nullius diœcesis vel exempti esse dicantur, cuiquam, qui regularis subditus sibi non sit, tonsuram, vel minores ordines conferre, nec ipsi abbates & alii exempti, aut collegia, vel capitula quæcumque etiam ecclesiarum cathedralium, literas dimissorias aliquibus clericis sæcularibus, ut ab aliis ordinentur, concedant: sed horum omnium ordinatio, servatis omnibus quæ in hujus sanctæ synodi decretis continentur, ad episcopos, intra quorum diœcesis fines existunt, pertineat; non obstantibus quibusvis privilegiis, præscriptionibus, aut consuetudinibus, etiam immemorabilibus. Pœnam quoque impositam his qui contra hujus sanctæ synodi sub Paulo tertio decretum, a capitulo, episcopali sede vacante, literas dimissorias impetrant, ad illos qui easdem literas non a capitulo, sed ab aliis quibusvis in jurisdictione episcopi loco capituli, sede vacante, succedentibus, obtinerent, mandat extendi. Concedentes autem dimissorias contra formam decreti ab officio & beneficio per annum sint ipso jure suspensi.

Supra c. 5. & seqq. in fra c. 12. cum seqq.
Sess. 7. c. 10 de ref.

CAPUT XI.

Interstitia in susceptione minorum ordinum, & certa alia præcepta observanda.

Minores ordines iis, qui saltem Latinam linguam intelligant, per temporum interstitia (nisi aliud episcopo expedire magis videretur) conferantur, ut eo accuratius quantum sit hujus disciplinæ pondus possint edoceri, ac in unoquoque munere, juxta præscriptum episcopi, se exerceant, idque in ea, cui adscripti erunt, ecclesia, nisi forte ex causa studiorum absint: atque ita de gradu in gradum ascendant, ut in eis cum ætate vitæ meritum & doctrina major accrescat: quod & bonorum morum exemplum, & assiduum in ecclesia ministerium, atque major erga presbyteros & superiores ordines reverentia, & crebrior quam antea corporis Christi communio, maxime comprobabunt. Cumque hinc ad altiores gradus, & sacratissima mysteria sit ingressus, nemo iis initietur, quem non scientiæ spes majoribus ordinibus dignum ostendat. Hi vero non nisi post annum a susceptione postremi gradus minorum ordinum ad sacros ordines promoveantur, nisi necessitas, aut ecclesiæ utilitas, judicio episcopi aliud exposcat.

Nic. I. 2. Sardi c. 15. Brac. I. 37. Infra c. 17.
Tol. VIII. 8.

CAPUT

Anno Christi 1563.

CAPUT XII.

Ætas ad majores ordines requisita: digni dumtaxat assumendi.

Carth. III. 4. Agath. 16. Tolet. II. 1. Tolet. IV. 38. & 23.

Nullus in posterum ad subdiaconatus ordinem ante vigesimumsecundum, ad diaconatus ante vigesimumtertium, ad presbyteratus ante vigesimumquintum ætatis suæ annum promoveatur. Sciant tamen episcopi, non singulos in ea ætate constitutos debere ad hos ordines assumi, sed dignos dumtaxat, & quorum probata vita senectus sit. Regulares quoque nec in minori ætate, nec sine diligenti episcopi examine ordinentur, privilegiis quibuscumque, quoad hoc, penitus exclusis.

CAPUT XIII.

Ordinatio qualis subdiaconi & diaconi, & eorum munus: nulli ordines sacri duo conferantur eodem die.

1. Tim. 3. Tol. IV. 19.

Subdiaconi & diaconi ordinentur, habentes bonum testimonium, & in minoribus ordinibus jam probati, ac literis, & his quæ ad ordinem exercendum pertinent, instructi: qui sperent, Deo auctore, se continere posse, ecclesiis quibus ascribentur inserviant: sciantque maxime decere, si saltem diebus dominicis & solemnibus, cum altari ministraverint, sacram communionem perceperint. Promoti ad sacrum subdiaconatus ordinem, si per annum saltem in eo non sint versati, ad altiorem gradum (nisi aliud episcopo videatur) ascendere non permittantur. Duo sacri ordines non eodem die, etiam regularibus, conferantur; privilegiis ac indultis quibusvis concessis non obstantibus quibuscumque.

Sup. c. 11.

CAPUT XIV.

Quinam ad presbyteratum assumendi; assumptorum quod munus.

1. Tim. 3. Tol. IV. 19.

Qui pie & fideliter in ministeriis anteactis se gesserint, & ad presbyteratus ordinem assumuntur, bonum habeant testimonium. Et hi sint, qui non modo in diaconatu ad minus annum integrum (nisi ob ecclesiæ utilitatem ac necessitatem aliud episcopo videretur) ministraverint, sed etiam ad populum docendum, ea quæ scire omnibus necesiarium est ad salutem ac administranda sacramenta, diligenti examine præcedente, idonei comprobentur, atque ita pietate ac castis moribus conspicui, ut præclarum bonorum operum exemplum, & vitæ monita ab eis possint expectari. Curet episcopus, ut ii saltem diebus dominicis ac festis solemnibus, si autem curam habuerint animarum, tam frequenter ut suo muneri satisfaciant, missas celebrent. Cum promotis per saltum, si non ministraverint, episcopus ex legitima causa possit dispensare.

CAPUT XV.

Nullus confessiones audiat nisi ab ordinario approbatus.

Quamvis presbyteri in sua ordinatione a peccatis absolvendi potestatem accipiant, decernit tamen sacrosancta synodus, nullum, etiam regularem, posse confessiones sæcularium, etiam sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, A obtineat; privilegiis & consuetudine quacumque, etiam immemorabili, non obstantibus.

Sessio XXIII. 15. Julii 1563.

CAPUT XVI.

Arcentur ab ordinibus ecclesiasticis inutiles & vagi.

Cum nullus debeat ordinari, qui judicio sui episcopi non sit utilis aut necessarius suis ecclesiis, sancta synodus, vestigiis sexti canonis concilii Chalcedonensis inhærendo, statuit ut nullus in posterum ordinetur, qui illi ecclesiæ aut pio loco, pro cujus necessitate aut utilitate assumitur, non ascribatur, ubi suis fungatur muneribus, nec incertis vagetur sedibus. Quod si locum, "incon- B sulto episcopo deseruerit, ei sacrorum exercitium interdicatur. Nullus præterea clericus peregrinus, sine "commendatitiis sui ordinarii literis, ab ullo episcopo ad divina celebranda & sacramenta administranda admittatur.

"Nic. Chalced. Antiochen. Aur. Epau. Aquisg. "Laodic. 42. III. Carth. 28.

CAPUT XVII.

Qua ratione exercitia minorum ordinum repetenda.

Ut sanctorum ordinum a diaconatu ad ostiariatum functiones, ab apostolorum temporibus in ecclesia laudabiliter receptæ, & pluribus in locis aliquamdiu intermissæ, in usum juxta sacros canones revocentur, nec ab hæreticis, tanquam C otiosæ, traducantur, illius pristini moris restituendi desiderio flagrans sancta synodus, decernit, ut in posterum hujuscemodi ministeria non nisi per constitutos in dictis ordinibus, exerceantur: omnesque & singulos prælatos ecclesiarum in domino hortatur, & illis præcipit, ut, quantum fieri commode poterit, in ecclesiis cathedralibus, collegiatis, & parochialibus suæ diœcesis, si populus frequens, & ecclesiæ proventus id ferre queant, hujusmodi functiones curent restituendas; & ex aliqua parte redituum aliquorum simplicium beneficiorum, vel fabricæ ecclesiæ, si proventus suppetant, aut utriusque illorum, eas functiones exercentibus stipendia assignent. Quibus, si negligentes fuerint, ordinarii judicio aut ex parte mulcta- D ri, aut in totum privari possint. Quod si ministeriis quatuor minorum ordinum exercendis clerici cælibes præsto non erunt, suffici possint etiam conjugati, vitæ probatæ, dummodo non bigami, ad ea munia obeunda idonei, & qui tonsuram & habitum clericalem in ecclesia gestent.

Innoc. I. ep. 4. c. 5.

CAPUT XVIII.

Forma erigendi seminarium clericorum, præsertim tenuiorum: in cujus erectione plurima observanda: de educatione promovendorum in cathedralibus & majoribus ecclesiis.

Cum adolescentium ætas, nisi recte instituatur, prona sit ad mundi voluptates sequendas, &, E nisi a teneris annis ad pietatem & religionem informetur, antequam vitiorum habitus totos homines possideat, nunquam perfecte, ac sine maximo ac singulari propemodum Dei omnipotentis auxilio, in disciplina ecclesiastica perseveret; sancta synodus statuit, ut singulæ cathedrales, metropolitanæ, atque his majores ecclesiæ, pro modo facultatum, & diœcesis amplitudine, certum puerorum ipsius civitatis & diœcesis, vel ejus provinciæ, si ibi non reperiantur, numerum in collegio ad hoc prope ipsas ecclesias, vel alio in loco convenienti, ab episcopo eligendo,

Tolet. IV. Aquisgran. Later. V. sub Leone X. &c.

Sess. 5. c. 2. de ref.

SESSIO XXIII. 15. Julii 1563.

ANNO CHRISTI 1563.

alere, ac religiose educare, & in ecclesiasticis disciplinis instituere teneantur. In hoc vero collegio recipiantur qui ad minimum duodecim annos, & ex legitimo matrimonio nati sint, ac legere & scribere competenter noverint, & quorum indoles & voluntas spem afferat, eos ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros. Pauperum autem filios præcipue eligi vult; nec tamen ditiorum excludit, modo suo sumptu alantur, studium præ se ferant Deo & ecclesiæ inserviendi. Hos pueros episcopus in tot classes, quot ei videbitur, divisos, juxta eorum numerum, ætatem, ac in disciplina ecclesiastica progressum, partim, cum ei opportunum videbitur, ecclesiarum ministerio addicet, partim in collegio erudiendos retinebit, aliosque in locum eductorum sufficiet, ita ut hoc collegium Dei ministrorum perpetuum seminarium sit. Ut vero in eadem disciplina ecclesiastica commodius instituantur, tonsura statim atque habitu clericali semper utentur; grammatices, cantus, computi ecclesiastici, aliarumque bonarum artium disciplinam discent; sacram scripturam, libros ecclesiasticos, homilias sanctorum, atque sacramentorum tradendorum, maxime quæ ad confessiones audiendas videbuntur opportuna, & rituum ac cæremoniarum formas ediscent. Curet episcopus ut singulis diebus missæ sacrificio intersint, ac saltem singulis mensibus confiteantur peccata, & juxta confessoris judicium sumant corpus domini nostri Jesu Christi; cathedrali, & aliis loci ecclesiis diebus festis inserviant. Quæ omnia, atque alia ad hanc rem opportuna & necessaria, episcopi singuli cum consilio duorum canonicorum seniorum & graviorum, quos ipli elegerint, prout Spiritus sanctus suggesserit, constituent: eaque ut semper observentur, sæpius visitando, operam dabunt. Dyscolos & incorrigibiles, ac malorum morum seminatores acriter punient, eos etiam, si opus fuerit, expellendo; omniaque impedimenta auferentes, quæcumque ad conservandum & augendum tam pium & sanctum institutum pertinere videbuntur, diligenter curabunt. Et quia ad collegii fabricam instituendam, & ad mercedem præceptoribus & ministris solvendam, & ad alendam juventutem, & ad alios sumptus, certi reditus erunt necessarii, ultra ea quæ ad instituendos alendosve pueros sunt in aliquibus ecclesiis & locis destinata, quæ eo ipso huic seminario sub eadem episcopi cura applicata censeantur, iidem episcopi cum consilio duorum de capitulo, quorum alter ab episcopo, alter ab ipso capitulo eligatur; itemque duorum de clero civitatis, quorum quidem alterius electio similiter ad episcopum, alterius vero ad clerum pertineat, ex fructibus integris mensæ episcopalis, & quarumcumque dignitatum, personatuum, officiorum, præbendarum, portionum, abbatiarum, & prioratuum cujuscumque ordinis, etiam regularis, aut qualitatis vel conditionis fuerint, & hospitalium quæ dantur in titulum vel administrationem, juxta constitutionem concilii Viennensis, quæ incipit, Quia contingit & beneficiorum quorumcumque, etiamsi juris patronatus cujuscumque fuerint, etiamsi exempta, etiamsi nullius diœcesis, vel aliis ecclesiis, monasteriis, & hospitalibus, & aliis quibusvis locis piis, etiam exemptis, annexa, & ex fabricis ecclesiarum & aliorum locorum, etiam ex quibuscumque aliis ecclesiasticis reditibus, seu proventibus, etiam aliorum collegiorum (in quibus tamen seminaria discentium vel docentium ad commune ecclesiæ bonum promovendum actu non habentur: hæc enim exempta esse voluit, præterquam ratione redituum, qui superflui essent, ultra convenientem ipsorum seminariorum sustentationem) seu corporum, vel confraternitatum, quæ in nonnullis locis scholæ appellantur, & omnium monasteriorum, non tamen Mendicantium, etiam ex decimis quacumque ratione ad laicos, ex quibus subsidia ecclesiastica solvi solent, & milites cujuscumque militiæ: aut ordinis pertinentibus (fratribus sancti Joannis Hierosolymitani dumtaxat exceptis) partem aliquam vel portionem detrahent, & eam portionem sic detractam, nec non beneficia aliquot simplicia, cujuscumque qualitatis & dignitatis fuerint, vel etiam præstimonia, vel præstimoniales portiones, etiam ante vacationem nuncupatas, sine cultus divini, & illa obtinentium præjudicio, huic collegio applicabunt & incorporabunt. Quod locum habeat, etiamsi beneficia sint reservata, vel affecta, nec resignationem ipsorum beneficiorum, uniones & applicationes, suspendi, vel ullo modo impediri possint: sed omnino quacumque vacatione, etiamsi in curia effectum suum sortiantur, quacumque constitutione non obstante. Ad hanc autem portionem solvendam, beneficiorum, dignitatum, personatuum, & omnium & singulorum supra commemoratorum possessores, non modo pro se, sed pro pensionibus, quas aliis forsan ex dictis fructibus solverent, retinendo tamen pro rata quidquid pro dictis pensionibus illis erit solvendum, ab episcopo loci per censuras ecclesiasticas ac alia juris remedia compellantur, etiam vocato ad hoc, si videbitur, auxilio brachii sæcularis, quibusvis, quoad omnia & singula supradicta, privilegiis, exemptionibus, etiamsi specialem derogationem requirerent, consuetudine, etiam immemorabili, & quavis appellatione & allegatione quæ executionem impediat, non obstantibus. Succedente vero casu, quo per uniones effectum suum sortientes, vel aliter, seminarium ipsum in totum vel in partem dotatum reperiatur, tunc portio ex singulis beneficiis, ut supra, detracta & incorporata, ab episcopo, prout res ipsa exegerit, in totum vel pro parte remittatur. Quod si cathedralium, & aliarum majorum ecclesiarum prælati, in hac seminarii erectione ejusque conservatione negligentes fuerint, ac suam portionem solvere detrectaverint, episcopum archiepiscopus, archiepiscopum & superiores synodus provincialis, acriter corripere, eosque ad omnia supradicta cogere debeat: & ut quamprimum hoc sanctum & pium opus, ubicumque fieri poterit, promoveatur studiose curabit. Rationes autem redituum hujus seminarii episcopus singulis annis accipiat, præsentibus duobus a capitulo, & totidem a clero civitatis, deputatis.

Deinde, ut cum minori impensa hujusmodi scholis instituendis provideatur, statuit sancta synodus, ut episcopi, archiepiscopi, primates, & alii locorum ordinarii, scholasterias obtinentes, & alios quibus est lectionis vel doctrinæ munus annexum, ad docendum in ipsis scholis instituendos, per seipsos, si idonei fuerint, alioquin per idoneos substitutos, ab eisdem scholasticis eligendos, & ab ordinariis approbandos, etiam per subtractionem fructuum, cogant & compellant. Quod si judicio episcopi digni non fuerint, alium qui dignus sit nominent, omni appellatione remota. Quod si neglexerint, episcopus ipse deputet. Docebunt autem prædicti quæ videbuntur episcopo expedire. De cetero vero officia vel dignitates illæ, quæ scholasteriæ dicuntur, non nisi doctoribus vel magistris, aut licentiatis in sacra pagina,

Clem. lib. 2. tit. de religiosis domibus Sess. 7. c. 15. de ref.

Sess. 5. c. 2. de ref.

ANNO CHRISTI 1563.

gina, aut in jure canonico, & aliis perſonis idoneis, & qui per ſeipſos id munus explere poſſint, conferantur, & aliter facta proviſio, nulla ſit & invalida, non obſtantibus quibuſvis privilegiis & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus.

Si vero in aliqua provincia eccleſiæ tanta paupertate laborent, ut collegium in aliquibus erigi non poſſit, ſynodus provincialis, vel metropolitanus, cum duobus antiquioribus ſuffraganeis, in eccleſia metropolitana, vel alia provinciæ eccleſia commodiori, unum aut plura collegia, prout opportunum judicabit, ex fructibus duarum aut plurium eccleſiarum, in quibus ſingulis collegium commode inſtitui non poteſt, erigenda curabit, ubi pueri illarum eccleſiarum educentur.

In eccleſiis autem amplas diœceſes habentibus poſſit epiſcopus unum vel plura in diœceſi, prout ſibi opportunum videbitur, habere ſeminaria, quæ tamen ab illo uno quod in civitate erectum & conſtitutum fuerit in omnibus dependeant.

Poſtremo ſi vel pro unionibus, ſeu pro portionum taxatione vel aſſignatione & incorporatione, aut qualibet alia ratione, difficultatem aliquam oriri contigerit, ob quam hujus ſeminarii inſtitutio vel conſervatio impediretur aut perturbaretur, epiſcopus cum ſupra deputatis, vel ſynodus provincialis, pro regionis more, pro eccleſiarum & beneficiorum qualitate, etiam ſupraſcripta, ſi opus fuerit, moderando aut augendo, omnia & ſingula, quæ ad felicem hujus ſeminarii profectum neceſſaria & opportuna videbuntur, decernere ac providere valeat.

Indictio futuræ ſeſſionis.

Inſuper eadem ſacroſancta Tridentina ſynodus proximam futuram ſeſſionem in diem decimamſextam menſis Septembris indicit: in qua agetur de ſacramento matrimonii, & de aliis, ſi qua erunt ad doctrinam fidei pertinentia, quæ expediri poſſint. Item, de proviſionibus epiſcopatuum, dignitatum, aliorumque beneficiorum eccleſiaſticorum, ac de diverſis reformationis articulis.

PROROGATA FUIT SESSIO ad diem undecimam Novembris MDLXIII.

SESSIO VIGESIMAQUARTA,

Quæ eſt octava ſub Pio quarto Pontifice maximo, celebrata die undecima Novembris MDLXIII.

Doctrina de ſacramento matrimonii.

SESSIO XXIV. 11. Nov. 1563.

MATRIMONII perpetuum indiſſolubilemque nexum, primus humani generis parens divini Spiritus inſtinctu pronunciavit, cum dixit: *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea: quamobrem relinquet homo patrem ſuum & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una.* Geneſ. 2. Epheſ. 5.

Hoc autem vinculo duos tantummodo copulari & conjungi, Chriſtus dominus apertius docuit, cum poſtrema illa verba tanquam a Deo prolata referens dixit: *Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro,* ſtatimque ejuſdem nexus firmitatem, ab Adamo tanto ante pronunciatam, his verbis confirmavit: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Matth. 19. Marc. 10.

SESS. XXIV. 11. Nov. 1563. *Ibidem.*

Gratiam vero, quæ naturalem illum amorem perficeret, & indiſſolubilem unitatem confirmaret, conjugeſque ſanctificaret, ipſe Chriſtus, venerabilium ſacramentorum inſtitutor atque perfector, ſua nobis paſſione promeruit. Quod Paulus apoſtolus innuit, dicens: *Viri, diligite uxores veſtras, ſicut Chriſtus dilexit eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea;* mox ſubjungens, *Sacramentum hoc magnum eſt: ego autem dico, in Chriſto & in eccleſia.* Epheſ. 5.

Cum igitur matrimonium in lege evangelica veteribus connubiis per Chriſtum gratia præſtet, merito inter novæ legis ſacramenta annumerandum ſancti patres noſtri, concilia & univerſalis eccleſiæ traditio, ſemper docuerunt. Adverſus quam impii homines hujus ſæculi inſanientes, non ſolum perperam de hoc venerabili ſacramento ſenſerunt, ſed de more ſuo, prætextu evangelii, libertatem carnis introducentes, multa ab eccleſiæ catholicæ ſenſu, & ab apoſtolorum temporibus probata conſuetudine aliena, ſcripto & verbo aſſeruerunt, non ſine magna Chriſti fidelium jactura. Quorum temeritati ſancta & univerſalis ſynodus cupiens occurrere, inſigniores prædictorum ſchiſmaticorum hæreſes & errores, ne plures ad ſe trahat pernicioſa eorum contagio, exterminandos duxit, hos in ipſos hæreticos eorumque errores decernens anathematiſmos. Eugen. IV. in decreto unionis.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

CANON I.

Si quis dixerit, matrimonium non eſſe vere & proprie unum ex ſeptem legis evangelicæ ſacramentis, a Chriſto domino inſtitutum, ſed ab hominibus in eccleſia inventum, neque gratiam conferre, anathema ſit. Matth. 19. Marci 10. Epheſ. 5.

II.

Si quis dixerit, licere Chriſtianis plures ſimul habere uxores, & hoc nulla lege divina eſſe prohibitum, anathema ſit. Matth. 19.

III.

Si quis dixerit, eos tantum conſanguinitatis & affinitatis gradus, qui in Levitico exprimuntur, poſſe impedire matrimonium contrahendum, & dirimere contractum, nec poſſe eccleſiam in nonnullis illorum diſpenſare, aut conſtituere, ut plures impediant, & dirimant, anathema ſit. Levit. 18.

IV.

Si quis dixerit, eccleſiam non potuiſſe conſtituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis conſtituendis erraſſe, anathema ſit. Matth. 16. 1. Cor. 4. Seſſ. 21. c. 2.

V.

Si quis dixerit, propter hæreſim, aut moleſtam cohabitationem, aut affectatam abſentiam a conjuge, diſſolvi poſſe matrimonii vinculum, anathema ſit.

SESSIO XXIV. 11. Nov. 1563.

VI.

Si quis dixerit, matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem religionis professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit.

VII.

Matth. 19; Luc. 10. 1. Cor. 7.

Si quis dixerit, ecclesiam errare, cum docuit & docet, juxta evangelicam & apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non posse dissolvi, & utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse altero conjuge vivente, aliud matrimonium contrahere, mœcharique eum, qui dimissa adultera aliam duxerit, & eam quæ dimisso adultero alii nupserit, anathema sit.

VIII.

Si quis dixerit, ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter conjuges, quoad torum, seu quoad cohabitationem, ad certum incertumve tempus fieri posse decernit, anathema sit.

IX.

Carth. IV. c. 104. Magiscon. I. c. 13.

Si quis dixerit, clericos in sacris ordinibus constitutos, vel regulares, castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica, vel voto; & oppositum nihil aliud esse, quam damnare matrimonium; posseque omnes contrahere matrimonium, qui non sentiunt se castitatis, etiamsi eam voverint, habere donum, anathema sit; cum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id quod possumus, tentari.

1. Cor. 10.

X.

Matth. 19. 1. Cor. 7.

Si quis dixerit, statum conjugalem anteponendum esse statui virginitatis vel cœlibatus, & non esse melius ac beatius manere in virginitate aut cœlibatu, quam jungi matrimonio, anathema sit.

XI.

Infr. cap. 10. de reformatione matrimonii.

Si quis dixerit, prohibitionem solemnitatis nuptiarum certis anni temporibus superstitionem esse tyrannicam, ab ethnicorum superstitione profectam, aut benedictiones & alias ceremonias, quibus ecclesia in illis utitur, damnaverit, anathema sit.

XII.

Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad judices ecclesiasticos, anathema sit.

A

DECRETUM DE REFORMATIONE MATRIMONII.

ANNO CHRISTI 1563.

CAPUT I.

Matrimonii solemniter celebrandi forma in concilio Lateranensi præscripta innovatur; quoad proclamationes dispensare possit episcopus. Qui aliter quam præsentibus, parocho & duobus vel tribus testibus contrahit, nihil agit.

Tametsi dubitandum non est, clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata & vera esse matrimonia, quamdiu ecclesia ea irrita non fecit; & proinde jure damnandi sint illi; ut eos sancta synodus anathemate damnat qui ea vera ac rata esse negant, quique falso affirmant matrimonia a filiis familias sine consensu parentum contracta irrita esse, & parentes ea rata vel irrita facere posse; nihilo minus sancta Dei ecclesia ex justissimis causis illa semper detestata est atque prohibuit. Verum cum sancta synodus animadvertat, prohibitiones illas propter hominum inobedientiam jam non prodesse, & gravia peccata perpendat, quæ ex eisdem clandestinis conjugiis ortum habent, præsertim vero eorum qui in statu damnationis permanent, dum priore uxore, cum qua clam contraxerant, relicta, cum alia palam contrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio vivunt: cui malo, cum ab ecclesia, quæ de occultis non judicat, succurri non possit, nisi efficacius aliquod remedium adhibeatur; idcirco sacri Lateranensis concilii, sub Innocentio III. celebrati, vestigiis inhærendo, præcipit ut in posterum, antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium parocho tribus continuis diebus festivis in ecclesia inter missarum solemnia publice denuncietur, inter quos matrimonium sit contrahendum: quibus denunciationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonii in facie ecclesiæ procedatur. Ubi parochus, viro & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat, Ego vos in matrimonium conjungo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti: vel aliis utatur verbis, juxta receptum uniuscujusque provinciæ ritum. Quod si aliquando probabilis fuerit suspicio, matrimonium malitiose impediri posse, si tot præcesserint denunciationes, tunc vel una tantum denunciatio fiat: vel saltem parocho & duobus vel tribus testibus præsentibus, matrimonium celebretur: deinde ante illius consummationem, denunciationes in ecclesia fiant, ut si aliqua subsunt impedimenta, facilius detegantur: nisi ordinarius ipse expedire judicaverit, ut prædictæ denunciationes remittantur, quod illius prudentiæ & judicio sancta synodus relinquit. Qui aliter quam præsente parocho, vel alio sacerdote, de ipsius parochi seu ordinarii licentia, & duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos & nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit & annullat. Insuper parochum vel alium sacerdotem, qui cum minore testium numero, & testes, qui sine parocho vel sacerdote hujusmodi contractui interfuerunt, nec non ipsos contrahentes, graviter arbitrio ordinarii

Concil. Tolet. III. c. 10.

Later. IV. c. 51.

ANNO CHRISTI 1563.

narii puniri præcipit. Præterea eadem ſancta ſynodus hortatur ut conjuges ante benedictionem ſacerdotalem in templo ſuſcipiendam in eadem domo non cohabitent: ſtatuitque benedictionem a proprio parocho fieri; neque a quoquam, niſi ab ipſo parocho, vel ab ordinario, licentiam ad prædictam benedictionem faciendam alii ſacerdoti concedi poſſe: quacumque conſuetudine, etiam immemorabili, quæ potius corruptela dicenda eſt, vel privilegio, non obſtante. Quod ſi quis parochus, vel alius ſacerdos, ſive regularis ſit, etiamſi id ſibi ex privilegio vel immemorabili conſuetudine licere contendat, alterius parochiæ ſponſos ſine illorum parochi licentia matrimonio conjungere aut benedicere auſus fuerit, ipſo jure tamdiu ſuſpenſus maneat, quamdiu ab ordinario ejus parochi, qui matrimonio intereſſe debebat, ſeu a quo benedictio ſuſcipienda erat, abſolvatur. Habeat parochus librum, in quo conjugum & teſtium nomina, diemque & locum contracti matrimonii deſcribat, quem diligenter apud ſe cuſtodiat.

Poſtremo ſancta ſynodus conjuges hortatur, ut antequam contrahant, vel ſaltem triduo ante matrimonii conſummationem, ſua peccata diligenter confiteantur, & ad ſanctiſſimum euchariſtiæ ſacramentum pie accedant. Si quæ provinciæ aliis, ultra prædictas, laudabilibus conſuetudinibus & ceremoniis hac in re utuntur, eas omnino retineri ſancta ſynodus vehementer optat. Ne vero hæc tam ſalubria præcepta quemquam lateant, ordinariis omnibus præcipit, ut, cum primum potuerint, curent hoc decretum populo publicari ac explicari in ſingulis ſuarum diœceſium parochialibus eccleſiis: idque in primo anno quam ſæpiſſime fiat: deinde vero, quoties expedire viderint. Decernit inſuper, ut hujuſmodi decretum in unaquaque parochia ſuum robur poſt triginta dies habere incipiat, a die primæ publicationis in eadem parochia factæ numerandos.

CAPUT II.

Inter quos cognatio ſpiritualis contrahatur.

Docet experientia, propter multitudinem prohibitionum, multoties in caſibus prohibitis ignoranter contrahi matrimonia, in quibus vel non ſine magno peccato perſeveratur, vel ea non ſine magno ſcandalo dirimuntur. Volens itaque ſancta ſynodus huic incommodo providere, & a cognationis ſpiritualis impedimento incipiens, ſtatuit ut unus tantum, ſive vir ſive mulier, juxta ſacrorum canonum inſtituta, vel ad ſummum unus & una, baptizatum de baptiſmo ſuſcipiant: inter quos ac baptizatum ipſum, & illius patrem & matrem, nec non inter baptizantem & baptizatum, baptizatique patrem ac matrem, tantum ſpiritualis cognatio contrahatur. Parochus antequam ad baptiſmum conferendum accedat, diligenter ab iis, ad quos ſpectabit, ſciſcitetur, quem vel quos elegerint, ut baptizatum de ſacro fonte ſuſcipiant: & eum vel eos tantum ad illum ſuſcipiendum admittat, & in libro eorum nomina deſcribat; doceatque eos, quam cognationem contraxerint, ne ignorantia ulla excuſari valeant. Quod ſi alii ultra deſignatos, baptizatum tetigerint, cognationem ſpiritualem nullo pacto contrahant, conſtitutionibus in contrarium facientibus, non obſtantibus. Si parochi culpa vel negligentia ſecus factum fuerit, arbitrio ordinarii puniatur. Ea quoque cognatio, quæ ex confirmatione contrahitur, confirmantem & confirmatum, illiuſque patrem & matrem, ac tenentem non egrediatur, omnibus inter alias perſonas hujus ſpiritualis cognationis impedimentis omnino ſublatis.

SESS. XXIV. 11. Nov. 1563.

CAPUT III.

Publicæ honeſtatis impedimentum certis limitibus coarctatur.

Juſtitiæ publicæ honeſtatis impedimentum, ubi ſponſalia quacumque ratione valida non erunt, ſancta ſynodus prorſus tollit: ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedant: quoniam in ulterioribus gradibus jam non poteſt hujuſmodi prohibitio abſque diſpendio obſervari.

CAPUT IV.

Affinitas ex fornicatione ad ſecundum gradum reſtringitur.

Præterea ſancta ſynodus, eiſdem & aliis graviſſimis de cauſis adducta, impedimentum, quod propter affinitatem ex fornicatione contractam inducitur, & matrimonium poſtea factum dirimit, ad eos tantum qui in primo & ſecundo gradu conjunguntur, reſtringit. In ulterioribus vero gradibus ſtatuit, hujuſmodi affinitatem matrimonium poſtea contractum non dirimere.

CAPUT V.

Ne quis intra gradus prohibitos contrahat, quave ratione in iis diſpenſandum.

Si quis intra gradus prohibitos ſcienter matrimonium contrahere præſumpſerit, ſeparetur, & ſpe diſpenſationis conſequendæ careat: idque in eo multo magis locum habeat, qui non tantum matrimonium contrahere, ſed etiam conſummare auſus fuerit. Quod ſi ignoranter id fecerit, ſiquidem ſolemnitates requiſitas in contrahendo matrimonio neglexerit, eiſdem ſubjiciatur pœnis. Non enim dignus eſt qui eccleſiæ benignitatem facile experiatur, cujus ſalubria præcepta temere contempſit. Si vero ſolemnitatibus adhibitis impedimentum aliquod poſtea ſubeſſe cognoſcatur, cujus ille probabilem ignorantiam habuit, tunc facilius cum eo & gratis diſpenſari poterit. In contrahendis matrimoniis vel nulla omnino detur diſpenſatio, vel raro, idque ex cauſa, & gratis concedatur. In ſecundo gradu nunquam diſpenſetur, niſi inter magnos principes, & ob publicam cauſam.

CAPUT VI.

In raptores animadvertitur.

Decernit ſancta ſynodus, inter raptorem & raptam, quamdiu ipſa in poteſtate raptoris manſerit, nullum poſſe conſiſtere matrimonium. Quod ſi rapta a raptore ſeparata, & in loco tuto & libero conſtituta, illum in virum habere conſenſerit, eam raptor in uxorem habeat; & nihilo minus raptor ipſe, ac omnes illi conſilium, auxilium & favorem præbentes, ſint ipſo jure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces; & ſi clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur præterea raptor mulierem raptam, ſive eam in uxorem duxerit, ſive non duxerit, decenter arbitrio judicis dotare. Chalc. c. 26. Exod. 22.

Sessio XXIV. 11. Nov. 1563.

CAPUT VII.

Vagi matrimonii caute jungendi.

Agath. 35. Multi sunt qui vagantur & incertas habent sedes, &, ut improbi sunt ingenii, prima uxore relicta, aliam & plerumque plures, illa vivente diversis in locis ducunt, cui morbo cupiens sancta synodus occurrere, omnes ad quos spectat, paterne monet, ne hoc genus hominum vagantium ad matrimonium facile recipiant. Magistratus etiam seculares hortatur, ut eos coerceant. Parochis autem præcipit, ne illorum matrimoniis intersint, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint, &, re ad ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint.

CAPUT VIII.

Concubinatus pœnis gravissimis punitur.

Grave peccatum est homines solutos concubinas habere: gravissimum vero, & in hujus magni sacramenti singularem contemptum admissum, uxoratos quoque in hoc damnationis statu vivere, ac audere eas quandoque domi etiam cum uxoribus alere & retinere. Quare ut huic tanto malo sancta synodus opportunis remediis provideat, statuit hujusmodi concubinarios, tam solutos quam uxoratos, cujuscumque status, dignitatis & conditionis existant, si postquam ab ordinario etiam ex officio ter admoniti ea de re fuerint, concubinas non ejecerint, seque ab earum consuetudine non sejunxerint, excommunicatione feriendos esse: a qua non absolvantur, donec re ipsa admonitioni factæ paruerint. Quod si in concubinatu per annum, censuris neglectis, permanserint, contra eos, ab ordinario severe pro qualitate criminis procedatur. Mulieres, sive conjugatæ sive solutæ, quæ cum adulteris seu concubinariis publice vivunt, si ter admonitæ non paruerint, ab ordinariis locorum, nullo etiam requirente ex officio, graviter pro modo culpæ puniantur, & extra oppidum vel diœcesim, si id eisdem ordinariis videbitur, invocato, si opus fuerit, brachio seculari, ejiciantur; aliis pœnis contra adulteros & concubinarios inflictis in suo robore permanentibus.

Sess. 25. c. 14. de ref. Later. V. sess. 9. sub Leone X. Tolet. I. 17. Rom. sub Nicolao I. in fine.

Arelat. II. 3.

CAPUT IX.

Ne domini temporales aut magistratus quidpiam libertati matrimonii contrarium moliantur.

Ita plerumque temporalium dominorum ac magistratuum, mentis oculos terreni affectus atque cupiditates excæcant, ut viros & mulieres sub eorum jurisdictione degentes, maxime divites, vel spem magnæ hæreditatis habentes, minis & pœnis adigant cum iis matrimonium invitos contrahere, quos ipsi domini vel magistratus illis præscripserint. Quare cum maxime nefarium sit, matrimonii libertatem violare, & ab eis injurias nasci, a quibus jura expectantur, præcipit sancta synodus omnibus, cujuscumque gradus, dignitatis, & conditionis existant, sub anathematis pœna, quam ipso facto incurrant, ne quovis modo directe vel indirecte, subditos suos, vel quoscumque alios cogant, quo minus libere matrimonia contrahant.

Paris. I. 6.

CAPUT X.

Nuptiarum solemnitates certis temporibus prohibentur.

Laod. 52. Ab adventu domini nostri Jesu Christi usque in diem epiphaniæ, & a feria quarta cinerum usque in octavam paschatis inclusive, antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones, diligenter ab omnibus observari sancta synodus præcipit: in aliis vero temporibus nuptias solemniter celebrari permittit, quas episcopi, ut ea qua decet modestia & honestate fiant, curabunt: sancta enim res est matrimonium, & sancte tractandum.

ANNO CHRISTI 1563. Saleg. 3.

DECRETUM DE REFORMATIONE.

Eadem sacrosancta synodus, reformationis materiam prosequens, hæc in præsenti sessione statuenda decernit.

CAPUT I.

Norma procedendi ad creationem episcoporum & cardinalium.

Si in quibuslibet ecclesiæ gradibus providenter scienterque curandum est, ut in domini domo nihil sit inordinatum, nihilque præposterum, multo magis elaborandum est, ut in electione ejus, qui supra omnes gradus constituitur, non erretur, Nam totius familiæ domini status & ordo nutabit, si quod requiritur in corpore, non inveniatur in capite. Unde, etsi alias sancta synodus de promovendis ad cathedrales & superiores ecclesias nonnulla utiliter decrevit, hoc tamen munus hujusmodi esse censet, ut si pro rei magnitudine expendatur, nunquam satis cautum de eo videri possit. Itaque statuit, ut cum primum ecclesia vacaverit, supplicationes ac preces publice privatimque habeantur, atque a capitulo per civitatem & diœcesim indicantur, quibus clerus populusque bonum a Deo pastorem valeat impetrare. Omnes vero & singulos, qui ad promotionem præficiendorum quodcumque jus quacumque ratione a sede apostolica habent, aut alioquin operam suam præstant, nihil in iis pro præsenti temporum ratione innovando, hortatur, & monet, ut in primis meminerint nihil se ad Dei gloriam & populorum salutem utilius posse facere, quam si bonos pastores & ecclesiæ gubernandæ idoneos promoveri studeant, eosque alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores & ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, non quidem precibus, vel humano affectu, ut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis, præfici diligenter curaverint, & quos ex legitimo matrimonio natos, & vita, ætate, doctrina, atque aliis omnibus qualitatibus præditos sciant, quæ juxta sacros canones Tridentinæ hujus synodi decreta requiruntur. Quoniam vero in summendo prædictis omnibus qualitatibus gravi idoneoque bonorum & doctorum virorum testimonio, non uniformis ratio ubique ex nationum, populorum, ac morum varietate potest adhiberi, mandat sancta synodus, ut in provinciali synodo per metropolitanum habenda præscribatur quibusque locis & provinciis propria examinis, seu inquisitionis, aut instructionis faciendæ forma, sanctissimi Romani pontificis arbitrio approbanda, quæ magis eisdem locis utilis atque opportuna esse videbitur: ita tamen, ut cum deinde hoc examen seu inquisitio de persona promovenda perfecta fuerit, ea in instrumentum publicum redacta, cum toto testimonio ac professione "fidei ab eo facta, quam primum ad sanctissimum Romanum pontificem omnino trxnsmittatur, ut ipse summus pontifex,

Sess. 6. c. 1. de ref. Sess. 7. c. 1. & 3. Sess. 22. c. 2.

Tolet. IV. 18. Later. V. Sess. 9. de ref. curiæ sup. sess. 22. c. 2. de ref.

"Exeat in bulla Pii IV. quæ incipit, Injunctum nobis &c.

ANNO CHRISTI 1563.

fex, plena totius negotii ac personarum notitia habita, pro gregis dominici commodo de illis, si idonei per examen seu per inquisitionem factam reperti fuerint, ecclesiis possint utilius providere. Omnes vero inquisitiones, informationes, testimonia, ac probationes quæcumque de promovendi qualitatibus & ecclesiæ statu a quibuscumque, etiam in Romana curia habitæ, per cardinalem, qui relationem facturus erit in consistorio, & alios tres cardinales diligenter examinentur; ac relatio ipsa cardinalis relatoris & trium cardinalium subscriptione roboretur: in qua ipsi singuli quatuor cardinales affirment, se adhibita accurata diligentia inveniſſe promovendos qualitatibus a jure & ab hac sancta synodo requisitis præditos, ac certe existimare, sub periculo salutis æternæ, idoneos esse qui ecclesiis præficiantur: ita ut relatione in uno consistorio facta, quo maturius interea de ipsa inquisitione cognosci possit, in aliud consistorium judicium differatur; nisi aliud beatissimo pontifici videbitur expedire. Ea vero omnia & singula, quæ de episcoporum præficiendorum vita, ætate, doctrina, & ceteris qualitatibus alias in eadem synodo constituta sunt, decernit eadem etiam in creatione sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium, etiamsi diaconi sint, exigenda: quos sanctissimus Romanus pontifex ex omnibus Christianitatis nationibus, quantum commode fieri poterit, prout idoneos repererit, assumet. Postremo eadem sancta synodus, tot gravissimis ecclesiæ incommodis commota, non potest non commemorare, nihil magis ecclesiæ Dei esse necessarium, quam ut beatissimus Romanus pontifex, quam solicitudinem universæ ecclesiæ, ex muneris sui officio debet, eam hic potissimum impendat, ut lectissimos tantum sibi cardinales adsciscat, & bonos maxime atque idoneos pastores singulis ecclesiis præficiat, idque eo magis, quod ovium Christi sanguinem, quæ ex malo negligentium & sui officii immemorum pastorum regimine peribunt, dominus noster Jesus Christus de manibus ejus sit requisiturus.

Supra sessione 22. de reformatione, &c.

Supra sessione 6. & 7. c. 1, sessione 22. cap. 2. de reformat. & sess. 23. cap. 4. de sacramento ordinis.

Ezech. 3. & 18. Act. 20. Sess. 6. c. 1. de ref.

CAPUT II.

Synodi provinciales quolibet triennio: diœcesanæ quotannis celebrentur: qui eas cogere, quive illis interesse debeant.

Provincialia concilia sicubi omissa sunt, pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, controversiis componendis, aliisque ex sacris canonibus permissis renoventur. Quare metropolitani per seipsos, seu, illis legitime impeditis, coepiscopus antiquior intra annum ad minus a fine præsentis concilii, & deinde quolibet saltem triennio, post octavam paschæ resurrectionis domini nostri Jesu Christi, seu alio commodiori tempore, pro more provinciæ, non prætermittat synodum in provincia sua cogere: quo episcopi omnes, & alii, qui de jure, vel consuetudine interesse debent (exceptis iis, quibus cum imminenti periculo transfretandum esset) convenire omnino teneantur. Nec episcopi comprovinciales prætextu cujuslibet consuetudinis ad metropolitanam ecclesiam in posterum accedere inviti compellantur. Itidem episcopi, qui nulli archiepiscopo subjiciuntur, aliquem vicinum metropolitanum semel eligant, in cujus synodo provinciali cum aliis interesse debeant, & quæ ibi ordinata fuerint observent ac observari faciant: in reliquis omnibus eorum exemptio & privilegia salva atque integra maneant. Synodi quoque diœcesanæ quotannis celebrentur, ad quas exempti etiam omnes, qui alias, cessante exemptione interesse deberent, nec capitulis generalibus subduntur, accedere teneantur: ratione tamen parochialium, aut aliarum sæcularium ecclesiarum, etiam annexarum, debeant ii, qui illarum curam gerunt, quicumque illi sint, synodo interesse. Quod si in his tam metropolitani quam episcopi, & alii suprascripti negligentes fuerint, pœnas sacris canonibus sancitas incurrant.

Aurel. II. 1. Later. V. sub Leone X. sess. 10.

SESSIO XXIV. 11. Nov. 1563. Basil. 15. sess. Tolet. sub Sixto IV. c. 1. Aurel. V. 18. Tarr. l. 6. Tol. XI. 15. Bas. sess. 8.

CAPUT III.

Qua ratione visitatio per prælatos facienda.

Patriarchæ, primates, metropolitani episcopi propriam diœcesim per seipsos, aut, si legitime impediti fuerint, per suum generalem vicarium aut visitatorem, si quotannis totam propter ejus latitudinem visitare non poterunt, saltem majorem ejus partem, ita tamen ut tota biennio per se vel visitatores suos compleatur, visitare non prætermittant. A metropolitanis vero, etiam post plene visitatam propriam diœcesim, non visitentur cathedrales ecclesiæ, neque diœceses suorum comprovincialium, nisi causa cognita & probata in concilio provinciali. Archidiaconi autem, decani, & alii inferiores, in iis ecclesiis, ubi hactenus visitationem exercere legitimam consueverunt, debeant quidem assumpto notario, de consensu episcopi deinceps per seipsos tantum ibidem visitare. Visitatores etiam a capitulo deputandi, ubi capitulum jus visitandi habet, prius ab episcopo approbentur: sed non ideo episcopus, vel, eo impedito, ejus visitator, easdem ecclesias seorsum ab his visitare prohibeatur: cui ipsi archidiaconi, vel alii inferiores, visitationis factæ infra mensem rationem reddere, & depositiones testium, ac integra acta ei exhibere teneantur; non obstantibus quacumque consuetudine, etiam immemorabili, atque exemptionibus & privilegiis quibuscumque. Visitationum autem omnium istarum præcipuus sit scopus, sanam orthodoxamque doctrinam, expulsis hæresibus, inducere, bonos mores tueri, pravos corrigere, populum cohortationibus & admonitionibus ad religionem, pacem, innocentiamque accendere, cetera, prout locus, tempus & occasio feret, ex visitantium prudentia ad fidelium fructum constituere. Quæ ut facilius feliciusque succedant, monentur prædicti omnes & singuli, ad quos visitatio spectat, ut paterna caritate Christianoque zelo omnes amplectantur; ideoque modesto contenti equitatu famulatuque, studeant quam celerrime, debita tamen cum diligentia, visitationem ipsam absolvere. Interimque caveant ne inutilibus sumptibus cuiquam graves onerosive sint; neve ipsi, aut quisquam suorum, quidquam procurationis causa pro visitatione, etiam testamentorum ad pios usus, præter id quod ex relictis piis jure debetur, aut alio quovis nomine, nec pecuniam, nec munus, quodcumque sit, etiam qualitercumque offeratur, accipiant; non obstante quacumque consuetudine, etiam immemorabili: exceptis tantum victualibus, quæ sibi ac suis frugaliter moderateque pro temporis tantum necessitate, & non ultra, erunt ministranda. Sit tamen in optione eorum qui visitantur, si malint solvere id

Tolet. IV. cap. 35.

Brac. II. 16 Ticin. &c.

quod

SESSIO XXIV. 11. Nov. 1563.

quod erat ab ipsis antea solvi, certa pecunia taxata, consuetum; an vero prædicta victualia subministrare: salvo item jure conventionum antiquarum cum monasteriis, aliisve piis locis, aut ecclesiis non parochialibus initio, quod illæsum permaneat. In iis vero locis, seu provinciis, ubi consuetudo est, ut nec victualia, nec pecunia, nec quidquam a visitatoribus accipiatur, sed omnia gratis fiant, ibi id observetur. Quod si quisquam, quod absit, aliquid amplius in supradictis omnibus casibus accipere præsumpserit, is præter dupli restitutionem, intra mensem faciendam, aliis etiam pœnis juxta constitutionem concilii generalis Lugdunensis, quæ incipit. Exigit, nec non & aliis pœnis in synodo provinciali arbitrio synodi absque ulla spe veniæ mulctetur. Patroni vero in iis, quæ ad sacramentorum administrationem spectant, nullatenus se præsumant ingerere; neque visitationi ornamentorum ecclesiæ, aut bonorum stabilium, seu fabricarum proventibus, immisceant, nisi quatenus id eis ex institutione ac fundatione competat: sed episcopi ipsi hæc faciant, & fabricarum reditus in usus ecclesiæ necessarios & utiles, prout sibi expedire magis visum fuerit, expendi curent.

Cap. Exigit. De censibus in 6.

CAPUT IV.

A quibus & quando munus prædicationis obeundum: Ecclesia parochialis ad audiendum verbum Dei adeunda. Nullus contradicente episcopo prædicet.

Prædicationis munus, quod episcoporum præcipuum est, cupiens sancta synodus quo frequentius possit ad fidelium salutem exerceri, canones, alias super hoc editos sub felicis recordationis Paulo tertio, aptius præsentium temporum usui accommodando, mandat ut in ecclesia sua ipsi per se, aut, si legitime impediti fuerint, per eos quos ad prædicationis munus assument, in aliis autem ecclesiis per parochos, sive iis impeditis, per alios ab episcopo impensis eorum qui eas præstare vel tenentur, vel solent, deputandos in civitate, aut in quacumque parte diœcesis censebunt expedire, saltem omnibus dominicis & solennibus diebus festis, tempore autem jejuniorum quadragesimæ, & adventus domini quotidie, vel saltem tribus in hebdomada diebus, si ita oportere duxerint, sacras scripturas, divinamque legem annuncient; & alias, quotiescumque id opportune fieri posse judicaverint. Moneatque episcopus populum diligenter, teneri unumquemque parochiæ suæ interesse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum verbum Dei. Nullus autem sæcularis, sive regularis, etiam in ecclesiis suorum ordinum contradicente episcopo prædicare præsumat. Iidem etiam, saltem omnibus & aliis festivis diebus, pueros in singulis parochiis fidei rudimenta, & obedientiam erga Deum & parentes, diligenter ab iis, ad quos spectabit, doceri curabunt; &, si opus fit, etiam per censuras ecclesiasticas compellent; non obstantibus privilegiis & consuetudinibus. In reliquis, ea quæ de prædicationis munere sub eodem Paulo III. decreta fuerunt, suum robur obtineant.

Carth. IV. 20. Rem. 14. Arel. IV. 10. Lat. IV. 10. Mog. cap. 25. Supra sessione 5. cap. 2. de reformatione.

Carth. IV. 24.

Supra sessione 5. de reformat. c. 2.

CAPUT V.

Criminales causæ contra episcopos, majores a solo summo pontifice, minores a concilio provinciali cognoscantur.

Causæ criminales graviores contra episcopos, etiam hæresis, quod absit, quæ depositione aut privatione dignæ sunt, ab ipso tantum summo Romano pontifice cognoscantur & terminentur. Quod si ejusmodi sit causa, quæ necessario extra Romanam curiam sit committenda; nemini prorsus ea committatur, nisi metropolitanis aut episcopis a beatissimo papa eligendis. Hæc vero commissio & specialis sit, & manu ipsius sanctissimi pontificis signata: nec unquam plus his tribuat, quam ut solam facti instructionem sumant, processumque conficiant, quem statim ad Romanum pontificem transmittant, reservata eidem sanctissimo sententias definitiva. Cetera alias sub felicis recordationis Julio III. super his decreta, nec non & constitutio sub Innocentio tertio, in concilio generali, quæ incipit, Qualiter & quando, quam sancta synodus in præsenti innovat, ab omnibus observetur. Minores vero criminales causæ episcoporum in concilio tantum provinciali cognoscantur & terminentur, vel a deputandis per concilium provinciale.

ANNO CHRISTI 1563.

Supra sessione 13. c. 6. 7. 8. De reformatione: in concilio Lateranensi sub Innocentio III. c. 8. V. Decret. de accus. & inquisit. c. 24.

CAPUT VI.

Datur episcopis potestas circa irregularitatum & suspensionum dispensationes & criminum absolutiones.

Liceat episcopis in irregularitatibus omnibus & suspensionibus, ex delicto occulto provenientibus, excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare: & in quibuscumque casibus occultis, etiam sedi apostolicæ reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos, in diœcesi sua per seipsos, aut vicarium, ad id specialiter deputandum, in foro conscientiæ gratis absolvere, imposita pœnitentia salutari. Idem & in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ eis tantum, non eorum vicariis, sit permissum.

Sess. 14. c. 7.

CAPUT VII.

Sacramentorum virtus, antequam populo administrentur, ab episcopis & parochis explicetur; inter missarum solennia sacræ paginæ explanentur.

Ut fidelis populus ad suscipienda sacramenta majori cum reverentia atque animi devotione accedat, præcipit sancta synodus episcopis omnibus, ut non solum cum hæc per seipsos erunt populo administranda, prius illorum vim & usum pro suscipientium captu explicent, sed etiam idem a singulis parochis pie prudenterque, etiam lingua vernacula, si opus sit, & commode fieri poterit, servari studeant, juxta formam a sancta synodo in catechesi singulis sacramentis præscribendam; quam episcopi in vulgarem linguam fideliter verti, atque a parochis omnibus populo exponi curabunt: nec non inter missarum solennia, aut divinorum celebrationem, sacra eloquia & salutis monita eadem vernacula lingua singulis diebus festis vel solennibus explanent: eademque in omnium cordibus, postpositis inutilibus quæstionibus, inserere, atque eos in lege domini erudire studeant.

Sess. 22. de sacrif. missæ c. 8.

CAPUT VIII.

Publice peccantes publice pœniteant, nisi episcopo aliter videatur: pœnitentiarius in cathedralibus instituendus.

Apostolus monet, publice peccantes palam esse corri-

1. Tim. 1.

ANNO CHRISTI 1563.

corripiendos. Quando igitur ab aliquo publice & in multorum conſpectu crimen commiſſum fuerit, unde alios ſcandalo offenſos commotoſque fuiſſe non ſit dubitandum; huic condignam pro modo culpæ pœnitentiam publice injungi oportet; ut quos exemplo ſuo ad malos mores provocavit, ſuæ emendationis teſtimonio ad rectam revocet vitam. Epiſcopus tamen publicæ hoc pœnitentiæ genus in aliud ſecretum poterit commutare, quando ita magis judicaverit expedire. In omnibus etiam cathedralibus eccleſiis, ubi id commode fieri poterit, pœnitentiarius aliquis cum unione præbendæ, proxime vacaturæ, ab epiſcopo inſtituatur, qui magiſter ſit, vel doctor, aut licentiatus in theologia, vel jure canonico, & annorum quadraginta, ſeu alias qui aptior pro loci qualitate reperiatur; qui dum confeſſiones in eccleſia audiet, interim præſens in choro cenſeatur.

CAPUT IX.

A quo viſitari debeant eccleſiæ ſeculares nullius diœceſis.

Supra ſeſſione 6. de ref. c. 4. ſeſſ. 7. c. 8. & ſeſſione 21. de reformatione c. 8.

Quæ alias ſub felicis recordationis Paulo tertio, & nuper ſub beatiſſimo domino noſtro Pio IV. in hoc eodem concilio de adhibenda ab ordinariis diligentia in beneficiorum etiam exemptorum viſitatione, conſtituta ſunt, eadem etiam in eccleſiis ſæcularibus obſerventur, quæ in nullius diœceſi eſſe dicuntur; ut ab epiſcopo, cujus cathedralis eccleſia eſt proximior, ſi id conſtet, alioquin ab eo, qui ſemel in concilio provinciali a prælato loci illius electus fuerat, tanquam ſedis apoſtolicæ delegato, viſitentur; non obſtantibus privilegiis & conſuetudinibus quibuſcumque, etiam immemorabilibus.

CAPUT X.

Executio viſitationis a ſubditis ne ſuſpendatur.

Epiſcopi, ut aptius quem regunt populum poſſint in officio atque obedientia continere, in omnibus his, quæ ad viſitationem ac morum correctionem ſubditorum ſuorum ſpectant, jus & poteſtatem habeant, etiam tanquam ſedis apoſtolicæ delegati, ea ordinandi, moderandi, puniendi, & exequendi, juxta canonum ſanctiones, quæ illis ex prudentia ſua pro ſubditorum emendatione, ac diœceſis ſuæ utilitate neceſſaria videbuntur. Nec in his, ubi de viſitatione aut morum correctione agitur, exemptio, aut ulla inhibitio, appellatio, ſeu querela, etiam ad ſedem apoſtolicam interpoſita, executionem eorum, quæ ab his mandata, decreta, aut judicata fuerint, quoquo modo impediat, aut ſuſpendat.

Seſſ. 13. c. 1. de ref. 14. c. 4. de ref. & c. 1. Seſſ. 22. itidem de ref.

CAPUT XI.

Honorarii tituli aut privilegia particularia epiſcoporum juri nihil detrahant. Cap. Cum Capella *extra de privilegiis innovatur.*

Seſſ. 6. c. 3. de ref.

Quoniam privilegia & exemptiones, quæ variis titulis pleriſque conceduntur, hodie perturbationem in epiſcoporum juriſdictione excitare, & exemptis occaſionem laxioris vitæ præbere dignoſcuntur, decrevit ſancta ſynodus, ut ſi quando juſtis, gravibus, & fere neceſſariis ſuadentibus cauſis, aliquos honorariis titulis protonotariatus, acolythatus, comitis palatini, capellani regii, aut aliis hujuſmodi in Romana curia, vel extra, inſignibus decorandos eſſe placuerit; nec non alios, cuicumque monaſterio oblatos, vel quomodocumque addictos, aut ſub nomine ſervientium militiis, ſeu monaſteriis, hoſpitalibus, collegiis, aut quocumque alio titulo aſſumi, nihil ex his privilegiis detractum eſſe ordinariis intelligitur, quo minus ii, quibus ea jam conceſſa ſunt, vel in poſterum concedi contigerit, ipſis ordinariis, tanquam ſedis apoſtolicæ delegatis, plene in omnibus, & quoad capellanos regios, juxta conſtitutionem Innocentii tertii, quæ incipit, Cum capella ſubjecti exiſtant, exceptis tamen iis, qui prædictis locis aut militiis actu ſerviunt, & intra eorum ſepta ac domos reſident, ſubque eorum obedientia vivunt, ſive iis, qui legitime & ſecundum regulam earumdem militiarum profeſſionem fecerint, de qua ordinario conſtare debeat; non obſtantibus privilegiis quibuſcumque, etiam religionis ſancti Joannis Hieroſolymitani, & aliarum militiarum. Quæ vero privilegia reſidentibus in curia Romana vigore Eugenianæ conſtitutionis, aut familiaritatis cardinalium competere ſolent; ea in iis, qui beneficia eccleſiaſtica obtinent, ratione prædictorum beneficiorum minime intelligantur, ſed ordinarii juriſdictioni ſubjecti permaneant; non obſtantibus quibuſcumque inhibitionibus.

SESSIO XXIV. 11. Nov. 1563.

Can. Cum capella. de privileg.

CAPUT XII.

Quales eſſe debeant promovendi ad dignitates & canonicatus cathedralium eccleſiarum: quidve promoti præſtare teneantur.

Cum dignitates, in eccleſiis præſertim cathedralibus, ad conſervandam augendamque eccleſiaſticam diſciplinam fuerint inſtitutæ, ut qui eas obtinerent, pietate præcellerent, aliiſque exemplo eſſent, atque epiſcopos opera & officio juvarent; merito qui ad eas vocantur, tales eſſe debent, qui ſuo muneri reſpondere poſſint. Nemo igitur deinceps ad dignitates quaſcumque, quibus animarum cura ſubeſt, promoveatur, niſi qui ſaltem vigeſimumquintum ſuæ ætatis annum attigerit, & in clericali ordine verſatus, doctrina ad ſuum munus exequendum neceſſaria ac morum integritate commendetur, juxta conſtitutionem Alexandri tertii in concilio Lateranenſi promulgatam, quæ incipit, Cum in cunctis. Archidiaconi etiam, qui oculi dicuntur epiſcopi, ſint in omnibus eccleſiis, ut fieri poterit, magiſtri in theologia, ſeu doctores, aut licentiati in jure canonico. Ad ceteras autem dignitates, vel perſonatus, quibus animarum cura nulla ſubeſt, clericis alioquin idonei, & viginti duobus annis non minores adſciſcantur. Proviſi etiam de beneficiis quibuſcumque curam animarum habentibus teneantur a die adeptæ poſſeſſionis ad minus intra duos menſes in manibus ipſius epiſcopi, vel, eo impedito, coram generali ejus vicario, ſeu officiali, orthodoxæ ſuæ fidei publicam facere profeſſionem, & in Romanæ eccleſiæ obedientia ſe permanſuros ſpondeant ac jurent. Proviſi autem de canonicatibus & dignitatibus in eccleſiis cathedralibus, non ſolum coram epiſcopo, ſeu ejus officiali, ſed etiam in capitulo idem facere teneantur: alioquin prædicti omnes proviſi, ut ſupra, fructus non faciant ſuos, nec illis poſſeſſio ſuffragetur. Neminem etiam deinceps ad dignitatem, canonicatum, aut portionem recipiant, niſi qui eo ordine ſacro aut

Seſſ. 22. c. 2. c. 2.

Cap. 16. de Electione & elect. pot. §. Cum inſeriora

Tol. IV. 26.

CATHOLIC UNIVERSITY OF AMERICA LIBRARIES Washington, DC

SESSIO XXIV. 11. Nov. 1563.

aut sit initiatus, quem illa dignitas, præbenda, aut portio requirit, aut in tali ætate, ut infra tempus a jure, & ab hac sancta synodo statutum, initiari valeat. In omnibus vero ecclesiis cathedralibus omnes canonicatus ac portiones habeant annexum ordinem presbyterii, diaconatus, vel subdiaconatus: episcopus autem cum consilio capituli deligner ac distribuat, prout viderit expedire, quibus quisque ordo ex sacris annexus in posterum esse debeat, ita tamen, ut dimidia saltem pars presbyterii sint; ceteri vero diaconi, aut subdiaconi: ubi vero consuetudo laudabilior habet, ut plures, vel omnes sint presbyteri, omnino observetur. Hortatur etiam sancta synodus, ut in provinciis, ubi id commode fieri potest, dignitates omnes, & saltem dimidia pars canonicatuum in cathedralibus ecclesiis, & collegiatis insignibus, conferantur tantum magistris, vel doctoribus, aut etiam licentiatis in theologia, vel jure canonico. Præterea obtinentibus in eisdem cathedralibus, aut collegiatis, dignitates, canonicatus, præbendas, aut portiones, non liceat vigore cujuslibet statuti, aut consuetudinis, ultra tres menses ab eisdem ecclesiis quolibet anno abesse: salvis nihilo minus earum ecclesiarum constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt: alioquin primo anno privetur unusquisque dimidia parte fructuum, quos ratione etiam præbendæ ac residentiæ fecit suos. Quod si iterum eadem fuerit usus negligentia, privetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit: crescente vero contumacia, contra eos, juxta sacrorum canonum constitutiones, procedatur. Distributiones vero, qui statis horis interfuerint, recipiant; reliqui, quavis collusione aut remissione exclusa, his careant, juxta Bonifacii octavi decretum, quod incipit, Consuetudinem, quod sancta synodus in usum revocat: non obstantibus quibuscumque statutis & consuetudinibus.

Sess. 23. c. 1. de ref.

Cap. unico de clerico non resid. in 6.

Omnes vero divina per se, & non per substitutos, compellantur obire officia: & episcopo celebranti, aut alia pontificalia exercenti, adsistere & inservire, atque in choro ad psallendum instituto hymnis & canticis Dei nomen reverenter, distincte devoteque laudare. Vestitu insuper decenti, tam in ecclesia, quam extra, assidue utantur; ab illicitisque venationibus, aucupiis, choreis, tabernis, lusibusque abstineant; atque ea morum integritate polleant, ut merito ecclesiæ senatus dici possit. Cetera, quæ ad debitum in divinis officiis regimen spectant, deque congrua in his canendi seu modulandi ratione, de certa lege in choro conveniendi & permanendi, simulque de omnibus ecclesiæ ministris, quæ necessaria erunt; & si qua hujusmodi, synodus provincialis pro cujusque provinciæ utilitate & moribus certam cuique formulam præscribet. Interea vero episcopus non minus quam cum duobus canonicis, quorum unus ab episcopo, alter a capitulo eligatur, in iis quæ expedire videbuntur poterit providere.

Sess. 22. c. 4. de ref.

Turon. III. 8. Agath. 55.

CAPUT XIII.

Quomodo tenuioribus cathedralibus ecclesiis consulendum: parochiæ certis finibus distinguendæ.

Quoniam pleræque cathedrales ecclesiæ tam tenuis reditus sunt, & angustæ, ut episcopali dignitati nullo modo respondeant, neque ecclesiarum necessitati sufficiant, examinet concilium provinciales, vocatis iis quorum interest, & diligenter expendat, quas propter angustias, tenuitatemque invicem unire, vel novis proventibus augere expediat; confectaque de præmissis instrumenta ad summum Romanum pontificem mittat; quibus instructus summus pontifex, ex prudentia sua, prout expedire judicaverit, aut tenues invicem uniat, aut aliqua accessione ex fructibus augeat. Interim vero donec prædicta effectum sortiantur, hujusmodi episcopis, qui fructuum subventione pro diœcesis suæ tenuitate indigent, poterit de beneficiis aliquibus, dum tamen curata non sint, nec dignitates, seu canonicatus & præbendæ, nec monasteria, in quibus viget regularis observantia, vel quæ capitulis generalibus, & certis visitatoribus subduntur, a summo Romano pontifice provideri. In parochialibus etiam ecclesiis, quarum fructus æque adeo exigui sunt, ut debitis nequeant oneribus satisfacere; curabit episcopus, si per beneficiorum unionem (non tamen regularium) id fieri non possit, ut primitiarum vel decimarum assignatione, aut per parochianorum symbola, ac collectas, aut qua commodiori ei videbitur ratione, tantum redigatur, quod pro rectoris ac parochiæ necessitate decenter sufficiat. In unionibus vero quibuslibet, seu ex supradictis, seu aliis causis faciendis, ecclesiæ parochiales monasterjis quibuscumque, aut abbatiis, seu dignitatibus, sive præbendis ecclesiæ cathedralis, vel collegiatæ, sive aliis beneficiis simplicibus, aut hospitalibus, militiisve non uniantur; & quæ unitæ sunt, revideantur ab ordinariis, juxta alias decretum in eadem synodo sub felicis recordationis Paulo tertio, quod etiam in unitis ab eo tempore citra æque observetur: non obstantibus in iis quibuscumque verborum formis, quæ hic pro sufficienter expressis habeantur. Ad hæc in posterum omnes hæ cathedrales ecclesiæ, quarum reditus summam ducatorum mille, & parochiales, quæ summam ducatorum centum, secundum verum annuum valorem, non excedunt, nullis pensionibus aut reservationibus fructuum graventur.

Sess. 7. c. 6. de ref.

In iis quoque civitatibus ac locis, ubi parochiales ecclesiæ certos non habent fines, nec earum rectores proprium populum, quem regant, sed promiscue petentibus sacramenta administrant, mandat sancta synodus episcopis pro tutiori animarum eis commissarum salute, ut distincto populo in certas propriasque parochias, unicuique suum perpetuum peculiaremque parochum assignent, qui eas cognoscere valeat, & a quo solo licite sacramenta suscipiant; aut alio utiliori modo, prout loci qualitas exegerit, provideant. Idemque in iis civitatibus ac locis, ubi nullæ sunt parochiales, quamprimum fieri curent; non obstantibus quibuscumque privilegiis & consuetudinibus, etiam immemorabilibus.

Sess. 14. c. 9. de ref.

CAPUT XIV.

Ne quis admittatur ad possessionem beneficii, aut distributionum cum fructuum distributione in usus non pios convertenda.

In pluribus ecclesiis, tam cathedralibus quam collegiatis & parochialibus, ex earum constitutionibus, aut ex prava consuetudine, observari intelligitur, ut in electione, præsentatione, nominatione, institutione, confirmatione, collatione, vel

ANNO CHRISTI 1563.

ANNO CHRISTI 1563.

vel alia provisione, sive admissione ad possessionem alicujus cathedralis ecclesiæ, vel beneficii, canonicatuum, aut præbendarum, vel partem proventuum, seu ad distributiones quotidianas, certæ conditiones, seu deductiones ex fructibus, solutiones, promissiones, compensationesve illicitæ, aut etiam quæ in aliquibus ecclesiis dicuntur turnorum lucra, interponantur: hæc cum sancta synodus detestetur, mandat episcopis, ut quæcumque hujusmodi in usus pios non convertuntur, atque ingressus eos, qui simoniacæ labis, aut sordidæ avaritiæ suspicionem habent, fieri non permittant; ipsique diligenter de eorum constitutionibus, sive consuetudinibus, super prædictis cognoscant, & illis tantum, quas ut laudabiles probaverint, exceptis, reliquas ut pravas ac scandalosas rejiciant & aboleant. Eos vero, qui adversus hæc in presenti decreto comprehensa quavis ratione commiserint, pœnis contra simoniacos editis, sacris canonibus, & variis summorum pontificum constitutionibus, quas omnes innovat, teneri decernit; non obstantibus quibuscumque statutis, constitutionibus, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, etiam apostolica auctoritate confirmatis, de quarum subreptione, obreptione, & intentionis defectu episcopus, tanquam apostolicæ sedis delegatus, cognoscere possit.

Tol. VIII. c. 3. &c.

CAPUT XV.

Ratio augendi tenues præbendas ecclesiarum cathedralium & collegiatarum insignium.

In ecclesiis cathedralibus, & collegiatis insignibus, ubi frequentes adeoque tenues sunt præbendæ simul cum distributionibus quotidianis, ut sustinendo decenti canonicorum gradui pro loci & personarum qualitate non sufficiant, liceat episcopis cum consensu capituli vel aliquot simplicia beneficia, non tamen regularia, iis unire, vel si hac ratione provideri non possit, aliquibus ex iis suppressis, cum patronorum consensu, si de jure patronatus laicorum sint, quarum fructus & proventus reliquarum præbendarum distributionibus quotidianis applicentur, eas ad pauciorem numerum reducere, ita tamen, ut tot supersint, quæ divino cultui celebrando, ac dignitati ecclesiæ commode valeant respondere; non obstantibus quibuscumque constitutionibus & privilegiis, aut quacumque reservatione generali, vel speciali, aut affectione: neque prædictæ uniones, aut suppressiones tolli seu impediri possint ex quibuscumque provisionibus, etiam vigore resignationis, aut quibusvis aliis derogationibus, vel suspensionibus.

sup. c. 13.

sess. 5. c. 1. de ref.

CAPUT XVI.

Quid muneris incumbat capitulo sede vacante.

Capitulum, sede vacante, ubi fructuum percipiendorum ei munus incumbit, œconomum unum vel plures fideles ac diligentes decernat, qui rerum ecclesiasticarum & proventuum curam gerant: quorum rationes ei, ad quem pertinebit, sint reddituri. Item officialem seu vicarium infra octo dies post mortem episcopi constituere, vel existentem confirmare, omnino teneatur; qui saltem in jure canonico sit doctor, vel licentiatus, vel alias, quantum fieri poterit, idoneus. Si secus factum fuerit, ad metropolitanum deputatio hujusmodi devolvatur: &, si ecclesia ipsa metropolitana fuerit, aut exempta, capitulumque, ut præfertur, negligens fuerit, tunc antiquior episcopus ex suffraganeis in metropolitana, & propinquior episcopus in exempta, œconomum & vicarium idoneos possit constituere. Episcopus vero ad eamdem ecclesiam vacantem promotus ex iis quæ ad eum spectant ab eisdem œconomo, vicario, & aliis quibuscumque officialibus & administratoribus, qui sede vacante fuerunt a capitulo vel ab aliis in ejus locum constituti, etiamsi fuerint ex eodem capitulo rationem exigat officiorum, jurisdictionis, administrationis, aut cujuscumque eorum muneris: possitque eos punire, qui in eorum officio seu administratione deliquerint, etiamsi prædicti officiales redditis rationibus a capitulo, vel a deputatis, ab eodem absolutionem aut liberationem obtinuerint. Eidem quoque episcopo teneatur capitulum de scripturis ad ecclesiam pertinentibus, si quæ ad capitulum pervenerunt, rationem reddere.

Chalc. act. 16. c. 25. Worm. c. 16.

SESSIO XXIV. 11. Nov. 1563.

CAPUT XVII.

Beneficiorum collationi & plurium retentioni modus statuitur.

Cum ecclesiasticus ordo pervertatur, quando unus plurium officia occupat clericorum, sancte sacris canonibus cautum fuit, neminem oportere in duabus ecclesiis conscribi. Verum, quoniam multi improbæ cupiditatis affectu, seipsos, non Deum, decipientes, ea quæ bene constituta sunt variis artibus eludere, & plura simul beneficia obtinere non erubescunt; sancta synodus debitam regendis ecclesiis disciplinam restituere cupiens, præsenti decreto, quod in quibuscumque personis quocumque titulo, etiamsi cardinalatus honore fulgeant, mandat observari; statuit ut in posterum unum tantum beneficium ecclesiasticum singulis conferatur: quod quidem, si ad vitam ejus, cui conferatur, honeste sustentandam non sufficiat; liceat nihilo minus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri. Hæcque non modo ad cathedrales ecclesias, sed etiam ad alia omnia beneficia, tam sæcularia, quam regularia quæcumque, etiam commendata, pertineant, cujuscumque tituli ac qualitatis existant. Illi vero, qui in præsenti plures parochiales ecclesias, aut unam cathedralem & aliam parochialem obtinent, cogantur omnino, quibuscumque dispensationibus ac unionibus ad vitam non obstantibus, una tantum parochiali, vel sola cathedrali retenta, alias parochiales infra spatium sex mensium dimittere: alioquin tam parochiales, quam beneficia omnia, quæ obtinent, ipso jure vacare censeantur, ac tanquam vacantia, libere aliis idoneis conferantur, nec ipsi antea illa obtinentes, tuta conscientia fructus post dictum tempus retineant. Optat autem sancta synodus, ut resignantium necessitatibus commoda aliqua ratione prout summo pontifici videbitur, provideatur.

Nic. I. 15. & 16. Antioc. 3. Arel. I. 2. & 22. Milevit. 15. sess. 7. c. 2. de ref.

CAPUT XVIII.

Ecclesia parochiali vacante, deputandus ab episcopo vicarius, donec illi provideatur de parocho: nominati ad parochiales qua forma & a quibus examinari debeant.

Expedit maxime animarum saluti a dignis atque idoneis parochis gubernari: id ut diligentius ac rectius perficiatur, statuit sancta synodus, ut cum parochialis ecclesiæ vacatio, etiamsi cura ecclesiæ vel episcopo incumbere dicatur, & per unum

SESSIO XXIII. 11. Nov. 1563.

unum vel plures administretur, etiam in ecclesiis patrimonialibus, seu receptivis nuncupatis, in quibus consuevit, episcopus uni vel pluribus curam animarum dare, quos omnes ad infrascriptum examen teneri mandat, per obitum, vel resignationem, etiam in curia, seu aliter quomodocumque contigerit, etiamsi ipsa parochialis ecclesia reservata vel affecta fuerit generaliter, vel specialiter, etiam vigore indulti seu privilegii in favorem sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis seu abbatum, vel capitulorum, debeat episcopus statim habita notitia vacationis ecclesiæ, si opus fuerit, idoneum in ea vicarium, cum congrua, ejus arbitrio, fructuum portionis assignatione, constituere, qui onera ipsius ecclesiæ sustineat, donec ei de rectore provideatur. Porro episcopus, & qui jus patronatus habet, intra decem dies, vel aliud tempus ab episcopo præscribendum, idoneos aliquot clericos ad regendam ecclesiam coram deputandis examinatoribus nominet. Liberum sit tamen etiam aliis, qui aliquos ad id aptos noverint, eorum nomina deferre, ut possit postea de cujuslibet ætate, moribus, & sufficientia fieri diligens inquisitio. Et, si episcopo, aut synodo provinciali, pro regionis more videbitur magis expedire, per edictum etiam publicum vocentur, qui volent examinari. Transacto constituto tempore, omnes, qui descripti fuerint, examinentur ab episcopo, sive, eo impedito, ab ejus vicario generali, atque ab aliis examinatoribus non paucioribus quam tribus, quorum votis, si pares, aut singulares fuerint, accedere possit episcopus, vel vicarius quibus magis videbitur. Examinatores autem singulis annis in diœcesana synodo ab episcopo, vel ejus vicario ad minus sex proponantur, qui synodo satisfaciant, & ab ea probentur. Advenienteque vacatione cujuslibet ecclesiæ, tres ex illis eligat episcopus, qui cum eo examen perficiant; indeque succedente alia vacatione, aut eosdem, aut alios tres, quos maluerit, ex prædictis illis sex eligat. Sint vero hi examinatores, magistri, seu doctores, aut licentiati in theologia, aut jure canonico, vel alii clerici, seu regulares, etiam ex ordine Mendicantium, aut etiam sæculares, qui ad id videbuntur magis idonei: jurentque omnes ad sancta Dei evangelia, se quacumque humana affectione postposita, fideliter munus executuros. Caveantque ne quidquam prorsus occasione hujus examinis nec ante nec post accipiant; alioqui simoniæ vitium tam ipsi, quam alii dantes, incurrant, a qua absolvi nequeant, nisi dimissis beneficiis, quæ quomodocumque etiam antea obtinebant, & ad alia in posterum inhabiles reddantur. Et de his omnibus non solum coram Deo, sed etiam in synodo provinciali, si opus erit, rationem reddere teneantur. A qua, si qui contra officium eos fecisse compertum fuerit, graviter, ejus arbitrio, puniri possint. Peracto deinde examine renuncientur quotcumque ab his idonei judicati fuerint ætate, moribus, doctrina, prudentia, & aliis rebus ad vacantem ecclesiam gubernandam opportunis: ex hisque episcopus eum eligat, quem ceteris magis idoneum judicaverit; atque illi, & non alteri, collatio ecclesiæ ab eo fiat, ad quem spectabit eam conferre. Si vero juris patronatus ecclesiastici erit, ac institutio ad episcopum, & non alium pertineat, is, quem patronus digniorem inter probatos ab examinatoribus judicabit, episcopo præsentare teneatur, ut ab eo instituatur. Cum vero institutio ab alio quam ab episcopo erit facienda, tunc episcopus solus ex dignis eligat digniorem, quem patronus ei præsentet, ad quem institutio spectat. Quod si jus patronatus laicorum fuerit, debeat qui a patrono præsentatus erit, ab eisdem deputatis ut supra examinari, & non, nisi idoneus repertus fuerit, admitti. In omnibusque supradictis casibus, non cuiquam alteri, quam uni ex prædictis examinatis, & ab examinatoribus approbatis, juxta supradictam regulam, de ecclesia provideatur: nec prædictorum examinatorum relationem, quo minus executionem habeat, ulla devolutio, aut appellatio, etiam ad sedem apostolicam, sive ejusdem sedis legatos, aut vicelegatos, aut nuncios, seu episcopos, aut metropolitanos, primates, vel patriarchas interposita, impediat aut suspendat; alioquin vicarius, quem ecclesiæ vacanti antea episcopus arbitrio suo ad tempus deputavit, vel forsan postea deputabit, ab ejus ecclesiæ custodia & administratione non amoveatur, donec aut eidem, aut alteri qui probatus & electus fuerit, ut supra, sit provisum: alias provisiones omnes, seu institutiones, præter supradictam formam factæ, subreptitiæ esse censeantur; non obstantibus huic decreto exemptionibus, indultis, privilegiis, præventionibus, affectionibus, novis provisionibus, indultis concessis quibuscumque universitatibus, etiam ad certam summam, & aliis impedimentis quibuscumque. Si tamen adeo exigui reditus dictæ parochialis fuerint, ut totius hujus examinationis operam non ferant; aut nemo sit qui se examini quærat subjicere; aut ob apertas factiones seu dissidia, quæ in aliquibus locis reperiuntur, facile graviores rixæ ac tumultus possint excitari; poterit ordinarius, si pro sua conscientia cum deputatorum consilio ita expedire arbitrabitur, hac forma omissa, privatum aliud examen, ceteris tamen ut supra servatis, adhibere. Licebit etiam synodo provinciali, si qua in supradictis circa examinationis formam addenda remittendave esse censuerit, providere.

ANNO CHRISTI 1563.

sess. 7. c. 13. de ref.

sess. 25. c. 3. de ref.

sess. 7. c. 13. de ref.

CAPUT XIX.

Mandata de providendo, expectativæ, & alia id genus antiquantur.

Decernit sancta synodus, mandata de providendo, & gratias, quæ expectativæ dicuntur, nemini amplius, etiam collegiis, universitatibus, senatibus, & aliis singularibus personis, etiam sub nomine indulti, aut ad certam summam, vel alio quovis colore concedi, nec hactenus concessis cuiquam uti licere. Sed nec reservationes mentales, nec aliæ quæcumque gratiæ ad vacatura, nec indulta ad alienas ecclesias, vel monasteria alicui, etiam ex sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus, concedantur, & hactenus concessa abrogata esse censeantur.

sess. 25. c. 5. de ref.

CAPUT XX.

Ratio tractandi causas ad forum ecclesiasticum pertinentes præscribitur.

Ibidem.

sess. 14. c. 13. de ref.

Causæ omnes, ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, etiamsi beneficiales sint, in prima instantia coram ordinariis locorum dumtaxat cognoscantur, atque omnino saltem infra biennium a die motæ litis terminentur: alioquin post id spatium liberum sit partibus, vel alteri illarum, judices superiores, alias tamen competentes, adire; qui causam in eo statu quo fuerit assu-

sess. 25. c. 6. de ref. 61

ANNO CHRISTI 1563.

assumant, & quamprimum terminari curent, nec antea aliis committantur, nec avocentur; neque appellationes ab eisdem interpositæ per superiores quoscumque recipiantur; eorumve commissio aut inhibitio fiat, nisi a definitiva, vel a definitivæ vim habente, & cujus gravamen per appellationem a definitiva reparari nequeat. Ab his excipiantur causæ, quæ juxta canonicas sanctiones apud sedem apostolicam sunt tractandæ; vel quas ex urgenti rationabilique causa judicaverit summus Romanus pontifex per speciale rescriptum signaturæ sanctitatis suæ, manu propria subscribendum committere, aut evocare. Ad hæc causæ matrimoniales, & criminales, non decani, archidiaconi, aut aliorum inferiorum judicio, etiam visitando, sed episcopi tantum examini & jurisdictioni relinquantur; etiamsi in præsenti inter episcopum & decanum, seu archidiaconum, aut alios inferiores super causarum istarum cognitione lis aliqua in quacumque instantia pendeat; coram quo, si pars vere pauperatem probaverit, non cogatur extra provinciam nec in secunda, nec in tertia instantia in eadem causa matrimoniali litigare; nisi pars altera & alimenta & expensas litis velit subministrare. Legati quoque, etiam de latere, nuntii, gubernatores ecclesiastici, aut alii quarumcumque facultatum vigore, non solum episcopos in prædictis causis impedire, aut aliquo modo eorum jurisdictionem iis præripere aut turbare non præsumant; sed nec etiam contra clericos, aliasve personas ecclesiasticas, nisi episcopo prius requisito, eoque negligente, procedant: alias eorum processus, ordinationesve nullius momenti sint, atque ad damni satisfactionem partibus illati teneantur. Præterea si quis in casibus a jure permissis appellaverit, aut de aliquo gravamine conquestus fuerit, seu alias ob lapsum biennii, de quo supra, ad alium judicem recurrerit, teneatur acta omnia coram episcopo gesta, ad judicem appellationis expensis suis transferre, eodem tamen episcopo prius admonito, ut, si quid ei pro causæ instructione videbitur, possit judici appellationis significare. Quod si appellatus compareat, cogatur tunc is quoque portione sua, si illis uti voluerit, subire; nisi aliter ex loci consuetudine servetur, ut scilicet ad appellantem integrum hoc onus pertineat. Porro ipsam actorum copiam teneatur notarius, congrua mercede accepta, appellanti quanto citius, & ad minus intra mensem exhibere. Qui notarius si in differenda exhibitione fraudem fecerit, ab officii administratione arbitrio ordinarii suspendatur, & ad dupli pœnam, quanti ea lis fuerit, inter appellantem & pauperes loci distribuendam, compellatur. Judex vero, si & ipse impedimenti hujus conscius particepsve fuerit, aliterve obstiterit, ne appellanti integre acta intra tempus traderentur; ad eamdem dupli pœnam, prout supra, teneatur; non obstantibus, quoad omnia suprascripta, privilegiis, indultis, concordiis, quæ suos tantum teneant auctores, & aliis quibuscumque consuetudinibus.

Conc. Sard. c. 6. 3. & 4. Vigilius, Pelagius II. & alii in epp.

A B C D E

CAPUT XXI.

SESSIO XXIV. 11. Nov. 1563.

Declaratur ex certis verbis supra positis non immutari solitam rationem tractandi negotia in generalibus conciliis.

Cupiens sancta synodus, ut ex decretis ab ea editis nulla unquam futuris temporibus dubitandi occasio oriatur, verba illa posita in decreto publicato sessione prima sub beatissimo domino nostro Pio quarto, videlicet: Quæ proponentibus legatis ac præsidentibus, ad horum temporum levandas calamitates, sedandas de religione controversias, coercendas linguas dolosas, depravatorum morum abusus corrigendos, ecclesiæ veram & Christianam pacem conciliandam apta & idonea ipsi sanctæ synodo videbuntur, explicando declarat, mentis suæ non fuisse, ut ex prædictis verbis solita ratio tractandi negotia in generalibus conciliis ulla ex parte immutaretur, neque novi quidquam, præter id quod a sacris canonibus, vel generalium synodorum forma hactenus statutum est, cuiquam adderetur, vel detraheretur.

Sessione 17.

Indictio futuræ sessionis.

Insuper eadem sacrosancta synodus proximam futuram sessionem feria quinta post conceptionem beatæ Mariæ virginis, quæ erit dies nona mensis Decembris proxime venturi, habendam esse statuit & decernit, cum potestate etiam abbreviandi: in qua sessione tractabitur de sexto nunc in eam dilato capite, & de reliquis reformationis capitibus jam exhibitis, deque aliis ad eam pertinentibus. Si vero opportunum videbitur, & tempus patietur, poterit etiam de nonnullis dogmatibus tractari, prout suo tempore in congregationibus proponentur.

ABBREVIATA EST DIES SESSIONIS

SESSIO VIGESIMAQUINTA,

Quæ est nona & ultima sub Pio IV. pontifice maximo, cœpta die tertia, absoluta die IV. Decembris MDLXIII.

Decretum de purgatorio.

SESSIO XXV. 3. & 4. Dec. 1563.

CUM catholica ecclesia, Spiritu sancto edocta, ex sacris literis & antiqua patrum traditione in sacris conciliis, & novissime in hac œcumenica synodo, docuerit purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili altaris sacrificio, juvari; præcipit sancta synodus episcopis, ut sanam de purgatorio doctrinam, a sanctis patribus & sacris conciliis traditam, a Christi fidelibus credi, teneri, doceri, & ubique prædicari diligenter studeant. Apud rudem vero plebem difficiliores ac subtiliores quæstiones, quæque ad ædificationem non faciunt, & ex quibus plerumque nulla fit pietatis accessio, a popularibus concionibus secludantur. Incerta item, vel quæ specie falsi laborant, evulgari ac tractari non permittant. Ea vero, quæ ad curiositatem quamdam aut superstitionem spectant, vel turpe lucrum sapiunt, tanquam scandala & fidelium offendicula prohibeant. Curent autem episcopi, ut fidelium vivorum suffragia, missarum scilicet sacrificia, orationes, eleemosynæ, aliaque pietatis opera, quæ

Sessione 22. cap. 2. & can. 3. & 6. can. 30.

Florent. sess. ult. in fine.

Later. V. sub Leone X.

Cap. 4. de ref. infra.

SESSIO XXV. 3. & 4. Dec. 1563.

quæ a fidelibus pro aliis fidelibus defunctis fieri consueverunt, secundum ecclesiæ instituta pie & devote fiant; & quæ pro illis ex testatorum fundationibus, vel alia ratione debentur, non perfunctorie, sed a sacerdotibus & ecclesiæ ministris, & aliis qui hoc præstare tenentur, diligenter & accurate persolvantur.

De invocatione, veneratione, & reliquiis sanctorum, & sacris imaginibus.

Mandat sancta synodus omnibus episcopis, & ceteris, docendi munus curamque sustinentibus, ut juxta catholicæ & apostolicæ ecclesiæ usum a primævis Christianæ religionis temporibus receptum, sanctorumque patrum consensionem, & sacrorum conciliorum decreta, in primis, de sanctorum intercessione, invocatione, reliquiarum honore, & legitimo imaginum usu, fideles diligenter instruant, docentes eos, sanctos una cum Christo regnantes orationes suas pro hominibus Deo offerre; bonum atque utile esse suppliciter eos invocare; & ob beneficia impetranda a Deo per Filium ejus Jesum Christum dominum nostrum, qui solus noster redemptor & salvator est, ad eorum orationes, opem, auxiliumque confugere; illos vero, qui negant sanctos æterna felicitate in cœlo fruentes invocandos esse, aut qui asserunt vel illos pro hominibus non orare, vel eorum, ut pro nobis etiam singulis orent, invocationem esse idololatriam, vel pugnare cum verbo Dei, adversarique honori unius mediatoris Dei & hominum Jesu Christi, vel stultum esse in cœlo regnantibus voce vel mente supplicare, impie sentire.

Sess. 22. c. 1. de sacrificio missæ.

1. Tom. 2.

Sanctorum quoque martyrum & aliorum cum Christo viventium sancta corpora, quæ viva membra fuerunt Christi, & templum Spiritus sancti, ab ipso ad æternam vitam suscitanda & glorificanda, a fidelibus veneranda esse: per quæ multa beneficia a Deo hominibus præstantur: ita ut affirmantes sanctorum reliquiis venerationem atque honorem non deberi, vel eas, aliaque sacra monumenta a fidelibus inutiliter honorari, atque eorum opis impetrandæ causa sanctorum memorias frustra frequentari, omnino damnandos esse, prout jampridem eos damnavit, & nunc etiam damnat ecclesia.

1. Cor. 3. S. Hier. adversus Vigilantium &c.

Nic. II. c. 7.

Imagines porro Christi, deiparæ virginis, & aliorum sanctorum, in templis præsertim, habendas & retinendas, eisque debitum honorem & venerationem impertiendam, non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas, vel virtus, propter quam sint colendæ; vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat a gentibus, quæ in idolis rem suam collocabant; sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant: ita ut per imagines, quas osculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Christum adoremus, & sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur. Id quod conciliorum, præsertim vero secundæ Nicænæ synodi, decretis contra imaginum oppugnatores est sancitum.

Psal. 134.

Conc. Nicæni II. act. 3. 4. & 6.

Illud vero diligenter doceant episcopi, per historias mysteriorum nostræ redemptionis, picturis, vel aliis similitudinibus expressas, eruditi & confirmari populum in articulis fidei commemorandis, & assidue recolendis; tum vero ex omnibus sacris imaginibus magnum fructum percipi, non solum, quia admonetur populus beneficiorum & munerum, quæ a Christo sibi collata sunt; sed etiam, quia Dei per sanctos miracula & salutaria exempla oculis fidelium subjiciuntur, ut pro iis Deo gratias agant, ad sanctorumque imitationem vitam moresque suos componant, excitenturque ad adorandum ac diligendum Deum, & ad pietatem colendam. Si quis autem his decretis contraria docuerit, aut senserit, anathema sit.

ANNO CHRISTI 1563.

In has autem sanctas & salutares observationes, si qui abusus irrepserint, eos prorsus aboleri sancta synodus vehementer cupit, ita ut nullæ falsi dogmatis imagines, & rudibus periculosi erroris occasionem præbentes statuantur. Quod si aliquando historias & narrationes sacræ scripturæ, cum id indoctæ plebi expediet, exprimi & figurari contigerit, doceatur populus non propterea divinitatem figurari, quasi corporeis oculis conspici, vel coloribus aut figuris exprimi possit. Omnis porro superstitio in sanctorum invocatione, reliquiarum veneratione, & imaginum sacro usu tollatur; omnis turpis quæstus eliminetur, omnis denique lascivia vitetur, ita ut procaci venustate imagines non pingantur, nec ornentur; & sanctorum celebratione, ac reliquiarum visitatione homines ad commessationes atque ebrietates non abutantur; quasi festi dies in honorem sanctorum per luxum ac lasciviam agantur. Postremo tanta circa hæc diligentia & cura ab episcopis adhibeatur, ut nihil inordinatum, aut præpostere, & tumultuarie accommodatum, nihil profanum, nihilque inhonestum appareat, cum domum Dei deceat sanctitudo.

Cap. ultimo de reliquiis & veneratione sanctorum.

Psal. 92.

Hæc ut fidelius observentur, statuit sancta synodus, nemini licere ullo in loco vel ecclesia, etiam quomodolibet exempta, ullam insolitam ponere vel ponendam curare imaginem, nisi ab episcopo approbata fuerit; nulla etiam admittenda esse nova miracula, nec novas reliquias recipiendas, nisi eodem recognoscente & approbante episcopo: qui simul atque de iis aliquid compertum habuerit, adhibitis in consilium theologis, & aliis piis viris, ea faciat quæ veritati & pietati consenteanea judicaverit. Quod si aliquis dubius aut difficilis abusus sit extirpandus, vel omnino aliqua de iis rebus gravior quæstio incidat, episcopus, antequam controversiam dirimat, metropolitani & comprovincialium episcoporum in concilio provinciali sententiam expectet; ita tamen ut nihil inconsulto sanctissimo Romano pontifice novum aut in ecclesia hactenus insitatum decernatur.

DE REGULARIBUS ET MONIALIBUS.

Eadem sacrosancta synodus reformationem prosequens, ea quæ sequuntur, statuenda esse censuit.

CAPUT I.

Regulares omnes, ad regulæ quam professi sunt præscriptum, vitam instituant: id ut fiat, superiores sedulo curent.

Quoniam non ignorat sancta synodus, quantum ex monasteriis pie institutis & recte administratis in ecclesia Dei splendoris atque utilitatis oriatur, necessarium esse censuit, quo facilius ac maturius, ubi collapsa est, vetus & regularis disciplina instauretur, & constantius ubi conservata est perseveret, præcipere, prout hoc decreto præ-

ANNO CHRISTI 1563.

præcipit, ut omnes regulares, tam viri quam mulieres, ad regulæ, quam professi sunt, præscriptum vitam instituant & componant; atque in primis quæ ad suæ professionis perfectionem, ut obedientiæ, paupertatis & castitatis, ac, si quæ alia sunt alicujus regulæ & ordinis peculiaria vota & præcepta; ad eorum respective essentiam, nec non ad communem vitam, victum, & vestitum conservanda, pertinentia, fideliter observent. Omnisque cura & diligentia a superioribus adhibeatur, tam in capitulis generalibus & provincialibus, quam in eorum visitationibus, quæ suis temporibus facere non prætermittant, ut ab illis non recedatur; cum compertum sit, ab eis non posse ea quæ ad substantiam regularis vitæ pertinent, relaxari. Si enim illa, quæ bases sunt & fundamenta totius regularis disciplinæ, exacte non fuerint conservata, totum corruat ædificium necesse est.

CAPUT II.

Proprietas regularibus omnino prohibetur.

Nemini igitur regularium, tam virorum quam mulierum, liceat bona immobilia vel mobilia, cujuscumque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita, tanquam propria, aut etiam nomine conventus, possidere vel tenere, sed statim ea superiori tradantur, conventuique incorporentur. Nec deinceps liceat superioribus bona stabilia alicui regulari concedere, etiam ad usumfructum, vel usum, administrationem, aut commendam. Administratio autem bonorum monasteriorum, seu conventuum, ad solos officiales eorumdem, ad nutum superiorum amovibiles, pertineat. Mobilium vero usum ita superiores permittant, ut eorum supellex statui paupertatis, quam professi sunt, conveniat: nihilque superflui in ea sit, nihil etiam, quod sit necessarium, eis denegetur. Quod si aliquis quidquam tenere deprehensus aut convictus fuerit, is biennio activa & passiva voce privatus sit, atque etiam juxta suæ regulæ & ordinis constitutiones puniatur.

Mog. sub Leone IV. c. 14.

CAPUT III.

Omnia monasteria, quæ hic non prohibentur, possunt possidere bona immobilia: numerus personarum in illis pro modo facultatum aut eleemosynarum constituendus: nulla sine licentia episcopi erigenda.

Concedit sancta synodus omnibus monasteriis & domibus tam virorum quam mulierum, & Mendicantium, exceptis domibus fratrum sancti Francisci Capuccinorum, & eorum qui Minorum de observantia vocantur, etiam quibus aut ex constitutionibus suis erat prohibitum, aut ex privilegio apostolico non erat concessum, ut deinceps bona immobilia eis possidere liceat. Quod si aliqua loca ex prædictis, quibus auctoritate apostolica similia bona possidere permissum erat, eis spoliata sint, eadem omnia illis restituenda esse decernit. In prædictis autem monasteriis & domibus tam virorum quam mulierum, bona immobilia possidentibus, vel non possidentibus, is tantum numerus constituatur, ac in posterum conservetur, qui vel ex reditibus propriis monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis commode possit sustentari: nec de cetero similia loca erigantur sine episcopi, in cujus diœcesi erigenda sunt, licentia prius obtenta.

SESSIO XXV. 3. Dec. 1563.

CAPUT IV.

Regularis sine superioris licentia nec se obsequio alterius loci aut personæ subjiciat; nec a conventu recedat: absens studiorum causa in conventibus commoretur.

Prohibet sancta synodus, ne quis regularis, sine sui superioris licentia, prædicationis, vel lectionis, aut cujusvis pii operis prætextu, subjiciat se obsequio alicujus prælati, principis, vel universitatis, vel communitatis, aut alterius cujuscumque personæ, seu loci; neque ei aliquod privilegium aut facultas ab aliis super iis obtenta suffragetur. Quod si contra fecerit, tanquam inobediens arbitrio superioris puniatur. Nec liceat regularibus a suis conventibus recedere, etiam prætextu ad superiores suos accedendi, nisi ab eisdem missi aut vocati fuerint. Qui vero sine prædicto mandato in scriptis obtento repertus fuerit, ab ordinariis locorum tanquam desertor sui instituti puniatur. Illi autem, qui studiorum causa ad universitates mittuntur, in conventibus tantum habitent; alioquin ab ordinariis contra eos procedatur.

CAPUT V.

Clausulæ monialium, præsertim quæ extra urbes agunt, providetur.

Bonifacii octavii constitutionem, quæ incipit: Periculoso, renovans sancta synodus, universis episcopis, sub obtestatione divini judicii, & interminatione maledictionis æternæ, præcipit, ut in omnibus monasteriis sibi subjectis ordinaria, in aliis vero sedis apostolicæ auctoritate, clausuram sanctimonialium, ubi violata fuerit diligenter restitui, & ubi inviolata est conservari maxime procurent; inobedientes atque contradictores per censuras ecclesiasticas, aliasque pœnas, quacumque appellatione postposita, compescentes, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis. Quod auxilium ut præbeatur omnes Christianos principes hortatur sancta synodus, & sub excommunicationis pœna, ipso facto incurrenda, omnibus magistratibus sæcularibus injungit. Nemini autem sanctimonialium liceat post professionem exire a monasterio, etiam ad breve tempus, quocumque prætextu, nisi aliqua ex legitima causa, ab episcopo approbanda, indultis quibuscumque & privilegiis non obstantibus. Ingredi autem intra septa monasterii nemini liceat, cujuscumque generis aut conditionis, sexus, vel ætatis fuerit, sine episcopi vel superioris licentia in scriptis obtenta, sub excommunicationis pœna, ipso facto incurrenda. Dare autem tantum episcopus vel superior licentiam debet in casibus necessariis, neque alius ullo modo possit, etiam vigore cujuscumque facultatis vel indulti hactenus concessi, vel in posterum concedendi. Et quia monasteria sanctimonialium, extra mœnia urbis vel oppidi constituta, malorum hominum prædæ & aliis facinoribus sine ulla sæpe custodia sunt exposita, curent episcopi & alii superiores, si ita videbitur expedire, ut sanctimoniales ex iis ad nova vel antiqua reducantur, invocato etiam auxilio, si opus fuerit, brachii sæcularis: impedientes vero, vel non obedientes, per censuras ecclesiasticas parere compellant.

In sexto, lib. 3. de statu reg. c. unico.

Hispal. II. c. 11. Cabil. III. c. 63.

SESSIO XXV. 3. Dec. 1563.

ANNO CHRISTI 1563.

CAPUT VI.

Ratio eligendi superiores.

In electione superiorum quorumcumque, abbatum temporalium, & aliorum officialium, ac generalium, & abbatissarum, atque aliarum præpositarum, quo omnia recte & sine ulla fraude fiant, in primis sancta synodus districte præcipit, omnes supradictos eligi debere per vota secreta, ita ut singulorum eligentium nomina nunquam publicentur. Nec in posterum liceat provinciales, aut abbates, priores, aut alios quoscumque titulares, ad effectum electionis faciendæ constituere, aut voces & suffragia absentium supplere. Si vero contra hujus decreti constitutionem aliquis electus fuerit, electio irrita sit; & is, qui ad hunc effectum se in provincialem, abbatem, aut priorem creari permiserit, deinceps ad omnia officia in religione obtinenda inhabilis existat; facultatesque super his concessæ eo ipso abrogatæ censeantur: &, si in posterum aliæ concedantur, tanquam subreptitiæ habeantur.

CAPUT VII.

Quæ & quomodo in abbatissas & quocumque nomine præfectas eligendæ: duobus monasteriis nulla præficiatur.

Abbatissa, & prioriſſa, & quocumque alio nomine præfecta, vel præposita appelletur, eligatur non minor annis quadraginta, & quæ octo annis post expressam professionem laudabiliter vixerit, Matth. 19. Quod si his qualitatibus non reperiatur in eodem monasterio, ex alio ejusdem ordinis eligi possit. Si hoc etiam incommodum superiori, qui electioni præest, videatur, ex iis, quæ in eodem monasterio annum trigesimum excesserint, & quinque saltem annis post professionem recte vixerint, episcopo vel alio superiore consentiente, eligatur. Duobus vero monasteriis nulla præficiatur. Et si qua Idem 17. Epaun. 9. Cabill. 12. duo vel plura quocumque modo obtinet, cogatur, uno excepto, intra sex menses cetera resignare. Post id vero tempus, nisi resignaverit, omnia ipso jure vacent. Is vero, qui electioni præest, episcopus, sive alius superior, claustra monasterii non ingrediatur, sed ante cancellorum fenestellam vota singularum audiat, vel accipiat. In reliquis serventur singulorum ordinum vel monasteriorum constitutiones.

CAPUT VIII.

Regimen monasteriorum non habentium ordinarios regulares visitatores quomodo instituendum.

Monasteria omnia, quæ generalibus capitulis aut episcopis non subsunt, nec suos habent ordinarios regulares visitatores, sed sub immediata sedis apostolicæ protectione ac directione regi consueverunt, teneantur infra annum a fine præsentis concilii, & deinde quolibet triennio sese in congregationes redigere juxta formam constitutionis Innocentii tertii in concilio generali, quæ incipit, Later. IV. Cap. 12. In singulis, ibique certas regulares personas deputare, quæ de modo & ordine, de prædictis congregationibus erigendis, ac statutis in eis exequendis deliberent & statuant. Quod si in his negligentes fuerint, liceat metropolitano, in cujus provincia prædicta monasteria sunt, tanquam sedis apostolicæ delegato, eos pro prædictis causis convocare. Quod si infra limites unius provinciæ non sit sufficiens talium monasteriorum numerus ad erigendam congregationem, possint duarum vel trium provinciarum monasteria unam facere congregationem. Ipsis autem congregationibus constitutis, illarum generalia capitula, & ab illis electi præsides, vel visitatores eamdem habeant auctoritatem in suæ congregationis monasteria, ac regulares in eis commorantes, quam alii præsides ac visitatores in ceteris habent ordinibus, teneanturque suæ congregationis monasteria frequenter visitare, & illorum reformationi incumbere, & ea observare, quæ in sacris canonibus, & in hoc sacro concilio sunt decreta. Quod si etiam metropolitano instante prædicta exequi non curaverint, episcopis, in quorum diœcesibus loca prædicta sita sunt, tanquam sedis apostolicæ delegatis subdantur.

"Toto titulo de statu reg. in 6. & in Clementinis eod. c. Exiit de verb. sig. in 6. & Clem. Exivi, eod.

CAPUT IX.

Monialium monasteria immediate subjecta sedi apostolicæ ab episcopo regantur; alia vero a deputatis in capitulis generalibus, vel aliis regularibus.

Monasteria sanctimonialium, sanctæ sedi apostolicæ immediate subjecta, etiam sub nomine capitulorum sancti Petri, vel sancti Joannis, vel alias quomodocumque nuncupentur, ab episcopis, tanquam dictæ sedis delegatis, gubernentur; non obstantibus quibuscumque. Quæ vero a deputatis in capitulis generalibus, vel ab aliis regularibus reguntur, sub eorum cura & custodia relinquantur.

CAPUT X.

Moniales unoquoque mense confiteantur & communicent: de confessario extraordinario iis ab episcopo provideatur: apud illas extra publicam ecclesiam eucharistia non conservetur.

Attendant diligenter episcopi, & ceteri superiores, monasteriorum sanctimonialium, ut in constitutionibus earum admoneantur sanctimoniales, ut saltem semel singulis mensibus confessionem peccatorum faciant, & sacrosanctam eucharistiam suscipiant; ut eo se salutari præsidio muniant ad omnes oppugnationes dæmonis fortiter superandas. Præter ordinarium autem confessorem alius extraordinarius ab episcopo, & aliis superioribus, bis aut ter in anno offeratur, qui omnium confessiones audire debeat. Quod vero sanctissimum Christi corpus intra chorum, vel septa monasterii, & non in publica ecclesia conservetur, prohibet sancta synodus; non obstante quocumque indulto aut privilegio.

CAPUT XI.

In monasteriis quibus imminet cura personarum sæcularium præter eas quæ sunt de illorum familia, visitet episcopus, & eidem curæ præficiendas examinet, certis exceptis.

In monasteriis, seu domibus virorum, seu mulierum, quibus imminet animarum cura personarum sæcularium, præter eas, quæ sunt de illorum monasteriorum seu locorum familia, personæ tam regulares quam sæculares hujusmodi curam exercentes subsint immediate in iis, quæ ad dictam curam & sacramentorum administrationem pertinent, jurisdictioni, visitationi, & correctioni episcopi, in cujus diœcesi sunt sita. Nec ibi aliqui, etiam ad nutum amovibiles, deputentur,

Anno Christi 1563.

tur, nisi de ejusdem consensu ac prævio examine per eum, aut ejus vicarium, faciendo, excepto monasterio Cluniacensi cum suis limitibus, & exceptis etiam iis monasteriis seu locis, in quibus abbates generales, aut capita ordinum, sedem ordinariam principalem habent, atque aliis monasteriis seu domibus, in quibus abbates, aut alii regularium superiores, jurisdictionem episcopalem & temporalem in parochos & parochianos exercent; salvo tamen eorum episcoporum jure, qui majorem in prædicta loca vel personas jurisdictionem exercent.

CAPUT XII.

Conformentur regulares sæcularibus in observatione censurarum episcopalium & festorum diœcesis.

Censuræ & interdicta, nedum a sede apostolica emanata, sed etiam ab ordinariis promulgata, mandante episcopo, a regularibus in eorum ecclesiis publicentur, atque serventur. Dies etiam festi, quos in diœcesi sua servandos idem episcopus præceperit, ab exemptis omnibus etiam regularibus serventur.

CAPUT XIII.

Controversias de præcedentia e vestigio componat episcopus. Exempti non in strictiori clausura viventes ad supplicationes publicas accedere compellantur.

Controversias omnes de præcedentia, quæ persæpe maximo cum scandalo oriuntur inter ecclesiasticas personas tam sæculares quam regulares, cum in processionibus publicis, tum in iis quæ fiunt in tumulandis defunctorum corporibus, & in deferenda umbella, & aliis similibus, episcopus amota omni appellatione, & non obstantibus quibuscumque, componat. Exempti autem omnes, tam clerici sæculares quam regulares quicumque, etiam monachi ad publicas processiones vocati, accedere compellantur; iis tantum exceptis qui in strictiori clausura perpetuo vivunt.

CAPUT XIV.

Regulari publice delinquenti pœna a quo irroganda.

Regularis non subditus episcopo, qui intra claustra monasterii degit, & extra ea ita notorie deliquerit, ut populo scandalo sit; episcopo instante, a suo superiore intra tempus ab episcopo præfigendum severe puniatur, ac de punitione episcopum certiorem faciat: sin minus, a suo superiore officio privetur, & delinquens ab episcopo puniri possit.

CAPUT XV.

Professio non fiat nisi anno probationis exacto, & decimosexto ætatis completo.

In quacumque religione, tam virorum quam mulierum, professio non fiat ante decimumsextum annum expletum; nec qui minore tempore, quam per annum, post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur. Professio autem antea facta sit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicujus regulæ, vel religionis, vel ordinis observationem, aut ad alios quoscumque effectus.

Sessio XXV. 3. Dec. 1563.

CAPUT XVI.

Renunciatio aut obligatio facta ante duos menses proximos professioni sit nulla. Finita probatione, novitii aut profiteantur aut ejiciantur. In pio clericorum societatis Jesu instituto nihil innovatur. Cavetur ne quid ex bonis novitii monasterio tribuatur ante professionem.

Nulla quoque renunciatio aut obligatio antea facta, etiam cum juramento, vel in favorem cujuscumque causæ piæ, valeat, nisi cum licentia episcopi, sive ejus vicarii, fiat intra duos menses proximos ante professionem; ac non alias intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione: aliter vero facta, etiamsi cum hujus favoris expressa renunciatione, etiam jurata, sit irrita & nullius effectus. Finito tempore novitiatus, superiores novitios, quos habiles invenerint, ad profitendum admittant, aut e monasterio eos ejiciant. Per hæc tamen sancta synodus non intendit aliquid innovare aut prohibere, quin religio clericorum societatis Jesu, juxta pium eorum institutum a sancta sede apostolica approbatum, domino & ejus ecclesiæ inservire possit. Sed neque ante professionem, excepto victu & vestitu, novitii vel novitiæ illius temporis, quo in probatione est, quocumque prætextu a parentibus, vel propinquis, aut curatoribus ejus, monasterio aliquid ex bonis ejusdem tribuatur; ne hac occasione discedere nequeat, quo totam vel majorem partem substantiæ suæ monasterium possideat, nec facile, si discesserit, id recuperare possit; quin potius præcepit sancta synodus sub anathematis pœna dantibus & recipientibus, ne hoc ullo modo fiat, & ut abeuntibus ante professionem omnia restituantur quæ sua erant: quod ut recte fiat, episcopus etiam per censuras ecclesiasticas, si opus fuerit, compellat.

CAPUT XVII.

Puella major duodecim annis si habitum regularem suscipere voluerit, exploretur ab ordinario; iterumque ante professionem.

Libertati professionis virginum Deo dicandarum prospiciens sancta synodus, statuit atque decernit, ut si puella, quæ habitum regularem suscipere voluerit, major duodecim annis sit, non ante suscipiat, nec postea ipsa, vel alia professionem emittat, quam exploraverit episcopus, vel eo absente vel impedito, ejus vicarius, aut aliquis eorum sumptibus ab eis deputatus, virginis voluntatem diligenter, an coacta, an seducta sit, an sciat quid agat: & si voluntas ejus pia ac libera cognita fuerit, habueritque conditiones requisitas juxta monasterii illius & ordinis regulam, nec non monasterium fuerit idoneum, libere ei profiteri liceat, cujus professionis tempus ne episcopus ignoret, teneatur præfecta monasterii eum ante mensem certiorem facere; quod si præfecta certiorem episcopum non fecerit, quamdiu episcopo videbitur, ab officio suspensa sit.

CAPUT XVIII.

Ne quis prater quam in casibus a jure expressis, cogat mulierem ad ingrediendum monasterium, aut ingredi volentem prohibeat: pœnitentium seu convertitarum constitutiones serventur.

Anathemati sancta synodus subjicit omnes

XXV

SESSIO XXII. 5. Dec. 1563.

& singulas personas, cujuscumque qualitatis, vel conditionis fuerint, tam clericos quam laicos, sæculares vel regulares, atque etiam qualibet dignitate fungentes, si quomodocumque coegerint aliquam virginem, vel viduam, aut aliam quamcumque mulierem, invitam, præterquam in casibus in jure expressis, ad ingrediendum monasterium, vel ad suscipiendum habitum cujuscumque religionis, vel ad emittendam professionem, quique consilium, auxilium vel favorem dederint; quique scientes eam non sponte ingredi monasterium, aut habitum suscipere, aut professionem emittere, quoquo modo eidem actui vel præsentiam, vel consensum, vel auctoritatem interposuerint. Simili quoque anathemati subjicit eos, qui sanctam virginum vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi, quoquo modo sine justa causa impedierint. Eaque omnia & singula, quæ ante professionem, vel in ipsa professione, fieri oportet, serventur, non solum in monasteriis subjectis episcopo, sed & in aliis quibuscumque. Ab his tamen excipiuntur mulieres, quæ pœnitentes aut convertitæ appellantur, in quibus constitutiones earum serventur.

Tolet. III. can. 10.

Tolet. IV. c. 54.

CAPUT XIX.

Quomodo in causis deficientium a religione procedendum.

Quicumque regularis prætendat se per vim & metum ingressum esse religionem, aut etiam dicat ante ætatem debitam professum fuisse, aut quid simile, velitque habitum dimittere quacumque de causa, aut etiam cum habitu discedere sine licentia superiorum, non audiatur, nisi intra quinquennium tantum a die professionis, & tunc non aliter, nisi causas, quas prætenderit, deduxerit coram superiore suo & ordinario. Quod si antea habitum sponte dimiserit, nullatenus ad allegandum quacumque causam admittatur, sed ad monarium redire cogatur, & tanquam apostata puniatur; interim vero nullo privilegio suæ religionis juvetur. Nemo etiam regularis cujuscumque facultatis vigore transferatur ad laxiorem religionem; nec detur licentia cuiquam regulari occulte ferendi habitum suæ religionis.

Arel. I. cap. ult. & II. c. 25.

Sess. 24. c. 11. de ref.

CAPUT XX.

Superiores ordinum episcopis non subjecti inferiora monasteria visitent ac corrigant, etiam commendata.

Abbates, qui sunt ordinum capita, ac ceteri prædictorum ordinum superiores, episcopis non subjecti, quibus est in alia inferiora monasteria prioratusve legitima jurisdictio, eadem illa sibi subdita monasteria & prioratus, suo quisque loco atque ordine, ex officio visitent, etiamsi commendata existant. Quæ cum ordinum suorum capitibus subsint, declarat sancta synodus in iis, quæ alias de visitatione monasteriorum commendatorum definita sunt, non esse comprehensa: teneanturque quicumque prædictorum ordinum monasteriis præsunt, prædictos visitatores recipere, & illorum ordinationes exequi. Ipsa quoque monasteria, quæ sunt ordinum capita, juxta sanctæ sedis apostolicæ & cujusque ordinis constitutiones visitentur. Et quamdiu durabunt hujusmodi commendæ, priores claustrales, aut in prioratibus conventum habentibus superiores, qui correctiones & spirituale regimen exercent, a capitulis generalibus, vel ipsorum ordinum visitatoribus instituantur. In ceteris omnibus præfatorum ordinum privilegia & facultates, quæ ipsorum personas, & loca & jura concernunt, firma sint & illæsa.

Supra sessione 21. cap. 8. de ref.

ANNO CHRISTI 1563.

CAPUT XXI.

Monasteria regularibus conferantur: Ordinum capita nemini in posterum commendentur.

Cum pleraque monasteria, etiam abbatiæ, prioratus, & præposituræ, ex mala eorum, quibus commissa fuerunt, administratione, non levia passa fuerint, tam in spiritualibus quam in temporalibus, detrimenta; cupit sancta synodus ea ad congruam monasticæ vitæ disciplinam omnino revocare. Verum adeo dura difficilisque est præsentium temporum conditio, ut nec statim omnibus, nec commune ubique, quod optaret, remedium possit adhiberi: ut tamen nihil prætermittat, unde prædictis salubriter aliquando provideri possit, primum quidem confidit, sanctissimum Romanum pontificem pro sua pietate & prudentia curaturum, quantum hæc tempora ferre posse viderit, ut iis, quæ nunc commendata reperiuntur, & quæ suos conventus habent, regulares personæ, ejusdem ordinis expresse professæ, & quæ gregi præire & præesse possint, præficiantur. Quæ vero in posterum vacabant, non nisi regularibus spectatæ virtutis & sanctitatis conferantur. Quoad ea vero monasteria, quæ capita sunt ac primates ordinum, sive abbatiæ, sive prioratus, filiæ illorum capitum nuncupantur, teneantur illi, qui in præsenti ea in commendam obtinent, nisi sit eis de regulari successore provisum, infra sex menses religionem illorum ordinum propriam solenniter profiteri, aut iis cedere: alias commendæ prædictæ ipso jure vacare censeantur. Ne autem in prædictis omnibus & singulis fraus aliqua adhiberi possit, mandat sancta synodus, ut in provisionibus dictorum monasteriorum qualitas singulorum nominatim exprimatur; aliterque facta provisio subreptitia esse censeatur, nullaque subsequenti possessione, etiam triennali, adjuvetur.

Later. V. sub Leone X. sess. 9. de ref. curiæ.

Sess. 14. c. 10. de ref.

CAPUT XXII.

Prædicta de reformatione regularium nulla mora interposita observentur.

Hæc omnia & singula, in superioribus decretis contenta, observari sancta synodus præcipit in omnibus cœnobiis ac monasteriis, collegiis ac domibus quorumcumque monachorum ac regularium, nec non quarumcumque sanctimonialium virginum ac viduarum, etiam si illæ sub gubernio militiarum, etiam Hierosolymitanæ, vivant, & quocumque nomine appellentur, sub quacumque regula, vel constitutionibus, & sub custodia, vel gubernatione, vel quavis subjectione, aut annexione, vel dependentia cujuscumque ordinis, mendicantium, vel non mendicantium, vel aliorum regularium monachorum, aut canonicorum quorumcumque; non obstantibus eorum omnium & singulorum privilegiis, sub quibuscumque formulis verborum conceptis, ac Mare magnum appellatis, etiam in fundatione obtentis, nec non constitutionibus & regulis etiam juratis, atque etiam consuetudinibus, vel præscriptionibus, etiam immemorabilibus. Si quis vero regulares tam

Bulla Pii IV. quæ incipit. In principis apostolorum.

viri

ANNO CHRISTI 1563.

viri quam mulieres ſunt qui ſub arctiori regula vel ſtatutis vivunt, excepta facultate habendi bona ſtabilia in communi, eos ab eorum inſtituto & obſervantia ſancta ſynodus amovere non intendit. Et quia ſancta ſynodus deſiderat ut omnia & ſingula ſupradicta quamprimum executioni demandentur, præcipit omnibus epiſcopis in monaſteriis ſibi ſubjectis, & in omnibus aliis ipſis in ſuperioribus decretis ſpecialiter commiſſis, atque omnibus abbatibus, & generalibus, & aliis ſuperioribus ordinum ſupradictorum, ut ſtatim prædicta exequantur. Et ſi quid executioni mandatum non ſit, epiſcoporum negligentiam concilia provincialia ſuppleant & coerceant; regularium vero, capitula provincialia & generalia, & in defectum capitulorum generalium, concilia provincialia per deputationem aliquorum ejuſdem ordinis provideant. Hortatur etiam ſancta ſynodus omnes reges, principes, reſpublicas, & magiſtratus, & in virtute ſanctæ obedientiæ præcipit, ut velint prædictis epiſcopis, abbatibus, ac generalibus & ceteris præfectis in ſuperius contentæ reformationis executione ſuum auxilium & auctoritatem interponere, quoties fuerint requiſiti, ut ſine ullo impedimento præmiſſa recte exequantur ad laudem Dei omnipotentis.

DECRETUM DE REFORMATIONE.

CAPUT I.

Cardinales, & omnes eccleſiarum prælati modeſtam ſupellectilem & menſam habeant: conſanguineos familiareſque ſuos ex bonis eccleſiarum non augeant.

Optandum eſt, ut ii qui epiſcopale miniſterium ſuſcipiunt, quæ ſuæ ſint partes agnoſcant, ac ſe non ad propria commoda, non ad divitias aut luxum, ſed ad labores & ſolicitudines pro Dei gloria vocatos eſſe intelligant. Nec enim dubitandum eſt, & fideles reliquos ad religionem innocentiamque facilius inflammandos, ſi præpoſitos ſuos viderint non ea quæ mundi ſunt, ſed animarum ſalutem ac cœleſtem patriam cogitantes. Hæc cum ad reſtituendam eccleſiaſticam diſciplinam præcipua eſſe ſancta ſynodus animadvertat, admonet epiſcopos omnes, ut ſecum ea ſæpe meditantes factis etiam ipſis ac vitæ actionibus (quod eſt veluti perpetuum quoddam prædicandi genus) ſe muneri ſuo conformes oſtendant. In primis vero ita mores ſuos omnes componant, ut reliqui ab eis frugalitatis, modeſtiæ, continentiæ, ac quæ nos tantopere commendat Deo, ſanctæ humilitatis exempla petere poſſint. Quapropter exemplo patrum noſtrorum in concilio Carthaginenſi, non ſolum jubet, ut epiſcopi modeſta ſupellectili & menſa, ac frugali victu contenti ſint, verum etiam in reliquo vitæ genere, ac tota ejus domo caveant ne quid appareat, quod a ſancto hoc inſtituto ſit alienum, quodque non ſimplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum præ ſe ferat. Omnino vero eis interdicit, ne ex redditibus eccleſiæ conſanguineos, familiareſve ſuos augere ſtudeant: cum & apoſtolorum canones prohibeant ne res eccleſiaſticas quæ Dei ſunt conſanguineis donent, ſed, ſi pauperes ſint, iis ut pauperibus diſtribuant, eas autem non diſtrahant, nec diſſipent illorum cauſa; imo quam maxime poteſt eos ſancta ſynodus monet, ut omnem humanum hunc erga fratres, nepotes, propinquoſque carnis affectum, unde multorum malorum in eccleſia ſeminarium extat, penitus deponant. Quæ vero de epiſcopis dicta ſunt, eadem non ſolum in quibuſcumque beneficia eccleſiaſtica tam ſæcularia quam regularia, obtinentibus, pro gradus ſui conditione obſervari; ſed & ad ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinales pertinere decernit, quorum conſilio apud ſanctiſſimum Romanum pontificem cum univerſalis eccleſiæ adminiſtratio nitatur, nefas videri poteſt non iis etiam virtutum inſignibus ac vivendi diſciplina eos fulgere, quæ merito omnium in ſe oculos convertant.

SESSIO XXV. 3. Decemb. 1563. Lateran. V. ſub Leone V. ſeſſ. 9. de ref.

Seſſ. 22. c. 1. de ref.

Concilii Carthaginenſis IV. cap. 15.

Canon. 39. apoſtolorum & 75. Conc. Antioch. c. 25.

CAPUT II.

A quibus nominatim decreta concilii ſolemniter recipi & doceri debeant.

Cogit temporum calamitas, & invaleſcentium hæreſum malitia, ut nihil ſit prætermittendum, quod ad populorum ædificationem, & catholicæ fidei præſidium videatur poſſe pertinere. Præcipit igitur ſancta ſynodus patriarchis, primatibus, archiepiſcopis, epiſcopis, & omnibus aliis, qui de jure vel conſuetudine in concilio provinciali intereſſe debent, ut in ipſa prima ſynodo provinciali, poſt finem præſentis concilii habenda, ea omnia & ſingula, quæ ab hac ſancta ſynodo definita & ſtatuta ſunt, palam recipiant; necnon veram obedientiam ſummo Romano pontifici ſpondeant & profiteantur, ſimulque hæreſes omnes, a ſacris canonibus & generalibus conciliis, præſertimque ab hac eadem ſynodo damnatas, publice deteſtentur & anathematizent. Idemque in poſterum quicumque in patriarchas, primates, archiepiſcopos, epiſcoposque promovendi, in prima ſynodo provinciali, in qua ipſi interfuerint, omnino obſervent. Quod ſi quis ex ſupradictis omnibus, quod abſit, renuerit; epiſcopi comprovinciales ſtatim ſummum Romanum pontificem admonere ſub pœna divinæ indignationis teneantur, interimque ab ejuſdem communione abſtineant. Ceteri vero omnes, ſive in præſenti, ſive in futurum beneficia eccleſiaſtica habituri, & qui in ſynodo diœceſana convenire debent, idem ut ſupra, in ea ſynodo, quæ primo quoque tempore celebrabitur, faciant & obſervent: alias ſecundum formam ſacrorum canonum puniantur. Ad hæc omnes ii, ad quos univerſitatum & ſtudiorum generalium cura, viſitatio & reformatio pertinet, diligenter curent ut ab eiſdem univerſitatibus canones & decreta hujus ſanctæ ſynodi integre recipiantur, ad eorumque normam magiſtri, doctores, & alii in eiſdem univerſitatibus ea quæ catholicæ fidei ſunt doceant & interpretentur, ſeque ad hoc inſtitutum initio cujuslibet anni ſolemni juramento obſtringant; ſed & ſi aliqua alia in prædictis univerſitatibus correctione & reformatione digna fuerint, ab eiſdem, ad quos ſpectat, pro religionis & diſciplinæ eccleſiaſticæ augmento emendentur & ſtatuantur. Quæ vero univerſitates immediate ſummi Romani pontificis protectioni & viſitationi ſunt ſubjectæ; has ſua beatitudo per ejus delegatos; eadem qua ſupra ratione, & prout ei utilius viſum fuerit, ſalubriter viſitari & reformari curabit.

Seſſ. 24. c. 1. de ref.

Seſſ. 5. c. 1. de ref.

CAPUT III.

Excommunicationis gladio temere non utendum: ubi executio realis aut perſonalis fieri poteſt, a cenſuris abſtinendum; iiſque civili magiſtratui ſe immiſcere nefas eſto.

Quamvis excommunicationis gladius nervus ſit eccleſiaſticæ diſciplinæ, & ad continendos in officio

Sessio XXV. Decemb. 1563.

officio populos valde salutaris, fobrie tamen magnaque circumspectione exercendus est, cum experientia doceat si temere, aut levibus ex rebus incutiatur, magis contemni, quam formidari, & perniciem potius parere, quam salutem. Quapropter excommunicationes illæ, quæ monitionibus præmissis, ad finem revelationis, ut ajunt, aut pro deperditis seu subtractis rebus ferri solent, a nemine prorsus, præterquam ab episcopo decernantur; & tunc non alias, quam ex re non vulgari, causaque diligenter ac magna maturitate per episcopum examinata, quæ ejus animum moveat, nec ad eas concedendas cujusvis sæcularis etiam magistratus auctoritate adducatur, sed totum hoc in ejus arbitrio & conscientia sit positum; quando ipse pro re, loco, persona, aut tempore, eas decernendas esse judicaverit. In causis vero judicialibus mandatur omnibus judicibus ecclesiasticis, cujuscumque dignitatis existant, ut quandocumque executio realis vel personalis in qualibet parte judicii propria auctoritate ab ipsis fieri poterit, abstineant se tam in procedendo quam definiendo a censuris ecclesiasticis, seu interdicto; sed liceat eis, si expedire videbitur, in causis civilibus, ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentibus, contra quoscumque, etiam laicos, per mulctas pecuniarias, quæ locis piis, ibi existentibus, eo ipso quod exactæ fuerint, assignentur, seu per captionem pignorum, personarumque districtionem, per suos proprios, aut alienos executores faciendam, sive etiam per privationem beneficiorum, aliaque juris remedia procedere, & causas definire. Quod si executio realis vel personalis adversus reos hac ratione fieri non poterit, sitque erga judicem contumacia, tunc eos etiam anathematis mucrone arbitrio suo, præter alias pœnas, ferire poterit. In causis quoque criminalibus ubi executio realis vel personalis, ut supra, fieri poterit, erit a censuris abstinendum; sed si dictæ executioni facile locus esse non possit, licebit judici hoc spirituali gladio in delinquentes uti, si tamen delicti qualitas, præcedente bina saltem monitione, etiam per edictum, id postulet. Nefas autem sit sæculari cuilibet magistratui prohibere ecclesiastico judici, ne quem excommunicet, aut mandare ut latam excommunicationem revocet, sub prætextu quod contenta in præsenti decreto non sint observata; cum non ad sæculares, sed ad ecclesiasticos hæc cognitio pertineat. Excommunicatus vero quicumque, si post legitimas monitiones non resipuerit, non solum ad sacramenta, & communionem fidelium, ac familiaritatem non recipiatur; sed si obdurato animo censuris annexus in illis per annum insorduerit, etiam contra eum, tanquam de hæresi suspectum, procedi possit.

Aurel. V. cap. 2.

A B C D

CAPUT IV.

Ubi nimius est missarum faciendarum numerus, statuant episcopi, abbates & generales ordinum, quod expedire judicaverint.

E

Contingit sæpe in quibusdam ecclesiis vel tam magnum missarum celebrandarum numerum ex variis defunctorum relictis impositum esse, ut illis pro singulis diebus a testatoribus præscriptis nequeat satisfieri; vel eleemosynam hujusmodi pro illis celebrandis adeo tenuem esse, ut non facile inveniatur qui velit huic se muneri subjicere, unde depereunt piæ testantium voluntates, & eorum conscientias, ad quos prædicta spectant, onerandi occasio datur, sancta synodus, cupiens hæc ad pios usus relicta, quo plenius & utilius potest, impleri, facultatem dat episcopis ut in synodo diœcesana, itemque abbatibus & generalibus ordinum, ut in suis capitulis generalibus, re diligenter perspecta, possint pro sua conscientia in prædictis ecclesiis, quas hac provisione indigere cognoverint, statuere circa hæc, quidquid magis ad Dei honorem & cultum, atque ecclesiarum utilitatem viderint expedire, ita tamen, ut eorum semper defunctorum commemoratio fiat, qui pro suarum animarum salute legata ea ad pios usus reliquerint.

Anno Christi 1563. Sess. 22. c. 6. de ref.

CAPUT V.

Rebus bene constitutis annexum onus habentibus nihil detrahatur.

Ratio postulat ut illis, quæ bene constituta sunt, contrariis ordinationibus non detrahatur, quando igitur ex beneficiorum quorumcumque erectione, seu fundatione, aut aliis constitutionibus, qualitates aliquæ requiruntur, seu certa illis onera sunt injuncta, in beneficiorum collatione, seu quacumque alia dispositione eis non derogetur. Idem in præbendis theologalibus, magistralibus, doctoralibus, aut presbyteralibus, diaconalibus, ac subdiaconalibus, quandocumque ita constitutæ fuerunt, observetur, ut eorum qualitatibus vel ordinibus nihil in ulla provisione detrahatur; & aliter facta provisio subreptitia censeatur.

CAPUT VI.

Quomodo se gerere debeat episcopus quoad visitationem capitulorum exemptorum.

Statuit sancta synodus, ut in omnibus ecclesiis cathedralibus & collegiatis decretum sub felicis recordationis Paulo tertio, quod incipit, Capitula cathedralium, observetur, non solum quando episcopus visitaverit; sed & quoties ex officio, vel ad petitionem alicujus, contra aliquem ex contentis in dicto decreto procedat: ita tamen, ut cum extra visitationem processerit, infrascripta omnia locum habeant, videlicet ut capitulum initio cujuslibet anni eligat ex capitulo duos, de quorum consilio & assensu episcopus, vel ejus vicarius, in formando processum, quam in ceteris omnibus actibus usque ad finem causæ inclusive, coram notario tamen ipsius episcopi, & in ejus domo, aut consueto tribunali procedere teneatur. Unum autem tantum sit utriusque votum, possitque alter episcopo accedere: quod si ambo ab episcopo discordes in aliquo actu, seu interlocutoria vel definitiva sententia fuerint, tunc intra sex dierum spatium cum episcopo tertium eligant: & si in electione tertii etiam discordent, ad viciniorem episcopum electio devolvatur; & juxta eam partem, cum qua tertius convenier, articulus, in quo erat discordia, terminetur: alias processus & inde secura nulla sint, nullosque producant juris effectus. In criminibus tamen ex incontinentia provenientibus, de qua in decreto de concubinariis, & in atrocioribus delictis, depositionem aut degradationem requirentibus, ubi de fuga timetur, ne judicium eludatur, & ideo opus sit personali detentione, possit initio solus episcopus ad summariam informationem, & necessariam detentionem procedere, servato tamen in reliquis ordine præmisso. In omnibus autem casibus ea ratio habeatur, ut juxta qualitatem delicti ac personarum, delinquentes ipsi in loco decenti custodiantur. Episcopis præterea ubique

Supra sessione 6. de reformatione c. 4 & sess. 14. c. 4. de ref.

Supra sessione 24. c. 8. de reformatione & infra c. 14.

Carth. II. 35.

ANNO CHRISTI 1563.

ubique is honos tribuatur, qui eorum dignitati A pareſt, eiſque in choro & in capitulo, in proceſſionibus, & aliis actibus publicis ſit prima ſedes & locus, quem ipſi elegerint, & præcipua omnium rerum agendarum auctoritas. Quod ſi aliquid canonicis ad deliberandum proponant, nec de re ad ſuum vel ſuorum commodum ſpectante agatur, epiſcopi ipſi capitulum convocent, vota exquirant, & juxta ea concludant. Abſente vero epiſcopo omnino hoc ab iis de capitulo, ad quos hoc de jure vel conſuetudine ſpectat, perficiatur; nec ad id vicarius epiſcopi admittatur. Ceteris autem in rebus capituli juriſdictio & poteſtas, ſi qua eis competit, & bonorum adminiſtratio ſalva & intacta omnino relinquantur. Qui vero non obtinent dignitates, nec ſunt de capitulo, ii omnes in cauſis eccleſiaſticis epiſcopo ſubjiciantur: B non obſtantibus, quoad ſupradicta, privilegiis, etiam ex fundatione competentibus, nec non conſuetudinibus etiam immemorabilibus, ſententiis, juramentis, concordiis, quæ tantum ſuos obligent auctores; ſalvis tamen in omnibus privilegiis, quæ univerſitatibus ſtudiorum generalium, ſeu earum perſonis, ſunt conceſſa. Hæc autem omnia & ſingula in iis eccleſiis locum non habeant, in quibus epiſcopi, aut eorum vicarii, ex conſtitutionibus, vel privilegiis, aut conſuetudinibus, ſive concordiis, ſeu quocumque alio jure majorem habent poteſtatem, auctoritatem, ac juriſdictionem, quam præſenti decreto ſit comprehenſum, quibus ſancta ſynodus derogare C non intendit.

CAPUT VII.

Acceſſus & regreſſus ad beneficia tolluntur: Coadjutor quomodo, cui, & ex qua cauſa concedendus.

Cum in beneficiis eccleſiaſticis ea quæ hæreditariæ ſucceſſionis imaginem referunt ſacris conſti- Conc. Rom. ſub Hilaro c. 4. & Later. II. c. 16. tutionibus ſint odioſa, & patrum decretis contraria, nemini in poſterum acceſſus aut regreſſus, etiam de conſenſu, ad beneficium eccleſiaſticum cujuſcumque qualitatis concedatur: nec hactenus conceſſi ſuſpendantur, extendantur, aut transferantur. Hocque decretum in quibuſcumque beneficiis eccleſiaſticis, ac etiam cathedralibus eccleſiis, ac in quibuſcumque perſonis, etiam cardinalatus honore fulgentibus, locum habeat. In coadjutoriis quoque cum futura ſucceſſione idem poſthac obſervetur, ut nemini in quibuſcumque beneficiis eccleſiaſticis permittantur. Quod ſi quando eccleſiæ cathedralis aut monaſterii urgens neceſſitas, aut evidens utilitas poſtu- Seſſ. 21. c. 6. de ref. Seſſione 7. c. 1. & 3. & ſeſſione 21. cap. 2. de reformatione. let, prælato dari coadjutorem, is non alias cum futura ſucceſſione detur, quam hæc cauſa prius diligenter a ſanctiſſimo Romano pontifice ſit cognita, & qualitates omnes in illo concurrere certum ſit, quæ a jure & decretis hujus ſanctæ ſynodi in epiſcopis & prælatis requiruntur; alias conceſſiones ſuper his factæ ſubreptitiæ eſſe cenſeantur. E

CAPUT VIII.

Adminiſtratorum hoſpitalium munus: eorum negligentia, a quibus & qua ratione coercenda.

Admonet ſancta ſynodus quoſcumque eccleſiaſtica beneficia ſæcularia ſeu regularia obtinentes, ut hoſpitalitatis officium a ſanctis patribus frequenter commendatum, quantum per eorum proventus licebit, prompte benigneque exercere aſſueſcant, memores eos, qui hoſpitalitatem amant, Chriſtum in hoſpitibus recipere: illis vero, qui hoſpitalia vulgo nuncupata, ſeu alia pia loca, ad peregrinorum, infirmorum, ſenum, pauperumve uſum præcipue inſtituta, in commendam, adminiſtrationem, aut quemcumque titulum, aut etiam eccleſiis ſuis unita, obtinent, vel ſi eccleſiæ parochiales, hoſpitalibus forte unitæ, aut in hoſpitalia erectæ, earumque patronis in adminiſtrationem conceſſæ ſint, præcipit omnino ut impoſitum illis onus officiumve adminiſtrent, atque hoſpitalitatem, quam debent, ex fructibus ad id deputatis, actu exerceant, juxta conſtitutionem concilii Viennenſis alias in hac eadem ſynodo ſub felicis recordationis Paulo tertio innovatam, quæ incipit, Quia contingit. Quod ſi hoſpitalia hæc ad certum peregrinorum, aut infirmorum, aut aliarum perſonarum genus ſuſcipiendum fuerint inſtituta, nec in loco, ubi ſunt dicta hoſpitalia, ſimiles perſonæ, aut perpaucæ reperiantur, mandat adhuc, ut fructus illorum in alium pium uſum, qui eorum inſtitutioni proximior ſit, ac pro loco & tempore utilior, convertantur, prout ordinario cum duobus de capitulo, qui rerum uſu peritiores ſint, per ipſum deligendis, magis expedire viſum fuerit: niſi aliter forte, etiam in hunc eventum, in eorum fundatione, aut inſtitutione fuerit expreſſum: quo caſu quod ordinatum fuit, obſervari curet epiſcopus: aut, ſi id non poſſit, ipſe prout ſupra, utiliter provideat. Itaque ſi prædicti omnes & ſinguli, cujuſcumque ordinis, & religionis, & dignitatis, etiamſi laici fuerint, qui adminiſtrationem hoſpitalium habent, non tamen regularibus ſubjecti, ubi viget regularis obſervantia, ab ordinario moniti, hoſpitalitatis munus, adhibitis omnibus, ad quæ tenentur, neceſſariis, reipſa obire ceſſaverint, non ſolum per eccleſiaſticas cenſuras, & alia juris remedia, ad id compelli poſſint; ſed etiam hoſpitalis ipſius adminiſtratione curave perpetuo privari poſſint; aliique eorum loco ab iis, ad quos ſpectabit, ſubſtituantur. Et prædicti nihilo minus etiam ad fructuum reſtitutionem, quos contra ipſorum hoſpitalium inſtitutionem perceperunt, quæ nulla eis remiſſione aut compoſitione indulgeatur, in foro conſcientiæ teneantur: nec adminiſtratio, ſeu gubernatio hujuſmodi locorum uni & eidem perſonæ ultra triennium deinceps committatur; niſi aliter in fundatione cautum reperiatur; non obſtante, quoad omnia ſupradicta, quacumque unione, exemptione, & conſuetudine in contrarium, etiam immemorabili, ſeu privilegiis, aut indultis quibuſcumque.

SESSIO XXV. 3. Decemb. 1563. *Matth.* 25.

Clem. Quia contingit. De relig. dom. ſup. ſeſſione 7. cap. ult. & ſeſſ. 22. cap. 9. de reformatione.

CAPUT IX.

Quomodo probandum jus patronatus: cui deferendum munus patronorum: acceſſiones vetitæ: quibus id juris non acquiratur.

Sicut legitima patronatuum jura tollere, piaſque fidelium voluntates in eorum inſtitutione violare æquum non eſt; ſic etiam, ut hoc colore beneficia eccleſiaſtica in ſervitutem, quod a multis impudenter fit, redigantur, non eſt permittendum. Ut igitur debita in omnibus ratio Seſſ. 14. c. 12. de ref. obſervetur, decernit ſancta ſynodus, ut titulus juriſpatronatus ſit ex fundatione vel dotatione; qui ex authentico documento, & aliis jure requiſitis, oſtendatur; ſive etiam ex multiplicatis præſentationibus per antiquiſſimum temporis curſum,

Sessio XXV. Decemb. 1563.

sum, qui hominum memoriam excedat, aliasve secundum juris dispositionem. In iis vero personis, seu communitatibus, vel universitatibus, in quibus id jus plerumque ex usurpatione potius quæsitum præsumi solet, plenior & exactior probatio ad docendum verum titulum requiratur; nec immemorabilis temporis probatio aliter eis suffragetur, quam si, præter reliqua ad eam necessaria, præsentationes etiam continuatæ non minori saltem quam quinquaginta annorum spatio, quæ omnes effectum sortitæ sint, authenticis scripturis probentur. Reliqui patronatus omnes in beneficiis tam sæcularibus quam regularibus, seu parochialibus, vel dignitatibus, aut quibuscumque aliis beneficiis, in cathedrali vel collegiata ecclesia, seu facultates, & privilegia concessa tam in vim patronatus, quam alio quocumque jure, nominandi, eligendi, præsentandi ad ea, cum vacant (exceptis patronatibus super cathedralibus ecclesiis competentibus; & exceptis aliis, quæ ad imperatorem, & reges, seu regna possidentes, aliosque sublimes ac supremos principes, jura imperii in dominiis suis habentes, pertinent, & quæ in favorem studiorum generalium concessa sunt) in totum prorsus abrogata & irrita, cum quasi possessione inde secuta intelligantur: beneficiaque hujusmodi, tanquam libera, a suis collatoribus conferantur; ac provisiones hujusmodi plenum effectum consequantur. Ad hæc liceat ep sæpe præsentatos a patronis, si idonei non fuerint, repellere. Quod si ad inferiores institutio pertineat, ab episcopo tamen, juxta alias statuta ab hac sancta synodo, examinentur: alioquin institutio ab inferioribus facta irrita sit & inanis. Patroni autem beneficiorum, cujuscumque ordinis & dignitatis, etiamsi communitates, universitates, collegia quæcumque clericorum vel laicorum existant, in perceptione fructuum, proventuum, obventionum quorumcumque beneficiorum, etiamsi vere de jure patronatus ipsorum ex fundatione & dotatione essent, nullatenus, nulla causa vel occasione se ingerant; sed illos libere rectori, seu beneficiato, non obstante etiam quacumque consuetudine, distribuendos dimittant. Nec dictum jus patronatus, venditionis, aut alio quocumque titulo, in alios contra canonicas sanctiones transferre præsumant: si secus fecerint, excommunicationis & interdicti pœnis subjiciantur, & dicto jure patronatus ipso jure privati existant.

Sess. 24. c. 19. de ref.

Sess. 7. c. 13. & sess. 24. c. 15. de reformatione.

Cap. unico ut benef. eccles. sine diminis conferantur.

C. Quia clerici de jure patronatus.

Insuper accessiones per viam unionis factæ de beneficiis liberis ad ecclesias juri patronatus, etiam laicorum, subjectas, tam ad parochiales, quam ad alia quæcumque beneficia, etiam simplicia, seu dignitates, vel hospitalia, ita ut prædicta beneficia libera ejusdem naturæ cum iis quibuscum uniuntur efficiantur, atque sub jure patronatus constituantur; hæ si nondum plenarium sortitæ sunt effectum, vel deinceps ad cujusvis instantiam fient, quacumque auctoritate, etiam apostolica, concessæ fuerint, simul cum unionibus ipsis per subreptionem obtentæ intelligantur; non obstante quacumque in iis verborum forma, seu derogatione, quæ habeatur pro expressa: nec executioni amplius demandentur, sed beneficia ipsa unita, cum vacaverint, libere ut antea conferantur. Quæ vero a quadraginta annis citra factæ effectum & plenam incorporationem sunt consecutæ, hæ nihilo minus ab ordinariis, tanquam a sede apostolica delegatis, revideantur, & examinentur; ac quæ per subreptionem vel obreptionem obtentæ fuerint, simul cum unionibus irritæ declarentur; ac beneficia ipsa separentur, & aliis conferantur. Similiter quoque patronatus quicumque in ecclesiis, & quibuscumque aliis beneficiis, etiam dignitatibus, antea liberis, acquisiti a quadraginta annis citra, & in futurum acquirendi, seu ex augmento dotis, seu ex nova constructione, vel alia simili causa, etiam auctoritate sedis apostolicæ, ab iisdem ordinariis, uti delegatis, ut supra, qui nullius in his facultatibus aut privilegiis impediantur, diligenter cognoscantur; & quos non reperierint ob maxime evidentem ecclesiæ, vel beneficii, seu dignitatis necessitatem legitime constitutos esse, in totum revocent, atque beneficia hujusmodi sine damno illa possidentium; &, restitutio patronis eo quod ab eis idcirco datum est, in pristinum libertatis statum reducant, non obstantibus privilegiis, constitutionibus, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus.

Sess. 7. c. 6. de ref.

ANNO CHRISTI 1563.

CAPUT X.

Judices a synodo designandi qui delegentur a sede apostolica: a quibus & ordinariis causæ breviter terminandæ.

Quoniam ob malitiosam petentium suggestionem, & quandoque ob locorum longinquitatem, personarum notitia, quibus causæ mandantur, usque adeo haberi non potest, hinque interdum judicibus non undequaque idoneis causæ in partibus delegantur, statuit sancta synodus in singulis conciliis provincialibus aut diœcesanis aliquot personas, quæ qualitates habeant, juxta constitutionem Bonifacii octavi, quæ incipit, Statutum, & alioquin ad id aptas designari, ut præter ordinarios locorum, iis etiam posthac causæ ecclesiasticæ, ac spirituales, & ad forum ecclesiasticum pertinentes, in partibus delegandæ committantur. Et si aliquem interim ex designatis mori contigerit, substituat ordinarius loci cum consilio capituli alium in ejus locum, usque ad futuram provincialem aut diœcesanam synodum: ita ut habeat quæque diœcesis quatuor saltem aut etiam plures probatas personas, ac ut supra qualificatas, quibus hujusmodi causæ a quolibet legato vel nuncio, atque etiam a sede apostolica, committantur: alioquin post designationem factam, quam statim episcopi ad summum Romanum pontificem transmittant, delegationes quæcumque aliorum judicum aliis quam his factæ subreptitiæ censeantur. Admonet dehinc sancta synodus tam ordinarios quam alios quoscumque judices, ut terminandis causis, quanta fieri poterit brevitate studeant, ac litigatorum artibus, seu in litis contestatione, seu alia parte judicii differenda, modis omnibus, aut termini præfixione, aut competenti alia ratione occurrant.

Can. Statutum de reform. in 6.

Sess. 24. c. 20. de ref.

CAPUT XI.

Variæ locationes bonorum ecclesiasticorum prohibentur: quædam factæ irritantur.

Magnam ecclesiis perniciem afferre solet, cum earum bona repræsentata pecunia in successorum præjudicium aliis locantur. Omnes igitur hæ locationes, si anticipatis solutionibus fiant, nullatenus in præjudicium successorum validæ intelligantur, quocumque indulto aut privilegio non obstante, nec hujusmodi locationes in

Romana

ANNO CHRISTI 1563.

Romana curia, vel extra eam confirmentur. Non liceat etiam jurisdictiones ecclesiasticas, seu facultates nominandi, aut deputandi vicarios in spiritualibus locare, nec conductoribus per se aut alios ea exercere, aliterque concessiones, etiam a sede apostolica factæ, subreptitiæ censeantur. Locationes vero rerum ecclesiasticarum, etiam auctoritate apostolica confirmatas, sancta synodus irritas decernit, quas a triginta annis citra, ad longum tempus, seu ut in nonnullis partibus, ad vigintinovem, seu bis vigintinovem, annos vocant, factas, synodus provincialis, vel deputandi ab ea, in damnum ecclesiæ, & contra canonicas sanctiones contractas fuisse judicabunt.

Extravag. Ambitiosæ, de rebus ecclesiæ non alienandis.

CAPUT XII.

Decimæ integræ persolvendæ: eas subtrahentes excommunicandi: rectoribus ecclesiarum tenuium pie subveniendum.

Non sunt ferendi, qui variis artibus decimas ecclesiis obvenientes subtrahere moliuntur, aut qui ab aliis solvendas temere occupant, & in rem suam vertunt: cum decimarum solutio debita sit Deo, & qui eas dare noluerint, aut dantes impediunt, res alienas invadunt. Præcipit igitur sancta synodus omnibus cujuscumque gradus & conditionis sint, ad quos decimarum solutio spectat, ut eas, ad quas de jure tenentur, in posterum cathedrali, aut quibuscumque aliis ecclesiis, vel personis, quibus legitime debentur, integre persolvant. Qui vero eas aut subtrahunt, aut impediunt, excommunicentur, nec ab hoc crimine, nisi plena restitutione secuta, absolvantur. Hortatur dehinc omnes & singulos, pro Christiana caritate, debitoque erga pastores suos munere, ut de bonis sibi a Deo collatis, episcopis & parochis, qui tenuioribus præsunt ecclesiis, large subvenire ad Dei laudem, atque ad pastorum suorum, qui pro eis invigilant, dignitatem tuendam, non graventur.

Matisc. II. 5. Ticin. sub Leone IV.

Exod. 22. 23. Levit. 27. Num. 18. Tobiæ 1. Malach. 3.

CAPUT XIII.

Quartam funeralium cathedrales vel parochiales ecclesiæ recipiant.

Decernit sancta synodus, ut quibuscumque in locis, jam ante annos quadraginta, Quarta, quæ funeralium dicitur, cathedrali, aut parochiali ecclesiæ solita esset persolvi, ac postea fuerit ex quocumque privilegio aliis monasteriis, hospitalibus, aut quibuscumque locis piis concessa, eadem posthac integro jure, & eadem portione, quæ antea solebat, cathedrali, seu parochiali ecclesiæ persolvatur, non obstantibus concessionibus, gratiis, privilegiis, etiam Mari magno nuncupatis, aut aliis quibuscumque.

De sepulturis apud Greg. in 6. & Clement.

CAPUT XIV.

Præscribitur ratio procedendi in causis clericorum concubinariorum.

Quum turpe, ac clericorum nomine, qui se divino cultui addixerunt, sit indignum, in impudicitiæ sordibus, immundoque concubinatu versari, satis res ipsa communi fidelium omnium offensione, summoque clericalis militiæ dedecore testatur. Ut igitur ad eam, quam decet, continentiam ac vitæ integritatem ministri ecclesiæ revocentur, populusque hinc eo magis discat revereri, quo illos vita honestiores cognoverit, prohibet sancta synodus quibuscumque clericis, ne concubinas, aut alias mulieres, de quibus possit haberi suspicio, in domo, vel extra, detinere, aut cum iis ullam consuetudinem habere audeant: alioquin pœnis a sacris canonibus vel statutis ecclesiarum impositis puniantur. Quod si a superioribus moniti, ab iis se non abstinuerint; tertia parte fructuum, obventionum, ac proventuum beneficiorum suorum quorumcumque & pensionum ipso facto sint privati; quæ fabricæ ecclesiæ, aut alteri pio loco, arbitrio episcopi, applicetur. Sin vero in delicto eodem, cum eadem vel alia femina, perseverantes, secundæ monitioni adhuc non paruerint, non tantum fructus omnes ac proventus suorum beneficiorum, & pensiones eo ipso amittant, qui prædictis locis applicentur; sed etiam a beneficiorum ipsorum administratione, quoad ordinarius, etiam uti sedis apostolicæ delegatus, arbitrabitur, suspendantur: & si ita suspensi nihilominus eas non expellant, aut cum iis etiam versentur, tunc beneficiis, portionibus, ac officiis, & pensionibus quibuscumque ecclesiasticis perpetuo priventur, atque inhabiles ac indigni quibuscumque honoribus, dignitatibus, beneficiis, ac officiis in posterum reddantur, donec post manifestam vitæ emendationem ab eorum superioribus cum iis ex causa visum fuerit dispensandum. Sed si, postquam eas semel dimiserint, intermissum consortium repetere, aut alias hujusmodi scandalosas mulieres sibi adjungere ausi fuerint; præter prædictas pœnas, excommunicationis gladio plectantur. Nec quævis appellatio aut exemptio prædictam executionem impediat aut suspendat; supradictorumque omnium cognitio non ad archidiaconos, nec decanos, aut alios inferiores, sed ad episcopos ipsos pertineat, qui sine strepitu & figura judicii, & sola facti veritate inspecta, procedere possint. Clerici vero beneficia ecclesiastica, aut pensiones non habentes, juxta delicti & contumaciæ perseverantiam & qualitatem, ab ipso episcopo carceris pœna, suspensione ab ordine, ac inhabilitate ad beneficia obtinenda, aliisve modis juxta sacros canones puniantur. Episcopi quoque, quod absit, si ab hujusmodi crimine non abstinuerint, & a synodo provinciali admoniti se non emendaverint, ipso facto sint suspensi; &, si perseverent, etiam ad sanctissimum Romanum pontificem ab eadem synodo deferantur; qui pro qualitate culpæ, etiam per privationem, si opus erit, in eos animadvertat.

Later. II. 2.

Aurel. III. 4.

Toles. IV. 41. Toles. VIII. 4. 5. 6. & 9.

Supra c. 6.

Aurel. V. 3.

SESSIO XXV. 3. Decemb. 1563.

CAPUT XV.

Filii clericorum illegitimi a quibusdam beneficiis arcendi.

Ut paternæ incontinentiæ memoria a locis Deo consecratis, quos maxime puritas sanctitasque decet, longissime arceatur; non liceat filiis clericorum, qui non ex legitimo nati sunt matrimonio, in ecclesiis, ubi eorum patres beneficium aliquod ecclesiasticum habent, aut habuerunt, quodcumque etiam dissimile beneficium obtinere, nec in dictis ecclesiis quoquo modo ministrare, nec pensiones super fructibus beneficiorum, quæ parentes eorum obtinent, vel alias obtinuerunt, habere. Quod si in præsenti pater & filius in eadem ecclesia beneficia obtinere reperiantur, cogatur filius suum beneficium resigna-

Toles. I. 10.

Later. II. 21.

Sess. 24. c. 8. de ref. Nicæn. I. 3. Carth. III. 17. Matisc. I. 2. Arel. II. 3. Tol. II. 3. Bracar. I. 15. Tur. Mog. &c.

SESSIO XXV. 3. Decemb. 1563.

resignare, aut cum alio permutare extra ecclesiam intra trium mensium spatium; alias ipso jure eo privatus existat, & super iis quæcumque dispensatio subreptitia censeatur. Ad hæc reciprocæ resignationes, si quæ posthac a parentibus clericis in favorem filiorum fient, ut alter alterius beneficium consequatur, in fraudem hujus decreti, & canonicarum sanctionum factæ omnino censeantur; nec collationes secutæ, vigore hujusmodi resignationum, seu aliarum quarumcumque, quæ in fraudem factæ fuerint, ipsis clericorum filiis suffragentur.

CAPUT XVI.

Beneficia curata non convertantur in simplicia: ei in quem translata fuerit cura animarum, assignetur congrua portio: Vicariæ cessent, cura ad titulos revocata.

Statuit sancta synodus, ut ecclesiastica beneficia secularia, quocumque nomine appellentur, quæ curam animarum ex primæva eorum institutione, aut aliter quomodocumque retinent, illa deinceps in simplex beneficium, etiam assignata vicario perpetuo congrua portione, non convertantur; non obstantibus quibuscumque gratiis, quæ suum plenarium effectum non sunt consecutæ. In iis vero, in quibus contra earum institutionem, seu fundationem, cura animarum in vicarium perpetuum translata est, etiamsi in hoc statu ab immemorabili tempore reperiantur, si congrua portio fructuum vicario ecclesiæ, quocumque nomine is appelletur, non fuerit assignata, ea quamprimum, & ad minus intra annum a fine præsentis concilii, arbitrio ordinarii juxta formam decreti sub felicis recordationis Paulo tertio, assignetur. Quod si id commode fieri non possit, aut intra dictum terminum factum non erit; cum primum per cessum vel decessum vicarii, seu rectoris, aut quomodolibet alterum eorum vacaverit, beneficium curam animarum recipiat, ac vicariæ nomen cesset, & in antiquum statum restituatur.

Supra sess. 7. cap. 7. De reformat.

CAPUT XVII.

Episcopi dignitatem suam morum gravitate commendent; nec cum regum ministris, regulis, aut baronibus, indigna demissione se gerant.

Non potest sancta synodus non graviter dolere, audiens episcopos aliquos sui status oblitos pontificiam dignitatem non leviter dehonestare: qui cum regum ministris, regulis, & baronibus in ecclesia, & extra, indecenti quadam demissione se gerunt, & veluti, inferiores ministri altaris, nimis indigne non solum loco cedunt, sed etiam personaliter illis inserviunt. Quare hæc & similia detestans sancta synodus, sacros canones omnes, conciliaque generalia, atque alias apostolicas sanctiones ad dignitatis episcopalis decorem & gravitatem pertinentes renovando, præcipit, ut ab hujusmodi in posterum episcopi se abstineant; mandans eisdem ut tam in ecclesia, quam foris suum gradum & ordinem præ oculis habentes, ubique se patres & pastores esse meminerint, reliquis vero tam principibus, quam ceteris omnibus, ut eos paterno honore ac debita reverentia prosequantur.

Agath. c. 23. Brac. l. 24. supra c. 6.

CAPUT XVIII.

ANNO CHRISTI 1563.

Canones ad amussim serventur: si quando in eis dispensandum, id valide, mature, & gratis fiat.

Sicuti publice expedit legis vinculum quandoque relaxare, ut plenius evenientibus casibus & necessitatibus, pro communi utilitate satisfiat: sic frequentius legem solvere, exemploque potius quam certo personarum rerumque delectu petentibus indulgere, nil aliud est, quam unicuique ad leges transgrediendas aditum aperire. Quapropter sciant universi sacratissimos canones exacte ab omnibus, &, quoad ejus fieri poterit, indistincte observandos. Quod si urgens justaque ratio, & major quandoque utilitas postulaverint cum aliquibus dispensandum esse, id, causa cognita, ac summa maturitate, atque gratis, a quibuscumque, ad quos dispensatio pertinebit, erit præstandum; aliterque facta dispensatio subreptitia censeatur.

CAPUT XIX.

Monomachia, sive duellum pœnis gravissimis punitur.

Detestabilis duellorum usus fabricante diabolo introductus, ut cruentâ corporum morte animarum etiam perniciem lucretur, ex Christiano orbe penitus exterminetur, imperator, reges, duces, principes, marchiones, comites, & quocumque alio nomine domini temporales, qui locum ad monomachiam in terris suis inter Christianos concesserint, eo ipso sint excommunicati, ac jurisdictione & dominio civitatis, castri, aut loci, in quo vel apud quem duellum fieri permiserint, quod ab ecclesia obtinent, privati intelligantur; &, si feudalia sint, directis dominis statim acquirantur. Qui vero pugnam commiserint, & qui eorum patrini vocantur, excommunicationis, ac omnium bonorum suorum proscriptionis, ac perpetuæ infamiæ pœnam incurrant: & ut homicidæ juxta sacros canones puniri debeant: & si in ipso conflictu decesserint, perpetuo careant ecclesiastica sepultura. Illi etiam, qui consilium in causa duelli tam in jure quam facto dederint, aut alia quacumque ratione ad id quemquam suaserint, nec non spectatores, excommunicationis ac perpetuæ maledictionis vinculo teneantur; non obstante quocumque privilegio, seu prava consuetudine etiam immemorabili.

CAPUT XX.

Quæ sunt juris ecclesiastici, principibus sæcularibus commendantur.

Cupiens sancta synodus ecclesiasticam disciplinam in Christiano populo non solum restitui, sed etiam perpetuo sartam tectam a quibuscumque impedimentis conservari; præter ea, quæ de ecclesiasticis personis constituit, sæculares quoque principes officii sui admonendos esse censuit, confidens eos ut catholicos, quos Deus sanctæ fidei ecclesiæque protectores esse voluit, jus suum ecclesiæ restitui non tantum esse concessuros, sed etiam subditos suos omnes ad debitam erga clerum, parochos, & superiores ordines, reverentiam revocaturos; nec permissuros ut officiales, aut inferiores magistratus, ecclesiæ, & personarum ecclesiasticarum immunitatem,

ANNO CHRISTI 1563.

tatem, Dei ordinatione & canonicis sanctionibus constitutum, aliquo cupiditatis studio, seu inconsideratione aliqua, violent; sed una cum ipsis principibus debitam sacris summorum pontificum & conciliorum constitutionibus observantiam præstent. Decernit itaque & præcipit, sacros canones, & concilia generalia omnia, nec non alias apostolicas sanctiones, in favorem ecclesiasticarum personarum, libertatis ecclesiasticæ, & contra ejus violatores editas, quæ omnia præsenti etiam decreto innovat, exacte ab omnibus observari debere: prætereaque admonet imperatorem, reges, respublicas, principes, & omnes & singulos, cujuscumque status & dignitatis extiterint, ut quo largius bonis temporalibus, atque in alios potestate sunt ornati, eo sanctius, quæ ecclesiastici juris sunt, tanquam Dei præcipua, ejusque patrocinio tecta, venerentur, nec ab aliis baronibus, domicellis, rectoribus, aliisve dominis temporalibus, seu magistratibus, maximeque ministris ipsorum principum, lædi patiantur; sed severe in eos, qui illius libertatem, immunitatem, atque jurisdictionem impediunt, animadvertant, quibus etiam ipsimet exemplo ad pietatem, religionem, ecclesiarumque protectionem existant; imitantes anteriores optimos religiosissimosque principes, qui res ecclesiæ sua in primis auctoritate ac munificentia auxerunt, nedum ab aliorum injuria vindicarunt. Adeoque in ea re quisque officium suum sedulo præstet, quo cultus divinus devote exerceri, & prælati, ceterique clerici in residentiis & officiis suis quieti, & sine impedimentis, cum fructu & ædificatione populi permanere valeant.

Aquisgr. 5. Tiein. Lat. V. sub Leone X. sess. 9. & 10.

CAPUT XXI.

In omnibus salva sedis apostolicæ auctoritas maneat.

Postremo sancta synodus omnia & singula, sub quibuscumque clausulis & verbis, quæ de morum reformatione, atque ecclesiastica disciplina, tam sub felicis recordationis Paulo tertio, ac Julio tertio, quam sub beatissimo Pio quarto pontificibus maximis, in hoc sacro concilio statuta sunt, declarat ita decreta fuisse, ut in his salva semper sedis apostolicæ auctoritas & sit & esse intelligatur.

Sessione 7. de reform. fin princ.

DECRETUM DE CONTINUANDA SESSIONE IN DIEM SEQUENTEM.

Cum ea omnia, quæ in præsenti sessione tractanda erant, quia hora tarda est, commode expediri non possint, propterea juxta id quod in generali congregatione a patribus statutum fuit, ea quæ supersunt in diem crastinam, hanc eamdem sessionem continuando, differuntur.

CONTINUATIO SESSIONIS die quarta Decembris.

I.

Decretum de indulgentiis.

Cum potestas conferendi indulgentias a Christo ecclesiæ concessa sit, atque hujusmodi potestate divinitus sibi tradita, antiquissimis etiam temporibus illa usa fuerit, sacrosancta synodus indulgentiarum usum, Christiano populo maxime salutare, & sacrorum conciliorum auctoritate probatum, in ecclesia retinendum esse docet & præcipit; eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt; vel eas concedendi in ecclesia potestatem esse negant. In his tamen concedendis moderationem, juxta veterem & probatam in ecclesia consuetudinem, adhiberi cupit, ne nimia facilitate ecclesiastica disciplina enervetur. Abusus vero, qui in his irrepserunt, & quorum occasione insigne hoc indulgentiarum nomen ab hæreticis blasphematur, emendatos & correctos cupiens, præsenti decreto generaliter statuit, pravos quæstus omnes pro his consequendis, unde plurima in Christiano populo abusuum causa fluxit, omnino abolendos esse. Ceteros vero, qui ex superstitione, ignorantia, irreverentia, aut aliunde quomodocumque provenerunt, cum ob multiplices locorum & provinciarum, apud quas hi committuntur, corruptelas, commode nequeant specialiter prohiberi, mandat omnibus episcopis, ut diligenter quisque hujusmodi abusus ecclesiæ suæ colligat, eosque in prima synodo provinciali referat, ut aliorum quoque episcoporum sententia cogniti, statim ad summum Romanum pontificem deferantur: cujus auctoritate & prudentia quod universali ecclesiæ expedit statuatur; ut ita sanctarum indulgentiarum munus pie, sancte & incorrupte omnibus fidelibus dispensetur.

SESSIO XXV. 4. Decemb. 1563.

Matth. 16. Joan. 20. Tit. de pœn. & remiss. apud Greg. in 6. & Clem.

Nic. Antcyr. Neocæs. Agath. Carth. IV. Clar. Lat. I. Lug. II. Vienn. &c.

Clemetina Abusionibus de pœn. & rem.

Sess. 21. c. 9. de ref.

II.

De delectu ciborum, jejuniis, & diebus festis.

Insuper hortatur sancta synodus, & per sanctissimum domini nostri atque salvatoris adventum pastores omnes obtestatur, ut tanquam boni milites illa omnia, quæ sancta Romana ecclesia, omnium ecclesiarum magistra, statuit; nec non ea quæ tam in hoc concilio, quam in aliis œcumenicis statuta sunt, quibuscumque fidelibus sedulo commendent; omnique diligentia utatur, ut illis omnibus, & iis præcipue sint obsequentes, quæ ad mortificandam carnem conducunt, ut ciborum delectus, & jejunia, vel etiam quæ faciunt ad pietatem augendam, ut dierum festorum devota & religiosa celebratio; admonentes populos crebro obedire præpositis suis: quos qui audiunt, Deum remuneratorem audient; qui vero contemnunt, Deum ipsum ultorem sentient.

Luc. 10. Heb. 13.

III.

De indice librorum, catechismo, breviario, & missali;

Sacrosancta synodus in secunda sessione sub sanctissimo domino nostro Pio quarto celebrata delectis quibusdam patribus commisit, ut de variis censuris, ac libris vel suspectis vel perniciosis quid facto opus esset considerarent, atque ad ipsam sanctam synodum referrent; audiens nunc, huic operi ab eis extremam manum impositam esse, nec tamen ob librorum varietatem & multitudinem distincte & commode possit a sancta synodo dijudicari; præcipit ut quidquid ab illis præstitum est sanctissimo Romano pontifici exhibeatur, ut ejus judicio atque auctoritate terminetur & evulgetur. Idemque de catechismo a patribus, quibus illud mandatum fuerat, & de missali & breviario fieri mandat.

Supra sessione 18. in principio.

In regulis librorum prohibitorum. Sess. 24. c. 7. de ref.

SESSIO XXV. 4. Decemb. 1563.

IV.

De loco oratorum.

Sessione 2. in fine.

Declarat sancta synodus, ex loco assignato oratoribus tam ecclesiasticis, quam sæcularibus, in sedendo, incedendo, aut quibuscumque aliis actibus, nullum cuiquam eorum factum fuisse præjudicium; sed omnia illorum, & imperatoris, regum, & rerumpublicarum, ac principum suorum jura & prærogativas illæsas & salvas esse, in eodemque statu permanere, prout ante præsens concilium reperiebantur.

V.

De recipiendis & observandis decretis concilii.

Sessionibus 13. 15. 18.

Tanta fuit horum temporum calamitas, & hæreticorum inveterata malitia, ut nihil tam clarum in fide nostra asserenda unquam fuerit, aut tam certo statutum, quod non humani generis hoste suadente, illi errore aliquo contaminaverint; quapropter sancta synodus id potissimum curavit, ut præcipuos hæreticorum nostri temporis errores damnaret & anathematizaret; veramque & catholicam doctrinam traderet & doceret, prout damnavit, anathematizavit, & definivit. Cumque tamdiu tot episcopi ex variis Christiani orbis provinciis evocati sine magna gregis sibi commissi jactura, & universali periculo ab ecclesiis abesse non possint, nec ulla spes restet hæreticos, toties fide etiam publica, quam desiderarunt, invitatos, & tamdiu expectatos, huc amplius adventuros; ideoque tandem huic sacro concilio finem imponere necesse sit: supereſt nunc, ut principes omnes quod facit in domino moneat ad operam suam ita præstandam, ut quæ ab ea decreta sunt, ab hæreticis depravari aut violari non permittant; sed ab his, & omnibus devote recipiantur, & fideliter observentur. Quod si in his recipiendis aliqua difficultas oriatur, aut aliqua inciderint, quæ declarationem (quod non credit) aut definitionem postulent; præter alia remedia in hoc concilio instituta, confidit sancta synodus beatissimum Romanum pontificem curaturum ut vel evocatis, ex illis præsertim provinciis unde difficultas orta fuerit, iis, quos eidem negotio tractando viderit expedire, vel etiam concilii generalis celebratione, si necessarium judicaverit, vel commodiore quacumque ratione ei visum fuerit, provinciarum necessitatibus pro Dei gloria & ecclesiæ tranquillitate consulatur.

Videnda priora concilia generalia prioribus tomis a nobis excusa.

VI.

De recitandis decretis concilii sub Paulo tertio & Julio tertio in sessione.

Sess. 5. 6. 7. 13. 14.

Quoniam diversis temporibus, tam sub felicis recordationis Paulo tertio, quam Julio tertio, multa in hoc sacro concilio quoad dogmata ac morum reformationem statuta & definita sunt, vult sancta synodus, ut illa nunc recitentur & legantur.

Recitata sunt.

VII.

De fine concilii & confirmatione petenda a sanctissimo domino nostro.

Illustrissimi domini reverendissimique patres, placetne vobis, ut ad laudem Dei omnipotentis huic sacræ œcumenicæ synodo finis imponatur? & omnium & singulorum, quæ tam sub felicis recordationis Paulo tertio & Julio tertio, quam sub sanctissimo domino nostro Pio IV. Romanis pontificibus in ea decreta & definita sunt, confirmatio nomine sanctæ hujus synodi per apostolicæ sedis legatos & præsidentes a beatissimo Romano pontifice petatur?

ANNO CHRISTI 1563.

Responderunt: Placet.

Postmodum illustrissimus & reverendissimus cardinalis Moronus, primus legatus & præsidens, benedicens sanctæ synodo, dixit: Post gratias Deo actas, reverendissimi patres, ite in pace.

Qui responderunt: Amen.

VIII.

ACCLAMATIONES PATRUM IN FINE CONCILII.

Cardinalis a Lotharingia.

Beatissimo Pio papæ & domino nostro, sanctæ universalis ecclesiæ pontifici, multi anni & æterna memoria,

Responsio patrum.

Domine Deus, sanctissimum patrem diutissime ecclesiæ tuæ conserva: Multos annos.

Card. Beatissimorum summorum pontificum animabus, Pauli tertii, & Julii tertii, quorum auctoritate hoc sacrum generale concilium inchoatum est, pax a domino, & æterna gloria, atque felicitas in luce sanctorum.

Resp. Memoria in benedictione sit.

Card. Caroli quinti imperatoris, & sereniſſimorum regum, qui hoc universale concilium promoverunt & protexerunt, memoria in benedictione sit.

Resp. Amen, Amen.

Card. Sereniſſimo imperatori Ferdinando, semper Augusto, Orthodoxo, & Pacifico, & omnibus regibus, rebuspublicis, & principibus nostris, multi anni.

Resp. Pium & Christianum imperatorem domine conserva: Imperator cœlestis terrenos reges rectæ fidei conservatores custodi.

Card. Apostolicæ Romanæ sedis legatis & in hac synodo præsidentibus cum multis annis magnæ gratiæ.

Resp. Magnæ gratiæ: dominus retribuat.

Card. Reverendissimis cardinalibus & illustribus oratoribus.

Resp. Magnas gratias, Multos annos.

Card. Sanctissimis episcopis vita & felix ad ecclesias suas reditus.

Resp. Præconibus veritatis perpetua memoria: Orthodoxo senatui multos annos.

Card. Sacrosancta œcumenica Tridentina synodus: Ejus fidem confiteamur: Ejus decreta semper servemus.

Resp. Semper confiteamur: Semper servemus.

Card. Omnes ita credimus, omnes idipsum sentimus, omnes consentientes & amplectentes subscribimus. Hæc est fides beati Petri, & apostolorum, hæc est fides patrum, hæc est fides orthodoxorum.

Resp. Ita credimus, ita sentimus; ita subscribimus.

Card. His decretis inhærentes digni reddamur misericordiis & gratia primi & magni supremi sacerdotis Jesu Christi Dei, intercedente simul inviolata domina nostra sancta deipara, & omnibus sanctis.

Resp. Fiat, fiat. Amen, amen.

Card.

ANNO CHRISTI 1563.

Card. Anathema cunctis hæreticis. A
Resp. Anathema, anathema.

Post hæc mandatum fuit a legatis & præsidentibus sub pœna excommunicationis omnibus patribus, ut antequam discederent e civitate Tridentina, subscriberent manu propria decretis concilii; aut ea per publicum instrumentum approbarent. Qui omnes deinde subscripserunt, & fuerunt numero ducenti sexagintaquinque: videlicet, legati quatuor, cardinales duo, patriarchæ tres, archiepiscopi viginti quinque, episcopi centum sexaginta octo, abbates septem, procuratores absentium cum legitimo mandato triginta sex, generales ordinum septem.

LAUS DEO.

Concordat cum originali: in cujus fidem subscripsimus. B

Ego Angelus Massarellus, episcopus Thelesinus sacri concilii Tridentini secretarius.
Ego Marcus Antonius Peregrinus Comensis ejusdem concilii notarius.
Ego Cynthius Pamphilius, clericus Camerinensis diœcesis ejusdem concilii notarius.

NOMINA, COGNOMINA, PATRIÆ & dignitates LEGATORUM, *&* *aliorum* PATRUM, *item* ORATORUM, *&* THEOLOGORUM, *qui ad sacrosanctam œcumenicam* TRIDENTINAM SYNODUM *convenerunt sub Pio IV. pontifice maximo.* C

** *Archiepiscoporum & episcoporum promotiones hic adjunximus ex editione Lovanienſi anni* 1587. *& quædam alia idemtidem inseruimus ex editione Philippi Chiffletii, abbatis Balernenſis, sive Antuerpiana, sive Agrippinenſi anni* 1644. *Quæ enim notulis* " *designata sunt, ea desiderantur in editionibus Biniana, Luparenſi, aliisque vulgaribus, quas hactenus vidimus, quæque teruntur omnium manibus.*

Hercules Gonzaga, sanctæ Romanæ ecclesiæ presbyter cardinalis tituli sanctæ Mariæ Novæ, D Mantuanus: obiit Tridenti die secunda Martii, millesimo quingentesimo sexagesimo tertio, & sepultus est Mantuæ.

Hieronymus Seripandus, sanctæ Romanæ ecclesiæ presbyter cardinalis tituli sanctæ Susannæ, Neapolitanus; obiit Tridenti die decima octava Martii, millesimo quingentesimo sexagesimo tertio, & ibi sepultus in ecclesia sancti Marci ordinis eremitarum sancti Augustini, cujus olim fuerat generalis.

Joannes Moronus, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis, episcopus Prænestinus, Mediolanensis, in demortui cardinalis de Mantua locum missus," postea Ostiensis & sacri collegii decanus: obiit 1580. Kal. Dec. sepultus in æde san- E ctæ Mariæ supra Minervam.

Stanislaus Hosius, sanctæ Romanæ ecclesiæ presbyter cardinalis tituli sancti Laurentii in Palisperna, Polonus, civis & episcopus Warmiensis," postea pœnitentiarius major. Obiit Capranicæ 1579. Nonis Augusti, sepultus Romæ in æde sanctæ Mariæ trans Tiberim.

Ludovicus Simoneta, sanctæ Romanæ ecclesiæ presbyter cardinalis tituli sancti Cyriaci in Thermis, Mediolanensis" episcopus Pisaurensis. Obiit Romæ 1563. pridie Kalendas Maii sepultus in æde sanctæ Mariæ Angelorum.

ANNO CHRISTI 1563.

Marcus Syricus seu Siticus de Altaemps, sanctæ Romanæ ecclesiæ diaconus cardinalis basilicæ sanctorum duodecim apostolorum, Germanus," episcopus Constantiensis. Obiit Romæ 1595. mense Martio, sepultus in æde sanctæ Mariæ trans Tiberim.

Bernardus Navagerius, sanctæ Romanæ ecclesiæ presbyter cardinalis tituli sancti Nicolai Inter imagines, Venetus, in demortui cardinalis Seripandi locum missus." Obiit Veronæ 1565. pridie Kal. Junii sepultus in ecclesia cathedrali.

Cardinales non legati.

Carolus a Lotharingia, sanctæ Romanæ ecclesiæ presbyter cardinalis tituli sancti Apollinaris, princeps & archiepiscopus Rhemensis, Gallus," abbas Cluniaci. Obiit Avenione 1547. VII. Kalend. Januarii sepultus Rhemis in ecclesia metropolitana. 74

Ludovicus Madrutius, sanctæ Romanæ ecclesiæ diaconus cardinalis tituli sancti Callisti, civis & electus episcopus Tridentinus, Germanus," postea episcopus Tusculanus. Obiit Romæ 1600. 2. Aprilis, sepultus in sacello familiari sancti Onuphrii.

Oratores, quorum nomina hic describuntur juxta eorum loca, quæ in eadem sacrosancta synodo habuerunt.

Oratores ecclesiastici sedebant a manu legatorum, videlicet.

Antonius de Mulgitio, Moravus, archiepiscopus Pragensis, Orator Cæsareus.

Georgius Draskovitius, Croatus, episcopus Quinqueecclesiensis, orator Cæsareus pro regno Hungariæ, postea cardinalis," & archiepiscopus Colocensis. Obiit 1585. sepultus in cathedrali Giavarini ecclesia.

Valentinus Herbutus Polonus, episcopus Præmisliensis, orator serenissimi regis Poloniæ.

Marcus Antonius Bobba, Casalensis, episcopus Augustensis in Pedemontio, excellentissimi ducis Sabaudiæ orator, postea cardinalis.

Hieronymus de Gaddis, Florentinus, episcopus Cortonensis, orator excellentissimi ducis Florentiæ, missus in locum Joannis Strozzii.

Frater Martinus Royas Portalrubeo, Hispanus, orator religionis Hierosolymitanæ.

Oratores sæculares sedebant a manu sinistra legatorum.

Sigismundus a Tvun, Tridentinus, orator Cæsareus.

Oratores Christianissimi Galliarum regis.

Ludovicus de sancto Gelasio, dominus de Lansac,

Arnaldus du Ferrier, sive Ferrerius, præsidens in parlamento Parisiensi, &

Guido du Faur, sive Faber, judex major Tolosæ," postea advocatus regius, demum præses in suprema curia Parisiensi. Obiit Parisiis anno 1584.

Ferdinandus Martineus Mazcarenius orator serenissimi regis Portugalliæ.

PROMOTIONES

Oratores ſereniſſimi dominii Venetorum.

Nicolaus de Ponte doctor & eques, & Matthæus Dandulus, eques.

Melchior Luſſi, eques auratus, orator ſeptem cantonum Helvetiorum.

Auguſtinus Paungartner, juris utriuſque doctor, de Monachio, orator excellentiſſimi Alberti ducis Bavariæ.

Claudius Fernandez Quingnonii, ſive Vegil de Quinones, comes Lunenſis, orator regis catholici, in locum illuſtriſſimi Ferdinandi de Avalos marchionis Piſcariæ miſſus, obiit Tridenti die vigeſima Decembris, anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimotertio poſt finem concilii, ibique ſepultus eſt.

Hic ſeparatim ab aliis oratoribus ſedebat apud reverendiſſimum Theſeſinum ſecretarium ſanctæ ſynodi, ob contentionem ſuper præcedentia ortam inter ipſum & oratores regis Chriſtianiſſimi.

Patriarchæ.

Antonius Helvius, Juſtinopolitanus, patriarcha Hieroſolymitanus.

Daniel Barbarus, Venetus, electus patriarcha Aquilegienſis.

Joannes Hieronymus Triviſanus, Venetus, patriarcha Venetiarum.

"Archiepiſcoporum & epiſcoporum promotiones addidimus ex editione Lovanienſi.

Archiepiſcopi Pauli tertii.

Nov. 1530. Ferdinandus Annius, Neapolitanus, archiepiſcopus Amalphitanus, poſtea epiſcopus Bovinus.

Martii 1535 Petrus Landus, Venetus, archiepiſcopus Cretenſis.

Martii 1535 Petrus Antonius de Capua, Neapolitanus, archiepiſcopus Hydruntinus.

15. Auguſti 1536. Marcus Cornelius, Venetus, electus archiepiſcopus Spalatrenſis.

8. Mar. 1540. Sebaſtianus Leccavella, Græcus, ordinis Prædicatorum, archiepiſcopus Naxienſis, poſtea epiſcopus Litteranenſis.

Octob. 1540. Petrus Guerrero, Hiſpanus, archiepiſcopus Granatenſis.

April. 1548. Antonius Altovitus, Florentinus, archiepiſcopus Florentinus.

Julii 1548. Cæſar Cibo, Genuenſis, archiepiſcopus Taurinenſis, obiit Tridenti die vigeſimaſexta Decembris, anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimoſecundo.

Archiepiſcopi Julii tertii.

22. Ap. 1551. Paulus Æmilius Verallus, Romanus, archiepiſcopus Roſſanenſis, poſtea epiſcopus Caputaquenſis.

15. Julii 1551 Joannes Brunus de Olchinio Macedo, regni Serviæ primas, archiepiſcopus Antibarenſis.

3. Martii 1553. Joanbes Baptiſta Caſtaneus, Romanus, archiepiſcopus Roſſanenſis, poſtea S. R. E. cardinalis tit. S. Marcelli, Bononiæ legatus ac tandem pontifex maximus dictus Urbanus VII. per dies dumtaxat duodecim.

1554. Joannes Baptiſta Urſinus, Romanus, archiepiſcopus ſanctæ Severinæ.

Archiepiſcopi Pauli IV.

Julii 1555. Ludovicus Beccatellus, Bononienſis, archiepiſcopus Ragufinus.

5 Sept. 1556. Mutius Calinius, Brixienſis, archiepiſcopus Jaderenſis.

Sigiſmundus Saracenus, Neapolitanus, archiepiſcopus Materanus.

PROMOTIONES.

Antonius Parrages de Caſtillejo ſeu Caſtilegio, Hiſpanus, archiepiſcopus Calaritanus. Maii 1556. 4 Nov. 1558.

Julius Paveſius, Brixienſis, ordinis Prædicatorum, archiepiſcopus Surrentinus. 21. Julii 1558

Bartholomæus de Martyribus, Luſitanus, ordinis Prædicatorum, archiepiſcopus Bracarenſis. 28. Jan. 1559

Auguſtinus Salvago, Genuenſis, ordinis Prædicatorum, archiepiſcopus Genuenſis.

Archiepiſcopi Pii IV.

Philippus Mocenicus, Venetus, regni Cypri primas, & legatus natus, archiepiſcopus Nicoſienſis. Mart. 1560.

Guilielmus d'Avanſon, Gallus, archiepiſcopus Ebredunenſis, & abbas Montiſmajoris prope Arelate. Januar. 1560

Antonius Caucus, Venetus, archiepiſcopus Corcyrenſis. 29. Mart. 1560

Germanicus Bandinus, Senenſis, electus archiepiſcopus Senarum. 19 Jun. 1560.

Marcus Antonius Columna, Romanus, archiepiſcopus Tarentinus, poſtea cardinalis, "& archiepiſcopus Salernitanus. Obiit Zagarolæ 1597. ſepultus ibidem in monaſterio S. Mariæ ord. S. Franciſci. 19. Junii 1560

Gaſpar de Foſſo, Conſentinus, Calaber, ordinis ſancti Franciſci de Paula, archiepiſcopus Rheginus. 1560.

Antonius de Muglitio, Moravus, orator Cæſareus, archiepiſcopus Pragenſis. 5. Sep. 1561

Maximus de Maximis, Romanus, archiepiſcopus Amalphitanus. 16. Martii

Gaſpar Cervantes de Gaeta, Hiſpanus, archiepiſcopus Meſſanenſis, " poſtea Salernitanus & cardinalis. 19. Novemb. 1561.

Leonardus Marinus, Genuenſis, ordinis Prædicatorum, archiepiſcopus Lancianenſis. Janu. 1562.

Octavianus Præconius, Meſſanenſis, Siculus, ordinis Minorum conventualium ſancti Franciſci, archiepiſcopus Panormitanus. " Obiit Panormi 1578. 18. Julii ſepultus in æde majori. 14. Martii 1562.

Nicolaus de Pellevé, Gallus, archiepiſcopus Senonenſis, poſtea cardinalis, "& Archiepiſcopus Rhemenſis. Obiit Pariſiis 1594. Dec. 1562.

Antonius Juſtinianus, Chienſis, Græcus, ordinis Prædicatorum, archiepiſcopus Naxienſis. 21. Dec. 1562

Antonius Puteus, Nicienſis, archiepiſcopus Barenſis. 26. Dec. 1562

Epiſcopi Leonis X.

Vincentius Nicoſantius, de Fano, epiſcopus Arbenſis. 1514.

Joannes Franciſcus de Fliſco, Genuenſis, epiſcopus Andrienſis. Janu. 1517.

Joannes Thomas de ſancto Felicio, Neapolitanus, epiſcopus Cavenſis ſenior. 1519.

Epiſcopi Hadriani VI.

Quinctius de Ruſticis, Romanus, epiſcopus Militenſis. 1523.

Epiſcopi Clementis VII.

Lucas Byzantius de Catharo, epiſcopus Catharenſis. 3 Julii 1524.

Aloyſius Piſanus Venetus, epiſcopus Patavinus, poſtea cardinalis. " Obiit 1570. ult. Maii. 31. Nov. 1526.

Alexander

PROMOT.

6. Septemb. 1528. Alexander Piccolomineus, Senensis, episcopus Pientinus.

Febr. 1529. Dionysius Græcus, ordinis Minorum sancti Francisci de Observantia, episcopus Miloporamensis senior.

Sept. 1532. Gabriel le Veneur, Gallus, episcopus Ebroicensis.

1532. Guilielmus Barton de Montbas, Gallus, episcopus Lectorensis.

Episcopi Pauli III.

14. Junii 1536. Antonius a Camera, Sabaudus, episcopus Bellicensis.

8. Januarii 1537. Nicolaus Maria Caracciolus, Neapolitanus, episcopus Catanensis.

5. Martii 1536. Berardus Bonjoannes, Romanus, episcopus Camerinensis.

Julii 1537. Fabius Mirtus, Neapolitanus, episcopus Cajacensis.

Nov. 1538. Scipio Bongallus, Romanus, episcopus civitatis Castellanæ.

Nov. 1538. Georgius Cornelius Venetus, episcopus Tarvisinus.

14. Julii 1539. Vincentius Durantius, Brixiensis, episcopus Thermularum.

Jan. 1540. Mauritius de Petra, Papiensis, episcopus Viglevensis.

Febr. 1540. Martius de Martiis, Medices, Florentinus, episcopus Marsicensis.

Mart. 1540. Joannes Vincentius Michaelius, Barolitanus, episcopus Minerbinensis.

Maii 1540. Gabriel de Bouverii, Gallus, episcopus Andegavensis.

5. Dec. 1540. Leonardus Haller, Germanus, episcopus Philadelphiensis.

19. Januarii 1541. Ludovicus Vanninus de Theodolis, Forolivensis, episcopus Britonorensis, obiit Tridenti die 11. mensis Januarii anno millesimo quingentesimo sexagesimotertio.

11. Martii 1541. Ægidius Falcetta, Cingulanus, episcopus Caprulanus, postea Britonorensis.

12. Septemb. 1542. Julius Contarenus, Venetus, episcopus civitatis Bellunensis.

1542. Thomas Casellus, Rossanensis, ordinis Prædicatorum, episcopus Cavensis junior.

21. Decemb. 1542. Hippolytus Arivabenus, Mantuanus, episcopus Hierapetrensis.

6. Jul. 1543. Hieronymus Macchabæus, Romanus, episcopus Castrensis.

6. Aug. 1543. Petrus Augustinus, Hispanus, episcopus Oscensis & Jacensis.

Jan. 1544. Jacobus Naclantus, Florentinus, ordinis Prædicatorum, episcopus Clodiensis.

17. Martii 1544. Bartholomæus Sirigo, Cretensis, Græcus, episcopus Castellanetensis.

Dec. 1545. Thomas Stella, Venetus, ordinis Prædicatorum, episcopus Justinopolitanus.

15. Jun. 1545 Petrus du Val, Gallus, episcopus Sagiensis. "obiit Vicennis 1564.

Mart. 1545. Joannes Antonius Pantusa, Consentinus, episcopus Litterensis, obiit Tridenti die vigesimaseptima Octobris millesimo quingentesimo sexagesimosecundo.

3. Nov. 1545 Joannes Baptista de Grossis, Mantuanus, episcopus Regiensis.

24. Januarii 1546. Joannes Xuarez, Lusitanus, ordinis sancti Augustini, episcopus Conimbricensis.

27. Januarii 1546. Philippus Riccabella, Recanatensis, episcopus Recanatensis.

26. Maii 1546. Joannes Jacobus Barba, Neapolitanus, ordinis sancti Augustini, episcopus Interamnensis.

Michael a Turre Utinensis, episcopus Cenetensis, postea, presbyter cardinalis. " obiit 1586. sepultus in ecclesia Cenetensi. PROMOT. 7. Feb. 1546.

Pompejus Zambeccarius, Bononiensis, episcopus Sulmonensis. Mart. 1546.

Joannes Beroaldus, Panormitanus, episcopus sanctæ Agathæ. Mart. 1546.

Antonius Scarampus Aquensis, episcopus Nolanus. Aug. 1546.

Antonius de Comitibus, Genuensis, ordinis Prædicatorum, episcopus Brugnatensis. 5. Martii 1548.

Cæsar Fogga, Rossanensis, episcopus Umbriaticensis. 7. Maii 1548

Cæsar Comes a Gambara, Brixiensis, episcopus Tortonensis. 13. Maii 1548.

Joannes Baptista de Bernardis, Lucensis, episcopus Adiacensis. 13. Aprilis 1548.

Martinus Perezius de Ayala, Hispanus, episcopus Segobiensis. 16. Maii 1548.

Nicolaus Psalme Gallus, episcopus comes Virdunensis. "Hic canones & decreta concilii Tridentini revocata in artem, ordinem atque rubricas certaque capita, convenienti methodo digesta præfixis summariis excudenda curavit in 4. Virduni anno 1564. ad illustrissimum principem reverendissimumque cardinalem Carolum a Lotharingia Rhemensium archiepiscopum, &c. 4. Jun. 1548.

Alphonsus Rosettus, Ferrarienſis, episcopus Comaclensis, postea Ferrarienſis. 23. Octob. 1548.

Julius Parisianus, de Tolentino, episcopus Ariminensis. 9. Jan. 1549.

Bartholomæus Sebastianus, Hispanus, episcopus Pactensis. 9. Jan. 1549.

Franciscus Lambertus, Sabaudus, episcopus Nicienſis. Febr. 1549.

Maximilianus Doria, Genuensis, episcopus Naulensis. 28. Februari 1549.

Eustachius du Bellay, Gallus episcopus Parisiensis. Febr. 1549.

Bartholomæus de Capranica, Romanus, episcopus Carinensis. 10. Aprilis 1549.

Ennius Massarius, de Narnia episcopus Fetretranus. 29. Aprilis 1549.

Achilles Branca, Neapolitanus, episcopus Bovensis. Maii 1549.

Joannes Franciscus Verdura, Messanensis, episcopus Chironensis. 7. Jun. 1549.

Albertus Duimius de Gliricis, Catharensis, ordinis Prædicatorum, episcopus Veglensis. 26. Jul. 1549.

Joannes Antolinez de Bricianos de la Ribera, Hispanus, episcopus Juvenacensis. 25. Octob. 1549.

Tristanus de Bizet, Gallus, episcopus Xantonensis, "& abbas S. Nicolai de Bosco. Dec. 1550.

Episcopi Julii tertii.

Ascanius Gherardinus, de Amelia, episcopus Cattaconensis. 18. Martii 1550.

Marcus Gonzaga, Mantuanus, episcopus Ausserensis. April. 1550.

Balduinus de Baldovinis, Pisanus, episcopus Aversanus. April. 1550

Petrus Franciscus Palavicinus, Genuensis, episcopus Alerienſis. 30. Martii 1550.

Ægidius Fuscararius, Bononiensis, ordinis Prædicatorum, episcopus Mutinensis. Maii 1550.

Timotheus Justinianus, de Chio, Græcus, ordinis Prædicatorum, episcopus Calamonensis. 25. Junii 1550.

Didacus de Almansa, Hispanus, episcopus Caurienſis. 14. Jul. 1550

Lactantius Roverella, Ferrarienſis, episcopus Asculanus. 26. Septem. 1550.

PROMOT.

18.Jan.1551. Ambroſius Monticula, Lunenſis, Sarzanenſis, epiſcopus Signinus.

27.Jan.1551. Sebaſtianus Gualterius, Urbevetanus, epiſcopus Viterbienſis.

Januar. 1551 Honoratus Hiſernienſis ex Faſcitellis, Neapolitanus, monachus ordinis ſancti Benedicti, epiſcopus Inſulanus; obiit Romæ menſe Martio milleſimo quinquageſimo ſexageſimoquarto.

11.Feb.1551 Petrus Camajanus, Aretinus, epiſcopus Fæſularum.

18.Feb.1551 Horatius Græcus, Trojanenſis, Apulus, epiſcopus Leſinenſis.

13. Jul. 1551 Fabius Cupallata ſeu Cuppalata, Placentinus, epiſcopus Lachedonenſis.

9. Julii 1551 Gaſpar de Caſal, Luſitanus, ordinis ſancti Auguſtini, epiſcopus Leirienſis. " poſtea Conimbricenſis.

23. Jul. 1551 Bernardinus de Cuppis, Romanus, epiſcopus Auximanus.

April, 1552 Joannes de Morvilliers, Bleſenſis, Gallus, epiſcopus Aurelianenſis.

April. 1552 Julius Gentilius, Tortonenſis, epiſcopus Vulturarienſis.

10. Octobr. 1552 Hadrianus Fuſconius, Romanus, epiſcopus Aquinas.

14. Decemb. 1552 Antonius de ſancto Michaele, Hiſpanus, ordinis ſancti Franciſci de Obſervantia, epiſcopus Montis Marani.

6. Martii 1553 Hieronymus Melchiorius, Recanatenſis, epiſcopus Maceratenſis.

17. Maii 1553 Petrus de Petris de Monte, Aretinus, epiſcopus Lucerinus.

Cæſar Jacomellus, Romanus, epiſcopus Bellicaſtrenſis.

Maii 1553 Julius Grittus, Venetus, epiſcopus Parentinus.

Aug. 1553 Jacobus Silverius Piccolomineus, de Cælano, epiſcopus Aprutinus.

25. Septem. 1553 Ludovicus de Breze, Gallus, epiſcopus Meldenſis.

8. Octobr. 1553 Jacobus Mignanellus, Senenſis, epiſcopus Groſſetanus.

Octob. 1553. Joannes Andreas Crucius, de Tibure, epiſcopus Tiburtinus.

Dec. 1554. Franciſcus Richardotus, Burgundus, ordinis eremitarum S. Auguſtini, epiſcopus Atrebatenſis, " obiit 26. Julii 1574.

April. 1554 Carolus Ciçada, Genuenſis, epiſcopus Albinganenſis.

20. Aprilis 1554. Franciſcus Maria Piccolomineus, Senenſis, epiſcopus Ilcinenſis.

7.Julii 1554. Acciſculus ſeu Aciſelus Moya de Contreras, Hiſpanus, epiſcopus Vicenſis.

8.Oct. 1554. Galeatius Roſcius, de Interamna, epiſcopus Aſſiſienſis, obiit Tridenti die decimaſexta Octobris milleſimo quingenteſimo ſexageſimotertio.

16. Octob. 1554. Jacobus Maria Sala, Bononienſis, epiſcopus Vivarienſis.

19.Novemb. 1554. Gabriel de monte ſancti Sabini, epiſcopus Æſinus.

19.Novemb. 1554. Marianus Sabellus, Romanus, epiſcopus Eugubinus.

5. Decemb. 1554. Agapitus Bellhoumo, Romanus, epiſcopus Caſertanus.

Dec. 1554. Julius Cananius, Ferrarienſis, epiſcopus Hadrienſis, poſtea cardinalis, " tit. S. Euſebii & epiſcopus Mutinenſis. Obiit Ferrariæ 1592. ſepultus in eccleſia S. Dominici.

Jan. 1555. Julius Gallettus, Piſanus, epiſcopus Aleſſanenſis.

Hieronymus Burgenſis, Gallus, epiſcopus Catalaunenſis, " abbas ſancti Petri de Monte. Obiit 1573.

Epiſcopi Tuuli IV.

PROMOT

Scipio Æſtenſis, Ferrarienſis, epiſcopus Caſalenſis. pri. Junii 1555.

Didacus Sarmiento de Sotomajor, Hiſpanus, epiſcopus Aſturicenſis. 5. Julii 1555

Thomas Goduellus, Anglus, epiſcopus Aſaphenſis. 5. Junii 1555

Fauſtus Caffarellus, Romanus, epiſcopus Fundanus. 15. Jul. 1555

Belliſarius Baldinus, Neapolitanus, epiſcopus Larinenſis. 15. Jul. 1555

Urbanus Vigerius de Ruere, Genuenſis, epiſcopus Senogallienſis. Julii 1555.

Jacobus Suretus, Græcus, epiſcopus Milopotamenſis junior. 26. Jul. 1555

Joannes Baptiſta Oſius, Romanus, epiſcopus Reatinus, obiit die duodecima Novembris 1562. 24. Octob. 1555.

Marcus Laureus, Tropienſis, ordinis Prædicatorum, epiſcopus Campanienſis. 8. Dec. 1555.

Franciſcus de Beauquere, " ſive Belcarius, Pegulio, dominus de la Creſte & Chommiers, Gallus, epiſcopus Metenſis, poſtea abbas ſancti Germani Autiſſiodorenſis Rigniaci & S. Sigiranni. Obiit 14. Februarii 1592. Dec. 1555.

Joannes Franciſcus Commendonus, Venetus, epiſcopus Zacynthenſis, " poſtea cardinalis. Oct. 1555.

Carolus de Graſſis, Bononienſis, epiſcopus Montis Faliſci, poſtea cardinalis. 18. Decemb. 1555.

Arrias Gallego, Hiſpanus, epiſcopus Gerundenſis. 14. Aprilis 1556.

Hieronymus Gallego, Hiſpanus, epiſcopus Ovetenſis. 5. Maii 1556

Hercules Rettinger, Germanus, epiſcopus Laventinus. 16. Maii 1556.

Julius de Rubeis, Polianus, epiſcopus ſancti Leonis, obiit Romæ menſe Martio 1564. 23. Oct. 1555

Joannes de Muñatones, Hiſpanus, ordinis ſancti Auguſtini, epiſcopus Segobricenſis. 12. Junii 1556.

Franciſcus Blanco, Hiſpanus, epiſcopus Aurienſis. 12. Junii 1556.

Vincentius de Luchis, Bononienſis, epiſcopus Anconitanus. 8. Feb. 1556.

Pompejus Piccolomineus, de Aragonia, epiſcopus Tropienſis. 12. Jun. 1556

Petrus Barbaricus, Venetus, epiſcopus Curzolenſis. Junii 1556.

Franciſcus Bachodius, Sabaudienſis, epiſcopus Gabennenſis. 27. Jun. 1556

Carolus de Angennes a Rambovillet, Gallus, epiſcopus Cenomanenſis, poſtea cardinalis. " obiit Corneti in Etruria 23. Martii 1587. 27. Jul. 1556

Hieronymus de Nichiſola, Veronenſis, ordinis Prædicatorum, epiſcopus Theanenſis. 21. Jan. 1555.

Marcus Antonius Bobba, Caſalenſis, epiſcopus Auguſtenſis, poſtea cardinalis, " de quo ſupra inter oratores eccleſiaſticos. 18. Junii 1557.

Jacobus Lomellinus, Meſſanenſis, epiſcopus Mazarienſis. 21. Junii 1557.

Donatus de Laurentiis, de Aſculo, Apulus, epiſcopus Arianenſis. 21. Junii 1557.

Petrus Contarenus, Venetus, epiſcopus Paphenſis. Julii 1557.

Petrus Daneſius, Gallus, epiſcopus Vaurenſis, " obiit Pariſiis in cœnobio S. Germani Fratenſis, ibique ſepultus 1577. 9. Auguſti 1557.

Hieronymus Savorgnanus, Forojulienſis, epiſcopus Sibinicenſis. 9. Auguſti 1557.

Philippus du Bec, Gallus, epiſcopus Venetenſis, " poſtea Nannetenſis, deinde archiepiſcopus Rhemenſis, obiit 1605. 4. Novembi 1562.

Carolus

PROMOTIONES.

Carolus de Rouçy, Gallus, episcopus Sueſſionenſis.

Sep. 1557. Georgius Draſcovitius, Croatus, episcopus

9.Nov.1557. Quinqueeccleſienſis, poſtea archiepiſcopus Colocenſis & cardinalis, "vide ſupra inter oratores eccleſiaſticos.

10.Dec.1554 Franciſcus de Aguirre, Hiſpanus, episcopus Crotonenſis.

10.Dec.1557 Andreas de Cueſta, Hiſpanus, episcopus Legionenſis.

10.Dec.1557 Antonius Gorrionero, Hiſpanus, episcopus Almerienſis.

15.Dec.1557 Antonius Auguſtinus, Hiſpanus, episcopus Ilerdenſis, poſtea archiepiſcopus Tarraconenſis.

15.Dec.1557 Angelus Maſſarellus, Septempedanus, episcopus Theleſinus.

4. Febr.1558 Antonius Ciurelia, Barenſis, episcopus Buduenſis.

4. Febr.1558 Dominicus Caſablanca, Meſſanenſis, ordinis Prædicatorum, episcopus Vicenſis.

18. Martii 1558. Petrus Fannus, Coſtacciarius, episcopus Aquenſis.

3. Febr.1562 Joannes Carolus Bovius, Bononienſis, episcopus Oſtunenſis, poſtea archiepiſcopus Brunduſinus.

9. Dec. 1561 Hugo Boncompagnus, Bononienſis, episcopus Veſtanus, poſtea cardinalis titulo S. Sexti & pontifex maximus dictus Gregorius XIII.

16.Feb.1563 Salvator Pacinus, de Colle, episcopus Cluſinus.

12.Julii 1558 Lupus Martinez, Hipſanus, episcopus Elnenſis.

Januar.1558 Carolus d'Eſpinay, Gallus, episcopus Dolenſis. "Obiit 1591.

10.Novemb. 1562. Ægidius Spifame, Gallus, episcopus Nivernenſis, "& abbas S. Pauli Senonenſis, obiit Lutetiæ 1578.

12. Jan.1562 Antonius Sebaſtianus Minturnus, de Trajecto, episcopus Uxentinus.

3. Julii 1562 Bernardus Delbene, Florentinus, episcopus Nemauſenſis.

12 Apr. 1562 Dominicus Bollanus, Venetus, episcopus Brixienſis.

pri.Ap.1563 Joannes Antonius Vulpius, Comenſis, episcopus Comenſis.

17.Mar.1563 Ludovicus de Genoilhac, Gallus, episcopus Tutellenſis, "& abbas S. Romani de Blavia: Obiit, Burdigalæ ann. 1583.

17.Mar.1562 Philippus Maria Campegius, Bononienſis, episcopus Feltrenſis.

9.Nov. 1562 Joannes de Guignones, Hiſpanus, episcopus Calagurritanus.

19.Maii 1562 Didacus Covarruvias de Leyva, Hiſpanus, Toletanus, episcopus Civitatenſis, "ſeu civitatis Roderici, poſtea Segovienſis, demum Conchæ deſignatus. Obiit Madriti 1577. Kal. Octobris, ſepultus Segoviæ.

16. Sep.1562 Philippus Gerius, Piſtorienſis, episcopus Iſclanenſis, poſtea Aſſiſienſis.

8. Oct.1562. Joannes Antonius Fachinettus de Nuce, Bononienſis, episcopus Neocaſtrenſis, poſtea patriarcha Hieroſolymitanus, S. R. E. presbyter cardinalis tit. SS. quatuor Coronatorum, ac tandem pontifex maximus dictus Innocentius IX. per duos dumtaxat menſes.

Epiſcopi Pii IV.

Hippolytus Capilupus, Mantuanus, episcopus Fanenſis.

19. Mai.1562. Joannes Fabricius Severinus, Neapolitanus, episcopus Acerenſis.

Martinus Baldnini Rithovius Brabantus, primus episcopus Iprenſis. Obiit Andomaropoli 1583. 25.Maii 1562

Antonius Havetius, Flander, ordinis Prædicatorum, episcopus primus Namurcenſis. "Obiit 1578. 18. Jan.1562

Conſtantinus Bonnellus, Feretranus, episcopus civitatis Caſtelli. pri. Aprīl. 1562.

Julius Superchius, Mantuanus, ordinis Carmelitarum, episcopus Accienſis, poſtea Caprulanus. 11.Aug.1562

Matthæus de Concinis, Florentinus, episcopus Cortonenſis. 5. Oct. 1561

Nicolaus Sfondratus, Mediolanenſis, episcopus Cremonenſis, poſtea presbyter cardinalis tit. S. Ceciliæ, demum pontifex maximus dictus Gregorius XIV. per menſes 10. & dies 10. ult. Martii 1562.

Ventura Buffalinus, Tiphernas, episcopus Maſſanenſis. 19.Septemb. 1562.

Ludovicus de Bueil, Gallus, episcopus Vencienſis. 13.Novemb. 1562.

Hieronymus Galleratus, Mediolanenſis, episcopus Sutrinus. 21.Septemb. 1562.

Joannes Petrus Delpinus, Venetus, ordinis canonicorum regularium, episcopus Zacynthi, & Cephaloniæ ſecundus. 2. Apr. 1560

Joannes Andreas Bellonius, Meſſanenſis, episcopus Maſſalubrenſis. 30. Oct. 1561

Georgius Zifchouid, Hungarus, ordinis Minorum ſancti Franciſci de Obſervantia, episcopus Signienſis. 3. Jun. 1562.

Federicus Cornelius, Venetus, ordinis S. Joannis Hieroſolymitani, episcopus Bergomenſis, poſtea Patavinus, & S. R. E. presb. cardinalis, tit. S. Stephani. "Obiit Romæ 1590. ſepultus Patavii in eccleſia cathedrali. 13. Apr. 1560

Stephanus Boucher, Gallus, episcopus Coriſopitenſis. 19. Nov. 1560

Joannes Paulus Amanius, Cremenſis, episcopus Anglonenſis. 14. Jul. 1562

Alexander Sfortia, ex comitibus de ſancta Flora, episcopus Parmenſis, poſtea cardinalis "tit. S. Mariæ in via. Obiit Maceratæ 1581. ſepultus Romæ in eccleſia S. Mariæ majoris. 26. Apr. 1562

Antonius le Cirier, Gallus, episcopus Abrincenſis. 31 Maii 1560

Andreas Mozenicus, Venetus, episcopus Nimoſienſis. 3. Maii 1560

Benedictus Salvinus, Firmanus, episcopus Verulanus. 19. Junii 1560

Guilielmus Caſſador, Hiſpanus, episcopus Barcinonenſis. Junii 1560.

Petrus Gonzalez de Mendoza, Hiſpanus, episcopus Salmanticenſis. 26. Junii 1560.

Martinus de Corduba de Mendozza, Hiſpanus, ordinis Prædicatorum, episcopus Dertuſenſis. 17. Julii 1560

Julius Magnanus, Placentinus, ordinis Minorum Conventualium ſancti Franciſci, episcopus Calvenſis. 17. Julii 1560

Valentinus Herbutus, Polonus, episcopus Præmiſlienſis, orator regis Poloniæ. 16. Aug. 1560

Simon Aleotus, Forojulienſis, electus episcopus Forojulienſis; mortuus eſt Tridenti die vigeſima Auguſti 1562. 18. Julii 1560

Petrus de Xaque, Hiſpanus, ordinis Prædicatorum, episcopus Niochenſis. 4. Sep. 1560.

Proſper Rebiba, Meſſanenſis, episcopus Trojanus, poſtea patriarcha Conſtantinopolitanus. 4. Sep. 1560

Melchior Aroſmediano, Hiſpanus, episcopus Guadixenſis. 4. Sep. 1560

Hippollytus de Rubeis, Parmenſis, episcopus Papien- 4. Sep. 1560

PROMOTIONES.

Papiensis, postea S. R. E. presbyter cardinalis, "tit. Sanctæ Mariæ in Porticu, deinde S. Blasii de Anulo. Obiit Romæ 1591. 4. Kal. Maii sepultus in sancti Blasii.

2. Oct. 1560 Didacus de Leon, Hispanus, ordinis Carmelitarum, episcopus Columbrinensis.

29. Nov. 1560 Annibal Saracenus, Neapolitanus, episcopus Licinensis,

29. Nov. 1560 Paulus Jovius, Comensis, electus episcopus Nucerinus.

25. Jan. 1561 Hieronymus Trivisanus, Venetus, ordinis Prædicatorum, episcopus Veronensis; mortuus est Tridenti die nona Septembris 1562.

25. Jan. 1561 Hieronymus Ragazzonus, Venetus, episcopus Nazianzenus & coadjutor Famaugustanus, postea Bergomensis episcopus.

25. Jan. 1561 Romulus de Valentibus, de Trebia, episcopus Conversanus.

30. Jan. 1561 Lucius Maranta, Venusinus, episcopus Lavellinensis.

14. Feb. 1561 Simon de Nigris, Genuensis, episcopus Sarzanensis,

16. Martii 1561. Theophilus Gallupus, Tropiensis, episcopus Oppidensis.

9. Maii. 1561 Julius Simonetta, Mediolanensis, episcopus Pisaurens.

Martii 1561 Petrus d'Albret, Gallus, episcopus Convenarum.

2. Junii. 1561 Jacobus Guidius, Volaterranus, episcopus Pennensis, & Adriensis,

2. Junii 1561 Didacus Ramirez, Hispanus, episcopus Pampilonensis,

13. Junii 1561 Franciscus del Gado seu Delgado, Hispanus, episcopus Lucensis.

13. Nov. 1562 Joannes Clausse, Gallus, episcopus Senecensis seu Sanicensis.

13. Feb. 1562 Jacobus Gibertus de Nogueras, Hispanus, episcopus Aliphanus.

Joannes Annius, Neapolitanus, episcopus Hipponensis, & coadjutor Bovinus.

27. Novemb. 1562. Antonius Maria de Salviatis, Romanus, episcopus sancti Pauli, postea S. R. E. presbyter cardinalis, "tit. S. Mariæ in Aquiro & Bononiæ legatus. Obiit Romæ 1602. 26. Aprilis sepultus in S. Jacobi.

15. Jan. 1562 Matthæus Priulus, Venetus, episcopus Æmonensis, postea Vincentinus.

14. Oct. 1562 Thomas Lilius, Bononiensis, episcopus Saranus.

11. Maii 1562. Hieronymus Guerinus, Feretranus, episcopus Imolensis.

25. Maii 1562. Thomas Oyerlaithe sive Overllaitte, Hibernus, episcopus Rossensis.

3. Nov. 1562 Franciscus de la Valette, Gallus, episcopus Vabrensis.

13. Maii 1562. Fabius Pignatellus, Neapolitanus, episcopus Monopolitanus.

15. Junii 1562 Carolus de Vicecomitibus, Mediolanensis, episcopus Vintimilliensis, postea cardinalis, "titulo SS. Martyrum Viti & Modesti in Macello. Obiit Romæ 1565. Idibus Novembris, sepultus in ecclesia sui tituli.

9. Feb. 1562 Joannes Colosvarinus, Hungarus, ordinis Prædicatorum, episcopus Canadiensis, obiit Tridenti die vigesimaquarta Novembris 1562.

9. Feb. 1562 Andreas Duditius Sbardellatus, Hungarus, episcopus Tininiensis, postea Quinqueecclesiensis, "qui ab ecclesia postea turpissime defecit raptus in reprobum sensum.

24. Martii 1562. Spinellus Bencius, Politianus, episcopus montis Politiani.

17. Maii 1562 Franciscus Abundius, Castillioneus, Mediolanensis episcopus Bobiensis, postea S. R. E. presbyter cardinalis, "tit. S. Nicolai inter imagines. Obiit 1568. 18. Kal. Decembris, sepultus Romæ in ecclesia S. Mariæ de populo.

PROMOTIONES.

Stanislaus Faleschi, Polonus, episcopus Theodosiensis, 12. Novemb. 1562.

Eugenius Ohairt, Hibernus, ordinis Prædicatorum, episcopus Achadensis seu Ægadensis. 25. Maii 1562

Donatus Magongial, Hibernus, episcopus Rapotensis. 15. Maii 1562.

Guido Ferrerius, Pedemontanus, civis & episcopus Vercellensis, postea S. R. E. presbyter cardinalis, "tit. sanctæ Euphemiæ, deinde SS. Viti & Modesti martyrum in Macello & Marchio Romagnani: Obiit 1585. 16. Maii sepultus in S. Mariæ majoris.

Joannes Baptista Sighicellius, Bononiensis, episcopus Faventinus, 3. Dec. 1562

Sebastianus Vantius, de Arimino, episcopus Urbevetanus, 3. Julii 1562

Joannes Baptista Lomellinus, Messanensis, episcopus Gardiensis, pri. Dec. 1562.

Joannes Baptista Milanesius, Florentinus, episcopus Marsicanus, 27. Nov. 1562

Augustinus Molignatus, Vercellensis, episcopus Trivicanensis. 27. Octob.

Carolus Grimaldus, Genuensis, episcopus Savonensis, 23. Oct. 1562

Fabricius Landrianus, Mediolanensis, episcopus sancti Marci, 22. Oct. 1562

Bartholomæus Ferratinus, Amerinus, episcopus Amerinus, 10. Oct. 1562

Petrus Fragus, Hispanus, episcopus Usellensis, postea Algarensis, 5. Junii 1563

Hieronymus de Gaddis, Florentinus, episcopus Cortonensis, 21. Julii 1563

Franciscus Contarenus, Venetus, episcopus Paphensis. 4. Martii 1563.

Joannes Delphinus, Venetus, episcopus Torcellanus. 27. Apr. 1563

Alexander Molus, Comensis, episcopus Minorensis. 20. Apr. 1563

Hieronymus Vielmus, Venetus, ordinis prædicatorum, episcopus Argolicensis. 17. Martii 1563.

Franciscus Raguseus, ordinis sancti Francisci de Observantia, episcopus Marcanensis.

Abbates.

Ludovicus de Baissey, abbas Cisterciensis & generalis totius ordinis.

Hieronymus de Souchier Gallus, Campanus, abbas Clarævallensis, postea abbas generalis Cisterii, demum S. R. E. presbyter cardinalis, "tituli S. Matthæi in Merulana. Obiit Romæ 10. Kal. Novembris 1571. sepultus in ecclesia sanctæ Crucis in Jerusalem.

Simplicianus, abbas sancti Salvatoris Papiæ, de Vultolina, congregationis Cassinensis.

Stephanus Catanius, Novariensis, abbas sanctæ Mariæ Gratiarum Placentinæ diœcesis, congregationis Cassinensis.

Augustinus Loscus, Hispanus, abbas sancti Benedicti de Ferraria, congregationis Cassinensis.

Eutychius de Cordes, Antuerpiensis, abbas sancti Fortunati apud Bassianum, congregationis Cassinensis. "Obiit 1582. mense Septembri sepultus in sanctæ Justinæ de Padua,

Claudius de Sainctes, Gallus, Campanus, abbas Lunevillanus.

Cosmas Damianus, Hortulanus, Hispanus, abbas Villæbertrandi.

Gene-

Generales.

Vincentius Juſtinianus, Genuenſis, generalis ordinis prædicatorum, poſtea cardinalis, "tit. S. Nicolai inter imagines, deinde ſanctæ Sabinæ. Obiit 28. Octobris 1582. Romæ ſepultus in S Mariæ ſuper Minervam.

Franciſcus Zamora, Conchenſis, Hiſpanus, generalis ordinis Minorum de Obſervantia. " Obiit 1571.

Antonius de Sapientibus, Auguſtanus, generalis ordinis Minorum conventualium.

Chriſtophorus Patavinus, prior generalis ordinis eremitarum ſancti Auguſtini. Obiit 1569.

Joannes Baptiſta Migliavacca, Aſtenſis, generalis ordinis ſanctæ Mariæ Servorum.

Stephanus Fazinus, Cremonenſis, provincialis Lombardiæ, pro generali Carmelitarum.

Jacobus Lainez, Hiſpanus, ex oppido Caſtellæ Almazan, diœceſis Seguntinæ, præpoſitus generalis ſocietatis Jeſu. " Obiit Romæ 19. Januarii 1565. ætatis 53.

Thomas Tiphernas civitatis de Caſtello in Umbria, generalis Capuccinorum.

Doctores legum pro ſacro concilio miſſi.

Gabriel Palæottus, Bononienſis, auditor Rotæ, poſtea epiſcopus, Bononienſis, & S.R.E diaconus cardinalis," tit. SS. Nerei & Achillei, mox SS. Joannis & Pauli, deinde tit. S. Martini in Montibus & primus Bononiæ archiepiſcopus, demum tit. S. Laurentii in Lucina ac epiſcopus Albanus; poſtremo epiſcopus cardinalis Sabinus. Obiit Romæ 11. Kal. Auguſt. 1597. ſepultus Bononiæ in eccleſia metropolitana.

Scipio Lancellottus, Romanus, advocatus conſiſtorialis, poſtea auditor Rotæ & S.R.E. presbyter cardinalis, "tit. S. Simeonis. Obiit Romæ 6. Nonas Junii 1598. ſepultus in S. Joannis Lateranenſis.

Joannes Baptiſta Caſtellius, Bononienſis, promotor, poſtea epiſcopus Ariminenſis.

Michael Thomaſius, Majoricenſis, doctor decretorum, poſtea epiſcopus Ilerdenſis.

Theologi a ſummo pontifice miſſi.

Frater Petrus de Soto, Hiſpanus, ordinis Prædicatorum, obiit Tridenti menſe Aprilis 1563.

Alfonſus Salmeron, Toletanus, Hiſpanus, ſocietatis Jeſu. "Obiit non Salmanticæ, ſed Neapoli 1585. die 13. Febr. ætatis 70.

Franciſcus Turrianus, quibuſdam etiam dictus, ſed minus recte, Torrenſis, Hiſpanus, Legionenſis doctor theologus: poſtea profeſſus ſocietatis Jeſu. "Obiit Romæ 1584. ipſo die feſto præſentationis B. virginis, quem ex breviario expunctum eccleſiæ catholicæ reſtitui procuraverat, ætatis fere 80.

Antonius Soliſius Hiſpanus, doctor theologus.

Frater Camillus Campegius, Papienſis, ordinis Prædicatorum, inquiſitor Ferrariæ.

Frater Hieronymus Bravo, Hiſpanus, ordinis Prædicatorum.

Frater Hadrianus Valentinus, Venetus, ordinis Prædicatorum, in demortui fratris Petri de Soto locum miſſus; poſtea dominii Veneti inquiſitor generalis.

Doctores theologiæ facultatis Pariſienſis miſſi a Carolo IX. Galliarum rege Chriſtianiſſimo.

Nicolaus Maillard, decanus facultatis Pariſienſis.

Joannes Peletier, præfectus collegio Navarræ.

Antonius Demochares, Reſſonæus.

Nicolaus de Bris.

F. Jacobus Hugonis, Franciſcanus, idem etiam procurator reverendiſſimi Joannis Urſini, epiſcopi Trecorenſis.

Simon Vigor, Normanus, canonicus Pariſienſis, poſtea archiepiſcopus Narbonenſis.

Ricardus du Pre.

Natalis Paillet, obiit Tridenti VII. Kalendas Decembris 1562.

Robertus Fournier, Ambianus.

Antonius Coquier.

Lazarus Broychot.

Claudius de Saincles, Carnotenſis, canonicus regularis ſancti Auguſtini, poſtea epiſcopus Ebroicenſis. Obiit 1590.

Theologi miſſi a Philippo ſecundo rege catholico.

Coſmas Damianus, Hortulanus, electus abbas Villæbertrandi.

Ferdinandus Tritius, doctor theologus, canonicus Caurienſis.

Ferdinandus Velloſillus, doctor theologus, canonicus Saguntinus, poſtea epiſcopus Lucenſis.

Thomas Daſſio, juris utriuſque doctor, canonicus Valentinus.

Licentiatus Antonius Covarruvias, auditor Granatenſis, "Didaci frater.

Ferdinandus Mincaſenſis, decretorum doctor.

Frater Joannes Ramirez, Hiſpanus, miniſter provincialis ſancti Jacobi.

Frater Alfonſus Contreras, commiſſarius ordinis Minorum in curia regis Hiſpaniæ.

Frater Michael de Medina, Hiſpanus, ordinis Minorum, ſacræ theologiæ doctor.

Frater Joannes Lobera, Hiſpanus, ſacræ theologiæ lector Salmanticæ, ſocius miniſtri provincialis ſancti Jacobi.

Coſmus Palma Fonteyus, Hiſpanus, ſacræ theologiæ doctor, ſocius Hortulani abbatis.

Frater Joannes Gallo, Hiſpanus, ordinis Prædicatorum.

Frater Petrus Fernandez, Hiſpanus, ordinis Prædicatorum in ſocietate magiſtri Gallo.

Frater Deſiderius de ſancto Martino, Panormitanus, ordinis Carmelitani.

Michael Bajus, Hannonius, ab Atho, ſacræ theologiæ doctor, "poſtea decanus eccleſiæ collegiatæ S. Petri Lovanienſis, academiæ cancellarius, & ejuſdem conſervator. Obiit Lovanii 16. Sept. 1589. ibique ſepultus in ſacello collegii pontificii.

Joannes Heſſels a Lovanio, Brabantus, ſacræ theologiæ doctor. " Obiit Lovanii 7. Nov. 1576.

Cornelis Janſenius, Hulſtenſis, Flander, ſacræ theologiæ doctor, poſtea primus epiſcopus Gandavenſis. "Obiit Gandavi 11. Aprilis 1576.

Theologi miſſi a rege Portugalliæ.

Frater Franciſcus Foriero, ſeu Forerius, Luſitanus Ulyſſiponenſis, ordinis Prædicatorum.

Domnus Jacobus a Payva de Andrade, Luſitanus, doctor theologus.

Domnus Melchior Cornelius, decretorum doctor, ſenator regis Portugalliæ.

Ab excellentiſſimo duce Bavariæ.

Joannes Covillonius, Inſulenſis, Flander, ex ſocietate Jeſu. " Obiit Romæ 1581. cum eſſet unus e pœnitentiariis ad D. Petri baſilicam.

Procuratores epiſcoporum abſentium.

Merchantus doctor theologus, pro illuſtriſſimo cardinale de Mendoza, epiſcopo Burgenſi.

Joannes Gothardus ſeu Cothardius, clericus ſæcularis, Germanus, pro reverend. ep. Ratisbonenſi.

Geor-

Georgius Hochenvarter, clericus sæcularis, doctor theologus, suffraganeus pro reverendissimo episcopo Basileensi.

Frater Felicianus Ninguarda, a Morbinio, ordinis Prædicatorum, pro illustrissimo domino Salisburgensi orator.

Petrus Cumel, doctor theologus, canonicus Malacitanus, pro reverendissimo Malacitano.

Joannes Delgadus, doctor theologus, canonicus Tudensis, pro reverendissimo domino Joanne de S. Æmiliano, episcopo Tudensi.

Gaspar Cardillus, Villalpandeus, Segobiensis, doctor theologus, pro reverend. episc. Abulensi.

Frater Joannes de Ludenna doctor theologus, ordinis Prædicatorum, pro reverendissimo episcopo Seguntino.

Frater Franciscus Orantes, lector Vallisoleti, ordinis Minorum, pro reverend. episc. Palentino.

Cæsar Ferrantius, Suessanus, doctor theologus, pro reverendissimo episcopo Suessano apud reverendissimum Ilerdensem.

Procuratores ordinum.

Joannes Coutignon, doctor Gallus, procurator ordinis Cluniacensis, " postea prior major. Obiit 21. Aprilis 1572. sepultus Marciniaci.

Nicolaus Boucherat Gallus, prior monasterii de Recluso, procurator generalis ordinis Cisterciensis, " postea ejusdem ordinis abbas generalis. Obiit 12. Martii 1586.

Theologi sæculares, & doctores juris canonici.

Georgius Girard, Gallus, doctor theologus, cum reverendissimo Andegavensi.

Gentianus Hervetus, Gallus, Aurelianensis, cum illustrissimo, ac reverendissimo cardinale a Lotharingia. " Fuit postea canonicus Rhemensis. Obiit Rhemis 12. Sept. 1594.

Franciscus Sancius, decanus facultatis theologiæ, & canonicus Salmanticensis, cum reverendissimo Salmanticensi.

Matthæus Guerra, Consentinus, Calaber, presbyter sæcularis, cum reveren. episcopo S. Marci.

Federicus Pendasius, cum illustrissimo cardinale de Mantua legato sacri concilii.

Joannes Franciscus Lombardus, cum illustrissimo cardinale Seripando legato sacri concilii.

Petrus Mercatus, theologus, cum reverendissimo Vicensi.

Trigillus, doctor theologus, canonicus Legionensis, cum reverendissimo Legionensi.

Sobannus, doctor theologus, cum reverendissimo Legionensi.

Antonius Leitonius, doctor theologus, cum reverendissimo Conimbricensi.

Petrus Fontidonius, doctor theologus, canonicus Salmantinensis cum reverend. Salmantino.

Joannes Villetta, doctor theologus, cum reverendissimo Barcinonensi.

Joannes Fonseca, doctor theologus, cum reverendissimo archiepiscopo Granatensi.

Michael Oroncuspe, doctor theologus, cum reverendissimo episcopo Pampilonensi.

Alfonsus Fernandez de la Guerra, Hispanus, doctor theologus, cum reverend. Guadixiensi.

Michael Ytero, doctor utriusque juris, cum reverendissimo episcopo Pampilonensi.

Josephus Puebla, doctor theologus, cum reverendissimo episcopo Civitatensi.

Joannes Chiacon, doctor juris canonici, cum reverendissimo episcopo Almeriensi.

Antonius Garsias, doctor theologus, cum reverendissimo episcopo Ovetensi.

Benedictus Arias Montanus, ordinis sancti Jacobi, doctor theologus, cum reverendissimo episcopo Segobiensi.

Joannes Barcellona, theologus, cum reverendissimo episcopo Uscellensi.

Doctores Galli ordinis sancti Benedicti.

Joannes Carthougne, doctor theologus.
Joannes de Verdun, doctor theologus.

Theologi ordinis fratrum Prædicatorum.

Angelus Ciosus, Florentinus, cum illustrissimo cardinale Mantuano, legato sacri concilii.

Seraphinus de Caballis, Brixiensis, provincialis terræ sanctæ cum reverendo suo generali, " postea & ipse ordinis sui fratrum generalis. Obiit Hispali 1578. 21. Nov.

Elisæus Capys, Venetus, theologus, cum reverendissimo archiepiscopo Pragensi.

Petrus Aridiensis, Gallus, cum reverendissimo domino Cenomanensi.

Bernardus Bernardi, Gallus, inquisitor Avinionensis, vicarius congregationis Franciæ, cum reverendissimo domino Nemausensi.

Joannes Matthæus Valdina, cum reverendissimo domino Tarentino.

Petrus Martyr Coma, Hispanus, cum reverendissimo Gerundensi.

Petrus Zatores, Hispanus, cum reverendissimo domino Dertusensi.

Antonius de Grosupto, cum reverendissimo domino Viglevannensi.

Aurelius de Chio, cum reverendissimo domino Spalatrensi.

Hadrianus Valentinus, Venetus, cum reverendissimo domino Nicosiensi.

Marcus Medices, Veronensis, cum reverendissimo domino Cenetensi.

Benedictus Herba, Mantuanus, cum reverendissimo domino Brixiensi.

Michael de Ast, Genuensis, prior S. Laurentii.

Constantinus Coccianus Isorella, cum reverendissimo domino montis Politiani.

Henricus de sancto Hieronymo, cum reverendissimo domino Bracarensi.

Ludovicus de Sotomajor, Lusitanus, cum reverendissimo domino Georgio de Tuyde, seu Tudensi.

Baptista de Lugo, cum reverendissimo domino Veronensi.

Hieronymus Barolus, Papiensis.

Theologi ordinis Minorum beati Francisci de Observantia.

Aloysius de Burgo novo, Italus, sacræ theologiæ lector Bononiæ, commissarius generalis, cum & ipse postea ordinis generalis.

Thomas de Sogliano, Italus, provincialis Bononiæ minister.

Antonius de Padua, Lusitanus, ordinis secretarius.

Bonifacius Raguseus, apostolicus prædicator, terræ sanctæ gubernator, postea episcopus de Stagno in Dalmatia.

Angelus de Petriolo, Italus, lector sacræ theologiæ Perusiæ.

Angelus Justinianus, Italus, lector sacræ theologiæ Genuæ.

Vincentius, de Messina, Italus, sacræ theologiæ lector Neapoli.

Julius

Julius Paſſiranus, Urceanus, Italus, ſacræ theologiæ lector Bergomi.

Jacobus Alani, Gallus, theologus, cum reverendiſſimo epiſcopo Venetenſi.

Theologi ordinis fratrum Minorum.

Marcus Antonius Gambaronus, a Lugo ſive Lugio, ſocius Religionis.

Bartholomæus Golphus, de Pergula, prædicator illuſtris.

Joannes Tertius, Bergomenſis, lector theologiæ in gymnaſio Papienſi.

Clemens Thomaſinus, de Florentia, regens in conventu ſanctæ Crucis Florentiæ.

Auguſtinus Balbus, a Lugo.

Joannes Baptiſta Ghiſulphus, ordinis ſcriba.

Antonius de Grignano, regens ſancti Antonii de Patavio.

Lucius Anguſiola, Placentinus, regens ſancti Franciſci Bononiæ.

Maximianus Benianus, Cremenſis, orator pro religione, & inquiſitor Paduæ, " poſtea epiſcopus Clodienſis.

Octavianus Charus de Neapoli, regens ſancti Laurentii de Neapoli.

Antonius Poſius, de monte Ilcino, regens in conventu duodecim apoſtolorum Romæ. " Obiit Montilcini 1580.

Bonaventura Meldulenſis, regens in conventu Parmæ.

Martialis Peregrinus, Calaber, regens in conventu Ferrariæ.

Antonius a Cubalo, Feltrenſis.

Andreas Schynopius, de Amandula, cum reverendiſſimo domino Cathanzario.

Balthaſar Criſpus, Neapolitanus, cum reverendiſſimo domino Tropienſi.

Theologi ordinis fratrum eremitarum ſancti Auguſtini.

Thadæus Peruſinus, cum reverendiſſimo domino Salviato, "poſtea præpoſitus generalis.

Joannes Paulus Reca natenſis, cum reverendiſſimo domino Quinquecclesienſi oratore pro regno Hungariæ.

Simon Florentinus, cum illuſtriſſimo cardinale Seripando legato.

Cherubinus Lavoſius, de Caſſia, cum reverendiſſimo domino Vercellenſi.

Gabriel Verratellus, Anconitanus: alias Duratellus.

Ambroſius Veronenſis, prior conventus ſancti Marci in urbe Tridentina.

Joannes Baptiſta Burgos, Valentinus, Hiſpanus.

Antonius Mondulphenſis, cum reverendiſſimo domino Pragenſi oratore.

Ægidius Volaterranus, cum reverendiſſimo epiſcopo Thinienſi.

Eugenius Piſaurenſis, concilii prædicator, "poſtea epiſcopus Smyrnenſis & Veliternorum propræſul apud quos obiit 21. Jun. 1580.

Adamantius Florentinus, cum illuſtriſſimo cardinale Madrutio, "Orationem habuit nomine oratoris ſeptem pagorum Helveticorum catholicorum. Obiit Romæ 17. Januarii 1581.

Aurelius Coriſmaltenſis, cum domino oratore Helvetiorum.

Balthaſar Maſſanus, cum reverendiſſimo epiſcopo Catanienſi.

Sebaſtianus Fanenſis, ordinis ſcriba.

Chriſtophorus de Sanctotis, Burgenſis, Hiſpanus,

Simon de Brazzolatis, Patavinus.

Angelus Ferrus, Venetus, cum reverendiſſimo domino de Oſma. " Obiit Barii in Apulia præfectus provincialis.

Petrus Luſitanus, cum reverendiſſimo domino Leirienſi.

Theologi ordinis fratrum Carmelitarum.

Joannes Jacobus Cherecatus; Vincentinus, provincialis Venetiarum, poſtea procurator generalis ordinis.

Theodorus Maſius, Mantuanus, cum reverendiſſimo domino Cremonenſi.

Silveſter, confeſſarius illuſtriſſimi cardinalis Mantuani.

Lucretius Aſolanus, cum reverendiſſimo domino patriarcha Venetiarum.

Nicolaus Gallus, cum reverendo patre generali.

Eraldus Gallus, cum reverendo patre generali.

Laurentius Lauretus, Venetus, cum reverendo patre generali.

Angelus Ambroſius, Venetus.

Theologi ordinis fratrum Servorum beatæ Mariæ.

Stephanus Bonutius, Aretinus, Tuſcus, poſtea epiſcopus Alatrinus, deinde Aretinus; & S. R. E. presbyter cardinalis, " tit. SS. Petri & Marcellini. Obiit Romæ 2. Januarii 1589. in collegio ſui ordinis, ibique ſepultus.

Amans, pro congregatione Servorum, cum reverendiſſimo domino Sibinicenſi.

Officiales ſacri concilii Tridentini.

Epiſcopus Cavenſis, commiſſarius.

Epiſcopus Theleſinus, ſecretarius.

Ludovicus Bondonius magiſter ceremoniarum.

Antonius Marcellus, depoſitarius.

Cantores ſacri concilii.

Simon Bartolinus, Peruſinus.

Joannes Aloyſius de Epiſcopis, Neapolitanus.

Bartholomæus Conte, ſive le Comte, Gallus.

Matthias Albo de Fulginio.

Franciſcus Buſtamante, Hiſpanus.

Joannes Antonius Latinus, Beneventanus.

Franciſcus Duda, Callienſis.

Lucas Longincus, Giſonenſis.

Petrus Scorteccius, Aretinus.

Notarii.

Marcus Antonius Peregrinus, Comenſis, & Cynthius Pamphilus, de ſancto Severino.

Hieronymus Gambarus Brixienſis, Forenſis.

Curſores ſanctiſſimi domini noſtri, & ſacri concilii.

Nicolaus de Matthæis, &

Jacobus Carra, Allobroges.

" ** *Numerus prælatorum cujuſcumque nationis, qui ad œcumenicam Tridentinam ſynodum convenere.*

Itali 187. *per procuratores* duo.
Galli 26. *per procuratorem* unus.
Hiſpani 31. *per procuratores* 4.
Germani 2. *per procuratores* 4.
Angli 1. Hiberni 3.
Luſitani 3. Poloni 2.
Hungari 2. Flandri 2.
Moravi 1. Croati 1.
Illyrici 3. Græci 6.

CON-

ANNO CHRISTI 1564.

CONFIRMATIO CONCILII.

NOs Alexander, ſancti Laurentii in Damaſo diaconus cardinalis de Farneſio, ſanctæ Romanæ eccleſiæ vicecancellarius, fidem facimus, & atteſtamur, qualiter hodie die Mercurii vigeſimaſexta Januarii milleſimo quingenteſimo ſexageſimoquarto, pontificatus ſanctiſſimi domini noſtri domini Pii divina providentia papæ IV. anno quinto, in conſiſtorio ſecreto apud ſanctum Petrum, reverendiſſimi domini domini mei cardinales Moronus & Simoneta, nuper reverſi a ſacro concilio Tridentino, cui uti ſedis apoſtolicæ legati præerant, petierunt ab eodem ſanctiſſimo domino noſtro ut infra.

Beatiſſime pater, in decreto ſuper fine concilii œcumenici Tridentini, pridie Nonas Decembris præteriti publicato, ſtatutum fuit ut per ſanctitatis veſtræ & ſanctæ ſedis apoſtolicæ legatos & præſidentes peteretur nomine dicti concilii a ſanctitate veſtra confirmatio omnium & ſingulorum, quæ tam ſub felicis recordationis Paulo III. & Julio III. quam ſub ſanctitate veſtra in eo decreta & definita ſunt. Quapropter nos Joannes cardinalis Moronus, & Ludovicus cardinalis Simoneta, qui tunc legati & præſidentes eramus, volentes exequi quod in dicto decreto ſtabilitum fuit, humiliter petimus nomine dicti concilii œcumenici Tridentini, ut ſanctitas veſtra dignetur confirmare omnia & ſingula, quæ tam ſub felicis recordationis Paulo III. & Julio III. quam ſub ſanctitate veſtra in eo decreta & definita ſunt.

Quibus auditis, ſanctitas ſua, viſo & lecto tenore dicti decreti, & habitis votis reverendiſſimorum dominorum meorum cardinalium, reſpondit per hæc verba:

Petitioni, nomine concilii œcumenici Tridentini ſuper ejus confirmatione per dictos legatos nobis factæ, annuentes, omnia & ſingula, quæ in dicto concilio tam ſub felicis recordationis Paulo III. & Julio III. prædeceſſoribus noſtris, quam pontificatus noſtri tempore decreta & definita ſunt, auctoritate apoſtolica, etiam de venerabilium fratrum noſtrorum cardinalium conſilio & aſſenſu, matura cum illis deliberatione præhabita, confirmamus, atque ab omnibus Chriſti fidelibus recipi, & inviolabiliter obſervari mandamus, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen.

Ita eſt. A. cardinalis Farneſius, vicecancellarius.

BULLA

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PII, divina providentia papæ IV.

Super confirmatione œcumenici generalis concilii Tridentini.

Pius epiſcopus ſervus ſervorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

BENEDICTUS Deus & Pater domini noſtri Jeſu Chriſti, Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui reſpicere dignatus eccleſiam ſuam ſanctam, tot procellis & tempeſtatibus agitatam atque vexatam, & gravius in dies laborantem, apto tandem ei ſubvenito, ptatoque remedio. Ad plurimas & pernicioſiſſimas hæreſes extirpandas, ad corrigendos mores, & reſtituendam eccleſiaſticam diſciplinam, ad pacem & concordiam Chriſtiani populi procurandam, indictum jampridem in civitate Tridentina œcumenicum & generale concilium a piæ memoriæ Paulo III. prædeceſſore noſtro, & ſeſſionibus aliquot habitis cœptum fuerat: ab ejus autem ſucceſſore Julio in eam urbem revocatum, poſt alias ſeſſiones celebratas, variis impedimentis & difficultatibus objectis, ne tum quidem peragi potuerat: itaque diutius intermiſſum fuerat, non ſine maximo mœrore omnium; cum quotidie magis eccleſia ejuſmodi remedium imploraret. Nos autem poſt ſuſceptum ſedis apoſtolicæ regimen, tam neceſſarium ac ſalutare opus, ſicut paſtoralis ſolicitudo monebat, divinæ miſericordiæ fiducia perficere aggreſſi, adjuti pio ſtudio cariſſimi in Chriſto filii noſtri Ferdinandi Romanorum imperatoris electi, & aliorum Chriſtianorum regum, rerumpublicarum, ac principum, tandem conſecuti ſumus quod nec diurnis, nec nocturnis curis elaborare deſtitimus, quodque a Patre luminum aſſidue precati ſumus. Cum enim eam in urbem undique ex Chriſtiani nominis nationibus conveniſſet, noſtris convocata literis, & ſua etiam ipſorum pietate excitata, epiſcoporum & aliorum inſignium prælatorum maxima, & œcumenico concilio digna frequentia, præter plurimos alios pios, & ſacrarum literarum ſcientia, divinique & humani juris cognitione præſtantes viros, præſidentibus ipſi ſynodo ſedis apoſtolicæ legatis, nobis adeo concilii libertati faventibus, ut etiam de rebus ſedi apoſtolicæ proprie reſervatis, liberum ipſi concilio arbitrium per literas ad legatos noſtros ſcriptas, ultro permiſerimus, quæ de ſacramentis, & aliis rebus, quæ quidem neceſſariæ viſæ ſint, tractanda, definienda, & ſtatuenda reſtabant, ad confutandas hæreſes, ad tollendos abuſus, & emendandos mores, a ſacroſancta ſynodo ſumma libertate diligentiaque tractata, & accurate ac mature admodum definita, explicata, ſtatuta ſunt. Quibus rebus perfectis, concilium tanta omnium qui illi interfuerunt concordia peractum fuit, ut conſenſum eum plane a domino effectum fuiſſe conſtiterit, idque in noſtris, atque omnium oculis valde mirabile fuerit. Pro quo tam ſingulari Dei muncre ſupplicationes ſtatim in alma hac urbe indiximus, quæ magna cleri & populi pietate celebratæ fuerunt; laudeſque & gratias divinæ majeſtati merito perſolvendas curavimus; cum ejuſmodi concilii exitus ſpem magnam & prope certam attulerit, fore ut majores in dies fructus ad eccleſiam ex ipſius decretis conſtitutionibuſque perveniant. Cum autem ipſa ſancta ſynodus pro ſua erga ſedem apoſtolicam reverentia, antiquorum etiam conciliorum veſtigiis inhærens, decretorum ſuorum omnium quæ noſtro & prædeceſſorum noſtrorum tempore facta ſunt, confirmationem a nobis petierit, decreto de ea re in publica ſeſſione facto, nos ex legatorum literis prius, deinde poſt reditum eorum, ex iis quæ ſynodi nomine diligenter retulerunt, poſtulatione ipſius ſynodi cognita, habita ſuper hac re cum venerabilibus fratribus noſtris, ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalibus, deliberatione matura, ſanctique Spiritus in primis auxilio invocato, cum ea decreta omnia catholica & populo Chriſtiano utilia ac ſalutaria eſſe cognoviſſemus, ad Dei omnipotentis laudem, de eorumdem fratrum noſtrorum conſilio & aſſenſu, in conſiſtorio noſtro ſecreto illa omnia & ſingula auctoritate apoſtolica ho-

ANNO CHRISTI 1564.

ANNO CHRISTI 1564.

ca hodie confirmavimus, & ab omnibus Chriſti fidelibus ſuſcipienda ac ſervanda eſſe decrevimus, ſicut harum quoque literarum tenore ad clariorem omnium notitiam confirmavimus, & ſuſcipi obſervarique decernimus. Mandamus autem in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœnis a ſacris canonibus conſtitutis, aliiſque gravioribus, etiam privationis arbitrio noſtro infligendis, univerſis & ſingulis venerabilibus fratribus noſtris, patriarchis, archiepiſcopis, epiſcopis, & aliis quibuſvis eccleſiarum prælatis cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis & dignitatis ſint, etiamſi cardinalatus honore præfulgeant, ut eadem decreta & ſtatuta in eccleſiis ſuis civitatibus & diœceſibus, in judicio & extra judicium diligenter obſervent, & a ſubditis quiſque ſuis, ad quos quomodolibet pertinent, inviolabiliter faciant obſervari: contradictores quoſlibet & contumaces per ſententias, cenſuras & pœnas eccleſiaſticas, etiam in ipſis decretis contentas, appellatione poſtpoſita, compeſcendo: invocato etiam, ſi opus fuerit, brachii ſæcularis auxilio. Ipſum vero cariſſimum filium noſtrum imperatorem electum, ceteroſque reges, reſpublicas, ac principes Chriſtianos monemus, & per viſcera miſericordiæ domini noſtri Jeſu Chriſti obteſtamur, ut qua pietate concilio per oratores ſuos adfuerunt, eadem pietate ac pari ſtudio, divini honoris & populorum ſuorum ſalutis cauſa, pro ſedis quoque apoſtolicæ & ſacræ ſynodi reverentia, ad ejuſdem concilii exequenda & obſervanda decreta prælatis, cum opus fuerit, auxilio & favore ſuo adſint, neque adverſantes ſanæ ac ſalutari concilii doctrinæ opiniones a populis ditionis ſuæ recipi permittant, ſed eas penitus interdicant. Ad vitandam præterea perverſionem & confuſionem, quæ oriri poſſet, ſi unicuique liceret, prout ei liberet, in decreta concilii, commentarios & interpretationes ſuas edere, apoſtolica auctoritate inhibemus omnibus, tam eccleſiaſticis perſonis, cujuſcumque ſint ordinis, conditionis & gradus, quam laicis quocumque honore ac poteſtate præditis; prælatis quidem ſub interdicti ingreſſus eccleſiæ, aliis vero, quicumque fuerint, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœnis, ne quis ſine auctoritate noſtra audeat ullos commentarios, gloſſas, annotationes, ſcholia, ullumve omnino interpretationis genus ſuper ipſius concilii decretis quocumque modo edere, aut quidquam quocumque nomine, etiam ſub prætextu majoris decretorum corroborationis, aut executionis, aliove quæſito colore, ſtatuere. Si cui vero in eis aliquod obſcurius dictum & ſtatutum fuiſſe, eamque ob cauſam interpretatione, aut deciſione aliqua egere viſum fuerit, aſcendat ad locum, quem dominus elegit, ad ſedem videlicet apoſtolicam, omnium fidelium magiſtram, cujus auctoritatem etiam ipſa ſancta ſynodus tam reverenter agnovit. Nos enim difficultates & controverſias, ſi quæ ex eis decretis ortæ fuerint, nobis declarandas & decidendas, quemadmodum ipſa quoque ſancta ſynodus decrevit, reſervamus; parati, ſicut ea de nobis merito confiſa eſt, omnium provinciarum neceſſitatibus ea ratione, quæ commodior nobis viſa fuerit, providere: decernentes nihilo minus irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Ut hæc autem ad omnium notitiam perveniant, neve quis excuſatione ignorationis uti poſſit, volumus & mandamus ut hæ literæ per aliquos curiæ noſtræ curſores in baſilica Vaticana principis apoſtolorum, & in eccleſia Lateranenſi, tunc, cum in eis populus ut miſſarum ſolennibus interſit congregari ſolet, palam & clara voce recitentur, & poſtquam recitatæ fuerint, ad valvas earum eccleſiarum, itemque cancellariæ apoſtolicæ, & in loco ſolito campi Floræ, affigantur, ibique ut legi & omnibus innoteſcere poſſint, aliquantiſper relinquantur. Cum autem inde amovebuntur, relictis de more ibidem exemplis in alma urbe ad impreſſionem tradantur, quo commodius per Chriſtiani nominis provincias & regna divulgari poſſint. Tranſſumptis quoque earum, quæ manu alicujus publici notarii ſcripta ſubſcriptave, & ſigillo ac ſubſcriptione alicujus perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ, munita fuerint, fidem ſine ulla dubitatione haberi mandamus atque decernimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis, munitionis, inhibitionis, reſervationis, voluntatis, mandatorum & decretorum infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno incarnationis dominicæ milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quarto, VII. Kalendas Februarii, pontificatus noſtri anno V.

EGO PIUS CATHOLICÆ ECCLESIÆ EPISCOPUS.

Ego F. cardinalis Piſanus, epiſcopus Oſtienſis, decanus.

Ego Fed. cardinalis Cæſius, epiſcopus Portuenſis.

Ego Jo. cardinalis Moronus, epiſcopus Tuſculanus.

Ego A. cardinalis Farneſius, vicecancellarius, epiſcopus Sabinus.

*

*

Ego R. cardinalis ſancti Angeli, major pœnitentiarius.

*

*

*

Ego Jo. cardinalis ſancti Vitalis.

Ego Jo. Michael cardinalis Saracenus.

*

Ego Joannes Baptiſta Cicada cardinalis ſancti Clementis.

Ego Scipio cardinalis Piſarum.

Ego Jo. cardinalis Romanus.

Ego F. M. G. cardinalis Alexandrinus.

Ego F. Clemens, cardinalis Aræcœli.

Ego Jac. cardinalis Sabellus.

*

*

Ego B. cardinalis Salviatus.

Ego Ph. cardinalis Aburd.

Ego Lud. cardinalis Simoneta.

*

*

Ego F. cardinalis Pacciecus, y de Tol.

Ego M. A. cardinalis Amulius.

Ego Jo. Franc. cardinalis de Gambara.

Ego Carolus cardinalis Borromæus.

Ego M. S. cardinalis Conſtantienſis.

Ego Alfonſus cardinalis Geſualdus.

ANNO CHRISTI 1564.

Ego Hipp. cardinalis Ferrarienſis.
Ego Franciſcus cardinalis Gonzaga.
*
Ego Gui. Aſc. diac. cardinalis Camer.
Ego Vitellotius, cardinalis Vitellius.
*
*

Ant. Florebellus Lavellinus.
H. Cumyn.

BULLA PII PAPÆ IV. SUPER declaratione temporis ad obſervanda decreta ſacri œcumenici & generalis concilii Tridentini.

Pius epiſcopus ſervus ſervorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

SICUT ad ſacrorum conciliorum decreta ac canones, auctoritas atque confirmatio apoſtolicæ ſedis & debet & ſolet accedere, ita, ſi qua ſuper eis exorta ſit dubitatio, ejuſdem ſedis judicio & declaratione tollenda eſt: ad aures noſtras pervenit, multos eſſe qui dubitent, ex quo tempore cœperunt decreta ſacri generalis concilii Tridentini, ad reformationem & jus poſitivum dumtaxat ſpectantia, eos ad quos pertinent obligare, illa præſertim, quæ tempora certa præſtituunt ad provinciales diœceſanaſque ſynodos celebrandas, ad ſacros ordines ſuſcipiendos, ad religionem profitendam, ad parochiales eccleſias aliaque beneficia eccleſiaſtica, quæ ejuſdem concilii decretis retineri prohibitum ſit, reſignanda, & ad complures hujuſmodi exequendas, ac alias omnes ad prædictam reformationem juſque poſitivum tantum ſpectantes, quæ obſervari aut evitari debent. Nos itaque, ut omnis controverſia dubitatioque tollatur, motu proprio eam rem, prout rationi, juri & æquitati convenire cenſuimus, duximus declarandam. Nam etſi ipſius concilii decreta, etiam de venerabilium fratrum noſtrorum ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalium conſilio & aſſenſu in conſiſtorio noſtro ſecreto confirmata a nobis fuerunt ſub finem menſis Januarii, & ab eo etiam tempore apud hanc ſanctam ſedem obſervari cœperunt, quia tamen non parum temporis in eis Romæ diligenter emendateque imprimendis neceſſario conſumptum fuit, & jure etiam communi ſancitum eſt ut conſtitutiones novæ vim non niſi poſt certum tempus obtineant, æquum nobis & juſtum viſum eſt prædicta decreta, omnia ad dictam reformationem juſque poſitivum dumtaxat ſpectantia, a Kalendis Maii proxime præteriti omnes obligare cœpiſſe; neque poſt eam diem excuſationem cujuſquam, quod ea ignoraverit, admittendam: atque ita apoſtolica auctoritate declaramus ac definimus, & ab omnibus judicari debere mandamus atque ſtatuimus; decernentes irritum & inane, ſi quid ſecus a quoquam quacumque dignitate, auctoritate & poteſtate prædito contigerit judicari; non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus apoſtolicis, aliiſque in contrarium facientibus quibuſcumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ declarationis, definitionis, mandati, ſtatuti & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno incarnationis dominicæ milleſimo quingenteſimo ſexageſimoquarto, quintodecimo Kalendas Auguſti, pontificatus noſtri anno quinto.

ANNO CHRISTI 1564.

Fed. cardinalis Caſius.
Cæſ. Glorierius.
H. Cumyn.

* ** *Regiſtrata apud Cæſarem ſecretarium.*

Anno a nativitate domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quarto, die vero vigeſimo menſis Julii, pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris, & domini noſtri domini Pii, divina providentia papæ quarti, anno quinto, retroſcriptæ literæ affixæ, lectæ, & publicatæ fuerunt in valvis Baſilicarum principis apoſtolorum de Urbe, & ſancti Joannis Lateranenſis, nec non cancellariæ apoſtolicæ, & in acie Campi Floræ. Per nos Jacobum Carra, & Julium Parinum, prælibati S. D. N. papæ curſores.

Antonius Clerici, magiſter curſorum.

* ** BULLA S. D. N. D. PII, DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ IV. Super forma juramenti profeſſionis fidei.

Pius epiſcopus ſervus ſervorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

INIUNCTUM nobis apoſtolicæ ſervitutis officium requirit, ut ea quæ dominus omnipotens, ad providam eccleſiæ ſuæ directionem, ſanctis patribus in nomine ſuo congregatis, divinitus inſpirare dignatus eſt, ad ejus laudem, & gloriam incunctanter exſequi properemus. Cum itaque juxta concilii Tridentini diſpoſitionem omnes, quos deinceps cathedralibus & ſuperioribus eccleſiis præfici, vel quibus de illarum dignitatibus, canonicatibus, & aliis quibuſcumque beneficiis eccleſiaſticis, curam animarum habentibus provideri continget, publicam orthodoxæ fidei profeſſionem facere, ſeque in Romanæ eccleſiæ obedientia permanſuros ſpondere, & jurare teneantur, Nos volentes, etiam per quoſcumque, quibus de monaſteriis, conventibus, domibus, & aliis quibuſcumque locis, regularium quorumcumque ordinum, quocumque nomine vel titulo providebitur, idem ſervari, & ad hoc, ut unius ejuſdemque fidei profeſſio uniformiter ab omnibus exhibeatur, unicaque & certa illius forma cunctis innoteſcat, noſtræ ſolicitudinis partes, in hoc alicui minime deſiderari, formam ipſam, præſentibus annotatam, publicari, & ubique gentium per eos, ad quos ex decretis ipſius concilii & alios prædictos ſpectat, recipi & obſervari, ac ſub pœnis per concilium ipſum in contravenientes latis, juxta hanc & non aliam formam, profeſſionem prædictam ſolenniter fieri, auctoritate apoſtolica tenore præſentium diſtricte præcipiendo mandamus, hujuſmodi ſub tenore.

Ego N. firma fide credo & profiteor omnia & ſingula, quæ continentur in ſymbolo fidei, quo ſancta Romana eccleſia utitur, videlicet: Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, viſibilium omnium, & inviſibilium; & in unum dominum Jeſum Chriſtum, Filium Dei unigenitum, & ex Patre natum ante omnia ſæcula; Deum de Deo; lumen de lumine; Deum verum de Deo vero; genitum, non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt; qui propter nos homines, & pro-

Cap Ego N. de jure jurando.

& propter noſtram ſalutem deſcendit de cœ- A lis, & incarnatus eſt de Spiritu ſancto ex Maria virgine, & homo factus eſt; crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus, & ſepultus eſt; & reſurrexit tertia die ſecundum ſcripturas; & aſcendit in cœlum, ſedet ad dexteram Patris; & iterum venturus eſt cum gloria judicare vivos, & mortuos, cujus regni non erit finis; & in Spiritum ſanctum dominum, & vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit; qui cum Patre, & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur, qui locutus eſt per prohetas: & unam ſanctam catholicam, & apoſtolicam eccleſiam: Confiteor unum baptiſma in remiſſionem peccatorum, & exſpecto reſurrectionem mortuorum, & vitam venturi ſæculi. Amen. Apoſtolicas & eccleſiaſticas traditiones, reliquaſque ejuſdem eccleſiæ obſervationes, & conſtitutiones firmiſſime admitto, & amplector. Item ſacram ſcripturam juxta eum ſenſum, quem tenuit & tenet ſancta mater eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu, & interpretatione ſacrarum ſcripturarum, admitto; nec eam umquam niſi juxta unanimem conſenſum patrum accipiam, & interpretabor. Profiteor quoque ſeptem eſſe vere & proprie ſacramenta novæ legis a Jeſu Chriſto, domino noſtro inſtituta, atque ad ſalutem humani generis, licet non omnia ſingulis neceſſaria, ſcilicet baptiſmum, confirmationem, euchariſtiam, pœnitentiam, extremam unctionem, ordinem & matrimonium, illaque gratiam conferre, & ex his baptiſmum, confirmationem, & ordinem ſine ſacrilegio reiterari non poſſe. Receptos quoque & approbatos eccleſiæ catholicæ ritus, in ſupradictorum omnium ſacramentorum ſolenni adminiſtratione recipio, & admitto: omnia, & ſingula, quæ de peccato originali, & de juſtificatione in ſacroſancta Tridentina ſynodo definita & declarata fuerunt, amplector & recipio: Profiteor pariter in miſſa offerri Deo verum, proprium & propitiatorium ſacrificium pro vivis, & defunctis; atque in ſanctiſſimo euchariſtiæ ſacramento eſſe vere, realiter & ſubſtantialiter corpus & ſanguinem, una cum anima & divinitate domini noſtri Jeſu Chriſti, fierique converſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem; quam converſionem catholica eccleſia tranſſubſtantiationem appellat. Fateor etiam ſub altera tantum ſpecie, totum atque integrum Chriſtum, verumque ſacramentum ſumi. Conſtanter teneo purgatorium eſſe, animaſque ibi detentas fidelium ſuffragiis juvari: ſimiliter & ſanctos una cum Chriſto regnantes, venerandos atque invocandos eſſe, eoſque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias eſſe venerandas. Firmiſſime aſſero, imagines B Chriſti, ac deiparæ ſemper virginis, nec non aliorum ſanctorum, habendas & retinendas eſſe, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam: indulgentiarum etiam poteſtatem a Chriſto in eccleſia relictam fuiſſe; illarumque uſum Chriſtiano populo maxime ſalutarem eſſe, affirmo: Sanctam catholicam & apoſtolicam Romanam eccleſiam, omnium eccleſiarum matrem & magiſtram agnoſco; Romanoque pontifici, beati Petri apoſtolorum principis ſucceſſori, ac Jeſu Chriſti vicario veram obedientiam ſpondeo, ac juro: cetera item omnia a ſacris canonibus, & œcumenicis conciliis, ac præcipue a ſacroſancta Tridentina ſynodo tradita, definita & declarata, indubitanter recipio atque profiteor; ſimulque contraria omnia, atque hæreſes quaſcumque ab eccleſia damnatas, rejectas, & anathematizatas, ego pariter damno, rejicio, & anathematizo: Hanc veram catholicam fidem, extra quam nemo ſalvus eſſe poteſt, quam in præſenti ſponte profiteor, & veraciter teneo, eamdem integram & inviolatam, uſque ad extremum vitæ ſpiritum conſtantiſſime (Deo C adjuvante) retineri & confiteri, atque a meis ſubditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum, ego idem N. ſpondeo, voveo, ac juro. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei evangelia.

Volumus autem quod præſentes literæ in cancellaria noſtra apoſtolica de more legantur, & ut omnibus facilius pateant, in ejus quinterno deſcribatur, ac etiam imprimantur.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ voluntatis & mandati infringere, vel D ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno incarnationis dominicæ milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quarto, Idibus Novembris, pontificatus noſtri anno quinto.

Fed. Cardinalis Caſius.

Ca Glorierius.

Lectæ & publicatæ fuerunt ſupraſcriptæ literæ Romæ in cancellaria apoſtolica, anno incarnationis dominicæ milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quarto, die vero ſabbati nona menſis Decembris, pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris, & domini noſtri, domini Pii Papæ IV. anno quarto.

E *A. Lomelinus cuſtos.*

** MOTUS PROPRIUS S. D. N. D. PII, DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ IV.

Per quem deputantur octo cardinales, qui faciant obſervari reformationes ab ipſo editas, nec non decreta ſacri œcumenici, & generalis concilii Tridentini.

PIUS PAPA IV.

MOTU proprio, &c. Alias nos nonnullas conſtitutiones, & ordinationes, reformationem

majoris pœnitentiarii, ac ſacræ pœnitentiariæ noſtræ, ac vicarii noſtri, ac ejus officii, nec non camerarii, & cameræ apoſtolicæ, ac illius cauſarum auditoris, nec non palatii apoſtolici cauſarum auditorum, ac gubernatoris, & Capitolinæ curiarum, & contradictarum, aliorumque almæ Urbis noſtræ, ac Romanæ curiæ tribunalium, & officiorum concernentes, edidimus; quæ tamen (ut intelleximus) ab eorumdem officiorum, & tribunalium præfectis, ac officialibus minus diligenter obſervantur. Cum autem enixæ voluntatis ſit, ut illa, & pariter decreta ſacri concilii Tridentini, in his, quæ ad eorum officia ſpectant, ab eiſdem omnino obſerventur: Nos propterea conſiderantes, parum eſſe jura condere, niſi ſint, qui ea executioni demandari faciant, & in præmiſſis, prout ex debito paſtoralis officii nobis (meritis licet imparibus) injuncti obligamur, ſalubriter & utiliter providere, præfataſque conſtitutiones, & ordinationes, ac decreta concilii, quas, & quæ hic haberi volumus, pro expreſſis, inviolabiliter obſervari volentes: Venerabili fratri noſtro Joanni epiſcopo Tuſculan. Morono, Jo. Michaeli ſanctæ Anaſtaſiæ Saraceno, ac Jo. Baptiſtæ S. Clementis Cicadæ necnon Michaeli S. Sabinæ Alexandrino, Clementi S. Mariæ in Ara cœli, & Ludovico S Cyriaci in Thermis Simonettæ, ac Carolo S. Martini in Montibus Borromæo presbyteris, necnon Vitellotio S. Mariæ in porticu Vitellio nuncupatis, titulorum, diacono, cardinalibus committimus, & mandamus: quatenus ipſi, ſeu eorum major pars, conjunctim, vel diviſim, eorum arbitrio, etiam tanquam executores dictarum literarum, conſtitutionum, & decretorum prædictorum conſtitutiones, & ordinationes, ac decreta præfata, juxta lectores eorum, ac literarum deſuper confectarum, per quoſcumque pœnitentiariæ, vicariæ, & cameræ, ac rotæ curiarum, ac tribunalium prædictorum judices & officiales, ſub excommunicationis latæ ſententiæ, ac privationis officiorum, & aliis eiſdem cardinalibus bene viſis, etiam pecuniarum, eo ipſo incurrendis pœnis, firmiter obſervari faciant, & cum effectu: niſi, tam in executione dictorum decretorum concilii, quam dictarum literarum noſtrarum, aliqua dubietas, aut difficultas emerſerit: quo caſu ad nos referant, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis, ac eos, qui literis, & decretis prædictis, & eorumdem cardinalium mandatis non paruerint, extunc, prout ex eadem die, & econtra, illorum officiis privatos, necnon ad illa, & alia Romanæ curiæ officia in poſterum obtinenda inhabiles, ac ipſis ab eiſdem officiis ſic privatis, illa tanquam per privationem vacantia a datario noſtro vendi, & a quibuſvis perſonis idoneis pro pretio convenienti emi, libere & licite poſſe auctoritate noſtra curent, nuncient, decernant ac declarent, prout nos harum ſerie nunciamus, decernimus & declaramus. Non obſtantibus quibuſvis conſtitutionibus, & ordinationibus apoſtolicis, ac pœnitentiariæ, & curiarum, nec non tribunalium prædictorum ſtatutis, &c. etiam juramento, &c. roboratis, privilegiis quoque, indultis, & literis apoſtolicis, illis, ac dictis officialibus, & tribunalibus ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis & decretis, etiam motu ſimili, &c. & alias quomodocumque conceſſis. &c. Quibus omnibus, &c. illorum tenores, &c. hac vice latiſſime derogamus, eaque adverſus præmiſſa nullatenus ſufA fragari volumus: ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Placet motu proprio I.

Datum Romæ apud S. Marcum, quarto Nonas Auguſti, anno quinto.

** BULLA S. D. N. PII PAPÆ IV. Revocatoria privilegiorum, exemptionum, immunitatum, facultatum, conſervatoriarum, indultorum, confeſſionalium, maris magni, & aliarum quarumcumque ſimilium gratiarum, quibuſcumque locis & perſonis conceſſarum, in his, in quibus ſtatutis & decretis ſacri concilii Tridentini contrariantur.

Pius epiſcopus ſervus ſervorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

IN principis apoſtolorum ſede, meritis licet imparibus, divina diſpoſitione conſtituti, nihil neque univerſali eccleſiæ, curæ & ſolicitudini noſtræ commiſſæ, ſalubrius, neque injuncto nobis apoſtolicæ ſervitutis officio decentius præſtare poſſumus, quam quod providentiæ noſtræ miniſterio œcumenicum concilium Tridentinum, ſicut noſtris potiſſimum auſpiciis, ſummaque ſanctorum patrum concordia, per Dei miſericordiam feliciter abſolutum fuit: ita, per univerſos, qui Chriſtiana pietate cenſentur, ubique ſuſcipiatur, & remotis quibuſlibet obſtaculis, ab omnibus æqualiter obſervetur. Cum itaque in eodem concilio quamplurima ſalubria, & ad univerſalem morum reformationem valde utilia, decreta atque ſtatuta, maturo præſentium ipſorum examine præcedente, ſint edita, quibus multa atque diverſa privilegia, exemptiones, immunitates, diſpenſationes, facultates, conſervatoriæ, indulta, &, ut vocant confeſſionalia, & mare magnum, & aliæ gratiæ, quæ variis, tam cathedralibus, etiam metropolitanis, quam collegiatis eccleſiis, monaſteriis, conventibus, & aliis religioſis, etiam fratrum mendicantium domibus, & ordinibus: nec non ſancti Spiritus in Saxia, ſancti Joannis Lateranenſis, ac incurabilium de Urbe, ſancti Antonii Viennen. & ſancti Bernardi Juren. aliiſque hoſpitalibus, militiis, eorumque capitulis, & conventibus, ac univerſitatibus, etiam ſtudiorum generalium collegiis, tam ſæcularibus, quam eccleſiaſticis, confraternitatibus, ſocietatibus; & tam principis apoſtolorum de Urbe, quam aliis fabricis, ſanctæ cruciatæ, aliiſque piis locis, & operibus, necnon patriarchis, archiepiſcopis, epiſcopis, prælatis, abbatibus; abbatiſſis, prioribus, præpoſitis, & aliis eccleſiaſticis, tam ſæcularibus, quam diverſorum ordinum & militiarum regularibus, ac etiam laicis cujuſcumque dignitatis, & ſtatus, ac gradus, & excellentiæ, ac etiam ducali, regia, & imperiali dignitate fulgentibus utriuſque ſexus perſonis: necnon aliquibus notariis, & etiam de latere legatis, atque nuntiis, tam perpetuo, quam ad tempus, per plures Romanos pontifices prædeceſſores noſtros, ac nos, & ſedem apoſtolicam, ejuſque legatos hactenus etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ſeu etiam imperatorum, regum, ducum, & aliorum principum contemplatione & intuitu, etiam de fratrum conſilio, diverſimode, variiſque temporibus, in genere, vel ſpecie, ex quavis etiam honeſta cauſa conceſſa, & etiam pluries confirmata & innovata fuerunt, in pleriſque contrariantur.

Nos,

Nos, quibus in primis cordi eſt, tam ſancta & eccleſiæ Dei ſaluberrima decreta ſuos, ut par eſt, effectus ubique conſequi, & ab omnibus obedientialiter obſervari, privilegiorum, exemptionum, immunitatum, facultatum, conſervatoriarum, indultorum, confeſſionalium, maris magni, & aliarum gratiarum prædictarum, ac quarumcumque apoſtolicarum, & aliarum literarum deſuper confectarum, proceſſuumque, decretorum, & aliorum inde ſecutorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, præſentibus pro ſufficienter expreſſis, & plene inſertis habentes: Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, quod eadem omnia, & ſingula privilegia, exemptiones, immunitates, facultates, diſpenſationes, conſervatoriæ, indulta, confeſſionalia, mare magnum, & aliæ gratiæ in his omnibus, & ſingulis, in quibus illa ſtatutis & decretis concilii hujuſmodi contrariantur, ipſo jure revocata, caſſata, & annullata, ac ad ipſius concilii terminos atque limites reducta ſint, & eſſe cenſeantur, nec quidquam adverſus ipſa decreta & ſtatuta, quo minus ubique & apud omnes obſerventur, in aliquo ſuffragari poſſe, ſed ea perinde haberi & reputari debere, ac ſi numquam emanaſſent, auctoritate apoſtolica, tenore præſentium declaramus, ac etiam ſtatuimus, & ordinamus. Decernentes nihilominus omnia & ſingula, quæ vigore privilegiorum, exemptionum, immunitatum, & diſpenſationum, facultatum, conſervatoriarum, indultorum, confeſſionalium, & aliarum quarumcumque gratiarum hujuſmodi poſt id tempus, quo concilium obligare cœpit, facta & geſta quomodolibet fuerunt, & in poſterum fient, in his, in quibus dicti concilii decretis adverſantur, nulla, invalida, & irrita eſſe, & cenſeri, ac nemini, etiam quantumlibet, ut præfertur, qualificato, tam in foro (quod ajunt) fori, quam conſcientiæ ſuffragari poſſe, & debere. Et ita per quoſcumque locorum ordinarios, alioſque judices & commiſſarios quavis auctoritate fungentes, etiam ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi facultate, in utroque foro judicari & definiri debere, ac quidquid ſecus a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter, attentari contigerit, irritum & inane decernimus. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque; Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ declarationis, ſtatuti, ordinationis & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli, apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno incarnationis dominicæ milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quinto, tertio decimo Kalend. Martii pontificatus noſtri anno ſexto.

Caſ. Glorierius.

P. epiſcopus Narnien.

H. Cumyn.

Anno a nativitate domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quinto, indictione ſexta, die vero vigeſimaquarta menſis Februarii, pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. noſtri, domini Pii divina providentia papæ quarti, anno ejus ſexto, retroſcriptæ literæ apoſtolicæ affixæ & publicatæ fuerunt in acie Campi Floræ, & vis cancellariæ apoſtolicæ, per nos Nicolaum de Matthæis, & Camillum Cherubinum S. D. N. papæ curſores.

Philibertus Phapuis magiſter curſorum.

** PIUS PAPA IV.

AD FUTURAM REI MEMORIAM.

DOMINICI gregis cuſtodiæ, domino diſponente, præpoſiti, vigilis more paſtoris, non deſiſtimus ipſi gregi ab imminentibus periculis, quanta maxima poſſumus cura, & diligentia, præcavere; ne propter negligentiam noſtram pereant oves, quæ pretioſiſſimo domini noſtri Jeſu Chriſti ſanguine ſunt redemptæ. Etſi autem quæ ad fidei veritatem patefaciendam, & ad horum temporum hæreſes confutandas pertinebant, in œcumenico, & generali concilio Tridentino, ſancti Spiritus aſſiſtente gratia, nuper adeo enucleata, ac definita fuerunt; ut facile jam ſit unicuique ſanam catholicamque doctrinam a falſa, adulterinaque internoſcere: tamen cum librorum ab hæreticis editorum lectio non modo ſimpliciores homines corrumpere ſoleat, verum ſæpe etiam doctos eruditoſque in varios errores, & a veritate fidei catholicæ alienas opiniones inducere; huic quoque rei eſſe duximus providendum. Cum autem aptiſſimum ei malo remedium eſſe ſciremus, ſi componeretur atque ederetur index, ſive catalogus librorum, qui vel hæretici ſint, vel de hæretica pravitate ſuſpecti, vel certe moribus, & pietati noceant: id negotium ad ſacram Tridentinam ſynodum rejeceramus. Ea vero ex tanta epiſcoporum, & aliorum doctiſſimorum virorum copia delegit ad eum conficiendum indicem multos cum doctrina, tum judicio inſignes prælatos ex omnibus fere nationibus, qui quidem, non ſine maximo labore, plurimiſque vigiliis, cum indicem tandem, Deo juvante, perfecerunt, adhibitis etiam in conſilium lectiſſimis quibuſdam theologis, peracto autem concilio, cum ex ipſius ſynodi decreto is index nobis oblatus fuiſſet; ut ne ante ederetur, quam a nobis approbatus fuiſſet: nos doctiſſimis quibuſdam, probatiſſimiſque prælatis eum accuratiſſime legendum, examinandumque tradidimus, & ipſi etiam legimus. Cum igitur eum magno ſtudio, acri judicio, diuturna cura confectum, & præterea commodiſſime digeſtum eſſe cognoverimus, nos ſaluti animarum conſulere, eamque ob cauſam providere cupientes, ne libri, & ſcripta cujuſcumque generis, quæ in eo improbantur, ſive ut hæretica, ſive ut de hæretica pravitate ſuſpecta, ſive ut pietati, ac morum honeſtati inutilia, aut aliqua correctione ſaltem indigentia, poſthac a Chriſti fidelibus legantur; ipſum indicem, una cum regulis ei præpoſitis, auctoritate apoſtolica, tenore præſentium, approbamus, imprimique ac divulgari, & ab omnibus univerſitatibus catholicis, ac quibuſcumque aliis ubique ſuſcipi, eaſque regulas obſervari mandamus, atque decernimus: inhibentes omnibus, & ſingulis, tam eccleſiaſticis perſonis ſæcularibus, & regularibus, cujuſcumque gradus, ordinis, & dignitatis ſint; quam laicis, quocumque honore, ac dignitate præditis; ne quis contra earum regularum præſcriptum, aut ipſius prohibitionem indicis libros ullos legere, habereve audeat. Si quis autem adverſus eas regulas, prohibitionemque fecerit; is quidem, qui hæreticorum libros, vel cujuſve auctoris ſcripta

pta propter hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem damnata, atque prohibita legerit, habuerit ve; ipso jure in excommunicationis pœnam incidat: eamque ob causam in eum tanquam de hæresi suspectum inquiri, & procedi liceat; præter alias pœnas, super hoc ab apostolica sede, sacrisque canonibus constitutas. Qui autem libros alias de causa prohibitos legerit, habuerit ve; præter peccati mortalis reatum, episcoporum arbitrio severe se noverit puniendum: Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus apostolicis contrariis quibuscumque; aut si quibus communiter, vel divisim ab eadem sit sede indultum, ne excommunicari possint, per literas apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto hujusmodi mentionem. Ut hæc autem ad omnium notitiam perveniant; neve quis excusatione ignorationis uti possit, volumus, & mandamus, ut hæ literæ per aliquos curiæ nostræ cursores in Basilica Vaticana principis apostolorum, & in ecclesia Lateranensi tunc, cum in eis populus, ut missarum solemnibus interesit, congregari solet, palam, & clara voce recitentur; &, postquam recitatæ fuerint, ad valvas earum ecclesiarum, itemque cancellariæ apostolicæ, & in loco solito Campi Floræ affigantur, ibique ut legi, & omnibus innotescere possint, aliquantisper relinquantur. Cum autem inde amovebuntur; earum exempla in iisdem locis affixa remaneant. Nos enim, per recitationem hanc, publicationem, & affixionem, omnes, & singulos, qui his literis comprehenduntur, post tres menses, a die publicationis, & affixionis earum numerandos, volumus perinde astrictos, & obligatos esse, ac si ipsimet illæ editæ, lectæque fuissent. Transumptis quoque earum, quæ manu alicujus publici notarii scripta, subscriptave, & sigillo, ac subscriptione alicujus personæ, in dignitate ecclesiastica constitutæ, munita fuerint, fidem sine ulla dubitatione haberi mandamus, atque decernimus. Dat. Romæ, apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die 24. Martii, MDLXIV. pontificatus nostri anno quinto.

Antonius Florebellus, Lavellinus.

*** *In indicem librorum prohibitorum, confectum a deputatione Tridentina synodi, reverendi patris fratris Francisci Forerii, ordinis fratrum Prædicatorum, S. theologiæ professoris, & ejusdem deputationis secretarii.*

CUM sancta œcumenica Tridentina synodus, iis rationibus adducta, quæ in secundæ sessionis decreto sub beatissimo Pio IV. pontifice Max. explicatæ sunt, censuisset, ut patres aliquot, ex omnibus fere nationibus delecti, de librorum censuris quid statuendum esset, diligenter cogitarent; in eam tandem sententiam post diuturnam deliberationem venerunt, ut judicarint nihil utilius fieri posse, quam si Romanus ille prohibitorum librorum index, ab inquisitoribus Romæ postremo confectus, paucis tantum demptis, atque etiam additis, retineretur; quippe qui, cum magna maturitate a multis viris doctis compositus, plurimos comprehendat auctores, atque in ordinem satis commodum digestus esse videatur. Quoniam vero intelligebant, propterea in aliquibus provinciis ac locis hactenus eum indicem receptum non esse, quod in eo quidam libri prohiberentur, quorum lectione viri docti privati, magno incommodo afficerentur; atque animadvertentes etiam in eo esse nonnulla parum explicate polita, quæ interpretatione indigerent; re multum diuque deliberationibus agitata, ac viris etiam ex omni natione, theologicæ facultatis scientissimis, in consilium adhibitis, subjectas regulas componendas judicarunt; ut, quoad ejus fieri posset, doctorum hominum commodis, & studiis, salva veritate, ac religione, prospiceretur. Illud igitur in primis observare oportet, unamquamque pene alphabeti literam tres habere classes. In prima non tam libri quam librorum scriptores continentur, qui aut hæretici, aut nota hæresis suspecti fuerunt, horum enim catalogum fieri oportuit, ut omnes intelligant, eorum scripta, non edita solum, sed edenda etiam, prohibita esse. Sed illud etiam animadvertendum est, quod licet multi præterea sint, qui justissimis de causis in hanc classem referri poterant, Patribus tamen non is fuit animus, aut ad eorum pertinebat institutum, ut eos ad unum perquirerent; sed iis pene contenti fuere, qui in Romano catalogo descripti sunt, de aliis vero ejusdem generis auctoribus idem ab ordinariis, & inquisitoribus statuendum esse existimarunt. In secundam classem non auctores, sed libri sunt relati, qui propter doctrinam, quam continent, non sanam, aut suspectam, aut quæ offensionem etiam in moribus tantum fidelibus afferre potest, rejiciuntur, etiam si auctores, a quibus prodiere, ab ecclesia nunquam defeciverunt. Tertia vero & ultima classis eos libros complectitur, qui sine scriptoris nomine exierunt in vulgus, & eam doctrinam continent, quam Romana ecclesia, tanquam catholicæ fidei, aut morum integritati contrariam, refutandam, ac repellendam esse decernit, non enim omnes libri, qui nomen auctoris non præferunt, damnandos putarunt: quandoquidem sæpe viros doctos, ac sanctos novimus, ut Christiana quidem Resp. ex eorum vigiliis fructum caperet, ipsi vero inanem gloriam evitarent, libros optimos sine nomine edidisse, sed eos tantum, qui aut liquido pravam, aut dubiam fidei doctrinam, sive moribus pernicioſam continent: at vero, qui sint hujusmodi, aut tales censeri debeant præter eos, qui in hoc catalogo descripti sunt; episcopi, & inquisitores una cum theologorum catholicorum consilio dijudicabunt, sed propter nostrorum temporum malitiam, ne in posterum libri sine nomine auctoris edantur, decreto quartæ sessionis Tridentini concilii sub fel. rec. Paulo III. quod incipit, Sed & impressoribus, &c. provisum est.

*** DE LIBRIS PROHIBITIS

REGULÆ X.

Per patres a Tridentina synodo delectos concinnatæ, & a PIO PP. IV. comprobatæ super constitutione quæ incipit, Dominici, die 24. Martii anno 1564.

REGULA I.*

LIBRI omnes quos ante annum MDXV. aut summi pontifices, aut concilia œcumenica damnarunt, & in hoc indice non sunt, eodem modo damnati esse censeantur, sicut olim damnati fuerunt.

* Plura de iis habentur in ipsis indicibus librorum prohibitorum sæpius in Italia, Gallia, Belgio, Germania atque Hispania excusis.

REGU-

REGULA II.

Hæresiarcharum libri, tam eorum, qui post prædictum annum hæreses invenerunt, vel suscitarunt, quam qui hæreticorum capita aut duces sunt vel fuerunt, quales sunt Lutherus, Zuinglius, Calvinus, Balthasar Pacimontanus, Svvenchfeldius, & his similes, cujuscumque nominis, tituli aut argumenti existant, omnino prohibentur. Aliorum autem hæreticorum libri, qui de religione quidem ex professo tractant, a theologis catholicis, jussu episcoporum & inquisitorum examinati & approbati permittantur. Libri etiam catholici conscripti, tam ab aliis qui postea in hæresim lapsi sunt, quam ab illis qui post lapsum ad ecclesiæ gremium rediere, approbati a facultate theologica alicujus universitatis catholicæ, vel ab inquisitione generali permitti poterunt.

REGULA III.

Versiones scriptorum etiam ecclesiasticorum, quæ hactenus editæ sunt a damnatis auctoribus, modo nihil contra sanam doctrinam contineant, permittuntur. Librorum autem veteris testamenti versiones, viris tantum doctis & piis judicio episcopi concedi poterunt: modo hujusmodi versionibus tanquam elucidationibus vulgatæ editionis, ad intelligendam sacram scripturam, non autem tanquam sano textu utantur. Versiones vero novi testamenti ab auctoribus primæ classis hujus indicis factæ nemini concedantur; quia utilitatis parum, periculi vero plurimum lectoribus ex earum lectione manare solet. Si quæ vero annotationes cum hujusmodi quæ permittuntur versionibus, vel cum vulgata editione circumferuntur, expunctis locis suspectis a facultate theologica alicujus universitatis catholicæ, aut inquisitione generali, permitti eisdem poterunt, quibus & versiones. Quibus conditionibus totum volumen bibliorum, quod vulgo Biblia Vatabli dicitur, aut partes ejus concedi viris pii & doctis poterunt. Ex bibliis vero Isidori Clarii Brixiani prologus & prolegomena præcidantur; ejus vero textum nemo textum vulgatæ editionis esse existimet.

REGULA IV.

Cum experimento manifestum sit, si sacra biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde, ob hominum temeritatem, detrimenti, quam utilitatis oriri, hac in parte judicio episcopi aut inquisitoris stetur: ut cum consilio parochi, vel confessarii, bibliorum a catholicis auctoribus versorum lectionem in vulgari lingua eis concedere possint, quos intellexerint ex hujusmodi lectione, non damnum, sed fidei atque pietatis augmentum capere posse: quam facultatem in scriptis habeant. Qui autem absque tali faculrate ea legere seu habere præsumpserit, nisi prius bibliis ordinario redditis, peccatorum absolutionem percipere non possit. Bibliopolæ vero, qui prædictam facultatem non habenti biblia idiomate vulgari conscripta vendiderint, vel alio quovis modo concesserint, librorum pretium, in usus pios ab episcopo convertendum, amittant, aliisque pœnis pro delicti qualitate ejusdem episcopi arbitrio subjaceant. Regulares vero non nisi facultate a prælatis suis habita, ea legere, aut emere possint.

REGULA V.

Libri illi, qui hæreticorum auctorum opera interdum prodeunt, in quibus nulla aut pauca de suo apponunt, sed aliorum dicta colligunt, cujusmodi sunt lexica, concordantiæ, apophthegmata, similitudines, indices, & hujusmodi, si quæ habeant admista, quæ expurgatione indigeant, illis episcopi, & inquisitores, una cum theologorum concilio, sublatis aut emendatis, permittantur.

REGULA VI.

Libri vulgari idiomate de controversiis inter catholicos & hæreticos nostri temporis differentes, non passim permittantur: sed idem de iis servetur, quod de bibliis vulgari lingua scriptis statutum est. Qui vero de ratione bene vivendi, contemplandi, confitendi, ac similibus argumentis, vulgari sermone conscripti sunt, si sacram doctrinam contineant, non est cur prohibeantur; sicut nec sermones populares vulgari lingua habiti. Quod si hactenus in aliquo regno vel provincia aliqui libri sunt prohibiti, quod nonnulla continerent quæ sine delectu ab omnibus legi non expediat, si eorum auctores catholici sunt, postquam emendati fuerunt, permitti ab episcopo, & inquisitore poterunt.

REGULA VII.

Libri, qui res lascivas seu obscænas ex professo tractant, narrant, aut docent, cum non solum fidei, sed & morum, qui hujusmodi librorum lectione facile corrumpi solent, ratio habenda sit, omnino prohibentur; & qui eos habuerint, severe ab episcopis puniantur. Antiqui vero ab Ethnicis conscriptis, propter sermonis elegantiam & proprietatem permittuntur: nulla tamen ratione pueris prælegendi erunt.

REGULA VIII.

Libri quorum principale argumentum bonum est, in quibus tamen obiter aliqua inserta sunt, quæ ad hæresim, seu impietatem, divinationem seu superstitionem spectant, a catholicis theologis, inquisitionis generalis auctoritate, expurgati concedi possint. Idem judicium sit de prologis, summariis, seu annotationibus quæ a damnatis auctoribus, libris non damnatis, appositæ sunt: sed posthac non nisi emendati exeudantur.

REGULA IX.

Libri omnes & scripta geomantiæ, hydromantiæ, aeromantiæ, piromantiæ, onomantiæ, chiromantiæ, necromantiæ, sive in quibus continentur sortilegia, veneficia, auguria, auspicia, incantationes artis magicæ, prorsus rejiciuntur. Episcopi vero diligenter provideant, ne astrologiæ judiciariæ libri, tractatus, indices legantur, vel habeantur, qui de futuris contingentibus, successibus, fortuitisve casibus, aut iis actionibus, quæ ab humana voluntate pendent, certo aliquid eventurum affirmare audent. Permittuntur autem judicia, & naturales observationes, quæ navigationis, agriculturæ, sive medicæ artis juvandæ gratia conscripta sunt.

REGU-

REGULA X.

In librorum, aliarumve ſcripturarum impreſſione ſervetur, quod in concilio Lateranenſi ſub Leone X. Seſſ. 10. ſtatutum eſt. Quare, ſi in alma urbe Roma liber aliquis ſit imprimendus, per vicarium ſummi pontificis, & ſacri palatii magiſtrum, vel perſonas a ſanctiſſimo domino noſtro deputandas, prius examinetur. In aliis vero locis ad epiſcopum, vel alium habentem ſcientiam libri, vel ſcripturæ imprimendæ, ab eodem epiſcopo deputandum, ac inquiſitorem hæreticæ pravitatis ejus civitatis, vel diœceſis, in qua impreſſio fiet, ejus approbatio & examen pertineat, & per eorum manum propria ſubſcriptione gratis & ſine dilatione imponendam ſub pœnis & cenſuris in eodem decreto contentis approbetur: hac lege & conditione addita, ut exemplum libri imprimendi authenticum, & manu auctoris ſubſcriptum, apud examinatorem remaneat; eos vero, qui libellos manuſcriptos vulgant, niſi ante examinati probatique fuerint, iiſdem pœnis ſubjici debere judicarint patres deputati, quibus impreſſores, & qui eos habuerint, & legerint, niſi auctores prodiderint, pro auctoribus habeantur. Ipſa vero hujuſmodi librorum probatio in ſcriptis detur, & in fronte libri vel ſcripti, vel impreſſi authentice appareat, probatioque & examen, ac cetera gratis fiant. Præterea in ſingulis civitatibus ac diœceſibus, domus vel loci, ubi ars impreſſoria exercetur, & bibliotheca librorum venalium, ſæpius viſitentur a perſonis ad id deputandis ab epiſcopo, ſeu ejus vicario, atque etiam ab inquiſitore hæreticæ pravitatis, ut nihil eorum quæ prohibentur aut imprimatur, aut vendatur, aut habeatur. Omnes vero librarii, & quicumque librorum venditores habeant in ſuis bibliothecis indicem librorum venalium, quos habent, cum ſubſcriptione dictarum perſonarum, nec alios libros habeant, aut vendant, aut quacumque ratione tradant, ſine licentia eorumdem deputandorum, ſub pœna amiſſionis librorum, & aliis arbitrio epiſcoporum, vel inquiſitorum imponendis. Emptores vero, lectores, vel impreſſores, eorumdem arbitrio puniantur. Quod ſi aliqui libros quoſcumque in aliquam civitatem introducant, teneantur eiſdem perſonis deputandis renuntiare; vel ſi locus publicus mercibus ejuſmodi conſtitutus ſit, miniſtri publici ejus loci prædictis perſonis ſignificent libros eſſe adductos. Nemo vero audeat librum, quem ipſe vel alius in civitatem introduxit, alicui legendum tradere, vel aliqua ratione alienare, aut commodare, niſi oſtenſo prius libro, & habita licentia a perſonis deputandis, aut niſi notorie conſtet, librum jam eſſe omnibus permiſſum. Idem quoque ſervetur ab hæredibus & executoribus ultimarum voluntatum, ut libros a defunctis relictos, ſive eorum indicem illis perſonis deputandis offerant, & ab iis licentiam obtineant, priuſquam eis utantur, aut in alias perſonas quacumque ratione transferant. In his autem omnibus & ſingulis pœna ſtatuatur vel amiſſionis librorum, vel alia arbitrio eorumdem epiſcoporum, vel inquiſitorum pro qualitate contumaciæ vel delicti.

Circa vero libros, quos patres deputati examinarunt, aut expurgarunt, aut expurgandos tradiderunt, aut certis conditionibus, ut rurſus excuderentur, conceſſerunt, quidquid illos ſtatuiſſe conſtiterit, tam bibliopolæ, quam ceteri obſervent. Liberum tamen ſit epiſcopis aut inquiſitoribus generalibus, ſecundum facultatem quam habent, eos etiam libros, qui his regulis permitti videntur, prohibere, ſi hoc in ſuis regnis, aut provinciis, vel diœceſibus expedire judicaverint. Ceterum nomina, cum librorum qui a patribus deputatis purgati ſunt, tum eorum, quibus illi hanc provinciam dederunt, eorumdem deputatorum ſecretarius notario ſacræ univerſalis inquiſitionis Romanæ deſcripta ſanctiſſimi domini noſtri juſſu tradidit.

Ad extremum vero omnibus fidelibus præcipitur, ne quis audeat contra harum regularum præſcriptum, aut hujus indicis prohibitionem libros aliquos legere aut habere. Quod ſi quis libros hæreticorum, vel cujuſvis auctoris ſcripta, ob hæreſim, vel ob falſi dogmatis ſuſpicionem damnata atque prohibita legerit, ſive habuerit, ſtatim in excommunicationis ſententiam incurrat. Qui vero libros alio nomine interdictos legerit, aut habuerit, præter peccati mortalis reatum, quo afficitur, judicio epiſcoporum ſevere puniatur.

Laus Deo beatæque virgini matri Mariæ.

SACRI

SACRI CONCILII TRIDENTINI TA ΙΣΤΟΡΙΚΑ.

EX EDITIONE LOVANIENSI ANNI MDLXVII.
APUD PETRUM ZANGRIUM TILETANUM
Probante Cornelio Janſenio poſt ep. Gandavenſi:

HOC EST,

I.
Chriſtianorum principum ad ſacrum concilium Tridentinum literæ & mandata.
II.
Legatorum ab iiſdem miſſorum habitæ ad ſacram ſynodum orationes.
III.
Sacræ ſynodi reſponſa ad eaſdem legatorum orationes.
IV.
Sanctorum patrum & doctiſſimorum virorum, tum ad ſacram ſynodum, tum ad patres ibi congregatos, orationes & conciones elegantiſſimæ.
V.
Eorumdem de rebus gravioribus exhibitæ patribus ſententiæ aliquot & nonnullæ coram iiſdem habitæ diſputationes.
VI.
Reginaldi Poli Card. libri duo, cum oratione Petri Fontidonii, &c.

QUIBUS ACCESSIT ET NOVA

APPENDIX,

Opera & ſtudio PHILIPPI LABBE, BITURICI, S. J. Qui omnia modo caſtigatius locupletiuſque publicam in lucem emittenda curavit, ut jam ab anno 1661. curioſis conciliorum indagatoribus promiſerat in ſynopſi hiſtorica, quam lector conſulat pag. 264. & ſeqq.

OBSERVATIO PHILIPPI LABBE
BITURICI SOCIETATIS JESU.

Alphabeticum dumtaxat indicem omnium episcoporum, regum, principum, doctorum, aliorumve quorumlibet auctorum, quorum epistolæ, mandata, responsa, orationes, conciones, acta, apologiæ, similiaque monumenta recensentur, exhibuit nunquam repetita hactenus Lovaniensis editio: at chronologicum servato quo singula decurrunt temporum ordine prætermisit. Nos vero dilato tantisper in commodiorem locum elementario catalogo, in gratiam lectorum veritatis historicæ amantium, unicum hic præmittemus chronologicum ex pag. 265. ac sequentibus nostræ synopseos seu promptuarii synodici, præfixis cuique numeris, ut cum expeditius inveniri, tum accuratius allegari in posterum possint. Quod vero ad appendicem Tridentinam attinet, ex orationibus, epistolis, actis, similibusque, quæ Lovanienses præterierunt, quæque a nobis hinc inde variam bibliothecarum nostratium loculamenta rimantibus detecta sunt ac deprehensa, contextam, variisque subinde accessionibus locupletatam, suus erit postea dicendi locus. Interim omnia æqui bonique consule, quisquis hæc intueris, ac nobiscum mirari non desine, cur Surius, Binius, regiusque collector, atque alii qui tanto labore tantaque diligentia conquisierunt ac scrutati sunt omnia quæ ad historiam aliorum conciliorum, præcipue generalium, pertinent; ut ex orationibus quatuor in uno Basileensi concilio recitatis integrum volumen obtulerint lectoribus, cum appendicibus innumerabilium epistolarum, literarum, tractatuum, apologiarum, responsionum, confirmationum, orationum, sermonum, &c. in unico eoque postremo concilio Tridentino exornando, tanquam inertes poetæ in extremo actu defecerint, lectoresque jejunos hianteſque dimiserint. Huic malo remedium afferre conati sunt doctores Lovanienses de republica literaria bene meriti, atque is inter ceteros, quantum conjectura consequi possum, cujus nomen sequenti approbationis formulæ subscriptum apparet:

Opus hoc propter utilem diversarum materiarum & rerumgestarum notitiam, dignissimum est, ut ab omnibus legatur.

Ita esse testor: CORNELIUS JANSENIUS, S. Theol. doctor.

INDEX
MANDATORUM, LITERARUM, ORATIONUM, CONCIONUM, SIMILIUMQUE ACTORUM,
QUÆ CONTINET EDITIO LOVANIENSIS ANNI MDLXVII.

Servato utcumque temporum ordine; defecerunt vero hactenus in Suriana, Biniana ac Luparæa, aliisque conciliorum collectionibus, ut monuimus in synopsi.

PARS PRIMA SUB PAULO III.

I.

ADMONITIO atque hortatio legatorum sedis apostolicæ ad patres in concilio Tridentino, lecta in prima sessione, D. D. Paulo III. pontifice maximo, anno 1545.

II.

Concio fratris *Dominici Soto*, Segobiensis, theologi, ordinis Prædicatorum, de extremo judicio, quod evangelium prima dominica adventus missali Romano legitur, ad legatos & synodum, eadem die Tridenti habita.

III.

Oratio R. P. D. *Cornelii Musti*, episcopi Bitontini, ordinis Minorum, tertia dominica adventus in concilio Tridentino habita.

IV.

Oratio ad patres in concilio Tridentino habita a reverendo patre *Antonio Marinario*, Carmelitano, quarta dominica adventus.

V.

Oratio habita a R. P. fratre *Ambrosio Catharino Polito*, Senensi, ordinis Prædicatorum, in sessione synodi Tridentinæ, die 4. Februarii 1546.

VI.

Oratio insignis ac clarissimi D. *Didaci Mendocia*, oratoris Cæsareæ majestatis, coram legatis sedis apostolicæ habita Tridenti, 3. Maii anno 1546.

VII. VIII.

Oratio illustrissimi D. D. *Francisci a Toleto*, oratoris Cæsarei, ad synodum habita die 8. Aprilis 1546. una cum responsione ejusdem synodi.

IX.

Invictissimi ac Christianissimi *Joannis*, hujus nominis tertii Lusitaniæ regis & Algarbiorum, &c. literæ ad summum pontificem Paulum III. missæ, & in concilio Tridentino recitatæ.

X.

Oratio clarissimi atque facundissimi viri D. *Petri Danesii*, Christianissimi Francorum regis oratoris, ac postea episcopi Vaurensis, ad synodum.

XI.

Oratio habita ad patres concilii Tridentini dominica prima quadragesimæ, anno 1547. per fratrem *Georgium de sancto Jacobo*, ordinis Prædicatorum, conventus S. Dominici Olyssiponensis.

XII.

Oratio ad patres in Tridentino concilio habita a fratre *Antonio Marinario*, Carmelita, dominica quarta in quadragesima, anno 1547.

PARS SECUNDA SUB JULIO III.

Orationes & conciones habitæ in concilio Tridentino sub Julio III. pontifice maximo, cujus præmittitur vita, ex appendice ad Platinum de vitis pontificum.

Bulla apostolica, continuandum concilium Tridentinum indicens.

XIII.

Oratio *Petri Fragi*, doctoris theologi, ad patres in concilio Tridentino habita anno 1551. sacris dominicæ ascensionis solemnibus, ubi illud canitur evangelium, Recumbentibus undecim discipulis apparuit illis Jesus.

XIV.

Salvatoris Salapusii, archiepiscopi Turritani & Sassarensis, oratio in publica solemni sessione a resumpto concilio tertia, ad patres habita Tridenti 11. mensis Octobris, quæ fuit dominica cœnæ nuptiarum, anno domini 1551.

XV.

De Christiana professione oratio, & ad sanctissimum magni illius præcursoris nostri Jesu Christi imitandum exemplar, in tertia adventus dominica 1551. vero Christiano a sancta ecclesia propositum & recitatum, humilis & pia hortatio ab Augustinensis familiæ ordinis eremitarum religioso habita, fratre *Leonardo Aretino*.

XVI.

Fratris *Mariani Rocha*, Feltrensis, ordinis eremitarum sancti Augustini, prioris monasterii divi Marci de Tridento, ac theologorum minimi, oratio ad patres habita in concilio Tridentino, dominica tertia quadragesimæ 1552.

XVII.

Oratio apud illustrissimum cardinalem Crescentium in concilio Tridentino legatum, plena episcoporum concione habita per reverendum dominum *Paulum Passotam*, sacræ theologiæ professorem.

XVIII.

Oratio de circumcisione domini habita in concilio œcumenico Tridentino, anno domini 1552. per fratrem *Everhardum Billicum*, Colonienſem, theologum, fratrum Carmelitarum inferioris Germaniæ provincialem.

XIX.

Oratio *Francisci Heredia*, doctoris theologi, eleemosynarii & concionatoris cathedralis ecclesiæ Tirasonensis, in solemni die omnium sanctorum ad patres habita in concilio Tridentino, anno 1552.

XX.

Sententia venerabilis domini *Joannis Hasselani*, sacræ theologiæ in academia Lovaniensi quondam professoris, super facto Nectarii episcopi Constantinopolitani circa sublationem confessionis, præsidentibus concilii Tridentini exhibita, ac nunquam antehac edita.

PARS TERTIA SUB PIO IV.

Ex actis concilii Tridentini Christianorum principum ad sacrum concilium literæ & mandata, legatorumque ab iisdem missorum habitæ orationes, una cum sanctæ ipsius synodi responsionibus, Pio IV. pontifice maximo, & Ferdinando I. Cæsare augusto.

XXI.

Mandatum *Ferdinandi* imperatoris electi, in perso-

perſonam ſui oratoris pro regno Hungariæ exhibitum die 24. Februarii anni 1562. in congregatione generali, & in ſeſſione ſecunda, die 26. dicti menſis.

XXII.

Mandatum invictiſſimi *Ferdinandi*, tanquam imperatoris electi, & regis Bohemiæ, & archidueis Auſtriæ, in perſonam ſuorum oratorum exhibitum in ſeſſione ſecunda Tridentina ſub Pio IV.

XXIII.

Literæ *Ferdinandi* imperatoris electi, quibus conſtituit oratorem in concilio uti rex Hungariæ, exhibitæ in generali congregatione, die 6. Februarii 1562.

XXIV. XXV. XXVI. XXVII.

Oratio habita a reverendiſſimo D. *Georgio Draſcovitio*, epiſcopo Quinqueccleſienſi, auguſtiſſimi D. Ferdinandi Romanorum imperatoris electi, &c. conſiliario, & pro regno Hungariæ oratore, Trideuti in generali congregatione, die 24. Februarii 1562. cum reſponſis ſynodi.

XVIII. XXIX. XXX. XXXI.

Comparitio oratoris *Sebaſtiani* Portugalliæ regis. Literæ Sebaſtiani regis Portugalliæ ad concilium Tridentinum exhibitæ per ejus oratorem, die 9. Februarii 1562. in congregatione generali, & poſtea in ſeſſione ſecunda, die 26. dicti menſis. Mandatum Sebaſtiani regis Portugalliæ in perſonam ſui oratoris in concilio Tridentino, in ejus comparitione in generali congregatione, 9. Februarii, & in ſeſſione ſecunda die 26. dicti menſis 1562. Oratio habita ſereniſſimi Portugalliæ Algarbiorumque regis Sebaſtiani nomine, in concilio Tridentino, die 9. Februarii 1562. Reſponſum ſanctæ ſynodi datum illuſtriſſimo oratori ſereniſſimi regis Portugalliæ in ejus comparitione, die 9. Februarii 1562. & in ſecunda ſeſſione, 26. ejuſdem menſis.

XXXII. XXXIII. XXXIV.

Comparitio oratoris *Philippi* Hiſpaniarum, &c. regis catholici. Mandatum in perſonam ſui oratoris in concilio Tridentino exhibitum die 16. Martii 1562. & in ſeſſione tertia die 24. Maii. *Galeatii Brugoræ*, patricii Mediolanenſis, & regii fiſci patroni, oratio habita Trideuti in concilio patrum, nomine illuſtriſſimi & excellentiſſimi *Davali*, marchionis Piſcariæ, regis catholici oratoris, die 16. Martii 1562. Reſponſum ſanctæ ſynodi in admiſſione oratoris Philippi Hiſpaniarum regis catholici.

XXXV. XXXVI. XXXVII. XXXVIII.

Comparitio oratoris *Coſmi* ducis Florentiæ ad generoſiſſimos legatos exhibita per ejus oratorem die Martii 1562. Mandatum illuſtriſſimi D. Coſmi Medices, Florentiæ & Senarum ducis, in perſonam ſui oratoris, in ſeſſione tertia itidem, 14. Maii 1562. Oratio habita a magnifico D. *Joanne Strozzio*, oratore illuſtriſſimi Coſmi Medicis, ducis Florentiæ & Senarum, in ejus comparitione die 16. Martii 1562. cum reſponſo ſynodi.

XXXIX. XL. XLI.

Comparitio oratorum reipublicæ *Venetorum*. Literæ reipublicæ Venetorum ad ſacrum concilium exhibitæ ab ejus oratoribus die 25. Aprilis 1562. in congregatione generali, & in ſeſſione tertia die 14. Maii. Mandatum & reſponſum.

XLII.

Proteſtatio facta ab illuſtriſſimo D. comite *de Luna*, oratore *Philippi* regis catholici, in ejus prima comparitione in generali congregatione die 21. Maii 1563. ſuper præcedentia, quam ſibi deberi proximam oratoribus regis Romanorum adſerit.

XLIII.

Reſponſum oratorum Chriſtianiſſimi regis ad proteſtationem oratotum regis catholici ſuper præcedentia in generali congregatione, die 21. Maii 1563.

XLIV.

Mandatum *Philippi* regis catholici exhibitum ab illuſtriſſimo D. comite *a Luna* ejus oratore in generali congregatione, die 21. Maii 1563.

XLV. XLVI.

Petri Fontidonii Segovienſis, doctoris theologi, oratio habita ad patres in ſacro concilio Tridentino, nomine illuſtriſſimi viri D. *Claudii Fernandes Quignonii*, melius forte Hernandes Vegil de Quignones, comitis Lunenſis, regis catholici oratoris, die 21. Maii 1563. cum reſponſo ſynodi.

XLVII.

Comparitio oratorum *Caroli* IX. regis Chriſtianiſſimi die 26. Maii anni 1562. quæ præcedere debuerat comparitionem oratoris regis catholici, ſi Lovanienſes rectam temporum rationem, ut exigebat hiſtoricæ narrationis non fucata veritas, ſervare voluiſſent. Literæ *Caroli* Chriſtianiſſimi Gallorum regis exhibitæ ab ejus oratoribus die 26. Maii in generali congregatione, & poſtea in ſeſſione quarta die 4. Junii anni 1562.

XLVIII.

Oratio habita a *Guidone Fabro* oratore Caroli Gallorum regis Chriſtianiſſimi, in generali congregatione, die 26. Maii 1562.

XLIX.

Reſponſum ſanctæ ſynodi in admiſſione oratorum regis Chriſtianiſſimi, datum in ſeſſione quarta ſacri concilii Tridentini, ſub S. D. N. Pio papa IV. die 4. Junii 1562.

L.

Literæ Caroli Chriſtianiſſimi regis Francorum exhibitæ patribus ab illuſtriſſimo & reverendiſſimo principe V. D. *Carolo cardinale a Lotharingia* in generali congregatione œcumenici Tridentini concilii, die 23. Novembris 1562.

LI.

Oratio illuſtriſſimi & reverendiſſimi domini *Caroli cardinalis a Lotharingia*, habita in ſacroſancto œcumenico concilio Tridentino die 23. Novembris 1562. In fine additur eum Tridentum appuliſſe cum novem epiſcopis & quatuor abbatibus die 13. menſis Novembris anno 1562. nomine eccleſiarum Galliæ. Ex hac oratione Caroli Lotharingi abſtergemus quædam menda, quæ ex hac Lovanienſi contraxit etiam editio Pariſienſis Puteanorum in 4.° anno 1564. *toto* huic noſtro malo, pro *tanto*: huc *vos* majorum, pro *nos*; ſumma *modeſtia*, pro *moleſtia*; ac *ſi* unum, pro ac *ſic*: & omiſſa nonnulla reſtituemus.

LII.

Oratio habita a domino *Renaldo*, corrige *Arnaldo*, *Ferrerio*, præſidente in parlamento Pariſienſi, oratore Caroli Galliarum regis Chriſtianiſſimi, in generali congregatione, die 24. Novembris 1562.

LIII.

LIII.

Responsum habitum sanctæ synodi nomine, a reverendissimo D. *Mutio Calino* patria Brixiensi, archiepiscopo Jaderensi (Zarensi) illustrissimo cardinali a Lotharingia, ac Christianissimi regis oratoribus in generali congregatione, die 23. Novembris 1562.

LIV. LV. LVI. LVII. LVIII.

Comparitio oratorum septem cantonum Helvetiorum catholicorum, & cleri eorumdem. Literæ septem cantonum Helvetiorum catholicorum exhibitæ in sessione quarta sacri concilii Tridentini, sub Pio IV. die 4 Junii 1562. Mandatum exhibitum sessione quarta sub Pio IV. cum mandato prælatorum & cleri eorumdem septem cantonum Helvetiorum catholicorum eadem sessione exhibito, & oratione habita a reverendo patre *Adamantio* (*Diamante* ,) ordinis eremitarum sancti Augustini, nomine oratoris septem cantonum Helvetiorum catholicorum, in ejus comparitione, ac responso sanctæ synodi, die 20. Martii 1562.

LIX. LX. LXI.

Comparitio oratoris *Sigismundi* regis Poloniæ. Literæ Sigismundi regis Poloniæ, exhibitæ ab ejus oratore die 23. Octobris in generali congregatione, 1562. Oratio habita a R. D. *Valentino* , episcopo Præmisliensi, oratore sereniſſimi D. Sigismundi regis Poloniæ, eadem die, cum responso synodi.

LXII. LXIII. LXIV. LXV.

Comparitio oratoris *Emmanuelis Philiberti* , ducis Sabaudiæ, die ultima Januarii, cum literis & mandato, oratione habita a reverendissimo D. episcopo Augustensi, & responso sanctæ synodi.

LXVI.

Literæ Christianissimi regis *Caroli* exhibitæ ab ejus oratoribus in generali congregatione die 11. Febr. 1563.

LXVII. LXVIII.

Oratio habita a D. *Raynaldo*, seu potius *Arnaldo Ferrerio* , præsidente in parlamento Parisiensi, oratore Christianissimi regis, in generali congregatione, die 11. Februarii 1563. cum responso sanctæ synodi.

LXIX. LXX.

Literæ & mandatum illustrissimi D. *Cosmi Mediceis*, Florentiæ & Senarum ducis, exhibita a R. D. *Hieronymo de Gaddis* episcopo Cortonensi, ejus oratore, die 14. Julii 1563.

LXXI. LXXII.

Oratio D. F. *Martini Royas*, *Portalcubei*, illustrissimi ac reverendissimi D. magni magistri, ac totius ordinis Hierosolymitani oratoris, Tridenti in generali congregatione habita die 7. mensis Septembris 1563. cum responso synodi.

PARS QUARTA.

Doctorum virorum orationes & conciones habitæ ad patres sanctæ synodi Tridentinæ, sub Pio IV. pontifice maximo.

LXXIII.

Camilli Campegii, Papiensis, theologi Dominicani, inquisitoris Ferrariensis, oratio de mundi fallaciis atque ruina, in dominica prima adventus domini 1561. Mundus in maligno positus est.

LXXIV.

Oratio F. *Maximiani Beniamii* , Cremensis, ordinis conventualium sancti Francisci, in secunda dominica adventus domini 1561.

LXXV.

Oratio R. P. M. *Eugenii* , Pisaurensis, eremitæ Augustiniani, ad sacrosanctam synodum Tridentinam habita, in dominica tertia adventus domini 1561.

LXXVI.

Joannis Francisci Lombardi, Neapolitani, theologi, oratio habita ad patres concilii Tridentini, die S. Stephani protomartyris, anno 1561.

LXXVII.

Pauli Guidelli, Tridentini, oratio ad patres concilii habita anno 1561.

LXXVIII.

Literæ illustrissimi domini *Marci Antonii*, cardinalis *Amulii*, ad legatos sacri concilii Tridentini super professione fidei patriarchæ Assyriorum orientalium.

LXXIX.

Professio fidei R.D. *Abd-Isu*, patriarchæ Assyriorum orientalium, &c. facta Romæ sub S.D.N. Pio papa IV. cum fide publica, &c.

LXXX.

Oratio ad sacrosanctum œcumenicum concilium Tridentinum, qua de ecclesiæ auctoritate & imitandis apostolis disseritur, habita per R.P. *Gasparem a Fosso*, Cosentinum Calabrum, ord. S. Francisci de Paula, archiepiscopum Rheginum, in ejusdem concilii apertione die 18. Januarii 1562.

LXXXI.

Oratio habita ad patres concilii Tridentini die sancti Gregorii 1562. per reverendissimum patrem dominum *Augustinum Loscos*, abbatem ordinis Cassinensis.

LXXXII.

Oratio F. *Theodori Masii*, Mantuani, Carmelitæ, quam habuit ad patres in concilio Tridentino die 8. Martii, quæ erat quarta dominica quadragesimæ.

LXXXIII.

Illustrissimis Tridentini concilii cardinalibus legatis coram, plenaque amplissimorum œcumenicorum patrum corona, oratio habita per totius instituti Minoritanæ observationis R. P. F. *Franciscum a Zamora*, generalem ministrum, dominica secunda quadragesimæ, 1562.

LXXXIV.

Oratio in dominica tertia quadragesimæ per reverendum magistrum *Angelum Ferrum*, Venetum, theologum, ordinis fratrum eremitarum S. Augustini, habita 1562.

LXXXV.

Quod non sit laicis calix permittendus, oratio ad sacrosanctam synodum Tridentinam, auctore *Gaspare Cardillo Villalpandeo* , Segobiensi, doctore theologo, 1562.

LXXXVI.

Oratio ad patres a reverendo doctore *Joanne Fonseca* , Hispano, theologo reverendissimi D. archiepiscopi Granatæ, feria sexta, in parasceve 1562. Christus passus est pro nobis, &c.

LXXXVII.

R. P. D. *Andreæ Dudithii Sbardellati* , episcopi Tininiensis, ac DD. prælatorum totiusque Hungariæ cleri in sacrosancto concilio Tridentino oratoris, ad amplissimos sedis apostolicæ legatos, ceterosque ejusdem concilii patres oratio, 8. idus Aprilis 1561.

LXXXVIII.

LXXXVIII.

Responsum sacri concilii Tridentini ab ipsius concilii secretario pronunciatum.

LXXXIX.

Concio habita ad patres in concilio Tridentino congregatos ab illustri atque reverendo domino *Didaco de Payva d' Andrade*, Lusitano, sacræ theologiæ doctore, dominica secunda post pascha, 1562. Ego sum pastor bonus, &c.

XC.

R. P. magistri *Thadæi*, Perusini, Augustinensis, concio ad sacrosanctum concilium Tridentinum habita in festo sanctissimæ ascensionis 1562.

XCI.

Sermo *Petri Favonii*, Justinopolitani, habitus ad sacrosanctam synodum Tridentinam in die pentecostes super precatione, lectione & evangelio, 1562.

XCII.

Oratio in sessione quinta, qui fuit dies Junii mensis 16. *Andreæ Dudithio Sbardellato*, episcopo Tininiensi, & DD. prælatorum ac cleri Hungariæ oratore, 1562.

XCIII.

Disputatio de communione sub una panis specie ad sanctam œcumenicam synodum Tridentinam, habita in congregatione generali a *Ludovico Ioanne Villetano*, theologo reverendissimi D. episcopi Barcinonensis, diebus 17. & 18. Junii.

XCIV.

Concio doctoris *Petri Fontidonii*, Hispani, Segobiensis, theologi illustrissimi ac reverendissimi Petri Gonzalez de Mendozza episcopi Salmantini, habita ad sacrosanctam synodum Tridentinam dominica sanctissimæ Trinitatis, 14. Maii 1562. Absque synagogis facient vos, Joan. 16.

XCV.

F. *Henrici de sancto Hieronymo*, Lusitani, theologi, & artium liberalium magistri, Dominicani, de calamitatibus ecclesiæ oratio habita dominica prima quadragesimæ apud sacrum concilium Tridentinum 1562.

XCVI.

De primatu Petri oratio ad sacrosanctam synodum Tridentinam die sacro Petro & Paulo, habita a *Gaspare Cardillo Villalpandeo*, Segobiensi, doctore theologo, 1562.

XCVII.

Sermo habitus Tridenti dominica quarta post pentecosten, auctore *Petro Morcato* presbytero, episcopi Vicensis theologo.

XCVIII.

Concio doctoris *Petri Fontidonii*, Hispani, Segobiensis, theologi illustrissimi ac reverendissimi D. Petri Gonzalez de Mendozza episcopi Salmantini, habita ad sacrosanctam synodum Tridentinam, die beati Hieronymi 30. mensis Septembris 1562. Vos estis lux mundi.

XCIX.

Oratio habita a reverendo patre F. *Francisco Orantio*, Hispano, Minoritanæ familiæ, sacræ theologiæ lectore Vallisoletano, in eodem concilio apud patres substituto vicario pro reverendo D. D. Christophoro Valtodano, Palentinæ ecclesiæ præfecto, ac sanctæ generalis inquisitionis in tota Hispania censore, die celeberrima sanctorum omnium 1562.

C.

Concio de duplici mysterio, abominationis uno, desolationis altero, habita a F. *Francisco Vicedomino*, Ferrariensi, theologo, ex ordine Minorum conventualium, dominica vigesimaquarta post pentecosten, quæ fuit 22. Novembris anno domini 1562.

CI.

De Christo judice latis animis expectando oratio reverendi patris *Seraphini Caballi*, Brixiensis, Dominicani, sacræ theologiæ doctoris, atque provinciæ terræ sanctæ provincialis, in dominica prima adventus 1562.

CII.

Oratio *Bartholomæi Baphi* Lucinianensis, ordinis conventualium sancti Francisci, habita in concilio secunda dominica adventus domini, super evangelium Matthæi 11. Cum audisset Joannes in vinculis opera Christi, anno 1562.

CIII.

Concio evangelica *Ioannis Baptistæ Burgos*, Augustiniani, Valentini, sacræ theologiæ & juris canonici doctoris, habita dominica tertia adventus domini 1562. de quatuor extirpandarum hæresum præcipuis remediis.

CIV.

Gaspari (seu potius *Cæsari*, ut habet editio Brixiensis in 4. anno 1562. apud Damianum Turlinum) *Ferrantii*, Suessani, theologi, oratio ad patres concilii Tridentini habita in festo D. Joannis apostoli & evangelistæ, anno a Christo nato 1562.

CV.

De Christo puero, circumciso, & Jesu vocato, concio Tridenti habita Kalendis Januarii anni 1563. in amplissimo sanctæ synodi, cardinalium, patrum atque oratorum consessu, a D. *Roberto Furniero*, Gallo, doctore theologo, Ambianensi canonico. Postquam consummati sunt dies octo ut circumcideretur puer, &c.

CVI.

De nomine Jesu oratio ad sacrosanctam synodum Tridentinam, auctore *Gaspare Cardillo Villalpandeo*, Hispano Segobiensi, doctore theologo, 1563.

CVII.

Francisci Belcarii Peguilionis, episcopi Metensis, oratio de victoria, qua Carolus IX. Galliarum rex, Francisci Lotharingi Guisæ ducis, necnon & Annæ Mommorancii equitum magistri auspiciis, rebelles causam religionis prætexentes, ingenti clade superavit, habita Tridenti in publico patrum, qui ad concilium œcumenicum venerunt, consessu, die 4. Idus Januarii 1563.

CVIII.

Cosmi palmæ Fonteii, Dertusensis diœcesis presbyteri, sacræ theologiæ doctoris, oratio habita feria quarta cinerum, anno a Christo nato 1563.

CIX.

Adeodati, Senensis, theologi Augustiniani, oratio in die cinerum ad patres habita in concilio Tridentino.

CX.

Concio de tribus domini nostri Jesu Christi tentationibus, habita per F. *Ioannem a Ludegna*, doctorem theologum, Dominicanum, Tridenti prima dominica quadragesimæ, anno 1563.

CXI.

Disputatio theologica de cœlibatu sacerdotum; quæ frater *Ioannes de Ludegna*, doctor theo-

theologus, ad duos ex articulis theologicis de matrimonio propositis publice in œcumenica synodo Tridentina respondit.

CXII.

In laudem sancti doctoris Thomæ Aquinatis, ex sacro Prædicatorum ordine, oratio R. P. ac magistri F. *Joannis Gallio*, Burgensis, Hispani, sacræ theologiæ doctoris, ac sereniſſimi & catholici regis sui Philippi theologi.

CXIII.

Oratio ad patres Tridentinos sub Pio IV. habita a R. P. F. *Alfonso Contreras*, Hispano, ordinis Minorum regularis observantiæ, regis catholici in eodem concilio theologo, dominica secunda quadrageſimæ MDLXIII. ad eccleſiæ reformationem persuadendam.

CXIV.

Antonii Monchiaceni Democharis, doctoris Sorbonici, ad patres sacri concilii Tridentini sermo, feria sexta, die paraſceves anno MDLXIII. 9. Aprilis.

CXV.

Verba prolata ab illuſtriſſimo D. *Joanne cardinale Morono*, primo præsidente & legato sacri concilii Tridentini, in ejus prima comparitione in generali congregatione, die Martis 13. Aprilis MDLXIII.

CXVI.

Concio R. P. magistri *Chriſtophori Sanctoriſii*, Hispani, Burgensis, ordinis eremitarum divi Auguſtini, de signis veræ eccleſiæ agnoſcendæ, habita ad synodum Tridentinam, dominica tertia quadrageſimæ MDLXIII.

CXVII.

Oratio habita ad patres in concilio Tridentino quarta dominica quadrageſimæ anno domini MDLXIII. per reverendum patrem *Lucretium Tiraboſcum*, Aſulanum, ord. Carm. theologum apud reverendum patriarcham Venetiarum.

CXVIII.

De myſterio sanctiſſimæ trinitatis concio doctoris *Michaelis Oronſuſpei*, Navarri, Olitensis, theologi illuſtriſſimi & reverendiſſimi D. Didaci Ramirez Sedenno episcopi Pampilonensis, habita dominica sanctiſſimæ trinitatis, sexta Julii anni MDLXIII.

CXIX.

Concio de divino Spiritu sancto catholicæ eccleſiæ & sancti œcumenici concilii auctore *L. Joanne Villetano*, theologo Barcinonensi.

CXX.

Sententia D. *Guillelmi de Prato*, episcopi Claromontensis, de residentia prælatorum, dicta in congregatione concilii Tridentini die 5. Idus Januarii anno MDXLVI.

CXXI.

Brachii Martelli, Florentini, episcopi Feſularum, sententia, qua declarat regulares sine licentia episcoporum; nec in monaſteriis, nec extra monaſteria debere fungi officio prædicandi.

CXXII.

Ejusdem sententia de residentia episcoporum.

CXXIII.

Oratio funebris de laudibus Joannis Medicis S. R. E. cardinalis, habita 7. Kal. Decembris MDLXII. a *Petro Victorio*, in æde divi Laurentii Florentiæ.

CXXIV.

Oratio in funere Hieronymi Seripandi, cardinalis ampliſſimi, habita Bononiæ in ædibus divi Jacobi, ab *Ægidio Marcheſinio*, Dominicano, Bononiensi lectore, 4. Nonas Aprilis MDLXIII.

CXXV.

Oratio habita in seſſione octava sub Pio, & ab initio 24. sacroſancti concilii œcumenici Tridentini, per reverendiſſimum dominum *Franciſcum Richardotum*, episcopum Atrebatensem, anno domini MDLXIII. die 11. Novembris.

CXXVI.

Oratio habita in seſſione nona & ultima sacri concilii Tridentini celebrata duobus continuis diebus, tertia & quarta Decembris anno MDLXIII. Pio IV. pontifice maximo, a R. P. D. *Hieronymo Ragazzono*, Veneto, episcopo Nazianzeno, & coadjutore Famaguſtano.

PARS QUINTA.

CXXVII.

Reginaldi Poli cardinalis de concilio liber unus dicatus reverendiſſimis & illuſtriſſimis Joanni Mariæ cardinali de Monte, & Marcello cardinali sanctæ Crucis, Tridentini concilii legatis, cum præfatione *Pauli Manutii*, Aldi filii, ad Pium IV. Medicem pontificem maximum.

CXXVIII.

Ejusdem *Reginaldi Poli* cardinalis de baptiſmo Conſtantini magni imperatoris tractatus.

CXXIX.

Ex ejusdem decretis anno MDLXI. de reformatione Angliæ liber unus.

CXXX.

Petri Fontidonii, doctoris theologi, pro sacro & œcumenico concilio Tridentino, adverſus Joannem Fabricium Montanum, ad Germanos oratio.

Editioni Lovanienſi addi poterunt, quemadmodum pag. 278. hiſtoricæ noſtræ ſynopſeos obſervatum eſt.

I.

* S. P. N. D. *Pauli* divina providentia papæ III. bulla indictionis supplicationum, seu proceſſionum per universum orbem Chriſtianum pro celebratione sancti œcumenici generalis concilii, cum adhortatione ad jejunium & sacroſanctam communionem, & gratia plenariæ indulgentiæ data Idibus Decembris MDXLV. pontificatus anno 12. excusa Pariſiis cum aliis in 8. anno MDXLVI. apud Reginaldum Calderium.

II.

* Concio R. P. fratris *Bartholomæi Carranzæ* de Miranda, Hispani, ordinis Prædicatorum, habita ad synodum Tridentinam prima dominica quadrageſimæ anno MDXLVI. excusa Lugduni anno MDL. non expreſſo typographi nomine, in 16. poſt controverſiam de neceſſaria residentia personali episcoporum & aliorum inferiorum pastorum, Tridenti explicata per eumdem Dominicanum regentem in collegio S. Gregorii in valle Oletana.

III.

* *Pauli* III. pontificis Romani epiſtolæ duæ; prima ad Helvetios data 3. Julii MDXLVI. altera ad episcopos & abbates aliquot Helvetiæ data 11. Aprilis ejusdem anni, quibus & inſtituti concilii Tridentini & susceptí contra proteſtantes belli ratio continetur. Excusæ Pariſiis in officina Calderiana, anno MDXLVII. in 8.

IV.

* *Alfonſi Salmeronis* de ſocietate Jesu oratio habi-

habita in concilio Tridentino die ſancti Joannis evangeliſtæ anno domini MDXLVI. quæ edita fuit ſeorſim Lutetiæ in 8. anno MDLXVII. apud Nicolaum Divitem, ſub gemina anchora.

V.

* Innominati cujuſdam oratio edita Mediolani in 8. anno MDXLVIII. poſt orationem Ambroſii Catharini habitam die 4. Februarii anni MDXLVI.

VI.

* Comparitio oratoris *Alberti* Bavariæ ducis illuſtriſſimi. Literæ ejus lectæ in generali congregatione die 27. Junii anni MDLXII. Oratio habita ab ejus oratore in eadem congregatione ſacri concilii Tridentini, ſub Pio papa IV. eademque die Junii, cum reſponſo ſanctæ ſynodi; Ripę in Italia in 4. anno MDLXII. Lutetiæ Pariſiorum apud Joannem Dellier in 8. anno MDLXIII. Venetiis apud Aldum Manutium in 8. an. MDLXVII. & in eadem urbe eademque forma anno MDLXIX. apud Dominicum de Farris.

VII.

* Exemplar literarum *Ferdinandi* Romanorum imperatoris ad Pium IV. pontificem maximum, ejuſdemque Auguſti ad Carolum ſancti Apollinaris presbyterum cardinalem de Lotharingia admonitio, tertio Martii MDLXIII. Pariſiis apud Nicolaum Cheſneau MDLXIII. in 8.

VIII.

* *Matthiæ Cytardi*, Cæſareæ majeſtatis a concionibus, ſermo de proceſſione cum euchariſtia, habitus feria quinta poſt feſtum ſanctiſſimæ Trinitatis, anno MDLXIII. Venetiis eodem anno apud Jordanum Ziletum in 4.

IX.

Antonii Cauchi, archiepiſcopi Corcyrenſis, oratio habita die 26. Februarii MDLXII.

X.

Antonii Pagani, Veneti, Minoritæ, oratio Tridenti habita de reformatione eccleſiæ, Venetiis apud Bol. Zalterum MDLXX. in 4.

XI.

Antonii Sebaſtiani Minturni, epiſcopi Uxentini, de officiis eccleſiæ præſtandis orationes Tridentinæ. Venetiis apud Jo. Andr. Valvaſſorem MDLXIV. in 8.

XII.

Jacobi Ferruſii, Valentini, oratio in feſto aſſumptionis ad patres concilii Tridentini habita Venetiis MDLVI. in 4.

Jacobi Giberti de Nogueras, Aliphani epiſcopi, Hiſpani, oratio habita de XV. Julii MDLXIII.

XIII.

Petri Serræ, canonici Cæſarauguſtani oratio ad patres in concilio in die ſancto pentecoſtes. Romæ in 4.

XIV.

Scipionis Bongalli, Orianæ civitatis epiſcopi, oratio in feſto omnium ſanctorum Tridenti habita & Romæ excuſa apud Baldum MDLVI. in 4.

Qui plura volet, adeat hypomnemata de rebus ad hiſtoriam concilii Tridentini ſpectantibus, ſtudio PUTEANORUM FRATRUM *excuſa anno* MDCLIV. *apud Sebaſtianum Cramoſium in 4. cum privilegio regis, referta quamplurimis epiſtolis, inſtructionibus, aliiſque monumentis Gallicis atque Italicis, inter quæ legentibus occurrunt & nonnulla Latine exarata, ceteriſque inſerta, quæ in tam recenti memoria, cum ſint in omnium manibus, vix erit operæpretium recudere.*

XV.

* *Franciſci* I. Chriſtianiſſimi Francorum regis mandatum Claudio d'Urfé Forenſium perfecto, equiti & camerario ſuo, Jacobo a Ligneris in curia Pariſienſi tertiæ judicum decuriæ præſidi, ac Petro Daneſio Suzennarum præpoſito, legatis ſuis ad concilium Tridentinum, apud Fontembellæ-aquæ ſcriptum 3. Kal. Aprilis anno domini MDLXV. regni 32.

XVI.

* *Henrici* II. Francorum regis Chriſtianiſſimi mandatum legatis ſuis, ut tranſlato Bononiam concilio interſint, datum Divioni die 6. Julii anno MDXLVIII. regni ſecundo.

XVII.

* Ejuſdem regis literæ ad patres Tridenti congregatos datæ apud Fontem-bellæ-aquæ Idibus Auguſti MDLI. cum ejuſdem proteſtatione facta per Paulum de Thermis oratorem ſuum.

Sunt & alia Tridentinarum rerum monumenta quæ rimantibus locupletiſſimas bibliothecarum noſtratium gazas occurrerunt: ſed ea ſatius viſum eſt in commodiorem poſtea locum differre, quam properantem ad optatiſſimum Lovanienſium doctorum σύνημα lectorem diutius in primo veluti limine remorari.

PARS

ANNO CHRISTI 1545.

PARS PRIMA
LOVANIENSIS COLLECTIONIS
EORUM QUÆ ACTA SUNT
IN SACROSANCTO OECUMENICO CONCILIO
TRIDENTINO
SUB SANCTISSIMO D. D. PAULO III.
ROMANÆ ECCLESIÆ ANTISTITE,
AB ANNO MDXLV. AD MDXLVII.

I.

ADMONITIO ATQUE HORTATIO legatorum ſedis apoſtolicæ, ad patres in concilio Tridentino lecta in prima ſeſſione.

REverendiſſimi patres, &c. Cum ipſa muneris noſtri ratio, qui in hac ſancta ſynodo præſidentium, & ſedis apoſtolicæ legatorum perſonam gerimus, hoc poſtulatura videatur, ut creſcentibus negotiis, quæ in hoc ſacro conſeſſu ad Dei gloriam, & eccleſiæ utilitatem ſunt expedienda, ſæpius apud vos cohortandi & commonendi cauſa verba faciamus: tum vero in hac prima ſeſſione, quæ felix (ut ſperamus) principium ipſi B concilio eſt datura, minime hoc a nobis prætermittendum duximus. Eo vero libentius hoc officio fungimur; quod cum vos vel hortamur, ut ea faciatis, quæ digna tanto conventu ſint, vel a contrariis dehortamur: noſmetipſos etiam hortamur, ac dehortamur, qui in eadem quaſi navi vobiſcum ſumus, iiſdemque periculis, quibus vos, iiſdem tempeſtatibus ſubjicimur. Noſmetipſos inquam excitamus ad vigilandum, ne vel in ſcopulos incidamus, qui plurimi proculdubio in hoc curſu ſeſe offerent: vel magnitudine negotiorum tanquam fluctuum obrui nos negligentia noſtra patiamur: verum ſpe & fide erecti eo navigationem dirigamus, quo maxime portus ſalutis ad Dei gloriam in Chriſto Jeſu ſeſe oſtendet.

Igitur, ut ab eo incipiamus, de quo maxime in hoc principio admonendi omnes ſumus, unuſquiſque noſtrum ante oculos ſibi in primis proponere debet, quænam ſint, quæ ab hoc ſacro concilio expectentur: ex quo quiſque facile intelliget, quantum ſibi oneris incumbat. Sunt vero ea (ut omnia ſummatim complectamur) quæ in bulla indictionis concilii "continentur: nempe hæreſum extirpatio, diſciplinæ eccleſiaſticæ & morum reformatio, ac tandem pax externa totius eccleſiæ. Hæc ergo ſunt, quæ nos curare, vel potius pro quibus aſſidue orare, ut Dei benignitate fiant, oportet. Atque illud eſt, de quo ante omnia in ipſo concilii exordio omnes, & ſingulos, qui huc convenimus, primum autem nos ipſos, qui in tam ſancto miniſterio præſidemus,

"ſupra p. 1.

A admonendos duximus, ne unquam cogitemus, vel per ſingulos qui hic adſunt, vel per univerſum concilium, etiam ſi omnes paſtores ex univerſo terrarum orbe huc coiret, tantis malis, quibus nunc grex Chriſti eſt oppreſſus, provideri poſſe. Si enim putamus hoc a nobis perfici poſſe, aut ab alio, quam ab ipſo Chriſto, quem Deus pater unicum nobis ſervatorem, & paſtorem dedit, cui etiam omnem poteſtatem dedit, erramus ſane in fundamento omnium actionum noſtrarum, & divinam iram magis provocabimus. Adjungimus enim ad ſuperiora mala, quæ propterea nobis acciderunt, quod ipſum fontem aquæ vivæ reliquimus, hoc alterum maximum peccatum, quod noſtra vel prudentia, vel potentia, iiſdem malis mederi velimus: ut merito de nobis dicatur, quod propheta in perſona Dei veterem populum accuſans, dicit: *Duo mala fecit populus hic, me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt ſibi ciſternas, non valentes continere aquas.* Iſa. 2. Tales vero ciſternæ ſunt omnia conſilia, quæ a noſtra prudentia, non afflata Spiritu divino, proficiſcuntur: quæ non modo populos in pietate, & obedientia, tanquam aquas in ciſternis continere non valent: ſed quo magis his artibus retinere eos laboramus, eo violentius tanquam torrentes a nobis defluunt, & diſcedunt: ut ſuperiorum annorum experientia multis in locis ſatis nos docere poteſt, & nunc admonere, unicam tantum viam medendis his malis relictam, C ſi noſtra omnia remedia inutilia eſſe agnoſcentes, & valere potius ad augenda, quam ad tollenda mala, ad Chriſti potentiam, quem dexteram ſuam Deus Pater appellat, ad Chriſti ſapientiam, qui eſt ſapientia Patris, in omnibus nos, qui patrum perſonam gerimus, fide, & ſpe confugiamus, hujus nos in omnibus miniſtros eſſe agnoſcamus. Hic vero *quæritur*, inquit apoſtolus, *inter diſpenſatores, ut fidelis quis inveniatur*. 1. Cor. 4. Hoc autem nunc nobis agendum eſt, ut miniſtros nos in omnibus idoneos præbeamus. Erimus vero idonei, ſi nos ex nobis minime idoneos eſſe judicaverimus. Quis enim (inquit idem apoſtolus) ad hæc idoneus? ut qui ne cogitare quidem aliquid ex nobis, quaſi ex nobis ſimus ſufficientes. Verum hoc fateri non ſatis eſt nobis: hoc dicere potuit apoſtolus, & per hanc portam ingredi ad 2. Cor. 3. 2. Cor. 3.

ANNO CHRISTI 1545.

obeundum munus ſuum, & in eo ſe miniſtrum fidelem; ac idoneum oſtendere, qui ſimul dicere potuit, de miniſterio ſuo loquens: *Nihil mihi conſcius ſum*. Nobis vero, qui ſi verum fateri volumus, aliter dicere non poſſumus, quin nobis conſcii ſimus in adminiſtrando munere nobis impoſito in plurimis defeciſſe, & horum etiam malorum, ad quæ corrigenda vocamur, non minima ex parte cauſam extitiſſe, non ſatis eſt hic fateri, ad tantum munus nos impares eſſe. Quid ergo nobis agendum, ut idonei hoc tempore Chriſti miniſtri in eccleſia inſtauranda eſſe poſſimus? Idem prorſus, quod Chriſtus ipſe epiſcopus animarum noſtrarum fecit, cum venit ad fundandam & formandam eccluſiam ſuam. Idem ſane patres faciendum erit nobis, quod ipſa ſapientia patris fecit, cum venit, ut multos filios in gloriam adduceret; id quod nobis item propoſitum nunc eſſe debet. Is enim cum oppreſſos peccatis omnes inveniſſet, omnia omnium peccata in ſeipſum tranſtulit, ſeque unum ante Deum pro omnibus reum, & nocentem conſtituit, ac pœnam nobis debitam ſuſtinuit, tanquam omnia flagitia, & omnia ſcelera, quæ nos commiſeramus, ipſe commiſiſſet, cum tamen ab omni labe peccati puriſſimus eſſet: quippe *qui peccatum non fecit, neque* unquam *inventus eſt dolus in ore ejus*. Quod vero Chriſtus pro immenſa ſua caritate erga Deum patrem, & pro miſericordia erga noſtrum genus fecit: hoc nunc, ut ipſi faciamus, juſtitia ipſa a nobis flagitat, ut omnium horum malorum, quibus grex Chriſti eſt oppreſſus, nos paſtores coram tribunali miſericordiæ Dei reos conſtituamus: atque omnium peccata in nos ipſos non tam pie, quam juſte transferentes, quia revera horum malorum magna ex parte nos cauſa ſumus, divinam miſericordiam per Jeſum Chriſtum imploremus. Quod vero dicimus, nos paſtores his malis, quibus eccleſia eſt oppreſſa, cauſam dediſſe, ſi quis hoc acrius, & magis per exaggerationem quamdam verborum, quam vere dictum exiſtimet, hoc quidem ipſa rerum experientia, quæ mentiri non poteſt, comprobabit. Reſpiciamus ergo paululum ad ipſa mala, quibus eccleſia opprimitur, ac ſimul etiam ad noſtra peccata. Sed quis hæc numerare valeat? quæ ſimul cum reliquis malis multitudine ſuperant arenam maris: & uſque ad cœlum clamant.

1. Petr. 2.

Circumſcribamus ergo tantam multitudinem noſtrorum malorum illis limitibus, quibus hoc concilium, quod capitalibus malis medendis eſt vocatum, ea circumſeripſit. Sunt vero illa tria, quæ ſupra commemoravimus, hæreſes, lapſa morum diſciplina, & inteſtinum atque externum bellum. Hic ergo videamus & conſideremus, cum jam multis annis eccleſia his calamitatibus vexetur, unde nam ipſa originem habuerunt: num illis nos quodam modo principium, num fomentum dederimus. Primum vero examinemus initium hæreſum, quæ hac noſtra ætate paſſim pullularunt, quibus ſi negare volumus nos principium dediſſe, quia nullius hæreſeos ipſi auctores fuimus: tamen cum perverſæ de fide ſententiæ, tanquam vepres quædam ſint & ſpinæ, quæ in agro domini, qui nobis colendus commendatus eſt, ortæ ſunt: & ſi illæ quidem ſua ſponte, ut ſolent aliquando vitioſæ herbæ, pullularunt; tamen qui non coluit quem debuit agrum, qui non ſeminavit, qui pullulantes per ſe non ſtatim curam adhibuit ut extirparet, non minus quidem principium illis dediſſe dicendus eſt, quam ſi ipſas ſeminaverit, præſertim cum hæc omnia a negligentia agricolæ ortum ducant, & incrementum habeant. Hic ergo ſe ipſos excutiant, qui ſunt agricolæ in agro domini, conſcientiam ſuam interrogent, quomodo in eo colendo, quo modo in ſeminando ſe geſſerint. Quod qui fecerint his præſertim temporibus, quibus pauciſſimi agro domini colendo incumbunt, non multum, credimus, dubitabunt, num ad ipſos pullulantium paſſim in eccleſia hæreſum culpa pertineat. Hæc vero monendi tantum cauſa dicta ſatis ſint de his, quæ ad primum caput pertinent.

ANNO CHRISTI 1545.

Veniamus ad ſecundum, quod lapſam morum diſciplinam & abuſus (ut vocant) complectitur. Hic vero nihil attinet diu inveſtigare, quinam tantorum malorum auctores fuerint, cum præter nos ipſos nè nominare quidem ullum alium auctorem poſſimus?

Quare ad tertium accedamus, quod impedimenta pacis eccleſiæ in ſe continet: qualia ſunt arma, vel domeſtica, vel externa: hæc enim jampridem pacem eccleſiæ perturbarunt, & adhuc perturbant, de quibus hoc tantum dicimus: ſi (quod Deus ipſe certiſſimis ſignis oſtendit) hæc arma flagella ejus ſunt, quibus nos affligit: quia duorum priorum capitum rei ſumus, in quibus nos excuſare non poſſimus, etiam horum armorum præcipuam nos cauſam eſſe negare non poſſumus. Ejuſmodi vero flagella Deum ob eam cauſam immittere cenſemus, ut nos peccantes caſtiget, & peccata ipſa, quibus majeſtatem ejus maxime offendimus, nobis ante oculos ponat. Hic vero quiſquis aliquando animadvertit, quibus modis eccleſia armorum violentia vexata fuerit, ſecum ipſe conſideret, quænam illa ſint, in quibus præcipue eccleſia propter ipſa arma detrimentum patiatur. Nec vero hic refert de quorum armis loquamur, ſive de inteſtinis noſtrorum principum, ſive de externis Turcarum armis, quæ ſuperioribus annis nos magnis calamitatibus affecerunt, ſive de eorum, qui ab obedientia ſuorum paſtorum diſceſſerunt, & ipſos a ſuis ſedibus expulerunt. Hoc enim ſummatim dicimus de omni genere armorum, ſi qui illa contra nos tractarunt, a ſuis eccleſiis paſtores fugarunt, ordines confuderunt, laicos autem in epiſcoporum locum ſuffecerunt, eccleſiæ bona diripuerunt, eurſum verbi Dei impediverunt.

Hic, inquam, dicimus, nihil horum eſſe, quod in libro abuſuum paſtorum maxima illorum pars, qui hoc nomen ſibi vindicant, per ſe factum eſſe, ſi legere libuerit, non ſcriptum apertis verbis inveniat. Noſtram enim ambitionem, noſtram avaritiam, noſtras cupiditates his omnibus malis populum Dei prius affeciſſe ſtatim inveniet, atque harum vi ab eccleſiis paſtores fugari, eaſque pabulo verbi privari: bona eccleſiarum, quæ ſunt bona pauperum, ab illis tolli: indignis ſacerdotia conferri: & illis, qui nihil a laicis, præterquam in veſtis genere, ac ne in hoc quidem differunt, dari. Quid enim horum eſt, quod negare poſſimus per hos annos a nobis factum eſſe? Quare ſi Turca, ſi hæretici hoc idem adverſus nos faciunt, quid hic aliud, quam flagitia noſtra, & ſimul juſtum Dei judicium videmus? Judicium vero plenum miſericordia, ſi enim pro meritis nos caſtigaret, jampridem ſicut Sodoma, & Gomorrha fuiſſemus.

*Vide ſis quæ jam ſupra excuſa ſunt p. 12.

Cur vero hæc nunc commemoramus? an ut vos confundamus? abſit, ſed magis ut vos ceu patres, & fratres cariſſimos, primum autem noſmetipſos admoneamus, quo pacto hæc, quibus nunc affligimur, flagella, & graviora quæ impendent

ANNO CHRISTI 1554. Cap. 1.

dent nisi respiscamus, vitare possimus, ut effugiamus tremendum illud Dei judicium, omnibus quidem non respiscentibus tremendum, maxime vero illis qui præsunt. *Judicium enim grave* (inquit scriptura) *his qui præsunt, fiet*. Judicium vero incipere nunc videmus a domo Dei. Dum enim nunc ejiciuntur sacerdotes, dum conculcantur ab hominibus, quid aliud hoc indicat, quam divinum de nobis judicium, quod prædixit Christus, cum diceret, sacerdotes suos esse sal terræ: *quod si sal evanuerit, ad nihil valere ultra, nisi ut ejiciatur foras, & conculcetur ab hominibus*? Hæc vero omnia nos nunc patimur. Quod si propter justitiam, ut nostri majores, beati nos quidem, at nunc juste quidem, quia sal evanuit: minime autem propter justitiam patimur, in omnibus enim nostris afflictionibus videmus judicium Dei: atque utinam quidem illud videremus, hoc enim initium esset omnia Dei judicia & flagella effugendi, atque in gratiam, & in veram gloriam ingrediendi: quæ res fecit, ut in his commemorandis acriores, & longiores fuerimus: nisi enim hæc bene cognita, & perspecta fuerint, frustra intramus in concilium; frustra invocamus Spiritum sanctum, qui primum ingressum in animam hominis semper facere solet, per ipsius hominis condemnationem, ut condemnet mundum de peccato.

Matth. 5.

Quare nisi ille spiritus nos apud nosmetipsos primum condemnaverit, nondum illum ingressum esse ad nos affirmare possumus, ac ne ingressurum quidem, si peccata nostra audire recusamus. Idem enim dicetur nobis quod populo veteri per prophetam Ezechielem est dictum, cum nondum agnitis suis sceleribus, Deum per prophetam interrogare vellent; sic autem ait propheta: *Venerunt viri Israel ad interrogandum dominum, & sederunt coram me. Hæc autem dicit dominus: Nunquid ad interrogandum me venistis? Vivo ego, dicit dominus, quia non respondebo vobis*. Sequitur autem: *Si judicas eos, abominationes patrum illorum ostende illis*. In quibus verbis ostendit Deus, quare noluerit respondere illis, quia nondum scilicet abominationes suas, & patrum suorum audierant. Quare cum idem Dei spiritus sit, qui tum dabat responsa, & quem nunc nos sedentes coram domino invocamus: quid nobis faciundum sit, ut propitia responsa habeamus, ex his videtis: & simul quam necessario nos, qui præsidemus in hoc sacro confessu, a detegendis nostris peccatis sermonis exordium vobiscum duximus.

Ezechi 20.

Quia vero nonnullos nunc videmus, sua primum peccata, & nostri ordinis graviter deflentes, atque Dei misericordiam omnibus votis implorantes, ideo quidem in maxima spe sumus, ad nos venisse, quem invocamus Dei Spiritum. Hoc vero maximum pignus divinæ misericordiæ habemus, nempe ipsam hanc inchoationem concilii, in quo nunc convenimus ad erigendam, & instaurandam pene collapsam ecclesiam, ut vetus pepulus post diuturnam captivitatem apud externos reges, rediit Hierosolymam ad instaurandum templum. In illius vero populi statu, in illorum læta ad patriam profectione & templi instauratione, nostri quidem temporis, & nostri status, in hoc præsertim concilio, imaginem intueri possumus: & in ducum ejusdem populi exemplo, vestrum, qui duces estis populo Dei ad cœlestem patriam contendenti, officium videre. Quare omnes vos magnopere hortamur, ut sæpius ad memoriam revocetis, quæ in Esdræ, quæ in Nehemiæ, quæ etiam in Danielis libris sunt scripta: in quibus consilia omnium ducum populi explicantur, quæ hunc unum semper scopum habuerunt, ut sua, & populi, atque patrum peccata confitentes, ad pœnitentiam, & implorationem divinæ misericordiæ omnes excitarent. Quod cum populus faceret, tum quidem omnia illis feliciter successere. Eadem vero consilia nobis, si felicem successum & exitum expectare volumus in instauranda ecclesia, ob quam causam læti huc in spiritu convenimus, sequenda erunt: atque eo quidem magis, quo etiam majora nobis certamina impendent instauraturis ecclesiam, quam illis instauraturis templum. Si enim illis multi, quo minus id perficeretur, se opposuere: si multi etiam, cum opus impedire non possent, eos irriserunt: hoc quidem sic habetote, nobis nec irrisores defuturos, nec qui maximis viribus a cœpto opere nos deterreant, & avocent. Habebimus vero non modo colluctationem cum carne, & sanguine, sed cum spiritualibus nequitiis in cœlestibus. Verum his omnibus potentior est is, in cujus nomine hoc opus sumus aggressi. Quare in eo confidamus, ipsum precibus invocemus, & ipse omnia perficiet.

ANNO CHRISTI 1545.

Ephes. 6.

Quia vero hoc concilium cum deliberantium, tum vero judicantium speciem refert, in quo & deliberatur de iis, quæ ad universalis ecclesiæ bonum pertinent, & etiam judicatur tam de rebus, quam de personis: sedemus enim tanquam judicantes duodecim tribus Israel, quibus comprehenditur universus populus Dei: ideo hic maxime locus videtur nos ipsos admonendi, ut caveamus ab his, quæ vel consultandi, vel judicandi vim in nobis depravare solent. Hæc vero sunt ipsæ animi passiones; quæ ideo etiam perturbationes vocantur, quia rectum & verum de rebus judicium, & sensum perturbant, ac pervertunt: in quibus maxime illa sunt cavenda, quæ recte monet Ethnicus ille in conciliis abjicienda, cum dicit, *Omnes homines, qui de rebus dubiis consultant, ab ira, odio, amicitia, vacuos esse debere*. Nam cum in hæc omne genus hominum sit propensum, tum vero ii maxime, qui principibus serviunt: tales enim vehementiores habent affectiones: facillime autem ad gratiam loquuntur, vel ad odium: ut scilicet ipsos existiment principes affectos esse, a quibus mercedem expectant.

Matth. 19. Luc. 22.

Cæsaris in Catilinam verba.

Cum vero de principibus loquimur: tam de his qui ecclesiastici vocantur, quam qui sæculares, loquimur. Ac licet quidem nos principes Christianos habere agnoscamus, & gaudeamus, id quod in veteri & jam recens fundata ecclesia patres nostri non habuerunt: tamen ante omnia nobis in hoc concilio semper est animadvertendum, hunc non esse locum laudandi aliquem, nisi solum Deum in Christo Jesu, atque illum solum justificandi, omnes autem genus hominum condemnandi: primum vero nos ipsos, qui hæc loquimur, ut cum Daniele dicamus: *Nobis confusio faciei, regibus nostris, principibus nostris, & patribus nostris, qui peccaverunt: tibi autem domino Deo nostro misericordia, & propitiatio, quia recessimus a te, & non audivimus vocem domini Dei nostri, ut ambularemus in lege ejus, quam posuit nobis per servos suos prophetas. Et omnis Israel prævaricati sunt legem tuam, & declinaverunt, ne audirent vocem tuam, & stillavit super nos maledictio, & detestatio*. Hic vero nunc locus esset, ut ejusdem prophetæ exemplum se-

Baruc. 1. c. Dan. 9. b.

quen-

ANNO CHRISTI 1545.

quentes, cujus verba modo recitavimus, non solum nostra, qui sacerdotes sumus, sed populi, sed principum, coram Deo & ecclesia ejus peccata confiteremur, proque omnibus veniam implorare-
Ibidem. mus. Sic vero dicit Daniel: *Cumque adhuc loquerer, & orarem, & confiterer peccata mea, & peccata populi mei*: nomine populi hoc loco omnium ordinum personas complectens, ut ejus confessio, quam modo recitavimus, declarat.

Qua in re, quid nobis, qui pro salute universæ ecclesiæ tantis malis oppressæ, huc convenimus, faciendum sit, satis indicare videtur nimirum, ut nostra, & simul principum, ac populi peccata flentes confiteamur: id quod plane in spiritu mœroris satis nunc abunde facimus: verbis vero uberius faceremus, si ipsi principes adessent, qui suam nobiscum confessionem & lacrymas conjungerent.

Ejusmodi vero quasi funiculis peccatorum, ut prophetæ loquuntur, sacerdotum ac principum, atque ipsius populi peccata sunt colligata, ut difficile sit de unius ordinis peccatis inquirere, quin reliquorum simul ordinum peccata appareant. Sic vero omnes ordines una orationis serie accusans, in veteri populo dicit Ezechiel in persona Dei:
Ezech. 22. *Sacerdotes ejus contempserunt legem meam, & polluerunt sanctuaria mea: inter sacrum & profanum non habuerunt distantiam. Principes ejus in medio illius, quasi lupi rapientes prædam ad effundendum sanguinem, ad perdendas animas, & avara sectanda lucra. Populi terræ calumniabantur calumniam.* Hæc ille. Quæ utinam ad illa solum tempora pertinerent, ac non nostri quoque temporis imaginem referrent. Utinam cum de corruptela morum sacerdotum loquimur, huic maximam occasionem, maximam materiam, & auctoritatem, ipsos principes, atque ipsum populum dedisse negare possemus. Sed reprimamus nunc verba usque ad tempus magis opportunum, fontes autem communium lacrymarum aperiamus.

Redeamus vero ad eos, quos cœpimus admonendos, præsertim episcopos, qui cum mandatis principum huc venerunt. Sic vero illos admonemus, ut omni, qua possunt fide, & diligentia suis principibus serviant, verum ut episcopos decet: sic illis serviant, ut servi Dei, non ut servi homi-
1. Cor. 7. num. *Nolite*, inquit apostolus, *servi hominum esse*. Primum vero serviant uni regi Christo, cui Deus pater omnem potestatem dedit: deinde vero propter eum, omnibus: maxime autem principi-
Rom. 13. bus: *Cui honorem, honorem: cui tributum, tributum*. Hortamur autem, ut principibus serviant ad honorem, quemadmodum eorum mandata verbis ipsis præ se ferunt: in quibus nihil fere, nisi honorificum, & ad publicam utilitatem spectans, proponitur. Sic vero in summa serviant, ut eorum officium in primis spectet ad honorem Dei, & utilitatem hujus concilii, quod propter publicum bonum est convocatum.

Quare ut ab hoc maxime dehortamur omnes, qui hic sententias coram Deo, & angelis ejus, atque coram universa ecclesia sumus dicturi, ne ad gratiam hominis alicujus loquamur: sic etiam multo magis, ne ad odium cujusquam, sententiam proferamus, etiamsi contra nos adversarii, vel inimici, & hostis personam gerat: denique ut ab omni inter nos contentione abstineamus, maxime optamus, & in domino hortamur. Hæc enim sunt, quæ contristant, & repellunt, quem invocabimus, Spiritum sanctum, sine quo nihil omnino facere poterimus, quod ad bonum, & pacem ecclesiæ cedat. *Cum enim*, inquit apostolus, *sint inter vos contentiones, nonne homines estis, & secundum hominem ambulatis?* Cum vero homines eos appellat, Spiritus Dei expertes intellexit. In omnibus autem, quæ ad reformationem ecclesiæ pertinent, ob quam causam convenimus, imitari nos oportet illum, qui eam primum formavit: de quo ad hoc ipsum opus ingrediente, sic in persona Dei propheta loquitur: *Ecce servus meus, quem elegi: dilectus meus,* Isa. 42. *in quo bene complacuit animæ meæ: dedi spiritum meum super eum: judicium gentibus nunciabit: non contendet, neque clamabit: arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet*. Hunc vero spiritum pacis, caritatis, & mansuetudinis, cum semper apud omnes, & cum omnibus ostendere debeamus, tum vero maxime in hoc sacro consessu, in quo convenimus, ut per gratiam ipsius Spiritus, contentionibus, quæ nimis diu ecclesiam vexarunt, finis tandem imponatur.

Quare ne ipsi ullam contentionis ansam alicui demus, qui pacificorum personam gerimus, maxime est cavendum. Hoc vero, & cetera omnia incommoda, & impedimenta pacis unico modo evitabimus, atque ad optatum pacis portum perveniemus, si precibus ab humili & contrito corde profectis, ipsum Christi spiritum, *qui est pax* Ephes. 2. *nostra*, invocaverimus: ut in hoc concilio præsideat, ut lucem cordibus nostris infundat: utque nos in omnibus ad ipsius honorem, & veram ecclesiæ utilitatem regat, & dirigat. Ad tales enim ipse dicit: *Adhuc te loquente, ecce adsum*. Quare ut ejusmodi orationibus assidue incumbamus, quanta possumus caritate vos in domino hortamur, ut uno ore, atque uno spiritu, Deum Patrem in Christo Jesu glorificemus, qui est Deus benedictus in sæcula. Amen. Isa. 65.

II.

CONCIO FRATRIS DOMINICI Soto, Segobiensis, theologi, ordinis Prædicatorum.

De extremo judicio, quod evangelium prima dominica adventus, missali Romano legitur, ad legatos & synodum, eadem die Tridenti habita.

CONCILIUM vobis aliud, idemque œcumenicum, diei hujus celebritas ob oculos ponit apostolica sancta legatio, & qui sub hoc capite Christi corpus refertis, cardinalis Tridentine illustrissime, & reliqua amplissimorum præsulum sacra synodus. Concilium judiciumque evangelicus vobis hodie præco denunciat, ab hoc longe diversum, quod tam anxia nos expectatione animi pendentes tam diu torquet: sane quod ut universalius, ita, tum majori rigore cogendum sit, tum etiam celebrandum multo celerius. Quippe quo vivorum omnium, mortuorumque universitas, non a remotissimis modo terris, sed ex penitissimis etiam terræ visceribus, uno dato ligno est evocanda, eodemque momento sistenda. Quoniam illic nihil segnitiæ loci, causatio nulla, quam suæ quis moræ valeat prætexere: nullus quo possit quispiam animum dissimulare, efficax color: neu qui nos pertérrefaciant, armorum ulli strepitus: neu qui remorentur (ne pejus dicam) novorum hominum cavilli. Ecquid fictitiis in rebus excogitari queat, quod divinæ illi, tremendæque tunc majestatis, ubi con-

ANNO CHRISTI 1545.

conventum imperaverit illum, obſiſtat? Quandoquidem terra quos mortuos quaſi ſequeſtro apud ſe depoſitos receperat, etſi corpora etiamnum in cineres auraſque jam olim diſperierint: eoſdem mortuos, vitæ reſtitutos, repetenti Chriſto, ſumma fide totos reddet: & non ſecus, ac ſiſtendi vas, ante ejus tribunal ſuas ipſorum cauſas dicturos exhibebit. Et cœli ſtare neſcii, ſed quibus ingenitum, & ſuapte natura conſtantiſſimum eſt, perpetuis pernicibuſque lationibus circumvolvi, gradum ſiſtere juſſi, parebunt: & ante judicis thronum accerſiti, pavidi, atque ſuo contracto jubare pallentes, comparebunt: qui tamen ſui nullam neceſſe habent rationem reddere: ut qui ſint rationis expertes, neque vero ſi vel maxime tenerentur, habent quod extimeſcerent: ut qui nullum imperium recuſent, ſed quæ ſibi obtigere munia, fideli ſemper cura & diligentia exequantur: at quod ſint adverſus hominum nequitiam & perfidiam teſtimonium dicturi, id merito perhorreſcent. Heu nimium aſpidem obtuſis auribus ſuperantes, & quibuſvis talpis cœciores, qui ſtupore plumbum, adamantaque duritie vincimus: eadem ipſa terribilis Dei verba, quæ illo tunc torvo ab ira vultu prolaturus eſt: illa, inquam, *Audite cœli, & auribus percipe terra: quoniam dominus loquutus eſt: Filios enutrivi, & exaltavi: ipſi autem ſpreverunt me. Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, ſemini nequam, filiis ſceleratis.* Et quod ſub cœlorum itidem & terræ atteſtatione alius ejuſdem ordinis propheta in eamdem ſententiam confert, *Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit uſque ad inferni noviſſima.* Eadem, inquam, hæc verba, quibus homines rei fiunt: cœli vero nihil aliud quam teſtes citantur, cœli inſenſibiles expaveſcent: rationales vero homines, vel non audimus, vel intelligimus: vel certe ſi audimus, & intelligimus, nihilo plus tamen eorum ſenſu afficimur: ſed quam adamas quatiente malleo, pejus ea nos excutimus. At ne abſque ulla prorſus diſtributionis luce diutius confuſa divagetur oratio, tametſi vereor, ut præ temporis anguſtia explicare ſuis numeris atque exornare nequeam: tria tamen narrabo, aut certe utcumque adumbrata ac delineata relinquam. Eram enim dicturus quorum, quando, & quomodo ſumus extremo illo pertremendo tribunali rationem reddituri.

Isai. 1.

Deuter. 32.

Atque primæ expediendæ partis inde ex ordine aptiſſime rationem petere videor, ſi unum eſſe hominem oſtendo in hac rerum ſenſibilium univerſitate, a quo factorum ratio & cauſa tum exigi poſſit jure, tum etiam merito reddi debeat. Id profecto quod eſt citra negotium demonſtrare: Nam cauſam cur quid quis faciat, nemo ſane reſpondere quiverit, præter quam qui rerum cauſas videt, & conſequentia cernit: in ſua demum poteſtate habet, res ſic, aliterve efficere, nam cui aliter conſtituere non fuerat liberum: cum hoc cur ita fecerit, quid rogo expoſtules? Eſt autem in rebus (citra angelos) ſolus homo ratione, liberoque arbitrio præditus: eſt ergo unus, qui tum ſui, tum rerum earum, quæ in ſuum dominium & uſum venerunt, rationem ſit reſponſurus. At quidnam rerum eſſe dicam in ejus imperio, & ditione? quid? Quantum eſt cumque noſtris ſubjectum oculis. Quanta ſunt videlicet cœlorum vaſtiſſima corpora, & quam intra ſe multa capere poſſunt, in hominis-ſunt ditionem cuncta redacta. Scripturam de hoc, quam dicat ſententiam, conſulamus. *Faciamus*

Gen. 1.

(inquit) *hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, ut præſit piſcibus maris, & volatilibus cœli, & beſtiis, univerſæque terræ, omnique reptili quod movetur in terra.* Quid eſt autem, *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*? Nimirum aliquid velut argilla efformemus, quo faciei noſtræ ſpecimen, vultuſque lumen noſtri exprimamus. Namque per ſylvam ceterarum rerum, nihilo magis autorem cognoſceres, quam hominis imaginem per ejus tenue confuſumque veſtigium: ut pote, quæ ſint, aut vivant procul dubio, ad ſummum citra mentem, cognoſcant. Ergo (quæ facies Dei eſt) mentis inſigne, rationiſque & libertatis ſplendorem ac dignitatem, nulli rerum præter hominem (angelos mittimus) impreſſit. Quocirca (ut ab hoc ipſo ſuggeſto alias me ad vos dixiſſe memini) quamvis nihil de rebus Deus niſi conſilio altiſſimo conſtituat: nobis tamen aliis verbis ſcriptura conformationem hominis denarravit, quam rerum aliarum creationem, quo ejus inde præ aliis excelſitatem dignoſceremus. Nam res aliæ univerſæ, quippe quæ neceſſitate, & quaſi coactu aguntur, metus non erat, ut a nutu Dei, præſcriptiſque legibus deviare, deflectereque ratione ulla poſſent: & ideo verbo ſimplici conditæ ſunt. Dixit enim: *Fiat lux, & facta eſt lux.* dixitque, *Fiat firmamentum, & factum eſt firmamentum: & dixit, producat terra herbas & animantes, & factum eſt ita.* At vero hominem, cui ſui erat ipſius facienda poteſtas, & facultas ut non vi, uti cetera, compulſuque, & illata neceſſitate, ſed libere a Deo in bonum promoveretur: ut ante illum bono & malo, igne & aqua conſtitutis, manum alterutri eſſet libitum, admoveret: quippe eo eſſet libertatis donandus (ſi tamen libertas hæc eſt) ut contra quam Deus præciperet, faceret ipſe, dum vellet, eumdem hominem auderet Deus producere (ſi ſic infantibus nobis de infinita illa cunctipotentis ſapientia balbutire lallareque licet) niſi ratione maturius cogitata, & deliberata? minime gentium. Ob idque non ſimpliciter dixit: Fiat homo, ſed antequam faceret, *Faciamus*, inquit. Quod eſt quaſi habiti concilii pronunciata ſententia. Deinde non tanquam ex nihilo derepente, uti cetera, edidit: ſed ex luto prius, quaſi figulina arte adfabre corpus in tam variam organorum pulchritudinem efformavit, mox ſpiraculum vitæ inſpiravit in faciem.

Ibidem.

Quid ergo nos iſti recentes mortalium de libero arbitrio contundunt? quid Dei faciem, animis noſtris impreſſam, deterere nobis, expungere, ac delere moliuntur? dicentes ea nos quandoque a Deo neceſſitate, impetu ſcilicet & coactu moveri, qua cœli, vel pecora. Quod ſi nunquam nos adeo cogit, cur meritum nobis adimunt, quod aſſertu illis eſt neceſſarium, non modo temporalium præmiorum (quod jam compulſi cœperunt confiteri) ſed illius etiam, quo nos gratia perducit ſempiternæ gloriæ? Siquidem ut nos Deus impulſu in bonum prævenit, tamen in noſtro arbitrio poſitum eſt, ut a præveniente nos ejus gratia moveri conſentiamus. Cujus ſumus in judicio cauſam dicturi, atque adeo vel æterna daturi ſupplicia diſſenſus, vel conſenſus præmia accepturi ſempiterna. Sed caveo ne me nunc diſputatio hæc alio properantem, furripiat. In diverticulum redeo.

Subnectitur continuo loco memorato ſcripturæ: *Et præſit piſcibus maris*, & cetera. Id quod hujuſmodi eſt. In hoc faciamus hominem ad imagi-

ANNO CHRISTI 1545.

imaginem noſtram: judicio ſcilicet & ratione donemus, qui orbi colendo ac moderando ſit idoneus, atque aptus, quem in dominium mittamus univerſi, cujuſque fidei quantum rerum extruximus, ceu vitæ ſervitia quædam, concredamus: nempe ut mundi tandem tranſcurſa periodo, ad noſtrum judicium accepti rationes afferat, & expenſi: quo rerum per ſe geſtarum, & quæ a nobis fuſceperit, beneficiorum ſubductis rationibus, conſtet, perinde illum ſaltem fide, ſtudio, & ſolertia in officio erga nos continenter perſtitiſſe, atque fuerit ipſe avide uſus obſequio mundi: atque adeo liqueat, utrum gloriam in nos retulerit: quam ei cœli vaſtiſſima mole ſua, fabrica, ornatu, pulchritudine, ordine utique ſummo, & conſtantia, enarrare non ceſſant: verbumque intellexerit munificentiſſimæ beneficentiæ noſtræ, quod *ignis, grando, nix, glacies* jugiter faciunt, unde laudes nobis & gratias debebit perpetuas. At cujuſnam alius rei extra hunc mundum univerſum effari auſim, redditum iri a nobis rationem in die illa? Nam extra mundum boni philoſophi nil, niſi inane quoddam interminum, meditantur. An de cura forte qua ſpiritus in nos angelici incumbunt, deque vigilantiſſima, qua nos protegunt, cuſtodia, cauſam dicturi ſumus: quemadmodum ſcilicet ducatum eorum ſequuti, eorumque ſimus uſi ſubſidio, imo vero obſequio: Ecquis id ambigat noſtrum, qui in divinis hæc quoque beneficiis ponimus?

Pſal. 148.

Sed quid breviſſimam ad dicendum mihi datam horam in ſervitiis mundi, angelorumque auxiliis recenſendis prodigo? Hæc, hæc ad vos affero patres eccleſiæ ſidera, de quibus nobiſcum etiamnum Deus rationem inibit in die illa iræ, Nempe ut filium ſuum unigenitum, quem in rem penitus veſtram, & propter veſtram ſalutem in hoc mundi miſeriarum profundum cœlo demiſit, exceperitis, & tractaveritis. Quomodo fidem ejus, documenta, leges, conſilia, exempla cuſtodiatis. Labores pro vobis exhauſtos, quas ærumnas pertulit, acceptas injurias, contumelias toleratas, quibus vos officiis compenſetis. Sanguinem denique pro vobis, ad mortem uſque, & in cruce fuſum, qua veneratione, religione, obſervantia, ac ſanctimonia obſervetis. Eccleſiam ſuam negotio tanto conſtructam, tam longa, tamque clara, & generoſa martyrum acie communitam, tot patrum doctrinis, ceu lampadibus Spiritus ſancti illuſtratam, eccleſiam utique (ut totum dicamus) qualem divina bonitas, ſapientia, & potentia ædificavit, qua fide & vigilantia ſervetis, propugnetis, & excolatis. O inenarrabilem Dei adverſus homines caritatem, qui non in id nos ſolum evexit gloriæ faſtigium, ut filii Dei nominemur, & ſimus: ſed quo nos in filios adoptaret, naturalem nobis contulit. *Sic* enim *Deus* (ait ille caritatis æſtimandæ prudentiſſimus) *dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret*. Mundum, qui Deum ſemper odio habuit, ita eumdem mundum deamavit Deus, ut filium ſuum, ſplendorem gloriæ ſuæ, & ſubſtantiæ figuram (nam deitate ſibi parem, quin & eſſentia eumdem) mundi mortalibus tradiderit, quos immortalitate donaret. Nam cur non dicam, tradiderit? Cui non majores honores habuit mundus, quam quem ludibrio, & opprobrio habitum, eo demum malorum detruſerit, ut cruci latronum medium, ceu *maledictum* quoddam (liceat cum Paulo ſic dicere) affixerit. Quod ille non aliter proferre auſus eſt, quam teſtimonio ſubinde ſubjecto: Quoniam *maledictus homo, qui pependit in ligno*. Num ſatis perſpectum vobis, quo nos Deus negotio filios effecerit? Suo nos ſemel ſanguine in cruce genuit: eodem in ſacramento quotidie nutrit. An comminiſci unquam cogitaſtis patres ampliſſimi, & omnium providentiſſimi, qua vos ratione in divino tribunali de neglecto ſanguine Chriſti poſſitis defendere: quem veſtræ fidei ibi commiſit, ubi quas animas cruore ſuo ſervaverat, earumdem vos animarum in cuſtodia collocavit?

Joan. 3.

Gal. 3.

ANNO CHRISTI 1545.

Sed & de *urbe fortitudinis noſtræ Sion* (hoc enim nomine eccleſia eſt a prophetis celebrata) cujus vos eſtis ſal ac lumina, & (quod veſtrum nomen eſt) ſpeculatores & vigiles, nunquid vobis in mentem venit, an geminus cum primis, quem ei Chriſtus circumduxit, murus aliqua ex parte ſit forte neglectu noſtro interruptus, qua veſtra eum diligentia vos reficere & inſtaurare debeatis? Geminus inquam, quoniam *ponetur* (ait) *in ea murus, & antemurale*. Quid murus & antemurale? Leges & aliæ leges: divinæ leges, quæ ſunt firmiſſima mœnia, atque ſanctiſſima, quibus eſt eccleſia circumſepta: & propter divinas, humanæ inſuper, in ipſarum propugnaculum adhibitæ. Huc vellem noſtri iſtos inſectatores convenire: hoc cum illis, ſi & temporis & loci ratio ſineret, lubenter expoſtularem: de quo nos ipſi viciſſim tam acriter compellant. Non enim (quod nobis calumniantur, traditiones hominum divinis mandatis anteferimus: ſed quod Chriſtus ipſe ſervator noſter tanti leges æſtimaſſet ſuas, tantique noſtra referre perſpiceret earum cuſtodiam, hominemque ſciret varium animal, eumdemque inconſtantium rerum viciſſitudini ſubjectum, qui pro temporum adeo conditione, & diverſitate locorum, diverſis legibus opus haberet in officio contineri: ſuam hanc eccleſiæ providentiſſimæ commiſit facultatem, ubi paſtorem Petrum inſtituit, ubi qua miſſus fuerat a vivente patre, eadem poteſtate apoſtolos dimiſit, ubi *Qui vos* inquit, *audit, me audit*: & ſæpenumero alibi. Hac nimirum functi auctoritate ſancti patres, ſummo ſtudio & conſilio, aſſidente Spiritu ſancto, qui ex pollicitatione Chriſti manet nobiſcum in æternum, hoc legum eccleſiaſticarum antemurale, veluti urbis pomœrium, evangelio ſuffecerunt: monachatuſque, & alias ſaluberrimas ceremonias inſtituerunt.

Jſa. 26.

Luc. 10.

Quæ quanto ſint eccleſiæ robori & præſidio, ipſi iſti earum hoſtes documento nobis ſunt, & patentiſſimo teſtimonio. Nam poſtquam eccleſiaſticum hoc munimen ſuis opinionum cuniculis ſubverterunt, qualiter jus ipſum divinum tali munitione denudatum defenderint, ipſi judices ſunto. Abjecto monachatu, hominum ritu, ut quod de ſacerdotibus divinum eſt inſtitutum retinuerint, videant ſacramentalibus ſubverſis, qua religione ſacramenta tractent. Breviter poſtquam jura humana ſolo æquaverunt, qua fide & religione in evangelio perſtent, faciat Deus ut ante hanc quam prædicamus diem, agnoſcant. Quin audenter hoc loco dicam: pronunciare (ſi audire me pro veſtra in Deum fide toleratis) nihil contabor, neglectum pontificii juris) niſi quibus hoc nomen facit ſatis, ludibrium mavultis, hæc nobis tempora attuliſſe) nempe quod patrum leges ſanctiſſimæ peſſum premi fuerint permiſſæ, id foveam ſuffodere & aperire cœpit, in quam veſtram eccleſiam conjectam cernitis. Leges namque ut divinæ, ita & huma-

ANNO CHRISTI 1545.

humanæ; si considerate aliquando æstimateque perpendistis, in hoc penitus positæ sunt, ut perexiguum hunc & angustum bonorum temporalium acervum, insatiabilis mortalium aviditas in pace & tranquillitate possideret: & ita inter nos constare posset caritas. Sunt nimirum veluti lineæ & præscripti quidam limites, quibus homines in suo quisque jure contineantur, aliena ne violent. Augustissimum illud inexhaustumque divinorum bonorum pelagus, sine fundo altissimum, amplissimum extra mensuram, & absque fine sempiternum, illud est, quod ut non per partes possidetur, ita neque præfinito ullo modo debet adamari, & expeti: sed ut se quisque avidissime in ejus amorem dimiserit, & effuderit latissime, ita id omnes pace quietissimi possidebunt maximo gaudio. At vero arctissima hæc & brevissima, vano nomine, bona, ob idque in commune possideri nescia, longe aliter. Quoniam nisi his veluti vallo, signis positis interscpirentur: omnibus tunc omnia invadentibus, cuncta sacra atque prophana susque deque pertraherent.

Perpendite ergo vos consultissimi patres, quos fideles servos & prudentes constituit dominus super familiam suam, & super candelabrum lucernas erexit, & in legum specula posuit custodes, quam cavere debeatis vigilanter legibus vestris: quas hominum (quæ nihil non designat) cupiditas prece & precio arietare non cessat, quo sibi aditus impune pateat ad vetita: ne si quæ sunt sanctissime obseratæ, adulterina clave aperiatis, rei in illa die ecclesiæ vestræ dispensationibus dissipatæ, causam tremebundi dicatis. Nam inde ecclesiasticum antemurale abiit in maceriam (quæ est sine calce & cæmento dissoluti lapides) mox pessumdari & pro non legibus haberi incipiunt, atque adeo dignitas ecclesiastica contemptui haberi, continuo murus sanctissimus divinarum legum nutare & vacillare, confestim caritas languere primum, post labefactari, spes concidere, postremo evelli fides. An putatis aut sine legibus constare caritatem, aut sine caritate vel stare spem, vel fidem posse vivere? Fundamentum, parietes, & tectum contemplamini. Ubi Christus ædificavit ecclesiam, fundamentis fidei subjectis, spem nostram erexit: & quæ ædificium contegeret, caritatem superne extendit, quæ authore Paulo, tum *præceptorum est*

1. Tim. 1. Coloss. 3. *finis*, tum etiam *vinculum perfectionis*: legibusque tum divinis, tum humanis constabilivit, ut bonis omnibus gradibusque ac dignitatibus pro cujusque meritis distributis, specimen triumphantis illius, heu heu, ecclesia hæc militantium exhiberet. Satan ergo arte retexendi Christi structuram instructus, a fastigio eam contra demoliri orsus, ad ima usque deturbat.

Auscultemus interim tantisper judicem nostrum mirifica clementia & lenitate rationem de hoc ponentem cum servis suis, ne in die illa stupenda irati ipsius acerbissimam severitatem extimescamus. Isai. 5. *Audite*, inquit, *habitatores Jerusalem, judicate inter me & vineam meam*: Viri videntes (nam id est in nomine significatus viri perspectissimi, qui omni affectione liberi, integram habetis judicandi potestatem, sedete judices inter me & vineam meam. *Vinea facta est dilecto meo*: ecclesiam unigenito meo plantavi. Nam patris hic verba subadire videor: speciosissimam vineam plantavit Deus dilecto suo. Nam ex quincunce consevit vites, ut quolibet versus spectaveris, rectissimos ordines conspicias. Matth. 21. *Et sepivi eam. Ædificavi turrim*, scilicet fidei, *in medio ejus*: & *torcular*, sacramentorum videlicet, *extruxi in ea*, quo nectar gratiæ divinæ exprimitur. *Quid est, quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci? An quod expectavi quod faceret uvas, & fecit labruscas? Et nunc ostendam vobis, quid ego faciam vineæ meæ. Auferam sepem ejus, & erit in direptionem: diruam maceriem ejus, & erit in conculcationem & ponam eam desertam: non putabitur, & non fodietur: & ascendent super eam vepres & spinæ, & nubibus mandabo, ne pluant super eam imbrem.* Perscrutamini vos mysteria mystæ sapientissimi: pervia sunt, ipsa se produnt. O quo te is præcipitatum, quæ de ejus latere promanasti, ecclesia Christi, sponsa, columba, amica, formosa, speciosa Christi, & his atque talibus sexcentis epithetis insignite a divina sapientia cumulata? Quo te, Petri navicula, elisam, diffractam, submersam rapit nostrorum criminum procella? Quid nostræ causæ tam diu indormis Christe servator noster? Cur Petre magistrum ex profundissimo isto somno excitare non properas, qui tibi creditæ navi succursum veniat? Imo vero & tu cave vicissim Petre, illam iterum magistri reprehensionem audias: *Simon dormis?* quid meæ non Marc. 15. invigilas causæ? Et nos ipsimet caveamus nobis. Nam quis nos, malum, lethargus, aut veternus mente abalienavit, & nostrimet nos occupavit oblivio?

Attendamus parumper cujus nos admonet evangelium. *Conspicite, & levate capita vestra.* Luc. 21. Animo perspicienter reputate signa in sole, luna & stellis, quæ ætatem redemptionis vestræ appetere jam prænunciant. Signa, inquam, non illa, quæ in hujusmodi elementis visibiliter apparebunt: quæ scilicet alius evangelistarum exponit, solis & lunæ tenebras, & stellarum casus, sed quæ sub illis mysterio abdita latent. Hanc enim secundam concionis partem brevissime perstringam. Nam præterquam quod, (ut Aug. ad Eusichium scribit) non omnia hæc signa pertinent ad finale judicium, sed quædam ad Hierosolymitanam subversionem: illa quæ ad judicium attinent, non ita sunt intelligenda, ut sint a Christo tanquam indicia manifesta designata. Enimvero ut nostrum extremum diem, cujusque suum, ex re nostra est; ut ignoremus (nempe quo hinc certitudine mortis, incertitudine inde temporis, utrimque magis ad bonum magisque excitemur, perstistamusque in vigilia cautiores) ita & diei illius præscios nos esse, nihil ad salutem nostram pertinebat. Id quidem nos admonitos esse voluit Christus: ubi *de die illa neminem novisse* ait Marc. 13. *neque filium hominis*: & ubi apostolorum mi- Act. 1. nime interesse pronunciat, scire tempora & momenta, quæ in patris sunt posita potestate. Etenim cum cœlestium secretorum illa ad nos prorsus attulerit Christus quæ ad nostram nobis salutem conducunt, nihil aliud est Christum diem illum ignorasse, quam non habuisse in mandatis a patre, neque se tanquam redemptorem decere diem illum revelare. Quid ergo sibi hoc evangelio voluit: *Cum videritis hæc fieri, scitote, quoniam prope est regnum Dei?* Porro (quantum conjicio) nihil aliud, quam quod ubicumque prodigiosa aliqua signa & extra consuetum naturæ ordinem, hæc mundi præcipua elementa dederint: in mentem nobis & memoriam veniat illius diei: quoniam sunt omnia, nihil aliud, quam strepitus quidam ruinæ illius magnæ, quam nobis mundus comminatur. Quamobrem perspicienter patres, & sapienter scrutati sunt mystica quædam ejusmodi

ANNO CHRISTI 1545. Isai. 5.

Hesye chium

ANNO CHRISTI 1545.

modi signorum sensa: signa scilicet eorum, quæ ecclesia a suis semper usque incunabulis afflictis rebus, perpessa est: finis etiam ejus & casus indicia.

Quæ quantum egomet mecum sæpe & multo animo considero, videre non videor, quo ingravescendo ire jam possint deterius, quam modo sunt in oculis nostris: nisi forte unde ecclesiam everrere valeant funditus. Hi namque solis & lunæ, stellarumque nominibus, potestates ambas, ecclesiasticam & sæcularem, sanctorumque præterea splendorem subaudiunt mysteriorum periti, Solem autem splendidissimum, ac fulgentissimum jubar apostolicæ ac perinde sanctissimæ sedis, ubi suum Christus Petrum cum plena potestate vicarium collocavit, quaque ejus perpetuo successores ad gubernacula sedere constituit, quandonam quæso majores nostri pejus tenebrescere conspexere, majorique obvolvi caligine? Legimus porro multorum capita & nomina hæreticorum, qui perfide ab ecclesia catholica descivere: at quando gentium (si vestras fando venit in aures) honorificentissimum nomen sanctissimi papæ, vel Turcis fuit adeo invisum, abjectum, & (si audire potestis) infame, quam est quibusdam modo Christianis? Adeo ut Christianis e regione papistas opponant, papistas & antichristos pro synonymis ducant. Ita de die judicii instituebat Thessalonicenses Paulus; nempe quod *ubi venerit discessio primum, mox revelatus fuerit homo ille peccati, filius perditionis, tunc erit finis*. Discessionem autem, si ad dissolutionem caritatis spectetis, quæ (ut dudum dicebamus) est vinculum perfectionis, quando timetis majorem? Si vero ad rebellionem, qua suum in caput conjurant membra, quando parem?

2. Thess. 2.

Tres ecclesias rationibus diversissimas, nam fidibus (ita enim de divisa fide loqui non vereor) sacramentis, etiam capitibus dissectas patimur: quod nullum pertulit unquam Christianorum sæculum. Tres in partes discerpta est a Christianis inconsutilis Christi tunica: quam neque ejus ipsi crucifixores discindere intentarunt. Quin Christum ipsum, qui est apostolico testimonio indivisus, in cujus mysterium carnifices etiam illi ossa ejus infringere abstinuerunt, in frusta Christiani dilaniant. Quod autem ad antichristum attinet, non est de quo nobis inter nos facilius conveniat, quam quod est in foribus: nisi quod illi a nobis id mali timent, nos contra ab ipsis. De Luna vero, hoc est, civili potestate, id tantum dicere cogitavi, quod bona ejus pars suum Solem eclipsat, tota propemodum (juxta Joelis de die illa vaticinium) versa est in sanguinem. Ecquid de sanctissimis tandem stellis, divis inquam, qui tanquam stella a stella differentes, ita regno cœlorum splendescunt? Quonam loci deciderunt? Est enim in historiis, Vigilantium reclamasse contra sanctorum invocationes: Almericum & alios abjecisse ex templis imagines (quorum sunt omnes errores conciliis condemnati) id tamen improperii, & contumeliæ quod divi in suis delubris sub hoc ætatis accipiunt, nusquam legimus. Nam ut indulgeremus istis imagines depellere: quid tamen excusare possunt, quod eo illas dehonestamento & vituperio persequantur, fœdius quam dæmoniorum idola, deturpantes divorum effigies, confringentes, & in deridiculum concremantes? Nonne si in regum statuas hæc perpetrassent, rei essent læsæ majestatis? Vos ergo cum videritis hæc fieri, scitote quoniam est prope regnum Dei.

Joan. 19.

Joelis 2.

Quod si nullus adhuc nos ab his metus subiit appropinquantis casus mundi: tamen quod si hæc serpere latius pergant, nempe, quod si ecclesiam hinc moribus nostris (qui catholici censemur) silvescere, aliorum inde arietibus concuti permittatis, citius sit jam in capita vestra ruitura: id saltem non potestis non vehementer extimescere. Scire cupitis quam abest procul ecclesiæ ruina? quam hoc vobis concilium in animos alte infixum fuerit? Si re infecta, terga hinc vertitis, responsum meditando conficite: quo æquissimo illi, sed acerrimo ac severissimo tunc judici facere possitis satis, ubi neglectæ a vobis, desertæque & amissæ ecclesiæ suæ rationem depoposcerit, dum vitam vestram ad sanctissimas suas leges exegerit: dum officia vestra & obsequia cum infinitis beneficiis, quæ apud vos ad mortem usque collocavit, contulerit.

ANNO CHRISTI 1545.

O utinam sic nos interim patres ecclesiæ lumina vigilanter hic componamus, dum tempus nos misericordiæ expectat, ut non in illa, quæ nos manet, teterrima justitiæ hora aresc amus (quod est in evangelio *præ timore & expectatione quæ superveniet universo orbi*: quoniam (si de postrema quam proposuimus parte, audire etiam non piget) exerere se ac manifestare constituit in forma humana divina majestas, Christus videlicet Deus homo, cui & collata est *omnis potestas in terra*, & *datum judicium facere, quia filius hominis est*, qui jure humani generis redempti & servati *constitutus est judex vivorum & mortuorum*. Nam *in hoc*, inquit Paulus, *mortuus est & resurrexit, ut & vivorum & mortuorum dominetur*: qui humiliando se usque ad mortem crucis, fecit sibi nomen magnum super omne nomen, ut *in nomine Jesu celeberrimo omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium & infernorum*. His enim majestatis nominibus, dignitatisque amplissimis titulis, prodibit in judicium universorum judex, nubibus invectus, spiritalibus cœlorum virtutibus, thronis, ac dominationibus innixus, coronis angelorum redimitus, densissimis beatorum ordinibus stipatus. Nec edicto solum (ut ipso nascituro fecit imperiosus ille Romanus) describet universum orbem, sed uno temporis momento quotquot a condito orbe in lucem dati sunt, in suum cobspectum compulsos dabit. Nam quos dormientes hic a somno & torpore mitissima illa vox Pauli: *Hora est jam nos de somno surgere*, expergefacere nequiverat, mortuos tunc evangelica tuba e sepulcris perterritos excitabit. Quos inter nulla Judæi & Græci, divitis, atque pauperis, potentis & impotentis, principis maximi & plebeii minimi superere differentia: sed cunctis positis personis, quas in hac mundi comœdia, aliis natura tribuit, aliis vel fortuna objecit, vel comparavit industria, aliis vero iniquitas forte, sive fraude, sive audacia adjunxit, nullum fiet reliquum interstitium, quam quod fides, & gratia Christi, vel cum ea officia nostra, & res gestæ in Christiana ista militia constituerunt. *Recipiet enim unusquisque coronam justitiæ, prout gessit in corpore*. O abditissima mortalium pectora, & quam est infimum terræ centrum, altius recondita, tam simulandi artificio fucata & dissimulata, falsis externe præstigiis oculos eludentia: ea quæ clam gestatis consilia, quam sunt illa die palam in oculis omnium exponenda, quam universis revelanda patenter! Nempe ut qui vel a nulla sunt cogitatione de divina amicitia dejecti, vel quæ semel admiserint per pœnitentiam de-

Luc. 21.

Matth. 28. Joan. 5.

Rom. 14.

Philip. 2.

Luc. 2.

Rom. 13.

2. Cor. 5.

lenda

ANNO CHRISTI 1545.

lenda curaverint, eorum peccata, gratia Christi contecta, non nisi ad gloriam pateſcant, illaque tunc ſint voce digni: *Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata*: eorum vero animi, qui Deum intima cordis cernentem non erubeſcunt, ut eos malefactorum aliquando depudeat, ad ignominiam tunc retegantur. Ecce effigiem, atque imaginem futuræ illius areæ, quo eſt Chriſti frumentum congregandum, ubi advenerit æſtas, quam nobis hodie evangelium comminatur. Ecce ſpectaculum mirificum, aliis quidem terrimum & acerbiſſimum, aliis vero ſpectatiſſimum: quando integer ille, incorruptus, atque ideo æquiſſimus judex certiſſimo ſuo, perindeque expaveſcendo ventilabro ſuam eventilabit aream: & quæ ſolida compererit, probataque grana, in horrea illa cœleſtia condet, ubi *neque ærugo, neque tinea demolitur: neque fures effodiunt ut furentur*, ſed infinitorum eſt bonorum cumulus, atque adeo ſempiterna felicitas. *Paleas vero igne comburet inextinguibili*: eos nempe, qui Deum maximum, & immortalem, quam res inanes & momentaneas minoris æſtimaverunt: qui in tenebras ejecti externas, palearum naturam ardendo imitantes, ſæcula durabunt æterna.

Pſal. 31. *Matth. 3.* *Luc. 3.* *Matth. 6.* *Ibidem.* *Matth. 3.*

Ergo benignitate veſtra patres illuſtriſſimi, & attentione ſumma, quæ meam longius quam inſtitueram orationem provexit, diutius abuti ceſſo, ſi vos mecum modo exoratos habeo, ne divitiis nos bonitatis, patientiæ, & longanimitatis Dei abutamur, qui adeo nos toleranter ad pœnitentiam expectat, ut honoris etiam ſui (ſi ita fas eſt loqui) prodigus videatur. Nam quod ita infinita noſtra facinora æquanimiter ferat, ſunt qui eo dementiæ proruant, ut vel aliam eſſe vitam addubitent, vel qui noſtra hæc curet, Deum ullum. Sed gratias ei cum primis immenſas habeamus, agamus, & quam poſſumus referamus maximas, qui ſanctiſſimo domino noſtro in animum induxit, cui firmum jam ſit & conſtitutiſſimum, tertia ab hac dominica concilium inchoare. De quo & eidem ſanctiſſimo noſtro gratias debet eccleſia, qui omnibus poſthabitis ſatanicis impedimentis fixum habeat ampliſſimum hoc beneficium in Chriſtianam rempublicam conferre. Mox Deum ipſum precationibus adeamus ſupplices, qui non nobis, ſed nomini ſuo det gloriam: nempe qui non propter nos, qui malorum hanc eluviem commeriti ſumus, ſed propter gloriam nominis ſui, quam tanti redemit, eccleſiam inſtaurandam curet.

Quod enim ad nos attinet, nihil ſane verius concinere poſſumus, & magis conſentaneum, quam trium illud juvenum confeſſionis canticum apud Danielem, quorum nos fornace pejus ardemus: *Peccavimus, & inique egimus, recedentes a te, & deliquimus in omnibus, & præcepta tua non audivimus, nec obſervavimus, nec fecimus ſicut præceperas nobis, ut bene nobis eſſet. Omnia ergo quæ induxiſti ſuper nos, & univerſa quæ feciſti nobis, in vero judicio feciſti. Et nunc non poſſumus aperire os: confuſio & opprobrium facti ſumus ſervis tuis, & his qui colunt te. Ne quæſumus tradas nos in perpetuum propter nomen tuum, & ne diſſipes teſtamentum tuum, neque auferas miſericordiam tuam a nobis, quoniam non eſt in tempore hoc princeps & dux, & propheta, neque holocauſtum, neque ſacrificium, neque oblatio, neque incenſum, neque locus primitiarum coram te, ut poſſimus invenire miſericordiam tuam, ſed in anima contrita, & ſpiritu humilitatis ſuſcipiamur.*

Daniel. 3.

FINIS.

III.

ANNO CHRISTI 1545.

ORATIO R. P. D. CORNELII EPISCOPI BITONTINI,

Tertia Dominica adventus in concilio Tridentino habita.

GAUDETE *in domino*, patres, *gaudete in domino*, fratres, *iterum dico gaudete omnes. Ecce* enim *tempus acceptabile, ecce dies* certiſſimæ, expectatiſſimæque *ſalutis*, quo non modo homines, quibus natura parens ſenſum & mentem dedit, ſed & ipſa emortua tecta, inanimes agri, monteſque & valles lætari mihi & exultare videntur. Quia aliquando tandem *propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum* excitatus eſt dominus, ut quæ nobis interitum heri & nudiuſtertius minabantur, dum is vel dormire, vel longius ire myſterio, non dolo ſimularet, eo vigilante cuncta illius ſupercilio hodie paveant: fileſcant irata maria, recludantur in theſauros ſuos venti, denique funeſta omnia abeant, feſta omnia redeant. Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio Jeſu Chriſte fons miſericordiarum, per quem jam oculis noſtris videmus, & manibus noſtris tangimus beatam illam ſpem, quam ante nos multi videre voluerunt, nec potuerunt, a longe portum (navigantium more) ſalutantes, non apprehendentes promiſſionem, ne ſine nobis conſummarentur. Vos adeſte mihi animis omnes, ut adeſtis corporibus, & Spiritum ſanctum terribiles has caſtrorum noſtrorum acies habitantem, ſanctum hunc cœtum intuentem & juvantem, concilii auctorem & adjutorem, eccleſiæ præſidem & obſidem, opportunis importuniſque pulſate precibus, ut *labia mea aperiat*, ut aures veſtras expurget, ut ipſi tranquillis mentibus intendatis, ut ipſe habeam verba paria ſanctæ rei. Hanc vero orationem ſane meam, poſtquam ego hujus cauſæ patronus non tam electus ſum ex omnibus quam relictus, ut qui unus ob ſummam veſtram omnium auctoritatem atque amplitudinem in concionem aſcendens nullo periculo dicere poſſum, unde vel aptius, vel felicius auſpicari queam, quam a ſacroſancta hujus concilii neceſſitate? quæ profecto tanta eſt, ut omnium hominum animos (ſi qua in Chriſtum fides, ſi qua viſcera pietatis) inflammare maxime poſſit, & debeat.

Philip. 4. *2. Cor. 6.* *Pſal. 22.* *Pſal. 50.*

Nam poſt concilium illud amabile, cujus etiam ſola memoria recreamur, quo lætante cœlo, & exultante terra, Florentia aridum orbem florere fecit, medium parietem maceriæ ſolvens, & duos populos condens in unum, non quinque, non ſeptem, neque decem, quod conſtantiſſima Conſtantia conſuluerat, ſed ſi ultimum Lateranenſe ſubduxeris, centum fere annis, proh dolor, quibus & domi & foris, & telis & facibus obſeſſa eccleſia, vexata contumeliis, jactata injuriis, ſolicita ſuſpicione, ſuſpenſa metu, dira & dura perpeſſa eſt: longo concilii deſiderio fatigata velut dolores parturientis habens, quæ cruciatur, ut pariat: clamans, Ini concilium, imo coge concilium: concilio deſtituta pæne languit, exaruit, defecit, eo calamitatis & miſeriæ prolapſa, ut niſi eſſet ſervata divinitus, fruſtra modo pro illius ſalute conventus hic ſacratiſſimus haberetur. Jam enim libertas, pax, tranquillitas, jura, leges, fortuna, opes, honor, imperium denique ipſum, agri, urbes, mœnia, ædes, tecta, ſedes, areæ, omnia quibus ſpiritum vitamque ducimus, amiſſa eſſent, velut quæ cum religione

ANNO CHRISTI 1545.

ligione ita implicita esse & cohærere videntur, ut non possit illa ruere, quin eodem debilitata motu omnia concidant, non enim Asiaticis opibus patres, non potentia Persarum, non Hispanorum bellicosissima illa multitudine, non infractis viribus Gallorum, non Græcorum artibus & technis, non calliditate Pœnorum, non Germanorum constantia, non Italorum armis atque ingenio, una religione & pietate hæc omnia nata sunt, aucta & retenta.

Et cur quæso putatis omnis ordinis viri prudentissimi, magnam hanc angelorum frequentiam, luminaria hæc ecclesiarum, tot inquam episcopos, magistros populorum, patres omnium, ministros Christi, Christos domini, ora & oracula Dei, tam multis terrarum mariumque difficultatibus superatis, relictis etiam gregibus, quos anima cariores habere oportuit, exisse de terra sua & de cognatione sua, ut alienas casulas magni hospites implerent, nisi quia vicit iter durum pietas? Nam sancta eorum pectora imminens ecclesiæ totius excidium coegit, ut crudele & nefarium existimarent, horrificum hoc bellum, quod omni imbutum odio ac parietibus & tectis ac columnis & postibus & ipsis etiam fundamentis nostris illatum est, spectare, tangere, experiri, nec interim inito concilio opponere se murum pro Israel: quando non ita pupilla oculi tegitur coeuntibus ciliis, ut defenditur ecclesia sancta conciliis. Neque enim ob aliud magno huic corpori Deus varias multiplicesque gratias, ut & membra distribuit, nisi ut quod in singulis dispersa virtus non potest, in omnibus invicta unitas efficiat: quemadmodum & ipsa natura manus nobis geminas geminosque oculos, pedes item geminos ideo dedisse videtur, ut quasi collecto concilio parvus hic mundus se juvare, & tueri possit, nam manus manum lavat, pes pedem sustentat, sinistra fulciuntur dextris, sinistrisque dextra levantur. Et quis nesciat res arduas atque difficiles quæ ad unam sanctam catholicam ac apostolicam pertinent ecclesiam, in concilio & cœtu patrum, ubi suo quisque loco sententiam dicit, tractari prudentius, maturius diffiniri, probari solemnius, & gratius a cunctis populis acceptari? Neque enim temere dictum est: *Multitudo sapientum sanitas orbis*: ibi *salus, ubi multa consilia*. Sane neque Moses leges tulit ante initum synagogæ concilium, neque sanguinem fœderis resperšit nisi in concilio, neque apostoli Matthiam, aut septem diacones elegerunt extra concilium, neque prima illa juris ecclesiastici decreta ediderunt nisi in concilio: in concilio inquam illo, quod nascentem in gentibus ecclesiam, ne vel abortum patiendo vel suffocationem, interiret, apud Hierosolymam liberavit, & ubi apostolicum symbolum angustum verbis non angustum sacramentis est explicatum latius, atque defensum, quam in quatuor illis conciliis, Nicæno, Ephesino, Constantinopolitano, Chalcedonensi. Scripturæ sanctæ canonicæ ubi delectæ sunt, nisi in concilio Laodiceno, & Carthaginensi? Hæretici ubi revicti sunt, ubi damnatæ hæreses, ligatæque in fasciculos ad comburendum, nisi in concilio apud Lateranum, apud Constantiam, apud Antiochiam, apud Viennam? Mores tum populi, tum principum, ac sacerdotum, quando emendati in melius, præterquam in conciliis Gregorii VII. Alexandri III. Urbani II. Unio dissidentium nationum ubi coaluit unquam felicius, quam in concilio Lateranensi & Florentino? Turcæ rabies, quam unquam Christianorum potentiam, atque animum ita sensit, ut in "Lateranensi illo concilio, ubi trecenta hominum millia ad reparandum Hierosolymam invictæ crucis signa susceperunt? Sed & Christiani principes diu in ecclesiasticam potestatem tyrannico furore surrexerunt, cui flectere genua, & caput summittere debuerant. Nonne sanctis conciliis sunt depositi, percussi anathemate, pulsi regno, atque imperio? ut Ladislaus, Leo III. Henricus III. Fredericus II. Constantinus VI. Quin ipsa schismata, quibus maxime frangitur & evertitur ecclesia Christi, non sedantur unquam facilius, quam concilio, quod vetera exempla docent Symmachi, Benedicti, ac Gregorii. An non etiam conciliabula, ac malorum omnium conventicula, *colloquia mala, quæ corrumpunt bonos mores*, dissolvuntur sacris ac legitimis conciliis? ut latrocinium illud Ephesinum secundum, Arimi-nense, Pisanum, Mediolanense. Porro summorum pontificum gloria, quæ nunquam non blasphematur ab impiis, conciliorum virtute emergit clarior semper, atque illustrior, quod in summa patuit in Xysto, in Marcellino, in Leone. O certe magna conciliorum virtus! Hinc & poetæ concilia deorum inducunt: & apud Mosen dum hominem, mundi miraculum, ex terra fingit Deus omnipotens: quem individue partitum, dividueque conjunctum ipso etiam supernaturalis historiæ vestibulo docuerat, est vox illa pene conciliaris, *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*. Altera quoque ad magnos illos gigantum ausus reprimendos. *Venite, confundamus linguam eorum, ut non audiat unusquisque vocem proximi sui*.

ANNO CHRISTI 1545. "Claromontensi, voluit dicere.

2. Cor. 15.

Gen. 1.

Gen. 11.

Enimvero patres, ut præsentem rerum statum compendio perstringam (nam Laconis mihi partes reliquistis, cum oratoris ademistis) cum nostra religio tribus quasi capitibus constet: doctrina fidei, qua ut pane cœlesti vivimus, & saginamur: sacramentis, quorum secreta sacraque virtute Deo conciliamur in gratiam: caritate, qua ut nota præcipua Christus agnosci suos voluit a ceteris: quæ illud est fidei, quod lux coloribus: id sacramentis, quod sanitas medicinæ: quid istis temporibus exposcit doctrina catholica, nisi concilium? quid postulant sacramenta nisi concilium? quid communis caritas quærit, nisi concilium? Deum immortalem, quam superbe contentiosis nostris concertationibus, quibus jam subversus est orbis, præclara illa antiqua fidei nostræ monumenta vexantur! quam perverse Dei verbum vel posthabetur, vel mutilatur, vel torquetur, vel invertitur! quam temere etiam interdum a nobis, ut nonnihil scire videamur, unanimis ille omnium sæculorum consensus nihili penditur! quam ingrate inter viscera nostra, ne Græcos commemorem, sancta illa Romana ecclesia, omnium quæ sub cœlo sunt ecclesiarum matrix, mater, & magistra, atque veræ doctrinæ Christianæ lapis Lydius, despicitur, reprobatur! & jam sumus tanquam parvuli ipsi, qui circumferuntur omni vento: ut solidius sibi constet Judæus, quam Christianus. Tacebone, quam viluerit inter Christianos felix illa baptismatis renascentia, admirabile eucharistiæ sacramentum, majestas sacerdotii visibilis, omnium ecclesiasticorum ordinum firmamenta certissima, & maxima? An non & periit fervens ille in alterutrum, & in rempubl. amor, quo olim Christiani omnes, o dulce & carum nomen, fratres vocabantur: & impletum est Pauli apostoli vaticinium: *Erunt homines seipsum amantes*? Profecto

Sapient. 6. Prov. 11.

Act. 11 & 8.

Act. 15.

2 Tim. 3.

ANNO CHRISTI 1545.

fecto niſi periiſſet, non a ſanctis illis moribus, non ab honeſtis illis inſtitutis, quæ obſervata, remp. noſtram feliciſſime ſemper auxerunt, eſſet jam ubique modis omnibus degeneratum. Quibus enim turpitudinum monſtris, qua ſordium colluvie, qua peſte non ſunt fœdati, non corrupti in eccleſia ſancta Dei, & populus, & ſacerdos? In veſtro judicio cauſam repono, patres, *Ezech. 9.* *& a ſanctuario Dei incipite*, ſi ullus jam pudor, ſi ulla pudicitia, ſi ulla ſupererat bene vivendi vel ſpes vel ratio: ſi non libido effrenata & indomita, ſi non audacia ſingularis, ſi non ſcelus *Thren. 4.* incredibile. Heu *quomodo obſcuratum erat aurum, quomodo mutatus color optimus!* Nam duæ illæ ſanguiſugæ, quæ ſemper dicunt, *affer*, *affer*: *Prov. 30.* altera mater, altera nutrix malorum omnium, cupiditas inquam, & ambitio, utraque ſubtile malum, utraque ſecretum virus, peſtis, & monſtrum orbis: dum ab iis, quos tanquam vivas & animatas leges ſequi oportuerat, virtus ac doctrina negliguntur: vitium & ignorantia earum loco ſummis extolluntur honoribus, effecerunt tandem, ut ædificatio in deſtructionem, exemplum in ſcandalum, mos in corruptelam, cuſtodia legum in contemptum, ſeveritas in relaxationem, miſericordia in impunitatem, pietas in fucum & hypocriſim, prædicatio in contentionem, & faſtum, in turpiſſimum mercatum, grave hoc eſt, (ut uno verbo dicam) vitæ odor in mortis odorem infeliciſſime commigraverit. Quid mirum, ſi inde & diſperſæ ſunt oves, & erraverunt in cunctis montibus, & agris, & potentiores quidem ab auctoritate in dominium, a dominio in tyrannidem, a jure in injuriam, a ſceptro in virgam ferream, a Dei cultu ad impietatem, a tutela eccleſiæ ad internecionem, a modo ad libidinem, a ratione ad nutum, a tributis ad importabilia onera, a pace ad bella crudelia, a ſimplicitate ad dolos, a prudentia ad malitiam, a libesalitate ad luxum, a parſimonia ad avaritiam, ab ornatu ad pompam, ab obedientia ad apertam rebellionem converſa ſunt? Utinam non a religione ad ſuperſtitionem, a fide ad infidelitatem, a Chriſto ad antichriſtum, quin a Deo ad Epicurum, vel ad Pythagoram, velut prorſus unanimes declinaſſent, dicentes in cor- *Pſal. 13.* de impio, & in ore impudico: *Non eſt Deus.* Neque jamdiu fuit paſtor qui requireret, patres: non fuit inquam qui requireret: quia omnia quæ ſua ſunt, quærebant, quæ Jeſu *Phil. 2.* Chriſti, ne unus quidem. Hinc illis aliud agentibus, & in utramque aurem dormientibus, quos greges paſcebant, non paſcebantur *Thren. 4.* greges ab eis: Nam *parvuli petierunt panem, & non erat qui illis frangeret*: ſerpebat in orbe infinitum malum, creſcebat in medullis ac viſceribus noſtris, & in dies manabat latius, ut non modo ornamenta, dignitates, præſidia ſtabilitatis & libertatis noſtræ quandoque amitteremus, ſed cum dedecore & ignominia, quod miſerrimum & turpiſſimum eſt, ſerviremus. Nam cervicibus noſtris imminebant Turcæ: neque Auſtriæ modo, & Germaniæ, ſed Italiæ, ſed Urbi, ſed Orbi perniciem moliebantur, & ferrum flammamque imminentes furebant audacia, ſcelus anhelabant, ſuperbi victoriis, elati triumphis, ditati ſpoliis Chriſtianorum, non creſcebant ſuis viribus, creſcebant noſtris corruptis moribus: non tam erant hoſtes, quam flagellum Dei: armis eorum impugnabamur, ſed peccatis noſtris expugnabamur:

agebant illi ſua feritate, ſed nos paticbamur noſtra iniquitate. Utinam vel ipſi ſoli paſſi fuiſſemus, neque interim ſanctum illud admirabile nomen Chriſti Jeſu, amandum angelis, tremendum dæmonibus, mortalibus adorandum, propter nos, quorum deſidia & flagitium in omnem jam orbem fœdiſſimo rumore penetravit, jocus fuiſſet & fabula perfidis Judæis ac gentibus. Nemo veſtrum mihi quæſo ſuccenſeat, patres & fratres. Mementote, quoniam *meliora ſunt vul-* *Prov. 27.* *nera diligentis, quam fraudulenta oſcula odientis.*

ANNO CHRIST. 1545.

Itaque ne, cujus amplitudinem & gloriam extendere animus erat, illius incolumitatem & ſalutem deſerere videretur, ſanctiſſimus ille non tam ætate, quam prudentia ſenex Paulus III. primæ ſedis & catholicæ & univerſalis epiſcopus, poſt omnium hominum memoriam & fortiſſimus & optimus pontifex, quem omnium gentium linguæ celebrabunt, nullaque unquam ætas de ejus laudibus conticeſcet, optime intelligens ſe non ſibi, ſed nobis, in tantis periculis, in tam grandæva ætate, in tam duris itineribus, in tam magnis anguſtiis fuiſſe magno miraculo reſervatum: cujus ſapientia, fide, poteſtate, e tantis malis erepti, Deo quandoque ſine timore ſerviremus: non nunc primum, ſed ab ea die qua concuſſa in ſinum illius noſtra confugit reſpublica, ut teſtaretur illum ſummo hoc pontificatu beare nos potius, quam beari, majora beneficia dare quam accipere: ut doctrinæ antiquæ ſinceritatem colligeret, & ſacramentis priſtinam majeſtatem reſtitueret: ut collapſos mores eccleſiaſticorum, regum, principum, & plebium revocaret ad normam veræ pietatis & diſciplinæ: ne forte propter malos piſces alicubi retia rumperentur: ut a quibus intus & foris oppugnamur, illos per reliquias bonorum virorum placaret: hos per Dei potentiam reprimeret: hoc eſt, ut jam cadentem rempublicam noſtram confirmaret, ut afflictam erigeret, ut perditam recrearet, & liberaret conflagrantem & pene exuſtam: conſentiente & favente Cæſare magno quodam & novo Conſtantino, Auguſto, & omnibus Romanorum imperatoribus meliore ac feliciore: jam jam inquam, dum ab eo domitæ Africæ Cæſar ſuper alta urbis Capitolia altior ipſe triumphos reportaret, probantibus ſummis Francorum, Romanorumque regibus, ut ſanguine, ſic fide & pietate Germanis, Franciſco Chriſtianiſſimo, cujus gloria non paucioribus quam Solis ſplendor regionibus & terminis continetur, Ferdinando, qui adverſus perpetuos Chriſti hoſtes armis & animo invicto murus ſemper fuit & antemurale: hortante pio Portugalliæ rege, cujus ſancto nomini, ne hic ſatis eſſe videretur, a Deo datus eſt novus orbis: annunciantibus demum, ac rogantibus omnibus catholicis principibus, ſtatibus, ordinibus, maximo animo, fide ſincera, conſtantia ſingulari, quæ nobis gloriam, animis lætitiam, hoſtibus dolorem afferret & gemitum: quaſi ad ſacram anchoram, quaſi ad portum ſalutis, quaſi ad aſylum, ad domum refugii, ad arcem munitiſſimam, unde reipublicæ noſtræ mille propugnacula pendent, ad ſacroſanctum œcumenicum concilium, quod collapſæ eccleſiæ

ANNO CHRISTI 1545.

cleſiæ ſemper fuit, & eſt ſpes unica, more majorum confugiendum eſſe, & providit & deliberavit: nullam exiſtimans tam morboſam, nullam tam vagam, nullam tam perditam & errantem ovem, quam bonus paſtor non ſanare, non reducere, non requirere cupierit. Quæ tam immemor poſteritas erit, quæ tam ingrata hiſtoria reperietur, quæ hujus rei gloriam, qua nulla unquam geſta eſt vel major vel glorioſior, non immortalitatis memoria proſequatur? Audiantur hic, patres, inter vos voces illæ, quæ apud Chalcedona olim audiebantur: Vivat Paulus ſanctiſſimus, œcumenicus, apoſtolicus. En noſtis Nicæam, noſtis Lucam, Buſſetum, noſtis nemora, flumina, maria, quanta fecit, quanta tulit, & patria & virtute vere Romanus Paulus III. ut *congregaret filios ſuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas*. Et quis hominum eſt tam ignarus, tam in republica rudis, tam nihil, inquam, nec de ſua, nec de communi ſalute cogitans, qui neſciat ut primum per bellorum incendia & tumultus licuit, ſpe induciarum concepta inter orbis monarchas, Mantuæ primum, deinde Vincentiæ, & jam altera vice Tridenti, quod diplomata, quod cœlum & terra teſtantur, ab optimo hoc reipublicæ noſtræ parente & quaſi Deo, indictum fuiſſe orbi generale concilium? Quum primum igitur data eſt de cœlis pax aurea atque auguſta, quam longius fugientem hic cœlo dignus pontifex in ſpem contra ſpem ſequebatur & perſequebatur: ſancta ſynodus conſtanti ſemper retenta animo, translata magna ratione, dilata dura neceſſitate, jam quarta vice ſuperiori anno indicitur, & tandem aliquando tot antea actis menſibus congregatur; & hac ipſa die omine omnium feliciſſimo, dum Luna tenebras vertit in lucem, & quia dominus prope eſt, decreſcunt noctes, creſcunt dies; his ducibus atque ſuo ipſius ſedis apoſtolicæ nomine auctoribus, quos in hac ſancta corona eminere vides nova Hieruſalem, Joanne Maria de Monte, cujus ſurſum & oculi & corda ad montem, qui Chriſtus eſt, unde veniat auxilium nobis, perpetuo diriguntur: Marcello Politiano, qui jam dudum ad unam Chriſtianæ politiæ emendationem, cujus labefactari mores hoſtibus noſtris aditum præbuerunt, graves illas adjecit ſeveri animi cogitationes: Reginaldo Polo non tam Anglo, quam angelo: idipſum generale concilium, legitime congregatum, Spiritu ſancto aſpirante ingredimur, aggredimur: non in latibulis Græciæ, non in angulis Africæ, non in deſertis Arabiæ, non in finibus terræ, ſed in ampliſſimis foribus potentiſſimæ & ſemper auguſtæ Germaniæ: quæ ut virtute bellica & hominum numero, ſic religione & conſtantia fidei ceteris nationibus præſtans clariſſimis facinoribus, quæ nec deleri oblivione, nec æternitate obſcurari poterunt: ſane iſto Chriſtiani orbis imperio a Romanis pontificibus tot antea ſæculis merito donata eſt.

Matth. 23.

Jam quis nolit in hujus concilii ſocietatem, velut in equum Trojanum, obſide ultima iſta Tridentina urbe, cum principibus imperii & religionis includi? Adjuro vos Tridentini ſaltus *per capreas cervoſque camporum, antequam aſpiret dies, & inclinentur umbræ*, reſonare per concava montium ad extrema terræ, & a Solis ortu ad occaſum, ab Aquilone ad Meridiem, cognoſcant tempus viſitationis ſuæ, & ſe concilio conciliari. Quis erit tam injuſtus rerum æſtimator, qui non dicat: papæ *lux venit in mundum! ſed dilexerunt homines magis tenebras quam lucem. Omnis qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucem: ut non arguantur opera ejus, quia mala ſunt*. Quamquam non vult concilium ulciſci, fratres, vult tolerare: non venit mactare, venit ſalvare: emendare omnes cupit, non delere: non erit rigiditati locus: ſi abundavit delictum, ſuperabundabit & gratia. Heu cur non ades, invictiſſime Cæſar, conciliorum protector, defenſor fidei, propugnator eccleſiæ, qui tot regna, fortunas, populos, vitam denique ipſam terra marique pro Chriſto tuo in diſcrimine obtuliſti! Adeſſes ſaltem tu Didace, & longo rerum uſu & ingenti fortunæ varietate prudentiſſime. Quamquam enim divino illo judicio ſuo in aliis rebus utatur Cæſar, elegit te tamen ut illius perſonam ſuſtineres: magna certe in te fides, & grave tuæ ſpectatæ virtutis teſtimonium; ſed ſolo tuo nomine ac opinione Tridentinum concilium promovere potes: nec enim tibi vel prudentia deeſt, vel auctoritas, vel felicitas. Ab oriente adhuc ſemen Chriſti Jeſu, ab occidente congrega reliquias: dic Aquiloni & Auſtro, noli prohibere; piſcatores ſunt hominum patres concilii, *piſcabuntur eos de aquis multis*; venatores ſunt, venabuntur ad vitam, non ad mortem: paſtores ſunt, animam ſuam ponent pro ovibus domini, & ſi quam invenerint aberrantem, imponent ſuper humeros ſuos, & convocatis amicis dicent: *Congratulamini, quia invenimus ovem, quæ perierat*: debitores ſunt ut rationem reddant poſcentibus de ea quæ in eis eſt fide ac ſpe. Idem ſatisfaciet omnibus Græcis, Barbaris, ſapientibuſque & inſipientibus. Non dicent, hæc dicitis, hæc dicimus: dicent, hæc dicit dominus: rationi, quam indidit: verbo, quod docuit: auctoritati eccleſiæ, quam tradidit. Quis ſobrius rationi, quis catholicus ſcripturæ, quis pacificus non cedat eccleſiæ? *Aperiantur jam portæ urbis tuæ*, magnanime princeps: *die ac nocte non claudantur*: ſic conſurgent tibi montes & colles, valles, turres, *& occupabit ſalus muros tuos, & portas tuas laudatio*: & vocabunt omnes gentes civitatem tuam; *civitatem domini Sion ſancti Iſrael: & ponetur in ſuperbiam ſæculorum, & ut gentes & reges ambulent in lumine ſplendoris tui*: & magno illi tuo nomini, quod jam per omnes oras longe lateque vagatur, & domicilium certum non habet, perpetuis gratulationibus plaudant & Alemani populi. O dilecte Deo & hominibus Madruci, in cujus unius ditione vos olim vage deſertos & turbulentis erroribus implicitos incomparabilis ille Paulus III. divina mente & conſilio præditus, eccleſiæ memor, ſui oblitus, per Spiritum ſanctum ad viam veritatis revocavit.

Cant. 2.

Ad vos modo, patres, a quibus & exorta eſt, mea redit oratio, non ut vos admoneam vel excitem, qui mihi ſtudio & fervore longe præcurritis: ſed ne mea vox ſacerdotis officio defuiſſe videatur. Venimus, vidimus, vicimus patres:

Iſa. 43.

Luc. 25.

Iſa. 60.

ANNO CHRISTI 1545.

patres: & eum aditum quem humani generis hostis summis quibus potuit conatibus mensibus & annis superioribus obstruxit, Deo favente, reseravimus. Quanta est hæc gloria, quanta dignitas, quantus honor! Quid enim putamus sit aperire fores concilii, nisi aperire fores cœli? ut effundat super nos thesaurum illum optimum *fontem aquæ vivæ, splendidum tanquam crystallum procedentem de sede Dei & agni*: ut simus ipsi in primis Dei docibiles, deinde per nos repleatur terra scientia domini velut aqua maris operientis. Cavendum est igitur, ne dum ad nos curandos Dei munere aperitur cœlum, nostra iniquitate claudatur terra: nec vividos illos solius velleris imbres area infelix excipere possit. Aperiatur, aperiatur terra cordis nostri patres: & si hactenus oppilati fuimus fumo & sulfure illius magnæ fornacis & putei abyssi, jam exhalare incipiamus: & dilatatis venis tanquam sitientes glebæ, atque arida arva scindamur planctu, fletu, orationibus, jejuniis, eleemosynis, lacrymis: plorantes inter vestibulum, & altare, velut indigni qui accedamus ad aras, postquam omne malum prodire de templo vetus querela est. Nolite errare patres, *Deus non irridetur*, neque patitur irrisores: sed *qui habitat in cœlis, irridebit eos*. Spiritui sancto hodie sacra decreviſtis, felix principium ac multarum frugum multa principia. Sed o quam bonum erat nobis, si mali non fuissemus! Si pietatem ac sinceritatem de cordibus nostris ejicientes, vel ficti vel immundi sanctum concilium, cujus vel solo nomine in tam magnam expectationem excitatus est totus orbis, auspicati fuerimus: ora quidem & labia Spiritus sanctus aperiet, ut os Caiphæ, ut os Balaam, ne errantem concilio ecclesiam solam errare contingat: pro qua rogavit Christus *exauditus pro sua reverentia*: & malas mentes replebit spiritus nequam missus a domino, *ut fiant novissima nostra pejora prioribus*: & demum insultent nobis inimici nostri. Nunc stent si possunt consilia vestra: & ipse Deus ait. *Væh vobis profundi corde, qui inistis concilium, & non ex me, orditi estis telam, & non per spiritum meum*: an non legistis, *Simeon & Levi fratres vasa iniquitatis bellantia, in concilium eorum non veniat anima mea*? Et quæ sequuntur.

Apoc. 22. Isa. 45. 1. Cor. 15. Psal. 2. Joan 11. Nu. 22. Isa. 30. Ge. 49.

Nihil in vobis sibi vendicet odium, patres, nihil favor usurpet, nihil præmium evertat, nihil corrumpat munerum vel personæ acceptio: nihil possit timor vel amor potentium: absint colligationes impietatis, consilia vanitatis, supercilia contentionis, conventicula malignantium. Cavete de lætitia iniquorum: & sine cæde, sine sanguine, sine excidio remp. nostram ab iis oppressam, ab illis desertam, a multis proditam liberabitis. Vobis præsidia ecclesiæ non desunt, vos ne deesse ecclesiæ videamini, providete. Voluntates vestræ igne illo ardeant divinæ caritatis, *quem Christus venit mittere in terram*. Intellectus vestri scrutentur quid sit optimum in primis pro ecclesia, tum quid expediat, quid deceat, quid liceat. Irascendi vis scelerum non hominum, pio, salubri, divinoque fervore excandescat: & zelus domus domini, quæ nisi nova hæc lux Dei optimi maximi, & qui potestate proxime ad Deum accedit, Pauli tertii, providentia oblata fuisset, jam ad interitum vertebatur, illam non comedat modo, sed devoret. Potestas concupiscibilis sanctis desideriis accensa, & perfusa spiritali gaudio, unam illam pacem, quæ exuperat omnem sensum, & desideret & suspiret. Dirigite pedes vestros in viam pacis hujus: meditamini in lege domini die ac nocte: sanctificamini intus & foris, veritatem diligite, agite ut sitis opere quam sermone potentiores: nihil præcipitanter, nihil præpostere, imo mature omnia & suo ordine fiant; *nolite sapere plusquam oportet, sed modestia vestra nota sit omnibus hominibus; sobrietatem sapite*: de crastino nihil soliciti sitis; descendet super vos & *requiescet spiritus domini*, ut ex altis his subselliis judicantes orbem, quasi obediente Deo votis hominum, quod nulli unquam tribunali concessum est, digne dicere valeatis: *Visum est Spiritui sancto & nobis*. O vox, o tuba, o tonitru, ad cujus sonitum retrorsum cadent inimici Christi, cujus jussa vel decreta neque summis patribus contemnere, aut detrectare licebit. Vos enim omnibus patres, qui sacrosanctæ huic œcumenicæ synodo rebellantes eo insolentiori furore processerint, ut Pauli III. Caroli V. Francisci primi, (illum caput habet post Christum hæc Tridentina synodus, hos vero dexteram & sinistram) justam iram atque indignationem quandoque mereantur, non inaccessa montium juga, neque vastæ paludes, neque marium sinus, aut fluvii immensi eos tueri poterunt, aquilis velociores, ac leonibus fortiores hostes concilii, rebelles Spiritus sancti, qui illud est concilio, quod anima corpori, persequentur & apprehendent, & conculcabunt donec deficiant. Eja igitur Græcia mater nostra, cui id totum debet quod habet Latina ecclesia: Eja Hispania, cujus si non propagatæ, at conservatæ catholicæ religionis perpetua gratulatio, etiam a tuis hostibus decreta erit: Eja Gallia, cujus Christianissimum nomen nec augeri potest meis laudibus, nec cujusquam vituperatione decrescere: Eja Germania, quæ & gladium nunc & imperium & sceptrum habes, quæ acerrimos hæresis, & omnis infidelitatis hostes semper protulisti: Eja Italia, quæ eo magis in tantis rerum turbinibus sanctæ ecclesiæ debes, quæ ut Germania rerum potitur, sic tu illo ipsius Petri solio tanta gloria ceteris nationibus præstas & antecellis: Eja omnes quotquot sub cœlo estis, qui Christiano nomine censemini, quos *expetivit Satanas, ut cribraret sicut triticum*: Rogat, obsecrat, deprecatur cum sacrosancto concilio Paulus III. sui oblitus, vestri memor, venite, agnoscite, vivite, nolite perire, reconciliamini: *omnia parata sunt, venite ad nuptias*: si qui vero intrare erubescant, vos qui potentiores estis, intrare compellite, ne quandoque eis dicatur: *Clausa est janua, nescio vos*, discedite. O Christe, *omnes isti congregati sunt, venerunt tibi*, tibi inquam, non sibi; tu aspirando prævenisti, adjuvando prosequere: & intercedente beato Vigilio Tridentinæ vallis tutelari, Tridentinum concilium ita fove, ut omnis ejus actio, quæ hodie feliciter cœpta est, per te quoque & in tempore opportuno felicissime firmetur. Dixi.

ANNO CHRISTI 1545.

Luc. 22. Matth. 22. Luc. 14. Marci 25. Isa. 60. Thilip. 4. Zach. 8. Act. 15.

Vos nunc plaudite in concilio justorum & congregatione magna opera domini.

FINIS.

ANNO CHRISTI 1545.

IV.

ORATIO AD PATRES in concilio Tridentino habita.

A reverendo patre, fratre Antonio Marinario, Carmelitano, quarta Dominica adventus.

CUM appeteret tempus illud æterno consilio præfinitum, Reverendissimi patres, vosque observandi ecclesiarum præsules, ut Christus humanæ salutis negotium aggrederetur: post tot præclara de eo testimonia, nimirum totius legis, omnium prophetarum, angelici concentus, pastorum, sapientum, Simeonis & Annæ, Joannes Baptista Zachariæ filius, in Judæam a Deo legatus est, qui generis nobilitate, qui nativitate admirabili, qui vitæ sanctimonia, quique raris animi dotibus, parta apud Judæos auctoritate, velut Lucifer Solem Christum præcurreret, ac Judæorum corda, legis majestate plus quam par erat prædita, ad evangelicam fidem præpararet: ne inani legis fiducia, qua illi nimium sibi indulgebant, fidei contemptores effecti, veræ justitiæ ac salutis rationem, quæ non lege, sed fide est, amitterent. Res hæc multo quidem altius tractanda esset: sed ego vestra fretus intelligentia, brevius quam causa desiderat, omnia differam, si primum illud precatus fuero, ut qui solus verba vitæ habet, & a quo bonorum omnium summa proficiscitur, mihi faveat, ut munus hoc, munus (inquam) suum, apud omnium aures & corda digne absolvere valeam.

Posteaquam ex uno homine peccatum irrepsit in mundum, tantumque illius culpa valuit, ut universum hominum genus, morti & tyrannidi obnoxium redderet: cœlestis ille pater pro sua in nos pietate saluti nostræ consulere studens, unicum e cœlis filium demittere, eundemque nostra mortalitate indutum ad crucis supplicium tradere decrevit, ut qui mortalium vivæ fidei oculos in eum conjecerit, justitiæ, æternæque vitæ felicitatem consequeretur. Hæc erat unica nostræ salutis ratio, quoniam peccati regnum nullis vel hominum, vel angelorum viribus deleri poterat. Porro lex illa naturæ, similitudo quædam divinæ legis, descriptio æternæ illius mentis rerum omnium principis, juris & injuriæ regula, humano cordi, ut lumen oculis indita, quanquam ante lapsum clara erat, cui etiam arbitrii vires congruebant, quæ ab illius ordine non retrahebantur, tamen post lapsum deformata est: accessit enim ei propter peccati labem, velut caligo quædam priorem detrahens claritatem, arbitriumque ob contrarios membrorum impetus tyrannide peccati effrenatos ab ea deficere cœpit. Quo factum est, accedente astu satanæ graffantis in humanum genus, studentis in Deum contumacias augere, incitantis prava ingenia ad fingendas falsas de Deo opiniones, ut mortales suo ingenio, suisque viribus, non modo ad Deum non erigerentur, ac proveherentur, sed quotidie magis ac magis ab illo se totos averterent, in eamque descenderent cordis cœcitatem, & animi impietatem, ut vilissimis, quas natura gignit rebus, divinæ majestatis honorem exhiberent: perversum sane & iniquum religionis genus. Quamobrem visum est divinæ sapientiæ legem externis tabulis inscriptam per Mosen tradere, quæ legem illam interioribus animi partibus jam olim fixam, peccati autem macula oblitam, ac velut refixam explicaret, & restitueret, docens quales nos circa Deum, ac proximos esse oporteat: pronuncians item irasci Deum contumacibus, de eisdemque cum præsens, tum æternum supplicium sumere. Mitto eam legis partem, quæ circumcisionem, sacrificia, ciborum delectus, festos dies, ceteraque præscripta continebat, ad tempus instituta, ut essent evangelicæ veritatis umbræ, rudimenta, ac velut præludia quædam. Nam illarum institutionum propria fuit ratio. Lex itaque illa, quæ recta agendorum ratio, morumque disciplina erat, cuique pœnarum ac præmiorum decreta jungebantur, non externa tantum facta politicæ cujusdam ac civilis vitæ mores exquirebat, sed spiritales motus, interiores affectiones flagitabat, hominemque ad integram obedientiæ rationem erga Deum provocabat. Hanc autem absolutam obedientiam natura hominis jam corrupta, cujus partes inter se dissidebant, præstare non poterat: quin præterea evenit, ut legis indicio proditis tot peccandi formis, universus ille libidinum exercitus velut ad pugnam ac certamen provocatus irritaretur, ac in omnes vires suas collectus, & instructus ad peccandum atrocius solicitaret, & traheret, ut est humanæ cupiditatis ingenium in vetita niti, ac interdicti lacessiri potius quam duci. Sic res in diversum exiit, quando lege accedente, libidines non sunt devinctæ, sed excitatæ: peccatum non defecit, sed abundavit: morsque & tyrannis majores collegerunt vires: non legis quidem vitio: quæ, ut omnes scimus, ad honesta invitat: sed naturæ nostræ pravitate, quæ rem per se bonam nobis in perniciem convertit.

Jure igitur Paulus conferendæ justitiæ vim legi detrahit, asseverans eos qui legis virtute se justos esse prædicant, fidem exinanire, promissiones delere, Christi beneficium abnegare. Non enim ea est legis perfectio, ut ad pellenda quæcumque prohibet, & perficienda quæcumque jubet, firmum adhibeat præsidium: neque a morte liberat, neque a tyrannide redimit: neque cor innovat: neque libidines devincit, neque extinguit proprii amoris ardorem, neque accendit charitatis ignem, neque frangit satanæ tela, neque occultas mundi fraudes rejicit. Absit ut quæ Christi sunt, legi adscribamus, & legem extollentes Christum deprimamus. Nam etsi lex ad bona opera multos attraxit, eos tamen Deo justos non reddidit: quippe quos aut commodorum ratio aut humanæ gloriæ aura, aut suppliciorum formido, aut ignominiæ fuga, aut alius quivis præter Dei gloriæ propositum, adventitius pulsus ad eam obedientiæ formam adegit, ut externos membrorum motus legis mandato subjicerent, interim tamen manerent in eis interiores illi, quos sola Christi gratia mundus reddere potest, immundi affectus. Hominis itaque priori tantum carnis nativitate, ac cunctis præter Dei gratiam adhærentibus ei præsidiis freti, quacumque ratione prodierint bona opera, apud mortales forte comperient justitiæ locum: ac apud Deum nimirum, qui ad ipsum operum fontem, nempe cor mundum inspicit, justitiæ laudem frustra sibi vindicabunt, quandoquidem sine Christi gratia omne cor immundum est. Ideoque omne opus bonum ab eo procedens, velut ejus immunditiem olens ac spirans, Deo immun-

Rom. 3. Galat. 2.

ANNO CHRISTI 1545.

immundum est: etsi nullis sempiternis, aut præsentibus suppliciis, quinimo temporalibus præmiis, non dicam æternis, dignum esse potest.

At vero accedente divino afflatu, per quem cor mundum creatur in homine, viva fide in Christum erectus homo, nulla vel commodorum, vel gloriæ expectatione, nulla vel supplicium, vel ignominiæ formidine, nulla denique externa mundi impulsione actus, sed Dei gloriam in primis spectans legis mandata ultro absolvit, ea alioqui si nunquam tradita fuissent absoluturus. Ejus enim menti nova quædam fidei, spiritus, ac vitæ lex indita est, quæ peccata omnia destruit verius, quam prohibet: bona omnia procreat verius, quam præcipit. B Quæ proculdubio Paulo legis opera non sunt: cur enim legis opera vocabis, quæ lex non effecit: & quæ quamvis a lege præcipiantur, nihilo secius non præcepta efficerentur? Qui his operibus fretus est, vere apud Deum justus est. His enim justitiæ rationem scriptura non detrahit. Prodeunt enim a fide, ac arbitrio fide prædito. Fides igitur, non lex, *Jacob. 2.* fides inquam non nuda, solave, quæ Jacobo mortua dicitur, sed animo concepta, arbitrio recepta, ad usum sanctorum operum admissa, *Galat. 5.* quæ Paulo per dilectionem operans, Patribus viva est, veram justitiam parit. Proinde nemo existimet inanem fuisse legis usum, etsi veram justitiam non contulit. Et ut taceam non C mediocrem illam ex lege utilitatem, quæ in publica pace, ac tranquillitate sita est, ob quam rem & magistratus humano generi Deus præfecit: in hoc certe profuit lex, quod per eam cognitum est peccatum, quæ res ad exquirendam & capessendam justitiam nonnullus est gradus. Multum enim promovit ad vitæ puritatem, qui suam impuritatem agnovit. Fit sanitati vicinus, qui suum cognoscit morbum. Exoptat libertatem, qui suæ servitutis miseriam cernit. Expetit lucem, qui se tenebris obductum esse deprehendit. Tum adepta justitia, tanti beneficii magnitudinem & clarius intelligimus, & gratius servamus. Quo magis enim lege ostensum est eminens ac sæviens pecca- D tum, eo magis Christi a peccato redimentis clementia, & virtus elucet. Itaque dulcior fit vita, quæ morti succedit: jucundior lux, quæ sequitur tenebras: pretiosior libertas, quæ post servitutem recipitur: delectabilior sanitas, cui cedit infirmitas: felicitas suavior, quæ post mi- *Rom. 6.* serias exoritur. Propterea negat apostolus, eum sub lege esse, quem Christi gratia redemit. Etenim quemadmodum puero adhibetur pædagogus, qui tantisper eum instituat, ac virga coerceat, donec adultus ad honesta feratur, tum enim ille pædagogo imperat, omniumque virtutum honestatem & decus, non pædagogi impulsione, sed propria animi magnitudine ac moderatione conservat, ac ad heroicum quen- E dam laudis ordinem, quem nec ostendisset pædagogus, sese erigit & provehit: sic propemodum homini data est lex, donec evangelica fide fuerit renovatus. Accedens enim illa eum a legis imperio liberat, non ut illius præscripta impune transgredi valeat, sed ut ea ex corde absolvat, Christi gratia non legis ratione ductus: quinetiam supra legis mandata, multa Deo gratissima pro Dei gloria absolvat.

Hæc est, Patres ampliss. evangelica illa liber- A tas, quam nonnulli, o cœnum! o labes! ad carnis licentiam, & morum corruptelam accommodant, & ceu turpitudinum velamen, ac omnium vitiorum prætextum magno verborum lenocinio simplicioribus animis ad frangenda satanæ tela inexercitatis proponunt. Et utinam non feciſſent, ut illi eam peccandi occasionem velut vitæ ducem sibi præfixerint, vota, cœlibatum, sacras preces, jejunia, ecclesiæ institutiones contemnentes: cum hæc omnia quæ ipsi contemnunt (Christe, quando hos vindicabis, & evelles errores?) adeo evangelicæ libertati non adversantur, ut sint ejus digni fructus, solatia, delitiæ, atque fomenta. Felices qui hac evangelica libertate freti, velut sponsa sponso Christo juncti: velut filii clementissimo patri Deo redditi: velut discipuli prudentissimo doctori Spiritui sancto traditi: Christi amore flagrant, a quo viciſſim summa charitate complectuntur: Deo honorem exhibent, a quo tuendi alendique suscipiuntur: Spiritus sancti monita, & institutiones tenent, a quo ad rectam vitæ rationem diriguntur, atque formantur: ut omnium actionum suarum scopus sit, non humani decoris ratio, quam lex naturæ exigit: neque pœnarum, aut præmiorum propositum, quod ex lege scripta est: sed Dei gloria, pro qua prompti sint omnia commoda ex corde contemnere, omnia supplicia libenter sustinere, omnem humanæ gloriæ rationem sponte rejicere, omnia opprobria sine ulla recusatione subire, denique amicos, fratres, parentes, seipsum usque ac patriam abnegare, & odio habere.

Quam graviter errant, qui Patres ante Christi adventum domino servientes, sub lege naturæ aut Mosis fuisse, earumque legum virtute, se Deo justos exhibuisse contendunt. Fuerunt & ipsi fidei ratione ab earum legum imperio redempti, qui Dei gloriam, ad quam fide dirigebantur, omnium cogitationum atque actionum suarum regulam tenebant. Unica enim jam inde ab initio mundi usque in finem parata est via salutis, per fidem in Christum, etsi diversa diversis temporibus instituta fuerunt fidei symbola. Nec minus errant, qui neminem Christiani nomen profitentem sub lege carnis, aut naturæ, aut Mosis esse prædicant. Velim Christiani omnes beneficium agnoscerent, Christiana libertate fruerentur, præclaram ac glorioſam ecclesiæ conditionem spectaremus. At si mihi ostendes ex eis raptorem, sacrilegum, Neronis, aut Pharaonis similem: sub lege carnis eum esse contendam. Si liberalem, continentem, vel Catonis, aut Scipionis præstantem virtutes, humani decoris spectatorem: legis naturæ partum agnoscam. Si orantem, jejunantem, eleemosynas erogantem, Pharisæorum more ad commoda inspicientem: legis Mosaicæ servum videbo. Si humilem, patientem, Abelis aut Abrahæ obedientiam referentem, Dei gloriam spectantem: fidei germen glorioſum venerabor, cui subjectæ adjacent omnes leges. Aliud enim est legem habere, aliud sub lege esse, aliud legem absolvere. Plures uni leges aderunt, sed una dominabitur, & dux erit operum. Et quoniam finibus mensurantur opera, fit, ut diversarum legum similes, quæ sunt in hac luce oculis hominum actiones, Deo fines spectanti longe dissimiles sint. Ceterum, ut redeam, patres amplissimi, unde initium sumpsit oratio nostra, quamvis antequam veniſſet Christus, tot patres fidei virtute a

Deo

ANNO CHRISTI 1545.

ANNO CHRISTI 1545.

Deo gratiam iniissent, tamen majores nostri a Christi adventu, fidei & gratiæ tempus descripserunt, legum auspiciis tempora præterita tribuentes: nimirum, quia evangelium fidei & gratiæ denunciatio, quod prius apud paucos Judæos, nec satis quidem aperte audiebatur, post Christi adventum ubique locorum ac gentium in hominum ore, oculis, auribus manibusque tractatum est. Et quoniam nihil præteritum est argumentorum, quæ tantæ rei hominis captum longe superanti, fidei locum apud homines præpararent: commodum, ac suo tempore Joannes Baptista dilectus Christi præcursor, ac legis & evangelii velut confinium, prodiit ex eremo, ubi a puero vitæ austeritate Heliam retulerat, quo eumdem spiritu & virtute referret, cum Tiberius Cæsar annum jam XV. rerum summa potiretur, Judæorum regnum temporibus illis in quatuor alienigenas administratores, Pontium Pilatum, Herodem, Philippum, Lysaniam distractum erat: ut quemadmodum erat in oraculis, Messiam adesse significaretur. Ipsa autem sacerdotii majestas, velut in proximo abroganda, penes duos sacrilegos, Annam, & Caipham, mercaria & vaga erat.

Matth. 3. Marc. 1. Luc. 3.

Rebus itaque tum regni, tum religionis Judæorum sic dissectis: Joannes in eam quæ Jordani adhæret, regionem sese contulit: omnes qui ad eum veniebant, ad delictorum confessionem adhortabatur, eosdemque baptizabat, interim docens se aqua corpora lavare, at Jesum fore unicum salutis authorem, cujus cœlesti virtute corda essent sanctificanda, ac omnibus in eum credentibus gratis justitia conferenda: Pharisæos, ac Sadducæos, quos fucata illa legis opera tanquam justos, ingenuosque Abrahæ filios, ac Deo gratiosos efferebant, prorsus injustos, viperarum progeniem, Deoque odiosos esse declaravit. Non enim, ut par erat, Abraham viva fide referebant. Propria benefacta, quod arrogantiæ erat: aliorum peccata, quod erat livoris & malitiæ, commemorabant: & toto (ut ajunt) cœlo errantes a lege quæ divinum furorem erat illis ministratura, justitiæ ac salutis rationem expectabant, quinimo se adeptos esse gloriabantur. Hanc unam justitiæ & salutis viam Joannes omnibus ostendebat, ut ex corde resipiscentes, legis fiduciam arcerent, sese dejicerent, ac impuros esse confiterentur: & in Jesum Christum mortis & peccati destructorem, justitiæ & vitæ restitutorem crederent. Hæc autem fortuito non agebantur, quæ Isaias multis retro sæculis vaticinatus est: *Vox*, ait, *clamantis in deserto, parate viam domini, rectas facite semitas ejus*. Non erat Joannes verbum per quod facta sunt omnia: sed vox, quæ verbum illud nostra mortalitate indutum explicabat. Non erat Dei virtus hominum corda occulte significans: sed vox, quæ in hominum auribus recipiebatur, ut ad sanitatem illi corda præpararent. Non erat lux, mentium tenebras expellens: sed vox, quæ dormientes excitabat, ut ad exortam lucem sese conferrent. Non erat ornatissimus ille sponsus, & rex ecclesiæ: sed vox, quæ cunctos invitabat, ut venienti sponso & regi occurrerent: Non erat mediator Dei & hominum: sed vox mediatorem præcurrens: ut audiant exules adesse, per quem irato Deo gratis reconciliari possent. O vocem, prophetarum vocibus prænunciatam: o vocem angelica voce sub ipsis sacrorum mysteriis commendatam: o vocem denique Christi voce omnibus ex muliere natis præpositam: Clamabat. Exhibete cor vestrum Deo, cogitationes, affectionesque vestras in eum dirigite. Jam enim tempus appetit, ut evangelica doctrina innovetur orbis: quamobrem pauperes humiles, legis fiducia ac philosophiæ ratione destituti, mundoque abjecti, qui Isaiæ valles sunt, cœlesti sapientia cœlestibusque donis replebuntur. Contra elati majestate legis, aut humanæ sapientiæ supercilio, mundoque montes & colles admirabiles, prorsus impii & insignes stulti declarabuntur. Et qui ad execranda facinora pravo corde nunc prolabuntur, fide erecti ad veram felicitatis viam dirigentur: fientque facilia, ac suavia legis mandata, quibus nunc videntur aspera, & impossibilia: ut volentes ac gaudentes vere absolvant, quæ nunc lege acti absolvere fingunt. Hanc felicitatem nemo conferre potest nisi Jesus. Confert autem omnibus, qui vivæ fidei oculos in eum conjecerint. Corporis oculis eum conspicere, est tanquam felicitatis pars, modo adsit fidei intuitus: sin secus, majoris infelicitatis erit occasio. Fidei conspectus omnibus ex æquo prodest. Qui in eum crediderit, Dei beneficio servabitur. Qui ab eo fidei oculos averterit, suaipsius vitio peribit.

Isa. 40.

Jam vero, patres amplissimi, ut institutæ orationis exitum expediam, fuit jam olim Isaiæ oraculum absolutum: totus orbis Dei salutare vidit, & evangelica doctrina innovatus, viam domino paravit, & semitas ejus rectas effecit: aspera ad æquitatem, prava ad lenitatem versa fuere. Tot enim hominum millia relictis patriis legibus, abjecta humanæ sapientiæ ratione, pulsis divitiarum ac voluptatum studiis, spretis ceremoniis, ac ritibus, quibus ab incunabulis assueverant: abnegatis & repudiatis diis, quos tot templis, sacrificiis, festis diebus, magna religione colebant, ad Jesu nomen genua submisere. Jesu nomen, gentes omnes ore, corde, pietate, sanguine, veneratæ sunt: & ex tanta morum, institutorum, deorum discordia, concordes factæ, in unicam Christi religionem, unicam sacramentorum rationem, unicam Dei gloriam convenere, nec potuit satan obsistere per philosophos omni scientiarum ratione pollentes: per Judæos religionis Mosaicæ prætextu adversantes: per rhetores eloquentiæ viribus admirabiles: per sophistas disputandi subtilitate pertinaces: per Cæsares omni tormentorum genere sævientes: quin cœlestis illa doctrina, cunctas totius orbis regiones invaderet, persuaderet, vinceret, possideret. Interim bonorum direptiones, edicta, tribunalia, confiscationes, proscriptiones, exilia, carceres, virgæ, secures, bestiæ, cruces, ignes, mortes, in rem evangelii & fidei profectum erant. Nunc vero (nos miseros, in quam descendimus confusionem! in quas Dei iras incidimus!) in Europæ angustiis arctata est ecclesia: & Christus contemptui habetur, ubi olim summo habebatur honori. Et ne antiquus ille adversarius vel ex una parte insidias non paret, surrexerunt domestici hostes, grassantes in reliquam hanc ecclesiam ad angulum coactam, odio & armis infidelium expositam, aliqui pastores dormientes, vel mercenariorum (ne quid gravius dicam) vices gerentes, nonnulli principes in tyrannidem & bellorum furorem versi, quorum ambitioni nullus est terminus: multi doctores ore quidem pie docentes, at operibus impie dedo-

ANNO CHRISTI 1545.

dedocentes: plerique perfectionis vitæ rationem profitentes, at scandalis cuncta perturbantes: tot omnium generum, ætatum, ordinum, viri ac mulieres, ethnicorum ac Turcarum potius quam Christianorum vitam referentes: denique, quod omnium est perniciosissimum, tot ministri satanæ in angelos lucis transfigurati, qui leges, majorum instituta, patrum sententias probatas, Christiani populi consuetudines, qui sacramenta, sanctorum honores, & quid non sanctum? contemnunt, rejiciunt, execrantur. Interim exercitatione scripturarum, quas pro ingenio ac libidine potius lacerant: eloquentiæ lenocinio, linguarum eruditione freti, veterem ecclesiam, apostolicam ipsi dicunt: at re vera carnalem veteris Adæ filiam, satanæque sponsam, gloriantur se velle restituere, ac procurare viæ & semitarum domini ornatum, hoc est (ut eventus ostendunt) Christianam rempublicam perturbare, turpitudinum licentiam cunctis facere. O ecclesia, o fides, siccine in amarum vobis verterunt omnia? siccine vos oppugnant, qui propugnare debent? Itane evangelium & scripturæ, quibus olim vicistis orbem, conculcastis idola, profligastis errores, destruxistis vitia, erexistis Christi gloriam: nunc in vos scutum, tela, arma facta sunt, quibus ex hoc angulo ejiciamini? An vos tot procellis, fluctibus, tempestatibus periclitantes ita destituet Jesus, ut nulla sit aurora, in qua veniens dicat vento: *Quiesce*, & mari: *Tace*.

Sed jam videre videor Jesum super aquas ambulantem, eumdemque audire dicentem: *Confidite, ego sum, nolite timere*: postquam vos patres ecclesiastica dignitate præeminentes, omnique doctrinæ genere insignes, vos mundi lumina & decora, volente, ac disponente Deo in præclaram hanc urbem singulari Pauli III. pont. max. & Caroli V. Cæsaris invictissimi, tum providentia, tum authoritate convenistis. In tot enim tamque gravibus opinionum dissidiis, quibus nunc omnia miscentur: in moribus sæculi adeo corruptis, quibus ecclesiæ facies dehonestatur. in tam diutinis bellorum tempestatibus, quibus & suo ipsius, & alieno gladio Christianus orbis est oppressus & afflictus: unde expectare possumus vel veritatis lucem, vel morum formam, vel firmæ pacis serenitatem, nisi ex hoc vestro consessu: ubi Christus adest corda vestra afflaturus, & ad cuncta quæ agenda sunt directurus. Hoc anno XV. quo Carolus V. coronatum agit imperatorem: quemadmodum olim in Joanne fuit, vestra opera favente domino Isaiæ oraculum languens, & pene emortuum, sua nempe veritate destitutum absolvetur, ut parata sit domino via, ecclesiasticis ordinibus ad veram suæ functionis normam redactis: ut semitæ ejus rectæ fiant, principibus in firmam concordiæ rationem junctis: ut aspera ad æquitatem, prava ad lenitatem vertantur, populo ad studium veræ pietatis composito. Quamobrem ubique exaltetur Christus, omnes eum confiteantur ore, diligant corde, referant moribus & pietate. Quo in loco res Christianorum sint, videtis: fides est extincta. caritas friget: virtutes contemnuntur: timor Dei exulat: sacramenta conculcantur: sancti male audiunt: evangelica libertas turpitudinum est prætextus, & quasi in peccata conspirant omnes. Ad vos itaque spectat tot ecclesiæ necessitatibus, periculis, calamitatibus, ruinis occurrere: quam ob rem huc convenistis.

Matth. 14. Marc. 6.

Isa. 35.

Te autem invocamus JESU, Christe Fili Dei vivi, qui orans pro ecclesia, dixisti: *Pater sanctifica eos in veritate*: qui pollicitus es eam adversus satanæ vires servaturum esse, ac in medio vel duorum in tuo nomine convenientium te adfuturum esse. Et precamur, ut ecclesiam tuam sanctifices, ut patribus in tuo nomine congregatis Spiritum tuum impartias, ut principibus mentem des bonam, ne ad suam utilitatem causas religionis inflectere procurent. *Obliviscere domine iniquitatum nostrarum, & memor esto miserationum tuarum: non enim in justificationibus nostris prosternimus preces nostras ante faciem tuam: sed in miserationibus tuis multis. Exaudi domine: placare domine: attende, & fac propter nomen sanctum tuum, quod invocatum est super populum tuum: ne forte dicant gentes: Ubi est Deus eorum?*

ANNO CHRISTI 1545.

Joan. 17.

Dan. 9.

Psal. 3.

Vos autem per Christum obsecro, obtestorque patres amplissimi, ut ea concordibus animis spectetis, quæ digna sunt pietate, professioneque vestra. In Jesu nomine convenistis, ad Jesu gloriam, omnibus posthabitis inspicite: sin secus, frustra vel sex millia convenietis. Nihil in vobis desiderari permittatis, sive ad dicendi libertatem, sive ad patientiam laborum, sive ad sedulitatem officiorum, orationibus, jejuniis, piis operibus vacantes, consentientibus pariterque ardentibus votis, corda vestra dignum præparate templum, ubi Spiritus domini sedeat, qui per vos in sessionibus loquatur. Nemo ad ingenii ostentationem, opinionem suam mordicus defendere gaudeat. Nemo procuret contentionum voces: *Ego Pauli, ego Apollo, ego Cephæ*. Nemo metu hominum Deum contemnat. Nemo propriæ gloriæ studio ductus, Christi gloriam obscuret. Nemo aliorum monita, sed nec principum mandata tenens, Spiritus sancti consilia rejiciat: Sic enim coram hominibus, in primis autem coram Deo officium vestrum probe vendicabitis. Dixi:

1. Cor. 1.

V.

ORATIO HABITA A REVERENDO patre Ambrosio Catharino Polito, Senensi, ordinis Prædicatorum, in secunda sessione synodi Tridentinæ, die 4. Februarii anni MDXLVI.

PRÆCELSA loci hujus authoritas, patres amplissimi, jam nunc dicere incipientem, profecto majore me timore ac trepidatione corriperet, nisi huic authoritati ex adverso vestram opponerem authoritatem, cujus jussu atque hortatu, non mea sponte, hunc ipsum ego hodie conscendi locum: tum ista vestri vultus plurimum reverenda majestas, omnem, quantacumque mihi adesset, dicendi facultatem præriperet, nisi rursus ejusdem vultus vestri summa gratia, ac benigna serenitas, quam his meis oculis mihi videor intueri, me ad dicendum etiam vehementius incitaret: denique sola cogitatio excellentissimæ eruditionis, ac doctrinæ, qua tam selectam ex universo terrarum orbe synodum præfulgere conspicio, hærentem faucibus contineret sermonem, nisi vota preceſque meas ad illum converterem, atque in eo siderem, quem novimus & *os mutorum* ape-

Isa. 35. Sap. 10.

ANNO CHRISTI 1546.

aperuisse, & linguas infantium fecisse disertas. Verum ne sine gradu ego ille miser homunculus & peccator ad thronum tantæ majestatis accedam, adibo illam quam ipse nobis instituit & advocatam piam, & sedulam precatricem. Favete votis. O summe gratiosa, & una inter mulieres singulariter benedicta, Maria virgo, quæ ut primogenita filia, ut primaria sponsa, ut fidelissima socia, denique mater carissima, ante omnes felices animos & beatos spiritus prope tuo Emanueli assistis, Ave & impetra mihi hodie eloquium vivum, eloquium fervens, & efficax, non in comptis humanæ eloquentiæ verbis, sed in ostensione spiritus, & virtutis: quo auditorum corda magis ac magis ad opus Dei incœptum feliciter peragendum, inflammem, in ejus gloriam, & nostram totiusque Christiani gregis lætitiam perpetuam & salutem. Amen.

2. Cor. 1. *Benedictus Deus, & pater domini nostri Jesu Christi, pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni desolatione nostra*: nam quod a cunctis bonis tanto tempore est desideratum, & tantopere efflagitatum, & expectatum: ecce nunc ego magno cum animi mei gaudio his meis oculis circumspecto, te, videlicet, synodum venerandam œcumenicam, non solummodo indictam, non solummodo collectam, verum etiam jam ostio in nomine domini patefacto confidenter ingressam in sancta, ut æternæ nostræ redemptionis obscuratas ab impiis veritates, ibi aspicias, nobis decernas, atque populo patefacias. Vere gaudeo, patres optimi, quia misericordia & manus domini fecit hoc: & ideo vehementer cupio, ut hoc meum gaudium, quod commune est piorum omnium, de spe magis quam de re conceptum, vestra opera nobis perficiatis: ut ego seniculus hujus mei tam diuturni desiderii compos factus, aliquando possim canere canticum cum sene illo justo, de quo nudiustertius audistis, quod *responsum acceperat a Spiritu sancto, non visurum se mortem, donec videret Christum domini*; vidit, & gavisus est; neque solum vidit, verum etiam suis in ulnis eum gestare meruit, *qui portat omnia verbo virtutis suæ*: & lætabundus in eum canticum erumpere, *Nunc dimittis servum tuum domine, secundum verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum*: & quod excurrit. Hoc autem, ego, ut verum fatear, nondum possum, donec quod nunc in floribus video, detur mihi spectare & carpere in ipsis fructibus. Interim vero absque metu multo, ac solicitudine multa esse non possum: metuo enim multum ab ingenio satanæ, quia satanas est, hoc est bonis omnibus incœptis adversans, tantoque magis adversans, quanto diviniora, & ad plurimorum salutem magis noverit attinere. Qui enim paradisum Dei conturbavit in cœlis draco ille rufus, ibique schisma condidit tam insigne: & de alio paradiso parentes nostros tantis ornatos donis exterminavit prosternens, vulnerans, & exspolians: & ipsum dominum in deserto non est veritus adoriri: puto, quod neque tibi parcet, neque vestram verebitur sanctitatem: imo nisi assumatis *armaturam Dei*, scutum fidei, thoracem justitiæ, & galeam, spem salutis, strictum spiritus teneatis ensem, vigiles, promptique ad feriendum, cæsim punctimque, ad dexteram & sinistram, profecto insano illius furori, & incomparabili calliditati non resistetis. Est igitur verbum domini monentis vos in Petro, & dicentis: *Simon, Simon, ecce satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum: Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos*. Hoc enim totum ad te pertinere, o synode sacrosancta, non dubito: tu enim juxta spiritus intellectum Petrus es, quia qui Petri claves obtinet, in te includitur, caput tuum. Cave igitur a cribratore: considera quod apostolicum senatum aggressus, unum saltem de duodecim cribrando lucratus est. Cribrum est corpus illud domini sanctissimum, flagris cæsum, & clavis & lancea perforatum. Corpus illud significat ecclesiam, quæ caput habet unum dominum Jesum, cujus vices in terris gerit Paulus hujus nominis III. Qui non est sub capite, non est in corpore: qui vicarium spernit, spernit & dominum, qui cum hoc non congregat, dispergit: qui ab hoc segregatur, de cribro decidit, & jam non est Christi, sed satanæ. Sic igitur unusquisque se componat in cribro, ut quavis diaboli concussione non excidat. Quod erit, si unum in Christo dicamus omnes, & non sint in nobis schismata. Dicet hæreticus, Adularis papista: dicet calumniosus, Aucuparis Catharine: clamabit autem Ambrosius Catharinus teste Deo, non adulor o hæretice, non aucupor o amice, sed verba exploratissimæ & compertissimæ veritatis pronuncio: & ejus veritatis, quam qui non asserat, frustra falloque de Christiano nomine gloriatur.

ANNO CHRISTI 1546. Luc. 22. 1. Cor. 1.

Sed ad rem.

Habetis ergo in exemplum & typum vestrum Petrum, primo quidem aversum & negantem, ut discatis cavere: tum eumdem conversum & confitentem, ut discatis fortiter agere, & sapienter. Consideremus ergo primum, qua de causa vir ille tam commendatæ fidei, & qui paulo ante tam pertinax & securus ajebat: *Et si oportuerit me mori tecum, non te negabo*: mox ad unius ancillulæ voculam trepidans tam diserte negat: ut illi bene conveniret, *Hui victus uno verbo tam cito?* & paulo post ab alia interpellatus ancilla, etiam perjurium cum negatione conjungit: & tertio ab homine turbulenti vultus perterrefactus, etiam detestando anathemate seipsum ferit. Unde igitur tanta imbecillitas quæso, & inconstantia? Quis nesciat, quod ab illa nimia de semetipso confidentia? Discamus igitur in primis timorem cautum, & non male tutam securitatem: id est, non esse confidentes in nobis, quasi in nobis: dicente domino: *Sine me nihil potestis facere*: sed esse animosi in illo qui dixit, *Ego dabo vobis os, & sapientiam, cui non poterunt resistere omnes adversarii vestri*. Nolite putare res arduas, & adeo præcharas & salutares effici posse, absque oppugnatione, & discrimine magno per malignum. Credite non deesse illi ancillas in atrio fortissimas, & promptissimas ad debellandum. Video quod taciti quæritis intra vos, quasnam ego dicam ancillas: audite.

Luc. 22. *Ex Teren. Eunucha.* Joan. 15. Luc. 21.

Est quidem ancilla prior valde fortis, & audax: neque longe abest ab unoquoque nostrum, & ne vos morer diutius: ancilla hæc est unicuique caro sua, quæ in atrio pontificis versans, hoc est terrenis bonis, & commoditatibus vitæ hujus incumbens, etiam Petrum ibi secum moran-

Luc. 22. Ephes. 6.

ANNO CHRISTI 1546.

morantem poteſt adigere ad negandum. Non enim aſcendit illa ſuperius, ut legem domini contempletur, & probet utiliora: neque enim poteſt: cujus prudentia inimica eſt Deo, & aſſidue contra ſpiritum militat (atque utinam non ſæpenumero cum victoria) cui potius ancilla debeat. Hæc ſtolida eſt, & ſolummodo quod eſt ante pedes aſpiciens, noviſſima, & quæ alterius vitæ ſunt, non conſiderat. Quare ad omne opus bonum invenitur ignava, querula, garrula, contumax: eſt item loquax, procax, temeraria, avida, popularis, & noxiæ libertatis: odit luctum, horret jejunia, eſurie murmurat, ſolicitatur de craſtino, vigilias non niſi ad ludos & laſcivias tolerat, orationes faſtidit: ad turpiloquia, ſcurrilia, vana, impudica, gerit aures patulas & erectas: ad ſeria vero, & ad verbum Dei laudeſque divinas, penitus obturatas & graves. Denique in omnibus quæ ſunt ſpiritus & pietatis, ſemper importuna interſtrepit, ac permoleſta. Hæc iſtis novarum ſectarum auctoribus, & facibus orbis terræ, magna ac pene cuncta ſubminiſtravit fomenta. Quam ob rem ſummopere ab illa cavendum eſt nobis, utpote impudente, petulante, pellice, ac male præcincta: contra quam dominus ait: *Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris: & vos ſimiles hominibus expectantibus dominum ſuum, quando revertatur a nuptiis. Attendite ne graventur corda veſtra crapula, & ebrietate: & veniat ſuper vos repentina calamitas.* Vigilate itaque, orate, caſtigate ancillam, redigite in ſervitutem, ne qui aliis prædicare debetis, ipſi reprobi inveniamini.

Luc. 12.

Luc. 21.

Hactenus de ancilla priore.

Subſequitur hanc alia ancilla, neque minus metuenda, quippe quæ multos captivos teneat, qui tamen de priore triumphant; Nam quanto celſior animus eſt, tanto (ni valde caveat) ab iſta fortius detinetur. Hæc vero ut explicemus, eſt humanæ gloriæ cupiditas, & ambitio, quæ ancillatur hominibus. Hæc igitur, quos ſibi ſubigit, ſervos hominum facit, ut propterea non libere veritatem confiteantur, propter quod ſcriptum eſt: *Multi ex principibus crediderunt in eum, ſed non confitebantur, quia dilexerunt gloriam hominum magis, quam gloriam Dei.* Hæc mater omnium hæreticorum, & alumna, nam inflata de magiſterio præſumpto, neſcit audire, tacere, diſcere: geſtit autem docere ſemper & loqui. Hæc in tergi mantica ſuos, ne videat, recondit errores: in ea vero quæ eſt a fronte, rimatur alienos. Hæc ſemel emiſſum verbum revocari non ſinit: non enim didicit a ſapiente: *Pro anima tua non erubeſcas dicere verum. Eſt enim pudor adducens peccatum, & eſt pudor adducens gratiam, & gloriam.* At ſi dixerit, Pudet erraſſe, non pudeat errorem agnitum confiteri, & emendare. Hic eſt enim bonus ille pudor, qui tibi gratiam pariet, & gloriam. Nam labi, errare, neſcire, & decipi, humanum eſt malum, & dignum venia: in agnito vero errore velle præ pudore perſiſtere, non jam humanum ſed ſatanicum eſt, & inexpiabile; quo fit, ut qui ſe hominem eſſe fateri erubeſcit, ſuo merito evadit in ſatanam, & diabolum. Quocirca quicumque aliquid ſcripſimus, vel ſentimus, quo recte ab alio reprehendatur, cedamus veritati, & cum gratiatum actione ſuſcipiamus admonentem, deputantes lucro non parvo ab erroribus liberari. Super omnia autem ſanctæ ſynodi ſententiis nemo reſiſtat, qui vero ſecus, noverit ſe hoc ipſo facto hæreticum prodidiſſe. Videant tamen qui aliena reprehendunt, ne ipſi forſan ab hac ancilla moveantur, quæ eſt & livida, & lippa: & alterius gloriam, ſuam eſſe ignominiam arbitratur: tum ne ipſi falſi bis peccent, dum bene dicta reprehendunt, injurii ſimul & veritati, & fratri ſuo: denique ne modum fraternæ caritatis excedant, dum quod oleo curari poſſet, igne malint & ferro: quod non tam eſſet errores extinguere, quam animas velle perdere, pro quibus Chriſtus eſt crucifixus. Hæc autem non de jam ſubverſis hæreticis, ſed de fratribus dicta eſſe volo, & qui hanc regulam ſecuti fuerint, pax Dei, & miſericordia ſuper illos. *Hactenus de ancillis.*

ANNO CHRISTI 1546.

Supereſt nunc, ut pauca de homine turbulenti vultus admoneamus. In hoc facile ſæcularis poteſtas agnoſcitur, qua plerique mortalium adeo terrentur, ut nullum ſit eis piaculum propter illam negare Chriſtum. Recordamini Ariminenſe concilium, & alia hujuſmodi quædam. Sed Deo gratia eſt, quod habemus catholicos principes, & hæreſum inimicos: & nihilominus ex abundantia cordis, quod ad hoc pertinet, pro pietate non verebor hortari. Dico ergo, ſtatuite ſemel certa fide, hic in medio veſtrum eſſe Chriſtum ſummum omnium principem, regem regum, & dominum dominantium: & hoc perſuaſi dicite cum magno apoſtolo toto corde: *Et ſi ſint dii multi, & domini multi, nobis tamen unus Deus pater, ex quo omnia, & nos in ipſum, & unus dominus noſter Jeſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per illum.* Tum ſi qua poteſtas abuti velit concilio ad ſua commoda, & hoc ſcitis, exhorreſcite, quoniam non in hominem, ſed in Spiritum ſanctum peccat. Siquid aliud contra caritatem requirat, exerite gladium ſpiritus, & dicite: *Deus caritas eſt.* Siquid contra veritatem: ſimiliter dicite: Jeſus dominus veritas eſt. Si vultus turbulentus oſtendit iram minitantem vitæ, adjungite: *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te Deum Patrem, & quem miſiſti, dominum Jeſum Chriſtum*: Et tanquam de præmiſſis concludite cum pſalmographo: *In Deo laudabo verbum, in domino laudabo ſermonem: in Deo ſperavi, non timebo quid faciat mihi homo.* Mementote præcepti: *Nolite timere eos qui occidunt corpora, poſtea non habent amplius quod faciant. Timete autem illum, qui poſtquam occiderit corpus, poteſtatem habet mittendi animam in gehennam ignis: hunc dico vobis timete.* Reſpicite ad Petrum rurſus, & videte quomodo juxta domini verbum confirmat fratres ſuos. Ecce poſt galli cantum, poſt illuceſcentem ſibi diem, a veri Solis aſpectu, poſt amarum pœnitentiæ fletum, poſt trinam ſuæ recuperatæ dilectionis confeſſionem, poſt ſuſceptum ſummi paſtoris officium, indutus virtutem ex alto, non jam in atrio ſedens, & frigens ubi potuit pernegare, ſed in cathedra docens, ubi regitur a Spiritu ſancto, totus fervore caritatis ſuccenſus incipit prædicare nomen ſalutis. Turbantur veteris ſynagogæ pontifices, ille autem alacer inſiſtit operi. Edicunt ut ſileat, ille clamat: *Oportet obedire Deo magis, quam hominibus.* Addunt minas, non deterretur: tradunt in carcerem, ſed verbum Dei non alligatur; cædunt flagris, agit gratias, gaudens quod *dignus* habitus eſt *pro nomine Jeſu contumeliam pati.* Denique numquam ceſſat a munere, donec Romæ juxta oraculum domini extenſis in cruce manibus, & verſo deorſum capite glorificat Deum. Hæc autem facta quid ſunt aliud quam

1. Cor. 8.

1. Joan. 4.

Joan. 14.

Pſal. 55.

Matth. 10.

Luc. 22.

Act. 5.

vivæ

ANNO CHRISTI 1546.

vivæ voces clamantis apoſtoli? & quid aliud clamantis, niſi *Vade, & tu fac ſimiliter*? Confirma & tu ſancta ſynode fratres tuos: ad hoc enim convocavit te dominus, & hoc repoſcit abs te, cui dari verba non poſſunt.

Luc. 10.

Quanta mihi hoc in loco ſuccurrant, patres, opportune dicenda, niſi apud vos agerem, qui alios iſta melius docere poteſtis, explicarem: pauca tamen proferam, quæ velim quaſi ſagittas potentis acutas hærere fixa in cordibus veſtris. Dominus enim Deus vos alloquitur, ajens: *Ego te planavi vineam electam*, plantavi autem te mea cruce, & morte, ego te meo ſanguine irrigavi: elegi ex te lapides, *ædificavi turrim, fodi torcular, poſui ſepem: quid eſt, quod debui facere, & non feci*? Verum quanta habeo jamdudum adverſus te o ingrata? Quid eſt enim, quod pene te *exterminavit aper de ſylva, & ſingularis ferus* (qui audit intelligat) depaſcitur? & nihilominus ego nunc congregavi te: *quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alis*, & in medio tui ſum. Quid times? convertere ad me dominum Deum tuum, ut confirmes fratres tuos. *Stemus ſimul, quis eſt adverſarius meus? rogavi* enim *ego pro te, ne deficiat fides tua*, quomodo ergo deficere poteris? Tu autem vide canes, vide lupos, vide operarios malos, vide confuſionem, vide conciſionem, vexatas, diſperſas, & aberrantes oves meas in deſertis, in ſpeluncis, in cavernis terræ, traditas agri beſtiis devorandas, quas tamen meo ſanguine comparavi: non dico plura. Hæc enim ſatis, ut intelligas quid ego requiram abs te, hæc dominus clementiſſimus Jeſus tibi hodie in ſpiritu lenitatis. Vide ergo, & diligenter attende, nequando in ſpiritu iræ, & vindictæ, mutato ſermone poſſit jure optimo conqueri contra te: & coram angelis, & ſanctis ſuis dicere: *O habitatores Hieruſalem, & viri Juda, judicate inter me & vineam meam. Quid debui ultra facere vineæ meæ, & non feci? Expectabam autem ut faceret uvas, & fecit labruſcas: & expoſuit me ludibrio hoſtibus meis, ut blaſphemetur nomen meum inter illos.* Sed abſit, ut in hoc verbo tam triſti mea concludatur oratio: meliora enim ſpero, ac viciniora ſaluti. Quamobrem *flecto genua ad patrem domini noſtri Jeſu Chriſti*: & vos omnes oro, & vos in primis, qui pro Chriſti vicario ampliſſima legatione fungimini: Oro inquam vos, & obteſtor per viſcera illius paternæ divinæ miſericordiæ, ut omni niſu, quem parturitis, nobis tandem partum exhibeatis, formatumque Chriſtum: ut ego illum quaſi in ulnis meis excipiens tanquam alter Simeon, & ſicut candidus olor ad vada feliciſſimæ mortis evolans, hoc dulce melos valeam decantare: *Nunc dimittis ſervum tuum domine ſecundum verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei fructum ſynodi ſalutaris, quam paraſti ante faciem omnium populorum, lumen ad revelationem gentium, & gloriam veræ plebis Iſrael.* Fiat, fiat. γένοιτο, γένοιτο. Amen. Amen.

Pſal. 5.

Iſai. 5.

Matth. 11.

Pſal. 79.

Matth. 2.

Iſa. 50. *Luc.* 22.

Iſa. 5.

Epheſ. 3.

Luc. 2.

V.

ORATIO INSIGNIS AC CLARISSIMI D. Didaci a Mendocia oratoris Cæſareæ majeſtatis coram legatis ſedis apoſtolicæ habita Tridenti, tertio Maii. An. MDXLVI.

SUPERIORE anno illuſtriſſimi & ampliſſimi patres, cum eſſet a ſanctiſſimo domino Paulo ſummo Pont. generale concilium indictum Tridenti, deſtinatis ad id inchoandum & proſequendum reverendiſſ. Pariſio, Mutinenſi, & Polo apoſtolicæ ſedis legatis, invictiſſimus dominus meus Carolus Romanorum imperator Aug. juſtiſſimis tunc cauſis adeo detentus, ut principio concilii a ſua majeſtate tantopere exoptati, & efflagitati adeſſe non poſſet, epiſcopum Atrebatenſem, dominum de Granvela, & me, qui Jacobus a Mendocia dicor, procuratores, & oratores ad hanc Tridentinam urbem deſtinavit: quo futuro concilio, vel omnes una, vel quiſque noſtrum ejus nomine intereſſet. Facta itaque a nobis Cæſaris nomine coram illis reverendiſſimis legatis comparatione, viſum fuit ſanctiſſimo domino in commodius tempus concilium protrahere. Nunc vero idem ipſe ſanctiſſimus dominus, cujus munus atque præcipuum officium eſt, reipublicæ Chriſtianæ non deeſſe, concilium Tridenti indixit: ſicque ſublata ſuſpicione, omnibuſque qui intereſſe debent, huc convenire juſſis, voſque reverendiſſimi atque ampliſſimi patres, qui præſentes adeſtis, legatos ad peragendum concilii munus demandavit. Quod ubi Cæſar intellexit, rogatus a Pont. Max. cum per nuncios, tum per literas, ut vel præſens ipſe adeſſet, vel oratores ſuos mitteret, ſtatim, utpote qui religioſiſſimi & optimi imperatoris, & piiſſimi principis officium nulla ex parte non explevit, animo ſemper ad commune reipublicæ fideique Chriſtianæ decus ac majeſtatem reſtituendam, ac confirmandam maxime propenſo, atque addicto, homines certos, ac literas in omnem Hiſpaniam, reliquaſque ſuæ ditionis provincias, deſtinavit, qui excitent, & cogant epiſcopos, alioſque viros, quibus ſacrarum rerum cura præcipue incumbit, ut quam maxima poterunt celeritate Tridenti conveniant.

Præterea quoniam Cæſar ipſe nunc ſe præſentem exhibere non poteſt, graviſſimis, iiſdemque juſtis impedimentis implicitus, mihi, qui publice Venetiis ſuæ majeſtatis vices gerebam, mandavit, quo hucirem, & ejus nomine generali ſacro concilio adſiſtens auguſtam ipſius præſentiam pro virili atque auctoritatem præſtem, ad ea omnia conficienda, quæ ſancti concilii confectioni, & communi reipubl. Chriſtianæ bono ſanctiſſimæque religionis majeſtati profutura videbuntur. Verum in præſentia, reverendiſſimi patres, Cæſaris animum explicare operæpretium non arbitror, quandoquidem univerſo orbi notiſſimus ſit, innumeris ſane & certiſſimis rerum teſtimoniis undequaque communitus, compluribuſque præclaris facinoribus in reipub. Chriſtianæ commodum collatis comprobatus: cum neque Cæſar animi aut corporis labores ullos quantumvis graviſſimos ſubire, neque maxima atque periculoſiſſima contra Chriſtiani nominis hoſtes bella ſuſcipere unquam recuſaverit, modo quicquam ſubſidii reip. Chriſtianæ fideique catholicæ afferre poſſet, etiam cum ingenti propriarum fortunarum detrimento, nec ſine ſummo ſalutis & vitæ ſuæ diſcrimine.

ANNO CHRISTI. 1546.

Adſum igitur, illuſtriſſ. & ampliſſ. patres, meque hic præſentem Cæſareo nomine ſtatuo ea præſtiturus, quæ a me ſupra relata, mihique a Cæſare data in mandatis fuere. Sicque invictiſſimum eumdem animum, eamdem religioſiſſimam operam, quam Cæſar hucuſque præſtitit, nunc totam vobis ejus nomine polliceor atque exhibeo, tum ad reipub. Chriſtianæ commodum & tranquillitatem, tum ad ſacræ religionis majeſtatem, amplificationemque, tum etiam ad ſacro-

ſancti

ANNO CHRISTI 1546.

ſancti concilii proſecutionem. Et quoniam a me dictum eſt dominum Atrebatenſem dominum de Granvela, meque Cæſaris nomine anno præterito comparuiſſe coram reverendiſſ. & apoſtolicæ ſedis legatis Pariſio, Mutinenſi, & Polo, vos ultra non morabor his, quæ tunc temporis tractata a nobis, actaque fuere nomine Cæſaris, cum publice geſta, & in actis publicis relata ſint. Hoc igitur ſolum dicam, me ea omnia, uti tunc acta, tractataque a nobis fuere, ita nunc pro repetitis haberi velle: meque ad ea ac ſi præſentia & repetita eſſent, penitus referre. Quod autem epiſcopi qui ex Hiſpaniis ceteriſque provinciis Cæſari ſubjectis acciti ſunt, ad præſtitutum tempus non adſint, quodque ipſe citius non adfuerim, id vos ampliſſimi patres nec negligentiæ, neque dolo ullo adſcribatis, ſed eos intercapedo locorum & itineris difficultas, meque vero adverſa valetudo, qua per hoſce dies laboravi, excuſat. Quæ quidem in hac parte, tum ſanctiſſimum dominum pontificem maximum, tum vos ejus nomine boni conſulturos ſpero atque confido.

FINIS.

VII.

ORATIO ILLUSTRISSIMI D. D. Franciſci a Toleto, oratoris Cæſarei ad ſynodum, habita die 8. Aprilis MDXLVI.

Una cum reſponſione ejuſdem ſynodi.

CÆSAREA majeſtas eximio illo amore, & ſtudio ſingulari, quo univerſam rempub. Chriſtianam ſedulo fovere ſolet ac proſequi, vos omnes reverendiſſ. domini, quotquot in hac ſacroſancta ſynodo in fide & ſinceritate evangelica eſtis congregati, officioſiſſime per me ſalutatos eſſe voluit in Chriſto qui pro ſua ineffabili erga genus humanum benignitate & clementia, afflatu divini Spiritus, conciliare dignetur Chriſtianorum omnium animos in gratia, & pace, & in evangelica lucis veritate confirmare. Quoniam autem univerſo fere orbi terrarum ſatis manifeſtum, exploratumque eſſe arbitror, Cæſaream majeſtatem nihil unquam in vita ſibi ſtatuiſſe magis palmarium, magiſque imperatorio, quod ſuſtinet, munere dignum, quam Chriſti gregem, pretioſiſſimo illo ſanguine redemptum, non modo ab omni hoſtium injuria defendere, ac armis & potentia tueri, verum etiam ad reſarciendam Chriſtiani populi concordiam, ſedandos quoſvis tumultos, tollenda quælibet ſeditionis & diſcordiæ ſemina, graviſſimos ſumptus, vigilias, labores, etiam capitis ſui periculo ſuſcipere: ſupervacaneum fore videatur, ſi hujuſmodi rerum longiore commemoratione perquam ampliſſimas paternitates veſtras, tanta negotiorum magnitudine impeditas, diutius velim remorari. Ecquid enim opus eſt, obſecro, vel aliunde locupletiora petere teſtimonia, vel earum rerum certiorem fidem nobis aſtruere, quarum uſus & experimentum penes nos ipſos eſt, patres ampliſſimi? Quanto enim acriore ſtudio pacis, quanto ardentiore zelo pietatis & eccleſiæ (quæ laudatiſſima merito in principe virtus eſt) Cæſarea majeſtas perpetuo exarſit: tanto vehementiore animi gaudio tempus hoc acceptabile amplexata eſt, quo per ſanctiſſimum D. N. Paulum III. publicati, patefactique concilii œcumenici dies populo Chriſtiano fauſtiſſimus primum illuxit. Qua quidem oblata occaſione, ne rei tantopere exoptatæ de-

A fuiſſe videretur invictiſſima Cæſarea majeſtas, vel potentia, vel auctoritate, vel opera: extemplo miſit ad reverendiſſ. D. V. qui vices ſuas in ſacroſancto hoc concilio adminiſtraret, D. Didacum a Mendocia, virum non minus virtute, eruditione, judicio, rerum uſu, quam imaginibus illuſtrem, ac plane dignum, cui tantarum rerum provincia committeretur. Is quidem in ipſis negotiorum foribus quartana febre correptus, cum in dies magis ac magis invaleſcente morbo affligeretur, ac Venetias ad legationem veterem ſe recepiſſet: Cæſareæ majeſtati viſum eſt, illi me collegam adjungere: ut ſuſceptum hujus legationis onus cum altero mihi commune, interim dum redeat, ſuſtinerem, quemadmodum ex commonſtrato Cæſareæ majeſtatis mandato copioſius reverendiſſ. D. V. intellexiſſe exiſtimo. Quod reliquum eſt, patres ampliſſimi, præſules vigilantiſſimi, dominum Deum communibus votis omnes oremus, ut iſtis veſtris tam ſanctis, tam piis conatibus divino ſuo numine aſpirare dignetur: & quod hujus negotiis præcipuum caput eſt, robur, & ſtabilimentum, ſanctiſſ. D. N. Paulum III. & invictiſſ. Cæſarem, in hac tam pari, ac germana quadam animorum conformitate quam diutiſſime conſervet, qua ipſi inter ſeſe mutuo conjunctiſſimi, omnes rationes, conſilia, ſtudia, conatus, & vires in aſſerendam evangelicam libertatem conjiciant: ut quæcumque ſæculi malignitate, morum corruptela, vitæ licentia, vitiorum omnium ſeminariis, in Chriſti ſponſa eccleſia fœdata ſunt, in priſtinum illum candorem reſtitui poſſint: atque utriuſque ſolerti induſtria, diligentia, cura, ſedulo laborent, ut ex agro domini omnia convulſa zizania, omnes errorum caligines ac tenebræ profligatæ, ad coruſcantem evangelii lucem tanquam umbræ evaneſcant. Dixi.

ANNO CHRISTI 1546.

VIII.

RESPONSIO SYNODI.

ADVENTUS dominationis veſtræ huic ſacroſanctæ ſynodo gratiſſimus eſt, tum propter eam obſervantiam, qua merito Auguſtiſſ. imperatorem ſynodus ipſa proſequitur, tum propter favorem, quem de piiſſimo animo majeſtatis ſuæ in tam ſancto, ac univerſæ Chriſtianæ reip. ſalutari opere, ſibi firmiſſime pollicetur: cui etiam dominationis veſtræ præſentiam ob præſtantes ejus animi dotes, & religionis ſtudium, plurimum adjumenti allaturam ſperat: quare & dominationem veſtram grato ac benevolo animo amplectitur, & mandata Cæſareæ majeſtatis per eam exhibita & producta, quantum de jure debet, admittit, vehementer dolens de ejus collegæ clariſſimi viri, & huic ſanctæ ſynodo multis nominibus gratiſſimi, adverſa valetudine: & ei melius eſſe magnopere cupiens. Pro conjuncta vero ipſius Auguſtiſſimi imperatoris, cum ſanctiſſimo D. N. Paulo III. pontifice maximo in orthodoxa fide, & religione noſtra tuenda & conſervanda, voluntate, omnipotenti Deo, omnium bonorum auctori, quantas maxime poteſt gratias agit, quem aſſidue precabitur, ut piis utriuſque ſtudiis, ad ipſius omnipotentis Dei laudem, & gloriam, religionis Chriſtianæ incrementum, & eccleſiæ pacem, proſperumque in omnibus, & optatum ipſius ſanctæ ſynodi ſucceſſum, aſpirare dignetur.

FINIS.

ANNO CHRISTI 1545.

IX.

INVICTISSIMI AC CHRISTIANISSIMI Joannis hujus nominis tertii Lusitaniæ regis, & Algarbiorum &c. literæ ad summum pontificem Paulum tertium missæ, & in concilio Tridentino recitatæ.

SANCTISSIMO in Christo patri, & beatissimo D. Paulo III. divina providentia papæ, devotus & obediens sanctitatis suæ filius Joannes III. Dei gratia Portugalliæ & Algarbiorum rex, citra & ultra mare in Africa dominus Guineæ, navigationis & expeditionis & commercii Æthiopiæ, Arabiæ, Persidis, & Indiæ, humillimum sanctorum pedum osculum mittit. Etsi nemini dubium aut obscurum fuit, beatissime pater, nullum tui sanctissimi pontificatus tempus a consiliis tuendæ Christianæ religionis, constituendæque inter principes amicitiæ abhorruisse, nulla tamen res, conceptam de sanctitate tua opinionem, æque ut œcumenici concilii indictio confirmavit. Quod bene feliciterque cessurum universo populo Christiano facile sibi persuaserit, qui divini nominis primum, cui ejus authoritas innititur, majestatem, deinde sanctitatis tuæ in eo denunciando constantiam perspexerit. Quique postremo ad eas artes animo se & cogitatione converterit, quibus sæviissimus humani generis hostis omnes aditus, qui ad sacrosancti concilii celebritatem patere videbantur, superioribus annis obstruxit. Nec enim aut ille tam studiose id oppugnasset, nisi jacentem afflictamque Christianam remp. excitari posse ea via providisset, aut sanctitas tua tantam animi contentionem in agendo totius populi Christiani conventu adhibuisset, nisi constanter speraisset fore, ut moribus pristinæ severitati restitutis, omnibusque idem de orthodoxa fide sentientibus, facile non modo hostium vim repellere, sed etiam priorum temporum calamitate amissa recipere & vindicare possemus. Quæ si aliquando singula tantum habere momenti visa sunt, ut agi de illis nisi frequentissimo populi Christiani concursu pro dignitate non posset: quod nos de sanctitate tua cogitare par est: quam tot & tam graves causæ ad promulgandum œcumenicum concilium impulerunt, præsertim veteri Christianæ reip. disciplina ita collapsa, & in tantam perturbationem adducta, ut etiam si nullas hæreticorum seditiones, vel hostium incursiones pertimescret, ad colligendas tamen antiquæ sinceritatis reliquias convenire omnes oportuerit, & suo quemque loco sententiam dicere. Nam cum labefactati mores hæreticorum improbitati & hostium victoriæ aditum patefecerint, ea sane parte diligenter constituta, & qui a fidei catholicæ veritate defecerunt resipiscent, & qui Christianam religionem armis oppugnant Dei opt. max. potentia opprimentur. Quem ut, si facilem habuerimus, victoriam, pacem, otium, summa denique omnia nobis spondere possimus, ita eo irritato & offenso, non video, quid in nostris copiis sit reliquum, in quo spem figere debeamus. Quod si ubi nec ab exteris nationibus ullum grave & periculosum bellum immineret, nec intestinis factionibus esset convulsa & jactata nostra resp. Christianæ tamen religionis interfuit ad conciliandam animorum caritatem sacrosancto concilio locum tempusque a sanctitate tua præscribi, si ulla promovendæ pietatis Christianæ ratio haberetur, si quem angeret dolor, quem de tot animarum provinciarumque jactura omnes capere oportebat, transacta jamdudum res esset, cum sanctitas tua tanto concilii rite celebrandi studio esset inflammata, ut multis ab hinc annis nos ad id hortari & invitare nunquam desiterit. Quam animi propensionem si sanctitas tua in medio bellorum tumultu præ se tulit, nunc pace tandem aliquando facta, & armis in angustiorem reip. partem contractis, in animum induco nullam difficultatis speciem objici posse, quæ vel ardorem sanctitatis tuæ restinguere, vel conatum retardare possit. Cui nos non solum morem gerere decet, sed etiam gratias Deo, quantas mens nostra maximas concipere potest, agere. Cujus numine effectum est, ut in edicendo concilio nunquam sanctitatis tuæ industria langueserit. Nec vero diffido, quin qui animi vigorem dedit, incolumem etiam sanctitati tuæ valetudinem tueatur, ut quod sapienter exorsa est, cum summa, & divini, & tui nominis gloria fortiter ad extremum perducat. Facile porro adducor ut credam, omnes muneris sui partes sanctitatem tuam diligenter acturam, tum quod captato toties frustra tempori nollet deesse, tum quod minime deceat sanctitatem tuam id inchoatum relinquere, quod ut inchoaret, nullam sibi recusandam molestiam, nullum non subeundum laborem, nullam honestam conditionem repudiandam judicavit. Neque sane tam multa valent ad interrumpendum sacrosancti concilii cursum, quam ejus initium impedire multa potuerunt. Si modo sancta as tua ab eo quod instituit non decedat, & quod Deo Optimo Maximo authore cœpit, eodem egregium conatum juvante prosequatur. Qui ut quæ maxime obstare videbantur, divinitus submovit, ita proposito omnibus sanctitatis tuæ saluberrimo exemplo, & longe lateque sacri concilii diffuso splendore, si quorum nondum satis est confirmata voluntas & perspecta, eos paulatim ad colendum ecclesiæ catholicæ nomen, & ad frequentiorem œcumenici concilii celebritatem adducet. Quamobrem supplex ipse sedis apostolicæ filius sanctitatem tuam oro atque obtestor quam modestissime possum, ut ad omnem se difficultatem confirmet, ne animum contrahat ac remittat. Quod licet sua sponte facturam sanctitatem tuam existimem, vis tamen amoris & observantiæ meæ, rei etiam magnitudo efficit, ut a sanctitate tua id petere atque obsecrare non dubitem. Ceterum cum legatos meos, & quos illis concilii participes sociosque destinavi, minore celeritate quam vellem viderem se ad iter componere, ne ulla esse in me mora videretur, ad id quod sanctitas tua tantopere vult efficere, delegi ex eo numero viros bonos & eruditos fratrem Georgium a sancto Jacobo, fratrem Hieronymum ab Oleastro, Gasparum a Regibus, sacrarum literarum professores, qui ad sanctitatem tuam celerius mandata mea perferrent, & quid de sacro concilio peragendo sentirem, accurate exponerent. Quibus ut fidem habeas hac de re tota enixe peto, beatiss. pater. Deus Optimus Maximus diu tueatur incolumem sanctitatem tuam, pater sanctissime & beatissime domine, ad sui nominis laudem & gloriam. Datum Eburæ XXIX. Julii. Anno humanæ salutis. M. D. XLV.

ANNO CHRISTI 1545.

ORA-

ANNO CHRISTI 1545.

X.

ORATIO CLARISSIMI ATQUE facundiſſ. viri D. Petri Daneſii, oratoris Chriſtianiſſimi Francorum regis ad ſynodum.

a Hic poſtea Vaurenſis epiſcopus fuit in provincia Toloſana.

REVERENDISSIMI legati & cardinales, archiepiſcopi, epiſcopi, ceterique omnium ordinum in hanc ſanctam ſynodum cooptati & conſcripti patres, ſicut Chriſtianiſſimi regis præcipuus antea pro ejus pietate erat dolor ex miſerrimis & poſt hominum memoriam turbulentiſſimis eccleſiæ temporibus ſuſceptus, ita nunc eximiæ cujuſdam lætitiæ cauſam attulit nova tranquillitatis oblata ſpes, quam ſacri hujus concilii nomen expectatioque commovit. Neque enim potuit aut non ſperare id futurum, quod vos authore ipſo conciliorum præſide Deo agere ſciret: aut quod maxime ſemper expetiſſet, non vehementer eventurum eſſe, lætari. Nec vero convenire exiſtimavit, quum de ſumma re Chriſtiana ageretur, non ſingulare exiſtere Chriſtianiſſimi regis ſtudium, qui ad bene de ea merendum cum cognomine ſibi hæreditario, tum plurimis majorum exemplis invitaretur. Itaque quod facturus ipſe ſi præſens adeſſet, fuerat, ut vos, etſi ſponte currentes tamen acrius incitaret ad populi Chriſtiani pacem ac concordiam reconciliandam, ſacerdotii dignitatem prope amiſſam recuperandam, veteres nimiumque diu neglectas eccleſiæ ruinas fulciendas: ad eaque conficienda ſuas omnes curas, conſilia, cogitationes, opes, polliceretur: id nobis legationis hujus munere impoſito, ſuo nomine ut faceremus, mandavit. Cujus ego legationis ſummam priuſquam vobis, patres, expono, quod quidem extrema oratione mea faciam: pauca quædam neceſſario dicam cum de plurimis regum Franciæ ſuperiorum in eccleſiam meritis, tum de hujus ipſius, a quo allegati ſumus, Franciſci, perpetuis in eamdem officiis: non quo hunc ita velle arbitrer, aut illos ut clariores fiant, egere præconio putem. Neque enim aut hic quum ita ſe gereret, ut & ipſo & ejus majoribus dignum erat, inanem neſcio quam verborum laudem expectavit: aut illorum res pro Chriſti eccleſia geſtæ ita ſunt vel obſcuræ ut illuminari, vel communes ut ornari, vel denique tenues ut amplificari cujuſquam oratione debeant. Sed & hic qui ſe uni Deo probatum vellet, ſola recte factorum conſcientia facile contentus, id demum bene agendo ſpectavit ſemper, bene ut ageret: & illorum eæ, quas dixi, actiones hujuſmodi certæ ſunt, ut nullam non orationis facultatem, ne dum meam, quæ ſentio quam ſit modica, exuperent. Verum id, ut dixi, neceſſario ita faciam, ut intelligere poſſitis Chriſtianiſſimum regem quæ nunc a vobis poſtulet, ea jure meritoque poſtulare. Et tamen ita orationi moderabor meæ, ut nemo non ſit exiſtimaturus, me plura, quæ explicari quamvis ornate potuiſſent, ſimpliciter potius nudeque brevitatis ſtudio protuliſſe, quam aliquid ex rhetorum artificio ac præceptis facere amplius voluiſſe. Vos modo, patres ſanctiſſimi, benigne me & attente his de rebus ita ut oſtendi, dicentem facile quæſo audiatis.

Francorum reges jam inde a Clodovæo primo noſtræ gentis Chriſtiano rege, inter ceteras, quibus merito celebrantur, virtutes, egregia quadam pietatis laude floruerunt. Cujus rei argumentum eſſe videtur, quod unum hoc regnum adhuc extitit, in quo Chriſtiana religio per annos plus mille nunquam intermiſſa, ſinceriſſima ſemper perſeverarit: ut quomodo bene conſtituto in corpore purus ſanguis, item in illo regno quædam religionis quaſi ſanitas perpetuo conſtiterit. Certe ſanctiſſimus pontifex Gregorius pius, quod epiſtolis ejus conſtat, Childebertum Francorum regem catholici cognomine jam tum ornavit, gravi teſtimonio ejus, quam dixi, incorruptæ caſtæque religionis. Hanc igitur illi ſemel ſuſceptam ut naturali ſuo candore præditam tuerentur, neque alienis, ut ita dicam, coloribus oblini ulla dæmonis mali arte ſinerent: quum in eo omnes ſuas curas cogitationeſque deſixiſſent, operam ſemper dederunt, primum ut quantum humana diligentia effici poſſet, nequa in animis ſuorum nova exiſteret contra eccleſiæ ſententiam ulla de re opinio: deinde ut ſi quid tale forte accidiſſet, ſicut eſt inimicus ille noſter in ſuperſerendis zizaniis diligens, id ſtatim animadverſum, priuſquam convaluiſſet, opprimeretur: tum autem nequa ullius partis divulſio a catholica eccleſia fieret: neu quod præcipuis etiam in locis nonnunquam uſu veniſſet, in aliqua imperii Francorum parte accideret, ut eſſent alii qui catholici, alii qui variis a ſuæ quiſque ſectæ authore nominibus appellarentur. Nec his contenti quaſi domeſtici officii regionibus, non aliena etiam, quoties res tulit, eadem pietate curarunt: ſed & finibus ſuis egreſſi, & cum exteris gentibus congreſſi, quas vel impio dæmonum cultui deditas, vel aliqua hæreſis labe infectas comperiſſent, quum prius omnia experti, monendo, ſuadendo, denunciando, nihil profeciſſent, piis illas armis ita fregerunt, ut vel falſa ſuperſtitione abdicata, vel pravis opinionibus rejectis, veram ſanamque profiteri religionem cogerent. Ac ne multa utriuſque rei exempla afferam, quod & longum eſſet, nec certe hoc tempore neceſſarium videtur, ejus quod poſterius poſui, teſtis erit ille quem modo nominavi, Childebertus, qui Viſigothos bello aggreſſus, Chriſtianos illos quidem, ſed partium in eccleſia Arianarum, hæ tandem eos neceſſitatis deduxit, ut & impium Arii dogma repudiarent, & ad catholicæ eccleſiæ, a qua alieni erant, partes traducerentur. Prioris fidem faciet Carolus a rerum, quas geſſit, magnitudine cognomen Magni nactus. Is enim ſuſcepto in Saxonas bello, Chriſtianæ tunc pietatis teterrimos atque acerbiſſimos hoſtes, ſic illos per annos amplius triginta exercuit, & ad ultimum etiam perdomuit, ut vera religione imbuti, & ſalutari aqua tincti, in Chriſti nomen inſererentur. Et hujus quidem generis utriuſque multa Franci.

Jam vero, quum Romanam eccleſiam, cui ille apoſtolorum princeps præſediſſet Petrus, orbis terrarum principatum ſemper obtinuiſſe, ejuſque epiſcopum capitis loco a reliquis magno conſenſu epiſcopis habitum eſſe didiciſſent: pie hoc quoque ac præclare fecerunt, ut qui & eccleſiam & epiſcopum præcipue ſibi colendos propoſuiſſent, utriuſque & opes opibus ſuis augerent: & quum res poſceret, pericula periculis item ſuis propulſarent. Pipinus enim, ut taceam quæ hujus pater Carolus cognomento Martellus geſſit, quum Aiſtulphus, Longobardorum rex pluribus per vim occupatis Romanæ eccleſiæ oppidis ulterius progrederetur, ut niſi capta urbe Roma finem facturus injuriarum non videretur: precibus exoratus Stephani pontificis, incre-

ANNO CHRISTI 1545.

incredibili celeritate superatis Alpibus, indeque dejectis hostium præsidiis, quæ omnes saltus insederant, exercitum in Italiam transportavit: & Aistulphum acie congredi non ausum, Ticini, quo se ex fuga receperat, tandiu obsedit, quoad is datis obsidibus, & jurejurando interposito, confirmaret se & erepta Romanis redditurum, nec quæ restituisset ullo unquam postea tempore repetiturum.

Quid hujus Carolus filius, qui a rerum (ut paulo ante dixi) gestarum magnitudine cognomen invenit? Quæ fecit? Nempe eadem qua pater pietate, sed successu proculdubio & felicitate majore, aliud simile ob causam bellum adversus eamdem gentem suscepit & gessit. Nam quum Desiderius in Aistulphi locum mortui suf- B fectus, partim sua ipse virtute confisus, partim Caroli occupationum opportunitatem sequutus, quod is tum maxime gravissimo Saxonico bello implicatus videretur, non solum reddita ab Aistulpho Romanis oppida iterum invasisset, sed & de Urbe ipsa occupanda palam consilia iniret, in quam totus spe & cupiditate imminebat, Hadrianus pontifex, qui Stephano successerat, legatos ad Carolum misit, qui & periculi sui magnitudinem ei proponerent, & in ecclesiæ propugnatione patriæ illum, avitæque virtutis admonerent. Id igitur tum bellum ita ille suscepit: quod tanta Francorum militum, & tam incredibili virtute & patientia confecit, ut Desiderium, qui se Ticini incluserat, longa obsidione fractum, & in po- C testatem redactum, exilio mulctaverit. Aldegisium ejus filium, in quem sublato patre omnium se Longobardorum animi converterant, cedere Italia coegerit. Rhogandum quemdam Longobardici generis hominem, quem Forojulianis ducem a Longobardis impositum, ipse in imperio confirmarat, beneficii oblitum, resque novas molientem oppresserit: denique Italia prope omni potitus, fundatissimi in ea per tot annos regni opes funditus everterit. Romano autem pontifici, cujus unius causa res tantas gesserat, non solum ablata restituit, sed & Ravennatem insuper exarchiam, Flaminiam, Æmiliam condonavit. Ob quæ merita Hadrianus quum in synodo Romæ habita plurium episcoporum, de præ- D miis quæsisset, quibus tantam regis Franci cum defendenda Romana ecclesia tanquam matre pietatem, tum in ornanda liberalitatem, animique magnitudinem remuneraretur; decretum de concilii sententia, in hæc fere verba fecit: Placere uti Carolo Francorum regi, posterisque ejus Francorum regibus, honoris virtutisque causa, jus in perpetuum esset, Romanum pontificem quem fieri vellent, edendi, eamque sedem, quum rectore vacua foret, ordinandi: reliquarum vero Franciæ ditionis provinciarum episcopos, quum more institutoque majorum facti essent, laudandi approbandive: ut nisi quem rex laudavisset, nemo consecraretur: tum autem fidelitatis jurejurando obstri- E ctos, ita quasi in possessionem muneris sui & potestatis mittendi. Id enim illo investiendi verbo, quo decretum utitur, significari volunt juris pontificii periti. Novus omnino honor (cur enim non fatear?) & tum certe primum, in velut exemplum proditus. Sed erant illa quoque quibus tribuebatur, nova & singularia merita: ut minime sit mirum, novis inusitatisque beneficiis, nova etiam atque extraordinaria esse præmia constituta.

Ac licet Ludovicus pius Caroli magni filius, A prius illud jus Romanum pontificem edendi, ultro postea remiserit: id tamen in remittendo diserte excepit, ut simul atque electus quispiam & consecratus Romanus pontifex esset, necesse is haberet, legatos ad se suosve successores Francorum reges mittere, qui mutuam inter ipsos, hoc est, Romanam ecclesiam, Francorumque regnum, amicitiam, caritatem, pacem consociarent. Quod ipsum ita profecto semper successit. Siquidem sanctissima hæc necessitudo ac conjunctio Romani pontificis, Francorumque regis nunquam ex eo tempore intermissa, sed multis potius & magnis utrimque officiis culta, quum uterque suam in alterius dignitate contineri dignitatem existimaret, integra adhuc incolumisque permansit: ut verissimum esse videatur, quod tertius Innocentius sua quadam ad Galliarum episcopos missa epistola testatus est, *Francorum regni exaltationem* (ipsius enim verba, quo magis agnoscantur, ponam) *sublimationem apostolicæ sedis esse: viderique id regnum præcipua quadam gratia a Deo benedictum, cujus & rex & populus finceram semper Christianam fidem retinuissent, & singulare quoddam eximiumque studium in ecclesiam, & præcipue in Romanam præstitissent*: & certe (quod illa quæ dixi, maxime confirmet) Romani ipsi pontifices difficillimis vel suis vel ecclesiæ temporibus, quum aut tyrannorum injuriis pulsi sede sua carerent: aut de moribus paulo severius corrigendis, seditionumve fluctibus sedandis cogitantes, vim vererentur: ut in portum, sic in Galliam fere ad Francos se receperunt, quorum tuti pietate liberius concilia hisce de rebus habere possent.

Cujus rei testis est generalis illa Rhemensis, cui ipse Romanus * pontifex præfuit, synodus: testis Claramontana, cui Urbanus: Turonensis, cui Alexander: Lugdunensis, cui * Gregorius præsederunt. Testes aliæ item complures, quarum nunc quidem nominibus, ne longior sim, parco. Ac possem equidem, patres sanctissimi, alia hujus generis pene innumerabilia afferre, quibus Francorum regum excellens quædam in Deum ejusque sponsam ecclesiam pietas, luce clarius probaretur: sed vereor, ne hæc quoque ipsa modum quem mihi initio constitui, excesserint.

Certe incredibile quiddam dictu est iis, qui in memoria superiorum temporum evolvenda accuratius versati non sunt, quam multa Franci pericula sponte adierint, quot & quam graves ærumnas pertulerint, quam immanes sumptus, nec pecuniæ solum, sed & sanguinis sæpe sui fecerint, hanc unam ob causam, ut aut Christiani imperii fines proferrent, & occupatas a feris barbarisque, & huic semper nomini inimicis gentibus provincias recuperarent: aut Romanos pontifices vel ejectos in suam rursus sedem restituerent, vel de suo statu dubitantes confirmarent, periculisque eximerent. Quorum multæ nobilissimæque victoriæ, etsi scriptorum laude bonorum caruerunt, propter eam quæ tum ubique erat, literarum pene omnium, sed eloquentiæ maxime, cladem & quasi interitum: grata tamen hominum recordatione ab oblivionis injuria vindicatæ, ad omnem posteritatis memoriam pervenient. Turcæ medius fidius ipsi, & (ut uno verbo dicam) totus oriens, quum a Græcis, quibuscum vivunt assidueque versantur, discesserint, nullum aliud Christianorum, nisi Francorum, nomen noverunt: quo uno omnes quæ hic ad solis occasum incolunt, gentes populosque significant. Tam

ANNO CHRISTI 1545.

* Leo IX. Callistus II. Innocentius II. Eugenius III. Remis concilia habuerunt. * primæ Lugd. præsederat Innocentius IV.

crebris

ANNO CHRISTI 1545.

crebris illi videlicet tamque illustribus laudum suarum vestigiis omnem propemodum Asiam impresserunt, ut mirari quis jure non queat, quid sit, cur Romani pontifices præcipua semper caritate Francos, tanquam primogenitos quosdam ecclesiæ filios, complexi sint, legibus canonicis sæpe solverint, privilegiis ornarint, multorum immunitate & vacatione munerum donarint, breviter eximio quodam in ecclesia, quasi civitate, jure esse voluerint.

Ab his profectus majoribus (quod erat ex duobus quæ proposueram, alterum) Christianissimus rex Franciscus, haud dissimili, atque illi, pietate, primo statim aditu atque ingressu principatus sui, quum esset, recenti clarissima apud Insubres victoria potitus: Bononiam usque, quo accessisse, ut secum congrederetur, Leonem X. pontificem maximum audierat, processit: cum illo certam amicitiam fœdusque firmavit, iis conditionibus, quæ tunc utriusque voluntate perscriptæ etiamnum servantur. Hanc eamdem postea amicitiam eisdemque illis conditionibus cum Hadriano, Clemente, hoc ipso Paulo tertio habuit, & sanctissime semper coluit: a quibus vicissim magna sæpius pietatis suæ testimonia tulit.

Quid hic commemorem perpetuas ejus excubias & custodias sanctissimæ nostræ religionis? Quæ quum per hosce sex & viginti annos ita jactaretur, in hac quam omnes meminimus, partimque etiam sentimus, contrariarum opinionum, quasi ventorum tempestate, vix ut statui posset quid quisque sequeretur: id egit, quod pro sua & majorum suorum perpetua consuetudine sapientissime potuit. Quod enim acceperat & ipsorum exemplo apostolorum traditum, & a catholicis principibus semper observatum, ut de iis quæ de fide in quæstionem vocarentur; nihil a quoquam privata authoritate constitueretur: sed ecclesiæ potius judicium, quo omnes stare oporteret, expectaretur: ita sane fecit, diligentissime in omnes partes cavit, ne quid omnino in communi ecclesiæ usu novaretur: quum interea non deessent, qui multa cum in doctrina populi, Christiani, tum in moribus vitæque institutis mutanda esse censerent, idque adeo tentare auderent. Sed integram omnium quæ a quoque nova proferrentur, causam vestris, patres, judiciis reservavit.

Quam rem quo facilius assequeretur, qui esset suopte ingenio ad clementiam ac lenitatem pronior, & vel a singulorum hominum, quoad publica salus pateretur, pœnis abhorreret, coactus est interdum in tanta multitudine peccantium, & omnia miscere ac perturbare paratorum, contra naturam suam esse severior, ut graviora in illos edicta proponeret, si qui auderent privata temeritate, ecclesiæ statum convellere. Ita perfecit cum sua diligentia, tum judicum suorum incredibili in exequendis edictis studio & vigilantia, ut in tanta repente coorta tempestate, in qua difficillimum videbatur, cursum tenere, facillime eo quo intenderat, pervenerit, quam tamen multas sæviissima hæc procella civitates, imo vero, proh Dei immortalis fidem! nationes gentesque totas vel everterit, vel gravissime certe afflixerit. Pacatam dat vobis, patres, amplissimam nobilissimamque provinciam. Nihil in ea novum, nihil alienum, nihil non ex veteri more ac disciplina publice introductum reperietis. Omnia in illa vetera, doctrina, ritus, ceremoniæ, mores, instituta constant. Vos nunc de omnibus ea statuite, quæ vera, quæ e republica esse, quæ ad summam populi Christiani concordiam, & ad Dei gloriam pertinere vobis videbuntur: ne, quod adhuc magno piorum omnium animi dolore accidit, ultra eveniat, ut impuri Turcæ, nefarii Judæi, & utrisque importuniores, non homines, sed in hominum figura belluæ, novi quidam horum temporum Epicurei, qui omnem ex hominum animis tollere humanitatem, religionem demenda conantur: suo illo incesto ore sanctissimæ nostræ pietati convicium faciant: & quod imperitis jure agere videantur, crebro illud nobis exprobrent, *Ubi est Deus eorum?* *Psal.* 112.

Porro autem quum id etiam animadverteret Christianissimus rex, quantam semper vim habuisset ad res continendas, esse unum in ecclesia Romanum episcopum, ut pote Petri successorem, reliquorum & dignitate & authoritate principem, ad quem ceteri ut ad caput referrentur: qua maxime re, nostra hæc in terris militans ecclesia, illius in cœlo triumphantis effigies quædam agnosceretur: non minori cura ac studio providit, ne qua inde cessio defectione ullam ob causam accideret. In quo vel clarissime regia virtus & constantia enituit. Sæpius enim omni ratione tentatus, & multis invitatus nec iis vulgaribus commodis, ut aliquid auderet aliquando, nec editum ab altero exemplum dubitaret sequi, perstitit in sententia: ut quorumdam propterea finitimorum amicitiam desiderarit, eaque re parum sit suorum quieti & otio consulere visus. Sed vir maximus & excellenti animi robore ac pietate præditus, justum bellum, quam inhonestam pacem maluit.

Post autem ut primum certior est factus, conventum Christiani nominis universi hanc in urbem indictum esse a Paulo III. Pont. Max. in quo de tantis ecclesiæ incendiis communi tandem consilio restinguendis ageretur: jamque eo aliquot parvo numero, sed & sapientia & sanctitate præstantissimos patres præmissos, qui ea quæ concilio necessaria viderentur, compararent, administrarent: sibi non defuit, quin eodem delectos e suis episcopos mitteret, communium participes curarum & socios futuros. Denique aliquo satis magno temporis spatio interjecto, ut rem serio agi, & consessionibus duabus tribusve aliquot jam authoritates vestras perscriptas esse allatum est: qui illuc usque omnia fecisset, quæ principem & re & nomine Christianissimum decerent, minime judicavit convenire, suum in re tam necessaria, tamque & a se, & ab omnibus bonis semper exoptata, officium non constare. Itaque qui multo fecisset lubentius, si regni negotia id pati possent, hic ut adesset, ubi tot sanctissimos Dei sacerdotes divino (ut credi par est) Spiritu afflatos maximis de rebus constituentes videret, quorum in vultu, gestu, oratione acquiesceret: quod proximum erat, legatos procuratoresque suos & voluntatis interpretes nos misit cum his mandatis quæ ego nunc, quando priora illa duo prætervecta oratio est, universe tantum summatimque exponam. Spero enim fore, ut posthac sæpe, quoties quidem certe visum fuerit esse opus, de singulis proprie accurateque agendi, sit nobis voluntate vestra, locus. Vos quæso quemadmodum superiora feciſtis, hæc quoque pauca benigne attenteque patres audiatis.

Hæc est igitur mandatorum Christianissimi regis summa. Etsi minime is quidem dubitat, quin vos omnia, de quibus conveniſtis, quæque ab hoc sanctissimo concilio expectantur, summo sitis studio per vos acturi: a vobis tamen pro

ANNO CHRISTI 1545.

sua pietate in Deum, observantia in hunc ordinem, & in populum Christianum universum caritate, vehementer petit, ut pacis concordiæque causa, ac ne amplius non solum imperitæ imbecillæque multitudinis, sed quorumdam etiam robustiorum, licet lenium, mentes fluctuent, & in diversa ac contraria ferantur, quæ res ecclesiæ statum perturbet, & tanquam unitatem abrumpat: de doctrinis ea semel constituatis, publiceque proponatis, quæ omnes ubique Christi fidem professi sequantur, teneant, credant. Nec enim fieri potest, ut aut alia ex re ulla major existat animorum disjunctio, reique publicæ perturbatio, quam ex sententiarum quæ de religione habeantur, dissidio: aut non libentissime omnes assentiantur iis quæ vos authore eo qui huic loco præsidet, sanctissimo Dei spiritu, comprobaveritis.

Deinde quum omnia fere ecclesiæ mala & incommoda ex eo fonte profluxisse multis videantur, quod omnium pene ordinum ministri ecclesiæ ab illa priscorum temporum sanctitate & innocentia plurimum deflexerint, vix ut tenue ejus vestigium jam appareat: etiam vos rogat & obtestatur, ut vitæ morumque in ecclesiasticis personis disciplinam acerrima sacrorum canonum norma dirigatis. Ita enim fiet, ut hic ordo, qui prælucere ceteris & ad doctrinam, & ad vitæ exempla deberet, nunc autem maximo reipub. malo, ob plurimas quorumdam labes & maculas, vulgo est despectissimus, longo intervallo pristinum suum splendorem dignitatemque obtineat. Ex quo illud mox consequetur, ut quum tanta jam esse cœperit in hoc ordine authoritas, quanta esse in moderatoribus magistrisque vitæ debet, latius se fundat utilitas: ut quæ in peculiarem Dei populum, id est, quos propterea majores nostri clericos vocitarunt, privatim sanxeritis, eadem valeant in omnes: nullusque jam toto in corpore ecclesiæ nævus, labes nulla, nulla ruga, quæ quidem sponsum gravius queat offendere, relinquatur,

Agitedum ergo, excitamini per Deum immortalem aliquando patres, & in causam tantam, tam gravem, tam necessariam totis pectoribus animisque incumbite: de doctrinis, de moribus ea statuite ac decernite, quæ sapientissimus ille hujus moderator concilii spiritus vobis suggesserit, quibus populus omnis Christianus, quasi certissimis ab ipso Deo editis oraculis libens pareat. Ea certe ut in Galliis totoque Francorum imperio observentur, Christianissimus rex pro sua pietate curabit. Has sibi ille partes deposcit. Vestrorum ille decretorum curam, patrocinium, propugnationem profitetur. In eam rem omnes regiæ potestatis nervos intendet: gladii etiam, quem a Deo porrectum ad malorum (ut sanctissimus ait apostolus) vindictam, bonorum vero laudem gestat, vim aciemque (si ita opus sit) experietur. Denique quum tanta esse constet Francorum Regum in ecclesiam (& præcipue Romanam) merita, quibus majores vestri, summique pontifices, quæ amplissima habuerunt præmia, semper tribuerint: a vobis hoc postulat, quod est profecto æquissimum, ea sibi ut præmia conservetis, neque quicquam omnino imminui aut mutari patiamini eorum, quorum in possessione cum ipse ille, cujus ante memini, Ludovicus pius Caroli Magni filius, tum alii deinceps Francorum reges sine ulla dubitatione aut controversia fuerint. Postremo ut omnibus Galliarum ecclesiis, quarum ipse tutelam a majoribus relictam & commendatam habeat, sua omnia jura, privilegia, immunitates confirmetis. Hæc si feceritis, erit cur & gratias vobis quam maximas universi ex Galliis agamus, nec vos ita aut sensisse aut feciſe unquam pœniteat,

Rom. 13. a. 1. *Petr.* 2. 6.

ANNO CHRISTI 1545.

FINIS.

XI.

ORATIO HABITA AD PATRES concilii Tridentini dominica prima quadragesimæ an. 1547. *per fratrem Georgium de sancto Iacobo, ordinis Prædicatorum, conventus sancti Dominici Olysbonensis.*

EXORDIUM.

TANTA est altitudo & sublimitas mysteriorum regni Dei, reverendiss. ac illustriss. domini, pastores ovium Christi, patres optimi, tanta, inquam, est mysteriorum Dei sublimitas, profunditas, & inscrutabilitas, & ad ea intelligenda, tam humile & imbecille ingenium nostrum, tam hebes, tam obtusum: ut Paulus apostolus doctor gentium, vas electionis, qui vidit arcana Dei, & plus omnibus laboravit, fateri cogatur, *non esse nos sufficientes cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra*, inquit, *ex Deo est*, 2. *Cor.* 3. Et veritate revelante didicimus, illos mentis oculos esse beatos: qui digni sunt videre, quæ multi reges justi & prophetæ voluerunt videre, & non viderunt, audire, & non audierunt: illos solos esse felices, quibus *datum est, nosse mysterium regni Dei*. Nam ceteris qui foris sunt, inquit, omnia in parabolis fiunt, omnia in parabolis dicuntur, videntes non vident, audientes non audiunt, & loquentes *non intelligunt, nec quæ loquuntur, nec de quibus affirmant*. Potissimum si de tentationibus agatur, quas pauciſſimi intelligunt, cum tamen omnes ubique tententur: & tunc maxime, quando se tentari minime arbitrantur. At animales homines (quorum infinitus est numerus) non percipiunt, quæ sunt spiritus, nec possunt intelligere: quia spiritualiter examinantur. Ad hæc tanta est vestra dignitas, authoritas, & majestas, ecclesiarum principes, quod in tanto vestro conspectu dicere, doctissimus quisque, quantumvis sufficientissimus, merito dubitaret, timeret, recusaret, quanto magis is, qui omnium dicendi partium expers, de rebus gravissimis dicturus, sufficientiam nullam habet? quamobrem multiplici hoc jure, magis nunc quam unquam, refugere nos oportet ad Deum optimum maximum, fontem luminis, patrem misericordiarum; adeamus necesse est ad thronum gratiæ ejus, ut precibus virginis matris sanctorumque omnium, misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno, ne de tentationibus audituri, audiendo, aut dicendo tentemur: ipse enim est *refugium nostrum & virtus, adjutor in opportunitatibus, in tribulatione, qui surdos facit audire, & mutos loqui*. Qui *spiritus* cum sit, *ubi vult*, & quando vult *spirat*, facit ut vox ipsius audiatur, qui in deserto ex dura & arida petra fluentes dulces aquas populo suo eduxit, qui denique quando beneplacitum est in oculis majestatis ejus, diu steriles, aliquando tandem fœcundos facit, quia *Deus scientiarum dominus est, & ipsi revelantur*,

1. *Cor.* 2.

Luc. 10. *Marc.* 13. *Luc.* 8.

1. *Tim.* 1.

2. *Cor.* 2.

Hebr. 4. *Psal.* 45. *Marc.* 7. *Joan.* 3. *Num.* 20.

1. *Reg.* 2.

ANNO CHRISTI 1547.

tur, non ſolum facta & verba, ſed etiam *cogitationes*. Verum ut dicendi audiendique gratiam facilius impetremus, eccleſiæ quæ repulſam neſcit, hymnidica utamur oratione, cum ea dicentes, paucis mutatis.

Hymnus quadrageſimæ.

Audi benigne conditor,
Noſtras preces & gemitus,
In ipſo mei officii
Fuſas nunc exordio.
Scrutator alme cordium,
Infirma tu ſcis virium,
Ad te converſo exhibe,
Locutionis gratiam.
Multum quidem deficimus,
Succurre confitentibus,
Ad laudem tui nominis,
Confer loquelam timidis.
Sic opus extra perfici,
Dona tuis per gratiam,
Ebibat ut mens ſobria,
De fonte prorſus luminum.
Præſta beata trinitas,
Concede ſimplex unitas,
Ut fructuoſa ſint tuis
Hæc labiorum munera. Amen.

PRIMA PARS.

IN deſerto hujus mundi invio, arido, & inaquoſo, in quo tot ſunt feræ, venenatique ſerpentes, atque dracones flatu adurentes, in quo filii Adæ non niſi in ſudore vultus veſcuntur pane ſuo, & maledicta terra in opere ipſorum ſua ſponte tribulos germinat, atque pungentes ſpinas, non modica prævaluit eſuries fameſque pergrandis. Propter quam filii Iſrael Dei terram promiſſionis ſpiritus melle & lacte manantem patribus quidem promiſſam, a filiis autem poſſeſſam, frequenter egredi coguntur, Ægyptumque intrare, ut ſerviant Pharaoni in operibus duris luti & lateris. Propter quam filius familias domum patris egreſſus, conſumptiſque bonis hæreditatis paternæ, adhæret civi regionis longinquæ, ut porcos paſcat, eoque deveniat, quod cupiens implere ventrem de ſiliquis, quas porci manducant, nemo illi det. Fames pergrandis, dura, & moleſta nimis. Concupiſcentiam dico carnis, oculorum, ac ſuperbiam vitæ, præter quæ tria nihil eſſe in deſerto hujus mundi ſcribit diſcipulus ille, quem diligebat Jeſus. Hac maledicta fame quamprimum quis eſurit, ſtatim accedit tentator, qui nullam unquam prætermittit occaſionem: ſive enim cum Chriſto corpus jejunet, aut cum Adam animus concupiſcat, ſive ſpiritus inſipiat, aut caro deficiat, mox adeſt qui tentat, aut inde provocatus propter ſuam ipſius malitiam, aut hinc vocatus propter noſtram ipſorum inſipientiam. Sic ergo fameſcentibus nobis ſubito cum ſuis ex his quæ delectant ineſcatis hamis infernalis piſcator accedit, & ob eſcam creaturarum ita proh dolor! capiuntur homines, ac ſi creaturæ Dei in odium factæ fuiſſent, & in tentationem animæ hominum, & in muſcipulam pedibus inſipientium: hic enim eſt robuſtiſſimus ille hominum venator atque piſcator, animabus ſemper inſidians, qui ſuos hamos, laqueos, & retia ubique locorum tendit atque expandit, ut in medio laqueorum ambulantibus hominibus, cadant in retícula ejus peccatores, ſerpens antiquus, callidior cunctis animantibus terræ, qui ſua calliditate primos noſtros decepit parentes ſpiritus immundus, ambulans per *loca arida & inaquoſa*, qui tanquam leo rugiens (inquit princeps apoſtolorum) circuit, quærens quem vivum devoret. Vivos enim Chriſtianos filios Dei quærit, qui in mortuis Judæis ac paganis requiem non invenit, hic denique eſt dementator animarum, hominum incantator, incantans non ſapienter, qui toto malignitatis ſpiritu dementare, incantare, decipere, & ut perdat, illaqueare non ceſſat. Cujus dementationes, incantationes, laqueos, & deceptiones, ſolus ille detegere potuit, qui plenus gratiæ & veritatis, ſolus eſt *lux vera, illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum. In quo ſolo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei, ut ſciat reprobare malum & eligere bonum. Qui in hoc natus, ad hoc venit, & in hoc apparuit, ut diſſolvat opera diaboli.* Qui etiam propterea hodie ductus a ſpiritu in deſertum, ut tentatus a diabolo omnes ipſius diſſolveret laqueos & tentationes. Quatenus qui propter nos homo factus, pro noſtro exemplo circumciſus & baptizatus fuerat, ſua quoque tentatione nos erudiret, qui pro noſtra ſalute moriturus erat. Ut prius nos doceret ignitorum ſerpentum vitare morſus & vulnera, qui poſtea (ut æneus ſerpens olim) in cruce exaltandus erat, ut percuſſi a ſerpentibus non perirent, ſed aſpicientes in eum, haberent vitam æternam. Quo etiam tempore ſuos docturus erat vigilandum & orandum eſſe, ne intretur in tentationem. Quandoquidem in deſerto hujus mundi quamdiu orando ad Deum, elevatas manus habemus, vincimus Amalech: ſin minus, ab eo ſuperamur.

Itaque noſter dominus & magiſter (eſt etenim) hodie exemplum dat nobis, quemadmodum in tentationibus ipſe fecit, ita & nos faciamus. *Et ſicut aquila provocans ad volandum pullos ſuos, & ante eos volitans*, hodie docet ſuos fideles ambulare ſuper aſpidem & baſiliſcum, conculcare leonem & draconem. Docet fugere a facie arcus, ut liberentur electi, illudentes illi magno draconi, qui formatus eſt ad illudendum ei. Docet ex tribulis & ſpinis dulces nutrientes uvas & ficus colligere. Quaſi ex pungentibus tentationum ſpinis floridas victoriæ coronas ſibi comparare. Docet denique ita mortiferas diaboli bibere tentationes, ut earum lætale venenum credentibus tentatis non noceat. Et in primis ne in ſolo pane victuros ſeſe exiſtimantes homines, velint rerum mutationes fieri propter famem & ventrem, quoniam miracula ſeu communium legum diſpenſationes non propter eſcam & ventrem, qui deſtruentur, non propter carnem & ſanguinem, qui cum matre & filiis Zebedæi neſciunt, quid petunt, ſed propter ſuperioris ordinis bonum, utilitatem ſcilicet animarum & gloriam Dei ſunt facienda. Tametſi dominum hic etiam aliud docere intelligere poſſimus. Nempe ne homines prætextu alicujus famis ſeu paſſionis (quod incontinentium ſeu fragilium eſt) duros vitiorum lapides a tentatore quidem oſtenſos, per neceſſitatem autem aut commoditatem aliquam veluti in panes converſos, deglutire velint, id quod faciunt illi, qui decimantes mentham, rutam, & omne olus, prætermittunt interim quæ graviora ſunt legis, judicium, fidem, caritatem, & miſericordiam, excolantes culicem, camelum deglutiunt.

Deinde exiſtentes in templo Dei, quippe qui ex altario vivunt, quia altario deſerviunt, potiſſimum cum ſupra pinnaculum ſunt templi, docet

ANNO CHRISTI 1547.

Matth. 12. 1. Petr. 5.

Joan. 1. Coloſſ. 2. Iſaj. 7. 1. Joan. 3. Matth. 4. Luc. 2. & 3.

Num. 21. Joan. 3. Matth. 26. Exod. 27. Joan. 13.

Exod. 17. Num. 14.

Gene. 3.

Exod. 1.

Luc. 15.

Deut. 32. Pſal. 90. Pſal. 59. & 103.

Marc. 16.

1. Joan. 2.

1. Cor. 6. Matth. 20.

Sap. 14.

Luc. 11. Matth. 23.

Gen. 13.

ANNO CHRISTI 1547.

docet cœleſtis diſciplinæ & ſecutitatis magiſter, ne decepti a diabolo (quod ad ignorantes pertinet) perſuaſi textibus male citatis, & diſtorte intellectis, aut diſpenſationibus cauſas & ſufficientiam (quas non habent) ſupplentibus ſe præcipitent, ut conterantur; illorum ſequentes opinionem, qui non dijudicantes jus divinum ab humano, præcepta divina, humana; diſpenſatores, dominos arbitrantur. Qui pro comperto habentes perſonalibus obligationibus per alios poſſe fieri ſatis, quaſi per ſubſtitutos liceret ingredi cœlum, & poſſidere: Non diſtinguentes inter fidelem diſpenſationem & crudelem diſſipationem, putant licere jure poli, quicquid licitum oſt & permittitur jure fori. Vocitantes nihilo minus unionem ad vitam, etiam eam, quæ irrationabilis eſt, & vere diſſolutio ad mortem. Quorum damnatio juſta eſt, qui propterea ita abſurde opinantur, quia in eadem damnatione ſunt. De qualibus ſcribit Hieremias proheta. *Quomodo dicitis: ſapientes nos ſumus, & lex domini nobiſcum eſt? Vere mendacium operatus eſt mendax ſtilus ſcribarum.* Et Iſajas, *Populi meus qui te beatum dicunt, ipſi te decipunt.* In monte demum conſtitutos quos ſcilicet natura ipſa, probitas, res bene geſta, aut certe humana induſtria in ſublimitate conſtituit (qui quanto in loco ſuperiori, tanto in periculo majori verſantur) ſuo exemplo admonet is, cujus omnis actio noſtra eſt inſtructio, ut ſumma vigilantia maximoque zelo divino ſtudeant honori: Dæmonio meridiano cum rigore reſiſtant. Apertæ tentationi viriliter repugnent, maxime Chriſti domini, ſacerdotes Dei altiſſimi, eccleſiarum prælati, quos Satanas frequentius tentat, turpius, apertius, & vehementius, ut legem contemnendo (quod malitiæ foret) in aliorum ſcandalum & ſuam perditionem cadant, & Satanam adorent, prætextu videlicet gloriæ regnorum mundi, quæ Satanas ipſe in alto elevatis principibus, ſacerdotibus, epiſcopis, & prælatis, & callidiſſime mathematice oſtendit, & ut mendaciſſimus eſt, mendaciſſime promittit, ut ſaltem per mendacia & mathematicas promiſſiones, per ſtultas & ſomniatas ambitiones columnas eccleſiæ in multorum perniciem cadere faciat (quæ eſt ipſis gloria.) Nam *qui volunt divites fieri* (inquit apoſtolus Paulus) *incidunt in tentationem & laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum eſt cupiditas, quam quidam appetentes, erraverunt a fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis.* Nihil, amiſſa fide ſibi retinentes, quod præterea poſſint amittere. Denique *ſpecioſus forma præ filiis hominum, in cujus labiis, præ conſortibus ſuis, diffuſa eſt gratia.* Hodie primo *accingit gladium ſuum ſuper femur ſuum potentiſſime.* Et in ore gladii omnes inimici laqueos & tentationes præſcindens, præſcindendoſque docens, in *gladio ſpiritus quod eſt verbum Dei*, & ſpiritu oris ſui, vicit principem hujus mundi, poſt pauca foras ejiciendum. Ut merito de judicio arguendus ſit, omnis qui poſthac principi tenebrarum ceſſerit illique ſervierit, qui jam judicatus victus, & ſuperatus, foras ejectus eſt.

Hierem. 8. Iſaj. 3. Auguſt. in regula. 1. Tim. 6. Pſalm. 44. Epbe. 6. Joan. 12. Joan. 16.

Supereſt ut obiter & in tranſcurſu graviora nocumenta referamus, quæ per ſuas tentationes populo Chriſtiano intulit draco hic flatu adurens. Et cum brevitate de eorum remediis agamus, quæ a dominationibus veſtris efflagitamus omnes. Si tamen (quod in principio non in medio facere debui) prius precatus fuero reverendiſſimas ac illuſtriſſimas dominationes veſtras, ut veſtro more, & pro veſtra in omnes ſolita humanitate, me quoque (licet indignum) benigne audientes, ea quæ dixi & dicturus ſum æqui bonique conſulatis.

ANNO CHRISTI 1547.

SECUNDA PARS.

EXPLORATA res eſt, authenticis hiſtoriis ac rerum monumentis facta conſpicua, & nobis tam comperta utinam non fuiſſet, populum Chriſtianum, qui (juxta Iſajæ vaticinium) olim ſedebat in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, in requie opulenta, probans *quæ eſt voluntas Dei bona, beneplacens & perfecta*, jam ab annis multis ob draconis tentationes cœpiſſe deſcendere a Hieruſalem in Jericho, cœpiſſe declinare ab ea in qua erat, pacis viſione, ut appropinquaret Jericho, quæ Luna interpretatur, ut ſcilicet Lunæ appropinquans, ut Luna decreſcere poſſet, minui, & obſcurari. Et quod magis in admirationem adducit, eo amplius (ut Luna) decreſcit & obſcuratur populus Chriſtianus, quo magis accedit & appropinquat Soli juſtitiæ ad judicium venturo: quæ res ſi admodum (ut incepit) procedat, ipſius Solis juſtitiæ eclipſim propediem nobis futuram, merito formidare debemus, & in foribus eſſe eam quam Paulus ſcripſit futuram generalem diſceſſionem, ut revelatur *homo ille peccati filius perditionis, qui adverſatur, & extollitur ſupra omne, quod dicitur Deus*, maxime quia jam ſeneſcente ac delirante mundo, nimium adveſperaſcit, nimium inclinata eſt dies, longæque umbræ. Et quaſi non maximum malum fuiſſet, a patribus ſuis degeneraſſe populum Chriſtianum, & non eſſet durum & amarum valde vel parum receſſiſſe eum a Deo ſuo, aſtutia & tentationibus draconis præterea factum eſt, ut etiam inciderit in latrones, homines cupidos, crudeles, famelicos, inſatiabiles, imperſuaſibiles, inexorabiles, graves ſcilicet magiſtratus, impios principes, & infideles prælatos. Nec tamen de bonis loquor, cum graves, impios aut infideles nomino, ſed eos intelligo, qui non diſpenſatores, ut revera ſunt, domino ſuo ſtrictam reddituri rationem, ſed abſolutos dominos ſe eſſe falſo ſtatuentes, tanquam lupi famelici, & leones parati ad prædam, irruerunt in populum domini, in dominicas oves, qui ejus divitiis, obſequiis, lacte & lana non contenti, etiam deſpoliaverunt eum veſtibus ſuis pretioſis, illis prælatis, doctoribus, ſacerdotibus, & religioſis eum privando, quibus (ut veſtibus gloriæ ſuæ) olim protegebatur populus domini, effectus decorus, totuſque glorioſus. Quandoquidem hujus rei cauſa diligentiſſime curavit, ſicut & curat ſatanas, ut prælaturæ, dignitates, pinguia ſacerdotia, majora officia conferantur non dignis, non doctis, non probis, non denique expertis ſenibus ac zeloſis, ſed econtra indignis, indoctis, diſcolis, & etiam pueris, ut ob illorum quidem abſentiam, horum autem corruptos mores & inſolentiam facile poſſint abuſus introduci, & abuſibus magnis populus vulnerari.

Isaj. 32. Rom. 12. Luc. 10. 2. Tim. 2.

Magnis ergo abuſum plagis impoſitis, & ob amiſſas tot provincias, & tam debilitatam fidem ſemivivo relicto populo Chriſtiano, abierunt noſtri latrones utique cum latrone Juda, & cum

eis

ANNO CHRISTI 1547.

eis qui devorantes plebem Dei ut cibum panis, nolenteſque *intelligere ut bene agerent*, dixerunt Deo: *Recede a nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus*. *Pſal. 52. Job. 21.*

Cum autem ſic diſpoliatus, vulneratus, ſemimortuus, annis multis hactenus jacuiſſet populus domini, quo magis incantantis draconis apparerent dementationes, deſcendit ſacerdos, deſcendit Levita, illi videlicet, quorum ex tractatione compati & mederi, & (ne quam ob rei ignorantiam poſſent adferre excuſationem) viſo eo, viſo inquam vulnerato, viſo ſemimortuo, præterierunt, nullo adhibito remedio, nulla habita compaſſione. Præterierunt, inquam, & abierunt alius in villam ſuam, alius vero ad negotiationem ſuam, ut tandem pervenirent omnes in locum ſuum, ubi nunc judicium ſine miſericordia ſit illis, quia hic non fecerunt miſericordiam. *Matth. 22.* Populus autem vulneratus viſa illorum quidem tanta cupiditate, lævitia, & crudelitate, horum autem tam magna negligentia, duritia, & inhumanitate, quo ad magnam ſui partem, proh dolor! incidit in phreneſim ac furorem. Et phreneticorum ac furentium more, omnia fidei noſtræ Chriſtianæ ac religionis myſteria conculcare, blaſphemare, negare, denudare & prophanare cœperunt, diviniſſima Chriſti ſacramenta, apoſtolorum traditiones, ſanctas eccleſiæ cerimonias, ſacrorum conciliorum décreta, ſummorum pontificum & epiſcoporum auctoritatem, patrum præcepta, majorum admonitiones, opera pœnitentiæ, vitam regularem, merita denique omnia bona, præter unam neſcio quam temerariam, confictamque fiduciam, patribus quidem inviſam, ſomniatam autem ab uno miſero Martino Luthero, qui velut alter Hieroboam peccare fecit Iſrael Dei, & Germanicam ſtrenuamque decipit gentem, alioqui ad bonum valde propenſam, & Lutheri erroribus certe indigniſſimam. *Eccle. 4. 3. Reg. 14.*

Samaritanus vero cuſtos ſolus noſtros miſeratus errores, ſolus laborem & dolorem conſiderans, qui niſi cuſtodierit civitatem, fruſtra vigilant cuſtodes, qui non dormitat neque dormit, cuſtodiens Iſrael ſuum, noviſſime diebus iſtis videns vidit afflictionem populi ſui, & gemitum ejus audivit: vidit vulnera, vidit nuditatem, & videns, miſericordia motus eſt. Et mirificans miſericordias ſuas, appropians alligavit vulnera ejus, ſpem ſalutis conferendo, fundens oleum in vinum: ſic uſus miſericordia, quod juſtitiæ (ut vidimus) non fuit oblitus. Et propter ſemetipſum & propter merita paſſionis ſuæ (quod eſt imponere ſauciatum ſuper jumentum ſuum) duxit in ſtabulum ſeu diverſorium, præter hominum merita, ſpem, & opinionem duxit in concilium, quod diverſorium & infirmitorium eſt, ad quod ſolitus eſt dominus ducere populum ſuum, quoties ei compaſſus, vulnera ipſius ſanare voluit, curam illius agens. Quandoquidem per concilia tanquam per ultimam medicinam, & poſtremum remedium, maxima quæque vulnera populi Chriſtiani ſanata fuiſſe, & legimus, & audimus: curatas calamitates maximas, extincta ſumma incendia. Itaque ſpes ſalutis data eſt, populi Chriſtiani alligata ſunt vulnera non ſanata, ſanationis enim gloria vobis patres reſervata eſt: ad quam tam magnam, imo vero maximam gloriam, multi quidem ſunt vocati, ex multis autem vos pauci electi: gaudete & exultate, quia per vos paucos ſalus hæc tam magna, tam neceſſaria, tam deſidera- *Pſalm. 126. Luc. 10. Matth. 18.*

ta populo tam vulnerato, conferenda eſt. Nec enim differentia eſt in conſpectu Dei cœli liberare in multis & in paucis, quoniam non in multitudine exercitus victoria belli, ſed de cœlo fortitudo eſt. Ita non in multis medicis ſalus eſt populi ægroti, ſed *domini eſt ſalus, ut ſit ſuper populum ſuum benedictio ſua*. Ipſe enim eſt qui medetur, & per vos paucos manus ejus ſanabunt, dummodo Samaritani præcepta ſervare velitis & monita, pro ſalute populi expendendo duos hujus rei gratia ſuſceptos denarios, duplici (quam habetis,) diffiniendi dogmata, reformandique mores utentes poteſtate. Niſi forte Samaritani præceptis ſurdos vos exhibentes, & tanta corona vos judicantes indignos, rei (quæ omnino facienda eſt) gloriam, ad alios transferre negligendo curetis, quaſi pretioſos oblatos theſauros per ignaviam accipere recuſantes. *1. Mac. 3. Pſal. 3.*

Attamen, *hortamur vos*, inquit apoſtolus Paulus in epiſtola hodierna, *ne in vacuum gratiam Dei recipiatis, ait enim: Tempore accepto exaudivi te, & in die ſalutis adjuvi te. Ecce nunc tempus acceptabile*, patres, *ecce nunc dies ſalutis, nemini dantes ullam offenſionem* negligentiæ, ſocordiæ, aut timiditatis, ne dicam ſummæ potius crudelitatis. Ne vituperetur tam magnum miniſterium veſtrum, tam excellens, tam præclarum: ſi enim vos, qui populi Chriſtiani patres & conſolatores eſtis, ejus vicem non doletis, ipſius non miſeremini, quis alius vicem ipſius dolens, miſerebitur ejus? ſi modo & hic non, quando hic miſerendi gratia conveniſtis omnes, ubi & quando ergo? ſi quidem *nunc tempus eſt acceptabile, nunc dies eſt ſalutis*, hic & nunc locus & tempus eſt miſerendi ejus. *Tempus putationis advenit, vox turturis audita eſt in terra noſtra*. Gemebunda vox afflictæ eccleſiæ matris veſtræ, ad cœlum uſque perveniens, audiri debet in auribus veſtris, pervenire ad cor veſtrum potiſſimum nunc, quando ſpecies datur ſalutis, quando populi Chriſtiani alligata ſunt vulnera, quando principes noſtri inſperatas conſequuntur victorias, & in proximo eſt, ut ad gregem redeant hactenus deceptæ errantesque oves. Quando infidelium populorum & regum apud Indos novas ad fidem audimus converſiones. Quando denique omnia vobis arridere videntur: vos enim eſtis non ſolum *lux mundi* propter doctrinam & dogmata, ſed etiam *ſal terræ* propter reformandos hominum abuſus, tollendaſque morum corruptiones: *omnis* quippe *caro corrupit viam ſuam. Corruptæque ſunt cicatrices a facie inſipientiæ noſtræ*. *1. Cor. 6. Cant. 2. Matth. 5. Gen. 6. Pſal. 37. Gen. 6. Pſal. 37.*

Quod ſi ab ordine literæ ſumere argumentum licet, prius eſtis ſal terræ, quam ſitis lux mundi: ait enim, *vos eſtis ſal terræ*, deinde paucis interpoſitis, ſubjungit, *vos eſtis lux mundi*. Si ergo per fidei doctrinam vultis eſſe lux mundi, ſi ad juſtitiam plurimos erudire, *ſi tanquam ſtellæ lucere in perpetuas æternitates*, ne lapides clament: etiam *ſal terræ*, eſtote morum reformatores, & *ſic luceat lux veſtra coram hominibus*, ut audita doctrina, videntes opera & reformationem veſtram bonam, *glorificent patrem veſtrum qui in cœlis eſt*, memores quod accenſa lucerna non in abſcondito ponitur, nec ſub modio, ardenſque candela niſi inflammata luceat, fumans fœtet, atque vehementer moleſtat, & ſi ſal infatuatum fuerit, ſaliendique virtutem amiſerit, *ad nihilum valet ultra, niſi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus*: memores, quod ficui illi ſecus viam exiſtenti, quæ eſurienti domino folia *Dani. 12. Matth. 5. Ibidem. Ibidem.*

tantum

ANNO CHRISTI 1547.

tantum, non fructum protulit, dictum fuerit, *nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum*: quæ (ut Marcus refert) propterea arefacta est a radicibus: denique *qui in uno offenderit, factus erit omnium* (quanto magis duorum) *reus*: ubi ergo necessitas est salutis, tempus est acceptabile, misericors & miserator dominus exaudire & adjuvare pollicetur, nemo pusillo animo ductus, talentum sibi creditum in sudario reponat, aut in terra fodiens, ipsum abscondat, ne ex suo ipsius ore servus nequam infidelis a domino judicetur, nemo veritatem Dei in injustitia detineat, ne inexcusabilis sit, obscureturque insipiens cor ejus, atque tradatur in reprobum sensum. Nemo denique misericordiam Dei abscondat a concilio multo, ab ecclesia magna, ne abscondantur ab eo miserationes divinæ, circumdent eum mala, quorum non est numerus, comprehendatur ab iniquitatibus suis, & non possit ut videat, multiplicentur super capillos capitis ejus, & derelinquatur a corde suo. Siquidem omne generale concilium spectaculum factum est mundo, angelis, & hominibus. Positum est in signum cui contradicitur, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes, ut qui probati sunt, manifesti fiant, positum est in ruinam & in resurrectionem multorum in Israel Dei.

Matt. 25. Marc. 11. Jac. 2. *Luc. 19. & Matt. 25.* *Rom. 1.* *Ex ps. 39.* *1. Cor. 4. Luc. 2.*

Date operam patres, ut in resurrectionem non in ruinam positi sitis, non obdurantes corda vestra, sicut in exacerbatione secundum diem tentationis in deserto, ubi tentaverunt eum patres vestri, ut probarent & viderent opera & terribiles ejus punitiones, quibus idso juravit in ira non intraturos eos in requiem suam: ponentes interim in cordibus vestris de manu vestra requirendas esse omnes quæ posthac (ob remedii defectum) perierint animæ, dicente Ezechiele de manu speculatorum requirendos esse pereuntes: quid profuit malis agricolis debitos vineæ fructus non reddere in tempore ipso, atque ad habendum hæreditatem (quam propterea amiserunt) conjurasse in dominum vineæ, nisi ut ex sua ipsorum sententia male perderentur, & vinea aliis locaretur agricolis, qui redderent fructus temporibus suis.

Psal. 94. *Ezech. 33.* *Matt. 21.*

Parum profuit Jehu regi Israel ex mandato domini abstuliſſe cultum Baal, sacerdotesque ejus occidisse, atque delesse impiam domum infidelis Achab, qui venditus fuerat ut faceret malum, dimissis interim vitulis aureis, quos majores natu principes populi & ipse adorabant, & regi Joas ejus nepoti ac successori vehementer irascitur moriturus propheta domini, *currus Israel & auriga ejus*, eo quod jussus in verbo domini sagittis percutere terram, percusserit tantum ter, atque stetisset, quoniam si percussisset quinquies aut septies, devastasset Syriam. Ita nunc patres non admodum multum prodesset, quasi tantum ter sagittis vestris terram percutientes, damnasse cunctas hæreses, errores omnes, si tamen (quod absit, quod Deus omen avertat) remanere contingat abusus maximos, quos nemo non videt, qui sunt hujus temporis vituli aurei, quos viri ecclesiastici, majores populi, ne dicam ecclesiæ principes, adorant in malum suum & ecclesiæ scandalum, cum certissimum sit, hujus infelicis temporis errores propter abusus ortos fuisse, propter abusus sumpsisse incrementum, & propter abusus pene in tota ecclesia disseminatos esse. Et nisi abusus tollantur, vix cessabunt, quæ per vestram diffinitionem damnatæ sunt, & damnabuntur hæreses, imo ut vero simile est (dracone id efficiente) alii nascentur errores multo plures atque pejores.

4. Reg. 9. *4. Reg. 13.*

ANNO CHRISTI 1547.

Si ergo fidei Christianæ zelus vos comedit, si populi dispoliati, vulnerati, & semimortui vicem doletis, si ecclesiasticæ auctoritati maxime consultum esse vultis, & denique vestro officio non deesse, uni nunc reformationi vacate, uni reformationi incumbite, & saltem sero ægrotis medicinam parate: nam mala per longas convaluere moras: nunquid enim unam tantum benedictionem habetis, patres, ut de dogmatibus tam diligenter agentes, de moribus aut parum aut nihil agatis? non contentemini una benedictione, patres, non contentemini sola doctrina, non contentemini solis dogmatibus: nos enim non contentabimur, & ab hac lucta non cessabimus, & vos hinc non dimittemini, quousque per reformationem nobis benedicatis. Quid enim prodest homini (ait canon) recte docere, & suo errore non pollui, qui consensum præbet erranti? erranti quippe consentit, qui ad resecanda quæ corrigi debent, non occurrit. Nam error cui non resistitur, approbatur, & veritas quæ minime defensatur, opprimitur. Negligere quippe, cum possis perturbare perversos, nihil aliud est, quam fovere: nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare, & ut decretalis habet, licet Hely summus sacerdos in se bonus existeret, quia tamen filiorum excessus efficaciter non corripuit, & in se, & in ipsis animadversionis divinæ vindictam excepit, dum filiis in bello peremptis, ipse de sella corruens, fractis cervicibus expiravit.

Distin. 82. cap quid. c. errant. c. conscientiæ. *2. licet Heli de simo.*

Eja ergo agite nunc patres, & jam reformandis corruptis moribus accingimini, accingimini, inquam, & estote viri potentes, quoniam melius vobis esset mori in hoc sancto bello, quam vestra culpa videre tot mala gentis nostræ & sanctorum, sicut scitis voluntatem esse in cœlis, ita facite: incipientes videlicet a sanctuario Dei, a quo sicut olim vita & omnia bona, ita nunc mors & mala cuncta procedunt. Consecrate manus vestras Deo, percutite septies, ut devastetis excelsam inimicam Syriam, non timeatis, qui domini sunt, justi sunt vobis. Quod si timendum est, & propter infirmitatem carnis vestræ timere oportet, timete illum qui *terribilis est in consiliis super filios hominum*: illum timete, qui postquam occiderit, potestatem habet mittere in gehennam: timete dominum quia, *timor domini ipse est thesaurus ejus, est fons vivus & a peccato & a morte liberat*. Sed jam dicendi finem faciamus. Si tamen pro ratione temporis & loci, prius admonuero paucis dominationes vestras, ut meos observandissimos patres, reverendissimos dominos.

1. Macb. 3. *Exod. 9.* *Exod. 32. Psalm. 65. Luc. 12. Isa. 33. Prov. 14.*

O pastores dominici gregis, vineæ domini sabaoth cultores, populi Christiani patres & medici, belli domini duces ac bellatores, grande opus incepistis, quod perficientes, grandem accepturi estis coronam. Non relinquatis hostes a tergo, non relinquatis incurata vulnera, non relinquatis imperfectum opus, sic pugnate cum antiquo serpente, ut eo prostrato, & ipsius destructis munitionibus, accipiatis regnum æternum, sic nobis ægrotantibus, gementibus, & auxilium vestrum implorantibus medelam adhibete, ut vulnera nostra curentur, *sic* denique *currite, ut comprehendatis*: currite inquam, non quasi in incertum pugnate, non quasi aerem verberantes. Vulnera sanate, non quasi super sanantes,

1. Cor. 9.

ANNO CHRISTI 1547.

tes, sæviente nunc plaga, murum vos opponite pro domo Israel, atque tanquam naturales legitimique patres vicem dolete pereuntium filiorum. Vineam domini Sabaoth vobis creditam, dissipatam, exterminatam, sanctissimis legibus sepite, vallate, murate: errantes reducite oves, non derelinquentes gregem, ut pastores idolum, nolite tot ac tantorum laborum amittere præmium, nolite ponere maculam in gloria vestra, nolite cum Juda abire retrorsum, tam magnam gloriæ amittentes coronam. Seminate, dum tempus habetis, suo enim tempore metetis non deficientes: labor enim vester non erit inanis, eritque merces operi vestro, quoniam Samaritanus (qui vobis curandum populum credidit) redierit, quando *mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & superefluentem dabunt in sinum vestrum*, quando vobis pastoribus, vobis inquam pastoribus dicturus est ipse princeps pastorum: *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis, & ego dispositum habeo vobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo*. Tunc, quando dixerit spiritus, ut requiescatis a laboribus vestris, quando absterget Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum, ut non sit amplius nec labor, nec luctus, nec timor, sed nec ullus dolor. Tunc consummata omni tentatione non dico: accedent angeli ad ministrandum vobis: quinimo accedet ipse dominus angelorum & transiens ministrabit vobis regnum. Quod nobis ministrare dignetur ipse, cui hodie angeli ministrant, qui hodie de hoste triumphat, & de eo triumphare nos docet, qui militiæ nostræ, laborumque nostrorum fidelis est Deus retributor benedictus, & laudabilis, & gloriosus in sæcula. Amen.

Exech 13. Zach. 11.
Luc. 6.
Luc. 22.
Apoc. 14.
Apoc. 21.
Luc. 4.
Luc. 12.

DIXI.

XII.

ORATIO AD PATRES in Tridentino concilio habita a fratre Antonio Marinario Carmelita, dominica quarta in quadragesima anno 1547.

IN universis Christianæ vitæ actionibus P. A. evangelica fides, quæ summa est sinceræ pietatis; & absolutæ obedientiæ fundamentum, cumprimis exercenda est, ac solide possidenda, nimirum ut homo ab inani propriæ dignitatis confidentia abhorrens, omnino a Dei misericordia pendeat, statuatque Deum ut clementissimum patrem sibi adesse, a quo læta semper expectet & felicissima, nec unquam patiatur ex ejus animo persuasionem illam excuti, etsi duris ac infinitis vexetur difficultatibus, quas mundus, quas caro, quas satan, ut sunt in nostri perniciem conjurati duces, hinc atque illinc procurrant, ut nos a Dei fiducia, ejusdemque obsequio abducant religiosissimo. Etenim nisi ad Deum refugimus, nisi in eum gloriam, fiduciam, sollicitudinemque nostram transferimus, a quo uno bonorum omnium summam præstolemur, ejus iram provocamus: perinde ac si deos nobis alienos erigeremus. Huc igitur convenit omne mentis ac fidei nostræ studium intendere, ut per bona opera Deo patri placeamus indulgentissimo, ceterum ab operum nostrorum gloria aversi, in illius patris clementia, & voluntate secure & in perpetuum conquiescamus. Quæ omnia ex sublimi Joannis & Pauli doctrina, mox coram recitata, explicaturus ego. Jesum servatorem unicum, ad quem spectat, hominum cordibus fidem imprimere, cui nihil gratius, quam ejus opem implorare, per quem nobis datum est Deum compellare patrem, quippe semper ei dexter assidet noster advocatus, vehementer precor, ut mihi dicenti feliciter adsit.

ANNO CHRISTI 1547.

Veteris naturæ nostræ imaginem Nicodemo Christus appositissime depinxit dicens. *Quod natum est ex carne, caro est*, atqui hic graviter errant qui in carnis appellatione nil intimius considerant, quam eam hominis partem, quæ sensibus ornata, nobis cum brutis communis est, quasi spiritalis nostra regeneratio ad inferiorem, & non ad superiorem potius partem pertineret. Altius itaque carnis ingenium concipiendum est, ut spectans ad mentem, rationem, voluntatem, totum denique hominem, quem carnis concupiscentia & originis peccato maculatum esse scimus. Quamobrem Paulus, eum, carnem esse statuit, dum illum vocat animalem, qui non recipit, ac etiam pro derisu & summa ducit stultitia ea quæ sunt sapientiæ Dei, in qua re præsertim sita est sapientia carnis. Hunc igitur si quis potest, eliciet ex hoc homine bonum, unde illi apud Deum reliquus sit gloriandi locus, quando hujus arboris fructus sunt immunditiæ, fornicatio, impudicitia, veneficia, iræ, rixæ, dissensiones, mala demum omnia: hinc illa fulmina, quibus Paulus ex psalmorum doctrina in omnes Adæ filios invehitur. Non est justus quisquam, non est qui intelligat, aut exquirat Deum, defecerunt omnes, ut nec vel unus probitatem exerceat, *sepulcrum patens est guttur eorum, linguis suis ad dolum usi sunt, venenum aspidum sub labiis eorum. Quorum os maledictione & amaritudine plenum est, & pedes veloces sunt ad effundendum sanguinem.*

Joan. 3.
Psal. 13.

Quæ mala omnia etsi ex singulis hominibus non emergunt, intus tamen latet horum omnium vitium Lerna. Si enim spectes præclara illa facinora per quæ summi heroes ad honestam vitæ rationem contendebant, laudabilia quidem erant coram hominibus, nec Deo ingrata, veluti quibus publica orbis politia cohonestabatur: ceterum carnis opera non immerito appellabuntur: quando nunquam illis qui ea egerunt, in mentem venit, ut dicerent: Domini voluntas fiat, omnia ex ipso, per ipsum, in ipso: ipsi gloria semper, unde in eis jam caro suam patefacit insaniam, dum alius mortem sibi consci, alius exilium effœminate deplorat, alius longe majorem se judicat, quam ut suis ossibus digna sit alta Roma. Nihil itaque reliquum est homini suapte natura, ante oculos Dei: quo gloriari possit se illum officio præveniisse, ut aliquid sibi retribuatur. Idcirco deploranda erat infelicissimæ hujus nostræ naturæ conditio, nisi Deus illa immensa bonitate sua, ut nos hac exueret calamitate, unigenitum nobis donasset, per quem omnibus ex corde resipiscentibus, vivaque fide in eum tendentibus peccata gratis condonat, eosdemque in vicem & jus filiorum cooptat. Quamobrem si talem te coram Deo exhibere potes, qui tuis meritis dignus fueris, ut tibi unigenitum ille donaverit, gloriari utique poteris te tuo Marte adeptum esse quæcumque cum filio & per filium hominibus exhibuit, peccatorum nempe remissionem, justitiam, sanctitatem, libertatem, ado-

ANNO CHRISTI 1547.

adoptionem filiorum, cœlestis denique regni hæreditatem, quo quid esset impudentius? Quamquam autem a nobis ut ab ingenuis filiis obedientiam Deus exquirit, quam summis etiam compensat præmiis, quemadmodum & pœnis horribilibus punit contumacias, nos tamen, quod ad nostram spectat humilitatem, operum vestrorum nostræque dignitatis gloriam, a cordibus nostris abdicare debemus, nihil in nobis propria virtute esse existimantes quo ad misericordiam Deus commoveatur, nisi nostram inenarrabilem miseriam, tum enim clementiæ divinæ pectus nostrum patet, cum respirascentes omni prorsus propriæ dignitatis opinione vacui sumus: nam & in ipsis renatis peccati incendium longe majus est, quam ut cogitatione comprehendi possit, hoc unum maxime est animadvertendum. Si temetipsum erigis, o homo, Deus ipse statim te dejicit. Si te dejicis, ipse erigit. Si te ante oculos ejus defendis, ipse accusat: si te accusas, ipse defendit: si te coram absolvis, ipse condemnat: si te condemnas, ipse absolvit. Quid enim Christianæ humilitati magis convenit, quam agnoscere nos propria natura esse omnibus bonis destitutos, omnibus meritis vacuos, omnibus virtutibus nudos, ut a Deo sua bonitate, cœlestibus donis vestiti, repleti, ac coronati simus, confiteri nos esse cœcos, servos, injustos, ut a Deo illustremur, & libertate atque justitia donati simus: denique omnem gloriandi ansam nobis adimere, ut ipse cœlestis pater super omnia solus emineat gloriosus, & nos in eo gloriemur in sempiternum. Dei itaque præcepta dum servamus, illi tanquam ingenui filii obsequimur, & obedientes, per ea ad cœlestis vitæ felicitatem contendimus: atque hæc est singularis sapientia, si in illis servandis indefessi perduramus, victoriam consequimur insignem.

At alienos esse ab operum gloria, & in Deo unice conquiescere, hoc, hoc inquam pietatem redolet vere Christianam, hinc exorietur illa sanctorum omnium humilitas, cum supremo judici eos ad cœleste regnum vocanti ante sæcula illis a cœlesti patre præparatum, tanquam copiosam pietatis eorum mercedem, respondebunt se nescire quæ egerunt pietatis opera. At vero, ne decipiamur, deprimenda est ficta illa carnis submissio, aut potius male dissimulata superbia, quæ ne omnino nos a Deo subducere videatur, operum gloriam in nobis ita procurat, ut interim Dei gloriam non rejiciat, quin etiam eam ut sociam asciscat: nam quid hoc aliud est tandem, quam velle cum Deo salutis nostræ gloriam partiri? O perversum carnis ingenium, hoccine est religionis genus, Dei honorem dissecare, & illius gloriam in partes dividere? hoccine est evangelicæ pietatis exemplum, quæ Dei solius sunt & conditoris omnium, in hos homunculos transferre? Nonne ad alienos quosdam ac minores Deos vocas, cum nos jubes in operibus gloriari, quasi non tota apud Deum gloria debeat residere: sciunt, sciunt pii omnes hæc tua consilia, occultas esse satanæ insidias, quibus in apertam impietatem nos conjicere studet. An non Pharisæus ille, P. A. in templo orans, & opera sua glorioste arroganterque commemorans a Dei facie vanus discessit, etsi omnino gloriam Dei, cui gratias agebat, non rejecerit? Hic ipse satan eo cœcitatis devenit, ut sedem quam ambiebat, omni prorsus Dei favore rejecto, procurasset, sed quia nonnihil suæ dignitati tribuit, pulsus est e cœlo. Illud igitur verum sit, & ab omnibus firmissime sustineatur, nihil boni in nobis esse, quod a Deo non acceperimus: quod si accepimus, cur de nobis gloriamur? nam sic gloriari perinde est atque acceptum negare.

Luc. 18.

ANNO CHRIST. 1547.

Neque propterea hoc dicimus, patres, ut meriti nomen tot sæculis ab ecclesia receptum, a tot patribus modeste prædicatum delendum esse feramus: nam hoc moliuntur hostes nostri, nimirum ut sub meritorum titulo, Pelagianæ nos insimulent factionis, ne ipsi deprehendantur, qui vere sunt Manichæi, utrique enim extremas hujus disputationis partes amplectebantur. Nos merita habere studemus, eaque ut nobis a divina bonitate donata absque nostræ gloriæ aucupatione prædicamus, & cum Paulo clamamus: *Soli Deo honor & gloria*. Mens enim Christiana ad Dei misericordiam & bonorum omnium principium conversa, bona quidem quæ facit opera, respicit tanquam divinæ benignitatis radios, testimonia & fructus, in quibus sese consolatur ac confirmat, verum in eis non recumbit omnino, sed in eamdem Dei misericordiam se reflectit, atque in ea ut salutis nostræ prora, ut ajunt, & puppi conquiescit, & hic est Christianæ humilitatis circulus a gloria in gloriam Dei feliciter absolutus. *1. Tim. 1.*

Facessat igitur a nobis omnis tum stulta securitas, qua sine obedientiæ operibus Deo placere posse putemus: vana arrogantia, qua propriæ dignitatis virtute cœlestia bona nobis communicari existimemus. Quantum de nobis gloriamur, tantumdem ex divinæ clementiæ gloria decerpimus: quantum nostræ propriæ virtuti vendicamus, & arrogamus, tantumdem impedimenti beneficentiæ divinæ laudandæ objicimur. Id quod singulari figura apostolo eam nobis hodie explicante, in duobus Abrahæ filiis est præmonstratum: quorum alter, hoc est Ismael ex Agar ancilla juxta carnem natus, legis filios spiritu servitutis actos propria respectantes opera, & in illis gloriantes, adumbrabat. Alter nimirum Isaac juxta Dei promissum ex Sara libera ortus, filios evangelii toto pectore in Dei misericordiam se componentes, omnemque operum gloriam rejicientes præfigurabat. Sed cum Ismael luderet cum Isaac, quasi cum quo hæreditatis honorem esset consecuturus, ejectus est a Deo, ne esset hæres, nimirum quia omnes, qui proprio ingenio, propriisque viribus, salutis gloriam arrogant, quasi ludentes cum beneficentia Dei, cum qua eam gloriam partiri volunt, a Dei conspectu ejiciuntur. Nos itaque evangelica fide freti, promissionisque gratia orti, tanquam ingenui filii cœlesti patri Deo placere & obsequi studeamus, ei bona omnia quæ in nobis sunt, accepta feramus, in ipsoque gloriemur, cui nostram consecravimus voluntatem. *Gal. 4.*

Proinde qui suis operibus fidunt, de divina erga se benignitate dubitare solent, & per intervalla & vices, huc atque illuc alternando fluctuare, ut nusquam eis portus, nusquam fidæ stationis spes appareat, facileque ad desperationem in gravibus periculis infelicissima ratione tendunt: qui autem suis diffisi viribus, suorumque operum rejecta fiducia in Dei benignitate & clementia conquiescunt, nec cogitare unquam possunt sese a Deo esse rejectos, illumque præstaturum non esse, quod eis pro sua misericordia promisit. Hæc est quod illos propriæ indignitatis ratio ad dubitandum provocet. Legis est hæc doctrina: Deus benedictionem dignis, hoc est justis, maledictionem indignis, id est injustis, confert: unde nec aliquem

ANNO CHRISTI 1547.

aliquem potuit lex Dei benedictione donare, quod neminem reperit justum & dignum. Quid nobis cum legis maledictione, & ira, qui per Christum redempti sumus? Adversus itaque legis furorem sublevemur, & consolemur nosipsos læta evangelii promissione, nempe quod indignissimis benedictionem & gratiam Deus effundit, si resipiscant, & viva fide se ei committant. Est certe hoc vivæ fidei ingenium, nos in Deum ut filios in patrem erigere, Christum nostrum, nosque vicissim Christi facere, ut cum eo unum corpus simus, eodemque vivamus, regamur, lætemur, & gloriemur spiritu. Quamobrem in dubitationis labyrintho non errant, qui per Christum adepti sunt justitiam. Sed in securitate mentis, in pace conscientiæ, in lætitia cordis, edocti spiritu illo, qui illis testimonium reddit: *Rom. 8. Galat. 4.* *quod sint filii Dei*, audent dicere: *Abba pater*: quamquam interim inest illis sanctus ille timor, ne cadant ab eo ad quem Dei benignitate evecti sunt, filiorum honore: quamobrem exultant, quod Christum tenent, tremunt ne illum amittant, quemadmodum propheta monuit. *Psal. 2.* *Exultate ei cum tremore.*

At vero caro & satan nunquam non sollicitant ad diffidentiam pectora justorum, quibuscum perpetuum est certamen. Nunc eos temeritatis accusant, quod se divini consilii conscios & participes faciunt, dicentes: scimus quod nos diligit Deus: sed illi se purgant, nempe quod temerarii essent, si divinæ erga se caritatis tot argumentis declaratæ, præsertim filio ad crucem demisso ancipites essent. Nunc gravia superioris vitæ commissa memorant, quorum non potuerunt condignam exhibuisse satisfactionem: sed illi respondeat, gratis per Christum nobis, quia satisfacere non poteramus, remissa sunt peccata, non est quod cogitemus, quia solvendo non sumus, ne dignitati mortis Christi detrahamus. Nunc quotidianos vitæ errores, quibus nemo non subjicitur, ante illorum oculos sistunt, ut vel sic dubitent de benignitate Dei. Sed illi exclamant, clementissimus ille pater, ad hos infirmæ naturæ lapsus connivere solet, cujus clementiæ non convenit illos ad vindictam imputare. Nunc ex occultis majoribus delictis, quæ homo (cujus est cor ut pravum, ita retrusum) non intelligit, argumenta sumunt, quibus divino favore illos destitutos esse convincant, sed illi excipiunt: Integra est peccatorum remissio, & condonat Deus manifesta quæ novimus, donat item occulta quæ ignoramus, delicta. Nunc prospera commemorat, velut quibus in hoc seculo eos remuneret Deus, ne in alio expectent felicitatis gloriam. Sed illi fatentur Deum sæpe præsentibus bonis ornare justos, ut proximorum necessitatibus consulentes, ad vitam futuram aptiores fiant. Nunc calamitates quibus plerumque justi affliguntur, ut aperta irati Dei signa, commemorant.

Sed illi asseverant, eas esse manifesta paternæ dilectionis argumenta, ut sub disciplina crucis eruditi, filii Dei reddantur, & vexatum pectus pium, supra omnes tandem difficultates emergit, in corde suo sic loquens: Quid est quod de diffidentia mihi loquatur aliquis? Quis me separabit a caritate & fiducia Dei mei? qui sua potentia omnia continet, suo imperio omnia regit, sua sapientia omnia moderatur, sua mente omnia complectitur, suo arbitrio omnia flectit quo libet, & quo libet constringit, cujus tanta fuit erga me caritas, ut unicum quem unice diligebat filium, ad horribilem tradiderit crucem, quo essem illius sanguine aspersus atque redemptus, & illum honoris gradum assequerer, nempe ut ipse sit mihi pater, & Christus frater. Quæ autem major aut dilectio aut sollicitudo, quam patris erga filium, præsertim ejus patris, qui tanto est aliis clementior, quanto sublimior: quamobrem neque hujus sæculi blanditiæ, neque hujus carnis illecebræ, neque illa satanæ fulmina, neque hæreticorum fraudes, neque amicorum delitiæ, neque necessariorum preces, neque parentum pietas, neque populorum furor, neque tyrannorum crudelitas, seu minis perterrere, seu in carcerem detrudere, seu fortunis privare, seu in exilium ablegare, seu quolibet mortis genere perdere voluerint, a Deo optimo maximo, a domino omnipotente, a patre indulgentissimo, ullo unquam tempore me divellent: si cœlum ruat, si terra evanescat, si orbis illabatur præceps, ego in eum erectus ero: si angelus de cœlo aliud mihi persuadere contendat, dicam ei anathema: o fœlicem Christiani pectoris fiduciam, o beatam evangelici cordis pietatem, o securam Christianæ mentis fiduciam, quæ vota, quæ consilia, quæ studia, conatus, officia, diligentiam, industriam, fortunas, omni loco, omni tempore, omnibus in rebus uni Deo committit, qui neminem in se confidentem vanum fecit. Nos impios, in quam demersi sumus ingratitudinem! Nos ingratos, in quam prolapsi sumus impietatem, qui rejecta Dei fiducia terrena hæc præsidia, quo jure, qua injuria, hinc atque illinc manibus pedibus procuramus & accersimus! si evangelica fides nostræ vitæ regula esset, re ipsa (qui nunc titulo ac cæremoniis vocamur) Christiani essemus, quamobrem in Deo, ut filii in patre clementissimo, gloriaremur & conquiescerem us, qui nunc ut servi rebelles ejus tanquam iratissimi principis furorem deprecamur, & in nostræ, omnium matris ecclesiæ sinum, amplexus, & oscula læti exciperemur, qui nunc eam deformatam, languentem, ac prope intermorituram, ploramus. Nihil est enim, P.A. quod non lætum, non felicissimum contingat confidentibus in Deum, qui nulli opitulatur libentius, quam quem humana destituere præsidia: quod nobis ante oculos evangelica historia exponit.

Cum enim servator noster Pharisæorum cedens furori, se cum discipulis in alteram Galilæam, quæ est ultra lacum Tiberiadem recepisset, ac superato montis vertice incomposítam promiscuam turbam, nec itineris difficultate, nec loci solitudine, nec inediæ periculo deterritam, quo minus eum sequeretur, conspexisset, discipulis de emendis panibus, ut famescenti turbæ consulerent, verba fecit, subindicans, esse nonnunquam apostolici muneris, gregis necessitati, bonis ecclesiæ succurrere, cumque de Philiphi & Andreæ fide periculum feciſſet: nam alter dixerat, nec ducentorum denariorum panes satis esse: alter de quinque panibus ordeaceis & duobus piscibus, quos puer quidam illic habebat, sed ut frustra inter tam multos dispensandis, meminit. Jussit ut disponerentur quotquot aderant, discumbentes super terram, quæ graminis copia plurimum virebat. Jussis paruere omnes, non hæsitantes, non dubii, non disquirentes, unde illis in deserto panes adveherentur, se totos commiserunt Christo, nec sunt a sua fiducia destituti: nam Jesus ubi quinque panes, & duos piscículos *Joan. 12.* * Tiberiadis seu Tiberiadicum.

ANNO CHRISTI 1547.

accepit, & de more gratias egit patri, tradidit illos discipulis, ut apponerent discumbentibus, nimirum ut discant evangelicum panem distribuentes, illum non tanquam suum, sed a Christo acceptum populo apponere, hoc est, ut sacras literas non detorqueant ad suas cupiditates, neque obscurent mandata & gloriam Christi, ut suo ventri, suæque inserviant ambitioni. Multiplicari subinde panis ac piscis in omnium manibus videbatur, quo vel plus assumerentur, eo majora fieri incrementa. Exaturati sunt itaque omnes: erant autem præter parvulos ac mulieres, quinque millia. Et quo clarius esset miraculum, collecti sunt ab apostolis, jussu Christi, fragmentorum cophini duodecim, atque ita populus fame laborans, cibos habuit, quos etiam secum deferret domum, ut discamus Deum oppotune nobis consulere, ac desperatis etiam in rebus feliciter adesse iis, qui in ejus misericordia fiduut.

Sed jam tempus est, patres amplissimi, ut Christum cujus vices geritis in terris, officio referatis, & apertis providentiæ oculis, in ecclesiam turbatam, periclitantem, afflictam, totque calamitatibus expositam, ex hoc concilio, velut ex alto monte, ubi suo spiritu Christus adest, tantis ejus malis jam tandem consulatis & medeamini. Vos enim, vos inquam, o pastores, o patres, o duces, compello, quid est in sancta Dei ecclesia, quod vestro consilio, vestra ope, vestra auctoritate, vestra non egeat instauratione? Quæ ad religionis dogmata spectant, periculosis contentionibus sine fine, sursum deorsum feruntur: tot sunt sectarum genera, quarum quælibet proprio furore in angulo Christum ostendit, & recens prædicat evangelium, hoc est errores, figmenta, & somnia proprii cerebri, vitiorum licentiam, seditionum opportunitatem, pietatis contemptum, & animorum perditionem. Adversus ecclesiasticos ordines rabie quadam exardescunt, illos diris execrationibus devoventes, maledictisque lacerantes, & ut sunt in Petri cathedram conjuratissimi hostes, Romanam ecclesiam, sedemque illam apostolicam, indignissimis modis conculcare tentant, nam velut errorum sibi male conscii, judicium, & ut pertinaces, correctionem fugientes, in ejus sedis (cujus est, ipsos, ac sui similes judicare & corrigere) arietant potestatem. Et audent perdita qua solent impudentia, evangelii prætextu, quæ evangelio prorsus repugnant, prædicare, sibique spiritum Christi & scripturarum sensum arrogantes, patrum sententias ut impia mendacia rejiciunt. Scilicet eorum consilio novam celebrabimus pentecosten, novos recipiemus apostolos, recens amplectemur evangelium, ecclesia Christi per eos debet innovari: tot patres sanctitate clarissimi, tot litterarum principes delirarunt, o majores, o patres, quam indigne studia vestra contemnunt perditi hi discipuli, quam impudenter in vos conspirant degeneres hi filii, quam irreligiose sanctum nomen vestrum lacerant apostatæ isti inferorum furiis agitati. Et adhuc Christus, pro cujus gloria laborastis, tot furores in suam ecclesiam directos sustinet? Ita forte nunc est horribilis Dei vindicta super terram, quam hominum impietas meretur, quæ illius bonitati obsistere nititur.

Vos autem P. A. omni (quod ajunt) pede in hoc state, verum defenditis evangelium, quod invictum manet, quamvis in eum magnos impetus faciat mundus, etsi sæviat & insaniat satan, hæreticorum furores ut semper sustinuit & excepit, ita devicit ecclesia, adeo ut ne fragmenta extent librorum, quos illi summo ingenio, mirabili eruditione, exquisitaque facundia conscripserunt: patrum vero ac majorum nostrorum nec sanctum nomen, nec libri deleri potuerunt. Omnia stant a vobis, probatæ consuetudines, populorum consensus, patrum sententiæ, academiarum disputationes, conciliorum definitiones, novi & veteris testamenti scripturæ.

ANNO CHRISTI 1547.

Et causæ vestræ aut potius ecclesiæ favet Carolus cum Ferdinando fratre. Est fratrum par felicissimum, sunt duo nomina populis omnibus gratiosissima, duo orbis lumina, duo reipublicæ Christianæ propugnacula, quos nescias an armis, & bellica virtute, an fide & religione, pro Christi ecclesia magis pugnaverint. Nam quid egerint adversus Turcas nostro hoc sæculo, magis quam unquam alias, & viribus potentes, & Christiani nominis odio sævientes, notius est, quam ut prædicari debeat, at invictum fidei & religionis eorum robur (Deo immortali gratiæ) quis digne poterit oratione consequi, quando evangelii corruptores, nec libris violenta quadam facundia scriptis, nec tot publicis privatisque sermonibus, nec denique augendæ ditionis eorum prætextu, quæ res ad flectendos principum animos est vehementissima, illos in medio ipsorum versantes ab ecclesiæ Romanæ obedientia semovere potuerunt.

Neque abest ab officio suo Galliarum ille princeps peculiari & avito Christianissimi regis titulo, jure insignitus, qui utraque manu, & toto verius pectore, ecclesiæ se exhibuit, & exhibet propugnatorem, & patronum, idem vobis de ceteris catholicis principibus atque magistratibus persuasum esse velim. Porro illud vobis magnopere procurandum est, ut de hostium manibus, vel sub quo illa venena populis propinant auferatis. Id autem est morum corruptela, sacrorumque omnium abusus, totius hujus incendii ligna & ignis: hinc enim tem supra modum illis exaggerantibus, ortum est in popalo Christiano odium plusquam Vatinianum adversus ecclesiasticos ordines, quorum dignitati & honori passim detrahitur.

Dictu mirum, quam acerbo & pleno ore in sacerdotum mores, omnes invehuntur, dissimulatis interim multorum, qui maxime pii sunt, virtutibus, rejectisque a tergo horrendis vitiis, quibus eorum vita undique scatet, cum ipsi sint in sua classe pejores: ita in omnibus ordinibus, sive spectes ecclesiasticos proceres, sive principes prophanos, sive promiscuum populum, sive eos qui sanctioris vitæ titulo, perfectionem profitentur evangelicam, languet, & afflicta, ac pene deploranda jacet ecclesia. Res hæc verior est, quam ut negari possit: gravior, quam ut debeat ferri: & pernicioſior, quam ut differri expediat.

Ad te itaque, clementissime pater, supplices ac demissi vota nostra, precesque nostras referimus, ut his tantis malis, quibus affecti atque afflicti sumus, tua consulas benignitate: neque enim peccatorum nostrorum moles nos deterret, quo minus a te opem petamus, sed potius consolatur ac erigit immensæ tuæ caritatis consideratio. Dilexisti nos olim, & in tuam suscepisti custodiam, cum inimici essemus tui, teque nec exquirebamus, nec cognoscebamus, & nunc auget fiduciam nostram paterni nominis suavitas, quæ vincit in cordibus nostris omnem orandi

difficul-

ANNO CHRISTI 1547.

difficultatem. Abdicandi certe essemus qui degeneravimus, si tibi vulgari more inesset patris affectus, & quomodo esses longe omnium clementissimus pater, si (quod omnium commune est) obsequentes tantum recipieres filios: Quod si hæc satis non sunt, clamamus: *Respice in faciem Christi tui*. Ille apud te constitutus est advocatus noster: quod si nullus est nobis coram tua majestate propter delicta nostra clementiæ locus, repelle, qui tibi dexter assidet, advocatum nostrum, & a rogando desistemus. Ille noster est cum quo sumus, te auctore, in unum corpus, eumdemque spiritum cooptati. Si tuus est, quomodo illum ejicies? si noster est, quomodo illum nobis subtrahes? itaque neque illum sine nobis retinere, nec nos sine illo rejicere debes. Pater suavissime, qui potes quicquid vis, quoniam quicquid vis justum est, velis quod petimus, & simul erit justum atque sanctum: verte mala omnia nostra in gloriam clementiæ tuæ, inque ecclesiæ salutem: fac ut hæreses vertantur in evangelii claritatem, ut morum omnium corruptelam, sequatur omnium virtutum pulcherrimus ordo: quamobrem ecclesia tua tuique filii sanguine redempta, quæ nunc arctata est dilatetur: quæ vacillat, constabiliatur: quæ obscura est, splendeat: quæ arida est, omnibus sanctis operibus floreat.

Psalm. 83.

Vos autem, patres amplissimi, date operam ut Christiano populo distribuatur evangelicus panis, evangelio orta est & aucta ecclesia, evangelio restituenda est & amplianda: sint manus vestræ hujus panis ministræ, hoc est, præstate evangelium comite sancta vita, nam si episcopi recte docent, evangelium quidem in ore habent: at cum vitæ integritate pollent, illud in manibus tenent: decreta, definitiones, constitutiones, canones, censuræ, consilia, prophetiæ, lex, evangelium, frigida sunt, mortua sunt, in contemptum abeunt in ore ejus qui ea sanctis moribus non refert, tantum abest ut in observationem ducantur a populis, id quod hac nostra ætate plusquam volumus experimur. Non enim linguæ in primis est hæc cœlestis doctrina, sed vitæ: vita sancta vere vita est, quæ dicentis doctrinam vivam reddit, & efficacem, ut audientium animos possideat, & in eorum affectus stimulos injiciat, & flammas amoris Dei: sic respublica Christiana, cujus omnis spes in vobis, ut in sacra ancora, sita est, sentiet sibi salutarem Tridentini concilii auctoritatem, in restituta religione, in reformatis moribus, denique in confirmata principum concordia, quorum omnia consilia, studia, conatus, magno quodam silentio pendent, velut in manibus vestris, divino consilio posita, si rem, ea qua decet pietate pertractabitis, silentium hoc verteretur in effusa publicæ pacis gaudia, & inenarrabile orbis commodum: sin secus, proferet atrociora quam fuerint unquam bella, in maximam Christianæ reipublicæ perniciem. Omnes autem Christiani de vobis optime sperant. faxit Christus, qui sequentem se turbam vanam non fecit, ut illi non sint hac sua spe, suaque expectatione defraudati. Dixi.

ANNO CHRISTI 1547.

SECUNDA PARS
COLLECTIONIS LOVANIENSIS.
ORATIONES ET CONCIONES
HABITÆ IN CONCILIO TRIDENTINO
SUB JULIO III. PONTIFICE MAXIMO.

VITA EJUSDEM,
EX APPENDICE AD PLATINAM
DE VITIS PONTIFICUM.

JULIUS III. patria Aretinus, Joannes Maria de Monte ante pontificatum appellatus, mortuo Paulo tertio, post diuturnam patrum in conclavi disceptationem, præter omnium expectationem, omnium tandem consensu, ex Prænestino episcopo, summus pontifex designatur, anno domini 1550. VII. Idus Februarii Julii III. adscito sibi nomine: pauloque post coronatur in solemnis cathedræ divi Petri feriis. Vir cum eruditus & eloquens, tum rerum non mediocriter expertus: quorum alterum quidem testatur oratio, quam junior adhuc in quinta sessione Lateranensi concilii sub Julio secundo habuit: alterum vero, quod auditoris apostolicæ cameræ munus cum laude administravit, abunde ostendit. Erat illi patruus Antonius de Monte, Rotæ auditor, qui cardinalis sanctæ Praxedis sub Julio II. factus, archiepiscopatum Sipontinum nepoti resignavit. Is porro deinceps longe post, cardinalium collegio a Paulo tertio adscriptus, Pauli nomine, licet non solus, concilio Tridentino per Paulum inceepto, legatus præsedit. Pontifex factus, mox jubilæum celebrat, utpote qui in annum quinquagesimum sui electrone incidisset. Statimque magnam de se spem præbet componendarum per Europam controversiarum, præsertim religionis, quibus miserrime per triginta annos & amplius distracta est in varias sectas Germania. Nam primo pontificatus sui anno, ad decimumoctavum Kalend. Decemb. edito Romæ diplomate, concilium œcumenicum, quod dudum Tridenti inchoatum erat, sed aliquanto post tempore suspensum, apostolica auctoritate indixit ad ipsas Kalend. Maii MDLI. eadem in civitate & resumendum & continuandum. Quod diploma non multo post ad Carolum V. a pontifice missum, cui imperii comitia Augustæ agerentur, in procerum etiam consessu, mandato imperatoris mense Januario est publicatum. Quod quidem concilium si tam feliciter successerit, quam ab omnibus bonis merito debet optari, futurum speramus per Dei gratiam, ut sublatis dissidiis & sectis, omnes uno ore & concordi fide, unanimes laudemus Deum & patrem domini nostri Jesu Christi, qui Spiritu suo illuminaverit cœca aberrantium corda, ad unitatem fidei reducens, quos vel misera ignorantia, vel pernicioſa philantia, vel cervicosa pertinacia infeliciter detinuit hactenus in errore captivos.

ANNO CHRISTI 1550.

BULLA "APOSTOLICA,

CONTINUANDUM CONCILIUM

Tridentinum indicens.

" Extuſa jam fuit ſupra p. 69.

Julius epiſcopus ſervus ſervorum Dei, ad futuram rei memoriam.

CUM ad tolienda religionis noſtræ diſſidia, quæ in Germania longo tempore, non ſine totius Chriſtiani orbis perturbatione & ſcandalo viguerunt, bonum, opportunum, & expediens eſſe videatur, ſicuti etiam cariſſimus in Chriſto filius noſter Carolus Romanus imperator ſemper Auguſtus, nobis per ſuas literas & nuncio ſignificari fecit, ut ſacrum œcumenicum generale concilium per felicis recordationis Paulum papam III. prædeceſſorem noſtrum indictum, & per nos tunc cardinalatus honore fulgentes atque ipſius prædeceſſoris nomine, una cum duobus aliis S. R. E. cardinalibus, ipſi concilio præſidentes, inceptum, ordinatum & continuatum, in quo plures publicæ ſolemnes habitæ fuerunt ſeſſiones, pluraque tam in cauſa fidei, quam reformationis promulgata decreta, multaque etiam ad utramque cauſam pertinentia, examinata & diſcuſſa, ad civitatem Tridentinam reducatur: Nos, ad quos ut ſummos pro tempore pontifices ſpectat generalia concilia indicere & dirigere, ut eccleſiæ pacem, & Chriſtianæ fidei, atque orthodoxæ religionis incrementum ad omnipotentis Dei laudem & gloriam procuremus, & quantum in nobis eſt, tranquillitati ipſius Germaniæ, quæ ſane provincia retroactis temporibus in vera religione ac ſacrorum conciliorum & ſanctorum patrum doctrina excolenda, exhibendaque maximis pontificibus, Chriſti redemptoris noſtri in terra vicariis, debita obedientia & reverentia nulli Chriſtianorum provinciæ fuit unquam ſecunda, paterne conſulamus, ſperantes per ipſius Dei gratiam & benignitatem futurum, ut reges omnes ac principes Chriſtiani, juſtis piiſque noſtris in hac re votis annuant, faveant atque aſſiſtant: Venerabiles fratres patriarchas, archiepiſcopos, epiſcopos, & dilectos filios abbates, omneſque alios & ſingulos, qui de jure vel conſuetudine vel privilegio conciliis generalibus intereſſe debent, quoſque idem prædeceſſor noſter in ſuis indictionis, & aliis quibuſcumque deſuper confectis & publicatis literis concilio intereſſe voluit, per viſcera miſericordiæ domini noſtri Jeſu Chriſti, hortamur, requirimus & monemus, ut proximis futuris Kalendis Maii, quem diem ad ipſum concilium, in eo, in quo nunc reperitur ſtatu, reſumendum & proſequendum, prævia matura deliberatione, ex certa noſtra ſcientia, & de apoſtolicæ authoritatis plenitudine, ac venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. cardinalium conſilio & aſſenſu, ſtatuimus, decernimus & declaramus in ipſa civitate Tridenti, legitimo ceſſante impedimento, convenire & ſe congregare, ac ipſius concilii continuationi & proſecutioni, omni mora poſtpoſita, incumbere velint. Nos enim operam ſedulo daturi ſumus, ut eodem tempore, in eadem civitate, noſtri omnino adſint legati, per quos, ſi per ætatem noſtram, valetudinemque & ſedis apoſtolicæ neceſſitates perſonaliter adeſſe nequiverimus, Spiritu ſancto duce, ipſi concilio præſidebimus, quacumque ipſius concilii translatione & ſuſpenſione, ceteriſque contrariis non obſtantibus quibuſcumque ac præſertim illis quæ idem prædeceſſor noſter in ſuis literis prædictis, quas cum omnibus & ſingulis in eis contentis clauſulis & decretis in ſuo robore permanere volumus, atque decernimus, & quatenus opus ſit, innovamus, voluit obſtare: Irritum nihilominus decernentes & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum hortationis, "voluntatis, innovationis & decretorum infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indiguationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum anno incarnationis dominicæ 1550. decimaoctava Kalend. Decembr. pontificatus noſtri anno primo.

ANNO CHRISTI 1550.

" Plura ſ. loco cit.

M. Car. Creſcentius.

Ro. Amaſæus.

R. per Romulum ſecr.

R. de ſancta Maria.

XIII.

ORATIO PETRI FRAGI,

Doctoris theologi ad patres in concilio Tridentino habita 1551. *ſacris dominicæ aſcenſionis ſolemnibus, ubi illud cantatur evangelium:*

Recumbentibus undecim diſcipulis, apparuit illis Jeſus. *Marci 16.*

VERUM illud planeque compertum experiri ſoleo, illuſtriſſimi ac reverendiſſimi præſules, paſtores vigilantiſſimi, voſque eruditiſſimi viri, quod Chriſtus redemptor noſter, noſterque inſtitutor noſtræ nos imbecillitatis paternæ admonens, diſcipulis ſuis, nobiſque ſub eorum perſona non obſcure loquitur, nihil nos ſine eo poſſe facere. Unde & Paulus electionis vas negat prorſum ſufficientes eſſe nos, non dico facere, ut in evangelio legimus, ſed ne cogitare quidem aliquid a nobis quaſi ex nobis, quod ſufficientia noſtra univerſa non aliunde ſit, quam a patre luminum, unde omne datum optimum, & omne donum perfectum deſcendit & proficiſcitur. Eoque meæ conſcius infirmitatis & imperitiæ, quam difficillimam hanc, & omnino imparem meis viribus provinciam, magnoque convicio obtruſam evitare non potuerim: neſcio profecto, patres ampliſſimi, quo me tandem vertam. Non enim mediocriter perturbor, dum hujus auctoritatem loci contingo, qui non niſi eruditiſſimo cuique, & ad dicendum exercitatiſſimo patere ſolet.

Joan. 15. 2. Cor. 3. Jac. 1.

Niſi forte ſupplex ego ad te domine Jeſu æternum patris lumen, & virtus in denſiſſimis hiſce inſcitiæ meæ tenebris, meaque hac trepidatione confugiam. Qui humani generi miſertus, *habituque inventus ut homo*, ut hominem naturæ iræ filium ex crudeliſſimis dæmonum faucibus eriperes, cœcis viſum, claudis ingreſſum, ægrotis ſalutem, mutis

Philip. 2.

ANNO CHRISTI 1551.

tis denique loquendi facultatem restitueris. Quique eligens infirma mundi, ut fortia quæque confundas, Mosen balbum, Hieremiam puerum, rusticos & piscatores infusa divinitus sapientia instruxisti & cumulasti, obtrusum os meum aperire, & implere, raptoque ex altari divinitatis tuæ calculo polluta labia mea mundare digneris, ut nonnihil de sacratissimo ascensionis tuæ ad patrem tuum & patrem nostrum mysterio, in honorem tuum, nostramque utilitatem commemorare possim.

1. Cor. 1. Exod. 4. Hiere. 1. Joan. 20.

Ceterum quoniam nequissimus servus dominum, imbecillimus omnipotentem, peccator justum, reus judicem adire non audeo, agedum advocata nostra illos tuos misericordes oculos ad nos converte, & quæ venenosæ ac pestiferæ serpentis caput, illatam humano generi injuriam ulta, contrivisti, ad Dei hominumque mediatorem primogenitum tuum mediatoris officio & ipsa fungitor, ut sacrosanctum hoc concilium, unde universa reipublicæ Christianæ salus & restitutio pendet, dirigere, mentesque omnium cum nostras, tum eorum, qui ad hæreses & schismata, quæ nostra (malum) per tot annos videt ætas, dæmonis fascino conversi, a veritate auditum avertunt, illustrare velit, ut & vos patres sanctissimi salutaria hisce nutantis ecclesiæ temporibus consilia ineatis; & illi patefactis capitalissimi hostis insidiis, ad veritatis agnitionem revertantur. Atque ut commodius id & facilius exoremus, defixis humi genibus angelicam beatissimæ virgini salutationem de more offeramus. *Ave Maria gratia plena*, &c.

Genes. 3. 1. Tim. 2.

Interim vero ut brevius, minoreque cum molestia vestra id quicquid est peragi possit, patres amplissimi, decantatum in sacro faciundo evangelium jam pronunciabo: & quoniam in eo evolvendo atque explicando utilia fortasse nonnulla, minimeque ingrata adferentur, oro vos per ascendentem hodie redemptorem nostrum, ut dum ea paucis percurro, & me attente audiatis, & solita vestra humanitate & benevolentia sublevetis.

Marci 6. *In illo tempore recumbentibus undecim discipulis apparuit illis Jesus*, &c.

Apparuit, inquit, agedum, quisnam qui apparuit? Is nempe qui coæternus est patri ac (licet crepet Arrius) consubstantialis, per quem & facta sunt sæcula: is, qui hominem singulari beneficio ad imaginem similitudinemque suam facto, contaminatum nefariis sceleribus orbem, exceptis octo, quos mystica tuebatur navis, cataclysmo absumpsit, & quadam veluti baptismi figura expurgavit: Is, qui Abrahamo amico suo, oblato circumcisionis signaculo promisit, in ejus semine omnes gentes benedictum iri: Is, cujus admirabili dispensatione castus ille & pius somniator Ismaelitis in Ægyptum divenditus atque abductus: ut per eum innocentissimus pater, & illi ipsi nefarii sceleris authores conservarentur: Is, qui populum suum in alieno solo tot sæcula protexit, eumdemque afflictum per tot prodigia & portenta ex iniquissima servitute asseruit: quem in summa deserti penuria manna cœlitus mirabiliter demisso, & jucundissimis aquarum fluentis, quasi melle de petra saturavit, traditaque in Sinæo monte lege, in terram promissionis melle ac lacte manantem, exactis inde habitatoribus introduxit. Sed quid ego hæc tam vetera commemoro? Is patres gravissimi, is inquam est, qui dissipata jam lege, sceptroque ex tribu Juda, & duce de femore ejus ablato, a patriarchis prophetisque tantopere expetitus, plenitudine temporis adveniente, missus a patre, & apud patrem perpetuo manens, factus est ex muliere, factus sub lege, ut eos qui sub lege essent, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus.

Hebr. 1. Genes. 1. Genes. 7. 2. Petr. 3. Genes. 21. Genes. 37. Exod. 14. Exod. 16. Exod. 20. Genes. 40.

Quin ut suo nos exemplo humilitatem virtutum omnium parentem doceret, orbis cœlorumque fabricator, portans omnia verbo virtutis suæ, locum sibi in diversorio deesse voluit, ut in præsepio nasceretur. Hic primum exortus justitiæ sol mundo apparuit. Hic nobis primitias sui sanguinis in circumcisione fudit. Hic suo nobis baptismo ditavit aquas, & sanctificavit. Hic nobis jejunavit atque esurivit. Hic dum seminat semen suum, nostramque salutem architectatur, & Samaritanus per summam blasphemiam audit, & quasi dæmonium habens exagitatur. Quid de ludibriis, quid de verberibus? Quid de sputis colaphisque commemorem? quibus nostra ipse causa patienter toleratis, in cruce universo orbi clavis suffixus sublimis apparuit, ut qui serpentinis vel afflatibus, vel morsibus essemus icti, eo conspecto misericorditer sanaremur: Unde & mortem pro nobis, mortem crucis subiit, ut ab inimico capti & irretiti, qui primi parentis nostraque offensione & casu exultabat, saluberrima Christi morte ex ejus laqueis elaberemur. Is igitur, patres amplissimi, recumbentibus undecim discipulis apparuit. Qui quidem magnam profecto spem nobis excitavit, sed iis qui orationi & caritatis officio operam navent, affuturum, qui cibum sumentibus, atque etiam incredulis tam officiose apparuerit. Novit siquidem figmentum ipse nostrum, & quum irascitur, misericordiæ recordatur. Non enim habemus pontificem, *qui non possit compati infirmitatibus nostris, probatum per omnia, pro similitudine, absque peccato*. Tolle siquidem delicti maculam, in cujus ore nec dolus, nec doli suspicio inventa est, cetera iisdem quibus primus parens incommodis fuit expositus. Quin ne ea quidem ipsorum incredulitas esse nobis potest infructuosa. Nam & Thomas sua illa pertinaci trepidaque hæsitatione inflictorum cicatrices vulnerum attrectavit, & eadem opera omnem nobis dubitationis nebulam occasionemque discussit. Optime siquidem nostris & perturbationibus & periculis est consultum, quæ postea exorirentur, quod adversus occultos dæmonum insultus, impiorum calumnias, & terrenæ argumenta sapientiæ eorum ipsorum, qui ad credendum fuerunt cunctantiores, & aspectus nos instruat, erudiat auditus, & attactus confirmet. Adeo, ut (juxta Leonem) dubitatum sit ab illis, ne nos ipsi dubitaremus. Unde D. Gregorius multo amplius immodica Thomæ apostoli dubitatione, quam prona & facili Magdalenæ credulitate se adjutum profitetur & affirmat.

Tertullian. contra Jud. & Augustin. ser. 1. de Epiphan. domini. Joannis 8. Philipp. 2. Hebr. 1. Joan. 20. Joan. 20.

Neminem interim offendat, si redemptor noster a suis jam jam digressurus, non modo non eos consoletur, verum etiam reprehendat & increpet, quum ceteroqui & regere dictis afflictos discipulorum animos, & plena mœroris pectora mulcere esset opus. Nam præterquam quod id magna illa ad credendum hebetudo & tarditas postulabat, altius certe ac tenacius ea erant, præsertim tam necessaria, eorum mentibus inhæsura, quæ in suo suis magister abitu inculcaret. Mirabile tamen dictu, reprehenduntur vehementius & increpantur: at, nulla ne minima quidem vel indignationis vox, vel significatio intelligitur?

Marci 6.

ANNO CHRISTI 1551.

correctionis autem tanta, ut quum paulo ante trepide & diffidenter dominum comitarentur, vel potius ingratissime timidissimeque deserent, nihil fuerit illis in posterum optabilius, nihil glorioſius, quam in eo jam corporaliter absente, pro ejus nomine ac fide tuenda & contumelias, & extrema paterentur.

Act. 21 Decerpamus obsecro fructum ex illustri hoc piæ moderationis exemplo, commodum nobis & salutarem, ut ea in universos quidem, erga eos tamen potissimum utamur, cum vel solo vultu (ut ille ait) lædatur pietas, qui suscepta salutis nostræ cura & solicitudine, constituti a Spiritu sancto, episcopi, & Christi vicarii, nullos non labores & ærumnas pro animabus nostris *Act. 20.* tolerantes, attentissime vigilant.

Aversemur autem, & detestemur Cainum, Saulem, Acabum, Simonem, Arium, Lutherum, reliquosque id genus superbientis, ac Deo etiam se æquantis Luciferi discipulos: quibus nefaria animi pravitate, contumacia pro pœnitentia ex scelere oritur: hinc peccata peccatis cumulantes recta in præceptoris sui barathrum præcipitantur, & ruunt. Præsertim quum patres amplissimi (sicuti & ethnicus ille ait) solo vultu lædatur pietas. Unde namque innumerabiles hæ calamitates & incommoda in rempublicam Christianam invecta? Unde superseminata creverunt zizania? Undenam hæreses pullularunt, quam ex præsulum & magistratuum contemptu & negligentia? O tempora, *Gen. 9.* o calamitosam Christianæ reipublicæ conditionem, & miserabilem rerum faciem! Audent hic nequissimi homines, ac suæ salutis prodigi veluti Cham, patris negligentius dormientis pudenda detegere, & quasi jus in suarum animarum parentes habeant, ita eos traducunt, ita eos exagitant, ut non tam ipsos, quam delegatam a Deo potestatem (quæ enim potestas non a Deo?) turpissimis probris & contumeliis *Rom. 13.* onerent. O vos miseros, qui tam procaciter *Psal. 104.* Christos domini tangitis & violatis: qui tam *1. Reg. 2.* impie in Dei prophetis malignamini. Ecquid *3. Reg. 9.* aliud vos quam horrendi Chami exilium, quam Semei interitus? Quid denique aliud quam præcipitium Jezabelis & laniatio tot sceleribus digna manet? neque enim canes impudentes & rabidi, nisi a canibus vorari debent. Dices forsan, cur Spartam, quam nacti sunt, dedecorant? *1. Pet. 5.* Finge eos nullam fieri formam gregis: finge avare & superbe, contra quam Spiritus sanctus jubet dominari in cleris, finge gregum & officii sui oblitos molliter semetipsos ac delicate pascere: non attendens, sedisse (ut a domino commoneris) super cathedram Moysi: ac vitanda, si *Matth. 23.* qua sunt, prava eorum opera, servanda autem & facienda, quæcumque ab iis tibi præcipiuntur? Nam, vel percussus Paulus te docet sacerdotibus non maledicendum. *Act. 23.*

Sed ut intelligatis quem tandem mites illi & mansueti ex suæ agnitione culpæ, suaque modestia fructum perceperint. En audiunt continuo: Euntes in mundum universum: o admirabilem cœlestis dignitatis prærogativam, & regnis omnibus atque imperiis anteferendam, &c. Sic, sic *1. Pet. 5.* superbis resistit Deus, sic & humilibus dat gratiam: nec requiescit spiritus domini, juxta prophetam, nisi super humilem & pauperem, & trepidantem sermones ejus. At, quibus eos credidisse *Isa. 66.* negat? num angelis? minime: quibus igitur? iis, quæ quum ab angelis de resurrectione domini *Luc. 24.* certiores factæ, ac continuo dominum intuitæ essent, idemque discipulis nunciarent, non modo illi non crediderunt, verum illarum verba ut deliramentum aliquod exceperunt. Quin, ne discipulis quidem cum alii aliis idem referrent, crediderunt.

ANNO CHRISTI 1551.

Euntes in mundum universum prædicate, &c. *Marci 6.* Non ii ad Fortunatas insulas, & Hesperidum hortos, non ad ultimos Æthiopes Antarctico polo propemodum admotos, non ad Indos, non denique ad finitimum Boreæ latus, per duratas solo nives, pauperiem, donum Dei non intellectum fugitantes, penetrarunt: & gemmas & lapides, aurum & inutile, summi materiam mali reportarent: sed eodem summa diligentia, & relicta fluxorum bonorum sarcina contenderunt. Non ut Crates Thebanus, non ut Antisthenes, non ut plerique alii philosophi venalia gloriæ mancipia, & popularis auræ rumorumque avidissima: sed ut verissimi Christi discipuli & sectatores, non sua, præceptoris exemplo, sed totius *1. Cor. 6.* orbis salutem *in caritate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma justitiæ a dextris & a sinistris; quasi tristes & semper gaudentes, sicut egentes, multos autem locupletantes* quæsiverunt. Nec in deliciis ii carnis curam agentes, mollibus, ut qui in domibus regum sunt, vestiebantur, siquidem nudi erant (ut Paulus ait) & esuriebant, & sitiebant, & colaphis cædebantur, & instabiles erant, atque ita manibus suis laborantes, ejus fidem intrepide profitebantur, quem & haud ita pridem negarant, & de ejus resurrectionis veritate addubitaverant. *1. Cor. 4.* *Matth 26.*

Quam mirabilia opera tua domine, & quam *Psal. 67.* ipse es mirabilis in sanctis tuis! Petrus, Andreas, ac reliqui tui piscatores, retia sua, piæque voluntatis proposito omnia, quæ in mundo sunt, ac se ipsos abnegantes, te sequuntur: & ex piscium piscatoribus, hominum piscatores evadunt. Matthæus ex teloneo vocatus, ex usurario & publicano officiosus caritatis sectator efficitur. Quid *Matth. 9.* Paulus, tot ante sæculis a Jacob per Spiritum *Gen. 47.* sanctum apostolus designatus? is mane, ineunte *Tert. lib. 5. adversus Marcionem.* scilicet adolescentia, oves domini spirans cædis & minarum devorabat. Idem ad vesperam, ideſt, provecta jam ætate, suo judicio præ modestia & *1. Tim. 1.* humilitate peccatorum primus dominicas pas- *Galat. 4.* cebat oves, easdemque subinde omnibus omnia *Act. 9.* factus, donec in iis formaretur Christus, parturiebat: an non ex lupo rapaci ovis, & ex persecutore vas electionis effectus est, ut redemptoris nomen coram gentibus & regibus portaret? videtis ne, ut lapis ille, quem reprobaverunt ædificantes, *Matth. 21.* nullo populos discrimine agens, ambos pace per *Ephes. 2.* crucem facta conciliet: habemus enim per ipsum ambo accessum in uno spiritu ad patrem, nec audimus jam hospites & advenæ, sed cives sanctorum & domestici Dei, superædificati super fundamentum apostolorum & prophetarum ipso summo angulari lapide Christo Jesu, in quo omnis ædificatio constructa, crescit in templum sanctum in domino.

Sed perpendamus, quæso, quidnam hæc verba nobis innuant: *Euntes in mundum universum prædicate evangelium. Nemo*, teste apostolo, *sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron.* Unde per Joannem Christus ait: *Omnes* *Joan. 10.* *quotquot ante me venerunt, fures sunt & latrones.* O Luthere, o Oecolampadi, o Bucere, o vos lutum & sordes, o nobilissimæ ac perinde Christianissimæ quondam nationis vestræ oblivio, cur vos ante dominum ut Theudas ille, & Judas Galilæus, venitis? cujus auctoritate apostolicam

Heb. 2.

functio-

ANNO CHRISTI 1551.

functionem ſumitis & uſurpatis? an non vel hoc uno argumento vos proditis, ut operarios iniquitatis, ut pſeudo apoſtolos? Iſaias mitti poſtulat, Joannes Baptiſta miſſus a Deo dicitur, Paulus vocatus & ſegregatus in evangelium ſcribitur. Apoſtoli hodie mittuntur. Quid igitur? an non vos juxta vocem domini fures eſtis & latrones? aut inimicus ſator, aut certe ut ejus miniſtri, quos ipſe faſcinavit, ſuoque authoramento obligatos in zizania, in ſcandalum, in blaſphemiam Chriſtiani nominis, & crucis ignominiam ſeminavit? O vos veſtroſque aſſeclas infelices & miſeros, quos equidem ſine gemitu & mœrore nominare non poſſum. Tam male cautos Mariæ vos lepra fratri Moſi ſeviter obtrectantis reddit: tam male vos movent edita in Chore, Dathan, & Abiron exempla? Cur vos illorum exitus non perhorreſcitis, quorum impia facta imitamini? Qua vos dementia, quibuſve furiis agitati, & Dei eccleſiam, & Chriſti vicarium perturbatis & perſequimini?

Iſa. 6. Joan. 1. Rom. 1. Matth. 12. *Num. 12. Num. 16.*

Sed jam videamus qua diligentia, quamque late qui in univerſum mundum mittuntur, evangelicam fidem promulgent. Paulus apoſtolus ad Romanos ſcribens, cum omni gentiles excuſatione nudat & exarmat, niſi prædicatam jam per univerſum orbem fidem amplecterentur, illud pſalmographi citat, & impletum oſtendit: *in omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*. Chryſoſtomus, cui & angelicus doctor (refragante non nihil D. Auguſtino epiſtola 80. quam ad Heſychium mittit) adſtipulatur, intra viginti, aut certe intra triginta annos evangelium in omnes orbis oras propagatum aſſeverat. Nititur is hoc Pauli loco, & verbis illis ejuſdem: *Gratias agimus Deo & patri domini noſtri Jeſu Chriſti ſemper pro vobis orantes, audientes fidem veſtram in Chriſto Jeſu, & dilectionem quam habetis in ſancto omnes, propter ſpem quæ repoſita eſt vobis in cœlis, quam audiſtis in verbo veritatis evangelii, quod pervenit ad vos ſicut in univerſo mundo eſt, & fructificat & creſcit*. Quæ mihi ſententia non mediocriter arridet, nam licet in omnibus orbis partibus eccleſia omnino neutiquam ædificaretur, tamen vel per apoſtolos, vel per eorum diſcipulos in univerſos orbis fines evangelii prædicationem ante Hieroſolymitanum excidium excurriſſe arbitror. Quid enim vel ſolus Paulus obivit, quum non modo magnam Aſiæ partem & quamplurimas inſulas, verumetiam Macedoniam, Græciam, Illyricum, Italiam, & ut Chryſoſtomus multis locis teſtatur, permultique alii, Hiſpaniam, ac teſte Sophronio patriarcha Hieroſolymitano, Gallias etiam adierit? Unde facile liquet, quanta celeritate, quanta fide, quanta contentione, quam magnis laboribus & periculis ab homine peregre proficiſcente, id eſt a Chriſto in cœlum aſcendente, credita ſibi talenta multiplicarint. Euge ſervi boni & fideles, quia ſuper pauca fuiſtis fideles, ſuper quam multa jam conſtituimini?

Rom. 10. *Pſalm. 18.* *Chry. in 24. cap. Matth. ho. in Jo. ad Roman.* *Coloſ. 1.* *Matth. 25.*

O ſi, patres ampliſſimi, noſtris his exulceratiſſimis temporibus nonnulli ex eorum oſſibus exorirentur, qui non pecuniaria talenta, ſed eloquia Dei pretioſa & illuminantia oculos, fidelibus nummulariis committerent. Qui ſi epiſcopatum deſiderant, & adipiſcuntur, reputarent ſecum, non tam inanem gloriam, non tam primos in foro accubitus, non tam reditus ipſos, quam miniſterium, ſolicitudinem: non tam præfecturam, juxta Chryſoſtomum, quam ſubditorum curam, & unicam ovium ſalutem: vel cum aperto capitis periculo proponere ſibi oportere. Bonus enim paſtor, is meo judicio dicitur, qui ſuorum commodorum oblitus, etiam animam ſuam, pro ſuis ovibus ponit, Moſes evangelii potius (ut inquit Origenes) quam legis diſcipulus, quam crebro culparum populi ſibi commiſſi deprecator intercedit? Adeo ut niſi populo inſano etiam dæmonum cultu implicato parceretur, deleri de libro domini poſtularet. David rex dum angelum, a quo populus ſibi creditus cæderetur, videt ſævientem, in ſe Dei manum converti poſtulat. Paulus quoque anathema pro fratribus fieri cupiebat. Unde, quis inter eos infirmabatur, quin idem infirmaretur? quis ſcandalizabatur, quin idem ureretur? Itaque quum hæ ſint veri paſtoris partes, & juſtiſſimum officii authoramentum, quæſo vos, qui huic officio deeſt, cur non mercenarius potius, quam paſtor appellabitur? Conſiderate igitur obſecro, quid Deus Pergamenæ eccleſiæ angelo dicat, cum ſe illi venturum minitatur.

Origen. cap. 26. Numer. Exod. 32. Rom. 9. *2. Reg. 24.* *1. Cor. 11.*

Utinam ignis ille, quem venit dominus mittere in terram in cordibus noſtris, accenderetur, ne in nobis deſideraretur quod in Epheſinæ eccleſiæ angelo idem dominus requiſivit: utinam ſæcularibus curis & ſolicitudinibus expediti, vere & ex animo ſerviremus domino, utinam vigilaremus, & cuſtodiremus vigilias noctis ſuper gregem quiſque ſuum: utinam paſceremus potius, quam paſceremur, neutiquam dominicus grex tam eſſet diſperſus, tam ſcabioſus, non inquam tam eſſet afflictus. Nihil enim non poſſemus in eo qui nos confortaret, ſi ejus negotium bona fide tractaremus. Quid enim illi ipſi, de quibus nunc agimus, quum fuerint ſolicitudine non pigri, & ſpiritu ferventes non præſtiterunt? O rem portentoſam ac plane incredibilem! Debellaverunt Romani univerſum orbem, innumerabiles hominum myriadas in ſervitutem redegerunt, & a duodecim viris nudis, inermibus, atque idiotis ſubacti ſunt ipſi & ſuperati. Quibus iis vel invitis novas leges, novaque vivendi ſtatuta impoſuerunt. Adeo, ut quod in una domo vix fieri poſſit, miſſis Chriſtus diſcipulis, per præcipitia, per ignes, per præruptos ſcopulos, per ſartagines & craticulas, per bella terra marique frementia, per infinita mortis genera perfecerit. At vero, cur prædicandum omni creaturæ evangelium? Num plantis? num rupibus? ut Orphea narrant fabulæ ſuo cantu avulſiſſe arbores, ſtetiſſe flumina, & violentiſſimas feras demulſiſſe? Minime, minime inquam. Sed ſoli homini, qui ut rationis eſt particeps, ita & beatitudinis particeps eſſe poteſt. Appellatur autem omnis creatura, quod cum univerſis rebus creatis nonnihil habeat commercii. Nam ut ſit, commune habet cum ſaxis; ut vivat, cum plantis; ut ſentiat, cum animalibus; ut ratiocinetur, cum angelis. Unde & a philoſophis parvus mundus appellitatur.

Luc. 12. Apocal. 2. *Luc. 2. Ezech. 34.* *Philip 4.*

Additur porro: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit*. Quam commode fides primo loco ſtatuitur. *Credere* enim *oportere, accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe, remunerator ſit*: ea vero ſublata, *impoſſibile eſt placere Deo*.

Hebr. 12.

Num vero, ſi quis aliquando crediderit, eo protinus liberabitur? Credidit Judas, & interiit, credidit & Simon Magus, & flagitio, quod ab eo poſtea nomen tulit, in interitum ruit voluntarium. Non quæruntur in Chriſtianis initia (ut ille

ANNO CHRISTI 1551.

ANNO CHRISTI 1551.

ille ait) sed finis: doctor gentium male cœpit, sed bene finivit: male cœpit & latro, sed ex cruce in paradisum evolavit. Quam, vel Dei testimonio probatus Saul ad regni administrationem accessit, quam vero nefaria & miserabili morte absumtus est? Quam honesta Arii exordia, sed ejus finis summa impietate damnatur. *Justitia* enim *justi non liberabit eum, in quacumque die peccaverit*, nec contra, ut apud Ezechielem scribitur. Hinc Paulus fidem & misericordiam consecutus, castigat corpus suum, & in servitutem redigit, ne quum aliis prædicaverit, ipse reprobus efficiatur, atque ut idem monet: *qui existimat se stare, videat, ne cadat*. An ne tibi satis te beatum putabis, si credideris aliquando, si baptizatus fueris, ac paulo posterius, labiis duntaxat Deum honores? Si nosse confitearis, factis autem neges? Non potest eum nosse, quin ejus mandata custodias: ea si infringis, ea si violas, nihil minus quam Deum nosti. Adsit igitur mandatorum observatio, adsit fides: non tamen mortua, sed actionibus pie instructa, & quæ per caritatem operetur.

Ezech. 18. 1. Cor. 10. 1. Joan. 2. Galat. 5.

Roget quispiam: quamobrem tandem repetat D. Marcus: *non crediderit*, tacet vero non baptizatus fuerit? Nempe ut ostenderet, solam fidem interdum ad salutem sufficere, si aquam ad baptismum non contemptus, sed defectus (ut magni authores tradunt) negaverit. Eoque cum martyrium, omnium theologorum placitis baptismi vicem subeat, non ob pœnam cruciatumque, quem vel nocentissimi perferunt, sed ob ipsam fidem id effici intelligimus.

Cypriamus, Ambrosius, Augustin. Bernardus.

At vero quibus argumentis dignoscemus eos, qui crediderint: *In nomine meo dæmonia ejicient*. Ut intelligas bonitatis redemptoris nostri divitias, multo etiam ante, quam ipse pateretur, & Spiritum sanctum discipulis insufflaret, factum apud Marcum his verbis legimus. Exeuntes prædicabant, ut pœnitentiam agerent, & dæmonia multa ejiciebant, & ungebant oleo multos ægros, & sanabantur: qua etiam gratia & ipsi exultabant. Quin & in actis apostolicis ita scriptum vides, Deus non quaslibet virtutes per manus Pauli faciebat, ita ut deferrentur etiam a corpore ejus super languidos sudaria & semicinctia: & recedebant ab eis languores & spiritus nequam egrediebantur.

Marc. 8. Luc. 10. Acto. 19.

Quod autem ad novas linguas attinet, quibus locuturi erant credentes, non una solum, ut quidam arbitrantur, sed omnibus omnium linguis, decem post dies usi sunt: quibus, jacto fidei fundamento, missus a Patre & Filio Spiritus sanctus communicatus est. Nec hoc Paulus munere defraudatus, licet tunc abfuerit, quum dicat quibus scribit, *Gratias Deo meo, quod omnium vestrum lingua loquor*. Quin, & per ejus impositionem manus ita quibusdam Ephesi datus est Spiritus sanctus, ut & linguis loquerentur, & prophetarent. *Serpentes*, inquit, *tollent*. Certe eorum calcandorum facultas multo ante passionem est his tributa: & Paulus apostolus in Melite insula viperam jam manui hærentem illæsus in ignem discussit, quum, qui adessent, arbitrarentur, ipsum naufragio quidem dilata Dei vindicta liberatum, eo tamen morsu continuo ut homicidam, interiturum. Quid? Ut omittam, consolidatas claudo bases & plantas, & Eutychum ex tertio cœnaculo prolapsum, ac mortuum, vitæ restitutum: an non Petrus, non dico impositа manu, sed vel sola (per Christum quidem) umbra effecit, quod nusquam Christum fecisse legimus? nempe ut impleretur quod redemptor per Joannem dixerat: *Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet*.

Chrysost. & Aug. tract. 32. in Joan. Acto. 19. 1. Cor. 14. Acto. 28. Acto. 3. Acto. 20. Acto. 5.

Porro *si mortiferum quid biberint, non nocebit eis*. Proh Deum immortalem, Christiani patres! Nulla aconita bibuntur fictilibus. Nunc, nunc illa, vix ubi ullum fidei & caritatis vestigium, timenda: quum pocula fumes aurata, & medio Setinum ardebit in auro. Divites illa & opulenti formident: quibus non fames & sitis, sed affluentes voluptates periculum creant: illa, illa pertimescant, quos non voluntaria abjectio & modestia, sed exitialis avaritia, & honorum aucupatio suffocat & strangulat. Quis enim Petro insidiaretur, aut mortiferum aliquid misceret, cui non argentum, non aurum, imo vero ne æs quidem in zona, ut monuerat dominus, sed ingens mundi contemptus, sed firma fides & locupletissima misericordia adfuit? iis enim machinis Christiana respublica per egestatem, persecutiones, & varia cædium genera ab exiguis profecta initiis, eo crevit, ut universum orbem occuparit. Quem ecclesiæ statum in speciem quidem, luctuosum, re tamen vera felicissimum nefarius apostata, & deterrimus Christianæ reipublicæ hostis ita nobis invidebat, ut Christianos omnes non tam aperta crudelitate, quam subdola clementia persequeretur: adeo, ut qui proscripti & ablegati in exilium ob ecclesiæ dissensiones a Constantio fuerant, quasi fraudulentis odientis oculis (ut cum Sapiente loquar) in pristinam ab ipso dignitatem restituerentur.

Joan. 14. Marc. 6. Hist. eccle. lib. 6. cap. 7. Prov. 17.

Illi igitur illa inquam expaveant, patres amplissimi, qui licet sermone taceant, opere tamen loquuntur, fidem & misericordiam non habeo (si enim D. Hieronymus in suorum confusionem temporum, hæc invertit, quæ utinam in nos dici non possent) quod autem habeo argentum & aurum, hoc tibi non do. Cur turpis lucri cupidus es? Cur cum Exuperio illo avaritiam e templo non expellis? Cur aurum sitis? Cur thesaurizas cui nescis, ut ipse æternum sitias cum divite, & egeas? O nos miseros, si hæc non intelligimus, o nos miseriores, si intelligimus, quod multæ nos plagæ maneant, nisi corrigamus: Nemo sibi hic blandiantur, Christiani patres, aut hoc se ex numero exemptum arbitretur, quod schematis majorum, quod pictis fumosarum imaginum vultibus, quod præclaris honoribus fulgeat. Nihil vana hæc Christus moratur, nihil curat. Cui plus commissum fuerit, plus ab eo, sine ullo personarum discrimine, exigetur. Ac nisi exactam suæ villicationis rationem reddat, *potentes potenter tormenta patientur*. Videamus tamen, ecquid propinatum iis, epotumque nocuerit? Nihil profecto. Hausit siquidem discipulus ille, quem diligebat Jesus, nec illi haustum obfuit: hauserunt & plerique alii, nec quicquam inde ceperunt detrimenti. At ne effœtam id genus miraculis divinam arbitrere gratiam, multis post sæculis B. Benedictus (authore Gregorio) non haustu, sed cœlesti quadam præsensione, porrectum sibi a monachis veneni vasculum, solo crucis signo comminuit.

Ad Eustoch. de custod. virgin. tom. 1. Sap. 6.

Dicet hic forsan insipientior aliquis, nullam jam esse fidem, quod nulla id genus miracula appareant. Quis tu es, qui Dei sapientiam ita convellis? Fuerunt illa nascenti ecclesiæ necessaria, ac proinde tunc passim edita, ut adolesceret iis Christiana fides & propagaretur. Nunc vero cum idolo-

ANNO CHRISTI 1551.

idolorum cultus desierit, cum ipsa ecclesia omnium linguis loquatur, cum serpentes & scorpiones calcarit, cum venenata Babylonis ethnicorumque errorum pocula sustulerit, quorsum tandem miraculis opus? Num mare nobis dividi, num serpentem tolli nobis in deserto, num manna de cœlorum demitti nobis cupiamus? Quærat sibi signum generatio nequam: nos verum habemus baptismum, verum Christi corpus in cibum, verumque serpentem, cujus livore sanati sumus, quem & hodie in cœlum ascendisse cernimus: ut omittam interim, juxta Gregorium universa hæc in ecclesia spiritualiter effici, quæ olim per discipulos corporaliter transigebantur.

Luc. 12.

Sed progrediamur ulterius. *Et dominus quidem Jesus postquam locutus est eis.* Quid? solum ne discipulis suis locutus Christus, ac nihil operatus, discessit? Atqui nihil frigidius doctore, qui verbis solum philosophatur, & juxta Paulum, regnum Dei, non tam in sermone, quam in virtute consistit. Et quum concionator duabus potissimum partibus confletur, ut vir bonus sit, & dicendi peritus, potior pars est, ut sit vir bonus: quod non ostentatione, non simulatione morum, sed probitate, & perfectis virtutum actionibus metiendum est. Quod vero tonuerit redemptor noster & fulminarit in dicendo, vel hostium testimonio perspicuum, qui violentas in eum manus injecturi, efficacissimæ ejus eloquentiæ miraculo stupefacti atque attoniti se cohibuerunt, responderuntque iis, qui se ad eum comprehendendum miserant, nunquam sic locutum fuisse, hominem. Quid vero illud: *Ego sum*, quo audito omnes adversarii jamjam capturi, capti conciderunt? At, fuit in agendo debilior? Imo vero (ut ille ait) mirabilium effector operum. Qui præterquam quod cœlum & terram, & omnia quæ in eis sunt, fabricarit, post hominem etiam assumptum, suos ipse suorum magnitudine miraculorum inimicos provocat & lacessit, ut si ei adamantina quadam insentati cordis duritia non crediderint, saltem ejus operibus credant. Et ut intelligas priorem illi faciendi quam loquendi rationem fuisse, prius facere quam docere cœpisse a Luca scribitur: nempe ut suo nos optimus magister exemplo institueret, pastorale officium benefactis potius, quam verbis constare. Itaque dominus Jesus non locutus modo, sed etiam mirabilia ac plane divina operatus, *assumptus est in cœlum*.

Jo. 7. Joan. 18.

Joan. 10. Act. 1.

At, quonam pacto assumptus? Primum omnium detestemur Arianam & Nestorianam impietatem, & universa orientis venena. Unum siquidem Christi suppositum, & duas, ut voluntates, ita & naturas confitemur & asseveramus. Et ut una mortuus est, altera mori non potuit: ita quoque una resuscitatus a mortuis, altera resurrexisse: una assumptus, altera ascendisse dicitur. Sic a D. Luca ejus mysterii neutiquam ignaro elevatus dicitur, quem protinus idem patefacto nobis divinitatis arcano, euntem in cœlum scribit. Sic quoque psalmographus, sic Paulus loquuntur, *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus*. O admirabilem scripturæ rerumque seriem. Rubo qui illæsus ardebat, Christi conceptio, & virginis integritas præsignabatur: præsignabatur traditio & venditio redemptoris, magnis periistaeon coagmentis Josephi in Ægyptum venditione, qui & a Pharaone occulto mysterio servator mundi est nuncupatus: immaculati agni immolatio, paschalis agni mactatione & esu figurabatur: negligens supernæ ille-

Act. 1.

Psal. 67. Ephes. 4.

Exod. 1. Gen. 37.

Exod. 12. Jon. 2. & Matth. 12.

ANNO CHRISTI 1551.

gationis Jonas creatoris sui carnem induti sepulturæ, resurrectionis typum gessit: denique & Heliæ raptu sacrum ascendentis hodie domini mysterium adumbrabatur: Quamquam ille, ut servus: hic, ut dominus: ille, dilata morte, hic jam devicta: ille, in aerium locum, hic super omnes cœlos: ille, aliena virtute, hic eadem, qua universa quondam fabricarat, invecta eodem & honestata natura nostra, ascendit.

4. Reg. 2.

Utque magis stupeas, & ardentius ad illum adspires: Nos, nos inquam, miseri illi, qui tam impie in primo parente divinam læseramus majestatem, ut ex paradiso terrestri miserabili exilio flammeoque etiam gladio per Cherubin intentato exigeremur, cœlorum fines transgressi, & regali sede decorati, angelicis choris exornamur. Quod quidem aperte declarant duo illi angeli albis vestimentis præ lætitia induti, qui mœstos ob discessum domini discipulos consolantur, & non jam angeli tantam nobis gloriam nescio quo pacto invidentes, vel potius gratulantes, non inquam jam angeli, sed viri ab evangelista vocari volunt. O ineffabilem nobis dominicam ascensionem, & albis vestibus innocentiæ internæque exultationis indicibus perpetuo celebrandam. At quo modo ascendit, quum sit idem qui & descendit? Audi Salomonem: *Ecce*, inquit, *iste venit saliens in montibus, & transiliens colles*. Quibusdam enim veluti saltibus gigas ille, cujus egressio a summo cœlo, ad currendam nostræ salutis viam exultavit. Primum ab arce parentis in uterum virginis: ex utero in præsepe, ex præsepi in crucem, ex cruce in sepulcrum, inde confirmatis fratribus *ascendens in altum captivam duxit captivitatem*. Quam vero? Vel victos suos, juxta Zachariam, qui detinebantur in lacu, in quo non erat aqua: Vel diabolum & mortem, quam morte ipse sua vicerat & absorpserat: cujus & imperio victi adhuc illi coercebantur.

Cant. 2.

Psal. 67. Ephes. 4. Zach. 9.

At quænam dona dedit hominibus? Audi apostolum Corinthiis commemorantem: alii quidem per spiritum datur sermo sapientiæ: alii autem sermo scientiæ, secundum eumdem spiritum: alteri fides, in eodem spiritu: alii gratia sanitatum in uno spiritu: alii operatio virtutum: alii prophetia: alii discretio spirituum: alii genera linguarum: alii interpretatio sermonum: Nec negavit discipulis benignissimus præceptor duplicem illum spiritum, quem suus alumnus ab Helia tantopere expetebat. Nempe ut & illustraretur intellectus, & affectus expurgaretur. Unde quum vilescerent illis omnia: imo vero reputarent ea ut stercus propter Christum, corpore quidem mortuo propter peccatum, spiritus vivebat propter justificationem. Et quia non humi, sed tutius in cœlo thesaurum sibi thesaurizarent, ac proinde omnis eorum in cœlis esset conversatio, ingemiscebant gravati hoc tabernaculo, habitationem nostram, quæ de cœlo est superindui cupientes. Hinc illæ voces: *Mihi vivere Christus est, & mori lucrum*. Hinc & illud: *Desiderium habeo dissolvi & esse cum Christo*. Quæ quum ita se habeant, patres sanctissimi, an non satis liquet, quam affluenter, & dona illa, & duplex ille Heliæ spiritus discipulis domini sit tributus? O felices ter & amplius, qui ita se abnegaverunt, qui ita crucem suam sustulerunt, ita desierunt mundo vivere, propter Christum, ut nihil vivat in illis, nihil in illis regnet nisi Christus. Sic petitur cœlum, patres sanctissimi, non *ut ferat Ossan Olympus, summaque Peliacus sydera tangat apex*. Gigantum est ista temeritas & hæreticorum: qui quum sint

1. Cor. 12.

4. Reg. 26

Roma. 8. Philip. 3. 2. Cor. 5.

Philip. 1.

pro-

ANNO CHRISTI 1551.

proprio judicio damnati, & in reprobum ſenſum traditi, naturæ ac Deo ipſi bella movent. Nos, qui Chriſto in baptiſmo conſepulti ſumus, nos qui Chriſtum induimus, nos qui Chriſtum pro noſtra fragilitate amplectimur, qui ad Chriſtum anhelamus, ad Chriſtum per montem pinguem, montem coagulatum, montem in quo beneplacitum eſt Deo, ſummum ſcilicet pontificem aſcendamus.

Coloſſ. 2. *Galat. 3.* *Matth. 24.* *Pſal. 26.*

Quod ſi rectores tenebrarum & ſpiritualia nequitiæ aſcitis in ſocietatem hæreticis & ſchiſmaticis, ac univerſis tartari cohortibus id interturbare, licet eorum caſtra adverſus nos conſiſtant, ne ſimus modicæ fidei, alioqui Petri exemplo, ſummergemur: ac licet exurgat eorum prælium adverſus eccleſiam, ne timeat cor noſtrum obſecro, aut perturbetur: quin potius in eo indubitanter magnaque cum fiducia ſperemus. Numquid manus domini abbreviata eſt? aut non juſtificabitur Chriſtus in ſermonibus ſuis? Atqui, ille ipſe, qui ſolus non mentitur, aſcenſurus ad patrem, ultimis verbis, quæ ipſe apud Matthæum diſcipulis loquitur, præſentiſſimum ipſis, ſponſæque ſuæ auxilium uſque ad conſummationem ſæculi pollicetur. Idem quum ſatanas, ultima jam cœna ſumpta, expetiſſet apoſtolos, ut cribraret eos ſicut triticum, an non oravit pro Petro, ut & ipſe converſus, confirmaret fratres ſuos? Quid igitur? oravit tunc pro Petro dominus, & nunc non orabit pro Julio? numquid aut Chriſtus imbecillior, vel inhumanior, quam heri & nudius tertius? aut minor Petro Julius dignitatis ſubſtantia & officio? Non, ſi crepent antichriſti omnes, & ſatanica rumpatur phalanx. Dices forſan hæretice, fratres a Petro confirmatos, nihil te adhuc tale in Julio expertum. *Imperet tibi Chriſtus*. Utinamque ſtulte ſaperes ac noviſſima provideres.

Fil. 1. *Matth. 28.* *Luc. 22.* *Judæ 3.*

Attende huc (quæſo) quod tandem præſentiſſimum eſt habitum vel a primis naſcentis eccleſiæ incunabulis, aut ad confirmandos quos tu & vitæ ſordibus & doctrinæ pravitatibus offendis, aut ad te tuique ſimiles vel ſanandos, vel coercendos remedium, an non œcumenicum concilium? Atqui, interruptum jam ac fere ob noſtra veſtraque ſcelera deſperatum ſanctiſſimus pontifex, & veriſſimus Chriſti vicarius ſumma pietate, & ſingulari in ovile dominicum ſtudio, ſapientiſſimis & Chriſtianiſſimis ejuſdem concilii moderatoribus in civitatem hanc, optime Madrutio & cardinale & principe moratam, miſſis, coactoque ſanctiſſimo antiſtitum ordine reſtituit, & feliciſſime continuat. Nonne hic Creſentium illum incomparabili ſanctimonia, ſummaque rerum prudentia virum a pontifice Opt. Max. adeſſe intueris? Quo ductore & ſuus aliquando tandem deformatæ eccleſiæ decor reſtituetur, & religio, amiſſaque multorum flagitio Chriſtianæ reipublicæ dignitas recuperabitur & creſcet? Nonne hic duos vides ſapientiſſimos præſides præſtantiſſimi legati collegas & ſocios, qui vitæ integritate, qui locupletiſſima ſcientiarum ſupellectili, qui plurimis graviſſimiſque negotiis caſte integreque obitis clari ſunt toto orbe & inſignes? nonne hic tot ſtellas, quot præſules conſpicis, quorum lux ita lucet coram hominibus, quorum ſanctiſſima opera ita perſpicua ſunt, ita omnibus obvia, ut ne tu quidem, licet præpoſtero judicio ſis, & a communi ſenſu alienus, ut es, non poſſis eorum ergo cœleſtem patrem non glorificare? Nonne inquam, vides omnes hos Chriſtianiſſimos viros non aliorſum ſuis ſedibus excitos & coactos, quam ut tibi tuique ſimilibus, ac univerſis reipublicæ vulneribus medeantur? Ecquid aliud requiris? Nam ne Chriſtus quidem aliud quippiam a Petro poſtulavit: non enim a paſtore ſanatio, ſed cura & ſolicitudo exigitur. Interim tamen cave, ne tua te pravitas, ne tui te peccatorum funiculi ad inſaniam redigant. Ac proinde *revertere, revertere, Sunamitis, revertere, revertere, ut intueamur te*. Nam quamvis fornicata ſis cum pluribus amatoribus, quamvis facta ſit tibi facies meretricis, ut ſpiritualium nuptiarum paranymphi, deſpondebimus te uni viro virginem caſtam exhibere Chriſto. Surge igitur, ne dormias, & exurge a mortuis; præcinge lumbos tuos, & propera: ecce ſponſus venit, ut te illuminet: ut novum te hominem induat. Exurge, exurge, inquam, & propera, ſume mature oleum, accelera, excipe venientem ad nuptias ſponſum: ſi evigilaveris, ſi venientem exceperis, mihi crede, virgo eris & prudens, & ingredieris ad nuptias. Ne deſperes transformationem hanc, quæ impoſſibilia ſunt apud homines, poſſibilia ſunt apud Deum.

Cant. 6. *Oſee. 2.* *2. Cor. 11.* *Epheſ. 5.*

Sed redeamus, patres ampliſſimi, unde ſumus digreſſi, & quam breviſſime, quod ſupereſt, abſolvamus. Quod ſi igitur, non jam caro & ſanguis, ſed principes & poteſtates & rectores tenebrarum harum, nos adoriantur & invadant, ſic habetote, ne portas quidem inferi quicquam adverſus eccleſiam prævalituras. Non enim eſt domus ſuper arena ædificata, ſed ſupra vivum ſaxum firmamque & divinam petram conſtructa; eoque licet flumina veniant, licet flent venti procacius, & impotentius in illam irruant, non periclitabitur, non cadet. Agitari ſiquidem Petri navicula fluctibus poteſt, ſubmergi non poteſt.

Epheſ. 6. *Matt. 7.*

Sed quoniam in graviſſimis iis reipublicæ calamitatibus innumerabiles multitudine animæ Chriſto pereunt, pro quibus ipſe ſacratiſſimum ſanguinem ſuum fudit, vellem equidem, ut hæ procellæ, quibus eccleſia divexatur, & aſſiduis juſtorum precibus, & ſalutaribus conſiliis componerentur: teſtorque, patres ampliſſimi, locum hunc, quem ego indignus conſcendi, non tam unquam Chriſtianæ reipublicæ pericula, non tam diſſenſiones, non tam ſchiſmata, quam corruptiſſimos mores noſtros, noſtraque delicta formidaſſe. Præſertim dum conſidero, eo nos prolapſos, ut nec vitia jam noſtra, nec remedia pati poſſimus. Hæc ſiquidem nos enervant, hæc frangunt, hæc oppugnant, imo vero expugnant, ac veluti victos noſtris nos hoſtibus tradunt. Hæc totam Aſiam, hæc totam Africam, hæc bonam Europæ partem, leoni, qui circuit quærens, quem devoret, prodiderunt.

1. Petr. 5.

Quamobrem per ſanctam ego vos ſedem apoſtolicam, per neceſſariam concilii celebrationem, per aſcenſionem domini, per Chriſtum mundi ſalutem, oro & obteſtor, ut laborantis eccleſiæ miſerti, proſternatis cum Daniele preces veſtras ante faciem domini, *non in juſtificationibus propriis, ſed in miſerationibus ejus multis*. Et quia ſacerdotes domini & miniſtri ejus eſtis, patres ſanctiſſimi, *canite tuba in Sion, ſanctificate jejunium, ſanctificate eccleſiam, plorate inter veſtibulum & altare, & dicite: Parce domine, parce populo tuo, & ne des hæreditatem tuam in opprobrium, ut dominentur eis nationes*. Ac ne vos, qui ad liberandam ex tot periculis, atque adeo ex ipſis dæmonum faucibus eccleſiam ſumma cum omnium gentium expectatione coacti eſtis, juſtitiarum & divini teſtamenti enarratione, negligentia quapiam (quod peccatori

Dan. 9. *Joëlit. 2.* *Pſal. 87.*

juxta

ANNO CHRISTI 1551.

juxta pſalmographum contigit) excludamini, cum *ſal terræ*, & *lux mundi* eſſe debeatis, renovamini, renovamini ſpiritu mentis veſtræ: abjectiſque hujus ſæculi tenebris arma lucis induti obſecrate Deum ſuppliciter, ut expulſo apro de ſylva, ac ſingulari fero, qui omnia depaſcitur & populatur, qui omnia violentiſſime fert & agit, reſpiciat ipſe de cœlo, videat, viſitetque vineam iſtam, quam plantavit dextera ejus.

Matth. 5.

Pſal. 79.

Quin, ne captata diu, & ſummo Dei beneficio oblata hæc tam commoda reſtituendæ Chriſtianæ reipublicæ occaſio, veſtra culpa amittatur. Aperite portas veſtras, Chriſtiani principes, & ſtantem jam ad oſtium, & pulſantem dominum, nobiſque in iis tempeſtatibus tam clementer apparentem, eadem animorum conſpiratione atque obſervantia huc introducite, retinete, veneramini, qua hodie ad patrem aſcendens ab univerſis angelis exceptus eſt. Spero ſiquidem cœleſti ejus præſentia & ſanctiſſimis precibus veſtris, ac corde omnium veſtrum uno, animaque una effectum iri, ut concilium hoc feliciſſime, & e republica peragatur: evellantur ſuperſeminata zizania, mores noſtri emendentur, deſtructiſque inimicorum civitatibus, ſolo tubarum ſono, id eſt, ſeptiformi Spiritus ſancti gratia, per quem in unum conveniſtis, labefactati Jeruſalem muri, divinitus ædificentur: opitulante domino noſtro Jeſu Chriſto, qui hodie a dextris Dei & in potiſſimis ejus bonis collocatus, ſedet, & regnat cum patre & Spiritu ſancto in ſæcula ſæculorum, Amen. Dixi.

XIV.

SALVATORIS SALAPUSII archiepiſcopi Turritani, & Saſſarenſis oratio, in publica ſolenni ſeſſione a reſumpto concilio tertia, ad patres habita Tridenti undecima menſis Octobris, quæ fuit Dominica cœna nuptiarum, anno domini MCLI.

Pſal. 112.

VERE nunc tandem incœpit dominus, qui in altis habitat, reſpicere, quaſi congregationis ſuæ recordatus, ad afflictas eccleſiæ res per vos, ſanctiſſimi patres: qui apoſtolici luminis ſplendore coruſcantes illuſtratis eccleſiaſticam hanc Lunam, & quaſi duo luminaria ſynodum celebratis, in qua vobis Lunæ labores timendi amplius non ſint: quod ſcilicet umbra terrenorum luminari officiens, ſpiritualis veſtri firmamenti lucem obſcuret: per vos mundi lumina (atque utinam iterum, aut utinam tanto nomini reſpondeamus) de cœlo reſpexit, atque opem eccleſiæ ſuæ tulit, egrediens vobiſcum in ſalutem populi ſui, in ſalutem cum Chriſto ſuo. Domini enim eſt, quod reſumitis, & operamini opus. Jam vos lætus intueor, velut ſtipatores circundantes Sion, narraturos in turribus ejus, veræ turres fortitudinis Sion, quaſi lectulus veri Salomonis, quem ambitis inſtar ſexaginta, imo omnium fortiſſimi Iſraelitarum, tenentes gladios, & ad verbi bella doctiſſimi. Benedictus dominus, qui docet manus veſtras ad prælium, & digitos ad bellum, & erudit linguam, ut ſciatis ſuſtentare populum, qui lapſus eſt verbo.

Gen. 1.

Pſal. 32. Abac. 3. 2. Cor. 10. Pſal. 47. Pſal. 60. Cant. 3. Pſalm. 143. Pſalm. 143. Iſa. 50. Act. 7.

Sed unde exordiar, ne vivam viri patres, ſi ſat ſcio, præſertim qui verſer in eo argumento, in quo quis modum magis, quam copiam deſiderarit? an a novitatibus invectis in eccleſiam, a diſſidiis in religione ſubortis? num a corruptela ethicæ, hierarchiæ, politiæ? num a ſimultatibus virorum principum, ex quibus periculoſiſſima bella jam orta videmus? num a calamitatibus, quibus perpetuus Chriſtiani nominis hoſtis Turcarum tyrannus exercet rempublicam? ab imminutane reipublicæ ipſius ditione quondam latiſſime continuata? quæ difficile, quis poſſit non dicam complecti orando, ſed percenſere numerando? Ita undique triſtis rerum facies, occurrebat, ut magis mihi threnum & fletum, quam ſermonem aſſumendum viderem.

ANNO CHRISTI 1551.

Sed ecce prope eſt, (inquit dominus ad me) verbum in ore tuo: & ad me ipſum converſus, hoc quod geſto corpus, continuo me admonuit, quid potiſſimum aggrederer ad dicendum. Obtulit ergo ſe ſe mihi, tanquam vir Macedo Paulo, corpus eccleſiæ myſticum (ſed quam male habens) vobis proponendum, qui tractatis de conſtituenda & ſtabilienda veritate præſentiæ corporis Chriſti in ſacramento mirabili (quod myſtici ipſius ſymbolum eſt) quo corpus ipſum tanquam vivo pane nutritur, & incruento ſanguinis poculo jugiter reficitur. Ne mirum ergo, ſi ubi corpus eſt domini, ibi congregentur & aquilæ.

Deu. 30. Rom. 10. Act. 16. Luc. 17. Matth. 24.

Facturum itaque verba de ineffabilibus arcanis auguſtiſque ſacramentis, non de corporis modo humilitatis noſtræ phyſici quidem, at illa mirabili, ſed & myſtici longe excellentioris conſtitutione, deque ejus reformatione, quod configuratum iri quandoque expectamus corpori claritatis Chriſti, interim per ipſius corporis & ſanguinis in ſacramento communionem in nobis inchoata, magnis quidem illis & præclaris pignoribus frumentaria quaſi teſſera accepta, videte, quam pretioſa, lauta, & divina ſupellectile & rerum, & verborum inſtructum me eſſe oporteat (qui tales vobis ſim prolaturus theſauros, cum veterum, tum novorum) hominem non impeditioris modo linguæ, ſed infantem, in quem triplex prophetæ illius alpha quadrare convenientius videatur. Patres (non enim honeſtior occurrit appellatio) veſtrum favorem atque ſtudium, in veſtris oculis, veſtro ore, vultuque acquieſco: pene obmutui (quippe qui ineffabilia fari aggrediar) ni adſit ille, qui es ore infantium perficit laudem ſuam ad deſtructionem inimici.

Diviſio. Tbil. 3. Matth. 13. Exo. 4. Hier. 1.

Sed animos mihi addidit amicos ſponſi alloquendi benignitas, pii ſponſi & reginæ ſponſæ Chriſti eccleſiæ, quæ corpus ipſum eſt, de quo loquimur, quam cum filiabus illis beatiſſimam prædicare contendo, quæ affectus percunctando movere ſatagunt, ajentes: Quæ eſt iſta ſynodus, *quæ progreditur, quaſi aurora conſurgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol, terribilis ut caſtrorum acies ordinata?* Quæ percunctatoria vox laudis, cum maxime deceat eccleſiæ hujus reginam Mariam deiparam, per quam ſecundum Chriſtum factum eſt nobis, quod ſic glorioſa eccleſia apparet, ut ei merito hæc laus debeatur: ad ipſam me jam convertam, quæ cunctas ſola hæreſes interemiſſe prædicatur, dum credit humilis, in cujus primum animam excellenter ſupervenit Spiritus ſanctus.

Pſal. 3. Prov. 31. Cant. 6. Mariæ laus.

Tu nobis a filio obtine, virgo mater, ut de ſpiritu ſuo menſuram bonam, confertam, & ſuper-

Luc. 6.

effluen-

ANNO CHRISTI 1551.

effluentem effundat in sinum ecclesiæ hujus in suo nomine congregatæ, & inducat in omnem, sicut tuus promisit filius, veritatem, atque omne consilium nostrum confirmet, quod operatur in nobis. Quænam ista, inquam, quæ ita progreditur in multitudine virtutis suæ, ut non obscure præseferat tam diu velle persequi inimicos, donec comprehenderit ita deficientes, ut sint non inimici? Quasi aurora consurgens Luciferum præcurrens astrum, eatenus intelligentiæ suæ luce proficiens, quoad radiantis usque justitiæ Solis meridiem perpetuam pertingat, ubi cubans meridietur, fugato, quod nunc pernoctat, dæmonio meridiano. Interim vero dum in clypeos vestros aureos Sol ipse refulget, nullo non splendente monte, panditur terribilis castrorum acies ordinata: quid, ni terribilis, cui præest dominus exercituum, ubi castra sunt Dei? ubi puer apertis oculis igneorum curruum montem videt plenum? ad instar illius ordinata acies, quæ primos præliantes de cœlo in profundissimam abyssum deturbavit.

Psal. 67. *Cant. 7.* *Psalm. 90.* *Eccles. 24.* *Reg. 6.* *Apoc. 22.*

Sed jam cœlestem nomenclaturam audite. Ipsa est Christi domini corpus, quæ per Mariam, quasi turtitum quoddam & eburneum collum salvatori suo capiti conjungitur, qui Deum habet caput: illa vitales haustus prima suscipit, & refluit, per illam aspiramus: & de suspirio respiramus: hoc Christi domini mysticum & visibile corpus, non invisibili capite gaudet, Julio III. Rom. pont. max. a Deo vocato, ut Aaron (qui montanus interpretatur) cui in beato Petro dictum est: *Tu vocaberis Cephas*. Quanta autem capiti huic aureo gratia sit oculorum, quantus sensuum ornatus, vix consequi oratione quis possit: superat namque omnem physici corporis, formæ quantumvis speciosæ, & habitum, & pulchritudinem: quod se argenteo, & quidem extento brachio, protegit in salutiferam protensum dexteram, quam dominus Christi sui non jam Cyri, sed Caroli, apprehendit, ut ante faciem ejus glorioſos terræ humiliet, cui det thesauros absconditos, & novos orbis tractus, ipsosque latissimos. Is reginæ hujus inclytæ primogenitus, ipse & fortitudo ejus, & (ut semel dicam) prior in donis, major in imperio. Hoc autem corpus totum, quod & cœli regnum est, sacerdotali, eaque regia decoratur civitate, quæ ex omni tribu, lingua, populo & natione, sexu, ætate, ordine a Christo domino ædificata est Deo patri regnum (quod vos non sine vestra magna dignitate repræsentatis patres) in cujus summa corporis constructione, quam similem navis carinæ videmus, caput collocavit Deus: in quo, sicut nauclero, ipsoque hominum piscatore, totius esset regimen animantis, & vitalis inde influxus in totum corpus derivaret, caperentque hinc ad nominis rationem initium sensus omnes: priorem autem ejus partem, quæ facies dicitur, necessariis membrorum ministeriis instruxit pariter & ornavit: ut sicut corpus unum ex simplicibus membris constare non poterat, nisi ut essent partes ut sinistræ dextræ: sic & in capite, quod totius divini operis quasi culmen est, & visus in duas acies, & auditus in duas aures (ut reliqua taceamus) a summo opifice divisa sunt, quorum membrorum vel ex hoc maxima dignitas, quod sedem habent in capite: quod unam suam vim per oculos mentis fenestras conspicuam facit, per linguam explicat, per aures ingerit, per barbam honestat.

Cant. 7. *2. Cor. 11.* *Hebr. 3.* *Joan. 1.* *Joan. 1.* *Isa. 55.* *Gen. 49.* *Corpus.* *Apoc. 5.* *Caput.* *Matth. 4.* *Facies.* *Partes.*

Hoc autem maximum est sacramentum in corpore ecclesiæ: nam per duos oculos, duo in ecclesia ordines designantur, majorum scilicet & minorum gentium (id est prælatorum) per linguam prædicatores: per aures plebs verbum hauriens: per barbam autem sacerdotium, quod totum facies ecclesiæ aptissime nominatur: quæ nunc ad ipsius capitis nutum summa omnium gratulatione legitime convenit: cujus, nisi in primis ratio authoritatis constiterit, & sartam tectamque præstetis: nisi eam clypeis & validissimo præsidio munieritis, actum est de salute nostra: præsertim qui locati sumus in capite: atque adeo totius corporis incolumitate hoc maxime suis jaculis petunt, hoc abscindere desiderant, quicunque acephali, qui cum corporalis vitæ sine capite fieri posse participes desperarent, prodigiosa quadam mentis cæcitate in spirituali vita, quasi truncus a capite avulsi, posse vivere, temere arbitrantur (quasi vero gratia naturam non imitaretur, addo, & honestaret) quos divino suo spiritu describit Paulus: *Non tenentes*, inquiens, *caput, ex quo totum corpus per nexus & conjunctiones subministratum, & constructum crescit in augmentum Dei*. Mortui igitur cum sint, quid adhuc tanquam viventes decernunt?

Caput Acephali. *Coloss. 2.* *Act. 2.* *Ezec. 3.* *Ezec. 33.*

Quando itaque in certamen descendistis, Viri fratres, pro salute capitis corporisque totius, erit muneris oculorum, qui speculatores domini Israel dati sunt, & altissimum locum obtinent, prospicere supervenientem gladium, ne sanguis de manu speculatoris requiratur: & circumspicere, ne forte quis exeat vallum castrorum, ne pertranseat terminos, quos posuerunt patres nostri, traditiones videlicet ecclesiasticas hactenus conservatas.

Oculi.

Duplex ecclesiæ munimentum pro muro & antemurali, ex divinis & humanis constans legibus, conjungatur in hoc opus: amborum luminum visus, utriusque ordinis successio, velut acies, dirigatur, & apostolorum duodecim, qui dexter est oculus, & septuaginta duorum, qui sinister est: nec feriant fœdus cum Ammonitis, qui hanc præstant salutem, ut quærant oculos eruere dextros: nec alii quippiam de hujusmodi ministerio in eorum ipsorum perniciem usurpent, ne cum Betzamitis, qui aream domini introspexerunt, intereant. Inspiciant ergo, ut faciamus ad exemplaria cœlestium, quæ nobis monstrata sunt. Peragamus hierarchas agere imitati triplicem illum sacratissimumque principatum, quem trina ipsa functione exprimimus, purgantes per excommunicationem: *arma militiæ nostræ; non carnalia, sed potentia Deo, ad destructionem munitionum consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, & in captivitatem redigentes omnem intellectum ad obediendum Christo, & in promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam*: tradite vexandos magis satanæ in interitum carnis (*quo spiritus salvus fiat*) hæreticos quoscumque schismaticos & flagitiosos: nec passim pro temporalibus causis tremendum gladium distringatis, ne acies obtundatur, & contemnatur potestas sacrosancta, quæ non nisi letaliter negligitur: quin potius sæcularis potestas imploretur, dum adhuc nobis restat, quid agendum sit. Oprimo enim jure hunc positivi juris ordinem audacter dixerim invertendum: quippe, quo divini juris ratio posthaberi videatur. Huc pertinet multiplicatio illa censurarum, quarum rete, ne oculi quidem pennatorum

Isai. 26. *2. Reg. 13.* *2. Reg. 6.* *Exod. 26.* *Hierarchizare.* *purgare.* *2. Cor. 10.* *2. Cor. 1.*

eva-

ANNO CHRISTI 1551.

evadunt, ita ut liceat cum Antonio exclamare: Quis hos laqueos evadet? Dicto vero audientes, indulgentiarum largitione profequamini, quasi præmio quodam, afficiatis: largitione dixerim, non profusione: sed parciore & pretiosiore usu, ne, quæ imminui non potest, cœlestis thesauri denique magnitudo vilescat, & simul ecclesiastica evervetur disciplina.

Perficere.

Perficite per legum & canonum salutarem constitutionem: sed eorum, qui rationem culpæ tollant: pœnæ vexationem inducant, quæ præstat intellectum.

Rom. 7. Arist. eth. lib. 7. c. 10.

De legum autem custodia districtius decernite, longe quidem illa saluberrima, & juris præsertim communis magno sæculorum & patrum consensu non sine numine promulgata B (quod id est in homine politico, quod sensus communis in physico) Ut quid enim addimus legem legi, ecclesiam onerantes? an ut innotescant delicta, & fiat supra modum peccans peccatum, & abundet prævaricatio? scitote non deesse nasutos Anaxandrides, qui convicientur: quod non tueatur ecclesiastica civitas, quas condidit leges: præsertim cum ex observatione priorum hujus synodi decretorum (ut de antiquioribus interim taceamus facile nobis liceat conjicere, quid de sequentibus sperare debeamus, & promittere nobis possimus.

Illuminare.

Illuminare postremo per doctrinalem prædicationem, perque administrationem sacramento- C rum, idque per vos *ipsos* præstate, & quos præesse non pudet, prodesse delectet. Num carnales sponsæ per alios fœcundantur? nec prolem nostram a nativo quodam ubere avellentes nutricibus educandam tradamus: non enim alienis, sed propriis humeris, evangelicus pastor ovem perditam reportavit. Hinc morbi crescunt, inde

Luc. 15.

1. Petr. 4.

oves pereunt. Præstemus nos tandem *fideles dispensatores multiformis gratiæ Dei*, *in alterutrum illam administrantes*, quibus cum illo, qui ex

Ephes. 3.

humilitate sanctorum se omnium minimum asserebat (alioquin maximum) data est gratia illuminare omnes: quæ sit dispensatio & communio sacramenti absconditi a sæculis in Deo, quam ne principatus quidem & potestates D noverant: nisi Deus per ecclesiam suam ipsis revelasset Christianas divitias: o divitiarum altitudo!

1. Tim. 4.

Impleamus ministerium nostrum: opus faciamus evangelistæ, nos enim etiam referebant, sancta illa quatuor animalia Ezechielis, toto corpore plena oculis nunquam claudendis, præterquam uni Helenæ inspiciendæ, a qua cum proceribus non jam Trojanis, sed Christianis avertendi sunt. Nec desideretur linguæ munus, quæ os domini est, annunciet omne consilium Dei auribus, quæ plebs sunt: interpres fidelis sit sacri illius Spiritus, quo inspirante loquuti sunt sancti Dei homines: sequatur sacri Spiritus ductum, qui per priorum patrum ora locutus est: E non se extollat in cœlum os, nec terram lingua pertranseat: sunt enim miseri linguam suam magnificantes: sed a gehenna inflammatam, qua mentis castitatem commaculant, qua electis angelis domini exercituum conviciantur: quod Michael archangelus cum reprobo agens non est ausus inferre. Infelix hæc de verbis Dei, quasi de inauribus filiarum Israel, animarum fidelium unico ornamento, fabricata est opere fusorio vitulum conflatilem, prodigiosam metamorphosim intelligentiæ proferens ad suum sensum: quo fit, ut

Ezech. 10.

Ethi. lib. 2. Actio. 20.

2. Petr. 1.

Psalm. 72.

Psalm. 11.

Exo. 3.

Lingua.

Judæ ep.

Deut. 32. Exo. 11.

A merito confuderit dominus labium ipsorum, quasi Babylonicæ turris structuram repetentium: qui totidem fere inter se sententiis pugnant, quantis fuit illud unum labium divisum idiomatibus, omni vento doctrinæ circumlati, & sicut arundo agitati. Sed cum satan divisus jam sit eis, nec dubium, quin longiori tempore stet regnum ejus.

Ephe. 4. Matth. 22.

Magna igitur danda est nobis opera, patres, ut in quas istæ polygraphæ Syrenes incantarunt, miseræ plebis aures instillemus eloquia casta, igne examinata, quem ideo dominus voluit accendi, ut ad purum decocta ejus argentea veritate, quacumque adhæsisset, hæreticorum scoria cremaretur, & manifestarentur probati. Accessit iis malis, quod imparatam plebem, & quæ nullam reddere rationem valet de ea quam profitetur fide, magistram constituerint: clavem ei scientiæ dantes, sed quæ non aperiret, quasi labia sacerdotis scientiam non custodirent, de quorum ore ex præcepto domini quærenda potius lex fuisset: felicior futurus populus, si cum Israelitis ob id a domino commendatis deprecatus esset, quominus fieret ei verbum, ne forte moreretur, sed Mosen loquentem audisset, quinimo melioris testamenti sponsorem factum Jesum per apostolos, eorumque successores de cœlo adhuc eis loquentem, nec enim vel primarii discipuli magnificam vocem de cœlo allatam in monte sustinere potuerunt, quin caderent, quos pia magistri erexit dextra.

Aures. Psal. 11. Psal. 17. Luc. 12. 1. Cor. 2. 1. Petr. 3. Luc. 11. Mala. 2. Exo. 20. Hebr. 12. Mal. 9. Psalm. 138. 2. Reg. 10. Hiero. epistola adversus Luciferi.

Sed jam ipsa corporis positione descendat oratio ad barbam quasi Aaron: quam ad dehonestandam ecclesiæ faciem iste Aaron dimidiam præscindit, cum ecclesiam ipsam ad unam tantum sacerdotii laicalis speciem (quod baptismus est) contrahit ordinem sacerdotii (quod horreo dicere) tollendo, & perditissima impudentia claves traditas ecclesiæ auferendo: nec vident, quod barbæ ipsius ratio, sicut in naturali corpore, incredibile est quantum conferat ad dignoscendam maturitatem & decorem virilitatis: ita in mystico barba est sacerdotii, quæ prima effluens e capite ungentum excipit: quod pro varia cultus ratione, aut diligentioris, aut negligentioris, fluit & descendit in oram usque vestimenti, quod plebs est: quæ inde ad certamen & colluctationem quasi athleta, ungitur. Sed qui unctionem auferre tentarunt, indigni sunt habiti, qui ab unctione docerentur. Denuo male convenientes adversus christos domini, tanquam lezabel prophetas e medio abstulerunt, & pseudoprophetas quasi quadringentos & quinquaginta superinduxerunt: &, qui relicti sunt, nisi prius eos quidam alter Abdias quinquagenos & quinquagenos utcumque pavisset abscondens, fuerant prorsus omnes interituri. Sed vivit Augustus, ut aliquando semel virtute Heliam pergat præstare in " chylon, sicut cœpit fugare: & " unde Deum glorificare debuissent cum evangelica illa plebe: quod talem potestatem dederit hominibus: qualem scilicet ecclesia in beato Petro & successoribus suis accepit? Bone Deus quot quantisque convitiis honoris loco prosecuti sunt, ut eam obfirmatis animis negarunt?

Barbæ. Psal. 32. Ephes. 6. 1. Joan. 2. Psalm. 2. 3. Reg. 18. Cison. Expulsi prædicatores Lutheri. 4 Germania. Matth. 16. 20. 21. Matth. 25.

Sicut autem corpori partes insunt dextera & sinistra, ita & huic quoque sic insunt corpori, ut per eas dividatur: & ad meliorem vel deteriorem pertineat portionem: rursumque, sicut vita corporis durante, unaquæque pars tam sinistra, quam dextera, corpori cohæret, ita quamdiu

Dextera. Sinistra.

ANNO CHRISTI 1551.

tardat filius tradere regnum patri, & donec justitia convertatur in judicium: adversatur sibi invicem utraque pars, licet cohæreat in una ecclesia: in qua, velut in uno Rebeccæ utero, pugnat: estque partus hujusmodi, ut nisi visibili mundo moriens, quasi Rachel filium dexteræ possit eniti.

1. Cor. 15. Psal. 83. Gen. 25. Gen. 35.

Sed video jam mihi, viri patres, præscindendam esse orationis telam adhuc texenti, & reliquum ecclesiæ corpus velandum pallio pullo, quo pictor ille mœstissimi caput patris obtexit. Sustinete ergo me, obsecro, qui fusiori utar oratione, quam instituti forte ratio postulet, tantisper dum causæ jugulum peto, & vobis aperio statum.

Status causæ.

Articulus itaque cardinalis, in quo totus status causæ hujus ecclesiasticæ versatur, & dogmatum & morum, quæ conjuncta sunt & individua, illa una est suavitas dispositionis rerum, suavitas inquam dispositionis rerum, hujus naviculæ prora & puppis: hac & quæ de dogmatibus & quæ de moribus controversiæ natæ sunt tollentur, & habitabimus omnes unius moris in domo. Si paci igitur & unitati ecclesiæ studemus, (id, quod facimus) & re & sacramento (tractamus enim de eucharistia sacratissimo unitatis signo, unde secuturæ unionis accipio minime superstitiosum omen) ineunda nobis est compendiaria quæpiam ratio, qua religionis dissidia componantur: non quasi veritas vitæ, ne dum doctrinæ eam compositionem admittat, qua integritati ejus aliquid detrahi, aut addi patiatur: est enim nefas: accipiat licet evidentiam, lucem, destructionem: sed retineat necesse est plenitudinem, integritatem, proprietatem: sed cum eo, qui paratus erat rationem reddere omni poscenti de ea, quæ in nobis est fide, agamus: & repetendo & declarando (*declaratio enim sermonum Dei illuminat & intellectum dat parvulis*) compatiamur infirmitatibus fratrum sine indignatione, quod præstat vera justitia: ne gravate eadem sæpe cum apostolo dicamus, quando res ipsa cogit: hoc enim novissimis conciliorum decretis catholica in Spiritu sancto perfecit ecclesia, vetera fideliter sapienterque tractando, ut intelligeretur ipsa exponente illustrius, quod antea obscurius credebatur: antiqua enucleans, expressa firmans, definita custodiens: profectus enim fidei rationem corporum in crescendo imitatur, ut sunt: nihil novum postea profertur in senibus, quod non in pueris jam antea latuerit: & quæ fuerat adolescentis, ipsa & senis una natura eademque persona sit: ita etiam unum Christianæ religionis dogma uno eodemque sensu suas profectuum leges in omnibus unius ecclesiæ ætatibus sequitur: siquidem ad profectum pertinet: non ad permutationem, ut in semetipsa unaquæque res amplificetur: hujus autem felicia mystici corporis incrementa in assumpto corpore Christus præsetulit: qui sapientia & ætate crevisse perhibetur, tamdiu duratura, *donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis filii Dei in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis ipsius Christi.*

Psalm. 97. Unitas. 1. Petr. 3. Phil. 3. Psalm. 118. Luc. 1. Ephes. 4.

Agamus tum universalis ecclesiæ utilitatis causa, tum vero inclytæ nationis Germanicæ, quæ jam pridem discordiis in iis præcipue, quæ ad religionem pertinent, plurimum divexata dissidet: cujus saluti opitulaturi convenimus, ut illam nobilem provinciam universam, reipublicæ Christianæ robur, partem imperii potissimam, ante scilicet lustra sex in fide & religione nulli secundam, cum capite & reliquo corpore, cujus est honestissimum membrum, in omni amore atque amicitia conjunctam videamus: sicut bonam ejus partem unitatis & caritatis retinentem pro semine videmus hactenus a domino conservatam, & quamvis domus exasperans eum, & quamvis irritatores multi sint (dicit dominus, non ego) vos, qui spirituales estis, instaurate, instruiteque præoccupatos & circumventos in spiritu lenitatis: si forte quiescant, considerantes vos ipsos: ne & vos tentemini: *alter alterius onera portemus: & sic adimplebimus legem Christi*, judicate in æquitate deceptos: quando etiam deceptorem inimicum Deus non nisi justitia vindicavit, enitimini, contendite, elaborate omnibus viribus, consilio, authoritate, ut obducatur jam cicatrix filiæ populi hujus: obligetur gravissimum vulnus reipub. impositum, quandoquidem tot, tantique medici conveniistis in Galaath, ubi non deest resina: adhibete unionem, tentate omnia ante ustionem, nullum non moventes lapidem, ne in hoc ulceris pruritu, tanquam unguis existamus.

Germaniæ laus.

Galat. 6. Ezech. 2. Psal. 95. Hier. 8. Exhortatio.

Pro Christo ergo legatione fungentes, tanquam Deo exhortante per nos, o Germani, non sine vestris primariis principibus, qui nobiscum sunt, obsecramus per modestiam, & mansuetudinem Christi, reconciliamini Deo. Deus enim dedit synodo suæ *ministerium reconciliationis, & posuit in ea verbum reconciliationis*: ipsa est mulier Thecuitis sapiens & fortis, & spei plena, secundum nomen suum, cui ad regem ingredienti, figuratam locutionem dictavit, & suggessit verus Joab, qui patrem habet Deum, Christus, ut pulchrum revocet Absalonem: decorum hunc & candidum populum patri reconciliet, per quem tandem unum fiet, ut faciem regis videat populus iste, & ad osculum admittatur. Excitemus, vigilantissimi patres, & vocemus Sunamitidem hanc dormientem veterno quodam malo soporatam, quo eam Christus illuminet. Inclamemus cum sponso, ne hoc semel, sed iterum, iterumque congeminemus: Revertere, revertere, redi ad nos, en occurrimus tibi a terris ultimis, quærimus te, non parcentes nobis, parcimus tibi, donamus tibi in persona Christi, si quid læsisti: nihil moramur, non exprobramus: veni, invitamus te ad nuptias: ecce prandium paratum ne negligas: famem tuam sacri corporis cibo sedamus: ad sitim tuam Christi sanguinis poculum propinamus, quo sic congeramus carbones caritatis super caput tuum, carbones desolatorios. Hoc cupimus omnes bene ignito incendio conflagrare.

2. Cor. 5. Principes imperii ecclesiast. 2. Reg. 14. Synodus mulier Thecuitis. Ephes. 5. Cant. 6. 2. Cor. 12. Colos. 3. Matth. 22. 2. Cor. 2. Galat. 4. Rom. 22. Psal. 119.

Vox sponsæ ad Germanos: Bene currebatis dilecti mei Germani: dilecti uteri mei, dilecti votorum meorum, quos iterum parturio, donec reformetur Christus in vobis. *Quis vos fascinavit non obedire verbo veritatis* iis, quæ majorum hæreditate acquisivimus testimoniis? *quare transferimini* non jam cito, sed tandem post mille & quingentos & eo amplius annos *ad aliud evangelium: quod non est aliud, nisi quod sunt aliqui, qui nos conturbant* & voluere *invertere evangelium Christi*, quibus cum Paulo (etsi angeli forent) anathema dicimus. Venite confidenter, venite securi, ambulemus in domo domini unanimes cum consensu, sicut in diebus antiquis dulces capiamus cibos pinguis illius Christi panis, qui præbet delitias vel ipsis regibus: non enim est Deus author dissensionis, sed pacis, & spiritus prophetarum subditi sunt prophetis. Os nostrum patet ad

Galat. 1. Psalm. 54. Jacob. 14. 2. Cor. 6.

ANNO CHRISTI 1551.

ad vos, o Germani, sed eum gentis vestræ electis & piissimis qui inter nos sunt patribus, & cor nostrum dilatatum est: veritatem dicimus in Christo quod tristitia nobis magna est, & continuus dolor cordi nostro, ita ut optarit hæc alma synodus, si fieri posset, anathema esse pro fratribus Germanis, sicut extranei facti sumus propter vos fratribus nostris, & peregrini filiis matris nostræ, & incolatus hic noster tamdiu prolongatus est: ecce veræ matris synodi viscera commota sunt, quæ Deus pietatis commiseratione replevit, ad thronum veri Salomonis stans: imo provoluta non acquiescit affectui illi plusquam novercali, quo petitur vivus infans Germanus dividi, nihil dubitans, quod illa viscera misericordiæ Dei, qui plusquam Salomon est sapiens & bonus, qui vestem suam dividi non est passus, infantem dividi patiatur: quin imo reddet vivum infantem matri, reddet synodo germanæ matri infantem vivum, qui etsi per ætatem consenuisse videatur (proh dolor) sensibus factus est puer.

Electores.

Rom. 9. Psal. 68. & 119.

3. Reg. 3.

Venite renovemus pariter, quasi regnum antiquum, disciplinam morum in ecclesia: debueramus fuisse tenacius retinentes non eorum solum, qui circa virtutes versantur & vitia, quos cupimus maxime peremendatos, modestioresque ac commodiores omnibus contingere: quotus enim quisque Christianorum invenitur, qui ita institutus, & bene moratus sit, sicut naturæ ratio postulat, ne dum fidei? quotus quisque discinctus illam Cypriam zonam, quæ vel scientes & prudentes constringit ipsos, sicut qui libat domino concupitam aquam, nedum oculum eruit scandalizantem? sed iis corrigendis tantum & revocandis fortassis non erat perinde necessarius sacer iste conventus: licet sine illis frustra quisquis sibi de fide aut blandiatur aut glorietur, vacua lampade cum virginibus fatuis numerandus.

Ephi. lib. 7.

Matth. 25.

Reformatio.

In reip. itaque ecclesiasticæ reformatione, amabiles Deo patres, permagni momenti est & caput, illa una, quam paulo ante dicebam, suavitas dispositionis rerum, cujus vel sola commemoratione nihil suavius. Si enim Deus, cujus providentia in sui dispositione non fallitur, sic res administrat, quas condidit, ut eas proprios motus agere sinat: quanto magis suavitatem hanc dispositionis imitari & observare oportuerit eum, qui authoritati ædificandæ non est cooperatus, sed successit, sed est sortitus, in quo eam universa accipit ecclesia, nempe ab unitate ut proficisceretur, ut derivaret in reliquum corpus: si enim totum corpus est caput, ubi oculi? ubi auditus disciplinæ sensus? quod si essent omnia unum membrum, ubi corpus? frustra ne sic posuerit Deus in ecclesia apostolos, & eorum successores filios sanctis pro patribus: frustra dedisset pastores & doctores: hæc itaque vera in ædificationem potestas est: hic verus decor: ne scilicet quod pulcherrimum est in domo Christi ecclesia, ordo ipse tollatur: nonne si Deus ut non esset schisma in corpore, ita temperavit illud, ut quibus deerat membris, honorem & abundantiorem quidem voluerit esse tributum: quare non multo magis, quæ nobiliora habentur cohonestemus, sua quibusque munera, & functionem permittentes? sicut beatus Gregorius inquit, *honorem meum non reputo, in quo fratres meos honorem suum perdere cognosco:* mentior ego, si non mihi sermo ille apostolicus astipuletur, fidelis quidem, atque omni plane acceptione dignus, qui habet,

1. Cor. 12.

Ephes. 4.

1. Tim. 3.

quod ecclesiasticus ordo confunditur, cum sua unicuique jurisdictio non servatur: sed rem consulto prætereo: nec enim est hujus aut temporis aut loci, præsertim cum sit testatior, quam ut speciatim eam attingere oporteat.

Jam enim invaluit consuetudo, a cujus corruptela impetratum videtur, ut nihil non liceat, nec desint speciosæ quædam causæ, quibus fit, ut expedire etiam omnia videantur. Sic intermissa est conciliorum provincialium celebratio: quæ secundum generalia unica est vineæ domini cultura, generalibus ipsis viam parans, & eorum (ut ita dixerim) aurora, & præcursor: quo fit ut sine illis in œcumenico hoc quam plurimæ difficultates nobis veniant superandæ. Taceo, quod fere omnes desertores sumus: & de præsidio & statione decedimus caularum armenti dominici, quo certe oportuerat palabundas oves studiose & misericorditer collegisse: qui ita vagamur, quasi certas sedes non essemus sortiti: & non homines simus conductitii atque administratorii ad eos missi, qui vocati sunt ad hæreditatem salutis capiendæ: in quo præclaro munere principes angelos conjunctos habemus, & prævenientes, quibus quidem mandavit de nobis Deus, ut in manibus tollant nos, ne ad lapidem impedimentorum offendat pes affectuum, neve ipsis ad excusationem utamur: nec enim adhuc usque ad sanguinem restitimus. En positi sumus custodes in vineis: & licet filii matris nostræ contra nos pugnent: curemus tamen, ut de nobis meliora & viciniora saluti sperentur, quam ut dicamus, vineam meam non custodivi.

Concilia provincialia.

Residentia.

Hebr. 1. Psal. 67. Impedi. ordinariorum.

Psal. 90. Heb. 12.

Cant. 1.

At illud quod dolenter potius quam contumeliose dixerim: quanta est bone Deus præposteratio rerum atque inversio: quod ordo, collegium, & senatus, quo amplior habetur & sacratior, sæcularibus eo magis & temporalibus se curis atque negotiis implicat: quibus Paulus jubet contemptibiles quosque de ecclesia præficiendos: spiritualia vero inferioris classis hominibus demandantur: quasi spiritualia essent propter temporalia, & non magis contra. Sed pictas inservit quæstui, & talenta aurea spiritualia, quæ negotiaturi accepimus, infelici commercio pueriliter plumbo commutamus. Sic spiritualibus temporalia, divinis terrena, pretiosis vilia præferuntur: nec nos movet, quod apostoli, qui primitias hauserunt spiritus, diaconiam instituunt, & dedignantur mensis ministrare, ne tantisper verbi Dei prædicationem, aut orationem intermittere cogantur: cum tamen ad illa pertineat opera ministratio ipsa, per quæ fidelis populus est in dextera collocandus: sed tantos heroas, eorumque successores decuit meliora charismata æmulari, & excellentiorem prærnonstrare nobis, quam sequeremur viam. Sic princeps apostolorum, Linum, & Cletum pontificalibus præficit functionibus, quamvis sacratissimi, ne quid de oratione, & verbi Dei prædicatione, velut de legitimis horis remitteret, & sacratioribus, & Paulus præ officio evangelizandi, munus baptizandi non agnoscit: at nos quantum vacemus, scimus omnes, sciunt omnes. Emendemus igitur in melius, qui ignoranter peccavimus, qui nostris & populorum peccatis hæc omnia quibus premimur mala atque pericula creavimus, ne sicut bene admonet princeps apostolorum, simus dominantes in clero: addo & illud gentium doctoris periculosius quidem, ne scilicet credentium fidei dominemur, sed serviamus magis: ipsi enim honores in Christo in prima quidem facie videntur honores, revera

1. Cor. 6.

Act. 6.

Matth. 22.

1. Cor. 26.

1. Petr. 4. 2. Cor. 1. Luc. 12. 1. Tim. 3.

ANNO CHRISTI 1551.

autem non ſunt, ſed miniſteria: ſicut enim oculi non eſt honor, quod corpus illuminet, ſed actus ipſius: aut pedis, quod ſit corporis bajulus, non eſt contemptus ejus, ſed actus ipſius: ita epiſcopatus non honor, ſed actus epiſcopi: nec enim pro merito ſuo antecedenti honoratus eſt, ut eſſet oculus, vel epiſcopus: aut abjectus, ut poſſit: ſed ad hoc miniſterium aptus eſt judicatus.

Miniſterium epiſcopatus.

Diminutio eccleſiæ.

Defecit certe populus multus a domino: ob tributa magis onerum, an peccatorum, neſcio: & receſſerunt Aſia & Africa, perieruntque nobis quaſi tribus decem, ſi illarum provincias & nationes numeremus: & una pro duabus tribubus remanſit Europa: quæ ſicut minor tractu & ditione, ita & religione (proh dolor) haud minimam imminuta eſt: ubi eſt illud tam longe lateque propagatum imperium? de quo beatus Leo lætabundus dicebat: *latius præſidens religione divina, quam dominatione terrena: & minus eſt, quod tibi bellicus labor ſubdidit, quam quod pax Chriſtiana ſubjecit*: declinavit, inquam, & diminutum eſt Chriſtianum imperium, & in * pace amator facta eſt eccleſiæ amantior, illius imperii fines, qui non terræ, ſed cœli regionibus terminantur.

In ferm. de act. apoſt.

Iſa. 38.

Unum autem illud etiam adjuratus non tacebo, verſari me non abſque maxima cordis trepidatione inter ſpem & metum, cum videam eccleſiam hic contrahi, & in occidente pene occidere, in orientali autem Indico dilatari, & denuo ſuboriri; profectus enim ille ſpem adfert bonitatis Dei: defectus iſte metum incutit ſeveritatis, ne forte nos frangamur, inferantur illi, & qui naturalibus ramis non parcens ipſorum delicta quondam noſtras fecit eſſe divitias: ita diminutionem noſtram illarum gentium faciat incrementa.

Tranſitus ad Indos.

Rom. 11.

Pſalm. 43. 1. Petr. 5. Paſcere ex exemplo.

Paſcite ergo, patres, pecora occaſionis, paſcite qui in nobis eſt gregem, exemplo qui propoſiti eſtis, unde virtutum omnium exempla petantur; exemplum autem ſermo quidam tacitus, & pictura loquens, cujus nuſquam non audiuntur voces, cum exemplum facti relinquitur: unde plus exemplo, quam peccato nocemus: & ad hanc vocem obſtupeſcite, quod *quantum irrationali grege præſtat paſtor, tantum rationabilibus ſibi commiſſis ovibus paſtor præſtare debet omnibus*, ut ajebat beatus Gregorius, forma & ipſe paſtorum: quod exactius ipſi, ſi placet, perpendamus: non enim magnum videri poſſet, ſi rationalis homo cum alio comparatus præſtantior præſcriberetur (habent ſane aliquam comparationem) ſed cum eorum inciderit comparatio, quæ prope infinitum inter ſe diſtant, nempe irrationalis gregis & rationalis paſtoris: videte quam heroica & divina virtute oves nos præcellere noſtras jubeamur, qui non raro, nec pauci inferiores invenimur: quo fit, ut eo res ſint prolapſæ, ut non ſit jam dicere, qualis ſacerdos, talis populus, ſed melior populus, quam ſacerdos: quod beatus Chryſoſtomus inter extremas eccleſiæ calamitates numerabat; ſacerdotes inquam, qui cor & ſtomachus hujus corporis habentur, ſuntque ſal terræ: & quod ipſa veritas Chriſtus ſacerdotibus & ſcribis legis exprobrabat, prædicens, jam in nos maxime quadret: publicani præcedent nos in regno Dei: atque utinam ſic præcedant, ut tamen ſequamur: etſi cavendum ſummopere ſit, ne illa nos cenſura percellat, quæ in volumine legitur Ezechielis, ubi futuræ eccleſiæ & cœleſtis Hieruſalem ordo deſcribitur: in qua, qui peccarunt ſacerdotes, regradantur in ædituos & hoſtiarios: & cum in templo ſint Dei, & a dexteris, inter arietes non ſunt, ſed inter minimas oves: quod videtis quantum habeat notæ in noſtra, quæ adhuc militat eccleſia, cum ſacerdotem quempiam exauctoratum inter hoſtiarios iterum referri contingit.

S. Gregor. in paſt.

Iſai. 24.

Matth. 5. Matth. 21.

Pergite itaque verbo paſcere: nobis enim eloquia credita ſunt divina, talenta illa dominica vos ſeduli & cauti depoſitorum apud vos dogmatum cuſtodes, aurum accepiſtis: aurum cum fœnore reddite; non auri ſpeciem, ſed naturam, quod accepiſtis, non quod excogitaſtis, non privatæ adinventionis, ſed publicæ traditionis; vos firmiorem habere oportet propheticum ſermonem, cui grex plebis, quaſi lucernæ in caliginoſo loco lucenti attendat. Paſcite tandem ſubſidio, ne paſci magis, quam paſcere, imo depaſcere vineam domini, quaſi ſingulares feræ videamini, ne ad temporales mercedes cum mercenariis paſcere convincamur: ſi enim hic mercedem noſtram recipimus, agamus paſtores, non tonſores tantum: patres enim cum ſimus, vel eſſe deberemus, non nobis, ſed filiis theſaurizare nos convenit, paſcamus in innocentia cordis & in intellectibus manuum noſtrarum.

Paſcere verbo. 2. Petr. 1.

Paſcere ſubſidio.

Ezech. 34. Pſalm. 96.

Pſalm. 77. 1. Cor. 9.

Operæpretium fecerimus patres, ſi ſine ſumptu evangelium, & non ſumptum ſine evangelio poſuerimus. Evangelicis delitiis non ad gloriæ exterioris nitorem, ſed ad interiorem utilitatem utamur. Omnia poterimus patres in eo, qui nos confortat. Adjutores Dei ſumus: nec ſoli loquimur: ſed Spiritus ſanctus eſt, qui loquitur in nobis: num pro ſe tantum? imo & pro nobis: primum illud non numero ſed merito maximum apoſtolicum concilium dixit: *Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis*, quid quæſo honorificentius quam cooperatores Deo & in re tanta fieri? Quod ſi congregatis filiis Iſrael in Sion terra ſubjecta eſt, nonne magis quæ promiſſa etiam ſpiritualis terra eſt, vobis ſubjicietur, & tanquam mites poſſidebitis? quod ſi dominus, qui fidelis eſt in verbis ſuis, ubicumque duo vel tres in nomine ſuo congregarentur, medium ſe affuturum promiſit, quanto præſentior in eo erit conſeſſu, ubi non duo vel tres modo ſed tot eccleſiarum angeli pro Dei gloria convenerunt. Hoc pſaltes præcinebat: *Deus ſtetit*, inquiens, nec dubium quin ſtet adhuc in eccleſia deorum: in medio autem, id eſt, in filio, deos dijudicat per Spiritum ſanctum: *Vos enim dii eſtis, & filii excelſi omnes*, filii tonitrui. Quid eſt quod a Deo non impetret tanta ſimul angelorum frequentia, quos miſit Deus colligere ſcandala de regno eccleſiæ ſuæ, ut immittant falcem cenſuræ oris ſui, albeſcenti jam meſſi? Ergo hoc collaboremus, hoc agamus, in hoc evigilent curæ, & cogitationes noſtræ, quaſi ad clariſſimos ſeptentrionales dirigantur, ut quod feliciter inſtaurari cœptum eſt, abſolvamus feliciſſime.

Phil. 4. Spiritus ſanctus aſſiſtens ſynodo. 1. Cor. 3. Act. 15. Joan. 18. Matth. 18.

Pſalm. 19.

Actum eſt (mihi credite pontifices pontifici qui in eadem vobiſcum eſt navi) de fide, religione, de pietate, ſi (quod Deus prohibeat) ſpe quam eccleſia hactenus habuit in conciliis, nunc fruſtrata fuerit, & vel ſemel nunc viderit mundus inanes eſſe hos conventus: erimus autem omnibus hominibus quos ſol ſpectat, miſerabiliores, ſi teſtes fuerimus, ne dum miniſtri hujus calamitatis, ni præcedentium conciliorum informemus fidem. Intuemini quid a vobis expectet mundus, cujus oculis in vos ſunt conjecti: ſpectaculum enim facti ſumus mundo, angelis, & Deo. Opponite

1. Cor. 15. Gen. 44.

ANNO CHRISTI 1551.

nite vos patres medios quasi Aaron, state inter viventes & mortuos: offerte thymiama. Jam enim, sicut quæ egressa erat a domino, multitudinem vastabat: ita quæ de Aquilonis partibus hæresum labes atque portenta jam dudum eruperunt, per totum orbem terrarum summa impunitate & licentia vagantur, & plaga desævit. Erigite ergo vos & confirmate: caveamus ne quicquam vel ob gratiam, vel timorem statuamus, vel statuere intermittamus: in omnibus exhibeamus nos incontaminatos negotio, sicut apostolus admonebat. Non patiamur partes nostras desiderari, confidenter & viriliter decernamus quæcunque censuerimus orbis saluti conducere: & posthabitis omnibus ad unam Dei gloriam respiciamus. Nemo abscondit veritatem Dei a consilio multo: curemus pietate operum sedulo dominum promereri, qui faciat corda nostra templum dignum, ubi spiritus domini sedeat, qui per nos in tractatibus, conquisitionibus, & sessionibus loquatur, universus mundus cognoscat sessionem nostram ecclesiæ fore resurrectionem, ut posteaquam tam diu sedimus in civitate, tandem surgere, & ad proprias quisque oves & optatas diu sedes redire Dei munere possimus: & tunc erit placenta frumenti in summis montium, & implebuntur (dicit dominus) ecclesiæ areæ frumento electorum, & redibunt qui obliti fuerant comedere panem suum, & torcularia redundabunt vino, quod germinat virgines, & multiplicabuntur a fructu frumenti & vini, reparatis & confirmatis sacramentis: quæ iis elementorum speciebus ministrantur: & tu synode sancta a domino vocaberis, *voluntas mea in ea, voluntas mea in ea*.

1. Cor. 4. Num. 16. Offerendum thymiama.
2. Cor. 7.
Psalm. 19.
Psalm. 138.
Psalm. 120. Reditus ad sues.
Luc. 26. Zac. 4. Joel. 2. Psalm. 101. Psalm. 4. Gen. 25.

Sed, ut extremum habeat aliquid oratio mea, & ut ego ante dicendi finem faciam, quam vos me tacente audiendi, speciatim aliquid de dogmate orthodoxo attingam brevissime: de quo satis egisti tu synode sacrosancta, & cum Thoma fidei digito corpus hoc sanctissimum tetigisti, atque scripturæ sacræ velut manu attrectasti. Litigabant quondam increduli Capharnaitæ ad invicem de Christo dicentes, *quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum*? litigant & nunc non nobiscum modo, sed invicem etiam recentes Capharnaitæ, divini verbi omnipotentiam negantes dicentis, *Hoc est corpus meum*: & bonitatem pariter, qua se tam intime communicare dignatus est, dum dixit, *Accipite & manducate*. Hoc ille ait, qui dixit, & facta sunt: non enim immensæ illi divinæque bonitati sat fuit, quod passibilem carnem indueret de nostro accipiens, nisi nobis daret de suo, per ipsum nempe sed impassibile & invisibile corpus, quod de nostro acceperat, ut qui humanam personam non assumpsit, sed naturam, sui ipsius verbi personæ univit, nostris se hoc sacramento stupenda quidem charitatis dignatione quodammodo personis uniret, & nostra esset domini assumptio: fœlices nos, quibus ita pretiosa donata sunt munera, ut habitaret ille in nobis, in quo plenitudo divinitatis corporaliter noscitur habitare, sed audet malitia pugnare cum victrice sapientia, & in propria venientem dominum non recipere pudet, nihil tam bonæ gratiæ ingratos: unde tanto hospiti inhospitales potestate illa, qua Dei filios fieri acquiescunt, quotquot benigne excipiunt, se inhumane abdicantes mendacii filii patri suo, quam veritati credere elegerunt: avidentia merito a domino percussi sunt, qui dum non alia ratione magis hanc litis flammam de sopitis cineribus accenderunt, quam ut papæ Petri successori incommodaret (ita enim ajunt) quasi Balaam, pro maledictione benedicentes, cum frustra sudant in astruendo mendacii dogmate, veritatem vi numinis impellente confessi sunt (ore proprio condemnati) nec inconsulto Petri successori libenter incommodant, qui primum Petrum primam hanc hæresim recolunt refelliisse, ut dicenti domino ad duodecim, nunquid & ipsi abire vellent, sicut & ceteri, respondisse præ omnibus & pro omnibus: *Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes*. Magno nunc ergo jure Petri & apostolorum successores, quos & oderant & timebant, apostasiæ hujus divinos vindices experientur: ut sicut per Petrum adserta est domini spiritus sobria ebrietas: ita per ejus successores calicis hujus ebria sobrietas constituatur. Libet autem ex evangelista hanc hæresim recedentium a domino appellare, ut vel hinc damni magnitudinem æstimemus, quasi ad recedentes istos illud maxime pertineat: *discedite a me maledicti*, ut qui a domino recedere cum Capharnaitis elegerunt, ab eo æternum discedere cum reprobis cogantur.

Examinatur dogma. Joan. 6.
Joan. 20.
Luc. 22.
Joan. 6.
Matth. 25. Psalm. 68.

Quare patres armamini zelo, quo vos video prope comestos, ut sacramentalem hanc manducationem continuo in ecclesiastico convivio ab ipso conviva Christo custoditam, & plusquam mille integros annos sine controversia receptam, lautissime instruatis, ex nullo non loco vocantes frequentiam discumbentium, ut quando immedicabiles istos jejunos & inexcusabiles, qui recesserunt homines, suo ipsorum judicio jam damnatos revocare non detur, quin retro abire pergant: illos saltem retineamus, qui nutare videntur, qui veneni hujus eam hausserunt quantitatem, quæ nec occidat nec digeratur, nec mori cogat, nec vivere sinat. Quos, quantum opinor, sermo ille domini virtutis plenus respexit, qui habet: *nunquid & vos vultis abire*? ab ipso domino interim postulantes, ut sicut sermo ille, quem quasi dubitans protulit, omnem a discipulis abstulit dubitationem: ita nostra hæc conquisitio quasi percunctatio illa dubios retineat, fideles confirmet: sed quando ea est divitiarum sacramenti hujus altitudo, ut lynceam fidem, quæ possit penetrare interiora velaminis magis, quam discussionem desideret, nisi malit scrutator majestatis opprimi a gloria domini, cujus vel fimbriam vestimenti cum muliere evangelica tetigisse sufficit ad salutem.

Matth. 22.
Prov. 25. Luc. 3.

Nihil superest quod dicam aut asseram (ne præsertim videar de hoc præjudicium facere) præter unam laudem. Quid-ni enim laudarim sacrificium illud, quod peculiari quadam ratione laudis dicitur, estque? & hæc non sit speciosa laus in ore peccatoris: quid-ni sacrificium laudis honorificet me? hoc est mortis Christi sacramentum, idemque resurrectionis testimonium, ad eam comprobandam Christus Jacobo sub panis specie comedendum, ipso resurrectionis die traditur porrexisse. Hæc exigitur a nobis vicaria fides, qua primorum parentum perfidiam pia credulitate reparemus: sicut enim de cibo illo præcepit dominus dicens: *In quocumque die comederis, morieris*; ita de hoc mandans ait, *Si quis manducaverit, non morietur*. Pro illo ergo cibo, quem illi inobedientes & increduli comederunt, hunc nos obedientes felicius comedamus creden-

Laus sacrificii. Psalm. 46.
Vicaria fides pro pomo.
Gen. 2. Joan. 6.

ANNO CHRISTI 1551.

tes per illum, sicut falso serpens, sed per hunc, sicut vere serpentis creator dixit, divinæ nos naturæ effici consortes: quippe in Deo manentes, in ipsumque transformatos & insitos, nec jam ad nostram conspiciendam nuditatem nostros oculos aperiendos, sed ad inaccensam videndam lucem illuminatos, tanquam favo mellis cum Jonathan gustato, obedientiæ bonum eligere scientes, & malum contemptus reprobare. Fit autem, ut quo quisque magis ratione assequi hoc tentarit, & comprehendere, apprehendat minus: hoc deprehensi sunt infideles multi, qui dum hoc non credunt sacramentum, incredulitatem in seipsis latentem explorarunt, ut multa nataret in eorum labiis fides: hæc sicut prima fuit hæresis, totam fidem corrumpi, & Lydio quasi lapide angulari indicari probatos quosque. *Animalis* autem *homo non percipit, quæ Spiritus Dei sunt*, ideoque sapientes in oculis suis non poterunt intelligere sacramentum, nisi prius credentes. Nihil enim perinde sensus prudentiæ carnis exteriores simul, & interiores infatuat, atque incarnata hæc Dei sapientia, quæ timentibus cum in escam se panis specie velatum voluit exhibere quotidie comedendum: & videtur adhuc multis durus sermo, sed duris: fecit igitur sic quia voluit, qui est omnipotens.

1. Reg. 14.
1. Cor. 2.
Joan. 6.

O vere stupendum miraculum, monumentum perenne mirabilium domini, ineffabile & incomprehensibile sacramentorum sacramentum, eorumque omnium finis: eo enim respicit sanctificatio sacramentorum omnium, ut præparatio sit ad eucharistiam consecrandam, aut suscipiendam: cujus figura quid aliud, quam admirationis vox est *Manhu* (quod Latine panis dixeris) cujus vicinior umbra fuit & delineatio refectio illa hominum quinque mille ex panibus quinque multiplicatis: qualis igitur in veritate mentis excessus? Vere filet tibi laus Deus in hoc sacramento, & manifeste quidem magnum est pietatis sacramentum, quod modicæ massulæ operimento occultus Deus in Christo maneat.

Exo. 16.
Joan. 6.

Vere Deus absconditus! quid est homo o bone Jesu, ut præ te facias pretiosiorem? cur ita magnificas, ut te parvi facias? eligasque sub vilibus speciebus latere, quo adsis Emanuel usque ad sæculi consummationem: vere maxime probat hoc sacramentum, quod habes, in deliciis esse cum filiis hominum: certe homo si alioquin angelus minoratus, vel inde præ illis exaltatus est, quia tu homo: non enim angelos, sed semen Abrahæ apprehendisti, & licet grandis natio angelorum non habet Deum appropinquantem sibi, sicut Deus noster adest nobis: o mera dignatio caritasque, o dulcedo spiritus atque suavitas, non habens quo ascendas, assumpsisti quo descenderes, ex domino in socium, ex convescente in cibum. Tuam facis mortem nostrum pretium, te denique nostrum regnum & præmium, benedictus es domine, qui fecisti te omnia omnibus, qui es futurus omnia in omnibus. Benedictus es Deus, qui dedisti abunde nobis omnia ad fruendum in hoc superbenedicto fructu ventris Mariæ. Benedicta filia, per quem fructum vitæ communicavimus; da sub umbra illius, quem desideramus, sedere.

Psal. 64. Dignitas hominis.
1. Tim. 3.
Isai. 45. Psalm. 8. Isai. 8. Matth. 1. Prov. 8. Hebr. 2. Colos. 2. Cant. 2.

Ecce terra nostra dedit fructum suum gutturi nostro dulcissimum, fructum variæ spiritus ubertatis & justitiæ frugum incrementi miri, incipientibus tricies, proficientibus sexagies, perfectis centies afferens, quam accepit fructus terræ sublimis, & panis vitalis & subinde vivus, qui vivos deceat & resurrectionis filios, sicut mortuo cibo mortales nutriuntur, optimo isto cibo non implentur nisi esurientes, non esuriunt nisi repleti, non fastidiunt nisi inanes & vacui. Cibus grandium qui mutat in se, non mutatus in aliud, qui edunt, adhuc esuriunt, & qui bibunt, plus sitiunt. Non sit illa infelix anima abominata hanc omnem escam propinquior facta terris mortis.

ANNO CHRISTI 1551.
Psal. 84. 1. Cor. 9. Matth. 15. Cant. 6.

Hoc bonum quidem unum & idem triplex est, oblatio, quæ Deum respicit, communio nos ipsos, viaticum vero proximum; præteritum, præsens & futurum tempus quadam æternitatis imitatione complectens, quo esurientes implentur. Oblatio in cruce initiata est & consummata: veritas enim veri sacrificii umbratile consummavit, facta vero jugiter durat Deo sacrificium vespertinum & matutinum in odorem suavitatis, quod nos incruentum offerimus repræsentantes, exhibentesque: quod enim retribueremus domino, non habebamus, nec habemus adhuc aliud, nisi ipse se tribueret, quo placaremus. Alterum est sacri, noviſſimique convivii communicationis, a quo nullus, quantumvis pauper, aut retributionis impotens excluditur, imo compellitur, si vestem habeat nuptialem: nec enim acceptor est personarum dominus omnium, ipsa est quæ interim proximiores hic in unum tenet communio. Tertium, quasi triplex funiculus, viatici bonum est, quo tanquam per veram, regiamque viam homo perducitur ad terminum, & omnis consummationis finem Deum, cujus sempiternæ fuitionis symbolum est: qua sacramentali manducatione, qui se * lædit, consecratur, ægrum nutriens corpus proprium, prodest tamen corpori ecclesiæ universo & sacrificii oblatione & communione sacramenti: de hujusmodi Christus homine prædixit nihil ei profuturum etiam mundum totum lucranti, qui suæ tamen animæ pateretur detrimentum. Hæc regnum est, quod Dei filius nobis disposuit, ut edamus & bibamus super mensam suam, non sua modo, sed se, ut jam vere dicere audeamus: regnum Dei esca, & potus, hic calix inebrians: sed præclare hujus poculi sobria ebrietate madebat aliquando pia illa Monica, cum qua exclamare gestit animus, *cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum*. Hic paratur nobis mensa opipara adversus omnes, qui tribulant nos. Manducemus itaque patres & adoremus, sed non sicut pingues terræ, quibus & hæc ut mensa, aliis in retributionem honoris, aliis in laqueum conscientiæ, aliis quibusdam in scandalum proximorum.

Psal. 140. Num. 28. Psal. 115. Matth. 22. Rom. 2. Eccle. 4. Jos. 9. 3. Reg. 19. Psal. 118. Matth. 16. Luc. 12. Rom. 14. Psal. 22. Psal. 83. Aug. lib. confes. 9. Psal. 21. 22. 68.

Sed crevit plus satis oratio. Ecquis enim satiari poterit dulcedine hac mirabili, qui consideret Dei consilium, sacramentum voluntatis suæ & beneplaciti, atque supereminentem magnitudinem operationis virtutis ejus in sacramenti hujus ineffabilis peramabili institutione, caritatis immensitatem, sanctitatem inenarrabilis perfusissimique doni: quippe in quod venit dator ipse sanctus sanctorum: panis noster quotidianus effectus. Si se igitur, quomodo non & secum omnia nobis donavit? Omnia itaque patres, nostra sunt: nos autem Christi, Christus vero Dei. Tali ergo pane corde confirmato, cujus participatione unum corpus scilicet efficimur. Eia Christi milites arma spiritualia reparata induamur: arma lucis.

1. Cor. 1.
Matth. 6.

Nunc

ANNO CHRISTI 1551.

Nunc enim generali quodam totius ecclesiæ exercitu contra mundi hujus principem salvator congreditur. Beati, qui sub tali duce strenue militarint; ductor cohortis hujus primariæ & invincibilis, non jam unus Julius Cæsar, sed hic noster sacratissimus Julius, & Cæsar alter Carolus Maximus, Romanorum justior imperator: qui unanimes, tanquam Moses & Aaron, deducunt populum Dei: domestica regis magni familia militat: in proximo est, ut manus conserat, descendit Arca Dei in castra, collata sunt signa: quod si unquam alias, hoc certe tempore acceptabili, nefas est ignaviter agere: confidamus in eum, qui vicit mundum: non sibi soli vicit: habebimus victoriam, qui fidem habuerimus: illa est, quæ vincit mundum. Ergo qui spe victores jam sumus constituti super gentes & regna, ædificate, plantate, evellite; Deus autem (Pater gloriæ) per filium suum dominum nostrum, in Spiritu sancto conteret velociter satanam sub pedibus nostris. Amen.

1. Cor. 10. Rom. 13. Joan. 13. Papa Jul. Imperator Carolus. Psal. 76. 1. Cor. 16. Prov. 6. 1. Reg. 4. 2. Cor. 6.

Jo. 16. 1. Jo. 5. Hier. 1. Ro. 16.

XV.

DE CHRISTIANA PROFESSIONE oratio, & ad sanctissimum magni illius præcursoris servatoris nostri imitandum exemplar in tertia adventus dominica an. 1551. viro Christiano a sancta ecclesia propositum, & recitatum, humilis & pia hortatio, ab Augustinensis familiæ ordinis eremitarum religioso F. Leonardo Aretino habita, ad amplissimos patres concilii Tridentini.

Et si sæpius cogitarim, reverendissime hujus sacrosancti œcumenici concilii legate, illustrissime Tridentine princeps, duo ecclesiæ lumina, præsides reverendissimi, electores sapientissimi, nuncii, & interpretes, illustrium orbis principum consultissimi, pastores boni & vigilantissimi, patres longe reverendissimi, astantes omni virtutum genere ornatissimi. Etsi sæpius cogitarim, diuque memoria repetere, & animo menteque revolvere non destiterim ab eo, quod hoc mihi dicendi munus injunctum est a majoribus meis, quorum auctoritati reluctari nec possum, nec debeo: quæ verba mihi inveniri possent, quibus de Christiana professione, quod primum mihi dicendum proposueram, aliquid vestra virtute dignum in medium afferrem. Deinde eximii illius præcursoris servatoris nostri sedulitatem, & operam pro domo domini, quæ est ecclesia Dei vivi, laudarem. Et vos tanto ejus exemplo ad universæ reipublicæ Christianæ, vestræ fidei & pietati commissæ gloriam, & incrementum ad augendum pie exhortaret: vel denique vestram humanitatem, qua adducti, me attentissimis animis summa cum benignitate auditis, debita veneratione prosequerer.

Omnia tamen ita mihi cum ingenio, doctrina, & ocio, deesse verba cognovi, ad ea quæ optabam perficienda: ut in me nihil prorsus aliud esse viderim, quam quod orationi fidem, & oratori dignitatem & auctoritatem auferre possint. Dum vero hæc non animum, sed timorem augerent, magisque ex sententia videretur opus recusandum esse quam prosequendum: ne tamen diu tenerem, hunc mihi consilii exitum tandem inveni. Quod ecclesiasticæ lectiones sic divino dispensantur arcano, ut peritis scientiam afferant cumulatiorem, rudibus vero, qualem & me etiam annumerari volo, salutaris intelligentiæ gratiam largiantur. Non itaque eam mihi dicendi facundiam opus esse putavi, non illo eloquentiæ fonte nitescere, quo Demosthenes ille Græcæ facundiæ interpres, aut Latini eloquii lumen Cicero calluerunt. Non eorum arte, quorum, quasi torrens repentinis auctus imbribus, nuper per hæc ornatissima subsellia oratio ferebatur, & hominum mentes rapiebat, tenebat, apprehendebat, coercebatque. Sed tantum illius mihi gratiam sufficere existimavi: Qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuit, ut det nobis omnibus in Spiritu sancto congregatis recta sapere, & de illius semper consolatione gaudere, per Jesum Christum servatorem nostrum.

ANNO CHRISTI 1551.

Cujus ego ope fretus, & vestra pietate confisus, quid de Christiana professione sentiam, brevi, qua in re divinum imploro auxilium, explicabo.

Christiana professio est imago virtutis, rationabiliter animata interius, & exterius laudabiliter vivens, in nullo deficiens quod suam exprimat perfectionem. Ecce quam brevibus, non inquam elaboratis, aut nimio plus distertis verbis, sed magis piis, & ad intima spiritus penetrantibus, & corda audientium in Deum transformantibus, pii & catholici patres verum Christiani militis professionem descripserunt. Ut vero nullo unquam tempore vetitum esset mortalibus, hujus pulcherrimæ imaginis speciem, & formam intueri, sed eam in seipsis quotidie tanquam in speculo contemplari liceret. Hanc ipsam omnium opifex in primo parente, quasi in aurea quadam tabella adumbratam, inenarrabili quodam, mirabili tamen, artificio effinxit.

Quem virtutibus ornatum, scientiarum splendore coruscum, gratia præditum, non ocio defluentem existere, sed ut operaretur, in paradiso posuit deliciarum. Unde minus obediens explosus, virtutibus spoliatus, vulneribus affectus, sauciatus & semivivus relictus, ita & se & mortales omnes omnium generum injustos, mendaces, vanos, ac ipsa inanitate inaniores reddit, ut nisi novo desuper spiritus afflatu renovati fuissent, & eorum animis pulcherrima hæc imago, qua primus parens decoratus, & sua culpa spoliatus fuerat, reformata, omnes satanæ obsequio addicti æterno illo bono, ad quod maxime adniti decet, privati fuissent.

Sed clementissimus Deus, qui ad suam infinitam bonitatem declarandam, cœlum & terram, & reliqua quæ amplissimo cœli complexu coercentur, creavit, cujus tanta est magnitudo liberalitatis, ut creaturas omnes novis semper beneficiis exornare nunquam intermittat, qui erat in Christo, mundum reconcilians sibi, cui multa jam sæcula gravissime iratus, atque offensus fuerat, more pii patris, animo benefico, ac liberali, & ad hominem juvandum admodum propenso: Ecce ex injustis justos reddit, peccata omnia condonat, spiritum suum impartitur, & hominem ipsum non modo in priorem statum, sed illo meliorem reponit. Nempe nos in filios suos adoptatos, promptos, alacres, paratos, & ad omnia virtutum officia propensiores reddit. Reconciliandi modum insinuat apostolus. *Cum inimicis*, inquit, *Deo essemus, reconciliati sumus per mortem filii ejus*, cujus nos voluit esse participes. Modo ejusdem generis Christiani simus, qui veram

Rom. 5.

ANNO CHRISTI 1551.

ram fidei imaginem ſic geſtemus, ut non quaſi A rationis, eruditionis, & pietatis omnis expertes, flagitioſi, & turpiter vivamus: cujuſmodi ſunt quampluſimi, qui ſe Chriſtianos numerari volunt, cum Chriſti tamen ſimiles in vivendo eſſe nolint. Horum imago non imago virtutis laudabiliter vivens eſt: ſed inſtar illius quæ lapidibus affixa omni opere carens, ratione inſuper & ſenſibus exterioribus deſtituta, cujus cor, mens, animus, intellectus, lapis eſt: Quæ omnia veri hominis ſimilitudinem exprimunt, & non proprietatem. Veros Chriſtianos in Chriſto effingit ſanctiſſimus virorum cœtus in Actis ſuis. *Act. 10.* *Qui pertranſiit benefaciendo, & ſanando omnes oppreſſos a diabolo.* Bonis itaque operibus nobis vitam æternam promereri poſſe donavit, ut B per illa ſatagemus certam facere vocationem noſtram. Atqui ex eorum numero ſunt, qui veram Chriſtiani militis imaginem deturpari, virtutem ſibi adeo indictam ocio ſordeſcere, pretioſum tempus, nobis ad benefaciendum a natura oblatum, per ſocordiam, & ignaviam, graviſſima puniendam injuria, deperdi ſinunt. Qui tantum Chriſtum paſſum ſibi ad ſalutem ſufficere putant, ſicque ſeſe Chriſtianos probos jactant. Nonne cor eorum vanum eſt, & lingua mendax, & veritas in illis non eſt? Nonne Chriſtum ipſum impiorum ducem conſtituunt?

At quid quæſo, patres ampliſſimi, Chriſtum viam, veritatem, & vitam, ad erudiendum & ju- C vandum hominum genus veniſſe putandum eſt, quam ut nos ipſos ſteriles inquam, atque infructuoſas arbores ſpiritu ſuo vivificaret, quo uberrimos virtutum fructus Deo patri acceptiſſimos redderemus? Sub tropo, nobiliſſimi & ingenui animi viri, in regionem longinquam abeuntis ſervator noſter docuit quid potiſſimum eos agere oporteat, qui vere Chriſti ſunt. Spiritualem inquam mercaturam, ſed & fructuoſam hanc, que & quæſtuoſam nos dominus, quandiu in hoc mundo degimus, exercere voluit. Qui tam pecuniæ nobis datæ quam lucri, quodcumque ex illa ſuperlucratum fuerit, exactiſſimam ſumus ratio- *Matth. 25.* nem reddituri. Quod ſi talentum ipſum non ociandi, ſed negociandi ſua liberalitate noſtræ D libertati donatum, aut humi ſuffoſſum, aut ſudario obvolutum abſconderimus, auferetur profecto talentum ab eo, qui id habere videtur, & adhuc habenti dabitur. Quid in hoc, patres, ſibi voluit ſervator, niſi ut ignavorum, & inertium hominum negligentiam, & ceſſationem Deo odioſam oſtendat? Eoſque quorum mens ocio ſordeſcit, indignos liberalitatis, & divinæ hæreditatis aſtruat? Ut nulla ſit eis ſors in regno Chriſti & Dei?

Ad evangelium revertamur.

Hujus cauſa Joannes miſſus eſt non modo ut Chriſtum longe ante promiſſum, diu a patribus deſideratum jam adveniſſe nunciaret: ſed quales eos eſſe oporteret, qui illius participes fieri cu- E piunt. Quod ſub brevi ſacroſanctæ lectionis evangelicæ nuper decantatæ periodo, in ſanctiſſimo hoc viro, & Deo acceptiſſimo nobis videre eſt.

Poſteaquam enim ſacerdotibus, & Levitis Judæorum, quos principes & phariſæi de tribu Juda nobiliſſimi, ab Hieroſolymis, locus, inquam, ſacer, in quo tantum adorari fas erat, ad Joannem miſerant, ut quiſnam eſſet, interrogarent, intrepide reſpondit, & ſe non eſſe Chriſtum ingenue confeſſus eſt, ſciens eumdem honorem nulli mortalium competere magis quam ipſi Chriſto, propter quem ipſe Joannes, ut ei viam pararet, & teſtimonium de illo perhiberet, in mundum miſſus eſt.

ANNO CHRISTI 1551.

Ad hæc & num Helias eſſet inſtanter contendentibus, ſe Heliam eſſe apertiſſime negavit, quamvis in ſpiritu, & virtute Heliæ, ſancto pœnitentiæ exercitio, & prædicationis officio recte ſe oſtenderet: ſimiliter nec prophetam ſe eſſe voluit, eorum nempe, qui venturum Meſſiam a longe prædixerant, ſed præcurſorem, qui Agnum Dei venientem, peccata mundi auferentem, in ſpiritu baptizantem nunciaret, & publice prædicaret, & digito oſtenderet. Sicut etiam ſcriptura teſtatur quod neceſſum ſit omnes prophetas in vetus teſtamentum relegare (qui omnes & ipſa lex uſque ad Joannem prophetarunt) ſe vero ad novum pertinere, qui nedum propheta, id eſt, a longe, ſed pluſquam propheta eſt, cujus in officio major nullus ſurrexit. Vel denique cum non ſe verbum, ſed verbi clamantis vocem manifeſte vocavit. Statim quid Chriſtum recepturis potiſſimum agere conveniat: ſub Iſajæ teſtimonio oſtendit cum ſubdit.

Dirigite viam domino. O præclarum ſanctum *Iſa. 40.* & ſalutare verbum, cunctorum fidelium cordibus intimius quam ut dici poſſit, nunquam non retinendum. Non modo in ſynagogis Galilææ ad errantium Judæorum mentes diriguntur hæc verba, viri patres, ſed cunctorum magis fidelium quotquot Chriſtianam veritatem profitentur, corda petunt, excitant, & impellunt.

Dirigite, inquit, *viam domino*. O Chriſtiani milites, ſi enim dominum veſtrum ut filii timetis, fidelis ſervi & prudentis juſſa ſuſcipite. Si regem veſtrum veneramini, nuncii, & præconis edicta intelligite: ſi verbum in quo Deus ſibi complacuit, audire contenditis, verbi clamantis vocem arripite. Sed quænam hæc vox? Dirigite viam domino. Quid ergo faciemus, quo tutior via domino dirigatur? Via domino dirigitur, cum Deus viva fide, corde concipitur, & opere ſanctitatis exempla monſtrantur. Ut ergo dominum dominantium, regem regum, Dei verbum, hilares animo, alacres mente, purgati corde, dominum timere, regem ſuſcipere, verbum concipere, diuque retinere animo, mente, & corde va- leamus, viam domino dirigamus. *Rectas facite* *Ibidem.* *ſemitas Dei noſtri*, id eſt conſcientiarum noſtrarum ſpinæ radicitus prorſus evellantur. Quæ ſpinæ, quot & quales ſint, nec meum eſt, nec loci auctoritas, nec veſtra gravitas, nec temporis malitia permittunt: id tamen ſat mihi tunc dictum fuiſſe puto, dum eas ipſas quemlibet in ſeipſo experiri, & pungentes ſentire affirmem, teſtimonium reddente unicuique propria conſcientia arguente & defendente, ita divina ordinante juſtitia, ut male agens, ſibi ipſi pœna ſit.

Spinæ itaque conſcientiarum noſtrarum ſic evellantur, ut venienti Agno, qui tollit peccata mundi, aditus fidei pateat. Et cum intraverit, magis in pietatis operibus inſudemus, ne noſtra incuria, aut dæmonis aſtutia tollatur verbum de corde noſtro, ne ſalvi ſimus. Sed ne quos occupatiſſimos video, magis occupem hac brevi ſacroſanctæ lectionis hiſtoria, hoc uno divi Joannis exemplo, paſtores omnes eccleſiarum, mihi moneri videor: ut ſicut enim ipſe miſſus eſt in mundum, ut teſtimonium perhiberet de lumine, ita illi ſanctum & ſalutare Dei verbum ad ſubditas ſibi oves, ſuo labore pervenire curet, ad illas præſertim quibus adhuc in deſerto Cedar habitantibus nihil de vera ſalutis via, veroque lumine nunciatum eſt, his præſertim calamitoſis temporibus, quibus

pauci

ANNO CHRISTI 1552.

pauci admodum in ecclesia Dei doctores docent: pauciſſimi vero, e media plebe ſunt, qui docendi officium non aſſumant. Nullus eſt veſtrum, patres, qui ignoret talibus eccleſiæ opus etiam paſtoribus, qui cum Joanne Baptiſta & verbo doceant, & exemplo ſancto ædificent. Nulli minus otioſi eſſe debent, quam quibus aliorum cura demandata eſt. Providete igitur vobis, patres, & *Act. 15.* gregi vobis commiſſo, quos Spiritus ſanctus poſuit regere eccleſiam. Et ſi ullum unquam fuit tempus, in quo eccleſiæ vobis commiſſæ veſtra opera egerent: en hoc adeſt, in quo non modo corrupti ſunt mores hominum, ſed ob hæreticorum verſutiam ad hinc triginta & tres annos, & amplius fides ipſa noſtræ ſalutis initium nutet, & pene corruat.

Ad hos errores tollendos, ad has inſurgentes in eccleſiam hæreſes propulſandas, & expellendas, eccleſiæ antiſtites, & ſeniores Spiritu ſancto edocti, generalia, quæ & Oecumenica dicuntur, ſacroſancta concilia conſtituerunt. Quibus in conciliis membris male affectis neceſſaria & opportuna remedia adhibentur, ne morbus iſte paulatim ſerpendo, aut latius ſe diffundendo totum Chriſti corpus commaculet. Sed ſi fieri poſſit quod infirmum, & languidum eſt, ſanitati reſtituatur, quo gaudium ſit angelis Dei in *Luc. 15.* cœlo ſuper ejuſmodi peccatoribus ad pœnitentiam converſis, medioque ablato pariete jucundum ſit habitare fratres in unum. Cauſa quidem, quam ob rem concilia celebrari ſolent, hæc eſt, ſed utinam Deus huic tam diu inchoato concilio proſperos ſucceſſus det, quos inimicus homo, id eſt diabolus, impugnare, impedire, & perturbare conatus eſt. Nec ab re: quid enim magis odit omnium diſcordiarum auctor diabolus, quam omnium noſtrum concilia? Quid tam adverſarium, tamque regno ſuo infeſtum videt, quam ſanctiſſimos hominum cœtus? in quibus Spiritu ſancto moderante, & eorum qui adſunt mentes illuſtrante, errores adverſus orthodoxam fidem tolluntur, deperditi mores reformantur, & omnibus demum malis medicina adhibetur. Quæ omnia ille omnium bonorum oſor, evertere conatur.

Hanc itaque ſatanæ adverſus eccleſiam perſecutionem vos eccleſiæ lumina, atque columnæ, manibus ut dicitur, & pedibus repellite. Veſtræ enim partes ſunt, Chriſti virtute, atque ope reluctantem diabolum expellere, ac Chriſti ſpiritu ipſum oppugnare, ut victoriam minime dubiam reportetis. Et veritatem ipſam quam ſatanas diu celare conatus eſt, vos e medio ducentes ſuper candelabrum collocetis, ut luceat omnibus & ſingulis vere fidelibus, qui in eccleſia Chriſti domo ſunt. Ut vero hoc ipſum facere poſſitis, præſto erit vobis Spiritus Dei. Si totos vos illi commiſeritis, ſi omnem ſolicitudinem veſtram in eum projeceritis, ipſi enim Deo curæ vos eſtis, *Matth. 10.* docebit profecto vos omnem veritatem, non eritis vos qui loquemini, ſed Spiritus patris veſtri, qui quod oportet, loquetur in vobis.

Eſt enim quæ ſunt fidei apud vos decernendi poteſtas. Nec minor eſt in vobis patres authoritas, quam ſemper in majoribus fuit. Non minor *Act. 15.* inquam, quam fuerit apoſtolis Hieroſolymæ congregatis de legalium obſervatione decernentibus. Non minus deteſtabiles errores nunc ſunt, quam tunc extiterint: non minus igitur eccleſia in præſenti opera veſtra indiget, quam unquam alias. Quinimo longe majori cura, & diligentia utendum vobis eſt, quo hæreſis ipſa latius ſe diffudit, quam quævis alia: non modo foris, ſed intus latet hic morbus, & hæret in medullis. Pro quo tollendo neceſſe eſt, patres, ut omni ambitione, omni arrogantia, & humano affectu depoſito, non abundetis in veſtro ſenſu, quem præcipue ſanctarum ſcripturarum auctoritas arguet, atque convincet, ſed tantum pia mente & ſancto deſiderio eccleſiæ patribus conſentientes, qui divinorum rationes nobis aperuerunt, tantum matri veſtræ eccleſiæ prodeſſe ſtudeatis, ut a tantis cogitationibus, quibus noſtra hac tempeſtate agitata eſt, conquieſcat aliquando. Ut inter cogitandum, loquendum, & agendum idem omnes intelligamus, idem ſentiamus, idem ſapiamus, & non poſſint reperiri amplius in aliquo ſchiſmata, donec illuceſcat dies, in qua exultemus & lætemur in ea.

Tu igitur reverendiſſime ac illuſtriſſime legate, ſanctiſſimi domini noſtri Julii tertii pontificis maximi, cui eccleſiæ ſalus, & dignitas, omni dignitate prior, & ſingulis commoditatibus intimior ſemper extitit, cujus cordi nullum unquam majus inceſſit deſiderium, quam ſacroſancti hujus œcumenici concilii rite, & recte abſolvendi, & eccleſiæ reformandæ. Tu inquam ejus auctoritate fretus, tua tibi a ſummo Deo virtute indita ſuffultus, exurge, divina accingere fortitudine, & quaſi alterum Moſen, a Deo electum te puta, cui in unu gerendi ſint eccleſiæ filii.

Vos ſanctiſſimi patres, ſpiritualibus armis muniti, indefeſſis viribus pugnate primum adverſus dæmonem, adverſus mundi rectores tenebrarum harum, adverſus hoſtes, & impietatis prælia domini. Inde omnibus nervis contendite peſtiferum hoc venenum extirpare, & lætale hoc vulnus curare, ne totum Chriſti corpus putreſcat, & pereat. Nullis laboribus parcite, ut tam multi, qui a ſimplicitate, quæ eſt in Chriſto Jeſu alienati, & deteriores facti, a tenebris ad lucem, ab errore ad veritatem, a Babylone ad ſanctam Hieruſalem, id eſt ad caſtiſſimam religionem reducantur, ut Chriſto reconciliati, eccleſiam, quam antea laniare ſtuduerunt, revereantur, & piam matrem agnoſcant. Cujus vos filii præcones & tubæ, quaſi tuba exaltate vocem veſtram, & ad ovem in deſerto errantem, ad prodigum filium in longinquam regionem abeuntem, & de *Luc. 15.* ſiliquis veſci cupientem. indefeſſis faucibus clamate ad ipſum: apertis ulnis currite, & unanimes ipſum ſic vocate: *Audi fili mi diſciplinam patris* *Prov. 1.* *tui, nec dimittas legem matris tuæ, ut addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo.* Neque conſternari animo velitis tot tantiſque temporum calamitatibus circumventi, & ſi non omnes ſanctæ matris filii vobiſcum ſint, imo tanquam ſtrenui Chriſti milites in tam atroci bello fortiter dimicantes, exiſtimetis hoc pacto oblatam eſſe vobis occaſionem declarandæ virtutis veſtræ, & perennis gloriæ conſequendæ: non enim eſt Deo difficile in paucis ſalvare, qui de ſe præſumentes humiliat, & puſillum parvumque gregem de ore eripit potentum: in eo qui ſperat non confundetur.

Ne ergo terreamini, viri fratres, eſt nobiſcum ſanctum eccleſiæ caput, Julius ſanctiſſimus pontifex maximus, quippe qui omnia poteſt in eo qui nos confortat, qui nihil facere renuet pro tam ſalutari hoc negotio abſolvendo, nullos fugiet labores, ubi noverit operam ſuam, nobis profuturam. Agite itaque, ſanctiſſimi patres, pro animarum conſolatione & ſalute periculum ſubire pulcrum, imo mori dulce, & decorum omnes exiſtimemus: Videtis omnium fidelium curam, & negotium in veſtris manibus poſitum,

omnium

ANNO CHRISTI 1552.

omnium pax a vobis pendet. Date operam, ut quemadmodum corporibus conveniſtis, ita mentibus, atque animis conveniatis: omnes dignum aliquid tanto concilio a vobis expectant, non fraudentur ſua ſpe, atque expectatione fideles: ſed plura quam ſperant, aſſequantur. Unde gaudeant & lætentur. Omnes orant, ut eccleſiæ conſulatis: Non petunt terrena, non mundi hujus bona, non quæ corporis ſunt ornamenta: ſed religionis reformationem, ut inutilia, & quæ parum ædificant, ſed deſtruunt potius reſecentur, atque eorum loco fructuoſa, & quæ Deo grata ſunt reſtituantur. Qua re perfecta omnes Deum laudent, & unanimes venerentur. Exaudiet profecto Deus illos pro vobis orantes, cum ſecundum ejus voluntatem petant. Nolite itaque a tam pio opere incœpto deſiſtere, ſed fide, ac ſpe roborati, non hæſitemus diffidentia: ſcientes quicquid Deus promiſit, potens eſt & facere. Ejus enim promiſſio eſt: *Ubi ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Ubi Chriſtus eſt, ibi nec timoris ſuſpicio aliqua eſſe debet. Ceſſabunt præſente illo venti, mare & tempeſtas, & obmuteſcent: Jubente illo erunt omnia tranquilla.

Matth 18.

Tunc æquatis tandem, ac pacatis omnibus, vos in tutiorem portum reducet. Tunc votorum facti compotes, tot ſuſceptorum laborum, tot perpeſſorum incommodorum extra lares proprios recordatione lætabimini, tunc tot difficultates ſuperaſſe, tot diſcrimina pertuliſſe, tot naufragia, & pericula ſubiiſſe pro Dei amore, pro fidei defenſione, pro vera Chriſtiani nominis profeſſione, pro ſacroſanctæ catholicæ eccleſiæ matris veſtræ gloria, & incremento, gaudebitis. Tunc erunt *prava in directa, & aſpera in vias planas*, tunc *videbit omnis caro ſalutare Dei noſtri*, cui ſoli honor & gloria.

Luc 3.

DIXI.

XVI.

FRATRIS MARIANI ROCHA Feltrenſis, ordinis eremit. S. Auguſtini prioris monaſterii divi Marci de Tridento, ac theologorum minimi, oratio ad patres habita in concilio Tridentino, dominica tertia quadrageſimæ. MDLII.

ET ſi, poſteaquam in ornatiſſimum hunc locum conſcendi, illuſtriſſime ac reverendiſſime legate, reverendiſſimi præſides, clariſſimi D. oratores, ſanctiſſimi patres, ac præſtantiſſimi auditores, nullum mihi verbum aptius videatur, unde exordiri poſſim, quam illud Moſis legislatoris, non ſum eloquens, quin potius (ut verum fatear) impeditioris, & tardioris linguæ mihi factus videar, quam heri fueram, & nudius tertius. Conabor tamen (veſtris auribus ad audiendum benigniſſimis, veſtris animis ad agnoſcendum promptiſſimis confiſus) magnum illud & efficax, pro confirmanda Chriſti domini, & ſervatoris noſtri divinitate, tractare, quod Judæorum, non verbis, ſed intimis cordium cogitationibus, poſteaquam eas vidit, reſpondit. Quo deinde ſermone illas ipſas cogitationes reprehenderit, totamque eorum criminationem confutaverit, oſtendam. Quæ cum altiſſima ſint, & tenuiſſimas vires meas longe ſuperent, ut breviter complecti valeam, ad virginis Chriſti Jeſu genitricis auxilium, humili prius mente confugiam.

Exod. 4.

ANNO CHRISTI 1552.

Quum totum orbem falſitatis nebulæ obſcurarent, & inviſibiles tenebræ corda infidelium hominum opprimerent, obſcuritas pro luce, nox pro die, pro veritate mendacium colebatur. Tenebatur enim humanum genus victum, & teterrimi hoſtis malis artibus, ac dolis deceptum, necnon arcana quadam vi tractum, miſerrimam ſerviebat ſervitutem. Quod natura grave, & odioſum eſſe debebat, ultro facinus adamabat. Pietas ſcelere contaminabatur, & contempta juſtitia alienis omnes inhiabant, atque omnes paſſim, ſimulata quadam honeſti facie, dæmonis inſidiis plane capti, atque intercluſi tenebantur. Miſeratus vero nos Dei filius in hoc apparuit, ut diſſolveret hæc opera diaboli, has peſtes excluderet, dæmonium ab homine ejiceret, & ſalutarem homini reſtitueret libertatem. De quo divino & immortali erga genus noſtrum beneficio, ut & memores ſimus, & grati, hodiernæ evangelicæ lectionis initia nos monent. *Erat Jeſus ejiciens dæmonium, & illud erat mutum.* Mutus quippe, imo & ſurdus, & cœcus erat, qui totius humani generis imaginem gerebat, cui Chriſtus videndi aciem reſtituit, ne amplius præſtigia ſatanæ, ſed verum Deum intueretur. Aures reſeravit, ne ultra idolorum mendacia, ſed Dei viventis verba audiendo viveret, linguam diſſolvit, ne diutius ſileret, ſed (fide ex auditu concepta) corde crederet ad juſtitiam, ore autem confiteretur ad ſalutem.

Luc. 11.

Rom. 10.

Hæc tot miracula, mox, ubi turbæ viderunt, obſtupentes dixere: *Nunquid eſt hic filius David?* At vero phariſæi ex adverſo, ne vere filius ille David, hoc eſt, Meſſias patribus promiſſus & expectatus crederetur, hanc de malo ſuorum cordium theſauro adhibere calumniam cogitabant. Hic in Belzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia: & alii, paribus ſtimulati livoris aculeis, ſignum de cœlo quærebant ab eo, putantes dæmonum ejectionem divinitatis non ſane ſufficiens eſſe argumentum, quippe cum Joſue, & Iſajas homines illi, & mortales, longe mirabiliora in corporibus cœleſtibus effeciſſe viderentur. At Chriſtus non ſignum de cœlo, ſed divinitatis ſuæ cognoſcendæ rationem attulit evidentiſſimam, dum eorum cogitationes videre ſe, patefacere, & redarguere poſſe oſtendit. Quem locum (cognitione digniſſimum) tametſi ſciam pro dignitate a me tractari non poſſe, tractabo tamen & contemplabor, ut initio dicendi propoſui, quanta maxime potero brevitate.

Matt. 22.

Iſa. 10.

Iſa. 38.

Hominum arcanas cogitationes, hoc eſt, interiores illas, ſine ſtrepitu vocis collocutiones, quibus ſeſe animus noſter alloquitur: neque dæmones agnoſcunt, neque angeli ſancti: Illi (inquam) noſtri cuſtodes, & præſides, qui nos (Deo optimo maximo jubente) tuentur, defendunt, cuſtodiunt, incolumeſque ſervant, qui noſtra omnia diligenter ſpeculantur: quique etſi ut veritas ipſa teſtatur, *ſemper vident faciem patris qui in cœlis eſt*, reconditas tamen animorum noſtrorum meditationes neque vident, neque vi ſua, atque natura comprehendere valent, unus ille mundi procreator Deus, qui omnia ſentit, omnia movet, omnia moderatur, & regit, is eſt, cui nota ſunt omnia, humanæ etiam cogitationes antequam ſint: cujus rei rationem reddidiſſe videtur magnus apoſtolus quum ſcripſit: *Quis hominum ſcit, quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hemi-*

Matt. 18.

1. Cor. 2.

ANNO CHRISTI 1552.

hominis, qui in ipso est? Si ea ratione humanus spiritus, quæ in hominis corde latent, cognoscere potest, quia in ipso homine est, nemo certe, nisi unus Deus, est, qui in intima nostra consilia pervenire possit, cum divinæ tantum virtutis sit in humanas illabi mentes, in ipsis esse, & operari, ac propterea unius Dei (qui rebus omnibus intimior est, quam res ipsæ sibi) verissima sunt elogia. *Tu solus nosti corda filiorum hominum: scio domine, quia omnia potes, & nulla te latet cogitatio*, unus ipse dicere potest. *Pravum est cor hominis, & inscrutabile, qui cognoscet illud? Ego dominus scrutans corda & probans renes, qui do unicuique juxta viam suam, & juxta fructum adinventionum suarum.*

3. Reg. 8. Job 42. Hier. 17.

Sed liceat mihi (patres sanctissimi) hoc loco monere, ut nemo judicium hoc de tacitis hominum cogitationibus, quod totum unius Dei proprium est, & peculiare, sibi assumat, liceat cum Paulo adhortari. *Nolite ante tempus judicare, donec veniat dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit unicuique a Deo*, liceat ob oculos ponere, quam grave futurum sit divinum illud judicium, in quo de cogitationibus quoque interrogatio erit: ille, ille (inquam) de nostris cogitationibus judicium faciet, qui toties nos monuit: *Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, lava a malitia cor tuum Hierusalem*, ut salva fias: usque quo morabuntur in te cogitationes noxiæ? cujus illa nobis proponitur horribilis comminatio: *Auferte præputia cordium vestrorum viri Juda, & habitatores Hierusalem, ne forte egrediatur, ut ignis, indignatio mea, & succendatur, & non sit, qui extinguat, propter malitiam cogitationum vestrarum*. Tunc rex justus sedebit in solio judicii, qui dissipabit omne malum intuitu suo. Et væ hypocritis, qui aliud loquuntur, aliud cogitant, qui mundant quod de foris est calicis, & paropsidis, intus autem pleni sunt rapina, & iniquitate, qui similes sunt sepulcris dealbatis, quæ aforis apparent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia, qui culicem excolant, & camelum glutiunt: væ hæreticis, in vestimentis ovium circumeunt mare, & aridam, ut faciant unum proselytum, intrinsecus autem sunt lupi rapaces, non jam amplius latentes, sed ab eorum fructibus deprehensi. Certe si hominum validissimas manus effugerint, certe si Julii tertii, pontificis maximi, sanctum hoc, & synodale judicium effugient, si ex Caroli Cæsaris manu illa, victoria & fide præstanti, elabentur, nunquam tamen divinum illud judicium evadent, ubi hinc erunt cogitationes accusantes, inde terrens justitia, subtus horrendum chaos inferni, desuper judex iratus, intus conscientia utens, foris mundus ardens: sic deprehensi, in quam (obsecro) partem se prement? constricti, ubi latebunt? Sed eo redeo, unde digressa est oratio.

Hier. 4. Ibidem. Prov. 20. Matth. 23. Ubi sup. Ubi sup.

Si quando aut homines, aut angeli, de humanis cordium cogitationibus vera pronunciasse reperiantur, illud non humanæ rationis acumine (ea enim in iis etiam quæ oculis subjecta sunt, sæpenumero fallitur, contigisse) non angelicæ mentis vi, quæ etsi acuta sit ac perspicax, obtusior certe est, quam ut suo marte illa quæ in humano corde latent, cernere valent, verum (divino Spiritu illustrante) incitatos fuisse, & ea cognovisse putemus, quæ tanquam divini vates pronunciant, ac propterea quum prophetiæ munus in ecclesiæ statu felicioris extaret, ingrediebatur quandoque vel infidelis, vel idiota in ecclesiam, qui convincebatur ab omnibus, dijudicabatur ab omnibus, cujus & occulta cordis patefiebant. Quibus auditis, cadebat ille in faciem, adorabat Deum, fatebaturque, quod Deus vere in ecclesia esset. At vero dæmones alia quadam ratione, vel per idola (ex quibus oracula olim fundebant) vel per suos illos, quos energumenos Græci vocant homines scilicet quos detinent, vexant, violant, perturbant, de nostris cogitationibus vera quandoque effari potuere, conjectura scilicet ab externis quibusdam mutationibus, quæ magnæ in corpore, ab internis cogitationibus fieri solent, accepta vel ex imagine, quam in interiore sensu nostro conspicere possunt, sine qua nulla unquam mentis agitatio, nullus extare potest animi motus, ut philosophi docuere: verum etsi de his, aliisque rebus occultis vera quandoque loquantur, sive subtilioris sensus acumine, sive experientia callidiore, sive rerum quæ in vita contingunt, diuturniore observatione: frequenter tamen, divina providentia, quæ rebus humanis nunquam deest, decipiuntur: frequentius obscuris vera involventes decipere satagunt eos qui sibi credunt, nunquam tamen adeo perfecte veritatem exprimunt, ut non aliquid ex propriis immisceant, ac propterea mendacia & fraudes loquantur, qui toti ex mendaciis & fraudibus compositi sunt, & ingenia habent ad faciendum parata: quo fit, ut non satis mirari queam hominum quorumdam depravatos animos, vel dementiam potius, qui ad agnoscendum quid quisque intra se tacitus cogitet, aut quid futurum sit cras, ad magicas confugiunt artes, quarum & inventores, & doctores dæmones fuisse constat: unde enim homines, quibus artibus cogantur dæmones, nisi ab ipsis dæmonibus discere potuissent?

ANNO CHRISTI 1552. 1. Cor. 14.

His artibus quicumque utuntur, infideles sunt: credunt enim in dæmonibus numinis aliquid, seu divinitatis inesse. Has artes quicumque colunt, idolorum sunt proculdubio cultores, quæ non perficiuntur, non signis quibusdam, & muneribus, atque precationibus, quæ sacrificationum loco dæmonibus sunt. Qui usque adeo divinos honores affectant, ut eorum gratia hominibus se subjiciant, & hominum jussis obtemperent, ac propterea nullo clariore argumento sanctissimus pater Augustinus bonos angelos a malis separat, quam hoc, quod illi adorari se & coli vetant, ac Dei conservos se esse hominibus affirmant. Hi vero ad impie seipsos (Deo vero ac vivo relicto) colendos, & adorandos, quibuscumque possunt signis admirabilibus, homines invitant. Nullæ denique sunt artes, quæ magis hominum societati, & conjunctioni adversentur (sicut magicæ) ut enim reipublicæ hostis censendus est, qui cum conjuratis adversus rempublicam nimis familiares habet congressus, ita universæ reipublicæ humanæ hostis judicandus est, qui cum dæmonibus (perpetuis illis humani generis osoribus) fœdera, & pactiones sancire non veretur: ac proinde Romanorum antiquissimis legibus Cicero commemorat esse conscriptum, ei, qui hoc fecerit, supplicium esse constitutum, & mulier illa furens, invitam se ait ad magicas artes accingi. Quod tanquam ex Romanorum institutis dictum, accipiendum est, qui, quam multa acceperint sacra, magicas artes semper damnarunt.

Sed

ANNO CHRISTI 1552.

Sed quid extèrna affero teſtimonia? Dei viventis verba ſunt hæc. *Dixiſtis: percuſſimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum, flagellum inundans, quum tranſierit, non veniet ſuper nos, quia poſuimus mendacium ſpem noſtram, & mendacio protecti ſumus. Idcirco hæc dicit dominus: Delebitur fœdus veſtrum cum morte, & pactum veſtrum cum inferno non ſtabit, flagellum inundans, quum tranſierit, eritis ei in conculcationem.* Concluditur ergo gravi admodum, & longe magis neceſſaria argumentatione, quam ullæ ſint mathematicorum rationes, domini noſtri Jeſu Chriſti divinitas, ex eo, quod penitus abditas in humanis cordibus cogitationes introſpiciebat, & totum hominem qualiſcumque eſſet, intus ſcilicet & foris, non opinione dubia, non alio docente, atque indicante, ſed notitia clariſſima, tanquam in præſentia, atque ante ſuæ mentis oculos propoſitum intuebatur: ac proinde, ut Joannes evangeliſta dixit: Non erat opus, ut quis ei teſtimonium perhiberet de homine: *ipſe enim ſciebat, quid eſſet in homine.* Hæc certa eſt, & propria divinitatis nota: hæc ſupernæ illius notæ proprietas, atque vis.

Verum enimvero tum præcipue hoc argumento ſuam patefaciebat divinitatem, quum phariſæi & ſcribæ hominum genus, quod ſibi mundum videbatur, & tamen non erat lotum a ſordibus, vaniſſimis ſuis cogitationibus, vel eum impie ſibi divinitatem uſurpare taciti putabant, vel tanquam maleficum quemdam & injuſtum hominem intra ſemetipſos execrabantur. Hinc apud Matthæum, quum in eorum animis, qui paralyticum ſibi offerebant, magnam fidem contemplaretur, dixit paralytico: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Quum deinde ſcribarum videret cogitationes, dicentium intra ſe: *Hic blaſphemat. Quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus? Ut quid*, inquit, *cogitatio mala in cordibus veſtris? Quid eſt facilius dicere, dimittuntur tibi peccata tua: an dicere, ſurge, & ambula? Ut autem ſciatis, quia filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.* Dum paralytico ſanitatem reſtituit, in ipſo hominis filio poteſtatem dimittendi peccata agnoſco, & ſuſpicio. Dum vero occultas profert cordium cogitationes, ſupremam in eo divinitatem video, & omni cultu veneror, colo, adoro. Apud Lucam vero (cujus evangelii pars, lectio fuit hodierna) jure mihi videntur turbæ admirari, quod dæmon ſolo verbo ejiciatur, quodque loquatur mutus, ſurdus audiat, videat cœcus, ſed illud longe eſt admirabilius, quod ſcribarum, & phariſæorum impuram viderit, ac nefariam illam cogitationem, etiam priuſquam proferretur: in Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia. O ſceleſtam, ſacrilegam, capitalem vocem, o impios, & facinore contaminatos homines. *Quæ ſocietas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Chriſti ad Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli? Quis autem conſenſus templo Dei cum idolis?*

Vos, vos ſceleroſi, & furiis agitati dæmonia non ejicitis, ſed in veſtris, & eorum (qui vos audiunt) pectoribus alitis. Cum dæmonibus, tanquam cum crudeliſſimis humani generis hoſtibus non pugnatis, ſed familiariter, & amice vivitis. Dæmonium mendacia, & fraudes non horretis, neque formidatis, ſed ad eos, tanquam ad aras, in veſtris neceſſitatibus confugitis, qui tenebris obſcuratum habetis intellectum, ac alienati eſtis a vita Dei propter ignorantiam, & cœcitatem cordis veſtri. Quid plura? *Ex patre diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere, qui homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit.* Sed jam tempus eſt, ut paucis abſolvamus domini noſtri Jeſu Chriſti ſermonem quo improbam hanc retundit cogitationem.

Omne regnum in ſeipſum diviſum, deſolabitur, & domus ſupra domum cadet. Si autem & ſatanas in ſeipſum diviſus eſt, quomodo ſtabit regnum ipſius? quia dicitis, in Beelzebub ejicere me dæmonia? Videte, obſecro, an *ſermo hic vivus ſit, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens uſque ad diviſionem animæ, & ſpiritus, compagum quoque, & medullarum, & diſcretor cogitationum, & intentionum cordis.* Eſto, concedatur quadam ex parte, verum eſſe quod cogitatis, ut ſcilicet dæmon ejiciat dæmonem, cur hoc ſigno, quod futurum eſt conſequens, non præſentitis, ruinam videlicet, & interitum regni dæmonis? Nullum enim certius ejus rei extare poteſt indicium, nullum argumentum clarius, quam diſcordia: quemadmodum concordia, arctiſſimum atque optimum omnium eſt incolumitatis vinculum: cur non videtis, cadente dæmonis regno, veſtrum quoque caſurum eſſe imperium, qui dæmonis artibus edocti, more gentium imperatis? *Dicitis enim & non facitis, alligatis onera gravia, & importabilia, & imponitis ea in humeros hominum, digito autem veſtro non vultis ea movere.* Altera vero veſtræ cogitationis pars, quod in Beelzebub dæmonia ego ejiciam, falſa eſt, a vobis conficta, & ementita. Nam *ſi ego in nomine Beelzebub ejicio dæmonia, quomodo poſſent filii veſtri in nomine meo dæmonia ejicere*, quod & ipſi jam confeſſi ſunt, dicentes, *Domine, etiam dæmonia ſubjiciuntur nobis in nomine tuo? Ideo ipſi judices veſtri erunt*, non ſolum ſedentes ſuper ſedes duodecim, ac judicantes duodecim tribus Iſrael, verum etiam comparatione facta inter malitioſam hanc veſtram calumniam, & veriſſimam illorum confeſſionem.

Porro ſi in digito Dei ejicio dæmonia, profecto pervenit in vos regnum Dei. Si divina poteſtate dæmonibus impero, non modo regnum dæmonis ad exitum tendit, & occaſum, ſed regnum Dei, quod omnem adimit dæmoni poteſtatem, ad vos uſque pervenit. Non eſt hoc regnum, patres ſanctiſſimi, ficta illa, & commentitia Judæorum, atque hæreticorum quorumdam, noſtræ etiam ætatis, fabula, qui dicunt per mille annos, ante diem noviſſimum, pios eſſe regnaturos, qui armis impios omnes profligabunt, & totius orbis terrarum regna, atque imperia, ſumma cum tranquillitate poſſidebunt, ſed illud, de quo Daniel dixit, *Deus vivens, & æternus in ſæcula, & regnum ejus non diſſipabitur, & poteſtas ejus uſque in æternum.* Non eſt hoc regnum eſca, & potus, hoc eſt, ut ex hæreticorum quorumdam falſo dogmate conſequitur, immoderata licentia, & impunita omnium rerum libertas, qua ſuis quiſque moribus (contemptis omnibus divinis, atque humanis legibus) barbare & inquinate vivere poſſit. Sed eſt juſtitia, illa (inquam) Dei benignitas, & gratia, qua juſtificari homines, & filios Dei fieri (decreto veſtro ſanctiſſimo, tanquam lumine quodam, in magnis tenebris accenſo) declaraſtis.

Eſt pax, non illa quidem qua a bellis, & hoſtium incurſio-

Ifa. 28.
Joan. 2.
Matth. 9.
Marci 2.
Luc. 11.
2. Cor. 6.
Joan. 8.
Luc. 11.
Ad Heb. 4.
Matth. 23.
Luc. 10.
Matth. 19.
Daniel. 2.
Rom. 14.

ANNO CHRISTI 1552.

incursionibus quiescimus, qua fruuntur etiam homines impii, belluæ, atque agri, sed illa, quam nos pœnitentia adipisci consultissime docuistis. Hæc illa est pax, quæ exuperat omnem sensum, quæ furentes in nobis, ac violentos cupiditatis impetus retardat primum, reprimit deinde, denique ita domat, ut (victi atque subacti) insultare in nos amplius non audeant. Hæc illa est pax, quæ opus est, & cultus justitiæ, atque inchoatio quædam beatæ illius & sempiternæ securitatis, in qua sedebit populus domini in pulchritudine pacis, tabernaculis fiduciæ, & requie opulenta. Est gaudium, non illud, quod ex vitæ hujus prosperis rebus oritur, de quo dicitur: *Gaudium hypocritæ ad instar puncti*, sed illud, quod ab ineffabili eucharistiæ sacramento (unitatis quippe nostræ signo, concordiæ symbolo, & caritatis vinculo) effici in cordibus nostris, mature consuluistis, & opportune sanxistis. Hoc illud est gaudium, quod fructibus spiritus annumeratur, ac propterea dicitur gaudium in Spiritu sancto (in his tribus, justitia scilicet, pace, & gaudio) regnum Dei præcipue positum est. In quibus, qui divinis mandatis obtemperando, servit Christo, placet Deo, & probatus est hominibus.

Sed adversus sacrosanctum hoc, & salutare Dei regnum, dæmon, fortis, armatus, nimis diu custodivit atrium suum, & in pace tenuit omnia, quæ injuste, & tyrannice possidet, semper formidans, ne fortior aliquis superveniret, multisque dolis, & insidiis ejus adventum impediret. Tandem, volente Deo, supervenit fortior illo, sancta scilicet vestra synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, cum qua, qui non non est, adversus Christum est: & qui non colligit, dispergit: vestræ igitur partes sunt (dum in concilio estis) universa arma ejus auferre, hoc est, hæreses omnes demoliri, & mores, ex mala disciplina destructos corrigere, & spolia distribuere, animos scilicet falsæ doctrinæ dulcedine, variaque morum corruptela depravatos, piis doctoribus, ac magistris, doctrinæ & vitæ exemplo erudiendos tradere.

Vestræ partes erunt quum peractis omnibus, in vestris sedibus consederitis, vigilare, ne populis vestræ fidei commissis id contingat, quod Judæorum genti eventurum prædixit dominus: *Quum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca inaquosa, quærens requiem, & non inveniens, dicit: Revertar in domum meam, unde exivi. Et quum venerit, invenit eam scopis mundatam, & ornatam. Tunc vadit, & assumit septem alios spiritus nequiores se, & ingressi habitant ibi, & fiunt novissima hominis illius pejora prioribus.* Videte ne per vos ejectus spiritus immundus, dormientibus postea vobis, & nimium securis, cum omnibus spiritualibus nequitiis (septenario numero designatis) revertatur, & deteriora seminet, quam ea sint, quæ nunc exstirpatis. Vestræ partes erunt, omnem adhibere operam, ut quod quotidie precamur, quotidie fiat. *Adveniat* scilicet perficiatur *regnum Dei*, ut quandoque videamus Jesum Christum, omni evacuato principatu, potestate & virtute, inimica quoque destructa morte tradentem regnum Deo & Patri. *Cui sit benedictio, & honor, & gloria, & potestas in sæcula sæculorum.*

Philip. 4.
Galat. 5.
Isa. 32.
Job. 20.
Galat. 5.
Ubi sup.
Luc. 11.
Matth. 6.
1. Cor. 15.
Apoc. 7.

DIXI.

XVII.

ANNO CHRISTI 1552.

ORATIO APUD ILLUSTRISSIMUM cardinalem Crescentium in concilio Tridentino legatum plena episcoporum concione habita, per reverendum dominum Paulum Passotam, sacræ theologiæ professorem.

CUPEREM, patres conscripti, me hujusmodi apud vos orationem habere, quæ & mihi dicenti benevolentiam, vobis audientibus spem & lætitiam conciliaret. Cum multos per annos œcumenicum hoc Tridenti concilium (eo quia diversi diversa sentirent) ad suum scopum provehi, ne dum promoveri perducique poterat, fortasse quispiam apud vos, nec per se concipere, nec ullam ab aliis spem mutuari potest, ut aliquando (ut est totius Christianæ reipublicæ votum) in suum finem tempestive provehatur. Sed si ad supremi artificis ordinem, cuncta sub numero, pondere, & mensura dimetientis respexerimus, ad optatum proventum, propriumque signum propediem emersurum. (Et quod non poterit aliter contingere) facile demonstrabitur. Ita singulorum universorumque partes concinne coaptavit, numerisque quibusdam sibi ipsas concordes, consonasque reddidit, ut futurum dissidium inter has nunquam vereri possimus: & licet in hujusmodi demonstratione plura contingant, tamen pro mea penuria & tenuitate in gazophylacium domini aliquid mittere conabor. Ipse etenim qui hanc mundi machinam fabricatus est, ab eo ipso universi primordio, numerum binarium utraque primitate primum creationum consecravit. Ex duobus inquam principiis mundi originem constituens, cœlo primam generationis prærogativam, terræ vero secundam tribuit. Uti Moses principio Deum cœlum & terram fecisse insinuans, quæque mediam horum regionem explent comprehensim significavit. Quemadmodum verum est, quæcumque hoc mundi stadio continentur, summi pontificis, & Cæsaris potestati subjecta esse non ambigimus. Non tantum a cœli, & terræ fabricatione numeri dualis incœpit consecratio, verum etiam nec satis superque fuerat, Deum optimum, maximum, Adam fecisse, nisi adjutorium simile sibi condonaret. Unitas in sua quidem natura sterilis est, cum sit numerus, nec fœcunditatem in se recipiat. Individui species nec producere, nec conservare poterat. Humani igitur generis propagationem a duobus oportuit emanare. Hinc relationum nexus: nam si pater est, filius est. Si dominus, servus est: alterum sine altero rerum natura non patitur. A numero inde binario relationum ratio proficiscitur, mundus expletur, natura ipsa perficitur. Æque inter quærentes an res sit? & quid sit? numerus binarius, cunctas absolvit quæstiones habitis quia est, & propter quid est. *Fecit quoque Deus duo luminaria*, Unum diei, alterum nocti præsidens. Ex duobus, videlicet corpore, & anima, hominem fingens, oculis, auribusque duabus, brachio, femoreque duplici decoravit. Duo, alterum in Deum, alterum in proximum, sancivit mandata, unde tota lex pendet & prophetæ. Duas Mosi tabulas digito suo protulit scriptas. Duo condidit testamenta, duosque sibi ascivit populos. Proh Dei fidem! quid aliud est? si in hoc numero duali admirabile sacramentum abditum non est? Vide dominum inter duo animalia vagientem,

Genes. 1
Genes. 2.

ANNO CHRISTI 1552.

gientem, inter duos latrones in cruce pendentem, inter duos discipulos in Emmaum euntes scripturam interpretantem. Duas claves tradidit Petro, ejusdem Petri manibus duo effulsere gladii, quos pro Christi defensione se habere professus est. Ad cœlos demum unde venerat revertenti, duo sibi astitere viri. Et hæc omnia consequentiæ gratia sunt secuta, cum duarum partium disparium, divinæ naturæ scilicet, & humanæ, una hypostasi in se ipso supra hominis captum operatus esset admirabilem junctura.

Ex hoc, inquam, patres conscripti, numerorum utraque primitate primo, & sacrorum sacerrimo, mei proloquii argumentum sum auspicatus. Si apud nos ipsos intelligentiam nostram expendamus, non casu, non fortuna, ut potius necessaria Dei omnipotentis dispositione duos principes supremos, videlicet pontificem maximum, & Cæsarem supreme imperantem, sibi mundus elegit; a quibus divina & humana proficiscerentur, & ad eosdem redirent. Id Christum satis ratum habuisse intelleximus, cum quæ *Cæsaris Cæsari, & quæ Deo Deo*, reddenda esse (Judæis efflagitantibus utrum Cæsari pendendus esset census?) declaravit. *Matth. 22. Marc. 12. Luc. 20.* Hi mundo imperant, regibus, principibus & populis decreta statuunt, superbos domant. Humiles erigunt, nutantes in ecclesia, & dubios in fide corroborant. Et nisi sibi ipsi cohæreant, concordent, consonentque, quæ media sunt inter fines istorum omnino in deterius caderent, nedum consistere non possent. Nisi cœlum generationi faveret, terra non produceret suo species correspondentes generi. Diebus Heliæ clausum est cœlum annis tribus, & mensibus sex, & fames prævaluit maxima ubique gentium, eo quia cœlum terræ infensum nec rorem nec pluviam dabat. Væ væ nobis, inquam, patres conscripti, vel hoc maxime tempore, nisi principes isti in ecclesia vigerent, seque mutuo respicerent: Pontifex videlicet beatissimus, qui Deum pro ejus ecclesia suis precibus indesinenter interpellat, & imperator invictissimus, qui eamdem fovet, armisque validissime instans præsensque tuetur: quæcumque hoc sub cœlo patent pessundarent, & in præceps abirent. Cum aliquando inter hos efferbuit dissidium, undique ortæ calamitates, undique effusæ sunt tenebræ, fidei splendor hæreticorum nube suffusus, minime potuit ad pristinum suum revocari candorem. Caveant qui Christum induunt: caveant ejus discindere vestem: est enim ecclesia tunica Christi inconsutilis, ex integro texta, a militibus conservata indiscissa ita perpetuo conservanda. Si summus pontifex, & imperator idem velint, idemque sapiant, se ipsi servabunt: & quæ intra ipsos sunt multo melius conservabuntur. Isti sunt duo cherubin, quos præcepit dominus Mosi, ut aureos, & productiles faceret utraque parte oraculi, ut cherubin unus esset in latere uno, alter in altero, utrumque latus propitiatorii tegentes, expandentes alas, & operientes oraculum, respicerentque se mutuo versis vultibus in propitiatorium, id est, in Christi ecclesiam militantem, ab ipsis fovendam, gubernandam, & tuendam. Ab eisdem ipsis concordibus cunctæ res pacis, & belli feliciter administrabuntur, præsto scilicet futuro alterutro quocumque usus vocaverit. *Exod. 25. 3. Reg. 6. 2. Paral. 3. Ezech. 10. 28.*

Tandem his ultimam manum imponam, in quo mei sermonis scopum intuendo non progrediar in infinitum. Isti quidem sunt, quos sibi mundus elegit, ut Christianæ reipublicæ præficerentur, scilicet Carolus quintus per multos annos summe imperans, & Julius tertius hos paucos ante dies dignissime ad sanctissimi Petri apicem assumptus, qui veluti ejusdem duo beatissimi Petri gladii adusque nostra tempora servati, Christi servatoris nostri, & ecclesiæ ejus honorem protegerent, augerentque. Et sunt duæ columnæ in porticu Salomonis erectæ, & duæ olivæ, duoque candelabra in conspectu domini terræ stantes. Et si quis voluerit eis nocere, ignis exiet de ore eorum, & devorabit inimicos eorum. Et si quis voluerit eos lædere, sic oportet eum occidi, hi habent potestatem claudendi cœlum ne pluat, & potestatem habent super aquas convertendi eas in sanguinem, & percutere terram omni plaga quotiescumque voluerint. Hi ita in Deum, & ejus ecclesiam, sunt amoris vinculo constricti, ut eadem cupiant, eademque sentiant, quapropter quodcumque fuerit sibi placitum, optime, ut ne quid nimis, exactissime, & dicto citius explebunt: vel istis maxime temporibus, hoc unum exoptant. Huic uni omnem curam, omnem operam, omnemque actionem impendunt, tanquam sagittarii signum intuentes, (ut cunctis meridiana luce clarius) manibus, pedibusque in hanc sententiam eunt, qua sanctissimo hoc Tridenti concilio, suum decorum assequi, astringere, fideique pristinum splendorem sibi vendicare contingat. *Apoc. 11.*

Et quoniam hoc (ut pluribus prælonstratum est rationibus) est munus duorum sibi invicem correspondentium, totis viribus sunt a nobis orandi duo sanctissimi principes terræ, cœlorum claviger Petrus, lectionis, electionisque vas, & doctor gentium Paulus, quorum solemnia hodie prævenimus. Ut quemadmodum eorum signis, & doctrina, toto orbe terrarum Christi fides resplenduit, & Roma quæ erat mater erroris, facta est magistra veritatis: ita suis precibus, & meritis a domino nostro Jesu Christo exorare velint, ut hanc suæ ecclesiæ causam (quæ eadem est totius Christianæ reipublicæ causa) provehere dignetur, & finire, perpetuisque temporibus hæreticorum ora ignito obstruere calculo. De quorum principum vita, meritis, & mutua vivendi tium atque monentium dilectione, satis superque perquam reverendus Voxmedianus doctor Hispanus, vestras mentes, aureasque benevolas crastina die lepida, rara, candidaque doctrina permulcebit. Nos vero (ut vestrum est omnium una sententia) eosdem beatissimos mundi patronos, & lampades quantum possumus piis mentibus veneremur, ut quibus mors initium vivendi facta est, ita sit nobis vitæ novitatis exemplo.

(orationem) hujus excusam fuisse nondum accepi.

XVIII.

ORATIO DE CIRCUMCISIONE DOMINI habita in concilio œcumenico Tridentino anno domini 1552. per F. Everhardum Billicum Colonienſem theologum, fratrum Carmelitarum inferioris Germaniæ provincialem.

NISI existimarem, reverendissimi, illustrissimi, amplissimique patres & domini, sanctæ sedis apostolicæ legati, præsides, principes electores, ecclesiarum Christi antistites, oratores, vosque auditores benevoli, omni cum eruditionis, tum virtutum genere præstantissimi; nisi, inquam, existimarem persuasum vobis jam esse, me non temere ultro hunc dicendi locum occupasse,

sed

ANNO CHRISTI 1552.

sed illorum potius jussu atque imperio quibus refragari non licet, eaque de causa, si non expectationi vestræ satisfacio, si non pro amplissimi hujus consessus dignitate, aut rerum dicendarum majestate, fuero munus istud exequutus, vos facilem daturos veniam, benigneque & humaniter quodcumque acciderit laturos, nullus profecto mihi nunc adesset animus, nullaque prosequendi muneris cœpti fiducia. Præsertim cum non ignorem, & quanti sacrosanctum hunc cœtum vestrum, eorum nimirum, quos Deus, qui omnia prudentissime, sed præcipue ecclesiam suam moderatur, & gubernat, eidem regendæ præfecit, & apostolis potestate æquavit, lucemque insuper hujus mundi & terræ salem non dubitavit appellare, tantillus ego facere atque æstimare debeam, & quod illa sit rerum (quas hodie nobis ecclesia recolendas atque adorandas proponit) magnitudo, quæ ab ingenio humano non capiatur, illa profunditas, quæ investigari nisi Spiritu sancto docente nequeat, illa sublimitas, quæ cœlum attingat, illa denique imperscrutabilis subtilitas, quæ non philosophiæ modo naturalis fugiat indaginem, verumetiam a spiritualibus hujus aeris nequitiis nequeat deprehendi.

Quamvis in oculis hujus carnis, & cogitatione eorum qui terrena sapiunt, res eædem tales ac tantæ non appareant, sed parvæ potius, humiles, ignobiles, ac contemptæ. Siquidem proponitur nobis parvulus dierum octo, infans, imbecillis, natus in humili tugurio, pannis involutus, in animalium præsepio cubans, hodie ritu Judaico circumcisus. In quo mortalis oculus, quid suspicaretur arcani, divini, aut admiratione dignum contineri? Tractabant enim parvulum hunc manibus suis ejus circumcisores, perinde atque parvulos alios cultro petrino resecabant præputiolum, sanguinem profluentem abstergebant, manu medica curabant vulnus, nec videbant quicquam præterea accidere, unde in cogitationem de eo altiorem adducerentur. Quamquam revera erant omnia hæc divinis iisdemque incomprehensibilibus mysteriis plena, ac digna quæ mirarentur cœlum, terra, & omnis creatura, quæque attonitos redderent, non homines modo, verumetiam sublimes illos beatorum spirituum choros, angelos, archangelos, cherubin & seraphin.

Quis enim vel hominum vel angelorum non vehementer admiraretur, quod tantus ille, immensus & æternus rerum omnium fabricator, quem neque ingens hujus orbis machina, neque spatiosissima illa cœli volumina capere sufficiunt, exiguo corpusculo se totum inclusit? Quis non obstupescat, quod qui hominem mortalem formaverat, voluit tandem & ipse fieri homo, communemque cum factura sua subire vitæ societatem? Quod humilis de parente nascitur humili, cujus majestatem angeli adorant, pertimescunt inferi? Quod pauper & velut rerum omnium indigus venit in hanc lucem, qui solus est dives: cujus sunt munera quicquid uspiam habere videmur? Quod ille cui obsequitur, cui servat excubias universa cœli militia, diversorio exclusus, nascitur inter armenta, in stabulo sordido, & non in conspicuo aliquo thoro, regio cultu fulgente? Quod pannis vilibus involvitur & ligatur, ille fortis, ille robustus gigas, qui diabolum mundi tyrannum, omnesque æreas potestates venerat expugnare? Quod ille cui cœlum vice throni est, cujus scabellum est terra, quem regnare in domo Jacob, & in solio David sedere oportuit, jacet in præsepio animalium? Et ubi hic est cernere prophetarum illa de Christo vaticinia? Et quod ita demum (ne quid ad cumulum miseriarum deesset,) circumciditur, mutilatur in carne tenella, & sanguinem fundit innoxium, quasi peccator sit & immundus, qui veniebat tollere peccata mundi, qui de Spiritu sancto conceptus & natus erat, nullius inquinamenti vel reus vel capax? Quorum profecto nihil fortuito casu aut fato aliquo accidisse, sed Dei solius providentia infallibili, nemo nisi qui omnis religionis prorsus sit expers, non fateatur. Deus enim qui providentia sua admirabili gubernat omnia, sine quo nec capillus de capite, nec folium cadit ab arbore, custos Israelis, qui non dormitat nec dormitabit, cum in cunctis operibus suis vigilantissimus sit, & sapientissimus in incarnationis Christi filii sui opere, visus est reconditos illos sapientiæ & bonitatis suæ thesauros semel omnes effudisse, omnes mundo ostendisse. Nusquam enim major apparuit ejus bonitas, nusquam tam admirabilis ejus sapientia. Quod dum tacitus mecum revolvo ac contemplor, mens admiratione liquitur, stupet ac riget, ut non injuria munus susceptum, patres reverendissimi, exhorrescam. Quis enim confidat consilium Dei & rerum istarum arcana, suo assequi ingenio, suisque ea verbis explicare.

Quapropter auxilio non qualicumque sed divini numinis afflatu mihi opus esse probe intelligens, illum ipsum censui adeundum puerum, quem circumcisione in carne sua sacrosancta pertulisse miramur: & illam in quam nemo frustra suspexerit tantorum mysteriorum parentem, quæ omnia hæc divinitus edocta erat, quæque ut eadem & nobis aperiantur, potest ab ipso quem genuit, lactavit & fovit, impetrare, consulendam. Quam idcirco consilium est non humanis sed angelicis salutare atque interpellare verbis. Ad illam siquidem, ut meminimus, salutationem, Spiritus sanctus de cœlo lapsus, virginem hanc complexus est, numineque suo obumbravit atque implevit, & verbum illud æterni patris in ejusdem (ibi ut incarnaretur) se demisit uterum. Si fuit autem tanta salutationis illius vis, quid ni speremus & nos. Spiritus illius & verbi divini saltem igniculum ac sensum aliquem (voce prolata) in corda mentesque nostras illapsum iri? Hoc igitur dum ago, patres reverendissimi, vos me voce præeuntem, mente sequi, taciteque mecum precari, ac dicere ne gravemini.

Circumcise puer nobis mysteria pande,
Cur fluat innocui sanguinis unda tibi?
Et cur non meritam tua dent præputia pœnam?
Si tamen hanc ratio cur paterere fuit.
Tu quoque consilii cœlestis conscia virgo:
Quæ puerum hunc salva virginitate paris,
Quam docuit sensus arcanos missus ab alto
Angelus, at potius spiritus, ipse sacer,
Spiritus ille tuo sacro qui pignore ventrem
Numine fœcundum reddidit ipse suo:
Tu causas inquam memora, te diva precamur,
Cur circumcidi debuit iste puer?
Adsis, angelicas clemens prius accipe laudes,
Virgo salutiferi plena favoris ave,
Est dominus tecum, super omne genus benedicta
Fœmineum, partu cum pia virgo tuo. Amen.

Nunc de adfuturo mihi ejus favore qui nuper

ANNO CHRISTI 1552.

Daniel. 7. Luc. 1. Psal. 131.

Joan. 1. Luc. 1.

Sapient. 6. Matth. 10. Psal. 120.

Rom. 11. Isai. 40.

Luc. 11.

1. Paral. 6. Luc. 2.

Psal. 96. Hebr. 1. 4. Reg. 6.

Isa. 41.

Psal. 18. Coloss. 2. Isa. 66.

ANNO CHRISTI 1552.

natus paſtoribus apparuit, & hodie circumciſus, redemptionis humanæ arcam quamdam nobis exhibuit, potenſque eſt & ſenſum atque intelligentiam myſteriorum inſpirare, & verba quibus explicentur ſuggerere, bono animo confiſus, tractationem ſed religioſam, eorum quæ in evangelio recitata ſunt, auſim tentare.

Complectitur autem evangelium verbis breviſſimis, res duas maximas, non oſcitanter prætereundas. Quarum altera eſt Chriſti domini noſtri in carne, quam de ſemine Abraham aſſumpſit, juxta legis præſcriptum circumciſio. Altera nominis ejus germani & proprii diſerta impoſitio. Nominis, inquam, non hominum induſtria juxta menſuram atque æſtimationem naturæ apparentis in carne inventi ac dictati. Sed quod ante ſæcula os domini nominavit, quod angelus priuſquam conciperetur nunciavit, quod non carnalis naturæ vires, ſed potentiam ſignificaret divinitatis, legationemque illam nobis exponeret, cujus gratia filius ille Dei altiſſimi, de ſinu patris deſcendiſſet in hunc orbem. Vocatus eſt enim Jeſus, id eſt ſalvator, quoniam ad hoc miſſus erat a patre, & venerat ut ſalvum faceret populum ſuum a peccatis eorum.

Luc. 2.

Iſa. 62. Luc. 4.

Matth. 1.

Quemadmodum autem non crepundia puerilia erant, aut ocioſa ſpectacula, quæ primo nativitatis ſuæ die Chriſtus mundo oſtentavit: ita & de circumciſione ac nomenclatura diviniſſima nobis exiſtimandum eſt. Quinetiam, ſi ortus ejus initia illa fuiſſent ab omni myſterio remota, ſi nihil intra ſe continuiſſent arcani, non poterat tamen otioſa eſſe ejus juxta legem circumciſio cruenta, aut nominis angelico monitu facta impoſitio. Jam vero tanta in crepundiis illis latuit divini concilii prudentia, tanta in obſcura nocte claritatis divinæ lux, tanta in apparatu humili, ac contempto rerum majeſtas, quantam ingenium humanum neque intelligere ſatis, neque admirari ſufficiat.

Phlip. 2.

Nam quod formam hominis aſſumpſit, cum Deus eſſet, quare factum exiſtimabimus? Num quia ad ejus majeſtatem conferebat, aut præſtantius erat in ſpecie hominis quam Dei, in forma ſervi quam domini hunc mundo apparere & innoteſcere? Quis demens ita cenſeat? Verum ideo voluit carnem aſſumere peccati, ut eam a contagionis paternæ gravi morbo ſanaret; Homo fieri, ut hominem qui per peccatum viluerat, divinitatis ſuæ conſortio rurſus nobilitaret: ſic enim apoſtolorum princeps ille ait, *ut nos divinæ conſortes faceret naturæ*: apparere in forma ſervi, ut de ſervis reges faceret, *& in regnum nos transferret gloriæ ſuæ*. Et quod de parente, ſecundum ſæculum iſtud, humili natus eſt, quare committere voluit? Non erant præſtantes illuſtri loco poſitæ virgines aut fœminæ de quibus naſceretur? aut ſi tantus erat erga virginem hanc amor, tantaque gratia, non potuit eam prius magnificis exornare titulis, aut potentiæ opumque ſplendore illuſtrare? Potuit utique, ſed infirma mundi elegit, volens confundere fortia, veniebat enim potentes deponere de ſede, & exaltare humiles. Sic quod pauper venit: Num defuiſſe ei opes putabimus? minime. Sed cum eſſet dives, *propter nos egenus factus eſt*, ut nos locupletaret. Ut ejus inopia nos divites eſſemus. In nocte venit, quia voluit nos eripere de poteſtate tenebrarum: voluit illuminare tenebras noſtras, *ut populus gentium qui ambulabat in tenebris, videret*, ſicut in propheta dicitur, *lucem magnam, & habitantibus in regione umbræ mortis lux iſta oriretur*. Quod autem in ſtabulo naſcitur, inſordibus, inter armenta, rationem aſſignat evangeliſta, *quia*, inquit, *non erat ei locus in diverſorio*. Ergo ne in cujus manu ſunt corda filiorum hominum, officioſis alioqui erga fœminas puerperas hominibus non potuit tantillum inſpirare ſenſus humani, puerperæ iſti ut ceſſiſſent hoſpitium? Potuit: ſed quoniam nos quærebat, atque ad nos deſcendere volebat, ibi eum naſci oportuit, ubi nos eramus. At ubinam eramus? Num in ſtabulo aliquo, ut propterea deſcenderit in ſtabulum? Etiam in ſtabulo jacebamus animalium brutorum: Animales enim rationis obſcurata luce, per peccatum facti, & paradiſo voluptatis, quæ nobis pulcherrimum ac jucundiſſimum hoſpitium dabat, excluſi, atque in hunc mundum ejecti, de mundo nihil feceramus præterquam ſtabulum animalium. *Homo enim cum in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis*. Hinc quidam ſanctorum dicebat: *Ut jumentum factus ſum apud te*. Quod ipſum volens ille quando venit in hunc mundum ſignificare, in ſtabulum animalium deſcendit, fœtores & ſtercora noſtra non exhorreſcens, ut in animalium ſuorum medio agnoſceretur. Quin ſupereſt & alia ratio quare in ſtabulum deſcenderit. Nempe voluit ante ſe paſtor bonus minare gregem ſuum, & ad paſcua meliora adducere. Quomodo enim alias impleretur, quod prædixit de eo Spiritus ſanctus per prophetam. *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit, vitulus & leo & ovis ſimul morabuntur, & puer parvulus minabit eos*?

Coloſſ. 2.

2. Pet. 8. 1. Cor. 1.

Coloſſ. 1. Luc. 1.

2. Cor. 8. Coloſſ. 1. Luc. 1.

Iſai. 9.

Quale vero eſt quod jacet in præſepio? Joſeph ille cui commendatus erat, & qui pater ejus eſſe credebatur, non tantillum contulit in parvulum hunc impendii, ut comparaſſet ei ſaltem cunas? Nihil profecto, nihil fideliſſimus ille Jeſu parvuli nutritius eorum quæ ad alumni ſui educationem pertinebant neglexit: quia ſolliciti patrisfamilias munia omnia diligenti ſedulitate obibat. Sed hæc fuit Chriſto deſtinata voluntas, voluit eſſe animalium ſuorum cibus: eaque de cauſa in præſepium, unde pabulum animalia ſumunt, reponi. Caro enim ejus aliis ſtipulas ſapit & fœnum, aliis paleas, aliis nauſeam citat, aliis ſolidus eſt cibus, aliis adeps frumenti, aliis panis angelorum. *Sumunt* enim & *boni & mali, ſorte tamen inæquali, vitæ vel interitus*. Si bruti ſumus, nec rationem ſequimur vitæ ducem, aut ſi delectat nos in ignorantia Dei permanere, & aſini ſumus, non dijudicantes corpus domini: quid aliud quam ſtipulas ſapiat & fœnum? Si leones ſumus truculenti & immites, aut boves terræ hujus cultores, quid ſapiat aliud quam paleas? ſic enim ſcriptum eſt: *Leo & bos comedent paleas*. Si erramus cum Judæis in ſolitudine, dicimus: *Nauſeat anima noſtra ſuper cibo iſto leviſſimo*. Si parvuli ſumus in Chriſto, lac noſtrum & mel noſtrum eſt. Si adoleſcimus, ſolidus eſt cibus, & frumentum & adeps frumenti. Si vero perfecti jam ſumus, *panis eſt angelorum, habens omne delectamentum & omnem ſaporem ſuavitatis*. Adeo omnium animalium ſuorum generi attemperatus eſt hic cibus, & pro cujuſque palato unicuique ſapit. Quæ ratio eſt, quare jaceat in præſepio tanquam in pabulum expoſitus. Jam quod ligatur faſciis & pannis involvitur, poterat forſan alicui videri ideo factum fuiſſe, ne tenelli artus pueri diſtorquerentur. Sic

Luc. 2. Prov. 21.

Baruch. 3.

Geneſ. 2.

Pſal. 48.

Pſal. 72.

Abac. 3.

Iſa. 11.

Matth. 1. Luc. 3.

Luc. 2.

Seq. S. Thom.

1. Cor. 11.

Iſaja. 65.

Num. 21. 1. Cor. 3. Hebr. 5. Pſal. 77. Sap. 16.

enim

ANNO CHRISTI 1552.

enim ſolent parvuli vinciri & faſciis illigari, donec eis articuli firmentur, & robur acquirant. Sed quid Chriſto cum faſciis & ligaminibus iſtis, qui *exultavit ut gigas ad currendam viam, cujus egreſſus a ſummo cælo fuit*? Verum hi panni, legis ſunt volumina, in quibus latuit, tanquam panniculis velatus atque obductus. Quo factum eſt, ut ſcribæ & legis periti Judæorum, multa quidem de Chriſto, quem in lege contineri ſciebant, docere potuerint, non autem agnoſcere, quoniam involutus illic latebat, & *manet ante oculos eorum velamen, uſque in hodiernum*, atque hoc eſt quod ille dicit: *Opertum eſt eis evangelium*, nobis autem, quibus præbuit ſeipſum vivum, quibus manifeſtatus eſt in carne, quibus membranas illas; ut intelligeremus ſcripturas, aperuit atque explicuit, totus jam patet, totus apertus & manifeſtus eſt.

Joan 7. 8. *2. Cor. 3.* *2. Cor. 4.* *Act. 1.* *Luc. 24.*

Adeo ſub velamento rerum humanarum latuere conſilii divini arcana: adeo jam tum ab ipſis incunabulis puer parvulus figuris & ænigmatibus iſtiuſmodi, præſtantiſſimo quodam docendi modo, nos erudiens, cathedram tenet magiſtri docentis, quandoquidem ipſe eſt unicus ille magiſter noſter, *legifer noſter*, *rex noſter*, & ſicut nomen ejus ſonat, *ſalvator noſter*.

Iſaj. 33.

Hæc ſunt ſtabuli tui, præſepii tui, pannorum tuorum, o puer admirabilis, magnalia, ab oculis carnalibus abſcondita. Talibus ludis, talibus ſpectaculis, talibus crepundiis, exornantur tibi cunæ pueriles. Hæc ſunt magiſterii tui ad circumciſionem altioris magiſterii ſacramentum erudita præludia: hæc ſunt ortus tui nocturna, ſed ſupra ſolem radiantia ſpectacula teſtibus ſyderibus, teſtibus angelis, teſtibus paſtoribus, teſtibus animalibus, in ſtabulo veluti in magno quopiam ac undique patente theatro edita. Et vere magnum theatrum, quod omnibus hominibus patet, quod innumerabiles admittit ſpectatores, in quod oculos ſuos conjiciunt, quotquot dominum Jeſum quærunt. Ecquod aliud theatrum ſpectatoribus ſuis tam jucunda, tam plauſu atque admiratione digna exhibeat ſpectacula? Quæ ſchola, quæ academia, quod gymnaſium, tam docta proponat auditoribus ſuis ænigmata? Qualis autem futura erat ejus circumciſio, cujus fuit tam admirabilis nativitas? Si hæc in nocte, quid in die? Si tanta nobis die primo donata ſunt, die octava, qui myſteriis deputatur, quid putatis expectabimus? Magna profecto neceſſe eſt ut ſint, quibus commendandis tantus myſteriorum apparatus eſt præmiſſus.

Luc. 2.

Agite igitur, patres, huc huc repurgate mentis oculos, animumque advertite. Nam qui mundo ſunt corde, Deum videbunt. Obſervemus & quantum fas eſt conſilia ſcrutemur Dei, ſi forte pulſantibus aperire, & quærentibus arcani quippiam dignabitur ille aperire. Audivimus puerum tot miraculis clarum hodie, hoc eſt, octavo nativitatis ſuæ die, circumciſum, & carnis quidem præputium hominibus ſecantibus poſuiſſe, nomen vero accepiſſe divinitus impoſitum. Hic Chriſtianæ philoſophiæ ſtudioſorum hominum eſt imprimis inveſtigare, quidnam ſibi velit tam accurata iſta temporis adnotatio? Neque enim putandum eſt ſine cauſa factum, ut circumciſioni deſtinaretur in lege, non quilibet dies, ſed octavus. Qua in re animadvertat quiſquis eſt myſteriorum divinorum contemplator, ſeptem diebus univerſum hujus ſæculi tempus contineri. Nemo eſt enim qui ſe-

Matth. 5. *Luc. 11.* *Luc. 2.*

ptenis plures aut pauciores numeret dies, & non eoſdem iterum atque iterum recurrentes, ducat in orbem ſeu circulum quemdam perpetuum atque infinitum. Erit igitur dies extra hos ſeptem, octavus, tempus aliud & ſæculum novum, illud nimirum, quod Iſajas præſagiit futurum. *Prope eſt ut veniat tempus ejus, & dies ejus non elongabuntur, miſerebitur dominus Jacob, & Iſrael ſalvabitur.* Dies ſeptem carnalis ſunt præputii, quibus converſati ſumus in deſideriis carnis. Dies octavus, dies eſt ille redemptionis ſanctus, in quo ſignati ſumus; tempus eſt regenerationis & reconciliationis, quo adoptamur in filios Dei, ut clamemus abba pater, & ſignentur nomina noſtra in libro vitæ, quos antea Deus ignorabat. Sed ut Judæis, inquiet forte quiſpiam, fuerit dies octavus myſticus, nihilne hic datur gentibus? *an Judæorum Deus tantum, & non etiam gentium?* Datur utique & gentibus is qui eſt expectatio gentium.

ANNO CHRISTI 1552.

Iſa. 14. *Epheſ. 4.* *Galat. 4.* *Rom. 3.* *Geneſ. 42.*

Verum aliter Judæis, aliter gentibus. Nam cum haberent gentes multorum annorum præputia longa, & diu in incredulitate & deſideriis carnis fuiſſent converſati, non eis poſt tranſactam hebdomadam dierum in capite hebdomadæ novæ ſicut Judæis, ſed poſt peracta multorum annorum ſæcula, in capite anni novi, imo novi ſæculi datur. In præteritis enim generationibus dimiſit gentes ingredi vias ſuas. In quo eſt videre admirabilem Dei providentiam. Qui cum voluiſſet ſibi colligere ex Judæis & gentibus populum unum, ſibique reconciliare ambos in uno corpore, tum prædicare iis qui longe & qui prope erant, ſic aptavit, ſic præfinivit diſpenſationis ſuæ tempora, ut uno eodemque hoc die, populo utrique religioſo, quem Judæi (quoniam octavus erat) ex lege, & gentes legem non habentes, ex ſuperſtitione venerabantur & obſervabant, utriſque ſe exhiberet ſignaculis duobus cognoſcendum, uno carnis, altero divinitatis. Siquidem hunc diem Jano bifronti ſuperſtitioſa gentilitas dedicaverat; quem conviviis, ſalutationibus mittendis & remittendis, ſtrenis & ludis publicis, totum tranſigebant lætum, dabant & accipiebant munera, mutuæ benevolentiæ atque amicitiæ ſymbola, haud ſecus ac ſi temporis præteriti faſtidio gravati in novam vitæ conditionem tranſire geſtirent. Qua de re veterum poetarum quidam ſic cecinit carmine.

Act. 14. *Epheſ. 2.* *Coloſſ. 1.* *Rom. 2.*

Proſpera lux oritur, linguiſque animiſque favete:
Nunc dicenda bono ſunt bona verba die.
Lite vacent aures, inſanaque protinus abſint
Jurgia, differ opus livida turba tuum.
Salve feſta dies, meliorque revertere ſemper,
A populo rerum digna potente coli.

P. Ovidius faſt. 1.

Ad quem modum gentes per ignorantiam veri Dei Jano bifronti & nihil videnti tribuebant, quæ erant ſolius Chriſti. Chriſtus enim, (non Janus) conciliator eſt animorum, omniſque benevolentiæ in hominibus auctor. Hic prædicat, ut propheta ait, annum placabilem domino. Hic propter teſtamentum vetus, quod reinſpicit a tergo, & novum, quod coram inſpicit, in finem ſæculi duraturum, & quoniam mediator eſt inter Deum & hominem, bifrons poterit non injuria videri, ſed ob id potiſſimum, quod *non eſt ulla creatura inviſibilis in conſpectu ejus, & oculis ejus omnia ſint nuda & aperta*. Hic dat ſtrenas & munera auro gemmiſque meliora. Dedit enim nobis hodie e bonitatis ſuæ theſauro ſtrenas binas mæſtimabiles, quibus nihil pretioſius, nihil optabilius eſſe poſſit.

Joan. 13. *Iſa. 61.* *Hcb. 4. 7. 9.* *Heb. 4.*

ANNO CHRISTI 1552.

Dedit munera duplicata, eximiæ erga nos charitatis suæ symbola. Quorum alterum pretioso ejus sanguine notatum est, naturæ humanæ signaculum: Alterum vero de cœlo nomen allatum
1. Pet. 18 signaculum divinæ naturæ. Sanguine autem ejus quid pretiosius? Et novo suo nomine exhibuit nobis æternæ salutis spem, *nec enim aliud sub*
Act. 4. *cœlo datum est nomen hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*, & fœlicem æternitatis annum auspicari. Salute autem æterna quid optabilius?

Circumcisionis character humanæ illius carnis, quæ pro redemptione generis humani venit ad Abraham, est signum, datum non solis Judæis,
Genes. 22. sed & gentibus, ut promissio impleretur. *In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ*. De quo- B rum numero nos utique eramus alioqui perituri, nisi benedictio promissa ad gentes quoque pertinuisset: quo major est causa, ut signum læti agnoscamus, nobisque fœliciratem illam gra-
Apoc. 1. tulemur. Datum est autem in sanguine, qui lavat a peccatis, & arrha est propitiationis illius, quam facere decreverat in cruce.

Nomen Jesus tam benignitatis quam potentiæ ejus divinæ est signum, peccatoribus omnibus datum. *Vocatus est* enim *Jesus, quia veniebat*
Matth. 1. *salvum facere populum suum a peccatis eorum*. Quid autem tam benignum est, quam sua ipsorum culpa pereuntium, ubi indignationis & iræ justa causa dabatur, misereri? & quæ major sit potentia, quam peccati vincula solvere, C a diaboli tyrannide liberare, a morte æterna
Luc. 5. salvare? Atqui hoc quis possit nisi solus Deus? Quid vero miseris nobis tam necessarium, quam condolentem eumdemque salvantem habere Jesum? Agnoscere ergo & istud quoque signum tantorum gaudiorum nuncium læti debemus, ut ex nomine ipso verum confiteamur esse Deum, ex circumcisione hominem verum. Utriusque enim naturæ confessio, tam est unicuique ad salutem necessaria, ut si quis alteram in Christo perimat, totus excidat a Christo toto, nec habeat, unde possit ei Christus prodesse. Etenim qui humanam ei naturam detrahunt, sacrificio se exuunt propitiationis. Quod dabit enim pro se sacrificium, aut quem sanguinem libabit Mani- D cheus, qui imaginem ac similitudinem gessisse hominis, non naturam, perfide contendit? Quod Valentinus, qui corpus ei affingit cœleste? Quod Apollinaris, qui humanam in divinam transisse fabulatur? An sanguinem hircorum, taurorum, aut vitulorum? Sed impossibile est, sanguine hircorum, aut taurorum auferri peccata. An sanguinem proprium? sed is sanguine hircorum est
Hebr. 10. corruptior. Nobis vero qui verum ipsum confi-
1. Joan. 2. temur hominem, *factus est propitiatio pro peccatis nostris*. Ad eumdem modum qui divinam ei naturam blasphema voce auferunt, Judæi, Ethnici, Mahumetani, quod habeant nomen in quo sit peccatorum remissio, & quo salvi fiant? Nul-
Act. 4. lum profecto, nomine Jesu sublato. *Non est enim* E *aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*: Soli itaque de Christo recte sentiunt, qui & hominem ipsum & Deum esse confitentur. Atque hoc est quod apostolus ille Christo præ ceteris dilectus ait. *Omnis spiritus*
1. Joan. 4. *qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est*. Et rursus: *Quisquis confessus fuerit, quoniam Jesus est filius Dei, Deus in eo manet*. Quæ duo ut non compugnent ipse fecit, per quem magno eoque inscrutabili miraculo, in uno ac solo Christo consentiunt. Quod in Spi-

ritu sancto fore prævidens Isajas ait, *Parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis*. Parvulum a filio hactenus in eodem Christo secernit, quod parvulus sit natus, nimirum ex Maria virgine: filius vero datus, nimirum a patre cœlesti, qui ipsum ab æterno genuit. Et tamen idem interim est Christus, qui & parvulus est & filius.

ANNO CHRISTI 1552.
Isai. 9.

Tantorum sunt duo ista hujus diei signacula mysteriorum symbola, quæ tamen nulla sint nisi plurima, nec iis inferiora adhuc restent. Pro re nata igitur convenientissimum ac pulchrum erat, utriusque signaculi vim & causas, quidque portenderet altiori origine exponere. Quod tamen ipsum quum mihi per remporis angustiam non permitti probe satis intelligam, & cernam vix de alterutro differendi facultatem superesse, arbitratus sum me non abs re facturum, si circumcisionis tantummodo sacramentum pertractum, ut cujus ratio non tam multis perspecta est, quam exoseulandi illius & amabilis ac benedicti nominis Jesu: quod omnium piorum ore, nobis etiam tacentibus, celebratur. Illud est enim nomen, quod est supra omne nomen,
Philip. 2. ad cujus appellationem *omne genu flectitur, cœlestium, terrestrium & infernorum*. Nomen in quo
Isa. 65. *qui benedictus est super terram*, ut propheta ait,
2. Cor. 12. *benedicitur in Deo*, quo nemo potest eum appellare nisi in Spiritu sancto. Nomen est, ad quod
Marc. 16. mitescunt feræ, fiunt innoxii serpentes, dæ-
Psalm. 102. mones ejiciuntur, linguis loquimur novis, &
Jonæ. 1. omnis generis morbi curantur; propter quod propitiatur Deus cunctis iniquitatibus nostris, in quo quicquid petierimus, dabitur nobis. In sum-
Joel. 2. ma, *Omnis qui invocaverit nomen domini, salvus erit*. Quam tantam ejus viam admiratus David carmine ipsum tali celebrat. *Domine*, inquit,
Psal. 8. *Dominus noster quam admirabile est nomen tuum in universa terra*, cum pridem in Judæa tantum
Psal. 75. notus fuisset Deus, & *in Israel magnum nomen ejus*.

Illo itaque nomine vobis alioqui satis commendato, & piorum omnium cordibus impresso, ad circumcisionis mysterium explicandum me converto, cujus originem tradit Moyses *Circumcisionis Origo.* in Genesi fuisse talem. Cum Hebræus Abraham jubenti Deo, ut de terra & cognatione sua in regionem aliam, quam ei demonstrabat,
Genes. 12. proficisceretur, incunctanter paruisset, eidemque promittenti sibi jam per ætatem effœto posteritatem (non magis quam stellæ cœli,
Genes. 15. aut sint arenæ maris) numerabile, absque dubitatione fidem habuisset, eaque de causa justitiæ laudem fuisset promeritus, multis perspecta modis ejus obedientia, fide, constantia ac justitia, voluit Deus semen ejus ab impiorum semine signaculo aliquo discretum, quo originis suæ paternæque virtutis admonita posteritas, ejus quoque studeret æmula esse, quam-
Genes. 17. obrem mutato nomine ejus Abram in Abraham, eo quod esset futurus multarum gentium pater, jussit ut se cum familia omni lege sempiterna circumcideret. Quod institutum ab eo cœptum, per omnem adeo posteritatem invaluit, ut nemo veterum legatur ejus neglecti causa fuis-
Exod. 4. se reprehensus, præter unum Moysen, cui revertenti a Madianitis in Ægyptum cum Sephora uxore, angelus mortem interminabatur, propterea quod filium suum nondum circumcidisset. Quo conspecto puelli mater, ingenti correpta metu, illico filium petra acuta circumcidit, provolutaque ad Moysi pedes ait: *Sponsus sangui-*

num

ANNO CHRISTI 1552.

num tu mihi es, & dimisit eum, ob circumcisionem, ut ait scriptura. Adeo ab ea tanquam crudeli atque inhumana lege pietas materna abhorrebat. *Genes. 34.* Quinetiam quanto cum cruciatu fiat circuncisio, si non experientia, posset vel ab eo cognosci, quod cum Emor & Sichem (ut habet Geneseos historia) principes, cum universo civitatis suæ populo, filiis Jacob dolose persuasi se circumcidissent tertio circumcisionis die Symeon & Levi cum modica familia in civitatem irruentes, totam multitudinem quæ defendere se ob doloris vehementiam non poterat, propter stuprum sorori suæ Dinæ illatum, trucidarunt.

Nihilo tamen minus Hebræi, quamvis dura, crudelis atque inhumana circumcisionis lex illa videretur, & a ceteris patrum suorum traditionibus leviter admodum nec infrequenter deflecterent, tamen sive gloriam stirpis (de qua superbiebant) sive promissorum divinorum magnitudine, sive religione ducti (senserunt enim ac tradiderunt eorum quidam ritui mysterium inesse) ejus admodum tenaces ac patientes erant, cruciatus illos non modo contemnentes, verumetiam ducentes sibi glorioſos, gentesque reliquas velut immundas aspernati sibi solis mirifice placebant. Cujus rei admiratio cœpit & Ægyptiorum mystas illos (qui in veneratione præcipua religionis opinione habebantur, & cum ad eos sacramentum istud non proprie pertineret, Hebræorum simiæ facti, a quibus plurima mutuabantur, se quoque circumciderunt, & neque ad literas sacras illas (quas hieroglyphicas appellant) addiscendas, neque ad astrologiæ aut geneseos (qua nihil divinius ducebant) cognitionem, quemquam admittebant nisi prius circumcisum. Et nemo apud eos hierophantes, nemo sacrorum mysta, nemo vates, aruspex, genethliacus, cœli aut infernorum conscius existimabatur, nisi fuisset circumcisus. Quinetiam Arabum, Phœnicum & Æthiopum quosdam sacerdotes, memorant idem sequutos exemplum, circumcisionis se charactere initiasse. Quo factum est, ut circumcisio quæ fuerat Hebræis insigne religionis, Ægyptiis, Arabibus & Phœnicibus facta sit superstitionis insigne. Non novum tamen hoc, quum ita soleat impietas pietatem mentiri, & angelus satanæ se transfigurare in angelum lucis.

Atque hæc est circumcisionis illius origo, causa & progressus ad Christum usque in quo benedicendus erat non unus Hebræorum populus, sed omnes gentes terræ. Non enim per Abrahamum aut ejus circumcisionem benedictio promissa expectabatur, sed per semen ejus. Semen autem promissum & per virginem redditum, erat Christus, in quo carnalis ista circumcisio in multo præstantiorem conversa est. *Gen. 22.* Enimvero *Galat. 3.* Christus cum Deus esset & homo, accipiens in humana sua carne circumcisionem carnalem, transtulit eam in spiritualem, qua electos suos ad quos promissio Abrahæ facta pertinebat, signaret: Non quidem signo aliquo carni mortali impresso, quam habent boni cum malis communem, & in qua charactere eodem signari poterant etiam reprobi, nihilo propter signaculum illud futuri meliores, sed in anima, in qua non *2. Cor. 2.* nisi germani Abrahæ filii & electi Dei signantur, infallibili illo spiritus charactere, qui nos meliores efficiat ac Deo probet. De quo apostolus ait, firmum fundamentum Dei stat habens signaculum hoc. *2. Tim. 2.* *Cognovit dominus qui sunt ejus, & discedat ab iniquitate omnis qui invocat nomen domini*, invocamus quidem quotquot in ipsum credimus nomen domini, sed signaculum Spiritus habent, qui circumciderunt se ab iniquitate: hos discernit & cognoscit, *qui scrutator est cordium Deus*: ad hos pertinet pactum illud æternum. Hoc est firmum fundamentum Dei, quod stat & stabit. Ad quam circumcisionem spiritualem referuntur omnia quæ de carnali illa Moyses scripsit: fuerunt enim istius umbræ quædam & imagines. Sed quoniam Judæus doctrinam hanc veritatis non recipit, & literæ affixus errare nos arbitratur, ne dubia videamur jactare pro certis, ante ex ipsamet lege (cui innititur) venit ille nobis confutandus ac redarguendus, quam probemus omnia veteris circumcisionis jura huc esse translata. Age igitur si rogemus Judæum causam, quare jusserit Deus præputium cirumcidi, quod amputari absque cruciatu magno non poterat. Nam persuasum utrinque esse debet, Deum non sine causa & frustra grave aliquid in homines statuere. Si natura vitiosum erat, adeoque Deo invisum, quare creavit? Si non erat invisum Deo, nec molestum homini, aut natura malum, quare jussit amputari? Si quia superfluum erat, auferri voluit, videbitur miserorum cruciatu suum errorem, si ita fas sit de Deo loqui, voluisse emendare. *Ipse enim fecit nos, & non nos ipsi*. Aut si alia quæpiam causa suberat ad Deum non pertinens, nunquid de præputiis cura est Deo? Hic quid ille respondeat, nisi datam circumcisionem in fœderis divini signum, quo populus Deo dedicatus a reliquis gentibus ipsum agnoscentibus, nec cultui ejus mancipatus secerneretur. Verum id quidem, & satis conveniebat, Judæorum populum rudem, notis hujuscemodi signari, sed non istud quærebatur. Danda erat ratio quare discernendo populo suo, Deus signo isto & non potius alio quopiam voluit uti, quo videlicet tam dignum Deo signaculum istud fuisse appareat, quam conveniebat Judæos eo notari. Quæ nisi detur studiosis illis, qui facta divina admirantur, eorumque rationes perveſtigant, neutiquam fiet satis, quinetiam videbitur hæc ipsa lex cum decoro naturæ decentissimo & rationis judicio pugnare. Dicent enim Ethnici. Sic non habebat Deus vester quem omnipotentem & sapientem esse dicitis, in corpore humano locum alium, ubi religionis & pacti sui characterem locaret, nisi in verecundarum partium (quas natura velavit) circumcisione?

ANNO CHRISTI 1552.

Sap. 1.

Gene. 17.

Psal. 99.

Quale item sit (rogabunt) æternum Dei testamentum ista corporis parte reconditum circumferre? & quale denique ob resectam cutis particulam (quæ neque bonum neque malum alioqui hominem reddat) circumcisum non circumciso ducere meliorem, & hunc illi præferre vel posthabere? Hic mutus erit Judæus, nec poterit legis quam profitetur dare rationem, nisi confiteatur nobiscum, circumcisione illa carnali, circumcisionem aliam Deo dignam. & quæ hominem vere sanctificet, adumbrari: cui significandæ, non quælibet alia corporis pars, sed tantum pudenda ista sit apta. Quamquam huc adigetur, non ista tantum ratiocinatione: succurunt enim ipsa etiam lex & prophetæ, quorum authoritas majus pondus habet. In Levitico ait dominus: *Ambulabo contra eos* (de Judæis carne utique circumcisis loquitur) *& inducam eos in terram hostilem, donec erubescat incircumcisa mens eorum*. Audimus *Levit 20.*

hic

ANNO CHRISTI 1552.

hic circumcisionem potiorem mentis. Mens autem circumcidi (nisi spiritaliter) quomodo queat? Similis est in Deuteronomio locus, ubi ad circumcisos jam carne Judæos Moyses ait. *Deut 30.* *Circumcidet dominus Deus tuus cor tuum & cor seminis tui, ut diligas dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua.* Si in præputii circumcisione conquiescendum existimavit Moyses, quid circumcisionem cordis ex Dei nomine iis qui circumcisi jam sunt, promittit? Luculenter itaque hic apparet non modo, quod demonstrandum nobis erat, circumcisionem quandam esse spiritalem, carnali ista præstantiorem, verumetiam & hoc, quod illa sit: quam velit potissimum, & exigat Deus: idem est videre & in alio Deuteronomii loco, ubi Deus ait: *Deut. 10.* *Circumcidite igitur præputium cordis vestri, & cervicem vestram, ne indurētis amplius.* En & cor ipsum hominis, ad quod nulla manus pertingit, præterquam Dei, habet præputium quod circumcidatur, sed spirituale: quod nisi circumcidimus, non proderit carnem habere circumcisam.

Quorsum igitur glorietur Judæus in figura, in umbra, in signis, si hæc est veritas? Quorsum præputii sui decurtationem jactabit, si præstantior, si sanctior, & Deo gratior est circumcisio cordis? Pleni sunt rerum istarum prophetæ, quorum agmen longum, si causa poscret, huc possem adducere. Sed apud vos, patres sanctissimi, id arbitror in re tam manifesta fore supervacuum. At dum Judæorum persequor stoliditatem, videar forsan alicubi ipse impegisse, & laqueos mihi innexuisse, unde non extricer. Nam si figura est & umbra circumcisio, quid tantopere Christum in carne circumcisum prædico & extollo? Neutiquam vero stringor hoc modo, qui Christi circumcisionem aliter, quam suam Judæus, magnifico. Non enim sibi circumcisus est Christus sicut Judæi, sed nobis, quibus & natus & datus est: sed nec ideo, quod putaret cum Judæis, præputium omne natura immundum coram Deo esse, aut carnis mutilationem virtutem esse Deo gratam atque acceptam. Sed ideo circumcisionem accepit, ut figuralem illam transferret in spiritualem, veram circumcisionem: ideo sub umbram hanc descendit, ut ea discussa rem ipsam in luce nobis exhiberet. Præter quam utilitatem profuit nobis & alias Christi circumcisio multis modis.

Isai. 9.

Primum enim mortalibus omnibus comprobavit se carnem veram & nostri similem assumpsisse, qui voluit nos sibi unum corpus (in quo omnes servaret) concorporare. Deinde voluit fratribus suis secundum carnem, Judæis (inquam) ne quam illis offensionis causam præberet, per omnia assimilari. Et qui non postremus est ejus fructus, liberavit nos a dura circumcisionis lege, circumcisus ipse pro nobis. *Misit* enim *Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum Dei reciperemus.* Sed qui potuit istud fieri? Num legem (ut nos liberos ab ea redderet) destruxit? Minime. Sed pro nobis autem implere quomodo potuit id, quod ut ipsi nos præstemus, lex exigit & requirit? Sic enim habet mandatum Dei. *Masculus cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo.* Et iterum, *Erit autem pactum meum in carne vestra, in fœdus æternum.* In vestra, inquit carne, non aliena. Multis sane mortalibus quibus rationem caro absorbuit, præbuere hæc

Ephes. 4. *Hebr. 2.*

Galat. 4.

Matth. 5.

Gene. 17.

legis verba ingentis causam ruinæ, qui æternum illud Dei testamentum, ad suam ipsorum carnem referentes, tam grandi rerum moli, tam fragile ac vile substraverunt fundamentum. Quales fuere Judæi, qui propter hanc legem, legem Christi etiamnum averfantur. Quales item Ebionitæ, qui cum Christum recepissent, suaque omnia ad pedes apostolorum posuissent, propter hæc legis verba retro conversi, ac circumcisi a Christo exciderunt. Sic Cerinthus, sic pseudo apostoli, sic ad tempus Galatæ, sic Mahumet, & cum eo gentes innumeræ a Christo recessere, quibus persuasum erat, suam esse carnem, pro qua tanta pollicerētur Deus, & de illa dictum esse: *Pactum meum erit in carne vestra in æternum.* Heu carneas & cœcas hominum istorum mentes, & stupida crassaque ingenia. Itane mortales de putente sua carne gloriari? Itane Dei creatoris sui pacta gratuita, carnis suæ merito adscribere, & quidem carnis illi particulæ quæ pudenda prorsus atque digna sit.

ANNO CHRISTI 1552. *Epiphanius.* *Galat. 3. 5.* *Gene. 17.*

Quid est autem omnis caro, nisi fœnum, nisi pulvis, nisi lutum? & hujus scilicet vilior particula digna æstimabitur, pro qua paciscatur Deus homini immortalitatem? Quanta est indignitas opinari tam vilibus Deum addictum esse rebus? Alia, o cœci, alia est caro, pro qua pactus est nobis Deus æternitatem. Hæc est unigeniti ejus caro, qui nobis natus, datus & circumcisus est: idemque est masculus ille, in quo circumcidimur omnes. Quemadmodum enim quod Abrahæ dictum est: *In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ*, non potest ad eos omnes, qui ab Abraham descenderunt, referri: nec enim dicit scriptura, *in seminibus, quasi in multis, sed in semine tuo, quasi in uno*: hic unus autem est Christus. Ita quod eidem dicitur: *Et erit pactum meum in carne vestra*, non ad unumquemlibet Judæum referri potest, nec de multis, sed de carne una pronunciat Deus. Hæc autem una caro, o Judæi, est Christus, de carne vestra, ex semine Abraham natus, qui idem & caro nostra est. Quotquot enim in ipso baptizati sumus, unum sumus cum illo corpus, & membra de membro, de carnibus & ossibus ejus: illo ergo circumciso, simul intelliguntur circumcisi, quotquot in eo existunt. Quam carnem unam, & masculum unum Colossensibus indicans is qui aliquando raptus fuit in tertium cœlum, *In Christo*, inquit, *circumcisi estis, circumcisione non manufacta, in expoliatione corporis carnis, sed in circumcisione Christi, consepulti ei per baptismum. Itaque jam non est masculus & fœmina, gentilis & Judæus, circumcisio & præputium, barbarus & Scytha, servus & liber, sed omnia & in omnibus Christus: In quo neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed nova creatura, sed fides quæ per dilectionem operatur. Non enim qui in manifesto hic Judæus est, neque quæ in manifesto in carne fit, circumcisio est: sed qui in abscondito, Judæus est, & circumcisio cordis in spiritu non litera, cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est.* Enimvero non magni meriti res coram Deo est carnem circumferre mutilatam. Cordis & animæ vitia amputasse, illa demum præclara est & Deo grata circumcisio. Hæc est quam legislator volebat atque intendebat: ad hanc invitat nos Christus infantulus circumcisione sacrosanctæ carnis suæ. Hanc docuerunt apostoli, præsagierunt futuram atque etiam suo exegerunt tempore prophetæ, patriarchæ & justi viri. Olim in carne sua adumbrarunt, pulcra & accurata ratione, quæ pars hominis, quo

Tsal. 40. *Tsal. 102.* *Isai. 64.*

Gene. 22.

Galat. 3.

Gene. 17.

2. Cor. 12. *Ephes. 5.*

Coloss. 2.

Coloss. 3.

Galat. 5. 6. *Rom. 2.*

ordi-

ANNO CHRISTI 1552.

ordine, qua ætate, quo cultro & quomodo circumcidi debeat, præscribentes: modo enim non numeris omnibus traderetur absolutum, quod ex Dei ipsius gerebatur præscripto? Et quidem quæ pars hominis circumcidi debeat, in præputii carne intelligitur. Non enim præcepit Deus præcidere ungues aut capillos, vel barbam abradere, res quas excernit ipsa natura, non etiam corporis solida membra, sine quibus non potest homo integer consistere: sed congenita nobis præputia, naturæ quidem sui amantissimæ cara, pudenda tamen. Quæ quoniam carne constant & sanguine, non absque cruciatu revelluntur: tametsi abundare in corpore humano, nec admodum ei necessaria esse videantur. Qua figura significat Deus, vitia illa pudenda, in quæ ferimur ab ipsa adolescentia, ac per omnem ætatem adeo proclives, quæque radices jam in ipsis nostris visceribus egere, nec possunt, nisi natura cui congenita sunt reluctante, & acerbo cum dolore extirpari: circumcidenda tamen esse, modo velimus inter filios Dei computari. Qualis est concupiscentiæ venereæ impetus, superbiæ malum, ambitionis pestis, studium avaritiæ, luxus, odium, invidentia, & id genus morbi carnis, qui etsi tenaciter adeo depravate inhæreant naturæ, ut extirpari & sanari, nisi vim nobis inferamus, vix queant: tamen nemo defendit, nemo non improbat, utpote pudenda & verecunde (quantumvis corruptos homines delectent, naturæque adblandiantur) tegenda. Atque hæc talia, cui non merito videantur quædam esse præputia: & quidem cordis præputia, unde exeunt, ut veritas ipsa nos docuit, cogitationes immundæ, quæ coinquinant hominem. *Et pravum est cor hominis*, pronumque (sicut apud Moysen dominus ipse conqueritur) ab adolescientia sua in malum. Quamquam scriptura sacra, eadem illa vitia tribuit etiam menti, jubetque & hanc circumcidere, ideo forte quod mens videatur in corde suam habere sedem. Legimus in Hieremia, & aurium circumcisione opus esse. Sic enim ait: *Cui loquar, & quem contestabor ut audiat? Ecce incircumcisæ sunt aures eorum, audire non possunt*. Moyses querebatur, se labiis esse incircumcisum. Et quemadmodum circumcidere oportet mentem, cor, aures, labia: sic fortassis & manus & pedes, & oculi & nares habent quod circumcidantur. Labia quidem, ne loquantur dolum in corde: & cor, ne cogitet detractiones, turpiloquia, & ea quæ nec nominari vult inter fratres apostolus. Aures, ne adulatoribus, calumniatoribus, aut colloquiis eorum pravis, qui animas corrumpunt, auscultent, sed potius verbo Dei. Oculi, ne videant vanitates, & sint pleni concupiscentiis, sed simplices sicut columbæ. Gustus a crapula, ebrietate, & gulæ irritamentis, ne fiat homini suus venter Deus, & tanquam crucis Christi inimicus ab apostolo deploretur. Manus ne muneribus, sanguine, rapina aut iniquitate ulla polluantur: Pedes a lapsu, ne gradiantur via duplici, sed in via currant mandatorum Dei. Tot sunt hominis partes, quæ circumcisionem requirant. Quamquam interim verum est, corde bene circumciso, totum satis hominem circumcisum esse. Ordinem ad hæc quemdam in circumcisione servandum esse, Abraham suo nos docet exemplo. Siquidem is prior seipsum, deinde Ismaelem filium suum, postea vernaculos, postremo emptitios & advenas circumcidit. Se quidem non impuritatis ullius præscindendæ causa, sed propter exemplum, quippe qui jam justitiæ laudem a Deo fuerat adeptus. Jam audierat: *Ego protector tuus Abraham, & merces tua magna nimis. Benedicam benedicentibus te, & maledicentibus tibi maledicam*: & jam quarto acceperat de posteritate, de Christo, de Chananæorum fertilissima amplissimaque regione possidenda promissionem. Nihilo tamen minus quamvis justus, rectus, Deo carus, & annosus esset, debuit pater multarum gentium futurus, priusquam promissionis filium Isaac generaret, ipse circumcidi.

ANNO CHRISTI 1552. *Genes.* 15. *Roma.* 4. *Genes.* 12. 17. 22.

Quid hoc sibi vult, patres reverendissimi, aliud, nisi quod in ecclesia Dei oporteat primo ipsos Abrahamos, ipsos patres familias, qui alios circumcidant, circumcidi saltem in exemplum, quanto vero magis, si habeant ipsimet, quod circumcisionem requirat? Videlicet ne audiant: *In quo alium judicas, teipsum condemnas*. *Rom.* 2.

Neque enim Isaac nascitur nisi de parente circumciso, nec ecclesiarum patres, bonos Christo generant filios, nisi fuerint ipsi circumcisi priores. Sic enim ajunt: plus valere exemplum bonum, quam leges bonas. Circumciso parente mox Ismael filius circumciditur, primus post patrem familias in domo. Et quis primus in ecclesiæ patres est, nisi clericus in ecclesia post sortem domini electus & adscitus? Quem sequuntur tanquam vernaculi populus fidelium, *cives sanctorum & domestici Dei*. Post vernaculos tardius circumcisionem admittunt servi emptitii illi, qui sua lucra in ecclesia Christi sectantes, non domino nostro Jesu Christo serviunt, sed suæ cupiditati, suo ventri. Postremi veniunt advenæ, qui in ecclesiam de regione tenebrarum sero pene reversi, pœnitentiæ castigatione severiori circumciduntur. Hoc ordine circumcidit Abraham domum suam: & hic ordo est, quem in Arahamo Deus ecclesiæ præscripsit, quem pervertere si quis adnitatur, nihil egerit aliud, quam ut cum natura pugnare, & Dei ordinationem infringere voluisse videatur.

Gen. 2. *Gene.* 17. *Ephes.* 2. *Rom.* 16.

Interim tamen prætereundum non est siquidem velimus sacræ scripturæ candidi & non iniqui interpretes haberi, quod Abraham gentis pater non a filio, non a vernaculis, nec a servis, aut alienigenis circumciditur, sed sua ipsius propria voluntate & manu. Nosse enim oportet, non permissum (nedum injunctum) minoribus, ut negotium sibi sumant aut libidine ferantur majores suos circumcidendi, ut sicut Cham ille, naturæ reverentia deposita parentum suorum verenda nudata fratribus ostendant, quos certæ maledictio apud Deum manet. Sed debet Abraham a seipso, non ab alio quovis minore circumcidi, derisus & contemptus. Ipsique sese patres debent ad proavorum & majorum suorum normas & leges illas, quas nulla (quæ quidem a Deo fit) queat dissolvere potestas, ultro componere. Etenim non datam (ne ipsis quidem apostolis) esse a Deo potestatem, ea quæ pro ædificatione sancita sunt destinandi, apostolus ipse ille gentium doctor in fide & veritate nobis affirmat, pro quibus solis forsan conservandis, quales quales patres eorum fuerint, poterunt minores solliciti esse, & Paulos quosdam agere.

Gene. 9. *2. Cor.* 10. *Galat.* 2.

Quæ vero ætas circumcisioni huic divinæ deputetur, si libet cognoscere. En Abraham circumciditur annorum nonaginta novem. Ismael tredecim annorum. Infans parvulus dierum octo:

familia

Matth. 15. *Gen.* 6. *Leu.* 26. *Hiere.* 6. *Exod.* 4. *Psal.* 11. *Ephes.* 5. *1. Cor.* 15. *2. Petr.* 2. *Philip.* 3.

ANNO CHRISTI 1552.

familia vero absque ætatis respectu. Hoc vero quid est P. R. nisi quod nulli parcitur ætati, quando neque infima circumcisionem evadit, neque suprema. Abraham qui anno nonagesimo nono superato, jam centesimum agebat, ætatis supremæ. Parvulus infimæ. Ismael & familia, mediæ gerunt imaginem. Omnis enim ætas circumcisioni Christianæ matura est. Quod Spiritus sanctus per prophetam significans, sic Christi tempora descripsit. *Isai. 65.* *Non erit ibi infans dierum & senex, qui non impleverit dies suos. Quoniam puer centum annorum morietur, & peccator centum annorum maledictus erit.* Adeo nemini datur ad perseverandum in peccatis spatium ulterius, atque hoc ipsum est, quod habet historia divina. *Gen. 17.* *Statim*, inquit, *in ipso die*, sicut præceperat ei Deus, *circumcidit Abraham carnem præputii sui, & Ismaelis filii sui, & omnem domum suam.*

Et quoniam non amputatur absque cultro præputium, de hoc quoque dispiciamus. *Exod. 4. Josue. 5.* In scripturis quidem, non invenitur circumcisioni adhibitus culter alius, quam petra acuta. Mirum vero, si tam acuta possit ulla fingi, quæ circumcidendo cordi, quod omnium oculorum fugit aspectum, adhibeatur. Si non extat autem talis aliqua, qua falce aut securi cordis præputium quis amputet? Nisi forte confugiendum putamus ad illam, de *1. Cor. 10.* qua scriptum est, *petra autem erat Christus.* Sed hæc petra qua cote exacuatur ut scindat, aut quomodo cultri vicem obtineat Christus? Verum cessabimus mirari, ubi propius Christum inspexerimus, consideraverimusque ipsum simul esse verbum illud incarnatum, *verbum*, inquam, *Joan. 1. Hebr. 4.* *Dei vivum & ficax, quovis gladio ancipiti penetrabilibus*: quippe quod ad spiritus & animæ, compagum quoque & medullarum divisionem usque pertingens, cordis ipsas cogitationes secretissimas discernit. Ecquem autem cordi circumcidendo gladium magis penetrabilem, aut petram acutiorem quæramus?

Verum dicet forte quispiam. Sed quis in potestate atque arbitrio suo hanc petram habet, ut ea circumcidere & se & alios queat? Quem ad *Rom. 10.* apostolum mitto, a quo audiat responsum. *Ne dixeris*, inquit ille, *in corde tuo. Quis ascendit in cœlum, id est Christum deducere, aut quis descendit in abyssum, hoc est Christum a mortuis revocare. Sed sicut dicit scriptura, prope est verbum in ore tuo, & in corde tuo. Hoc autem est verbum fidei.* *Deut. 30.* Si credis enim, non opus tibi est ut quæras extra te eum, qui est ubique. Intus habes petram qua circumcidaris, modo instanti ac circumcidere volenti pareas & acquiescas, nec voluerit obdurare cor tuum, sicut illi qui noluerunt audire *Psal. 94. Hebr. 3.* ejus vocem, & temptaverunt eum in deserto. Et enim est & extra te gladius quidam spiritus, quem a Deo acceptum versant, ac stringunt ejus ministri ecclesiarum præpositi, secant, eradicant, excidunt, exterminant, ædificant, plantant, hic est gladius ille spiritus, quod est verbum Dei, *Ephes. 6.* quo gladius ille anceps vitalibus nostris infigitur: & verbum, quo verbum illud vivum & efficax in te movetur. Si exceperis & obedientia humili intromiseris gladium istum spiritus, gladius ille anceps, nempe petra illa acutissima, circumagetur & permeabit tibi cor & medullas, circumcidetque cogitationes immundas, desideria carnis, omnesque affectus pravos, ipsissima *Psalm. 106. Psalm. 50.* ac penitissima cordis præputia. Et quoniam verbum illud instaurat universa, cor mundum rursus in te creabit, & spiritum rectum renovabit in visceribus tuis.

Porro modum quo fieri debeat circumcisio si quis requirat, in ipso illum inveniet nomine. Circum circum enim ducendus est culter petrinus in orbem, ne quid resideat aut relinquatur impuri. Modicum enim fermentum totam massam corrumpit. Nisi enim labefactantis carnis vivum ipsum culter penetret, si non pertententur radicitus mala graviora, sed radantur tantummodo, aut ad tempus demetantur, tanquam irritata, & plura & nocentiora quam erant resurgent, fietque novissimus error pejor priore. Quamobrem præmisso Hieremia magno illo circumcisionis hujus præcone, ipse nos monet dominus. *Hiere. 5.* *Circumcidamini*, inquit, *& auferte præputia cordium vestrorum, viri Juda & Hierusalem, ne forte egrediatur ut ignis indignatio mea. & succendatur, & non sit qui extinguat.* Graves profecto & metuendæ sunt incircumcisis nobis minæ istæ, non hominis, sed Dei, voce tam terribili intonantis, ne forte ut ignis egrediatur (inquit) & non sit qui extinguat iram. Proinde auferte, non palpate præputium, auferte & ne velitis scalpere tantummodo. Præputium ablatum non renascitur. Sic præputanda sunt mala, sic zizania eradicanda, ne renascantur. Quo in negotio, forsan videar cuipiam facere de rebus factu non possibilibus verba inania. Siquidem donec homines erunt & vitia, semper est inquietus adversarius, semper circumit, ut seminet zizania, semper quærit quos devoret, & de parentibus circumcisis velimus, nolimus, nascuntur filii præputiati. *Matth. 13. 1. Petr. 5.* Verum id quidem, sed non est propterea animo ad mala illa concedendum. Saltem si prohiberi ne redeant, non poterunt, non invitentur, non foveantur, non aperiantur eis ostia. *Circumcisus est aliquis, non adducat præputium.* *1. Cor. 7.* *Si enim quæ destruxi iterum reædifico* & rursus instauro, *prævaricatorem*, inquit apostolus, *me constituo.* *Gal. 2.* Semper quidem inquietus est adversarius, sed non proficit, nisi quando dormiunt homines, tum enim spargit inimicus homo zizania sua. Cui periculo poterunt imo debent excubiis suis ecclesiæ speculatores occurrere. *Matth. 1.* Quid enim episcopus nisi speculator? & quid faciat speculator nisi ut invigilet? *Ezec. 13.* Et quod nascuntur de circumcisis incircumcisi, de ablutis & purgatis immundi, non voluntate parentum piorum id fieri, sed inevitabili naturæ corruptione, eorumdem est querela: unde est, ut non etiam culpa mali hujus parentes, quibus illud invisum est, quique propterea ingemiscunt & dolent, perstringat. Ad quem modum, ut vestra quoque egregia voluntas, vestrum studium, vestraque hac in re integritas, omnibus fiat perspecta P. R. non parum retulerit. Quo intelligat orbis Christianus quodcumque renascetur malorum per vos non stetisse. Sic vos amputasse corruptelas, sic causas exeidisse malorum, sic nec rimulam (qua revertantur) reliquisse, quasi qui nolueritis unquam ea redire. Qua sane ratione fiet, ut si non tollentur omnia, quod (ut nostra habet conditio) impossibile videtur, vitia saltem quam minima relinquantur, & eorum quæ vel forte relinquentur vel renascentur, non sitis daturi Deo rationem, animas enim vestras (sicut propheta ait) liberaveritis. *Ezech. 3. & 33.*

Hæc vero vestra est vocatio, hoc officium vestrum, ad hoc estis in nomine domini nostri Jesu Christi in hac synodo frequentissima magna religione, maximaque cum orbis totius expectatione constituti. Ad hoc nomen illud adorandum (quo nemo fuerit ad causas privatas impune

ANNO CHRISTI 1552.

ANNO CHRISTI 1552.

ne abusus) actionibus & studiis vestris prætenditis vobisque vestro bono vendicatis. Ad hoc tributa est vobis a Deo potestas (non qualiscumque, sed quæ contra ipsa etiam tartara & omnia regna mundi prævaleat) divina. Nisi vos autem, in eo auctoritatis fastigio constituti laborantem ecclesiam, ab impuritate morum, a scabie contracta, a gravaminibus & abusibus, de quorum multitudine intolerabili publica est querela, circumciditis & repurgatis: quem expectabimus alium hoc qui faciat, absque, non dico circumcisione, sed corporis totius excoriatione, & convulsione eorum, quæ hactenus permansere nobis integra? Quamobrem ecclesiæ salus hodie versatur in manibus vestris. In vos illa suspicit, fidem atque opem vestram implorat, & per natum ac circumcisum dominum vos obtestatur, ut ne velitis a negotio tam sancto, tam necessario, tantaque cum laude inchoato, cessare, donec illa suo nitori restituatur. Nec audire velitis eos, qui pernicioſa securitate, arbitrantur non admodum referre, bene an male vivatur, modo retineatur integritas doctrinæ, pro qua sola jubent vos esse solicitos, vana nimirum spe sibi persuasum habentes, ita rem omnem extra periculum fore, propter promissionem Christi. *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Quid enim dicunt aliud, quam *pax, pax, ubi non est pax, & templum domini, templum domini*, quod studiis hominum prophanis ille ducit pollutum. Sic blandiebantur sibi & olim Michea teste Judæi. *Audite hæc*, inquit, *principes domus Jacob, & judices domus Israel, qui abominamini judicium, & omnia recta pervertitis. Qui ædificatis Sion in sanguinibus, & Hierusalem in iniquitate: Principes ejus in muneribus judicabant, & sacerdotes ejus in mercede docebant, & prophetæ ejus in pecunia divinabant, & super dominum requiescebant dicentes. Nunquid non dominus in medio nostrum est?* Pulcrum quidem, imo & necessarium ad salutem nostram fuerit doctrinæ conservasse integritatem, sed qui propterea securi sunt, ii mihi ignorare videntur, ob vitæ corruptionem, integritatem illam doctrinæ amitti, tradique homines justo Dei judicio in sensum reprobum, aut hæresum schismatumque violento turbini, vel saltem tyrannorum & infidelium barbaræ ac rabiosæ oppressioni aliisve cladibus publicis ecclesiam (ceu divinæ justitiæ flagellis) ad supremum usque ejus anhelitum committi. Quo nihil certius esse compertum habent, qui superiorum temporum historias ecclesiasticas Eusebii, Theodoriti, similiumque perlegerunt, præsentemque rerum statum circumlustrant, cum gestis majorum componunt, & quem tandem sit habiturus exitum, prudenter secum dispiciunt, ac conjectant. Et fere perpetuo hæreses & schismata ex moribus corruptis nata sunt atque invaluerunt. Sequitur enim vitæ corruptionem corruptio mentis. *Quoniam in malevolam animam*, sicut in sacris dicitur, *non introibit sapientia, nec habitabit in corpore peccatis subdito. Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum.* Quam plagam & legis veteris trangressoribus Moyses imprecabatur. *Percuciat*, inquit, *te Deus amentia & cæcitate ac furore mentis, & palpes in meridie, sicut palpare solet cæcus in tenebris.* Dignum est enim ut Sole careant, quos delectat in tenebris versari. Et unde veniunt spiritus vertiginis, spiritus soporis, spiritus superbiæ, contumeliæ, mendacii & erroris? Unde tenebræ mentis & sensus reprobus? quare perit sapientia a sapientibus, & intellectus prudentium obscuratur: nisi quia *cogitationes perversæ separant a Deo*? Profecto, neque legem novit, neque prophetas, sed nec ipsum Christum (quem confitetur) qui confidit non auferendum a malis regnum Dei, & dandum genti facturæ justitiam ejus.

Matth. 16.

Hiere. 6, 7, 8.

Mich. 3.

Sap. 1.

Deut. 28.

ANNO CHRISTI 1552.

Sap. 1.

Quæ mihi propter securos illos doctrinæ fiducia dicta sunt? Quorum præposterum esse judicium, eisque qui ecclesiæ Christi volunt quam optime consultum, si non potiorem certe non posteriorem exercendæ disciplinæ, quam doctrinæ illustrandæ habendam rationem, ipsi probe, patres prudentissimi, cernitis. Christus enim eos qui mentis & vitæ puritate ipsi student inhærere, necessariis ad recte credendum, beneque vivendum præsidiis nunquam destituit, sed docet, illuminat & instruit tales, amplius atque amplius in dies apparens iis qui diligunt eum. At securos illos, qui voluntate ejus aguita vivere perverse non verentur, aut plectit severe, aut velut desperatos procul abjicit. Porro sive irato Deo, prorsus excidant a fide Christi, sive eo propitio, flagellis tantum hominum castigentur, & in statum alium redigantur, isti qui hoc tempore doctrinæ retinent integritatem (quorum certe neutrum videri cuiquam debet non e propinquo metuendum) Nam quis neget Europæ tandem posse accidere, quod toti jam Asiæ atque Africæ eveniſſe in propatulo est? Non tamen ob id fallet promissio Christi, aut peribit ejus ecclesia. Siquidem desertorum & apostatarum loco, surrogabit dominus populum alium: eos vero qui permanserint constantes, purgabit, castigabit ac probabit. Non enim promisit ecclesiæ suæ Christus opes hujus sæculi, non luxum, non pompas, non imperium, sed nec patriam certam, nisi cœlestem. Et quid si hæc ipsa circumcidantur, si reprimatur quoque tot sacerdotiorum insana ambitio, si non vendatur & ematur in templo, si non tot laquei pecuniis tendantur, si pauperum & ecclesiæ bona non distrahantur in res perditas, si pro quæstu revocetur pietas vera, num propterea ecclesiam Christi periclitaturum existimabimus & non potius purgatum & tanquam aurum igni probatum iri? Quam repurgationem, si vos (quod faxit Deus, & exoptatissimum foret) facitis ipsi P. R. mirum quanto id gaudio tota cœlestis curia excipiet, quantamque attuleritis reipublicæ Christianæ tranquillitatem. Sin autem, purgabit Deus nihilominus ecclesiam suam consiliis aliis, & tardantes misericordiæ suæ flagellis compellet tandem intrare.

Nunc nunc igitur nunc apprehendenda est omnibus disciplina, *ne quando irascatur dominus, & pereatis de via justa.* Nunc petra acuta, circumcisioneque salutari est opus, ne quando queratur dominus, *Frustra percussi filios vestros, disciplinam non receperunt*: ne quando clamet orbis terrarum, nihil hoc concilio actum, nihil promotum, aliis opus esse conciliis aliaque circumcisione. Nunc scandalis, nunc abusibus & exemplis pravis præputatis, nunc restitutis in sua munera, suas functiones, suamque dignitatem omnium graduum ordinibus, restitutis in suas fundationes & origines ecclesiis, quas hominum insatiabilis cupiditas ministeriis (Deo & hominibus debitis) mudatas, sibi reddidit censuales, nunc vitæ integritate ad ecclesiæ ædificationem revocata, confundetur imprudentium hominum

Psal. 2.

Hiere. 2.

igno-

ANNO CHRISTI 1552.

ignorantia, hæreſeſque omnes ſua ſponte colliqueſcent ac diffluent. Nunc relevata gravaminum mole, quibus magna pars orbis ſe queritur oppreſſam, & Salomonis mitigato parumper jugo, poteſt omnium querelis fieri ſatis, & regnum David ſtabiliri. Alioqui verendum ne durior (quod Deus avertat) circumciſio, corporiſque totius excoriatio ſequatur. Non deſunt enim malevoli homines, qui tale quiddam jamdudum volvant ac meditentur, ut ſi queant, eccleſiam totam ſemel evertant. Quorum machinationes inſanas, perditas & execrabiles retundet eccleſiæ ſuæ author, cuſtos & protector Deus, qui circumciſionem ſpontaneam, pacificam, ſalutarem, in ſuavitate, in ſpiritu ſancto requirit & diligit, qualem eccleſia (quæ in vos P. S. reſpicit) de pietate, prudentia & ſolicitudine veſtra paterna, cupide expectat. Dei enim cooperatores eſtis, qui vineam ſuam, opera veſtra, ut fructum plus afferat, purgabit, & opus bonum in vobis cœptum perficiet ac conſummabit, circumcidetque cor veſtrum, & cor ſeminis veſtri, ut diligatis dominum Deum ex toto corde veſtro. Cujus auxilio præſenti difficultates omnes ſuperabitis, etiam ſi totus reluctetur aut inſaniat orbis. Quod præſtare, & ad nominis ſui gloriam concedere dignetur is, qui nobis natus & circumciſus, habet in manu ſua corda filiorum hominum, poteſtque ea dirigere in vias rectas. Amen.

2. Cor. 2. Joan. 15.

Deut. 30.

XIX.

ORATIO FRANCISCI HEREDIA, *doctoris theologi, eleemoſynarii, & concionatoris cathedralis eccleſiæ Tiraſonenſis, in ſolenni die omnium ſanctorum ad patres habita, in concilio Tridentino. Anno MDLII.*

EA eſt, reverendiſſime & illuſtriſſime legate, illuſtriſſime cardinalis, ac princeps Tridentine, graviſſimi præſides, illuſtriſſimi ſacri imperii principes electores, clariſſimi oratores, ampliſſimi præſules, voſque eruditiſſimi viri, ea, inquam, eſt loci hujus ornatiſſimi majeſtas, ea ſenatus auguſtiſſimi lux, is nos ambientis ornatiſſimæ coronæ ſplendor, ut & ad clariratem nihil illuſtrius, & ad gloriam nihil honeſtius, & ad majeſtatem nihil excelſius, nihilque auguſtius eſſe poſſit. Quo fit, ut quum conſiderem, quanta reverentia debeatur tam ſacroſancto venerandoque cœtui, ubi tot ſunt eccleſiæ cardinales, & principes, tot præſules, luminaria clariſſima, & ornamenta chriſtiani orbis, tot doctores eruditiſſimi, aliique doctiſſimi & chriſtianiſſimi viri, ubi demum verba facere ſolent viri eruditione juxta ac eloquentia clariſſimi: non poſſum ego propriæ indignitatis & imperitiæ conſcius non vereri, ne a vobis exiſtimer imprudentior, quem rem magnam ſane & arduam aggredientem, ac periculoſæ (quod ajunt) aleæ, nec deterreat pertractandæ rei ineffabilitas, quæ omnem ingenii ubertatem excedit, nec dicendi facultatem diſcutiat loci hujus celſitudo, ubi orbis judices ſim habiturus auditores. Verum tametſi me, patres, non lateat, & quam arduam provinciam is ſuſcipiat, qui ſe unum vobis omnibus ſilentibus præbet audiendum, & (quod pene oculis video) quam ſit durum in tam celebri ſpectaculo aut labi, aut deficere: non poteſt tamen, non eſſe mihi perſuaſum, adeo vos eſſe divinarum rerum amatores, adeo ſanctorum laudibus deditos, adeoque eorumdem addictos venerationi, ut quoſcumque mea hæc oratio defectus habeat, leviſſimos eos perminutoſque judicetis, in bonam partem omnia ſemper interpretantes, dum aliqua tamen ex parte perpurgatis veſtris auribus aliquando ſatisfaciam. Cum præſertim ea ſit veſtræ naturæ ſingularis benignitas, ut libertatem afferat, miniſtretque fiduciam, nec minus recreet dicturos humanitas veſtra, quam deterreat ſeveritas.

ANNO CHRISTI 1552.

Audebo igitur hac ſpe & fiducia fretus, obire munus hoc mihi delegatum, & hoc onus læto ſuſcipere animo. Onus dixerim, ſum enim de perpetua dicturus omnium ſanctorum fœlicitate, quorum feſtivam hodie omnique digniſſimam veneratione, & alacritate commemorationem, ſancta eccleſia celebrat. Quæ ut eſt res ſcitu digniſſima, ita etiam ardua ac difficillima, non mihi modo, cujus vires in immenſum ſuperat, verum & cuivis vel eruditiſſimo atque ad dicendum exercitatiſſimo. Super hoc igitur (ut aliqua liceat mihi cum optato fructu dicere) Spiritus ſanctus ſacri hujus concilii præſes & patronus, prius nobis omnibus eſt invocandus, ut, qui infantium labia ſolvere non eſt dedignatus, loquentiumque ora linguarum generibus & ſermonum interpretatione exornare, labia mea aperiat, ut os meum annunciet laudes electorum ſuorum, & nobis omnibus, quæ ſibi grata fuerint, univerſæque eccleſiæ profutura inſpiret. Ceterum, quoniam hæc ſolet dona largiri Deus, aſſiduis auguſtæ illius cœli terrarumque reginæ Virginis Deiparæ precibus exoratus, quæ eſt unicum poſt filium beatorum omnium decus, & mortalium ſpes, dulceque perfugium: hanc adeamus, atque ei, quæ tam eſt fœliciter beata, tam veneranda, ut ejus ſe pedibus, ſupernorum omnium civium beata celſitudo venerabunda ſubmittat, Angelicam ſalutationem, ut opem nobis neceſſariam impetret, fixis humi genibus prono ſinceroque corde, de more offeramus. *Ave Maria gratia plena*, &c.

Quamvis huc omnes conatus noſtri ſpectent, Patres ſanctiſſimi, ut bene beateque ſit nobis, adeo ut beatitudinem nemo non appetat mortalium, verum qua via ad eam ſit incedendum, quibuſque in rebus ſit ſita, non omnibus exploratum habetur, nec inter ipſos quidem philoſophos in quo ea conſiſteret, conveniebat: quum alii, in corporis, in fortunæ alii, alii in animi bonis, eam collocabant, & *beatum dixerunt* (ut pſaltes inquit) *populum, cui hæc ſunt*, nimirum ſalus, potentia, honores, opes, & voluptates. Quamobrem quum nihil ſtultius eſſe poſſit, quam quod falſa quis opinione ſibi videatur beatus: mater ſancta eccleſia, cœleſti edocta magiſterio, ponit hodie nobis ob oculos veram illam ſanctorum felicitatem, atque vias, quibus ad eam pervenerunt, quo hæc nos contemplati, fallacem relinquamus fœlicitatis imaginem, falſaſque bonorum umbras, quas pro veris, ac ſummis bonis cæci amplectimur, & illam beatam patriam in qua vera ſunt ſolidaque bona anhelemus conſcendere. Atque ob id, eam nobis proponit evangelii lectionem, quæ quo pacto hæc omnia vera bona & intelligamus & affectemus, aperit. Ita enim (referente Matthæo) legimus. *Videns Jeſus turbas aſcendit in montem, & quum ſediſſet, acceſſerunt ad eum diſcipuli ejus, & aperiens os ſuum docebat eos.* Sicut Moſes, quum populo eſſet antiquam illam legem prodi-

Pſalm. 143.

Matth. 6.

Exod. 24.

ANNO CHRISTI 1552.

proditurus, montem ascendit: sic cœlestis ille princeps, ac dominus noster Jesus Christus, novam daturus legem, non austeram sed suavem, non Judæis solum, aut uni genti, sed universo hominum generi, quum (inquam) novam docturus esset doctrinam, in qua & proferret inaudita & polliceretur ingentia, congruum sibi delegit locum, nempe montem, ut vel ejus celsitudine manifestaret, ardua omnia esse atque cœlestia, quæ tradebat: ex quibus indevius ad æternum felicitatis montem celebraretur ascensus, & ab imis hominibus subveherentur ad summa. Et quum sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus. O sessionem admirabilem, o felix concilium Christi & apostolorum, ubi tam cœlestia edidit cœlestis doctor & inaudita decreta, contra vanam illam eruditionem, & eruditam vanitatem sapientium hujus mundi, contraque falsas de felicitate opiniones.

Primum hujus sessionis decretum fuit, *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum*. Secundum, *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram*. Tertium, *Beati qui lugent*, *Ezech. 40.* & in hunc modum alia. Octo gradus vidit Ezechiel, per quos in templum erat ascensus, totidemque hic pandit servator noster, per quos certissimus patet ad cœlestem domum aditus, quum agit in hodierno evangelio præcipue de beatitudine viæ, quæ in merito consistit, & beatitudinis nomen habet, quod per eam mereamur æternam, meminitque regni cœlorum, saturitatis, visionis Dei, mercedis copiosæ in cœlis, quo solidam ostendat patriæ beatitudinem. *Gen. 28.* Vidit sanctissimus patriarcha Jacob scalam ab imo solo ad cœlos usque protensam, multorum graduum serie distinctam, & dominum innixum scalæ, angelosque per eam ascendentes descendentesque. Quod ut nobis angelicam affectantibus viam facilitare liceat, alteram extruxit Christus, per quam angelici facti, ad paradisi deducamur gaudia: eaque de terra surgit, ad supremum usque cœli fastigium, quæ tametsi paucis sit gradibus distincta, magnitudinis tamen est immensæ. *Matth. 5.* Inferior pars innititur terræ, quum dicitur, *Beati pauperes, Beati mites, Beati qui lugent, Beati qui esuriunt, & sitiunt, Beati misericordes, Beati qui persecutionem patiuntur*. Superior vero, & nubes & cœlos penetrat, & divinorum contemplatur arcana, quum promittitur regnum cœlorum, visio Dei, merces denique in cœlis copiosa. Quod si hujus mirabilis scalæ, si præfatorum eminentiam decretorum videre cupis, id Matthæus ostendit, quum inquit, *& aperiens os suum docebat eos*. Si docendum enim erat, os quidem aperire oportebat: quorsum additur, *aperiens os*? Id quidem, quamvis recte interpretatus Chrysostomus adjunctum *Chryso. in c. 5. Matth. Homil. 6.* hoc esse dicat, quia dominus non quum loqueretur modo, verum etiam quum taceret, docebat: illud tamen & hac ratione additum esse existimari potest, nempe ut evangelista significaret, quam sit hæc magistri cœlestis doctrina notatu dignissima, ut pote nova, nec ullis audita sæculis, quam perfecte mirabilis & mirabiliter perfecta: nam potissimi duo sermones, quos evangelistæ scripserunt, sunt illi, alter, quem Joannes narrat capitibus, 14. 15. 16. 17. alter hic per tria descriptus capita: super eo dicit Augustinus quod *Augus. in serm. domini in monte.* quicumque pie & sobrie, hoc est prudenter rem hanc expendit, is inveniet in hoc sermone quantum ad bonos mores pertinet & viam Chri-

ANNO CHRISTI 1552.

stianæ vitæ perfectam. Aperuit igitur Jesus mellifluum illud os, de quo illud est proverbiorum, *vena vita, os justi*. Vena (inquam) & canalis, *Prov. 10.* unde oceanus & mare magnum *aquæ salientis* *Joan. 4.* *in vitam æternam* derivatur, unde fontes effluxerunt, Matthæi, Marci, Lucæ, Joannis, Pauli & aliorum, unde sanctos latices Græcia hausit, quum Dionysium, Irenæum, Basilium, Athanasium, Chrysostomum, Epiphanium, & Damascenum produxit; unde Africa irrigata germinavit Tertullianum, Cyprianum, Augustinum, & Fulgentium: Dalmatia Hieronymum: Italia Ambrosium & Gregorium: Hispania, Isidorum, Leandrum, & Ildefonsum: Gallia denique Hilarium, Prosperum, & alios. Demum *Hebr. 1.* aperuisse os scribitur, ut quum multifarie multisque modis, olim Deus locutus fuisset patribus per prophetas, extremis diebus sacro filii sui, summique cœlestis legati ore nobis loqueretur, quum cœlestem illam planeque divinam philosophiam eramus audituri, de contemptu earum rerum, quarum gratia mundani homines nihil non & faciunt & patiuntur, atque de cœlestibus decretis, certissimisque viis, quibus veram consequi possemus felicitatem.

Orsus est autem Jesus docere a commendatione earum virtutum, quas mundana sapientia & despicit & fugit, *Sapientia* enim *mundi stultitia est* *apud Deum*, & quæ in Christo putatur stultitia, *1. Cor. 3.* illa est, quæ sapientiam vincit mundi, per quam *placuit Deo salvos facere credentes*. Sapientia *1. Cor. 1.* mundi felices existimat, qui quod æstimatione opibusve alios præcellant, gloriantur, qui elati, sibique omnia tribuentes semet superbe efferunt. At sapientia Christi felices prædicat pauperes spiritu, qui nihil habentes elati spiritus, sese dejiciunt atque demittunt, totique a Dei pendent voluntate, qui honores (quorum cupiditate quidam inflammantur) ita contemnunt, ut nihil inanius esse, nihil levius existiment: divitias autem vel Dei causa more apostolorum relinquunt, vel ad eas cor suum non apponunt, nec inde superbiunt. Sapientia mundi felices appellat immites ac feroces, & qui aliis mala inferunt, qui reddunt malum non tantum pro malo, sed etiam pro bono. Sapientia autem Christi contra, nempe *Rom. 12.* eos, qui mites sunt, placidi, benigni, faciles ac suaves, qui vincunt in bono malum, qui tranquillitatis animi causa, etiam lacessiti non irritantur, sed ferunt injuriam. Sapientia mundi felices dicit, quibus ad votum hic arridet omnia, quos tantum abest ut impiorum pudeat facinorum, ut lætentur potius, quum male fecerint, & exultent in rebus pessimis. At sapientia Christi eos nomi- *Prov. 2.* nat felices, qui lugent, quibus sancta sunt suspiria & lacrymæ beatæ, nimirum ex percepta Dei dulcedine, cujus absentiam non sine tristitia ferunt, ex desiderioque divinæ visionis, & ex miseriarum præsentis vitæ ac divini gaudii contemplatione, quique dolent, quod tot mala in se & aliis æternæ vitæ contraria assidue emergant, atque sese ultro orbantes delectationibus terrenis studio evangelicæ pietatis propter Deum, vitam transigere in lacrymis & afflictionibus bonum ducunt. Sapientia mundi felices putat, qui propriæ justitiæ innitentes, coram hominibus videntur justi. Sed sapientia Christi eos pronunciat felices, qui sic esuriunt & sitiunt justitiam, ut sine satietate appetant semper id omne, quo vera paratur æternaque vita. Denique (ne longum faciam) beati a Christo prædicantur *misericordes, mundi corde, pacifici, &*

ANNO CHRISTI 1552.

qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam. Ac demum qui bene viventes, ab improbis hominibus (ob id quod bene & in Chriſto vivant) interim male audiunt, quibus omnibus æternitatis pollicetur ſtipendia, & mercedem in cœlis copioſam.

Evangelicam lectionem ſummatim in multis perſtrinxi, ne cum alia ſubjungam, ad quæ propero, modum excedat oratio. Nunc, ut ſanctorum comprehenſorum gloriam proficiendo celebremus, & celebrando proficiamus: primum de ſtatu, quo beata jam requie perfruuntur, diſſerendum cenſui, tractaturus deinde de eorum imitatione, idque non in comptis verbis, ſed abſque eloquentia flores ſequar. Ac ſi unquam, patres optimi, benignos vos & attentos præbuiſtis, id maxime omnium præſtandum vobis eſt hodie, quando ea de re acturi ſumus, quæ & ſanctorum eſt corona, & laborum noſtrorum merces, & quæ vitæ noſtræ brevitatem æternitate conſolatur.

Multa ſunt eademque præclara quibus immenſa Dei clementia electos ſuos mirum in modum illuſtravit, ſed illud longe eſt præclarius, & quod admirari & laudare poſſumus, enarrare autem non valemus, nempe quod eos ſibi ipſi perpetuo in cœlis univerit ac felices reddiderit. Quid enim eſt, quod verbis dici aut mente concipi poſſit, aut præſtabilius, aut illuſtrius, quam adeptio & poſſeſſio ſummi boni? quam felicitas ſanctorum? quibus ita ad Dei faciem contuendam & admirabilem cum eo principio, a quo emanaverant, unionem, datum eſt feliciter perveniſſe, ut implenetus in eis videatur circulus ille amoris, quem Hierotheus, divuſque Dionyſius dicebant, circulum eſſe bonum, a bono in bonum perpetuo revolutum. Namque quum Deus optimus maximus nedum principium ſit univerſi, verum medium etiam, & finis: principium quidem, ut creat, ſeu producit: medium, ut creata, ſeu producta ad ſe ipſum retrahit: finis vero, prout redeuntia perficit: fit inde, ut unus continuus habeatur circulus, qui a Deo incipiens, tranſit in mundum, in Deum denique deſinit. Id quo fiat dilucidius, conſideremus, quod regem illum a quo univerſa & creata ſunt & pendent, bonum, pulchrum, & juſtum nuncupamus. Bonum (inquam) ubi creat: ubi vero allicit, excitat, atque rapit, Pulchrum: ubi autem pro cujuſque merito, complet, & perficit, Juſtum dicimus. Quare dum ex amore electos condidit Deus, ab eo tanquam a perenni fonte effluentes: ac deinde, quum in eundem refluunt, ſuam illam originem repetentes, per amorem, charitatem, & beatitudines evangelicas: poſtremo vero quum perficiuntur, poſtquam eodem ipſo amore redierunt veluti per orbem ad ſui principii participium, in quo jam beati conquieſcunt: tunc haud dubie, circulus amoris bonus in eis completur, a bono Deo, in eumdem ipſum bonum Deum revolutus. Qui quamvis ſolus ſit, cui deeſt nihil, ſolus ſibi ſufficientiſſimus, ſolus ſe ipſo contentus, ac infinite beatus: non tamen ſuam ſolus voluit habere beatitudinem: ſed divitias gloriæ ſuæ oſtenſurus, qui eſt ſua beatitudo, communem facit electis conditionem illam ſuam feliciſſimam, quum ſibi illos adjungit, ita ut in ſe, qui bonum eſt infinitum eos (ut ita loquar) abſorbeat, & unum ſecum reddat: illi vero quaſi Deificati, participes fiunt felicitatis illius inæſtimabilis, quum Deum in ſeipſo poſſident, habituri ſemper in eo vitam, in quo & ſemper, etiam antequam fierent, vita erant.

Hieroth. Dionyſ. lib. de divinis nom.

ANNO CHRISTI 1552.

Mirum tibi forſan videbitur, & qui fieri poſſit quæres, ut tam diverſa, nempe creatura & creator ſic uniantur? non miror ſi mireris, mirabilis eſt enim Deus in ſanctis ſuis, ſed mirare, diligenterque, ſi potes, ſcrutare amoris vim, quæ tanta eſt ad uniendum ſpiritui, ita ad intima dilecti penetrat, ut vellet amantis animus in animum immigrare amati, adeo ut ſæpe ſui corporis deſerens miniſterium, in dilecto vivere tantum videatur. Quod ſi tantam in hac vita habet amor efficaciam, quanto majorem in futura habebit ad copulandum ſpirituali, dulci indiſſolubilique copula ſponſam animam cum dilectiſſimo ſibi eodemque ſpecioſiſſimo ſponſo Deo? ubi (ut divus ait Bernardus) quomodo ſtilla aquæ modica, multo infuſa vino, deficere a ſe tota videtur, dum & ſaporem vini induit & colorem: & quomodo ferrum ignitum & candens & igni ſimillimum fit, priſtina propriaque forma exutum, & quomodo ſolis luce perfuſus aer, in eamdem transformatur luminis claritatem, adeo ut non tam illuminatus quam ipſum lumen eſſe videatur: ſic omnem tunc in ſe humanam affectionem, quodam ineffabili modo, neceſſe erit a ſemetipſa liqueſcere, atque in Dei penitus transfundi voluntatem. Hæc Bernardus. O amoris immenſam vim, o beatas animas, quæ tali catena vinciuntur, tali glutino conglutinantur.

Joan. 2.

Pſal. 67.

Bernardus trac. de diligendo Deo.

Accedit etiam huc, quod ea eſt mentis noſtræ conditio, nimirum ut feratur naturaliter, in bonum, pulchrum, & dulce, quorum ea eſt nativa virtus, ut ſua quadam ſuavitate, contemplantis animum excellentius multo quam magnes ferrum ad ſe trahant. Quum igitur Deus, in quo horum omnium bonorum ſunt theſauri, mentibus beatis, ſeſe ineffabili modo oſtendit, quantum cenſes, continuo eas ſuſpenſas ad ſe rapit, & quam indiſſolubilibus amoris nexibus & caritatis vinculis vinciuntur, illi omnium bonorum primæ atque exemplari bonitati & ipſi bonitatis eſſentiæ, in qua ſupereminenter & cum immenſa plenitudine extat, quicquid pulchrum, quicquid dulce eſt, fœliciſſima ac vivifica vita, æterna ſapientia, lumen interminabile, omnipotens virtus, atque immenſæ divitiæ? Quid Deo ad alliciendum pulchrius? qui totius eſt pulcbritudinis principium, totiuſque fons munditiæ, cujus ſpecioſiſſimum vultum, cujus ſtabilem decorem, aſtra illa matutina, omneſque filii Dei, cum inſatiabili ſemper contemplantes ardore, ardentiſſime complectuntur, vehementiſſimeque admirantur, & laudant. O prima, o pura, o vera pulcritudo, o ſplendor & decor, univerſa venuſtans, qui ſic, quas tibi eligis mentes, mulces, ſic allicis, ſic excitas ut delectes: ſic delectas, ut delectando rapias: ſic rapis, ut rapiendo ardenti inflammes amore, & tibi perpetuis vinculis feliciter unias.

Job. 38.

Quod ſi dulcedinem in Deo deſideres, *quam magna* (inquit Pſaltes) *multitudo dulcedinis tuæ domine, quam abſcondiſti timentibus te*! Et ubi eſt (obſecro) hæc ſuavitatis multitudo, niſi in ipſo Deo? qui ipſa eſt divina dulcedo, quæ beatos ſuaviſſime reficit, atque in ſe cum inæſtimabili, calidiſſimoque affectu, ſuſpendit, deglutit, transformat. Ipſa demum eſt pleniſſima pax, quæ per harmoniacam ſuavitatem, ea quæ turbari ſolent mulcet, componitque. *Pax* eſt *exuperans omnem ſenſum*, totique orbi concordiam

Pſal. 30.

Philip. 4.

ANNO CHRISTI 1552.

diam atque harmoniam, nexum, & ſtabilitatem tribuens: quippe qui fines ſupramundanæ ſuæ aulæ, empyrei cœli, pacem repoſuit: lætiſſima ac ſecuriſſima tranquillitate, omnes cœleſtis ſuæ militiæ ignitas phalanges, illuſtreſque heroas ſibi invicem uniens: in ſemetipſis ſtabilit, & in ſe quoque beat. Quod ſi auri fulgorem magiſtra manu terſi ſculptique, ſi argenti candorem, ſi prata virentia, florenteſque arbores, ſi (quod his omnibus majus eſt) nitidum Solis jubar, ornata ſydera, gratam Lunam, pulchrum cœlum, pulcherrimum denique mundi theatrum, videre eſt gratum, ut in eorum aſpectu ſic detineamur, perinde ut ab eis rapti, in eaque converſi: qualis (obſecro) erit illa pulcherrimæ lucis contemplatio, qualis illa beatorum unio, cum illo ſumme bono, ſumme pulchro, ſumme dulci creatore, a quo creaturis contingit, ut delectent? O bonitas ineffabilis: o divina pulchritudo: o dulcedo incogitabilis: o pax ſempiterna, quando te frui nobis concedetur? quando tantum bonum conſequemur? quando nobis dabitur de hoc exilio ad hæc tam immenſa noſtræ patriæ bona pervenire?

Hanc ſanctorum beatitudinem ſervator noſter hiſce verbis ſaturitatem appellat. *Matth. 5.* *Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.* Non dixit, *Beati qui eſuriunt & ſitiunt* honores, opes, aut voluptates, hi enim nunquam ſaturantur, ſimiles illis, qui quando ſitienti aut eſurienti dormiunt ſtomacho, ſomnis & imaginibus deluſis, phantaſmata pro rebus ipſis amplectuntur, non intelligentes, mendacia eſſe quæ ſomniant: putant ſe comedere, aut bibere, ſeſeque oblectare, at ſatiantur nunquam, quia non imaginem ſibi, ſed cibum ipſum flagitabat ſtomachus: ſic profecto *dormierunt ſomnum ſuum, & nihil invenerunt in manibus ſuis, viri divitiarum*, *Pſal. 75.* viri cupiditatum, & voluptatum. Nec mirum, opes enim & ſæculi hujus voluptates, quæ umbræ rerum, aut voluptatum ſunt, potius quam veræ res aut gaudia vera: inexplebilem hominum aviditatem, & hydropiſim vehementer adaugent, tantum abeſt, ut ſaturare poſſint. Hos igitur Chriſtus non vocat fœlices, ſed eos qui famem hanc & ſitim, ſic a rebus fluxis transferre conantur ad expetendam evangelicam juſtitiam, ut nihil ardentius optent, nihil diligentius quærant. *Hiero. in Mat.* Neque ſufficit (teſte Hieronymo) velle juſtitiam, niſi juſtitiæ famem patiamur, ut ſub hoc exemplo nunquam nos ſatis juſtos, ſed ſemper eſurire juſtitiæ opera intelligamus. *Ambroſ. in cap. 6. Lucæ.* Hinc Ambroſius, ſignum hoc eſſe bonum putat, ubi quis eſurit juſtitiam, & ſitit, eo quod æger quum in gravi morbo eſt non eſurit, fames aut ſanitatis indicium eſt. Hæc igitur juſtitia evangelica, patres, pretioſus fuit ac ſuavis ſanctorum cibus, hic erat illis panis vitæ & intellectus, hæc, aqua *Eccl. c. 15.* ſapientiæ ſalutaris. Neque ſemel aut bis (ut corporis alimoniam) ſed momentis ſingulis, hunc animi cibum in omnibus rebus, diligenter inveſtigabant. Hoc evadebant vegeti in Chriſto, ac robuſti, hoc temperati, hoc juſti, hoc invicti, hoc ſapientes & prudentes, hoc populos alebant: hic ad res tam divinas quam humanas *Matth. 11.* præclare gerendas reddebat aptiſſimos, hic *jugum domini ſuave, & onus leve* faciebat, hoc evadebant adeo magnifici, adeo magnanimi, ut illis præ magnitudine ſua, minima admodum viderentur illa, quæ ſolent male eſurientibus videri quam maxima.

Sed quid? qui ſic expetunt juſtitiam ſaturantur in hac vita? minime. Non enim Deus replet hic in bonis deſiderium animarum ſanctarum, quia nondum explet intellectum plenitudine lucis, non voluntatem pacis multitudine, non æternitatis continuatione memoriam. Solo namque cœleſti edulio viſionis veritatis æternæ, & æternorum potu gaudiorum animus noſter implebitur. Id quod ſignificavit aperte dominus, quum dixit: non ſaturantur, ſed *ſaturabuntur*. Hoc idem proculdubio expreſſit dicens: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*: & non dixit, vident. In hac etenim vita, ſicut non contingit *Matth. 5.* perfecta permanenſque Dei viſio: ita nec integra, perfectaque ſaturitas. Hic enim quis clare, manifeſte, & cum perſeverantia ſtabili perpetuaque Deum vidit? Eſt enim modo nobis abſconditus: qui non hominum mentibus tantum, verum etiam ipſis angelicis intellectibus eſt incompre- *Iſai. 45.* henſibilis, ſolus ſeipſum infinite cognoſcit, ſolus perfectiſſime ſeſe contemplatur, lucemque dicitur inhabitare inacceſſam. Et ob id apud Job *1. Ad Timot. 6. Job. 26.* ſcriptum eſt de Deo, quod vultum ſolii ſui teneat, & ſuper ipſum expandat nebulam, quod non ea claritate (ut pulchre divus exponit Gre- *Greg. 26. cap. Job.* gorius) ab inferioribus cernatur, qua in ſuperioribus dominatur, ſed longe major illius ſit gloria, quam a nobis comprehendi poſſit, impediente nos propriæ ignorantiæ nebula, quæ facit ut caligo ſit ſub pedibus ejus, ſive in circuitu ſolii, *Pſal. 17.* quam expandat ceu latibulum ſuum. At quamvis hic perfecte Deum non cognoſcamus, interim tamen (ne deficiamus inedia) haudquaquam nos deſeruit benignus pater cœleſtis, omnimoda ſui circumfuſos ignorantia: Quin potius & pabulo fidei nos interea paſcit, & dat per creaturas cognitionem, quæ neceſſaria eſt huic conficiundo itineri, quod ad patriam ducit, indagare. Atteſtante Paulo, quod *inviſibilia Dei a creatura mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur: ſempiterna quoque ejus virtus & divinitas.* *Rom. 1.*

Ut enim Deus (ait Ambroſius) qui natura inviſibilis eſt, etiam inviſibilibus poſſit ſciri, opus factum eſt ab eo, quod opificem viſibilitate ſua manifeſtaret. Hinc, ſicut ex mortibus & adminiſtratione corporis, animam quam non videmus, intelligimus: ſic ex adminiſtratione totius hujus, quam cernimus, fabricæ mundanæ, tam mirifice conditæ, tamque mirifice adminiſtratæ, architectum ipſum Deum, & intelligamus, & admiremur. Quid enim aliud ſunt creaturæ quam picturæ, quam nutus, quam voces, quam lumina & ſplendores æternæ lucis? *Videmus nunc,* *1. Cor. 13.* teſte divo Paulo, *per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Deum quidem modo non in ſeipſo videmus, ſed in ejus veluti ſimilitudinibus, nempe creaturis, velut in ſpeculo, per quod ad inviſibilia Dei ſurgimus: velut in veſtigiis quibuſdam, velut in ſimulacris, velut denique in quibuſdam ſpectaculis nobis propoſitis, ut per illa ducamur ad cognitionem divini exemplaris, ſapientiæ inenarrabilis, artis indeficientis & omnia ordinantis. Prout igitur Dei inviſibilia per creaturas cognoſcimus, videre per ſpeculum dicimur: at quoniam illa adhuc ſunt nobis obſcura & recondita, in ænigmate illa videmus. Præter hæc autem, non deeſt etiam nobis fidei certiſſimum ſpeculum, in quo imagines ſupernarum rerum intuemur, & ex ſcripturis ceu per involucrum ænigmatis, Dei mentem ſuboſcure, certe tamen, percipimus.

ANNO CHRISTI 1552.

Non est itaque hic locus videndi Deum, quem esurimus & sitimus, clare atque lucide, sed, ut in Threnis dicitur, *in umbra ejus vivemus inter gentes*. *Ex fide* enim *justus vivit*, & in umbra Christi, nempe fide, quæ veluti bona umbra caligantibus viatorum oculis lucem temperat, & oculos præparat luci. Per hanc itaque fidem, Deum, qui infinita est justitia, veluti comedimus. Per hanc ipsum conspicimus sicut *per speculum, in ænigmate*, quem hic *facie ad faciem* contueri non valemus. At ubi venerit, quod perfectum est, comedemus panem hunc vitæ cum saturitate. Ubi inter angelos erimus; *videbimus eum*, ut ipsi, *sicuti est*, & beati exultabimus in splendore vultus ejus, quando gravi deposito corpore, aut mutato, quando mentis caligine adempta, ipsum & clarius cernemus, & diligemus ardentius.

Thrs. 1. Rom. 4. 1. Cor. 13. 1. Cor. 15. 1. Joan. 3. 2. Cor. 3.

O beatos cœlicolas, qui faciem Dei, id est divinam essentiam clare intuentur, & revelata facie gloriam domini, & veritatem illam summam speculantur. Qui cognoscunt mirabilem Trinitatem in una personarum consubstantialitate. Qui cognoscunt æternam filii generationem, atque coæternam Spiritus sancti processionem. Qui cognoscunt patris potentiam, filii sapientiam, Spiritus sancti clementiam, ipsius summæ Trinitatis unam & individuam essentiam. Ubi intellectus noster, qui sola æterna repletur veritate, tunc perficietur, quum veritatis claritate illustratus, intelliget æternum. Voluntas, fruens eo, qui totus est suavis & desiderabilis, perpetua stabilitate, in summo caritatis fervore, qualis est in meridie æternitatis, ardentissime amabit summe bonum. Memoria, quæ hic fluxa est & infidelis, tunc perpetuo tenore in uno fixa bono, omnipotentem tenebit. Tunc igitur tunc, qui nunc *esuriunt, & sitiunt justitiam*, probitatem, rectitudinem, veritatem, Dei honorem & legem, proximorumque salutem, tunc (inquam) saturabuntur: quum Deus beatas animas ad cœlestem illam ducet mensam, in qua illis ambrosiam apponet, & super ipsam nectar potandum: id est, essentiæ suæ & incommutabilis veritatis visionem, atque ex visione gaudium perenne. O delitias humanis sensibus impervestigabiles. O felix, & glorioſum convivium. O dulces & desiderabiles epulas, o immensas opes, quas nec ærugo demoliri tineave, nec fures effodere ac suffurari possunt. Id quod non est in beatis exigua gaudii pars, certos scilicet esse, numquam tam immensa bona sibi defutura, numquam se tantis bonis carituros. Mirabilis etiam discumbentium ordo in hac supercœlesti mensa, diversos sequitur beatorum gradus: siquidem distribuens Christus a se promissas multifarias mansiones, suis quemque collocat sedibus: namque qui Deum excellentius amaverunt, dum hic viverent, ad majora perducuntur gloriæ fastigia. Toto autem Deo frui omnibus datur, omnibus idem datur æternæ vitæ denarius, omnes essentiam vident divinam, sed Deum totum, copiosius, præstantiusque possident, quorum major fuit caritas.

Matth. 6. Matth. 25. Joan. 14. Matth. 20.

Suo præterea beatitudinis gradu quisque contentus plenusque vivit, nec aliis, quo Deo propinquiores spectet, invidet. Livor enim (ut & Plato in Phædro inquit) a divino choro procul abest. Imo vero (teste Gregorio) quid in se quisque non acceperit, hoc se accepisse in alio exultabit. Sed & in hoc mirabile est convivium illud divinum, in quo sine ullo fastidio, iisdem divi illi vescuntur dapibus, quibus in æternum copiosissimeque exsatiantur. Nobis quidem in hac miseriæ vita, rei ejusdem diuturna frequentatio statim nauseam parit, atque ob id nova requirimus oblectamenta, ad quæ non cibi, non vina sufficiunt, nisi fames ad vescendum alliciat, sitisque ad bibendum, & tamdiu oblectatio, quamdiu & aviditas permanet. Æternus tamen amor, quo semper convivæ illi cœlestes in Deum optimum maximum quasi aviditate quadam afficiuntur, efficit, ut omni expulso fastidio, divinis illis delitiis & cœlestibus ambrosiis pascantur, Deoque semper quasi novo gaudeant spectaculo, blanda dulcique fruitione beati. Quid multis? Ibi (juxta Joannis Apocalypsim) non esurient neque sitient amplius, quia agnus, qui in medio throni est, ducet eos ad vitæ fontes aquarum, aquarum, inquam, quæ non promuntur e cœnosis hujus mundi immundi paludibus, sed e fonte plenissimo atque mundissimo divinæ virtutis, atque torrente voluptatis divinæ, aquarum, inquam, quæ non pertingunt solum ad talos usque, genua, reneſve ipsorum (ut de aquis Ezechielis legimus) sed in augustissimum illud cœlestium voluptatum pelagus avidissime & latissime effusi conquiescunt in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta. Ibi namque omnia erunt beatitudinis & gaudiorum ineffabilium plena, non solum intellectus & voluntas, sed suo quoque modo, fauces, oculi, aures, manus, totum corpus, denique totus animus, tota mens, ita ut totus intret beatus in illud immensum domini gaudium, (ut Augustini verbis utar) sine tristitia, quod continet æternam lætitiam, ubi erit omne bonum & nullum malum, ubi erit quicquid voles, & non erit quicquid noles: ubi erit vita vitalis, dulcis & amabilis, ubi non erit hostis impugnans, nec ulla illecebra, sed summa & certa securitas, secura tranquillitas, tranquilla jucunditas, jucunda felicitas, felix æternitas, æterna beatitudo, beata trinitas, & trinitas in unitate, & unitatis deitas, & deitatis beatæ visio, quæ est gaudium domini Dei tui. Denique, patres ornatissimi, quum Isajas, & astipulatus Isaiæ Paulus humanarum divinarumque rerum scientissimus dicat, *quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt quæ præparavit Deus diligentibus se*: quid balbus ego & hebes de re tam ineffabili quam cum propheta exclamem? *Lauda Hierusalem dominum, lauda Deum tuum Sion, quoniam confortavit seras portarum tuarum, benedixit filiis tuis in te, qui posuit fines tuos pacem, & adipe frumenti satiat te.*

Plato in Phædro. Gregor. super 3. cap. Job. Apoc. 7. Psal. 35. Ezech. 47. Isai. 32. Matth. 25. August. lib. Sol. Isai. 64. 1. Cor. 2. Psal. 149.

O triumphans beatorum ecclesia, o alta Sion, lauda dominum, summe lauda, & laudes itera summas, quod de naufragoso mari ad quietissimum portum, de exilio ad patriam, de tenebris ad lucem, ad optatam denique perveniſti quietem sempiternam. *Lauda Deum tuum Sion, quoniam confortavit seras portarum tuarum*, quia roboratis vectibus & inconvulsibilibus seris roboravit portas tuas. Nullus intrare potest inimicus, nullus exire vult amicus. Tuta es, o beata Jerusalem, in arca cœli, non est, quod mundi timeas diluvium. *Benedixitque Deus filiis tuis in te*, non peregrinantur, intus lætantur, benedicti sunt *omni benedictione spirituali in cœlestibus cum Christo*, omni decorati pulchritudine, omni illustrati splendore, omni splendida comitati cohorte, induti immortalitatis deaurato vestimento, plenique gaudiorum varietate. *Et qui benedixit*

Psal. Gen. 7. Ephes. 1.

ANNO CHRISTI 1552.

dixit filiis tuis in te, is posuit fines tuos pacem: jam non est timor in finibus tuis, nulla pericula, bella nulla, nullæque tentationes, quod hostes omnes a muris tuis procul sint: & adipe frumenti satiat te omnipotens, optimo nempe divinæ visionis tritico, omniumque rerum copia. Quis igitur, o patres, non illic vehementer desideret esse, habitare, & pasci, tum propter pacem, tum propter adipem, tum propter saturitatem? Ubi formido nulla est, nullum fastidium, nullusque defectus, ubi tua mansio est paradisus, dulcis cibus verbum dulce, & cum æternitate affluentia maxima.

Reliquum est, amplissimi patres, ut jam de supernorum civium imitatione paucis agam. Quamvis enim de præmiis eorum dici poterant alia multa, sed de re tam sacrosancta nihil temere pronunciandum. Nec fas est ad curiosas quæstiones, quæ hic solent curiosius excitari, revocare, quod Deus arcanissimum esse decrevit, magna esse decrevit, magna esse & admirabilia credi voluit quæ electis suis paravit, quæ per fidem nunc a nobis cognita, & amare debemus, & sperare, tunc demum plenius intellecturi, quum voti compotes facti, contemplabimur coram omnia præsentia, atque adeo nobis ipsis conjunctissima: ut sic ea cognoscamus, quemadmodum nunc cogniti sumus. Interim tamen eos imitemur quorum beatam vitam miramur. Sequamur eorum exempla, quorum præclarissimis trophæis & gaudemus & excitamur: sequemur autem, si cum Christo (ut ipsi) in montem conscendimus. Standum est enim, vobis præcipue, o patres, qui evangelicam docetis justitiam, in contemplationis & spiritualium virtutum apice, Mosen imitati, qui divina contemplaturus, montem non raro ascendebat, ut hauriendo ibi divina mysteria perdisceret, quonam modo se & alios esset recturus. Unde ad munera actionum bene instructi paratique descendentes, sic subditorum commodis prudenter ac diligenter consulatis, ut nihil omittatis, quo eos ad æternum salutis montem pertrahatis. Sanctorum etiam montium cacumina, quæ prima sunt a radiis solaribus irradiata, illi sunt angelici spiritus, ceterique beati, qui in altissimis regnantes, in primis a sole illo justitiæ illuminantur: quorum si vel imitatione consociamini cœlesti collegio: quantum (bone Deus) splendor gloriæ Christi vos decorabit, illustrabitque? Dii, patres, estis, & filii excelsi omnes, invadat igitur animos vestros sacra quædam ambitio ut parvis contemptis, & mediocribus non contenti anheletis ad summa, vitam ad exemplar angelicæ vitæ formantes, sicut sancti Dei fecerunt: qui quicquid in mundo est posthabentes, ultra mundanam illam curiam, ut angelicam etiam in carne ducerent vitam, advolarunt. Igitur si supremum curiæ illius regem, ardentissima caritate amplectamini: illius igne, qui edax est, seraphicam effigiem accensi referentis: si purissimæ incumbentes contemplationi, in admirabili hoc opificio, opificem ipsum sapientissimum, in opifice vero opificium meditemini: fulgore cherubico mirabilique intelligentiæ luce undique coruscabitis. Angelos denique (qui continuo præsidio nostram tuentur vitam) referetis, si oves quarum custodiam Christus vobis concredidit, a periculis liberetis, & a luporum tutemini voragine.

Ascendite ad montem, o patres, cum apostolis, in quorum vices successistis. Ascendetis autem, si ex eorum benefactis, si ex paupertate spiritus, mansuetudine, esurie & siti justitiæ, patientia in adversis, acriores vobis addatis ad virtutem stimulos. In loco campestri manetis, si plebei viderint vos nihilo subditis meliores, sed in monte eritis, si electi ad apostolici honoris culmen sic respondeatis hujusmodi dignitati, ut vita vestra (quam veluti scopum ii intuentur qui in valle manent) sit illis apostolicæ vitæ exemplar. Ascendetis demum in summitatem montis, si in hac sancta synodo ita Christi gloriam & ecclesiæ suæ spectatis tranquillitatem, ut (non curantes quid hominibus, sed quid Christo, cujus agitis negocium, sit gratum) si opus fuerit, non dubitetis, pro religione, pro veritate, pro justitia, pro caritate, labores, penuriam, contumelias, mortem etiam ipsam subire. Atque (ut semel dicam) omnia facite secundum exemplar, quod ostensum est vobis in monte, ad quem princeps pastorum Jesus, docturus apostolicas oves ascendit, quo vos, qui fidem docturi, moresque extirpaturi corruptos, inter hos convenistis Tridentinos montes: operam detis ut ab eis mundarum aquarum sapientiæ salutaris rivi affatim defluant in imas valles, hoc est, sitientes oves: ita fiet ut irrigatione vestra, ecclesiæ terra pinguescat, & animorum æstus, sitisque temperetis ardorem, atque hæresum extinguatis flammas. Cumque pastorum insomnes noctes, diesque anxios in montibus ducere, ne quid callidus fur, ne quid luporum astuta feritas, perniciosum moliatur caro gregi. Vos qui pastorum evangelicorum titulis, ac dignitate estis honestati, quique inter hos agitis Tridentinos saltus, sic custodite oves, quæ niveo ac divino vestitæ sunt vellere, & cœlesti germine perfecundæ, ut non modo pro eis tuendis laboriosissimo utamini pervigilio, verumetiam vestræ quoque vitæ dispendio, earum salutem defendatis, ne eas lupi, hoc est, hæretici dissipent, rapiant, dilanient. Episcopi patres, hoc est superintendentes, curate ergo ut e sublimi hac sacræ hujus synodi specula, veluti boni atque oculati speculatores, vigilesque custodes, procul denuncietis, lupos, hostes sceleratos, schismaticos, atque hæreticos, quo se, audita vestra voce, oves omnes in loca recipiant tutiora, & quæ dispersæ sunt colligantur & errantes reducantur ad gregem.

Hæc ut præstare, patres, possitis, sedete. Christus enim conscenso monte sedit, ut (secundum Augustinum) magisterii ostenderet dignitatem. O quanta est sessionis patrum in concilio authoritas magisterii. Hanc agnoscite, patres, agnoscite, inquam, potestatem, qua in hoc loco sancto vos Deus exornari voluit, ut decernatis, definiatis, statuatis, ut judicetis, ut condemnetis, sicut Spiritus sanctus vester & patronus & moderator vobis suggesserit. Agnoscite insuper summum Dei in vos beneficium, quos hac tempestate e numero selegit hominum totius orbis, ut ad sui gloriam destruatis & evellatis errores & hæreses omnes, plantatisque virtutibus, collapsam religionem (cujus publicum bonum a vobis pendet) in antiquum nitorem revocantes, Christianæ reipublicæ vitam & tranquillitatem largiamini. Atque si usquam, o gregis Christiani pastores, summus ille pastor Christus vobis est sequendus, si usquam ejus sancti imitandi, si usquam fuit tempus quo vestris sanctis sessionibus, vestra cura & patrocinio orbi Christiano consulendum esse, si usquam ecclesiæ calamitates ama-

ANNO CHRISTI 1552.

Psal. 88. & Joan. 10.

August. in serm. Domini in monte.

ANNO CHRISTI 1552.

ris essent deflendæ lacrymis, hic & nunc potissimum his omnibus locus est, ubi tantum mare impietatum, diffidiorum, schismatum, hæresum, inundat in Christianam rempublicam, ubi ferus ille Goliath Deo maledicit, ac Israelitico populo insultat, ubi Phassur in Jeremiam, Balthasar in vasa domini manus extendit sacrilegas, ubi hæretici polluerunt sanctuarium Dei, conspiraverunt in sanctam Romanam ecclesiam, & aostulerunt omnia desiderabilia ejus, Petri sedem vilipendentes, Christi Sacramentis detrahentes, patrum sanctorum decreta despicientes, sacerdotes Dei exsibilantes.

4. Reg. 19. Jerem. 20. Daniel. 5. Psal. 78. Thren. 1.

Nunc ecclesiam matrem deridենt filii, domestici spernunt, derelinquunt amici, custodes deserunt, & hæretici impugnant. Nunc impius Jeroboam insurrexit. Nunc schismaticus populus liberioris vitæ appetens, recessit a domo & familia nostri veri David. Nunc novi magistri, prurientes auribus, magistri mendaces, pseudoprophetæ, introducunt sectas perditionis, dum hic videas Lutheranos, illic Zuinglios, isthic Catabaptistas, & alios ex isto furfure. Nunc non ad Christum cum discipulis in monte, sed ad vitulos aureos, & ad excelsa idolorum delubra, relicta Jerusalem, relicto Dei templo, neglecta vera religione, communique ordinatione ecclesiæ catholicæ spreta, miseranda populi multitudo confluxit.

3. Reg. 12. 2. Tim. 2. 2. Petr. 2.

Et (quod non sine maximo cordis dolore dicere valeo) hoc etiam infelici nostro sæculo, quidam impugnant, imo vero quidam omnino rejiciunt, sanctorum intercessionem, atque tollunt (proh dolor) eorumdem supernotum civium, qui nobis apud Deum præsidio esse solent, venerationem, solennitates abrogant. De his tamen dicere, & si in animo erat, supersedebo: tum ne multis vos, patres, morer, tum maxime, quod hos omnes, qui a nobis dissentiunt, speramus Dei beneficio, in sacrosanctam hanc synodum brevi conventuros, ac divini Spiritus gratia, rationes omnes & fidei & doctrinæ nostræ una nobiscum ita probaturos, ut & commune hoc beneficium ecclesiasticæ tranquillitatis, tam ab omnibus expetitum, brevi in ecclesia sentiamus, & illi ad sanctorum venerationem excitati atque accensi, illorum intercessione ecclesiæ matris vocem audiant, ac ejus mandatis saluberrimisque statutis libenter atque ex animo obsequantur.

Nos tamen interim, (ut eo unde egressus sum redeam) sedulo ac diligenter expendamus. Quorsum servator noster, tam lauder paupertatem spiritus, mansuetudinem, luctum, munditiam cordis, esuriem & sitim justitiæ, patientiam denique in persecutionibus? Nempe quia sciens neminem gloria & honore coronari debere, nisi qui legitime certaverit, & vincentis esse manna illud æternæ dulcedinis, volebat ab inanissimis honoribus, a pravarum cupiditatum venenis, ac caducis sensuum oblectamentis nos abducere, quo expeditius ipsum ducem milites sequamur, palmam adepturi. Id quod Paulus egregius Christi miles monuit: *sic currite*, inquit, *ut comprehendatis. Omnis autem, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet. Et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.* Ut sicut in terreno agone qui volunt vincere, se continent a potu nimio, cibis quibusdam, aliisque rebus suavibus. Ita & nos omnia impedimenta & offendicula submoveamus, quæ cursum nostrum remorari possunt, dum ad bravium festinamus. Atque id summo studio & diligentia consideremus,

Matth. 5. 2. Tim. 2. Apoc. 2. 1. Cor. 9.

A si ii qui certant in popularibus istis certaminibus nihil non tum faciunt, tum patiuntur, quo plebis applausum, quo vilem & perituram corollam auferant: quanto magis par est eadem facere nos, quo non mox peritura commoda, non humanam laudem, sed plausum a cœlestibus aulicis, & immarcescibilem immortalitatis coronam consequamur?

ANNO CHRISTI 1552.

O extremam mortalium dementiam, o cæcas hominum mentes, qui non perpendimus magnitudinem, dignitatem, & æternitatem tanti præmii, verumetiam quum nihil nisi felicitatem appetere videamur, eam tamen propositam aversemur, & tam periculosa alea sic sumus somniculosi, ut advertere nolimus, quam manifeste præ-
B cipites in æternam ruimus mortem, quibus promittitur felicissima ac sempiterna vita: cum qua si hæc calamitosa conferatur, vix horulæ, vix momenti instar habet. Quænam est hæc tam aperta vesania? quæ tam manifesta ebrietas? ut confidamus reperiri posse in doloribus voluptatem, salutifera in pestiferis, dulcia in amaris, in mobilibus quietem, vera in falsis, & in morte vitam? nec observamus, quam sint dolosi honores, qui umbram potius quam veritatem felicitatis ostendentes, ideo ad altissimos dignitatum gradus nos extollunt, ut in miseriam & servitutem a sublimi fortunæ rota (cui stabile non est cacumen) capitali ruina subito præcipitent. Quam spinosæ di- *Luc. 8.*
vitiæ, quæ cogitationum suarum punctionibus,
C tranquillum animum mille curis dilaniant! Quam falsæ voluptates, quæ ideo suavibus laqueis mentes nostras illaqueant, ut eas strangulent, atque in omnem vitiorum voraginem cœnumque prosternant! Quam breve, momentaneum, incertum, umbratile, imaginarium, fugax atque falsum est omne illud, quod hæc omnia simul (etiam si ex voto affluant) præstare nobis possunt. Contra vero quam magna, quam stabilia, & promissa & parata sunt iis, qui contemptis præsentibus illam suspirant patriam, ubi nihil obest, nihilque deest, ubi erit vita quieta, tristitiæ nescia, vita ignara mortis, vita totius elegantiæ, & dignitatis plenissima, ubi justi *Sapient. 5. Matth. 13.*
in perpetuum vivent, fulgentes sicut Sol, si- *Matth. 22.*
D miles facti angelis Dei, ubi saturabuntur, quum *Psal. 6. Psalm. 102.*
apparuerit gloria ejus, qui solus desiderii nostri amplitudinem implet, solusque animas nostras beat. Expergiscamur igitur, qui somno tam profundo sumus consopiti, ascendamus ad montem cum electis Christi discipulis: meminerimus terram non nobis patriam esse, sed cœlum, in quo sancti feliciter regnant. Quorum si placet felicitas, placeat & vita. Erudiamur, ut ipsi, ad justitiam evangelicam: contemnamus, ut ipsi, momentaneas voluptates, evanida gaudia, perituras divitias. Atque (ut divus ait Leo) sursum *Leo in sermon. de ascen.*
vocatos animos, desideria terrena non deprimant: ad æterna prælectos, peritura non occupent: viam ingressos veritatis, fallaces illecebræ
E non retardent.

Denique, patres, excitet nos ad virtutem, laborem spes immortalitatis, nam angusti animi atque demissi est, tam glorioſi triumphi honorem contemnere, & qui sub Christi vexillis militamus, stipendium perenne ab eodem expectantes, præparemur ad agonem mente integra, fide firma, spe certa, caritate perfecta, virtute robusta: nam *regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*, ad quod obtinendum, certandum haud dubie est omnibus, nec levi quidem certamine, sed vobis præsertim, patres, qui hic *Matth. 11.*

con-

ANNO CHRISTI 1552.

contenditis, *contra ſpiritualia nequitiæ*, contra diabolum & angelos ejus, contra juſtitiam & impietatem, contraque hæreticorum omnium incurſus. Magnus eſt iſte agon, in quo ſpectaculum multis exhibetis. Spectamini enim a Deo optimo maximo agonotheta veſtro, ſpectamini ab ejus angelis & ſanctis, ſpectamini a beatiſſimo Julio pontifice ſummo, nec non a Carolo Cæſare imperatore Auguſtiſſimo, quorum uterque nihil aliud quam feliciſſimum hujus concilii exitum precatur, & avidiſſime exoptat, ſpectamini denique & regibus principibuſque univerſis, & ab eccleſiis & ſubditis veſtris: curate igitur, ſanctiſſimi fratres, ut publicam orbis de vobis ſpem non fallentes, ita tantos rerum motus componatis, ita lætam & optatam tranquillitatem reducatis omnibus, ut reſipiſcentibus, vel profligatis eccleſiæ hoſtibus, glorioſiſſime & ſanctiſſime triumphetis. Aderit vobis (mihi credite) ſummus imperator Chriſtus, quem habetis doctorem, ductorem, & victorem: ipſum pro virili ſequamini, qui ſuæ vult vos victoriæ eſſe participes. Aderunt & ſancti Dei amici & inſuperabiles bellatores, qui illuſtre triumphi exemplum vobis reliquerunt. Quorum ſi boni fueritis imitatores, (ſicut & ipſi Chriſti) ſudorum veſtrorum percipietis fructus, laborum præmia, certaminum bravia, virtutis denique ampliſſimas reportabitis, ac ſempiternas retributiones. Dixi.

XX.

SENTENTIA VENERABILIS DOMINI Joannis Haſſelani, ſacræ theologiæ in academia Lovanienſi quondam profeſſoris ſuper facto Nectarii, epiſcopi Conſtantinopolitani, circa ſublationem confeſſionis, præſidentibus concilii Tridentini exhibita.

Ac nunquam ante edit. Lovanienſem anni 1587. typis excuſa.

UT de Socratis & Sozomeni hiſtoria recte quis judicet, duo ſunt neceſſaria. Unum, ut diligenter cognoſcas quid eccleſia facere ſolita ſit de relapſis ante Novati hæreſim: Alterum, ut recte animadvertere ſtudeas hiſtoriæ ſeriem. Porro ſeriem non ſatis animadverſam habere poſſunt, quicumque aut tripartitam tantum legerunt, aut verſionem tantum Muſculi. Nam & tripartita fragmentum tantum eſt juſtæ hiſtoriæ, & Muſculus neque ſe diligentem hic præſtitit, neque fidelem. Eccleſia autem ante Novati hæreſim relapſis adhibebat pœnitentiam, nam propter hoc ipſum Novatus habitus eſt hæreticus, quia tollebat pœnitentiam, qua ad id uſque tempus eccleſia mederi ſolita erat iis, qui poſt baptiſmum peccaſſent peccato uſque ad mortem (ſic enim Novatiani ſcripturarum imitatione loquebantur, ſicut ex lib. 4. Socratis patet cap. 28. & Sozomeni lib. 1. cap. 22.) Itaque Chryſoſtomus in 1. caput ad Hebræos, cum ita loquitur. Hic iterum inſurgunt adverſum nos qui tollunt pœnitentiam: periphraſi iſta notavit Novatianos, eademque periphraſi notavit eoſdem Baſilius in ſermone de pœnitentia: Superbiam, inquit, iſtorum, qui pœnitentiam tollunt, non ferens, &c. Neque vero hæreticus habitus eſt Novatus, quod pœnitentiam tolleret, qua parte inſtitutum divinum eſt, & aut in ſcripturis expreſſum, aut apoſtolica traditione de manu in manum acceptum. Quare obſervandum eſt quidnam pœnitentia, qua parte divinum inſtitutum eſt, complecti credita ſit ante Novati hæreſim. Hic de animi dolore, ſive contritione dubium nullum eſt, ſed neque de propoſito relinquendi vitam veterem: dubium, inquam, de duabus his rebus nullum eſt, quin eas complecti credita ſit pœnitentia. Quid ergo? ſuſtulit ne has Novatus? Non ſuſtulit: imo referente Socrate lib. 4. cap. 28. docebat relapſos ad euchariſtiam quidem admittendos non eſſe, ſed exhortandos tamen ad pœnitentiam, animi nimirum dolorem, & propoſitum, de quo dictum eſt. Quare cum Cyprianus, Chryſoſtomus, & Baſilius ſcribant cum multis aliis per Novatianos tolli pœnitentiam, id non de univerſa pœnitentia, poteſt accipi. Deinde complectebatur tunc pœnitentia exomologeſim.

Id diſcimus apud Euſebium lib. 6. c. 34. de Serapione citantem Dionyſium Alexandrinum. Serapion ſenex jam relapſus fuerat in perſequutione, quæ accidit ſub Decio imperatore, & rogat ſæpe, verum nemo illi attendit, propterea quod ſacrificaſſet idolis: poſtea in morbo cum triduo jacuiſſet mutus & ſine ſenſu, quarto die ait nepoti: Quouſque o filii me detinetis? Obſecro properate, & me ocius dimitte; accerſe mihi aliquem ex preſbyteris? currit puer, ſed cum & nox eſſet, & presbyter ægrotus ipſe venire non poſſet, dat illi paululum euchariſtiæ, jubens ut effundat, ſenique in os inſtillet. Reverſum puerum ſenex mirabiliter omnium conſcius antevertens: Scio, inquit, presbyterum venire non poſſe. ed tu, quod ille juſſit, facito. Puer effundit, ſimulque infundit ori; ſenex ubi deglutivit, reddit ſpiritum.

ἐάσατο, utitur hac voce abſolute, ſic & alias. Subauditur autem, recta pi ad reconciliationem.

καταβροχθίσας, id eſt, tranſmiſit per gulam, a gula enim dicitur.

Hactenus res geſta, cui Dionyſius addit hanc ſententiam. Videtur, inquit, quod ſenex hic tamdiu in vita conſervatus eſt, & permanſit donec abſolveretur, & vel deleto jam peccato, propter bona quæ fecerat, confiteri poſſet. Vides ex hac hiſtoria ſenem hunc inſignem ſane, & in quo moriente illuxit ſingulare donum revelationis ſpiritus, vehementer ſollicitum fuiſſe, & ſategiſſe, ut confeſſus, & a presbytero abſolutus non ſine euchariſtiæ viatico e vita diſcederet. Nam ad euchariſtiæ ſumptionem (in qua maximam ſalutis ſpem olim collocabant priſci Chriſtiani) referebant fere confeſſionem & abſolutionem; ſicut patet ex canonibus veterum conciliorum.

Muſculus ut recte vertit, Et a peccatis liberatus coram multis quæ fecerat confiteri poſſit, ἐξαπολυθεὶς τῶν ἁμαρτιῶν.

Ne quis vero putet confeſſionem & abſolutionem Serapionis politicam dumtaxat rem fuiſſe, qualis eſt apud Cyprianum lib. 3. epiſtola 17. cum in defectu presbyteri confiteri nos vult diacono, & per eum reconciliari: ne quis, inquam, putet, advertat Dionyſium certo ſtudio id enarrare, propter Novatianos, quorum hæreſis paulo ante Serapionem defunctum extiterat. At Novatiani de politica abſolutione cum Chriſtianis non pugnabant, an ſcilicet relapſis concedi deberet, ſed de divinitus inſtituta abſolutione, & qua relapſis ſic contingeret remiſſio peccatorum coram Deo, ut idonei eſſent ad ſumptionem euchariſtiæ. Itaque Novatianos c. 10. ad Hæbræos ita loquentes inducit Chryſoſtomus: Non eſt tutum, inquiunt, myſteria (ſic enim veteres noto more euchariſtiam vocabant) præbere iis qui peccaverunt, quia non eſt altera remiſſio: quod Novatianorum dictum perinde valet, ac ſi dixiſſent, baptizatis quidem tuto euchariſtiam præbemus, quia contingit ipſis per baptiſmum peccatorum remiſſio:

temiſſio: at relapſis non eſt tutum præbere, quia non habet eccleſia ſacramentum alterum, per quod ipſis contingit remiſſio altera, baptiſmali remiſſioni ſimilis. Semelque hoc meminiſſe oportet Novatianiſmi cardinem in hoc verſari, an Chriſtus reliquerit eccleſiæ ſuæ ſacramentum aliquod ad reconciliandum relapſos, ſive hoc vocari debet antiquo more pœnitentia, ſive recentiori ſacramentum pœnitentiæ, ſicut baptiſmum dedit ad regenerandum nondum renatis: quod quia negabat Novatus, habitus eſt hæreticus: adverſatur enim hoc & ſcripturis, quæ de illo ſacramento loquuntur, & traditioni apoſtolicæ, quæ tunc in eccleſia de eodem ſacramento nota erat, & uſu ipſo catholico, & perpetuo omnium Chriſtianorum animis irradicata.

Neque minus ſane hodie peccant quicumque negant in eccleſia eſſe ullum pœnitentiæ ſacramentum a Chriſto inſtitutum ad reconciliationem eorum qui nunc mortaliter peccant: nam quin fide, quin precibus, quin eleemoſynis, aliiſque hujuſmodi exercitiis reconciliationem impetrare relapſi poſſent, ne Novatus quidem in dubium vocavit. Hæc ſi meminerimus, præterquam quod poſtea difficultas nobis expeditior erit, rectius etiam intelligemus veteres, qui contra Novatianos ſcribunt, ut exempli gratia illud apud Euſebium lib. 6. c. 33. cum ait: Novatum nullam ſalutis ſpem relapſis reliquam facere, etiamſi omnia, inquit, facerent, quæ ad ſinceram converſionem, & puram exomologeſim pertinent: videlicet ſalutis ſpem non illam ſentit Euſebius, quæ a Deo ſolo ſine hominum miniſterio ſperari poteſt: hanc enim nemini deſperandam eſſe diſerte monebat Novatus: ſed illam quæ homini per hominem contingere poteſt exhibitione ſacramenti & uſu poteſtatis, qua remiſſa in terra, etiam remiſſa ſunt in cœlis. Semper enim ſacramentum & poteſtatem hanc urgere, & ante oculos habere oportet.

Tale etiam eſt quod apud Socratem lib. 6. c. 22. Leontius Ancyræ epiſcopus exprobrat Novatianis: Pœnitentiam, inquit, ſuſtuliſtis, & benignitatem Dei excluſiſtis, nempe illam benignitatem, quam Deus per homines hominibus impartitur, ut jam dictum eſt. Præterea refert in hac materia obſervare exomologeſeos, abſolutionis, remiſſionis, & cognata vocabula. Eſt, ubi exomologeſis generaliter valet idem quod pœnitentia, ut apud Euſebium loco jam citato. Etiamſi facerem omnia, inquit, quæ ad ſinceram converſionem & puram exomologeſim pertinent. Quod hic exomologeſis dicitur, idem c. 42. dicitur pœnitentia: Martyres, inquit, noſtri relapſos receperunt vias eorum converſione & pœnitentia. Sic Baſilius in ſermone de pœnitentia, qui & ipſe contra Novatianos ſcriptus eſt, exomologeſim & pœnitentiam pro eadem re dixit. Magnum eſt, inquit, peccatum? Multa exomologeſi eſt opus: levis eſt lapſus? æquanda eſt pœnitentia. Et Græcos imitati ſunt Latini. Inde eſt quod in cap. ab abolendam, de hæreticis, confeſſio pro toto ſacramento pœnitentiæ ſumitur.

Jam abſolutionis & cognata vocabula, eſt, ubi pertineant ad œconomiam politicam, eſt, ubi ad poteſtatem divinitus inſtitutam, ut in concilio Carthag 4. Is qui pœnitentiam in infirmitate perit, ſi, dum ſacerdos invitatus ad eum venit, obmutuerit, & continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatut ori ejus euchariſtia. Hic quia morituro eucharistia præbetur, intelligi ex hoc ipſo debet quo pertineat reconciliatio, & manusimpoſitio. At in eodem concilio c. 80. manus impoſitio non eſt poteſtatis hujus, de qua dictum eſt, propria. Omni, inquit, die jejunii manus a ſacerdotibus pœnitentibus imponantur, alioqui manus impoſitio poteſtatis dictæ, proprie non contingebat eo ſæculo niſi feria quinta demum ante paſcha, ut habemus in decretis Innocentii I. c. 7. multoque ante Innocentium Soter papa in ſecunda decretali epiſtola, A nullis, inquit, in cœna domini perceptio euchariſtiæ negligatur, cum & pœnitentes eadem die ad percipienda corporis & ſanguinis domini ſacramenta reconcilientur.

Sed redeo ad exomologeſim ejus temporis, quæ fuit ante Novati hæreſim. Extat de hac luculentum teſtimonium etiam apud Dionyſium in epiſtola ad Demophilum, Tertullianum in lib. de pœnitentia, Cyprianum in ſermone de lapſis. Nam vixit & Cyprianus ante Novati hæreſim, etſi idem poſt eamdem natam vixit, ut omittam Clementem in epiſtola ad Jacobum. Enimvero Novatus nec exomologeſim quidem hanc ſuſtulit, ut habet in lib. de pœnitentia Ambroſius, & Socrates lib. 4. cap. 28. abſolutionem demum ſuſtulit, quam uni Deo committendum docens: τῷ ἐξουσίαν (inquit) ἔχοντι συγχωρεῖν ἁμαρτήματα hoc eſt, poteſtatem habenti remittendi peccata. In quibus verbis diligenter conſideranda eſt poteſtatis, ſive ἐξουσίας vox. Alludit autem ad locum Matthæi cap. 4. *Ut ſciatis quod filius hominis poteſtatem habet remittendi peccata*: ſimiliter loquitur eodem lib. c. 10. & in Sozomeno Areſius, Novatianæ ſectæ epiſcopus ἠρῆσθαι, inquit, τὴν ἄφεσιν ἐξουσίας ἐστὶ, non ſacerdotum, ſed Dei, hoc eſt remiſſionem impendere poteſtat is eſt Dei. Abſolutionem ergo Novatus hactenus ſuſtulit, quia poteſtatem hanc ſuſtulit, quantum in ipſo erat.

Vide hiſtoriam hucfacientem ex c. 10. primi libri Socratis.

Lib. 1. c. 22.

Ceterum qualis tunc exomologeſis fuerit, primum ex hac hiſtoria de Serapione vides eam fieri ſolitam non apud epiſcopos modo, penes quos ordinaria eſt poteſtas, ſed etiam apud preſbyteros, quibus ipſi commiſiſſent. Et quidem Dionyſius non uni commiſerat, ſed pluribus: Accerſe, inquit, mihi aliquem ex presbyteris. Et rurſus: Nemo, inquit, illi attendit, quaſi dicat, nemo ex omnibus quibus commiſeram. Deinde vides relapſis liberum fuiſſe tunc adire e multis quemcumque voluiſſent. Accerſe, inquit, mihi e multis aliquem. Quod idem videre licet ex Tertulliano loco jam citato: etiam ex Origene. In eadem hiſtoria ex abundanti notetur hoc etiam, quod olim quoque in more hoc erat, ut reſervarent euchariſtiam ad viaticum morientium, non ſub panis tantum, ſed etiam ſub ſpecie vini: atque adeo videtur Serapion ſub ſpecie ſanguinis tantum communicaſſe. Ad corpus enim verba hæc: ἀποβρέξαι, ἐπισεύξαι, ἐσχεῦσαι, hoc eſt, effundere, non pertinent, ſed ad ſanguinem tantum. Horum autem primum Muſculus non recte vertit, infundere: repugnat enim non ſolum præpoſitio verbi, ſed etiam intellectus verus ſententiæ, quæ habet ut puer ſanguinem e vaſculo effundendo ſimul in os ejus infundat & inſtillet.

Nec illud quidem bene Muſculus, quod ἐσχέω vertit, inſtillare. Porro quod hic dicitur de ſanguine infundendo, huic ſimillimum eſt, quod jam recitavimus ex concilio Carthaginenſi. Et infundatur, inquit, ori ejus euchariſtia. In eodem autem

autem ſcripto Dionyſius, ubi ſic ait: Juſſeram ut morituri abſolverentur, Muſculus non recte vertit τὸ ἀφίεσθαι admitterentur: repugnat enim non ſolum præpoſitio verbi, ſed & loci ſententia: præſertim cum mox infra dicat ſenex ἕως λυθῇ, ubi abſolvere vertit & Muſculus. Hoc mirum eſt, quod in ſcripto Dionyſii narratur Serapion confeſſus & abſolutus, cum neutrum feciſſe videatur. Verum ita eum feciſſe, ut & presbyter & epiſcopus pro facto habuerint, quicquid illi ſequuti hic ſint, ſive tale quiddam: quale tradunt doctores de mutuo confitente ſine verbis per nutum, ſcriptum, aut interpretem. Sive putaverint ſenem ſatis antea confeſſum eſſe, quum recipi peteret a presbyteris; maxime cum Dionyſius non dubitaret eum jam peccati ſui veniam impetraſſe ſtudio bonorum operum, cui votum confitendi adjunctum erat. Adde huc neceſſitatis articulum & periculum moræ.

Et hactenus de eo quid eccleſia facere ſolita ſit de relapſis ante Novati hæreſim. Sequebatur nunc, ut oſtenderetur quid qua ex cauſa novum propter Novatianos conſtituerit, verum id commodius fiet in conſideranda ſerie hiſtoriæ, quæ eſt lib. 3. cap. 19. apud Socratem, ſed prius conſideretur ex cap. 8. perſona Nectarii, liquidem hoc etiam ad rem facit. Senatoria ſtirpe fuit, moribus moderatis, & licet prætorem Conſtantinopoli ageret, tamen erat in magna omnium admiratione: nec vero malis artibus ad epiſcopatum pervenit, ſed raptus a populo eligendus ſiſtitur centum & quinquaginta tum forte Conſtantinopoli in ſynodo præſentibus, commendante etiam eum Theodoſio ſeniori, religioſiſſimo principe, & de Chriſti eccleſia ſingulariter merito. Addit Sozomenus accinctum fuiſſe eo tempore ad reditum in patriam (genere enim Tarſenſis erat) ut nihil minus quam de epiſcopatu cogitaverit, canum præterea, & divina quadam ſpecie, ſed necdum myſteriorum participem. Sed jam factus epiſcopus utitur magiſterio Cyriaci Adanorum epiſcopi. Invitat præterea alios quos ſecum in ædibus illuſtres habebat. Jam Theodoretus præterquam quod omni virtutum genere illuſtrem facit, inſerit etiam epiſtolam dictæ ſynodi ad Damaſum papam, in qua patres ita ſcribunt: Præpoſuimus in generali noſtro concilio Conſtantinopolitanæ eccleſiæ reverendiſſimum & Deo amantiſſimum Nectarium epiſcopum cum omnium clericorum totius civitatis approbatione,

Sequitur nunc hiſtoria.

TITULUS Socratis eſt de pœnitentialibus presbyteris. Nemo hic mihi perſuadeat periphraſi pœnitentialium presbyterorum ſignificari eos proprie, qui pœnitentiæ publicæ præerant: aut in Sozomeni titulo proprie eos pœnitentes eſſe, qui pœnitentiam publicam agebant. Uterque enim auctor multas ſignificationes dedit, quod de pœnitentibus & de pœnitentia generaliter loquantur, ut infra ex verbis ipſorum planum fiet. At ſcio quidem vocem utramque certis locis non pertinere, niſi ad publicam pœnitentiam, verum in talibus locis nec ſignificationes dantur ſimiles, ut ex materia ſubjecta, aut circumſtantiis animadverti poteſt, non accipi eas generaliter. Talis locus eſt in concilio Toletano 1. c. 2. Placuit, inquit, ut pœnitentes non admittantur ad clerum. Sæpe etiam phraſis habet, ut de publice pœnitentibus tantum pœnitentes accipiantur, ſed id apud Græcos magis quam apud Latinos, ut quum dicitur τοὺς ἐν μετανοίᾳ ὄντας. Quæ phraſis eſt apud Dionyſium magnum & Sozomenum.

Ceterum in titulo Sozomeni cavendus eſt Muſculus: vertit enim, quomodo privata peccatorum confeſſio ſublata ſit Conſtantinopoli: cum ipſe Sozomenus ſic habeat, quomodo & ob quam cauſam ſublatus ſit pœnitentialis in eccleſia presbyter, & operoſus labor circa modum pœnitentiæ. Quamvis enim titulus Græci codicis nonnihil mendoſus, & ex initio capitis ſic reſtituendus videatur, ὅτως καὶ διὰ τὴν αἰτίαν ἀνεκαίνη ὁ ἐν ἐκκλησίᾳ ἐπὶ τῶν μετανοούντων πρεσβύτερος. Tamen non ita mendoſus eſt, ut Muſculani ſenſus vel micam habeat.

Et tantum de titulis venio ad hiſtoriam. Committo autem Socratem cum Sozomeno, ut uterque ex altero intelligatur, addamque ea tantum quæ faciunt ad quæſtionem præſentem.

SOCRATES.

Viſum eſt eodem tempore etiam presbyteros pœnitentiales eccleſiarum tollere.

SOZOMENUS.

Eodem tempore, primus omnium Nectarius pœnitentialem presbyterum ſuſtulit, id quod ſequuti ſunt omnes pene epiſcopi.

Hic ne quis e Socrate, qui pluralis numeri presbyteros habet, putet plures tunc fuiſſe presbyteros pœnitentiales, advertat Sozomenum dixiſſe ſingulariter, presbyterum, quamquam idem intelligas etiam ex Socrate: dixit enim eccleſiarum presbyteros: non, eccleſiæ, ut non recte verterit Muſculus, in eccleſia. Porro ex pluribus eccleſiis Socratis, & ex pene omnibus epiſcopis Sozomeni vides non epiſcopatu Nectarii tantum ſublatos hos presbyteros, ſed generaliter in omnibus pene epiſcopatibus. Cauſam ſublationis Socrates ita expreſſit.

SOCRATES.

Ex quo tempore Novatiani ab eccleſia ſeparati ſunt, epiſcopi, addiderunt eccleſiarum canoni τὸν πρεσβύτερον τὸν ἐπὶ τῆς μετανοίας, ſub quo peccata ſua confiterentur qui poſt baptiſmum lapſi fuiſſent.

Hic de ſuo addis Muſculus pronomen, hoc, incommodiſſime.

Hic qui errore liberari volunt vigilanter diſcernant veterem eccleſiarum canonem a recenti additamento, ſive acceſſione. Ita intelligent, tum quid eccleſia de relapſis facere ſolita ſit ante Novati hæreſim, tum quid ſub Nectario ſit ſublatum.

Videt unum fuiſſe, non plures.

Videt in genere quævis peccata, nifurus paulo poſt etiam his occultum peccatum.

Porro jam ſupra oſtendimus quod vetus canon habebat, ut relapſis ſubveniretur per pœnitentiam, & remiſſionem alteram, baptiſmali non quidem parem, ſed tamen ſimilem, cujus diſpenſatio penes eos eſſet, quibus data eſt poteſtas peccata in terris remittendi. Et ex his cum multi numero eſſent, liberum erat per eumdem canonem eligere, quem pro ſuo quiſque judicio, affectu, conſcientia vellet: huic canoni additus eſt pœnitentialis presbyter, hoc eſt epiſcopali conſtitutione factum eſt, ut jam eſſet modus quidam certus, & novus hujus pœnitentiæ, ſed modus (ſicut in titulo Sozomenus vocat) operoſus & pœnitentibus gravis: revera enim grave eſt alligari jam certo preſbytero, libertate ſublata confitendi cui velis: grave eſt, peccata, quæ uni presbytero in aurem confeſſus ſis, ea deferantur ad epiſcopum, & ab epiſcopo ipſo recitentur ad populum. Jam Sozomenus adhuc propius cauſam expreſſit, cur propter Novatianos modus hic operoſus adhibitus ſit.

SOZO-

SOZOMENUS.

Quia prorsus non [1] peccare, inquit, supra vires humanas est, Et [2] pœnitentibus [3] Deus veniam [4] præberi jussit. [5] Sin vero detrectes confiteri peccatum, sit ut te debita tua magis onerent, & [6] prægravent. Propterea [7] ab initio visum est episcopis peccata [8] annunciare, sive promulgare, quasi in theatro teste multitudine ecclesiæ: in hoc autem constituerunt presbyterum optimæ vitæ, [9] taciturnum, & prudentem, ad quem accedentes, qui peccassent, confiterentur quæ gessissent. Is vero pro uniuscujusque peccato, cum dixisset quid facere oporteret, & mulctam [10] imposuisset, quam oportebat luere, [11] absolvebat eos qui a semetipsis pœnam [12] egissent, &c.

Causam videlicet hanc Sozomenus habet: Faciebat Novati hæresis, ut Christiani ad confessionem minus, quam antea afficerentur. Quis enim confiteri libenter velit, si non spectet absolutionem: aut ut spectes eam, dubites tamen an coram Deo valeat? Fit autem, ut existentibus hæresibus segniores fiant, etiam catholici, ad observanda ea, quæ vident in dubium vocari. Hic igitur dum ad vigilandum episcopi putarent, rationem inierunt adempta eis veteri libertate adeundi presbyterum quemlibet (sub ista enim libertate, quasi sub latebra tegere sese poterant segniores, ut non confiterentur) ut populo innotesceret, nulla tam enormia esse peccata, quæ non relapsis remitterentur, si pœnitentiæ ministris se docendos, monendos, arguendos, corrigendos, & absolvendos præbuissent, ac confugissent ad divinitus ordinata remedia, denique peterent etiam preces publicas ecclesiæ. Siquidem ad hæc omnia spectabat illa peccatorum per episcopum recitatio.

Hunc sensum mihi suggerit primum vocula (propterea.) Deinde sermo ille quo dicuntur episcopi peccata promulgare. Visum est, inquit, episcopis, quid tandem facere? peccata promulgare, inquit, non promulgari, ut ad confitentes referri non possit. Et valde hoc loco impediunt lectorem & Tripartita historia & Musculus, dum vertunt activum verbum in passivum: quasi sensus sit, visum est episcopis, ut peccata pandantur: non per recitantem episcopum, sed per publice confitentem peccatorem, cum de confessione publice facienda nullum prorsus exemplum extet. De recitatione autem publica, extat exemplum apud Augustinum hom. 50. Tantum de Theodosio lego publice in ecclesia peccatum confessum esse, sed tunc, cum ipsi ecclesiam Mediolani ingressuro occurrit Ambrosius, & coram eadem ecclesia exprobrat sævitiam, quam exercuerat Thessalonicæ, vide Sozomenum lib. 7. c. 24. Nam quod Leonem quidam citant ex epistola, quæ est ad episcopos per Campaniam, Samnium & Picenum constitutos, quasi in ea mentio sit confessionis publicæ, vehementer errant: agit enim Leo non de more ullo ecclesiæ, aut exemplo, sed de abusu tantum qui contra ecclesiæ morem irrepserat in pusilla tantum Italiæ regiuncula: neque generaliter illis irrepserat, sed apud quosdam tantum, ut vehementer mirer doctos quosdam homines citare hanc epistolam ad docendum de usu veteri ecclesiæ.

SOCRATES.

Hic canon hodie obtinet in aliis hæresibus. Soli autem Novatiani pœnitentialem presbyterum sunt aversati, ac ne initio quidem accessionem hanc receperunt, &c.

Canonis appellationem nunc attribuit recenti accessioni: ne putes eum sentire de veteri canone, respice ad adversativam clausulam, Soli autem, &c. Quod dicit, pœnitentialem presbyterum, receperunt etiam hæreticæ ecclesiæ, imitatæ catholicos. At Novatiani non receperunt illum. Idem vides ex sequente periodo, Ac ne initio quidem, &c. ubi eadem res vocatur προσθήκη, id est, accessio, nomine facto a verbo, quo supra usus est Socrates, cum diceret, episcopos addidisse ecclesiarum canoni.

SOZOMENUS.

Verum Novatiani (apud quos nulla est pœnitentiæ ratio) nihil morabantur istud. In aliis autem hæresibus hodie quoque obtinet, ac precipue in occidente, maxime autem Romæ. Illic enim in aperto est locus τῶν ἐν μετανοίᾳ ὄντων. Et paulo inferius. Constituto autem die posteaquam persolvit aliquis mulctam, quasi quoddam debitum, tum laxatur a peccato, & cum populo ecclesiastica societate fruitur.

Apud quos nulla pœnitentiæ ratio, &c. Non quod sustulerint contritionem, aut confessionem, sed sacramentalem absolutionem, in qua sita est perfectio & consummatio sacramenti pœnitentiæ, τῶν ἐν μετανοίᾳ ὄντων, &c.

Neminem moveat quod sermo Sozomeni desinit tandem in pœnitentiam publicam: facit enim hoc dilatus huc similitudine aliqua accessionis, & pœnitentiæ publicæ. Alioquin vel pueris notum est pœnitentiam publicam non cepisse post Novatianos demum, cum sit antiquior concilio Nicæno, imo ejus meminit Dionysius. Unde certum est Sozomenum non agere de initio ejus, aut sublatione, & tamen subjeci quæ ille aliquanto inferius hic addidit, quia valent ad intelligendum Socratem, tum laxatur a peccato, &c. Ergo & in pœnitentia publica (nam de hac Sozomenus loqui pergit) non omnis absolutio erat politica, sed quædam vere sacramentalis. Ceterum in hac particula Musculus malæ fidei est suspectus: vertit enim, mulcta, quasi debito quodam remissa. Imo Muscule mulctam persolutam significat Sozomenus. Quomodo igitur remissam diceret? quare peccatum remissum & relaxatum dicit.

SOCRATES.

Qui vero hodie ecclesias obtinent, cum perdiu istud observassent, postea sub Nectario mutaverunt, quia mulier, &c. *Redit in digressione ad propositum.*

SOZOMENUS.

In ecclesia vero Constantinopolitana presbyter pœnitentialis munere suo functus est, donec mulier, &c. *Formulæ generaliter omnia confitentis.*

SOCRATES.

Mulier adit pœnitentialem presbyterum, & paulatim confitetur peccata, quæ fecerat post baptismum, presbyter monet, ut jejunet, & continuo oret. Mulier vero cum processisset, confitetur & alium lapsum, concubitum scilicet cum diacono ecclesiæ.

Et paulatim, &c. κατὰ μέρος Musculus vertit, ex parte, sed fere significare paulatim, & habet hæc particula aperte confessionem secretam. Quomodo enim paulatim adiret, & confiteretur publice? Mulier vero cum processisset, &c. προβαίνω pergere significat in aliquo negotio. Et ex Sozomeno sic intellige Socratem post cœptum & perductum aliquousque confessionem. Cum interpositi essent dies aliquot ad jejunium & preces, tunc denique perrexit confiteri. Sozomenus enim

1 *Rursus vides in genere quævis peccata.*
2 *Quis hic pœnitentes interpretetur de publice pœnitentibus.*
3 *Divini instituti rationem vides.*
4 *φέρω vox dispensantis est.*
5 *Hanc adversationem addo ex tripartita historia.*
6 *Utique coram Deo, ut scies politicum non esse.*
7 *Ab initio non nascentis ecclesiæ, sed hoc tempore, quo Novatiani ab ecclesia sunt separati, id discis ex eo quod mox subjicitur de constituto presbytero.*
8 *Annunciare Græce est, ἐξαγγέλλειν.*
9 *ἡσύμαθος in genere significat linguæ continentis hominem, sive id sit in negotiis secretis, sive aliis: ἀπὸ τοῦ ἔχειν τὴν μῦθον. Significatur igitur presbyter, qui non silentio tantum personas tegeret, si opus esset, verum non efflueret quæ secreto a confitentibus didicisset.*
10 *Episcopus ergo non imponebat mulctam, sed recitabat tantum.*
11 *Musculus sic vertit, Ea lege absolvebat, ut a semetipsis pœnas exigerent, sed male, nam Sozomenus habet εἰς πραξαμένους.*
12 *Utique coram Deo, quia præcessit de venia, quam Deus præberi jussit.*

enim occasionem concubitus addidit istam, quia dum jejunat mulier immorata est in ecclesia.

SOZOMENUS.

Donec mulier propter peccata quæ confessa erat, jejunare & orare jussa, ac propter hoc in ecclesia immorata indicavit se stupratam a diacono:

Indicavit, & cet. καταμηνύω proprie, rem occultam prodo: unde & ex hoc colligimus secretam confessionem fuisse, atque adeo secreti & occulti peccati fuisse.

SOCRATES.

Hoc dictum & diaconum ex ecclesia ejecit, & tumultum peperit apud multitudinem, quia ecclesia propter hoc afficeretur contumelia & blasphemia.

Hoc dictum, &c. τοῦτο λεχθὲν: λέγειν hic prorsus non est quod εἰπεῖν, sed recitare potius, legere, & commemorare peccatum, quasi sit id flagitium lectum & recitatum in theatro ecclesiæ.

SOZOMENUS.

Quod, ut multitudo didicit, indignata est, quia ignominia inusta esset ecclesiæ.

SOCRATES.

Hic Eudæmon perplexo Nectario dat consilium, ut amoveat presbyterum pœnitentialem, & concedat unicuique mysteriis communicare secundum propriam conscientiam.

Amoveat, &c. Non autem veterem canonem. Præterea vides hinc longe aliam rem agere Leonem in epistola supradicta, quum tolli vult abusum, qui in aliquibus Italiæ partibus præter morem ecclesiæ irrepserat.

Misteriis, &c. Vides confessionem referri ad sumptionem eucharistiæ, præterea tacite significari, quod ad eucharistiam nemo venire solet, nisi confessus, vel quomodo sub pœnitentiali presbytero confitebantur, vel quomodo fiebat antea.

SOZOMENUS.

Consulentibus quibusdam, ut concederet unicuique mysteriis communicare, prout sibi conscius esset, & fiduciam accipere, &c. pœnitentialem presbyterum sustulit.

Hæc illa particula est, quæ multos ita teddit impeditos, ut affirmare non dubitent Nectarium omnem semel confessionem sustulisse, in quo virum optimum, non minus ecclesiæ pernicioſum faciunt, quam fuerit pene Novatus ipse, tantum hæresim excipio. Quid enim Novatianis a veteribus objicitur, quin idem in Nectarium hæreat, si confessionem sustulit? Objicit Leontius, benignitatem (inquit) Dei exclusistis. Cur non idem objicias Nectario? Objicit Ambrosius, donum cœleste refunditis (sic enim loquitur, hoc sentiendo quod potestatem peccata dimittendi in terris Novatiani nollent agnoscere, quam Christus donaverat, sed respuerent potius atque rejicerent) Cur non idem objicias Nectario? Nisi vero refundere censendus non est, qui facit, ut nunquam dono utamur. At erat (inquiunt) aulicus. Aulicum fuisse non lego. Præturam in Thracia administrasse lego, sed quam in Liguria administraverit & Ambrosius tunc cum catechumenus adhuc ad episcopatum raperetur. At factus episcopus, non ut Ambrosius, studuit. Quis hoc de ipso scriptum reliquit? cum domestica consuetudine doctorum virorum usus legatur.

Nazianzenus oblique taxat segnitiē Nectarii, tribuit tamen ei ibidem magnam eruditionem.

Sed esto fuerit in scripturis parum exercitatus, ut ex ipsis non potuerit intelligere remissionem alteram, & potestatem, de qua sæpe dictum est. Quid? Reliquæ ecclesiæ, quæ idem feciſſe memorantur, an æque inexercitatæ, & rudes scripturarum, & omnino rei Christianæ putandæ sunt fuisse? Jam reliquæ in toto orbe terrarum eruditiores ecclesiæ, nonne gravissime monuissent Nectarium de re ad salutem tam necessaria? Quis autem vel leviter potest dicere reprehensum Nectarium, cum tot habeamus egregios scriptores ejus temporis? Et quod in primis me movet, ne postea quidem ad nostra usque tempora ab ullo notatus legitur, sive Græco, sive Latino, sive scholastico, sive generis alterius scriptore. Nos hoc facere paucis his annis sine ullo exemplo cœpimus.

Jam sunt quæ eodem crimine prope involvant Chrysostomum Nectarii in episcopatu successorem, hominem omnium judicio in scripturis exercitatissimum, & cujus tam apertas sententias habemus, tam de remissione altera in c. 11. ad Hebræos, quam de potestate in terris remittendi peccata, de sacerd. lib. 3. Rursus in c. 8. ad Hebræos. Quorum locorum vel singuli pluris apud me valent, quam universa loca quæ citantur ex concionibus ejus popularibus, quamquam de locis illis dicemus postea. Nunc argumenta tantum ex historiis petantur, ac legatur Socrates lib. 6. c. 21.

SOCRATES.

Cum unica, inquit, esset a synodo episcoporum lapsis data pœnitentia, ausus est Chrysostomus dicere, etiam qui millies pœnitentiam egisti, tamen accede. Ita Socrates.

Hic qui meminerit quid sit in hac causa pœnitentia, & quid ea Novatus tollere, contraque catholici retinere studuerint, an iis dubium esse poterit, quin & Chrysostomus, & reliqui synodi illius patres de confessione & absolutione tunc egerint inter se, ut de rebus omnino adhuc tunc obtinentibus, & nullo modo sublatis? alioqui quorsum se fatigarent episcopi de sublatis? Vidi etiam, qui de errore Cypriani huc adferrent. Sed hoc argumentum facillime solveris, si attendas ad temporum & rerum similitudines: nam quæstio an baptismus ab hæretico collatus sit nullus, sub Cypriano moveri cœpta, ut patet ex initio 7. libri Eusebii.

De pœnitentia vero, remissione altera, & potestate remittendi, nulla prorsus sub Nectario quæstio erat, sed tota res indubitata simpliciter habebatur inter catholicos, tantoque magis indubitata, quanto diligentius examinata fuerat, jam propter Novatianos. Deinde quæstio de baptismo hæreticorum non ita ex scripturis expediri tunc potuit: quia paucæ scripturæ de ea re manifeste loquuntur, & e diverso plurimæ pro Cypriano facere videbantur. Contra vero de pœnitentia, & rebus, quas complectitur, suppetebant omnibus nota & usu trita scripturarum testimonia.

Quid ergo sibi vult sermo ille: Pro sua quisque conscientia? historiæ seriem consule, & facile videbis non aliud velle, nisi ut neglecta illa recent. & nova accessione liberum sit unicuique redire a solutam & antiquam libertatem eligendi e multis presbyteris quemcumque pro suo quisque judicio, affectu, & conscientia voluerit, tantum ut re vera unusquisque rationem hic habeat conscientiæ suæ, atque ita sese gerat, ut bona fiducia accedere audeat ad eucharistiam. Nam ad hanc (ut supra dictum est) referebatur

pœni-

penitentia, tam a catholicis quam Novatianis, ideoque cum Novatiani non viderent in ecclesia remissionem alteram, consequenter dicebant, & quidem erudite (suppositio ipsorum errore) nullum relapsum admittendum esse ad eucharistiam: eruditiores, acutiores & religiosiores hac in parte, quam fuerit ipse Chrysostomus, siquidem relapsos ad eucharistiam admisit (id quod volunt isti) nec confessos, nec absolutos. Expendatur deinde ratio Eudæmonis, quam Socrates sic expressit.

SOCRATES.

Siquidem ita demum ecclesia habere poterit τὸ ἀβλασφήμητον, hoc est Christiana ecclesia non afficietur posthac blasphemia ab ethnicis hominibus, quod fieri necesse erat, si lapsus occultos (qualis erat concubitus supra dictus) recitare pergimus ad populum. Deinde Socrates cum reprehendit Eudæmonem, non tales scripturas urget: Quorum remiseritis peccata, &c. Non etiam morem urget ecclesiis, ut supra diximus, irradicatum, ut ad eucharistiam videlicet Christiani non accederent, nisi confessi & absoluti. Sed quid urget?

SOCRATES.

Dedisti (inquit) occasionem, ut Christiani non amplius inter nos invicem arguamus peccata.

Hoc est, improbemus & detestemur, ut facere soliti sumus, quoties in ecclesia peccata recitari audivimus. Hunc sensum requirit & vocula ἑλλήλων, & locus quem ex apostolo allegat.

SOZOMENUS.

Atque ex illo tempore res illa obtinuit, & permansit, præsertim quia antiquitas, quantum arbitror, labi paulatim jam cœperat, & in morem διάφορον, & neglectum degenerare.

Hoc de illis temporibus nunquam dicturus erat Sozomenus, si respexisset ad sacramentum pœnitentiæ. Ad politiam igitur priscam & operosam respexit, & ad eos qui politiæ præerant: hi nimium remiserant de exacta diligentia.

Hæc sufficere poterat ad considerandam historiæ seriem. Verum quia in Sozomeni scripto ultima particula apud historiam tripartitam adeo mutila & trunca est, ut simpliciter aberret a vero auctoris sensu, ponam primo verba tripartitæ historiæ, deinde Sozomeni sententiam, ut ex collatione appareat quanta sit dissimilitudo.

EX TRIPARTITA HISTORIA.

Presbyterum nequaquam esse præcepit super pœnitentes, ut ex illo, antiquitatis consuetudo est sublata, cum (ut arbitror) minora peccata præ pudore confessionis, & subtilitate examinantium patrarentur, &c.

Hic locus plures fefellit, ut crederent secretam confessionem per Nectarium sublatam, sed longe aliter habet Sozomenus. *Scripsit hæc Sozomenus sub Theod. juniore.*

Pœnitentialem presbyterum sustulit, atque ex eo tempore res ista cum obtinuisset, perseveravit postea, atque permansit: præsertim, quia antiquitas (quantum arbitror) & huic congruens gravitas, ac diligentia labi paulatim jam cœperat, & degenerare in morem indifferentem quemdam & neglectum, alioqui antea (ut arbitror) minora peccata fiebant, tum propter pudorem eorum, qui peccata sua confitebantur, tum propter exactam diligentiam eorum, qui huic rei judices fuerant constituti. *Nectarius autem factus est episcopus sub Theodosio seniore.*

Quia antiquitas, &c. Refert hoc loco scire, quo retulerit Sozomenus antiquitatis vocabulum. Id autem sciemus, si ex chronographia meminerimus, quod duravit, "excessio, sive appendix annos circiter 100. & 40. hoc est, a Fabiano papa (sub quo Novati hæresis extitit) usque ad annum domini 381. sub Siricio "papa, & Theodosio seniore: sub hoc enim sublata appendix, eo fere imperii ejus tempore, quo defuncto Gratiano imperium obtinuit cum juniore Valentiniano. Ab eo autem tempore, quo sublata est appendix usque ad scriptum Sozomeni, sunt anni 56. Hos numeros annorum 140. & 56. si in summam redigas, habes annos prope ducentos. Itaque antiquitatem hoc loco retulit Sozomenus ad tempus, quo appendix primum facta est: hoc sensu non mirum est, quod sublatio appendicis hactenus permanserit, cum & alioquin appendix ipsa cœpisset jam antea negligenter servari. Antequam autem neglectus hic irrepsisset minora peccata fiebant, simul propter exactam diligentiam judicum, &c. Certe nullo modo verisimile est Sozomenum antiquitatis appellationem tribuisse paucis illis annis 56. de quibus dictum est, aut sensisse, quod propter Nectarii factum peccata minora admitterentur, quam antea admissa fuissent.

"acceſſio.

"Atqui hic pontifex creatus an. 385.

ANNO CHRISTI 1562.

PARS TERTIA,

EX ACTIS CONCILII TRIDENTINI,
EDITIONIS LOVANIENSIS ANNI MDLXVII.

CHRISTIANORUM PRINCIPUM, AD SACRUM CONCILIUM Tridentinum literæ, & mandata, legatorumque ab eisdem missorum, habitæ orationes.

Una cum sanctæ ipsius synodi responsionibus.

Pio quarto pontifice Maximo,
&
Ferdinando primo Cæsare Augusto,
&
Carolo nono rege Francorum.

XXI.

MANDATUM FERDINANDI imperatoris electi, in personam sui oratoris, pro regno Hungariæ, exhibitum die XXIV. *Februarii* MDLXII. *in congregatione generali; & in sessione* II. *die* XXVI. *dicti mensis.*

FERDINANDUS divina favente clementia electus Romanorum imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, &c. rex: Infans Hispaniarum: Archidux Austriæ: Dux Burgundiæ, &c. Marchio Moraviæ, &c. Comes Tyrolis, &c. Memoriæ commendamus, ac recognoscimus, notum facientes tenore præsentium universis, quod cum beatissimus in Christo pater, dominus Pius IV. divina providentia, sacræ Romanæ, ac universalis ecclesiæ Pont. Max. superiori anno indixerit sacrum œcumenicum, & generale concilium, in civitate Tridentina, ad sacratissimam diem resurrectionis dominicæ, proxime præteritam, celebrandam; atque nos non modo per bullam super istiusmodi indictione emanatam, verum etiam per nuncios & literas paterne hortatus sit, ut si ei consilio, vel ipsimet adesse non possemus, mitteremus saltem oratores nostros, viros prudentes graves & pios. Nos vero qui jamdudum ardentissimis votis ac desideriis expetivimus, summoque studio quantum in nobis fuit, promovimus concilii celebrationem: in quo nimirum ratio aliqua sanandæ reipublicæ in tot partes distractæ, ac pacis publicæ, inter reges & principes Christiani orbis firmandæ, & stabiliendæ, nec non vitæ in omni hominum statu & ordine emendandæ ratio iniretur, & omnia ea communibus consiliis tractarentur, quæ necessitas reipublicæ postularet, principio ejuscemodi concilii, propter alia ardua negotia sacri Romanorum imperii, regnorumque & dominiorum nostrorum, ipsimet personaliter interesse nequeamus. Nolentes sane propter absentiam nostram, tam pio & præclaro instituto quicquam impedimenti aut difficultatis injici, aut quidquam a nobis desiderari, quod ad rem juvandam pertinere queat, confisi de singulari pietate, religione, fide, probitate, eruditione, judicio, ac multarum rerum usu & experientia reverendi, devoti Georgii Drascovitii episcopi ecclesiæ Quinqueclesiensis, & consiliarii nostri, fidelis nobis dilecti, eumdem in solidum solemniter, & ex certa nostra scientia animoque bene deliberato, & omnibus melioribus modo, via, jure, causa, forma, & ordine, quibus possumus & debemus, commissarium, oratorem, nuncium, procuratorem, & mandatarium nostrum facimus, constituimus, & ordinavimus, ac per præsentes facimus, constituimus, & ordinamus, dantes, & attribuentes ei plenam & omnimodam facultatem cum libero & amplo mandato, ut celebrationi dicti concilii, nostro nomine, tanquam regis Hungariæ, adesse & interesse, ac locum & vices nostras in omnibus sessionibus, consulationibus, deliberationibus, tractationibus & actibus obtinere & gerere, consilium, suffragium, votum & decretum nomine nostro dare, ferre & interponere, aliaque omnia & singula agere, tractare, exercere, concludere, & determinare possit & debeat: quæ ad constituendam veræ fidei, & religionis concordiam, & unionem, ac Christianæ reipublicæ salutem, & conservationem promovendam facere, & expedire videbuntur: & quæ nos ipsi facere, dicere, agere, tractare, exercere, concludere & determinare possemus, si præmissis omnibus, & singulis personaliter interessemus: & si talia forent, quæ mandatum exigerent magis speciale, quam præsentibus est expressum, promittentes in verbo nostro regio, nos totum id, & quicquid per dictum oratorem, commissarium & mandatarium nostrum, modo præmisso actum, dictum, gestum, factum, & procuratum fuerit: ratum, gratum, firmum, & validum habituros esse: dolo fraude postpositis penitus, & semotis. Harum testimonio literarum, sigilli nostri impressione, & manus nostræ subscriptione munitarum, mediante. Datæ Pragæ 1. die mensis Jan. an. 1562. regnorum nostrorum Roma. 32. aliorum 36. electionis vero nostræ imperatoriæ quinto.

FERDINANDUS.

XXII.

MANDATUM INVICTISSIMI Ferdinandi tanquam imperatoris electi, & regis Bohemiæ, & archiducis Austriæ, in personam suorum oratorum, exhibitum in sessione secunda Tridentina, sub Pio PP. IV.

FERDINANDUS, divina favente clementia, electus Romanorum imperator semper Augustus: ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ,

ANNO CHRISTI 1562.

Croatiæ, Sclavoniæ, &c. Rex: infans Hiſpaniarum: archidux Auſtriæ, dux Burgundiæ, Brabantiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ: marchio Moraviæ &c. Dux Lucemburgiæ, ac ſuperioris & inferioris Silegiæ, Witembergæ, & Teckæ, princeps Sueviæ: comes Haſpurgi, Tyrolis, Irreti, Kiburgi & Coritiæ: landtgravius Alſatiæ, marchio ſacri Romani imperii, Burgoviæ, ac ſuperioris & inferioris Luſatiæ: dominus Marchiæ Sclavoniæ, Portus Naonis, & Salinarum &c. Memoriæ commendamus, & recognoſcimus, notum facientes tenore præſentium univerſis, quod cum beatiſſimus in Chriſto pater dominus Pius IV. divina providentia ſanctæ Romanæ ac univerſalis eccleſiæ pontifex maximus, ſuperiore anno indixerit ſacrum œcumenicum & generale concilium in civitate Tridentina, ad ſacratiſſimum diem reſurrectionis dominicæ proxime præteritum, celebrandum, atque nos non modo per bullam ſuper iſtiuſmodi indictione emanatam, verum etiam per nuncios & literas paterne hortatus ſit, ut ſi ei concilio ipſimet adeſſe non poſſemus, mitteremus ſaltem oratores noſtros viros prudentes, graves, & pios. Nos vero qui jamdudum ardentiſſimis votis, ac deſideriis expetivimus, ſummoque ſtudio, quantum in nobis fuit, promovimus concilii celebrationem, in quo nimirum ratio aliqua ſanandæ reipublicæ in tot partes diſtractæ, ac pacis publicæ inter reges & principes Chriſtiani orbis firmandæ, & ſtabiliendæ, nec non vitæ in omni hominum ſtatu, & ordine emendandæ ratio, & omnia ea communibus conſiliis tractarentur, quæ neceſſitas reipublicæ poſtularet, principio ejuſcemodi concilii propter alia ardua negotia ſacri Romani imperii, regnorumque & dominiorum noſtrorum, ipſimet perſonaliter intereſſe nequeamus. Nolentes ſane propter abſentiam noſtram tam pio, & præciaro inſtituto quicquam impedimenti aut difficultatis injici, aut quicquam a nobis deſiderari, quod ad rem juvandam pertinere queat, confiſi de ſingulari pietate, religione, fide, probitate, eruditione, judicio ac multarum rerum uſu, & experientia reverendi, devoti fidelium ac nobis dilectorum Antonii archiepiſcopi Pragenſis, ac Sigiſmundi a Thvun conſiliariorum noſtrorum eoſdem & utrumque eorum in ſolidum ſolemniter & ex certa noſtra ſcientia, animoque bene deliberato, & omnibus melioribus modo, via, jure, cauſa, forma, & ordine, quibus poſſumus, & debemus commiſſarios, oratores, nuncios, procuratores & mandatarios noſtros fecimus, conſtituimus, & ordinavimus, dantes & attribuentes eis, & utrilibet eorum plenam & omnimodam facultatem cum libero & amplo mandato, ut celebrationi dicti concilii noſtro nomine, tanquam electi Romanorum imperatoris, ac regis Bohemiæ, necnon archiducis Auſtriæ, adeſſe, & intereſſe: ac locum, & vices noſtras in omnibus ſeſſionibus, conſultationibus, deliberationibus, tractationibus, & actibus obtinere & gerere, conſilium, ſuffragium, votum, & decretum, nomine noſtro dare, ferre, & interponere: aliaque omnia & ſingula agere, tractare, exercere, concludere & determinare poſſint, & debeant. quæ ad conſtituendam veræ fidei, & religionis concordiam, & unionem: ac Chriſtianæ reipublicæ ſalutem, & conſervationem promovendam facere & ſpectare videbuntur: & quæ noſmetipſi facere, dicere, agere, tractare, exercere, concludere, & determinare poſſemus, ſi præmiſſis omnibus & ſingulis perſonaliter intereſſemus: & ſi talia forent, quæ mandatum exigerent magis ſpeciale, quam præſentibus eſt expreſſum. Promittentes in verbo noſtro Cæſareo, ac regio, nos totum id, & quicquid per dictos oratores, commiſſarios & mandatarios noſtros modo præmiſſo, actum, dictum, geſtum, factum, & procuratum fuerit: ratum, gratum, firmum, & validum habituros eſſe, dolo & fraude poſtpoſitis penitus, & ſemotis. Harum teſtimonio literarum, ſigilli noſtri appenſione, & manus noſtræ ſubſcriptione munitarum, mediante. Datum in arce noſtra regia Pragæ, die primo menſis Januar. anno domini 1562. regnorum noſtrorum, Romani 31. aliorum vero trigeſimo ſexto.

ANNO CHRISTI 1562.

FERDINANDUS.

XXIII.

LITERÆ FERDINANDI IMP. electi, quibus conſtituit oratorem in concilio, uti rex Hungariæ: exhibitæ in generali congregatione Die VI. *Februar.* MDLXII.

FERDINANDUS, divina favente clementia, electus Romanorum imperator ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæque, &c. rex, &c. Reverende fidelis nobis dilecte, luce clarius tibi conſtat ſanctum œcumenicum concilium a ſede apoſtolica Tridenti indictum eſſe. Ad quod multorum Chriſtianitatis principum legati, ceterique prælati, patriarchæ, archiepiſcopi, epiſcopi, ac alterius ſtatus, indies pluribus confluentibus, plurimi convenere. Nos qui inter Chriſtianitatis potentatus principem locum tenemus, hoc ſanctum inſtitutum promovere, ac optatum ſaluberrimumque exitum ſortiri ſummopere deſideramus. Quare legatos noſtros jam mittendos, & expediendos alios quoque prælatos ex regnis, & provinciis noſtris, qui per buliam apoſtolicam moniti ſunt, primo quoque tempore iter arripere decrevimus. Te itaque ex Hungaria in perſona noſtra regia, ſingularem ob morum integritatem ac ſcientiarum peritiam, ad ſacrum hoc concilium mittendum ante alios elegimus, committimuſque fidelitati tuæ, ut nulla interpoſita mora vel difficultate, iter maturare, neque expectatis aliis, nimirum Canadienſe, & Tirinienſe, qui ambo pro univerſo clero proficiſcuntur, antecedere, ac ad quintumdecimum diem Januarii inſtantis Tridenti adeſſe debeas. Inſtructionem una cum aliis legatis noſtris es accepturus. (Quod vero ad expenſas attinet, quantum in priori concilio epiſcopus Taurienſis habuit, tantumdem tibi quoque dari ſtatuimus, commiſimuſque camerariis noſtris Hungariæ, ut in præſentiarum ante omnes alios bonam ſummam pro itinere dare debeant) ſecus igitur non feceris. Datæ ex arce noſtra Pragenſi xx. Decembris anno domini MDLXI.

FERDINANDUS.

Reverendo Georgio Draſcovitio, epiſcopo Quinqueeccleſienſi, necnon comitatus Baronien. comiti perpetuo, ac ad ſacrum concilium Tridentinum legato, & conſiliario noſtro, fideli nobis dilect.

XXIV.

ANNO CHRISTI 1562.

XXIV.

ORATIO HABITA A REVEREND. D. Georgio Draſcovitio, epiſcopo Quinqueccleſienſi, auguſtiſſimi D. Ferdinandi, Romanorum imperatoris electi, &c. conſiliario, & pro regno Hungariæ oratore Tridenti in generali congregatione die XXIV. *Februarii* MDLXII.

SI vobis illuſtriſſimi legati, præclaræ domus quæ eſt eccleſia Dei optimi firmiſſimique cardines, huic ſacroſanctæ generali ſynodo divinitus dati, ac donati præſidentes: voſque patres ac paſtores ampliſſimi atque vigilantiſſimi: ſi vobis, inquam, Ferdinandi Cæſaris auguſtiſſimi fides, pietas, vita propemodum angelica, ac in retinenda defendendaque Chriſtiana catholica religione perpetuæ vigiliæ, labores plurimi, indefeſſumque omni tempore ſtudium, jam antea perſpectiſſima non eſſent, crederem equidem, me, ſi hæc ſciens tacerem, non modo accuſandum merito, verumetiam tanquam omnes impietatis limites doloſe tranſgreſſum, jure optimo damnandum eſſe. Verum, quia optimi catholicique Cæſaris ratæ & inauditæ virtutes, vobis notiores ſunt, quam ut a me in medium proferri debeant, hæc tanta tamque præclara, & plane cœleſtia dona, in hoc nobiliſſimo omnium Chriſtianorum principum capite, ſtellarum inſtar micantia, maxima admiratione veneranda rectius, quam oratione etiam ſplendidiſſima celebranda eſſe, merito exiſtimaverim. At, niſi hunc talem tantumque nobis imperatorem Deus, pro ſua benignitate, nobis dediſſet, infelix profecto, infinitis prope malis affligta hæc noſtra tempeſtas, & eſſet, & haberetur. Gratias itaque Deo æterno ſupplex agere debebit, quod illi præter ullum meritum, hic alter Conſtantinus catholicus obtigerit.

Nam per Deum immortalem, nonne verum Conſtantinum, aut eo etiam majorem, dixeris? qui ante aliquot ſæcula hæreſis vel ſchiſmatis injuria collapſas eccleſias, imo vero penitus deletas, hiſce calamitoſiſſimis temporibus, nova liberalique fundatione reſtaurat. Collegia & cœnobia everſa, ſoloque æquata reparat, & nova etiam magna impenſa exædificat. Clerum denique ipſum, una cum orthodoxa religione, in pleriſque locis fere extinctum, non ſine maximis curis, & incredibilibus ſumptibus priſtino ſplendori reſtituere omnibus viribus annititur. Sed ne curioſe magis explicare, quam ſtrictim quædam attingere voluiſſe videar, illud hoc loco dicam, & vere quidem, laudatiſſimi hujus imperatoris cura atque opera perfectum eſſe, ut multorum ſcelere deformata religionis noſtræ facies, ſuum decus, ſuum nitorem recuperare poſſe videatur. Jam vero quantum illud eſt, quod ut Chriſtianos e Turcarum faucibus eripere, eoſque a ſæviſſima illorum tyrannide, in libertatem aſſerere poſſit, nihil eorum, quæ ad hanc rem recte ac laudabiliter gerendam adhiberi debent, omittit: ſed continuis bellis, magnoque ſtudio, incredibili cura, ita ſe impio illorum conatui opponit, ut quod Germani, quod Itali, quod Galli, quod Poloni, quod aliæ prope omnes gentes ſecurius vivant, id ipſi uni ſecundum Deum, acceptum referre debeant. Quis enim eſt in orbe Chriſtiano locus, quem non Turcarum rabies jam olim pervagata eſſet, niſi hic talis tamque pius imperator ſe ſuoſque cariſſimos liberos huic peſti objeciſſet, ejuſque impetum ſolus ex omnibus Chriſtianis principibus ſuſtinuiſſet? Sed hæc ejuſmodi ſunt, ut nullis verbis, nulla ratione ſatis explicari poſſint.

ANNO CHRISTI 1562.

Atque hunc quidem imperatorem omnium virtutum heroicarum cumulatiſſimum theſaurum, ſi vobis patres laudatiſſimi hic coram intueri liceret, verbis exprimi non poteſt, quanto gaudio perfunderemini, viciſſimque ne cogitatione quidem complecti poſſum, quali quamque inexplebili lætitia ſua Cæſarea majeſtas afficeretur, ſi in hoc auguſtiſſimo loco, eum in quo olim paracletus ille Spiritus ſanctus ſub ignitarum linguarum forma viſibilis apparuerat, vere repræſentante, tot doctiſſimorum ac religioſiſſimorum, imo vere apoſtolicorum locum tenentium patrum venerandas facies præſens inſpiceret, certe temperare non poſſet, quin in omnium veſtrum ſancta oſcula rueret. Imo, quo eſt in rem Chriſtianam ſtudio, ipſamet majeſtas ſua huc libenter veniſſet, ſi propter plurimas eaſdemque graviſſimas ſacri Romani imperii, regnorumque & dominiorum ſuorum occupationes, in præſentiarum ſuæ majeſtati id facere licuiſſet. Ne tamen interim quicquam, quod in hac parte muneri Cæſareo incumbit, omitteretur: voluit ſua majeſtas oratores, & commiſſarios ſuos ad hoc ſacroſanctum œcumenicum concilium, tempeſtive, & ante omnes alios Chriſtianos principes mittere, qui & perſonam ſuam referent, & cum plena auctoritate & mandato, nomineque & loco majeſtatis ſuæ celebrationi hujus ſacræ œcumenicæ ſynodi intereſſent.

Quemadmodum hæc, & alia multa præclara, quæ in mandatis habebant, reverendiſſimus dominus Antonius Muglitius archiepiſcopus Pragenſis, & Mag. D. Sigiſmundus a Thun majeſtatis ſuæ Cæſareæ oratores hic præſentes vobis, illuſtriſſimi domini legati, privatim luculenta oratione, copioſe expoſuerunt. Ex his itaque, quæ jam dicta ſunt, antiſtites ſanctiſſimi, manifeſte apparet, quo ſtudio quamque propenſa voluntate ſit ejus majeſtas, in hanc ſacram ſynodum, præſertim vero cum non ſolum ab eo, qui modo univerſam illuſtrat eccleſiam pontifici maximo vere Pio IV. verum etiam ab aliquot ſuæ ſanctitatis prædeceſſoribus pontificibus maximis (piæ memoriæ) magna contentione ſemper petiverit, ut jam tandem majorum ſuorum exempla ſecuti, convocato veteri de more generali concilio, extirpatiſque hæreſibus & veteri eccleſiaſtica diſciplina reſtituta, Chriſti fidelium ſaluti proſpicerent. Quamvis ſanctiſſimus quoque D. N. pientiſſimus paſtor, ſtatim in ipſo pontificatus ſui felici initio, ante alias omnes graviſſimas urgentiſſimaſque curas, hanc data opportunitate, in primis de congregando univerſali concilio, ſpiniſque ex agro dominico reſecandis, pro ſibi innata pietate & ſapientia ultro ſuſceperat. Id quod jam ſanctitatem ſuam laudatiſſime, omniumque Chriſti fidelium mirifico applauſu, re ipſa præſtare cernimus. Pater cœleſtis ſerva hæc orbis lumina, quæ ad conſervandam tuendamque rempublicam Chriſtianam, imo vero pretioſo filii tui domini noſtri Jeſu Chriſti ſanguine acquiſitam eccleſiam virtutibus, pietatiſque ſtudiis cumulata, ita conjuncta eſſe voluiſti, ut alterum in altero cernere liceat.

Quod ſanctitatis ſuæ præclarum, ſummoque pontifice ac paſtore dignum, univerſoque orbi Chriſtiano ſalutare ſtudium, cum non ſine magna

ANNO CHRISTI 1562.

gna animi voluptate Christianissimus imperator videret, sua quoque majestas Cæsarea tanquam primogenitus ecclesiæ catholicæ sedisque apostolicæ addictissimus filius, hoc sacrosanctum œcumenicum concilium, quod in Spiritu sancto rite ac legitime congregatum agnoscit, pro Cæsareo suo munere, quotiescumque res postulaverit, ab omnibus injuriis tueri, manutenere, atque defendere sese promptam ac paratam benigne offert. Quo autem hanc suam voluntatem ejus majestas vobis magis testatam faceret, non solum ut imperator Romanus ac Bohemiæ rex, & archidux Austriæ, hos graves & præstantes, munerique huic obeundo maxime idoneos viros, quos coram cernitis, oratores suos huc mittere dignata est, sed etiam quatenus est rex inclitæ Hungariæ, antiquissimi illius & nobilissimi Christiani orbis propugnaculi, me licet immeritum huic sanctissimæ synodo, nomine suo regio, cum plena authoritate & mandato interesse voluit. Et quamvis literas ejusmodi plenæ authoritatis mandatique vobis nuper exhibere certas ob causas non poteram, locum tamen regi Pannoniæ debitum amplitudines vestræ illustrissimi & reverendissimi non expectatis literis, quas jam ad manus habeo, mihi dandum & assignandum benignissime adjudicarunt, imo absque aliqua mora humanissime assignarunt, & dederunt. Quod amplitudinum vestrarum egregium & memorabile factum, cum vestræ erga catholicum imperatorem, regemque meum sereniſſimum observantiæ & amoris sit illustre testimonium, majestati suæ gratissimum, omnibusque amoris & benevolentiæ officiis pensandum accidit.

Ego vero pro hac amplitudinum vestrarum erga me insigni benevolentia, quum omnia, quæ ad cumulum officii mei spectare cognovero, diligentissime implevero, Deum etiam æternum votis omnibus supplex exorabo, ut vos omnes & singulos hic felices conservet, & post hanc vitam donet eam, quæ nescit temporis modum. Postremo, ut & officio meo, & illustrissimarum ac reverendissimarum amplitudinum vestrarum expectationi satisfaciam, fidemque reverendissimi domini archiepiscopi Pragensis oratoris Cæsarei, nuper pro me interpositam redimam, literas plenæ authoritatis, & mandati regis mei reverenter exhibeo, orans ut & illas in hoc ornatissimo consessu pro recepta jam consuetudine publice perlegi facere, & me cœpta hac sua singulari benignitate, atque humanitate complecti dignentur.

XXV.

RESPONSUM SANCTÆ SYNODI ad oratores Cæsareæ majestatis in eorum comparitione, die VI. *Februarii* MDLXII. *& in sessione secunda* XXVI. *mensis Februarii.*

REVERENDISSIMI domini, adventus dominationum vestrarum magnam huic sanctæ synodo lætitiam attulit, tum propter maximam benevolentiam & observantiam, qua synodus ipsa suam Cæsaream majestatem prosequitur, tum propter eum honorem, qui ei ex hac nobilissima potentissimi atque religiosissimi principis legatione accessit. Quare sancta ipsa synodus dominationes vestras, quas præstanti virtute ac pietate præditas esse non ignorat, lætis amplectitur atque recipit animis. Mandatumque & literas tuæ Cæsareæ & regiæ majestatis in hoc loco lectas & recitatas, quantum de jure debet, admittit.

COMPARITIO SECUNDA Ferdinandi Romani imperatoris electi, pro imperio regno Bohemiæ, & archiducatu Austriæ, & pro regno Hungariæ separatim mandata duo, die VI. *Feb.* MDLXII. *oratio habita ab episcopo Quinqueclesiensi oratore Hungariæ.*

ANNO CHRISTI 1562.

XXVI.

Responsa duo sanctæ synodi.

RESPONSUM SANCTÆ SYNODI in secunda comparitione reverendi domini episcopi Quinqueclesiensis, oratoris Cæsarei pro regno Hungariæ, die XXIV. *Februarii* MDLXII. *& in sessione secunda* XXVI. *Februarii.*

ILLUSTRISSIMI & reverendissimi D. oratores dupliciter sacra synodus reverend. dominationis vestræ adventu exhilarata est, & quod Cæsarea majestas dominationem vestram pro inclyto suo regno Hungariæ hisce negotiis, quæ pro universa Christiana republica suscepta sunt, interesse voluerit, & quod talem virum miserit, cujus in primis prudentia ac consilio adjuta, tot tantisque malis, quibus passim ecclesiæ membra conflictantur, opportuna ac maxime accommodata remedia adhibere se posse magnopere confidit. Cum autem probe intelligat quatenus ex utroque ornamenti ac dignitatis ad suam auctoritatem cumulus accesserit, in primis Deo optimo maximo gratias agit, quod talem Christiano orbi imperatorem sibique advocatum largitus sit, qui malis improborum hominum artibus labefactatam ac prope jam labentem ecclesiam corruere non sinat, sed incredibili virtute & sapientia fulciat ac sustineat. Deinde vero tantum se ejus majestati debere profitetur, ut neque observantiæ, neque studii, quo eam prosequitur, magnitudo ulla satis oratione explicari posse videatur.

Ac quoniam pro summo in ecclesiam studio, præclarisque erga se meritis parem referre gratiam se non posse intelligit, saltem id, quod potest, hoc tempore faciet, Deum maximum supplex orabit, ut in quo Constantini illius magni pietas ac religio, multis aliis virtutibus aucta cumulataque ita elucet, ut universum terrarum orbem clarissima sua luce collustret, eidem quoque Constantini felicitatem largiatur: ut & immanes barbaros Christiani populi cervicibus imminentes longe repellere ac propulsare possit, & ecclesiam in eum statum adducat, ut magna calamitate propemodum oppressa, jam tandem aliquantum respirare ac veluti revivisscere queat. Quod autem sacra ejus majestas favorem atque etiam securitatem ipsi sanctæ synodo polliceatur, etsi de eo nunquam antea dubitavit, tamen gratissimo animo summaque spe recipit, ac quas potest, maximas ejus majestati gratias agit. Ceterum quod privatim ad D. V. reverendissimæ personam attinet, tum propterea quod eam præstanti virtute, prudentia ac pietate præditam esse sancta synodus non ignorat, tum eo etiam quod magnis itineribus, summa cum celeritate primus omnium oratorum in ipso concilii inchoati die huc appulerit, lætis animis recipit atque amplectitur. Postremo, mandata ejus majestatis Cæsareæ & regiæ, quæ reddidisti, quantum de jure debet admittit.

ANNO CHRISTI 1562.

XXVII.

RESPONSUM SANCTÆ SYNODI ad oratores Cæsaris in eorum comparitione die VI. *Februar.* MDLXII. *& in sessione secunda,* XXVI. *Febr.*

REVERENDISSIMI domini, adventus dominationum vestrarum, magnam huic sanctæ synodo lætitiam attulit, tum propter maximam benevolentiam & observantiam, qua synodus ipsa suam Cæsaream majestatem prosequitur, tum propter eum honorem, qui ei ex hac nobilissima potentissimi atque religiosissimi principis legatione accessit. Quare sancta ipsa synodus dominationes vestras, quas præstanti virtute, ac pietate præditas esse non ignorat, lætis amplectitur atque recipit animis. Mandatumque & literas suæ Cæsareæ & regiæ majestatis, in hoc loco lectas & recitatas, quantum de jure debet, admittit.

COMPARITIO ORATORIS Sebastiani Portugalliæ regis die IX. *Febr.* MDLXII.

Literæ.	Mandatum.
Oratio.	Responsum.

XXVIII.

LITERÆ SEBASTIANI REGIS Portugalliæ ad concilium Tridentinum exhibitæ per ejus oratorem die IX. *Febr.* MDLXII. *in congregatione generali, & postea in sessione secunda, die* XXVI. *dicti mensis.*

SACRO œcumenico generali concilio in Spiritu sancto legitime Trideti congregato universalem ecclesiam repræsentanti D. Sebastianus Dei gratia Portugalliæ Algarbiorumque rex, in Africa dominus Guineæ, navigationis, expeditionis, commercii, Æthiopiæ, Persidis, & Indiæ, sinceram obedientiam, & filii devotissimi observantiam offert. Etsi maximo Christi domini servatorisque nostri beneficio regnis, provinciis nostræ ditioni subditis intelligimus, hactenus fuisse concessum: ut pestilentissimorum errorum, qui nostra, patrumque memoria, impia multorum persuasione eruperunt, labe minime contaminarentur: communibus tamen Christianæ reipublicæ malis ita angimur, & ne seditiosæ nefariæque impietatis, longius serpat contagio ita veremur, ut quoniam non aliunde præsentius remedium, quam a sacro concilio poterat expectari, nihil nobis gratius jucundiusque accidere potuerit, quam œcumenici hujus concilii authoritate pontificia repetiti indictio.

Ad eam vero lætitiam quam initio de indictione conceperam, magna accessio facta est: postea quam & qui præessent, & qui adessent cognovi, nam & ampliſſimorum legatorum auctoritas, & præstantissimorum patrum integritas magnam mihi spem sapienter constituendæ a sacro concilio Christianæ reipublicæ præbuerunt. Cui ne deessem, mittendum curavi legatum, qui & meam erga sacrum concilium observantiam præsens testaretur, & quæ a me in mandatis habebat, vobis accurate exponeret. Is est Ferdinandus Martinus Mazcarenius, generis splendore, pietate, integritate, multisque aliis eximiis animi

A dotibus mihi inprimis gratus. Quem spero fore, ut benigne humaniterque excipiatis, & ea fide audiatis, nostro nomine de publicis privatisque rebus agentem, qua & nos, si sacro concilio interesse, & coram vobis eadem, quæ illi in mandatis dedimus, agere licuisset. Sacrum œcumenium generale concilium Spiritus Dei sanctus suam gratiam sanctissimæ synodo largiatur, ut ea statuat atque decernat, quæ & divini nominis gloriam augeant, & totius universalis ecclesiæ commodis conducant. Olyssiponæ III. Calend. Octobr. anno MDLXI.

ANNO CHRISTI 1562.

REYNHA.

XXIX.

MANDATUM SEBASTIANI regis Portugalliæ, in personam sui oratoris, in concilio Tridentino, in ejus comparitione in generali congregatione, nona Februarii, & in sessione secunda, die XXVI. *dicti mensis anni* MDLXII.

SEBASTIANUS Dei gratia Portugalliæ & Algarbiorum rex, citra & ultramare in Africa, dominus Guineæ, expeditionis, navigationis, commercii, Æthiopiæ, Arabiæ, Persidis & Indiæ, Universis & singulis notum facimus, quod confidentes nos multum de fide, integritate, diligentia & industria nobilis viri & in aula nostra liberaliter educati Ferdinandi Martini Mazquarenhas consiliari nostri fidelissimi, designamus, deputamus, constituimus apud sacrum œcumenicum & generale concilium a sanctissimo domino nostro papa Pio IV. & in urbem Tridentinam indictum, & in eadem urbe Deo auxiliante celebrandum, nostrum oratorem, & concedimus illi plenum mandatum & omnimodam potestatem in eodem sacro concilio, dicendi, agendi, proponendi, tractandi omnia, quæ ad prosequendum concludendumque concilium, & nostro nomine cetera agenda, quæ ad ceterorum membrorum cum Romano pontifice catholicæ ecclesiæ supremo præside & Christi vicario, sanctaque sede apostolica omnium ecclesiarum parente & magistra, unionem, hæresum, errorumque extirpationem, & morum reformationem, & reliqua quæ ad catholicæ religionis augmentum, fidei exaltationem, & Christiani nominis hostium debellationem expedire & conducere sacro concilio, & eidem nostro oratori videbuntur: etiam si essent talia, quæ speciale mandatum exigerent: omnia denique, quæ ipsi si præsentes essemus facere possemus. Eaque ita per nostrum oratorem acta, tractata, & conclusa promittimus nos rata, grata & firma habituros. Et quoniam apostolicæ sedis beneficio, trium militiarum, domini nostri Jesu Christi, sancti Jacobi, & de Avis, ordinis Cistercienſis, nostræ regiæ coronæ in perpetuum gubernatio est annexa, & singularum nomine juxta illarum stabilimenta & statuta, etiam ad sacrum concilium ire personaliter, vel sufficientem & idoneum procuratorem mittere tenemur, cum ipsi per nos id facere ad præsens non possumus, eumdem nostrum oratorem, procuratorem cum plenaria potestate, ipsi singularum dictarum militiarum perpetuam administrationem nostræ regiæ coronæ annexam habentes, singularum prædictarum militiarum & nostrum procuratorem etiam deputamus, designamus, & constituimus, ad ea omnia, quamvis specialia & ardua, quæ

ANNO CHRISTI 1562.

ipſi tanquam earundem militiarum magiſtri magni & perpetui gubernatores, ſi præſentes eſſemus, agere, proponere, tractare, concludere poſſemus. In quorum fidem & teſtimonium fecimus præſentes literas ſcribi, & regio noſtro ſigillo, poſtquam noſtra manu ſubſcriptæ fuerint communiri. Olyſſipponæ 28. Septemb. anno domini MDLXI.

RETNHA.

XXX.

ORATIO HABITA SERENISSIMI Portugalliæ Algarbiorumque regis Sebaſtiani nomine, in concilio Tridentino. Die IX. *Februarii* MDLXII.

CUM ad tuendam Chriſtianæ religionis integritatem, ſacrorum conciliorum accommodata ſemper fuerit auctoritas, his tamen noſtris, poſt hominum memoriam, turbulentiſſimis temporibus, quibus & pietatis ſinceritas tot eſt erroribus contaminata, & veteris diſciplinæ ſeveritas omnium fere ordinum luxu cupiditateque diſſoluta, hujus ſacroſancti conventus celebritas ſic omnibus de Chriſtianæ reipublicæ ſalute cogitantibus neceſſaria viſa eſt, ut non alia ratione ſincera religio ſuæ puritati reſtitui, collapſa morum diſciplina inſtaurari poſſe videantur. Et quoniam ſingulari Dei optimi maximi beneficio effectum eſt, tandem aliquando magno animorum conſenſu ut publicus univerſi Chriſtiani nominis conventus pontificia auctoritate in hanc urbem inductus ageretur, confidimus plane futurum, ut quam apud omnes Chriſtianæ pacis ſtudioſos expectationem commovit ſacri hujus venerandique cœtus religioſa majeſtas & amplitudo, non modo perſanatis aliquot religionis vulneribus, impleat, ſed ita ſuperet, ut ſaucio, debilitatoque Chriſtianæ reipublicæ corpori omni ex parte medeatur. Nam ſi quis animo atque cogitatione velit paulo altius repetere eas difficultates, quibus non ſolum noſtra, ſed ſuperiori etiam memoria, ſacri concilii progreſſio fuerit interrupta, facile intelliget & tunc fuiſſe multa, quæ œcumenici concilii ſplendorem obſcurare, & curſum impedire videbantur, & nunc fuiſſe nonnulla, quæ niſi conſtanti ſua prudentia, & pia plane conſtantia ſanctiſſimus pontifex Pius IV. ſuperaſſet, non modo, quam hic hodie ſumma cum voluptate intuemur, Chriſtianæ reipublicæ vivam ſane, & ſuis omnibus propemodum membris expreſſam effigiem, minime haberemus: ſed vix exiguum illius, obſcurumque ſimulacrum cerneremus. Et aliorum quidem pontificum ſtabilis perpetuaque in promulgando, indicendoque ſacroſancto concilio ſententia, vehemens illorum ſtudium erga Chriſtianam Remp. non obſcure declaravit, & conſtantiæ pietatiſque laudem apud poſteros illis conciliavit: qui nullis temporum aſperitatibus perturbationibuſque deterriti, rem toties parum feliciter tentatam divinæ ſapientiæ conſiliis innixi ſibi repetendam judicarunt. Sanctiſſimi vero D. N. Pii IV. pontificis & apoſtolicæ dignitatis faſtigio, & animi ornamentis vere maximi, laudibus, nulla ſane par ullo unquam tempore oratio poterit reperiri, qui ut excellens in Chriſtianam rempublicam ſuæ unius curæ ſollicitudinique divinitus traditam, ſtudium teſtaretur, cum primum fuit pontifex maximus declaratus, ut quod ſalutari auſpicatoque plane nomine pollicebatur, adhibita inveteratis eccleſiæ malis medicina præſtaret, in concilii celebrandi ratione, quo uno remedio omnium mentes ad ſanitatem reduci poſſe videbantur, omnes ſuas curas cogitationeſque ab ipſo ſui pontificatus exordio collocavit.

ANNO CHRISTI 1562.

Cujus cum pios conatus & paternæ pietatis viſcera proſpicerent hi, quos ille & nunciis & amantiſſimis literis in hanc urbem ad œcumenicum concilium celebrandum adhortabatur, convenerunt frequentes, ut videmus & ut ſperamus, non modo illius auctoritate, ſed hujus etiam concilii ſanctiſſimi exemplo celebritateque incitati frequentiores in dies convenient, & hujus ſacroſanctæ ſynodi dignitatem ſua pietate magis illuſtrabunt. Quod ſi œcumenicorum conciliorum auctoritas ſacrarum literarum monumentis non tam eſſet diſerte comprehenſa, qui tamen ſobriæ, ſanæque mentis crederet pio, toto integerrimorum, ſanctiſſimorumque præſulum conventui ſanctum Dei Spiritum defuturum, qui in medio duorum, triumve de pietate agentium, ſe promiſit futurum? Cum vero tanta ſit ſacrorum conciliorum dignitas & religio, ut quæ in illis decernuntur, pro divinis oraculis excipiantur ab omnibus, quis ſibi non facile perſuadeat in omnibus de Chriſtiana religione controverſiis, eam fore veriſſimam ſententiam, quam tot patres matura ætate, ſpectata virtute, exactaque eruditione ornatiſſimi, comprobaverunt, & reverendiſſimi illuſtriſſimique legati, divina quadam ſorte electi, qui pontificio nomine ſanctiſſimæ ſynodo præſident, ſua auctoritate confirmaverint? Tametſi vero facile adducimur, ut credamus in eadem ſententia ceteros pro ſua pietate, & ſapientia futuros, de nobis tamen poſſumus id conſtantius, apertiuſque profiteri, qui ornatiſſimo veſtro conſpectu in tantam Chriſtianæ reipublicæ ſapientiſſimis veſtris decretis conſtituendæ expectationem ſumus erecti, ut non modo veſtra pietate exiſtimemus fore, ut omnes de religione controverſiæ dirimantur, ſed veſtra etiam cenſoria ſeveritate omnium ordinum, ſacerdotumque præſertim, qui ceteris ſcientia, & vitæ integritate prælucere debent, mores ad evangelicæ ſinceritatis normam dirigantur. Quæ qui ſibi ex ſacro concilio non pollicentur, aut quam vim habeant non perſpiciunt, aut cujus auctoritate nitantur, non intelligunt.

Hos quidem fructus, aut uberiores etiam poſtulat a vobis Chriſtiana reſpublica; hos expectat ſereniſſimus princeps Sebaſtianus Portugalliæ, Algarbiorumque rex hujus nominis primus. Qui licet ſuum in Chriſtianam rempublicam ſtudium ſatis vobis crederet perſpectum, & cognitum, ut tamen ſuam erga ſacroſanctum concilium obſervantiam illuſtriore teſtimonio declararet, ornatiſſimum virum, quem videtis, D. Ferd. Martinez Maſcarenium ad hoc ſacrum concilium deſtinavit, non oratorem ſolum, ſed pignus, obſidemque perpetuæ ſuæ erga ſacroſanctum concilium obſervantiæ & pietatis. Quantæ vero curæ optimo religioſiſſimoque principi fuerit œcumenici hujus concilii celebritas, & amplitudo, teſtari apud vos poterunt non ſolum antiſtites Bracharenſis, Coimbricenſis, Lerienſiſque, ſacrarum literarum ſcientia, ſpectata pietate, & vitæ integritate inſignes, qui ſe explicare celerius, & maturius in hanc urbem venire potuerunt, ſed & qui conſtitutis ſuarum eccleſiarum rationibus aderunt ex illius regnis & dominiis, quos omnes Chriſtianæ pietatis ſtudioſiſſimus princeps accurate eſt per literas hor-

ANNO CHRISTI 1562.

hortatur, ut quam diligentiſſime poſſent, ſe ad maturam profectionem componerent, ne vel jubenti, volentique ſummo pontifici ſegnius parere, vel laboranti eccleſiæ ſerius, quam cum eorum pietas, tum periculi magnitudo poſtulabat, adeſſe viderentur. Quæ omnia a ſereniſſimo rege ſtudioſiſſime ſunt curata, partim ut ſuæ erga ſacrum concilium obſervantiæ ſatisfaceret, partim etiam ut clariſſimorum Portugalliæ, Algarbiorumque regum majorum ſuorum religioni, pietatique reſponderet. Quorum res fortiter & feliciter geſtæ, ita ſemper fuerunt cum publica Chriſtianæ religionis utilitate & dignitate conjunctæ, ut tot de fuſis profligatiſque barbaris regibus, victoriis, tot direptis expugnatiſque hoſtium oppidis, tot arcibus in adverſo Numidiæ B Getuliæque littore ad comprimendam barbarorum audaciam, erectis, non tam ſui imperii fines proferre, quam Chriſtianæ religionis gloriam propagare voluiſſe videantur. Incitabantur illi quidem, regii animi excellenti magnitudine, ſed ad nativam, inſitamque eorum propenſionem accedebat aculeus ille, quem Alfonſus primus Portugalliæ regni conditor, & auctor poſterorum regum animis impreſſum reliquit.

Quod ſi apud clariſſimos Portugalliæ reges, tantum valuit exemplum perpetua quadam ſerie veſut per manus traditum, quid vobis, ampliſſimi patres, expectare par eſt a ſereniſſimi regis C Sebaſtiani animo, quem non ſolum ſuperiorum regum illuſtria exempla, ſed recens, ſpiranſque adhuc Emanuelis proavi, Joanniſque tertii avi memoria ad provehendæ religionis ſtudium vehementius accendi? Quomodo enim poteſt vel Emanuelis regis pronepos non iiſdem veſtigiis inſiſtere, vel Joannis optimi, maximique quondam regis nepos, cognita ab omnibus propemodum, qui hic adeſtis, illius pietatis exempla, minime conſectari? Quorum ſubjectis apoſtolicæ ſedis imperio, tot in oriente regnis, provinciis, barbariſque nationibus, ejus gloriam longe, lateque illuſtravit. Hic vero non modo ſubactos ab Emanuele, feliciſſimæ recordationis, rege patre ſuo populos in officio, fideque continuit, ſed D etiam ſtudio diligentiaque perfecit. ut repudiato nefario inanium ſimulacrorum cultu, Chriſtianæ religionis pietate imbuerentur, & noſtræ diſciplinæ ſacra, moreſque libenter ſequerentur.

A quo propagandæ latius noſtræ religionis curſu cum partim finitimorum Africæ regum infeſtis excurſionibus, partim magnis a Solymano ad avertendum noſtrum in oriente imperium miſſis claſſibus ſubinde interpellaretur, illorum quidem audaciam, temeritatemque, graviſſimis illatis damnis, repreſſit. Hujus vero navales copias in ipſo Dii, florentiſſimæ totius Cambajæ regni urbis conſpectu, ita oppreſſit, ut Solymanus purpuratorum ſatraparum apud barbarum & immanem tyrannum gratia & auctoritate E longe maximus, qui claſſi, ſummo cum imperio præerat, multis depreſſis triremibus, laceris, truncatiſque aliquot navigiis, ægre ſit fuga ſalutem conſecutus.

Quæ ideo breviter, curſimque a nobis ſunt commemorata, patres ampliſſimi, non modo ut intelligeretis, quanto ſuorum periculo, & ſumptu ſuo, clariſſimi, proferendæque latius Chriſtianæ religionis ſtudioſiſſimi Portugalliæ reges, non in oppoſitæ nobis Africæ ſolum proximis, ſed in Aſiæ etiam remotiſſimis disjunctiſſimiſque provinciis graviſſima, periculoſiſſimaque bella ſuſceperint, quaque ea vel animi magnitudine geſſerint, vel conſtantia felicitateque confecerint, ſed etiam ut cognoſceretis, eumdem erga A ſanctam ſedem animum, idem ad Chriſtianam religionem amplificandam, propagandamque, ſtudium, eamdem erga hoc ſacrum concilium obſervantiam, eamdem denique pietatem expectandam a ſereniſſimo rege Sebaſtiano, & regia præſtantiſſimæ indolis ſignificatione ad excellentes omnes virtutes propenſo, & domeſticis imaginibus, clariſſimorumque regum illuſtribus exemplis incitato. Qui, quod ſanctiſſimo pontifici, ſuis literis eſt pollicitus, hodie cumulate præſtat, & ſuum ad illuſtrandam hujus ſacroſanctæ concilii celebritatem, ſtudium, vobis ampliſſimi patres, hodierna die per D. Ferdinandum Martinez Maſcarenium ſuum oratorem, virum non ſolum antiqua generis nobilitate, & familia multis Aſiæ, Africæque triumphis inſigni, ſed fide, integritate, ceteriſque ornamentis longe præſtantem effuſe pollicetur. Sperat autem fore, ut quoties cum de publicis Chriſtianæ religionis atque diſciplinæ, tum de privatis negotiis noſtrarum eccleſiarum, quæ ſingulari Dei optimi maximi beneficio, nec ab eccleſiæ Romanæ ceterarum parentis & magiſtræ obſervantia deflexerunt, nec a veteri receptoque ſemel cultu receſſerunt, apud vos illius orator agere volet (quod pro ſua prudentia, non niſi neceſſariis aut gravibus certe cauſis impulſus faciet) vos, cognitis ſereniſſimi regis mandatis, eum pro veſtra humanitate benigne excipiatis.

ANNO CHRISTI 1562.

XXXI.

RESPONSUM SANCTÆ SYNODI datum illuſtriſſimo oratori ſereniſſimi regis Portugalliæ in ejus comparitione. Die IX. *Februarii* MDLXII. *& in ſeſſione ſecunda.*

ILLUSTRIS domine orator, mandatum & literæ ſereniſſimi Portugalliæ regis, quæ modo a dominatione veſtra exhibitæ in hoc ſacro loco recitatæ fuerunt, nec non ea, quæ ornatiſſima oratione expoſita ſunt, huic ſanctæ ſynodo jucundiſſimum nuncium attulerunt, cum declararent eximiam quamdam ac perpetuam clariſſimorum Portugalliæ regum, ac præcipue ſereniſſimi Sebaſtiani regis in Deum pietatem, inſigne in rempublicam Chriſtianam ſtudium, ac ſummam erga hoc œcumenicum & generale concilium obſervantiam, licet nihil novi huic ſanctæ ſynodo allatum ſit. Nemo enim eſt, cui compertiſſima non ſint præclara regum Portugalliæ facinora in Chriſtiana religione, veraque Chriſti fide in orientis partibus propaganda, non minor tamen majeſtati ſuæ, majoribuſque ſuis piiſſimis & clariſſimis regibus laus & gloria hac tempeſtate debetur, quod in his calamitoſis temporibus, tot diſſidiis, totque in eccleſia exortis hæreſibus, regna & ditionem ſuam in orthodoxa fide, eccleſiæque catholicæ unitate (uti vere Chriſtianos principes decet) ſemper conſervaverint, quam in barbaris & idolorum cultui deditis nationibus ad veram religionem traducendis. Quamobrem hæc ſancta ſynodus Deo, & patri domini noſtri Jeſu Chriſti meritas de his omnibus gratias agit, dominationemque veſtram, tum ipſius regis cauſa, tum ob ſingularem ejus prudentiam, ac ſanguinis ſplendorem, grato ac benevolo animo recipit. Regium vero mandatum, quantum de jure debet, admittit.

COM-

ANNO CHRISTI 1562.

COMPARITIO ORATORIS PHILIPPI *Hiſpaniarum, &c. regis Catholici.* XVI. *Martii* MDLXII.

Mandatum. Oratio.
Reſponſum ſanctæ ſynodi.

XXXII.

MANDATUM PHILIPPI HISPANIAR. regis catholici in perſonam ſui oratoris in concilio Tridentino exhibitum, die XVI. *Martii* MDLXII. *& in ſeſſione tertia die* XIII. *Maii.*

PHILIPPUS Dei gratia rex Hiſpaniarum, utriuſque Siciliæ, Hieruſalem, &c. archidux Auſtriæ, dux Burgundiæ, Brabantiæ & Mediolani, &c. comes Habſpurgi, Flandriæ, Tyrolis, &c. Recognoſcimus & notum facimus tenore præſentium univerſis. Cum beatiſſimus in Chriſto pater & dominus noſter, dominus Pius IV. divina providentia ſacroſanctæ Romanæ ſedis pontifex maximus ut his malis & diviſionibus, quibus Chriſtiana reſpublica jam diu vexatur, & religio noſtra tot ac tam diverſis opinionibus impetitur, eo remedio quo ſancta & univerſalis eccleſia uti ſolet, mederetur, & ad veram in fide convenientium unionem omnes Chriſti fideles reducerentur, uti optimus & vigilantiſſimus paſtor, paterque amantiſſimus, omni cura & ſtudio procuraverit, ut œcumenicum concilium quod Trideuti cœptum & per aliquot annos ſuſpenſum fuerat, proſequeretur, atque ad eam rem ejus diplomate ſub datum Romæ apud ſanctum Petrum tertio Kalend. Decembr. anni MDLX. pontificatuſque ejuſdem anno primo, univerſale & œcumenicum concilium Tridentinum, ſublata ſuſpenſione quacumque, Trideuti continuandum denuo indixerit & aperuerit, atque ad diem reſurrectionis dominicæ anni proxime præteriti convenerit, & præfixerit: Noſque tum per literas, tum per nuncios exhortatus fuerit, ut quando præſentes celebrationi ejuſdem intereſſe non poteramus, noſtros ad illud oratores idoneos, qui ibi aſſiſterent, mandare vellemus. Nos, qui ipſius concilii celebrationem, ut catholicum principem decet, tanquam verum & unicum malorum remedium, ardentiſſime deſiderabamus, libenti animo obtulimus nos id facturos, omnemque operam daturos, ut prædictum concilium, quantum in nobis eſſet, non ſolum promoveretur, verum etiam, Deo ductore, ad optatum finem perduceretur.

Nolentes igitur hac in re noſtro officio deeſſe, quin potius omnia ea quæ ad noſtrum munus ſpectant, abunde præſtare & exhibere, ut noſtro nomine in prædicto concilio compareat, noſtraſque partes agat, illuſtrem, fidelem, nobis dilectum dominum Ferdinandum Franciſcum Davalos de Aquino conſiliarium collateralem, locumtenentem & capitaneum generalem noſtrum in ducatu ac dominio noſtro Mediolani, cujus fidei, probitati, religioni, & rerum longæ experientiæ quamplurimum confidimus, oratorem, nuncium & procuratorem noſtrum fecimus, conſtituimus, ac deputavimus, ac tenore præſentium facimus, conſtituimus & deputamus. Dantes ei plenam facultatem, & poteſtatem una cum amplo & libero mandato, citra tamen aliorum noſtrorum procuratorum & mandatariorum conſtitutorum & conſtituendorum revocationem vel præjudicium, ut in dicta civitate Tridentina, & loco in eadem celebrationi concilii deputato, coram reverendiſſimis S. Rom. E. Cardinalibus a beatiſſimo pontifice legatis nominatis & deſtinatis, aliiſque patribus ibidem congregatis, noſtro nomine comparere, prædictæque concilii celebrationi intervenire, eique adeſſe & intereſſe, locumque & vices noſtras in omnibus ſeſſionibus, conſultationibus, deliberationibus & actibus obtinere, atque omnia alia agere, facere, dicere, agere, tractare, procurare & promovere poſſit, & valeat, quæ ex uſu reipublicæ Chriſtianæ & dignitate noſtra fecimus, conſtituimus, ac deputavimus, ac tenore præſentium fore videbuntur, quæque nos ipſi, facere, dicere, gerere & tractare poſſemus, ſi coram præſentes eſſemus, etiamſi talia eſſent, quæ mandatum exigerent magis ſpeciale, quam his expreſſum eſt. Habituri proinde ratum & gratum, quidquid per prædictum oratorem, procuratorem, & mandatarium noſtrum præmiſſo modo, actum, dictum, geſtum, factum & procuratum fuerit, dolo & fraude remotis. Harum teſtimonio literarum, manu noſtra ſubſcriptarum, & ſigilli noſtri impreſſione munitarum. Datum Madriti, die XXVIII. menſis Januar. anno MDLXII. regnorum autem noſtrorum ſexto.

PHILIPPUS.

XXXIII.

GALEATII BRUGORÆ PATRICII Mediolanenſis & regii fiſci patroni oratio, habita Trideuti in concilio patrum, nomine illuſtriſſimi & excellentiſſimi marchionis Piſcariæ, regis Catholici oratoris, die XVI. *Martii* MDLII.

QUOD unum ægrotæ reipublicæ Chriſtianæ remedium eſſe ſemper viſum eſt, patres ampliſſimi, illud omnino fuit, cum indicto concilio ſpes bonis injecta eſt, negocium felix, ac ſalutare a pontificibus, a Cæſare, a regibus una ſuſceptum iri, ut magnis concurſibus omnium gentium ac nationum celeberrimi conventus peragerentur. Ea re Pius quartus pontifex maximus dignitatis reipublicæ Chriſtianæ, otiique amantiſſimus, ut ad bene de omni republica ſperandum, quaſi ſignum aliquod omnibus ſuſtuliſſe videretur, nihil antiquius putavit, quam concilium illud a Paulo tertio pontifice maximo hoc ipſo in loco indictum, retentum animo, remiſſum temporibus, longo intervallo intermiſſum revocaret. Etenim ſi ullum unquam tempus hujuſmodi rem deſideravit, hoc ipſum profecto eſt, quo multæ gentes, ac nationes diſcerptæ, divulſæ, conquaſſatæ ſunt varietate opinionum, & licentia impie diſputandi: Quo multi a Chriſtiana republica aberrarunt: Quo denique omnis prope Chriſtiana civitas inteſtinis malis, ac diſcordiis laborans, multa perdidit, & ornamenta dignitatis, & præſidia ſtabilitatis ſuæ. Quamobrem cum Pius quartus pontifex maximus quaſi bonus parens, & tutor fidelis, curaret ne patrimonium dignitatis reipublicæ a prædonibus nefariis diriperetur, & ſi multa quidem pro illius dignitate, ac ſalute geſſit, quæ orbis terræ judicio, ac teſtamento comprobantur: tamen nihil clarius, nihil glorioſius, nihil denique commendatius effecit memoriæ hominum ſempiternæ, quam quod vos potiſſimum elegit, patres ampliſſimi, qui de ſumma rerum omnium deliberaretis. Nam quod conſilium? quæ mens? niſi ut divina ſapientia veſtra ſedaretis hæc mala, peſſime-

ANNO CHRISTI 1562.

simeque affectam civitatem Christianam sanaretis, firmamque aliquando, ac vegetam redderetis.

Quamobrem vos patres amplissimi quasi oraculum civitatum, quasi moderatores populorum, quasi architecti quidam ac fabri a pontifice maximo estis advocati, ut hic sanctissimæ reipublicæ adsitis, & si illa stet eam muniatis, si labatur erigatis. Cui negotio, cum Philippus rex pius, fortis, ac felix erga Christianam pietatem, justumque hunc ipsius principatum eodem modo affectus sit, quo modo patrem suum prudentissimum, & sapientissimum imperatorem Carolum V. Cæsarem Augustum omnibus temporibus affectum fuisse memoria tenet, libentissime quidem, nisi multis, ac magnis occupationibus distineretur, interfuisset, coramque gravi oratione declarasset, quo studio, quo ardore, qua animi pietate semper fuerit, & hoc tempore maxime sit erga authoritatem sacrosanctæ sedis, totamque rempublicam Christianam; idque eo libentius pietatis. fecisset, ut & ceteri reges, & principes Civitatem ipsius exemplo adducti frequentiores hunc ipsum in locum convenissent, & vos patres amplissimi majore animi alacritate omnia, quæ dilapsa jam fluxerunt, severis legibus vinciretis, & reipublinæ vulnera curaretis. Quibus præter vos, vos inquam, patres amplissimi, mederi nemo potest.

Sed cum multis justisque de causis adesse ipse non potuerit, ex multis heroibus, quorum magnam copiam habet, Franciscum Ferdinandum Davalum marchionem Piscarium elegit, dignumque judicavit, cui munus hoc legationis obeundæ ultro deferret. Qui, & si in nullo ocio, at in summo negotio provinciam Mediolani cum imperio administrat, tamen ab ipso rege, qui cum ante semper, tum hoc vel maxime tempore os, oculos, mentem denique ipsam in unam rempublicam Christianam convertit, jussus est ea omnia, quæ ad sanctissimam religionem pertinent, rebus humanis omnibus anteferre, & huc se quam primum recipere.

Adest igitur Franciscus Ferdinandus a catholico rege missus, & eo nomine, ut & regis personam hoc ipso in loco sustineat, & omnia ejus officia, operam, laborem, copias denique omnes ad amplitudinem vestram conferat. Denique vobis præsto adsit, faveat, prosit quibuscumque rebus rex ipse possit. Etsi enim respublica Christiana majoribus præsidiis tegitur, ac Dei optimi maximi numine ab omnibus insidiis adversariorum defenditur, tamen humanis etiam opibus aliquando contra vim, & scelus visa est eguisse. Etenim idcirco potissimum reges sancti appellantur, & terris a Deo dati sunt, ut & ad rerum temperationem sedeant, & reipublicæ Christianæ non modo excubias, & custodias, sed etiam laterum suorum oppositus & corporum polliceantur.

Primum igitur cum pontifex maximus vigilet, adsit, povideat reipublicæ. Deinde magni animi sint in bonis viris, magna concordia, incredibilis conspiratio, Deus denique ipse immortalis ac præpotens huic suo populo Christiano, huic clarissimo imperio, huic pulcherrimæ reipublicæ auxilium continenter ferat, non est desperandum fore, ut vos, patres amplissimi, non modo labenti Christianæ reipublicæ subveniatis, verumetiam in veterem libertatem, & dignitatem vindicetis. Ipsa certe, quæ nuper crescentibus malis, quæ ipsam interimunt, capiti, salutique suæ prope desperare videbatur, & miseris temporibus ac perditis moribus afflicta, & oppressa jacebat, nunc tandem aliquando bene sperare, freta præsertim medicina consiliorum vestrorum, salutaribusque auxiliis cœpit. Confidit enim se veteris morbi gravitatem vobis curatoribus depulsuram: confidit a novis tentationibus vestra diligentia liberam futuram: Confidit denique antiquum robur, ac corporis firmitatem brevi recuperaturam. An vero cum sciat vos, quos non tanquam aliquos ex Roma missos, sed de cœlo delapsos intuetur, in loco tam excelso pulcherrime sedere, & ad defensionem suam stare, non sese excitet? non sese erigat? non caput extollat?

ANNO CHRISTI 1562.

Quæ cum ita se habeant, facile omnes in eam spem ingrediuntur, fore, ut omnes qui fortasse aliquo modo aberrarunt, redeant in viam, & veritas multis incommodis debilitata, tandem opera, & æquitate vestra recreetur, & locum, in quo consistat, reperire possit. Postularet fortasse hoc loco magnitudo rei, expectatio vestri, quæ mirabilis est, ut Franciscus Ferdinandus commoneret vos, patres amplissimi, ut in hac turbulentissima tempestate reipublicæ, in tam gravibus cogitationibus vestris omnia diligentissime dispiceretis. Sed cum secum ipse consideret incredibilem sapientiam vestram, ac prope divinam, nullamque rem tantam esse ac tam difficilem, quam vos, non & consilio regere, & integritate tueri, & virtute conficere possitis, nihil sibi temere faciendum esse putat, nihil vos cujusquam monitis egere arbitratur. Videt vos quasi in vigilia quadam manere, nec usquam discedere, nec a republica dejicere oculos, ex eo die, quo in hoc concilium convocati estis. Videt in tantis tenebris erroris a Deo optimo maximo clarissimum lumen præferri mentibus vestris. Videt animos vestros reipublicæ conservandæ cupiditate sua sponte incensos, ab eodem inflammari. Intelligit vos nihil neque cupide, neque temere, sed omnia, & sapienter, & fortiter administrare: Intelligit vos ab omnibus ceteris cogitationibus ad unam salutem communem conferri: Intelligit denique vos cogitationes, & mentes vestras in hoc uno fixisse & locasse, ut rempulicam constituatis, & in pristinum gradum restituatis.

Quæ omnia cum videat, & quantum in vobis fuit, præclare jecisse vos jam fundamenta stabiliendæ reipublicæ, & eam suavissime nunc a vobis tractari, arte, quæ lenit, non exasperat, sanat, non ulcerat: movet, non perturbat animos hominum, & in posterum nulla vos in re, muneri vestro defuturos esse. Unum illud restare putat, ut in proprio suo officio permanens, Philippi maximi, & potentissimi regis nomine studium, officium, operam, gratiam, authoritatem, copias denique omnes vobis, patres amplissimi, sine ulla exceptione, aut laboris, aut occupationis, aut temporis polliceatur ac deferat.

XXXIV.

RESPONSUM SANCTÆ SYNODI in admissione oratoris Philippi Hispaniarum regis Catholici XVI. *Martii* MDLXII. *& in sessione* III. *die* XIV. *Maii*.

ETSI, Franciscе Ferdinande marchio excellentissime, pium studium invictissimæ Austriæ domus, atque animi propensio erga rempublicam Chri-

ANNO CHRISTI 1552.

Christianam, veramque Christi religionem Romanis pontificibus, sanctæque sedi spectata, atque probata semper fuit: hoc tamen potissimum tempore catholici potentissimique Philippi regis, cujus personam merito legatus sustines, promptus, paratusque animus in vera religione, quæ ad paucos redacta est, conservanda: & a tot impietatibus revocanda, adeo exoptatus, adeo jucundus sacræ huic generali synodo extitit, & omnium animos erexit, ut spem certam attulerit, Christianæ reipublicæ graviter quidem ægrotanti, salutare remedium, magnaque ex parte convulsæ, atque collapsæ, verum, firmumque subsidium afferri posse, præsertim Pio quarto pontifice maximo pastoreque vigilantissimo duce, & auctore, qui e Romana sacra illa, & non violabili specula, salutare, & expectatum concilii signum erexit, Tridentumque remisit, quo Christi oves a feris apris dispersas, & immanium luporum faucibus crudeliter absorptas, ad Christi tandem gregem nostris humeris, nostris, inquam, humeris patienter, mansueteque portaremus: Ferdinando Cæsare optimo Romanæ ecclesiæ primogenito, regibus, Christianisque denique principibus, quorum hic frequentes, insigneſque legatos adesse cernimus, fautoribus, beneque juvantibus, o quorum numero facile princeps Philippus rex Caroli quinti Cæsaris invictissimi, cujus memoria in benedictione est, & omnibus virtutum numeris cumulatissimi, ut aliarum heroicarum virtutum, ita etiam veræ religionis verissimus hæres, & imitator, omnem operam, studium, industriam, facultates, omnem denique corporis sui laborem benignissime polliceatur, & si opus fuerit, fideliſſime præstabit, quem ita pium, ita sanctum, vereque regium animum, atque studium generalis hæc sancta synodus ita libenter tota mente amplectitur, ita merito laudat, & extollit, ita jure lætatur, & in eo conquiescit, ut magnas quidem gratias potentissimo, Christianique nominis firmissimo propugnaculo, atque vindici per me omnium patrum nomine agi voluerit: Tibique etiam, Davale princeps clarissime, vel multis tuis nominibus, vel honorificæ hujus legationis nomine plurimum debere fateatur. Atque omnia, quæ ad ipsius justissimi, pientissimique regis honorem, auctoritatem, dignitatem pertineant, quantum licuerit, libentissime pro suis meritis sancta synodus præstabit, Deumque optimum maximum obsecrat, ut talium, tantorumque regum, ita pios animos, ita pro Christi fide, veraque religione accensos, atque inflammatos perpetuo conservare, ac tueri liceat. Mandatum vero regium quantum de jure debet, admittit.

o Nondum aderant legati Christianissimi Francorum regis Caroli IX. ecclesiæ catholicæ filii primogeniti: nec mirum ergo quod ea utantur verborum formula.

COMPARITIO ORATORIS COSMI ducis Florentiæ & Senarum. Die XVI. *Martii* MDLXII.

Literæ.	Mandatum.
Oratio.	Responsum.

XXXV.

LITERÆ DUCIS FLORENTIÆ ad generosissimos legatos exhibitæ per ejus oratorem, die XVI. *Martii* MDLXII.

Reverendissimi & illustrissimi domini, patresque omni veneratione colendissimi,

CUM summo affectu, summaque pietate jam inde a majoribus nostris sanctam sedem apostolicam, summosque pontifices Jesu Christi domini nostri vicarios, & catholicam ecclesiam in fide ac sinceritate patrum nostrorum coluerim semper ac studiose observaverim: officii ac reverentiæ meæ fore arbitratus sum, ne in sancta ista tantorum patrum universali synodo, auctore Deo, summoque pontifice pientissimo, congregata, cessare: quin pro virili mea per Joannem hunc studiosissimum legatum nobilitate natalium, fide, moribus ac doctrina insignem reverendissimis atque illustrissimis DD. vestris adessem, qua optimum sanctæ catholicæ, atque apostolicæ fidei alumnum decet promptitudine, atque obsequio: Hunc ego quæso, amplissimi patres, ut æquis animis, atque auribus reverendissimæ & illustrissimæ DD. vestræ accipiant integra in his, quæ ex mandatis exponet, tractabitque fide non secus ac me ipsum coram audirent: sibique ipsæ persuadeant, fortunas nostras universas in præclaro isto negotio, in earum potestate ac nutu fore promptissimas. Quarum votis & actionibus Deus ac dominus noster Jesus Christus adsit, & faveat precor: meque illis summopere commendo. Pisis, &c. Calend. Maii MDLXII. Earumdem reverendissimarum & illustrissimarum DD. VV. deditiss.

Cos. Med. Florentiæ & Sen. dux, reverendiss. & illustriss. dom. patrib. observand. S. Rom. eccl. card. apost. de latere legatis in concilio Tridentino præsidentibus.

XXXVI.

MANDATUM ILLUSTRISSIMI domini Cosmi Medices Florentiæ & Senarum ducis in personam sui oratoris in sessione III. *itidem* XIV. *Maii* MDLXII.

COSMUS Medices Dei gratia Flor. & Senar. dux secundus, &c. Universis has patentes literas inspecturis salutem, ac sinceræ dilectionis affectum. Sane jam inde ab administratione quam gerimus, divino favore susceptа, officii nostri esse cognoscimus, more institutoque majorum S. cathol. atque apostolicæ ecclesiæ, cujus fidem pietatemque profitemur, vestigiis atque obsequiis studiose, ac reverenter insistere: atque eo ferventius, quo graviorum negotiorum curarumque solicitudo, & pondus incumbit, ut in præsenti convulsæ religionis, morumque lapsorum discrimine imminere comperimus. Quapropter, ut nostri perpetuo similes, ejusdemque voluntatis, ipsi quoque pro virili nostra pio huic muneri adesse videremur, nobis virum nobis dilectissimum Joannem Strozium fide, probitate, atque eruditione præclarum, ipsisque rerum experimentis probatum, ad sacrosanctam Tridentinam synodum, Deo auctore, ac sanctiss. N. D. summo pontifice pientissimo congregatam, destinavimus cum mandatis. Eumdemque item nuncium, procuratoremque nostrum ac negotiorum gestorem dicimus, constituimus, atque harum patentium literarum serie deputamus, ut nostro scilicet nomine, nostraque possit auctoritate, quoties oportuerit reverendissimis illustrissimisque sedis apostolicæ legatis amplissimorumque patrum sacrosancto concilio, ipsorum cuilibet adesse, atque in sessionibus, congregationibus, & extra: & in omnibus tam celebri negotio quomodolibet opportunis & expedientibus adsistere, intervenire, prosequi, & obsequi: Cum Cæsareæ quoque majestatis & sereniſſimorum regum ac sublimium principum legatis

ANNO CHRISTI 1562.

gatis, nunciis, negotiorumve gestoribus, & eorum quolibet quoties expedierit, ipsique Joanni procuratori placuerit ea, quæ sanctæ Trinitatis, Deique ac domini nostri Jesu Christi gloriam cultumque ac sanctæ matris catholicæ atque apostolicæ ecclesiæ fidem, unitatem, auctoritatem, puritatemque respiciunt, profiteri, promovere, suadere, agnoscere, & acceptare, ceteraque ad hæc pertinentia gerere, tractare, & explicare. Etiamsi nominatim nuncupanda & specialiori nota censenda essent, plena videlicet ac libera ipsi potestate per nos attributa. Cujus acta, gesta, tractata & explicata quæcunque fuerint bona fide, rata nos & grata, perpetuo jure, atque optimo recipimus & profitemur. Datæ in ducali nostra civitate Pisarum, anno MDLXII. indictione quinta, Nonis Aprilis more Florentino.

Cos. Med. Florentiæ & Sen. dux.

XXXVII.

ORATIO HABITA A MAGNIFICO domino Joanne Strozio oratore illustrissimi Cosmi Medicis ducis Florentiæ & Senarum, in ejus comparitione die XVI. Martii MDLXII.

* f. 9. Mart.

COSMUS Medices Florentinorum & Senensium dux, & dominus meus, optimi atque iidem amplissimi patres, cum sit Christianæ religionis omnium maxime studiosus, & Romani pontificis atque apostolicæ sedis auctoritati plurimum semper tribuerit, cum ipse inquam, præsenserit tot dignissimos sacrorum antistites, ejusdem pontificis voluntate summa, atque consensu in hanc urbem Tridentinam ideo convenisse, ut sacrum œcumenicum & generale concilium celebraretis: atque ita permultos, qui nunc rapti varios in errores a fide catholica desciverunt, ex illis novis opinionibus moveretis, consiliisque vestris ad vitam pie sancteque traducendam dirigeretis, huc me misit, ut vobis universis, sapientissimi patres, declararem sui ipsius animi singularem voluntatem, ad ea validissime pertractanda, atque adeo perficienda, quæ in primis ad Dei optimi maximi laudem, honorem & gloriam, ac totius suæ ecclesiæ utilitatem, conservationemque potissimum spectarent. Vobis, item ad hunc præclarissimum cœtum auctore & duce Pio IV. pontifice maximo profectis, omnia prolixe polliceretur, quibus huic tanti momenti, & ponderis negotio adjumento esse valeret.

Quod ipsum hoc majus ac dignius a bonis omnibus haberi etiam debet, quo magis circa actionem aliarum omnium humanarum honestissimam, perfectissimamque versatur, quando ea vis est nostræ cognitionis, atque intelligentiæ, quæ quidem absolutior, eademque perfectior, si nunc philosophantibus hominibus fidem tribuere velimus, sane videtur, cum obscurata nullis est insciticæ tenebris, atque caligine, sed ab omni procul credendi vanitate alienum quicquid ipsa jam percepit, ita etiam plane continet, atque ita intelligit, id quod a Christiana doctrina quæ quidem altius sese extollit, minime alienum esse arbitror: quandoquidem non sola veritatis inquisitio, sed etiam Dei ejusdem veritatis gravissimi auctoris, & magistri contemplatio est: quicquid summi boni, quicquid summæ felicitatis, quicquid demum requietis a Christi fidelibus optari, haberique possit. Hæc inquam veritas si juxta priscorum rite philosophantium virorum sententiam, in iis, qui perditis essent moribus, atque sceleribus contaminati haudquaquam poterat reperiri: quanto facilius quæ sanctissimi & religiosissimi homines suis ipsi monimentis commendarunt, id nobis patefaciunt. Omnes etenim, quæ extant sacræ literæ nos utramque edocent. Sed magna mea nimirum esset audacia, si in tot eruditissimorum consessu, nunc ego id pluribus verbis velim differere: quod cum veteris, tum novæ scripturæ memoria apertissime nusquam non explicatur omni asseverationc affirmando, Christum Jesum, ut nos quoque maleficii genere contaminatos ablueret, nostram hanc induisse humanitatem, & utramque nos veritatem docuisse. Verum hæc omnia missa nunc faciam, dicamque quod si in cognitione veritatis vis omnis, ac notio nostræ ipsius intelligentiæ potissimum consistit, profecto ejusmodi veritatis cultores in hac vita aliorum omnium beatissimi, & felicissimi habendi sunt, contraque prorsus miseri & infelices illius expertes, qui nihil loci rationi & consilio relinquentes pravas multis de rebus animo opiniones imbibunt, atque in illis acquiescentes de sanitate mentis impendio magis deturbantur, quam qui misero diuturnoque morbo interdum affliguntur; iis igitur si magnæ pietatis esset medicinam adhibere, & corporis incolumitati consulere, multo majoris etiam foret illorum animis salutem afferre, & ad integritatem, innocentiamque adducere. Quod opus tanto majus plane habetur, quanto est anima præstantior corpore: quantum denique æternitas mortalitatem superat.

Hujus rei causa, Pius ille pater sanctissimus & verus animarum nostrarum pastor & custos, non immemor, quam eximio, quam singulari studio, ac voluntate, eas sibi Christus commendaverit, cum dixit Petro primo sui vicario, & deinceps omnibus iis, quibus sanctarum clavium munus divino numine tradere ar, si me amas, pasce oves meas: Cum ille Christianæ religionis conservator intelligat, quanta ingluvie lupus insatiabilis palam quotidie magis irrumpat in Christianum gregem, neque sibi sit quicquam deliberatius, quam illum quacumque ratione possit funditus dissipare, quandoquidem post semen illud bonum, quod Christus antea sparserat, quod apostoli ipsius imitatores, quod etiam alii integerrimi homines, in quibus quasi lumen quoddam, sanctitas admirabilis continenter eluxit, summa diligentia auctum in Christiana republica conservare studuerunt: Venit inimicus homo, & superjecit zizania, quæ cum in dies singulos accrescant, jactum ab initio semen bonum, suffocare plane videntur: quamobrem, inquam, Pius IV. pontifex maximus, ut hanc nefariam pestem ac perniciem a nobis depellat, concilium hoc peragere semel induxit animum, ubi vos & vitæ innocentia, & eruditionis magnitudine viri admodum insignes, de vera sinceraque Christi doctrina commonefaciatis, atque illa etiam evangelii dogmata planissime explicetis, & quæ tandem præcepta a Christi fidelibus tenenda sint, declarare non prætermittatis.

Necnon quæ consiliis vestris atque suffragiis, sed Spiritu sancto impulsores, & auctore confirmata, certa, & rata esse præcipue decreveritis,

ANNO CHRISTI 1562.

ritis, ut fideliter, ut religiose, ut sapienter facta auctoritate atque judicio maximi pontificis comprobentur: Non ut alia veritas ab illa quam viri catholici omnes coluerunt, renovetur, sed ut rursus indicetur iis, qui sese ab eadem temere nimis removentes, variisque imbuti erroribus, suaque in sententia obstinatione quadam incredibili constantes, latum unguem de illa decedere tergiversantur: hujus tanti ac præclari muneris functioni Deus omnium rerum sapientissimus distributor, vos amplissimos, & religiosissimos antistites proposuit, Pius autem pontifex, uti fidelis administer, & verus Christi vicarius, hoc unum assidue cogitat: hoc unum sedulo quærit: hoc unum potissime studet: dissipatum videlicet domini sui gregem congregare, & oves grandi profecto macie jam confectas, læta in pascua reducere, & omni prorsus calamitate liberatas summo cunctarum rerum conditori, vestra tamen ope adjutus, tandem restituere.

Qua de re pluribus differere consulto jam omittam, quo negotia, quæ gravia satis in hoc celeberrimo conventu obituri estis, minus impediam, illud tamen attingam, quod Cosmus princeps & dux meus ad vos patres optimi adlegavit me, ut ejus nomine deferrem se Pio pontifici maximo esse conjunctissimum, seque in ea sacri concilii hujus bene & feliciter peragendi voluntate perpetuo secum, atque etiam vobiscum esse mansurum: ut igitur in tanto negotio explicando curam omnem, cogitationemque ponatis, pro illa summa observantia, qua unumquemque vestrum studiosissime colit: Vos etiam atque etiam cohortatur, & omnibus precibus item petit, in hanc rem unam (id quod omnes ad unum perlibenter vos esse facturos jam sibi penitus persuasum est) toto pectore incumbatis: & quemadmodum Pio IV. suas olim opes, facultates & copias omnes obtulit, ut dignitati pontificiæ consuleret, & Romanæ sedis majestatem, sicubi opus esset, conservaret; ita & nunc vobis hic divino numine congregatis nullum finem facit offerendi sui, si modo hæc res in primis honesta & maxime salutaris, in qua una totius Christianæ reipulicæ summa disceptat, ex omnium bonorum animi sententia demum conficiatur, & Christiani nominis honor, & existimatio augeatur. Cujus eximiæ voluntatis ut amplissimum testimonium tribueretur, non modo misit me huc, sed ut nusquam a vobis ego discederem, etiam imperavit, ut quandocumque me conspiceretis, ejus animum promptum, & alacrem esse ad rem istam modis omnibus adjuvandam, & defendendam statim recordaremini.

A B C D

XXXVIII.

RESPONSUM SANCTÆ SYNODI in admissione oratoris illustrissimi domini Cosmi ducis Florentiæ & Senarum, in generali congregatione die XVI. *Martii* MDLXII. *in sessione tertia* XIV. *Maii.*

QUAM optatus & jucundus sanctæ synodo adventus sit iste tuus, præstantissime orator, ex maxima hilaritate atque lætitia, quæ in te accipiendo, sese affectam esse declaravit, plenissime animadvertere potuisti: quippe quæ perspectum habet studium illustrissimi amplissimique ducis, qui te huc legatum misit, de catholica ecclesia, ac de sanctissima sede apostolica bene merendi. Neque enim de hujus principis propensa in dignitatem, tranquillitatemque reipublicæ Christianæ voluntate dubitandum est. Cum ex ea familia Cosmus Medices prudentissimus princeps, omnibusque animi, ingeniique ornamentis cumulatissimus, originem ducat, quæ duos quidem ante hac pontifices maximos, eosque sapientissimos, Leonem decimum, & Clementem septimum, ecclesiæ dederit. Nunc autem Pius IV. qui noctes & dies nihil aliud cogitat, quam tranquillitatem, pacemque ecclesiæ universæ, salutem omnium Christianorum, impietatis eversionem, pietatis incrementum. Quas ob res concilium œcumenicum in hunc locum, omni industria, omni diligentia, omni denique opera convocandum curavit. Hæreditaria itaque Florentini, Senensisque principis hæc laus est, sed illa certe propria, quæ nunquam satis commendari potest, quod hac temporum infelicitate, hac rerum omnium perturbatione, majorum suorum pietatem non modo servat, verum etiam auget.

ANNO CHRISTI 1562.

Quod autem synodum hortatur ad veritatis lucem explicandam, quam apostoli, & post eos sanctissimi patres docuerunt, facit pie ille quidem, atque ut decet principem Christianum. Verum hoc velit sancta synodus, sibi ille persuadeat, se in eam causam toto pectore incumbere, eam operam enixe dare, in id omnes suas curas, cogitationesque conferre, neque labori parcere, neque incommodi quicquam devitare, ut sanctissimo pontifice auctore, ac duce optimo, imperatore favente, potentissimis regibus, principibusque adjuvantibus, necnon sapientissimo duce, cujus hoc loco personam geris, clarissime legate, opem afferente, ignorantiæ tenebris depulsis, verique perspicientia patefacta, omnis dissensio discordiaque tollatur. Quodque ad id dux ipse suas opes, facultates, copias denique omnes pollicetur; studium illud suum erga religionem, Christiano principe dignum, de quo dixi non esse dubitandum, plane declarat. Quas ob res ipsa synodus pro singulari ejus prudentissimi principis erga summum pontifiem voluntate, pro summa erga ecclesiam pietate, pro incredibili erga se animi propensione, maximas ei gratias agit, & habet; rogatque etiam atque etiam, ut secum rempublicam Christianam, quemadmodum pollicetur, toto animo complectatur. Te vero huc accessisse, orator præstantissime, mirifice lætatur. Cum de tua virtute ea sibi promittat, quæ congruunt tam pii, sapientisque principis legato. Atque illi ipsi nimium in modum gratulatur, quod viro tam solerti, tam navo, tam industrio, tam denique literis erudito, legationem earum rerum causa detulerit. Sperat enim divino Spiritu afflante, ea mente, eoque consilio te fore, ut secum sensurus sis, quæ illa eodem spiritu afflata constituenda esse censuerit, atque libentissimo animo complexurus. Mandatum vero, quod ille tibi ad se dedit, ita accipit, ut juris est.

E

COMPARITIO ORATORUM reipublicæ Venetorum die XXV. *Aprilis* MDLXII.

Literæ. Mandatum.
Responsum sanctæ synodi.

ANNO CHRISTI 1562.

XXXIX.

LITERÆ REIPUBLICÆ VENETORUM ad ſacrum Concilium exhibitæ ab ejus oratoribus. Die XXV. *Aprilis* MDLXII. *in congregatione generali, & in ſeſſione tertia, die* XIV. *Maii.*

SAcroſancto œcumenico & generali concilio in Spiritu ſancto Tridenti legitime congregato, Hieronymus Priolus Dei gratia dux Venetiarum, &c. commendationem & omnimodam reverentiam. Cum Pio IV. digna Dei providentia ſacroſanctæ Romanæ ac univerſalis eccleſiæ pontifice maximo (ut Chriſtiani gregis incolumitati, ſalutique conſuleret) univerſale placuerit in iſta urbe Tridento haberi concilium, quod ſanctum & venerabile omnibus ſemper habitum eſt, ac propterea eo mandaverit convenire tot ſingulari ſapientia ac religione præditos viros, qui Chriſtianam diſciplinam divina inprimis aura favente in ſuam reſtituant integritatem, ad nos etiam pertinere viſum eſt pro ſumma noſtra in Chriſtum ſervatorem ac dominum pietate, ac juvandæ religionis deſiderio, proque ea, qua eumdem pontificem maximum Chriſti vicarium in terris gerentem proſequimur obſervantia, quæ omnia a majoribus noſtris edocti, perpetuo retinere & volumus & debemus, præter eccleſiaſticos noſtræ ditionis viros, quos iſtuc ſe quamprimum conferre curavimus, noſtros certos & graves homines eodem legare, qui noſtro nomine ſancto iſti concilio interſint ac faveant. Itaque primarios de noſtra nobilitate viros, eoſdemque integros & ſapientes, Nicolaum de Ponte doctorem & equitem, ac Matthæum Dandulum equitem, oratores noſtros mittimus eamdem ob cauſam, rogamuſque illuſtriſſimas ac reverendiſſimas dominationes veſtras, voſque ceteros reverendos patres, qui omnes in Spiritu ſancto congregati, ſacroſanctam iſtam œcumenicam ſynodum conficitis, ut iis oratoribus noſtris eam fidem omnibus in rebus adhibeatis, quam nobiſmetipſis, ſi præſentes eſſemus, coramque loqueremur, adhiberetis. Datæ in noſtro ducali palatio, die XI. Aprilis, indictione V. MDLXII.

XL.

MANDATUM REIPUBLICÆ Venetiarum, in perſonam ſuorum oratorum, exhibitum in ſeſſione tertia, XIV. *Maii* MDLXII.

HIeronymus Priolus Dei gratia Dux Venetiarum, &c. Cum ſanctiſſimus & beatiſſimus in Chriſto pater & dominus noſter, dominus Pius IV. digna Dei providentia, ſacroſanctæ Romanæ ac univerſalis eccleſiæ pontifex maximus, ut iis diſſidentium opinionum malis, quibus Chriſtiana religio jamdiu vexatur, eo remedio, quo ſancta & univerſalis eccleſia uti ſolet, mederetur, & ad veram in fide concordiam omnes Chriſti fideles reduceret, œcumenicum & generale concilium Tridenti celebrari voluerit, noſque inter alios Chriſtianos principes & potentatus, ut hujuſmodi ſancto operi faveremus, & ad ſacroſanctum ipſum generale concilium oratores noſtros idcirco mitteremus, paterna caritate ſit hortatus. Nos juvandæ religionis deſiderio, ac pro ſumma noſtra in eumdem pontificem maximum Chriſti vicarium in terris gerentem obſervantia ſedulam adhibuimus operam, ut eccleſiaſticos noſtræ ditionis viros, doctrina, religione, ac vitæ integritate præſtantes, ſeſe Tridentum quamprimum conferrent, & cum ipſimet adeſſe nequeamus, primarios etiam de noſtra nobilitate viros, eoſdemque integros & ſapientes, Nicolaum de Ponte, doctorem & equitem, & Matthæum Dandulum equitem, oratores, nuncios, & procuratores noſtros ad ſacroſanctam ipſam œcumenicam ſynodum fecimus, conſtituimus, & deputavimus, ac tenore præſentium facimus, conſtituimus, ac deputamus, dantes eis & utrilibet eorum omnibus melioribus modo, via, jure, & forma, quibus poſſumus & debemus, plenam & omnimodam facultatem & auctoritatem cum libero & amplo mandato, ut ejuſdem concilii celebrationi noſtro nomine adeſſe & intereſſe, ac vices noſtras in omnibus ſeſſionibus & congregationibus gerere, eaque omnia agere, dicere, & procurare ad veræ Chriſti ſervatoris noſtri fidei & religionis concordiam, decus & dignitatem ſpectantia poſſint & valeant, quæ noſmetipſi agere, dicere & procurare poſſemus, ſi præſentes eſſemus, etiamſi talia forent, quæ mandatum exigerent magis ſpeciale quam præſentibus eſt expreſſum, habituri proinde ratum & gratum quicquid per dictos oratores, nuncios & mandatarios noſtros modo præmiſſo, & quo ſupra nomine actum, dictum, & procuratum fuerit. In quorum fidem & teſtimonium præſentes literas noſtras in hac patenti forma fieri juſſimus, & noſtri ſoliti ſigilli, quo in ſimilibus utimur, appenſione muniri. Datæ in noſtro ducali palatio die XI. Aprilis, indictione quinta MDLXII.

ANNO CHRISTI 1562.

XLI.

RESPONSUM SANCTÆ SYNODI in admiſſione oratorum reipublicæ Venetorum, die XXV. *Aprilis* MDLXII. *& in ſeſſione tertia* XIV. *Maii.*

NOn poteſt ſancta ſynodus non incredibilem lætitiam & voluptatem capere, maximaſque Deo immortali gratias habere, cum tot nobiliſſimis legationibus hunc ſacrum & legitimum conventum augeri & honeſtari videat. Nam cum a Pio IV. pontifice maximo, cujus ſapientia & vera in Deum pietas nunquam ſatis laudari poterit, ſacroſanctum hoc generale concilium ad catholicæ eccleſiæ pacem & dignitatem vel conſtituendam vel recuperandam convocatum fuerit, non ignorat quantum præſidii ad divinæ ejus mentis cogitata perficienda, omnium Chriſtiani orbis gentium & populorum conſenſus & conſpiratio afferre poſſit. Verum ita vobis, oratores ampliſſimi, ſancta ſynodus perſuaſum eſſe vehementer velit, illud ſibi in optatis ſemper maxime fuiſſe, ut quam antea Veneta reſpublica in tuenda Dei eccleſia alacritatem oſtendiſſet, quamque in ea mentem & voluntatem eſſe difficillimo hoc reipublicæ Chriſtianæ tempore dubitare non poterat, eamdem etiam miſſa hac legatione, omnibus declararet, quam ſtatim indicto concilio, ſenatus veſtri auctoritate decretam fuiſſe in ore omnium atque ſermone poſitum erat. Ac profecto in eo concilio, in quo de componendis eccleſiæ diſcordiis ac morum diſciplina reſtituenda ageretur, Veneti nominis in orbe terrarum clariſſimi auctoritas & amplitudo deeſſe non potuit. Nam præter alias innumeras virtutes, quas in reipublicæ adminiſtratione veſtri

ANNO CHRISTI 1562.

prudentissimi cives melius expresserunt, quam ulli sapientes homines ratione & præceptis tradiderunt, nihil unquam diligentius, quam veram pietatem & religionem coluistis, atque ad pacem & concordiam conservandam, & cum dignitate retinendam, omnes curas & cogitationes contulistis. Neque vero alia vobis studia sanctiora & antiquiora ulla esse debent, ut qui a præclaris iis majoribus orti & procreati estis, qui cum in misera illa totius Italiæ vastitate, mirandæ urbis nostræ fundamenta jacerent, non tam illi quidem sibi ipsis videntur ocii & securitatis profugium quæsivisse, quam pacis & tranquillitatis publicæ sedem stabilem & domicilium certum collocasse. Nam quod ad religionem attinet, hæc vestræ beatissimæ reipublicæ, hæc, inquam, vera, summa & propria laus est, quod fidem Christi non accepit, sed in ea nata & pie educata, eam deinceps per tot sæculorum ætates puram atque integram sancte & religiose conservarit: ita ut quam late Venetorum imperium & ditio pateat, nusquam ullum peregrinæ doctrinæ vestigium, nusquam interruptus orthodoxæ fidei cultus appareat, ubique sanctitas, ubique religio, & catholicæ ecclesiæ disciplina atque institituta plurimum vigeant, quin potius quod in extremis orientis partibus adhuc lumen aliquod veteris & sinceræ religionis eluceat, id totum Christi ecclesia in primis Dei clementiæ, deinde Venetorum pietati & virtuti acceptum refert. Hæc autem, oratores amplissimi, eo dicta sint, non quod sancta synodus vestræ reipublicæ laudes, quæ ne longa quidem oratione comprehendi possent, hoc loco prosequendas existimet. Verum ut intelligatis quantam sibi hilaritatem & lætitiam, quantum spei præter illam quam antea adjuvante domino, rei bene gerendæ haberet, adventus hic vester optatissimus attulerit. Accedit autem ad majorem harum rerum cumulum, quod hujusce legationis munus vobis præcipue optimis & ornatissimis viris delatum est. Etenim si generis splendor, si rerum usus & prudentia (cujus egregia exempla in Romana legatione semel atque iterum a vobis pro patria suscepta intueri omnibus licet) si optimarum artium cognitio, si pietas requiratur, hæc ipsa ornamenta omnia tam clara atque illustria in vobis sunt, ut aliquem fortasse vobis comparandum esse (ut magnam habet respublica vestra præstantium virorum ac civium copiam) neminem certe anteponendum sancta synodus judicarit. Quod igitur reliquum est, primum quidem mandatum vestrum, prout juris est, libenter admittit. Deinde vos, oratores clarissimi, tum vestro merito, tum optimæ & sanctissimæ reipublicæ vestræ nomine, benigno & lætanti animo excipit. Et quoniam divina providentia factum videri potest, ut in ipsum divi Marci solennem diem, quem Venetæ civitatis patronum & custodem summa religione colitis, adventus vester incurreret: quemadmodum certe eo deprecatore futurum sperat, ita a domino petere & obsecrare nunquam desistet, ut hæc ipsa legatio, consiliaque vestra omnia, vobis & catholicæ ecclesiæ prospere ac feliciter eveniant. Postremo quod Veneti imperii amplitudinem, opes, fortunasque omnes tam prolixe & liberaliter ad communem sanctæ matris ecclesiæ causam juvandam detulistis, de hoc vobis eadem sacrosancta synodus se plurimum debere agnoscit. Hanc autem voluntatis vestræ præclaram significationem eo lubentius accipit, quod cum in hanc Tridentinam urbem pontificis maximi jussu & omnium principum approbatione convenerit: quamvis ex altera parte invictissimi Cæsaris potentia & auctoritate non solum ab omni injuria defendatur, sed ab omni etiam periculi metu liberetur: ex altera tamen quod vestræ etiam ditionis tutela, & præsidio tecta & munita sit, permagni faciendum esse merito atque optimo jure existimat.

ANNO CHRISTI 1562.

COMPARITIO ILLUSTRISSIMI domini comitis a Luna oratoris Philippi regis catholici, in generali congregatione. Die XXI. *Maii*, MDLXIII.

PROTESTATIO IPSIUS COMITIS super præcedentia.

Mandatum regis catholici.
Oratio.
Responsum sanctæ synodi.

XLII.

PROTESTATIO FACTA AB illustrissimo domino comite de Luna oratore Philippi regis catholici, in ejus prima comparitione in generali congregatione, die XXI. *Maii*, MDLXIII. *super præcedentia, quam sibi deberi proximam oratoribus regis Romanorum, asserit.*

ILLUSRISSIMI & reverendissimi domini sanctissimi patres, Don Claudius Hernandez, Vegil de Quignones, comes Lunæ, &c. Philippi Hispaniarum, utriusque Siciliæ, Hierusalem, &c. regis catholici, archiducis Austriæ, ducis Burgundiæ, Brabantiæ & Mediolani &c. comitis Habspurgi, Flandriæ & Tyrolis, &c. Ad hoc sacrum œcumenicum Tridentinum concilium, orator, &c. Et si mihi, ut tali oratori, is & alias, & in hoc consessu locus debetur, qui primus post imperatoris Romani oratorum sedem est (quod ante omnia testificor & protestor) verum cum hic locus, & ea causa, qua de agitur, tempusque etiam ipsum reipublicæ sit ejusmodi, ut humanis ullis contentionibus sanctissimus hic divinarum rerum, & salutis publicæ petendæ cursus impediri minime debeat: cumque sit maxime consentaneum, ut qui ad juvandum, susscipiendum, præstandum hoc communis causæ consilium adsint, ii primum ipsi diligentissime curent, dentque operam, ne, quam a se afferant contentionis, discordiæ, secessionis ullis hominibus vel minimam causam: cum hæc ita sint, quod ad locum sedemque attinet, accipio quod datur, eoque in præsentia, & quoad erit commodum utar: ita tamen, ut omnes intelligant velle me (id quod sedulo prædico ac protestor) ne quod hæc mea moderatio & salutarium hujus sacri œcumenici conventus deliberationum, a me habita ratio præjudicium ullum ulla ratione dignitati, majestati, juri principis mei Philippi regis catholici, posterisve ejus afferat: neve attulisse videatur, quominus & hoc & alio quovis tempore, ac loco, quavis causa, jus id suum integrum eis salvumque sit. Quas ob res jus id domini mei Philippi regis catholici, posterorumque ejus nomine justissimam, verissimamque intentionem omnibus ut regibus, loco, & honore omni præferatur: & ad has, & alias omnes causas, omnia loca, tempora reservatum esse volo, ac reservo: ut semper ea jura, eamque intentionem & prosequi & tueri perinde possint, ac si

hoc

ANNO CHRISTI 1563.

hoc tempore & hoc loco debitus mihi, ut tali oratori locus quem dixi, datus fuerit, iis omnibus, quæ a quovis hominum objecta, huic meæ asseverationi & protestationi adversari videri poterunt, minime obstantibus omninoque abnegatis. Quam meam protestationem, hoc libello comprehensam a vobis peto, patres sanctissimi, ut actis hujus sanctissimæ synodi inseri, adscribique faciatis: neque sine ejus integro exemplo hodiernæ actionis hujus monimenta circumferri, edive cuiquam patiamini: mihique imprimis hujusce rei exemplum, testationemque publicis tabulis obsignatam a reverendissimo secretario, scribisque vestris jubeatis dari, patres reverendissimi.

XLIII.

RESPONSUM ORATORUM Christianissimi regis ad protestationem oratoris regis catholici, super præcedentia in generali congregatione: die XXI. *Maii.* MDLXIII.

SI nos hodie in hac sancta synodo alio loco sederemus, quam semper majores nostri, & novissime in concilio Constantiensi, & ultimo Lateranensi, qui primi post imperatoris & ante omnes ceterorum regum oratores sederunt: si etiam novus hic locus, in quo nunc extra ordinem oratorum sedere incipit clarissimus catholicæ majestatis orator illustrissimus comes a Luna, posset nobis aut aliis oratoribus esse damno; vos certe, patres sanctissimi, qui ecclesiam universalem repræsentatis, nobili vestro officio, & majorum exemplo nos omnes ad antiquum ordinem revocaretis, aut saltem denunciatione evangelica nobiscum ageretis. Cum autem taceatis, neque etiam huic novitati intercedant clarissimi Cæsareæ majestatis oratores, quibus cum causa nostra non potest non esse communis, Nos qui hodie in ordine oratorum, & proximi Cæsareæ majestatis oratori pristinam possessionem regi nostro conservamus, fretique fide, amicitia, & affinitate maximi & potentissimi Philippi regis catholici in Carolum fratrem pupillum regem Christianissimum postulamus tantum a vobis, ut hodiernum dictum & factum illustrissimi comitis a Luna ita interpretemini, ne quod inde præjudicium fieri possit antiquissimæ prærogativæ, & perpetuæ possessioni regis Christianissimi. Idque in acta vestra referri jubeatis.

XLIV.

MANDATUM PHILIPPI REGIS catholici exhibitum ab illustrissimo domino comite a Luna ejus oratore in generali congregatione die XXI. *Maii* MDLXIII.

PHILIPPUS Dei gratia rex Hispaniarum, utriusque Siciliæ, Hierusalem, &c. archidux Austriæ, dux Burgundiæ, Brabantiæ & Mediolani, &c. comes Habspurgi, Flandriæ, & Tyrolis, &c. Recognoscimus & notum facimus tenore præsentium universis. Quod cum superioribus diebus sanctissimus in Christo pater ac dominus noster D. Pius IV. divina providentia sanctæ Romanæ, ac universalis ecclesiæ pontifex maximus concilium œcumenicum, & universale Tridenti cœptum, & per aliquot annos suspensum, ibidem prosequendum indixerit ac convocaverit. Nos volentes tam sancto, utili ac necessario operi, quando præsentes, ut cupiebamus, adesse non poteramus, per nostros oratores favere, & assistere, illustrissimo marchioni Piscariæ in mandatis dedimus, ut oratoris nostri munus in ea sanctissima synodo gereret, nomineque, ac vice nostris omnia ea ageret & procuraret, quæ ad prosecutionem ipsius concilii & felicem ejus progressum, utilia & necessaria fore existimaret, nostram operam, studium, & favorem patribus in eo congregatis, non modo polliceretur: sed re ipsa etiam præstaret. Isque munus hac in parte (ut de ejus probitate, fide, & prudentia confidebamus) adimpleverit. Veruntamen cum eidem sacro concilio intersse, nostrisque rebus in Insubria, cujus administrationi præest, uno & eodem tempore adesse non possit, ita ut cum Tridento abiit, causæ Dei desse, cum a Mediolano discedat, nostris rebus non bene consultum esse videatur, eum propterea Mediolani se continere jussimus, & in ejus locum alium oratorem, qui in eodem sacro concilio Tridentino nostro nomine compareat, nostrasque partes agat sufficere, & nominare decrevimus. Considerantes ergo singularem fidem, religionem, & strenuum animum, ac in rebus gerendis experientiam & dexteritatem illustrissimi fidelis nobis dilecti don Claudii Hernandez de Quignones, comitis Lunæ, consiliarii, & apud Cæsaream majestatem oratoris nostri, eum ad sacrum concilium Tridentinum oratorem, nuncium, & procuratorem nostrum (citra aliorum procuratorum, & mandatariorum nostrorum revocationem) fecimus, constituimus & deputavimus, atque harum serie facimus, constituimus & deputamus. Dantes ei in solidum plenam facultatem, & potestatem, una cum amplo & libero mandato, ut in dicta civitate Tridentina & loco in eadem celebrationi sacri concilii deputato, coram reverendissimis in Christo patribus sacræ Romanæ ecclesiæ cardinalibus ac beatissimis pontificis legatis, nominatis, & destinatis, aliisque patribus ibidem congregatis nostro nomine comparere, prædictæque celebrationi concilii intervenire, eique adesse & interesse, locumque & vices nostras in omnibus sessionibus, consultationibus, deliberationibus & actibus obtinere, atque alia omnia, & singula agere, facere, dicere, gerere, & tractare, procurare & promovere possit, & valeat, quæ ex usu reipublicæ Christianæ & dignitate nostra fore videbuntur, quæque nos ipsi facere, dicere, gerere, tractare possemus, si coram præsentes essemus, etiam si talia essent, quæ mandatum exigerent magis speciale, quam præsentibus est expressum. Habituri proinde gratum, & firmum, quicquid per dictum oratorem, procuratorem & mandatarium nostrum præmisso modo actum, gestum & procuratum fuerit, dolo & fraude remotis. Harum testimonio literarum manu nostra subscriptarum, sigilli nostri impressione munitarum. Datæ in oppido nostro Madriti die 20. Octobris 1562. regnorum autem nostrorum, videlicet citerioris Siciliæ, anno nono: Hispaniarum vero & aliorum, septimo.

Philippus Gonsalvus Perezius.

ANNO CHRISTI 1563.

XLV.

PETRI FONTIDONII SEGOVIENSIS doctoris theologi oratio habita ad patres in sacro concilio Tridentino, nomine illustrissimi viri D. Claudii Fernandez Quignonii, comitis Lunensis, regis catholici oratoris die XXII. *Maii* MDLXIII.

MIRABITUR fortasse quispiam vestrum, illustrissimi legati, sanctissimique patres, clarissimi oratores, quid sit, quod cum in ipsis hujus sacri concilii primordiis, Philippus rex Hispaniarum catholicus, & invictissimus, illustrissimum marchionem Piscarium, lectissimum, & ornatissimum virum ad vos jam legatum miserit, qui aliis gravissimis suæ majestatis negotiis occupatus diutius hic adesse non potuit: nunc tandem in ipso concilii flexu, extremoque decursu ejus etiam nomine, Claudius, hic, Quignonius, comes Lunensis, vir majorum gloria, & maximarum ipse virtutum splendore clarissimus, evocatus ex Germanica legatione, qua apud Cæsarem fungebatur, denuo legatus Tridentum advenerit: Sed cum hujus consilii causam rationemque cognoverit, nihil ab eo fieri consultius, nihil iis temporibus aptius excogitari, nihil vobis nunc sanctissimi patres gratius, nihil jucundius accidere potuisse judicabit. Nam cum post decimum octavum jam annum quo sacrum istud concilium incœptum, temporum injuriis intermissum, bellorum procellis jactatum, & inimicorum nostrorum insidiis sæpe dissipatum fuisse videmus, portum quem jam veluti ex alto conspicitis, gravissimi patres divini Spiritus aura favente, brevi, complicatis velis, sitis occupaturi, in quo & vos ex tam longa jactatione nauseaque recreati conquiescere, & afflicta ecclesia Christiana, ope, & auxilio vestro erecta, ex hoc miserrimo naufragio respirare, & placidiorem deinde felicioremque sibi possit cursum polliceri.

Cumque decreta vestra sanctissima, quæ suspensis omnium bonorum animis spectantur, in omnes Christianorum provincias diffundi jam, atque dilatari debeant, quæ magnopere regum præsidium, auctoritatemque requirant, in tantis præsertim hujus sæculi infelicissimi perturbationibus, quibus sic æstuat orbis Christianus, ut neque conciliorum auctoritates spectentur, neque leges audiantur, sed vis, furor, audacia, gladiique dominentur: cum denique instet jam tempus illud, in quo reges & principes Christianos, quos hactenus hic per legatos rerum, quæ a vobis gerebantur, testes & spectatores habuistis, nunc patronos, & defensores sitis habituri: nunc, inquam, nunc voluit catholica majestas vobis per hunc ornatissimum virum renunciare, se paratum jam esse ad agendas illas partes, quas Martianus imperator, qui concilio interfuit Chalcedonensi, imperatoribus & regibus Christianis dixit esse sustinendas, ut veritatem per sacrum concilium inventam sic illi tuerentur, ut exorientibus illius causa tumultibus obviam irent, & exortos severa animadversione coercerent. Voluit significare, se libenter omne suum imperium, quod sibi in primis ad ecclesiæ salutem, ad conservandam religionem, ad tuendas vestras sanctissimas leges divinitus sentit esse tributum, ad protegendum hoc sacrosanctum concilium, & illius decreta esse collaturum. Voluit demum significare, se cupere vehementer hanc sanctam synodum, quam Carolus V. imperator clarissimus ejus pater primo nascentem fovit, aluit, provexit, & ut adolesceret summo studio elaboravit, cujus causa bella difficillima & periculosissima suscepit: & quam nunc etiam religiosissimus, & invictissimus Ferdinandus imperator ejus patruus, summa pietate, & studio resarciendæ religionis inflammatus, consilio, & opera sustentat, ipse etiam simul eam ad felicem exitum frugemque perducere. Nam ab illo die, quo Christianam religionem, simulque cum amplissimo regno a paternis humeris in suos devolutam inclinantemque prospexit, omnia sua consilia, studia, cogitationes ad eam instaurandam & reficiendam conferendas putavit: & cum duo sint officiorum genera, quæ a principibus Christianis, iisce potissimum temporibus ecclesia Christi suo jure possit exigere; alterum ut cogendo celebrandoque concilio, (quod unicum semper fuit afflictis, & calamitosis illis rebus remedium) adessent, atque faverent: alterum, ut provincias sibi subditas in antiqua religione, & obedientia sedis apostolicæ conservarent, sic in utroque præstando se gessit, ut si glorioſam illam catholici regis compellationem a majoribus hæreditario jure non accepisset, illam nunc jure optimo fuisset omnium judicio amplissimam consequutus, acceptam vero posteris longe sit illustriorem traditurus.

Etenim cum Pius IV. sanctissimum, & piissimum pontificem maximum & persona, quam sustinet, & pietas incredibilis, & miserabilis ecclesiæ ruina, & Christi gloria ad cogendum, & terminandum jam hoc tantum concilium impulisset, nullum ille officium, quod a vere catholico principe sperari posset, prætermisit. Pastores Hispanos (ipsum inquam Hispaniæ florem) quos hic præsentes intuemini e suis illico sedibus excitavit, & Tridentum misit, quorum studium in tuenda religione, in instaurandaque veteri disciplina, gravitatem, sapientiam in dicenda sententia, in tuenda constantiam, in optanda ecclesiæ salute, pietatem, in quærenda, diligentiam, fidem & industriam nobis tacentibus, vel hæc ipsa amplissima vestra subsellia testantur. Doctores præterea omni literarum & virtutis genere præstantes quorum singularem eruditionem, quorum studium in investiganda veritate, in refellendis erioribus vim, & acrimoniam, suggestum etiam illud theologicum abunde vobis sanctissimi patres indicavit. Curavit præterea diligenter, ne quid detrimenti concilium ab adversariis acciperet, ne quid ecclesiæ hostes molirentur, & ne illorum insidiis, aut hostilibus armis hic vester cursus felicissimus impediretur, solicite providit: suas omnes vires atque potentiam ad protegendum hunc locum pollicitus est: ut sine ullo metu, sed summa securitate ecclesiæ saluti consuleretis.

Quanta vero solicitudine, provincias, regna, nationes suo imperio subjectas in officio continuerit, & conservaverit, ne ab ecclesiæ unitate, & Romani pontificis obedientia abducerentur, vel illud abunde magno est argumento, quod in illis potissimum sinceram religionem, & apostolicæ sedis observantiam florere videamus. Testis est in primis Hispania, in qua cum tot haberet Philippus domestica exempla clarissimorum regum, qui acerrimi religionis assertores extiterunt, a quibus degenerare turpissimum, quorum virtu-

ANNO CHRISTI 1563.

virtutem imitari glorioſum duceret. Cum in mentem revocaret veterem illam religionem & antiquum jusjurandum, quod decretis Toletani concilii ab Hiſp. regibus exigebatur, ne aliquem non catholicum in ea provincia verſari paterentur: Cum avi Philippi, cum atavi Ferdinandi recordaretur, de cujus ſingulari in religionem ſtudio, nulla unquam ætas, nulla poſteritas conticeſcet. Cum Caroli V. imperatoris maximi parentis ſui viva recenſque memoria immortalitate digniſſima ante illius oculos obverſaretur, memor antiquæ religionis, memor Hiſpanicæ gloriæ, memor patriæ avitæque virtutis: veritus ne Hiſpania in has tantas hæreticorum inſidias incideret, ne communi hoc totius orbis naufragio religioſiſſima provincia mergeretur, veritus denique, ne aliqua ſua culpa, aut negligentia Hiſpania dehoneſtata, & majorum ſuorum gloria obſcurata videretur, tam ſolicitam curam, tam vigilans ſtudium adhibuit, ut ejus beneficio inter ſaucias, & furentes vicinas provincias Hiſpaniam incolumem, & ſanam habeamus, tanto ceteris regibus antiquis majorem gloriam adeptus, quanto eſt glorioſius, navem in magna aliqua tempeſtate, quam in portu regere, & conſervare, quanto eſt illuſtrius & magnificentius Hiſpaniam ex tam pernicioſo, tam funeſto, & tam vicino incendio, & quaſi ex ipſis ſæpe hæreticorum unguibus & faucibus eripuiſſe. Etenim cum noſcet illud hæreſum vafrum, & callidum ingenium, quæ inſidias amant, quæ latere cupiunt, quæ occultis mæandris & cuniculis irrepunt in hominum mentes, omnia tam ſolicite circumſpexit, ut non modo utcumque tectos & occultos hæreticos, ſed ipſam hæreſim in ipſis animorum venis medulliſque latentem deteexerit, morbum ipſum tacite graſſantem, tam diligenter inquiſierit, tam ſapienter aperuerit, tam opportune ſalvaverit: ut ſi ulli mortalium, illi potiſſimum, ſecundum Deum tanquam aſſertori religionis, acceptam Hiſpaniæ ſalutem referre debeamus.

Quoties obſecro ille hæreſim per utraſque Pyrenæorum montium fauces ex vicinis provinciis in Hiſpaniam irruere conantem propulſavit? Quoties illam ſe tacite inſinuantem, & obſcure ſerpentem, e tenebris in lucem, e latebris in hominum conſpectum extraxit, & ſublatis nefariæ conjurationis ducibus extinxit? Quoties illam ad extremos Indos navigare cupientem repreſſit? Nulla unquam hæreſis ſanctiſſimi patres tanto exarſit ſtudio ſe propagandi, ſicuti hæc, quæ miſere nunc affligit eccleſiam, quæ non contenta iis Europæ regionibus, quas omnes ferme crudeliter vulneravit, neque in terra flammas, neque in mari naufragia, non hominum gladios, neque divinam iram perhorreſcens, emenſo vaſtiſſimo pelago in occidentalem Indiam commigrare cupiebat, ut illic in ipſis Indorum animis primo naſcentis, & pullulantis religionis ipſas radices inficeret: Et in illam latiſſimam regionem, in quam rex catholicus Ferdinandus Hiſpanorum ſigna, Chriſti nomen illis gentibus inauditum, & puriſſimam caſtiſſimamque religionem Chriſtianam primus invexit, ipſa furias & erinnyes aſportaret ad illius pacem tranquillitatemque turbandam. Et niſi illius nefariæ cupiditati interceptis ſæpe libris & ſceleratis ſatanæ miniſtris comprehenſis, obviam iſſet Philippus, niſi ab illo curſu, quo in Indiæ perniciem properabat, ab illa improba ſpe conatuque depulſa fuiſſet, haud dubie jam in Indiam cum ingenti illius orbis periculo, & acerbiſſimo eccleſiæ dolore penetraſſet. Cum magnum præterea Hiſpaniæ periculum ab hæreticorum libris imminere conſpiceret, omnes maritimas oras, quæ mediterraneo mari & oceano abluuntur, diligenti cuſtodia munivit, ut nullus aditus hujuſmodi libris, aut ſceleratis miniſtris patere potuiſſet. Quod ſi contingeret aliquando (ut eſt inſidioſa hæreſis) ut latebram aliquam (qua ſeſe inſinuaret) inveniſſet, omnibus in locis & in omnibus oppidis induſtrios, & oculatos homines collocavit, qui omnia odorarentur, & ſubolfacerent, omnia curioſis oculis rimarentur, ut obſeſſa iis firmiſſimis præſidiis, hæreſis contra religionem ſe commovere non poſſet, quin quamprimum emerſiſſet, comprimeretur.

ANNO CHRISTI 1563.

Sic ergo Dei in primis optimi maximi clementia, & hujus clariſſimi, & vere catholici principis induſtria, viget in Hiſpania religio, fides & doctrinæ puritas, ſic floret antiqua diſciplina, ſic ſancta illa, & minime curioſa, ſed vere Chriſtiana prudenſque ſimplicitas in Hiſpanorum animis conſervatur: ut mihi quidem, quoties afflicta mater eccleſia, reliquas provincias, erroribus æſtuantes, a quibus ſe pulſam lamentatur, ægro & conſternato animo luſtrat, cum deinde luctu, mœroreque confecta, oculos lacrymis manantes, in Hiſpaniam convertit quam ſibi jactatæ portum dulciſſimum, & ſacram anchoram, quam afflictæ ſolatium, quam miſeræ perfugium, quam denique exuli & calamitoſæ unicam aram ad quam confugiat intuetur, ſuas omnes miſerias illius ſuaviſſimo conſpectu conſolari videatur.

Utinam, utinam, ſanctiſſimi patres hanc, catholici regis ſeveritatem in coercendis iis hominibus novarum rerum cupidis, principes omnes, & reſpublicæ Chriſtianæ fuiſſent imitatæ. Vos utique hac celebrandi concilii ſolicitudine, & eccleſiam iis tantis ærumnis & calamitatibus liberaſſent. Neque vero hoc ardens inſtaurandæ religionis catholicæ majeſtatis ſtudium, Indiæ ſolum Hiſpaniæque regionibus terminatum eſt, ſed in aliis etiam Chriſtianis provinciis emicuit. Teſtis eſt Anglia celeberrima inſula, quam cum hac hæreſum peſte non infectam modo, ſed perditam prope atque deſperatam doleret: Mariam Angliæ reginam lectiſſimam, & religioſiſſimam feminam non alio nomine duxit uxorem, quam ut ſi fieri potuiſſet, collapſam ibi religionem erigeret, & tantum illud in eccleſiæ fortunis ab Henrico rege excitatum incendium extingueret: Quod tanto animi ardore, tanta contentione, tam certa ſpe, aggreſſus eſt, ut brevi tempore, univerſam inſulam, ad eccleſiæ ſinum, unde abſtracta fuerat, adduxerit, & ut publice Julio III. pontifice maximo obedientiam reſtitueret, ut in ſatanæ miniſtros animadverteret, & ut eccleſiæ Romanæ leges & inſtituta ſequeretur impetraverit: & niſi immatura mors, regina ſublata, hanc tantam Angliæ felicitatem invidiſſet, aut niſi potius divina bonitas illorum hominum crudelitate, & ſceleribus offenſa, ut de illis ſupplicium acerbiſſimum ſumeret, feminam ſanctiſſimam, & religioſiſſimam unicum ejus gentis remedium illis eripuiſſet, haud dubie eam inſulam, ſi non prorſus ſanam, non tamen ita vulneratam & ſauciam haberetis.

Teſtis eſt Flandria, quæ cum nonnihil ſordium iſtarum gentium commercio & conſuetudine contraxiſſet, niſi illius ſaluti opportune fuiſſet

ANNO CHRISTI 1563.

diligenterque consultum, eodem fuisset jam cum reliquis provinciis funere sublata. Testis est Mediolanum, Neapolis, Sicilia, ceteræque insulæ, regna, provinciæ, nationes, quotquot ejus latissimo continentur imperio, quibus antiqua religio summo catholicæ majestatis studio, consilio, & industria conservatur. Testis est demum, nunc etiam vicina Gallia, in qua cum videret hæreses in apertum furorem prorupisse, arma contra regem Christianissimum & contra religionem arripuisse; nonnullos Angliæ & aliquarum provinciarum Germaniæ principes ad illa etiam infelicia & sacrilega arma solicitasse, omnia jam turbasse, omnia commoviisse, incendiis omnia & cædibus funestasse, miserorum Gallorum sanguine ipsa templa cruentasse, flumina infecisse, odium suum, crudelitatem, & rabiem saturasse, ea denique immanitatis exempla in amicos, in fratres, in parentes, in patriam & in ecclesiam edidisse, quæ silicem dolore frangere, quæ ab ipsis rupibus & saxis commiserationem & lacrymas extorquere potuissent, ne ruenti in Gallia religioni, ne Christianissimo & amicissimo regi, & clarissimo regno deesse in tanto discrimine videretur, contra tantam vim sceleris, audaciæ, & proditionis eorum hominum, qui prætextu religionis regi suo & infanti, & pupillo nefarium bellum intulerunt, suas omnes vires, potentiam, opes, se denique ipsum cum magno exercitu ad propulsandam illam insignem injuriam, obtulit Christianissimo, & sibi carissimo regi: ille vero, qui jam exercitum numerosum contra cives contumaces & perfidos proditores comparaverat, & ad id bellum clarissimis Galliæ ducibus utebatur, exiguis Hispanorum, & Germanorum auxiliaribus copiis contentus, Deo auspice, ita feliciter cum adversariis pugnavit, ut parta clarissima victoria, quam acerrimis illis religionis propugnatoribus præstantissimisque ducibus catholici adepti sunt, fracti hostium conatus, & afflictis Gallorum rebus, signum quoddam salutis sublatum fuisse videretur. Etenim si penes adversarios extitisset illa victoria, nullus erat, qui non de religione, & de catholicis omnibus actum in Gallia esse judicaret. Memini vos, sanctissimi patres, exhilaratos illo lætissimo nuncio, & in maximam spem erectos, eo die decretis supplicationibus, ad agendas Deo optimo maximo gratias pro tam singulari beneficio in divi Vigilii templum lætis animis convenisse, neque enim ullus dies lætior Galliæ, aut felicior illuxit illo, quo illas teterrimas furias omnia populantes in acie concidisse conspexit: Nullumque tunc ex vobis extitisse, qui divinam misericordiam agnoscens non exclamarit: O divina bonitas, o summa clementia, & misericordia summi Dei, qui licet hæc mala in ecclesia Christi ob nostra scelera, exoriri patiaris, non tamen illa diutius ad nostram perniciem & tuam contumeliam dominari permittis. Neque enim sine divino consilio accidisse tunc omnes arbitrabantur sanctissimi patres, ut illi tam perditi religionis hostes & regni proditores ex occultis illis, & perniciosis insidiis, in apertum latrocinium conjicerentur, ut debitas aliquando tantis sceleribus pœnas sustinerent, & ut illa ferox, audax, cruenta, & superba hæresis, quæ erecta cervice, evaginato gladio, ardentibus oculis, furorem & crudelitatem spirans, tot populorum strages, urbium eversiones, templorum ruinas, cædes miserabiles edebat, interitum denique Galliæ, & extremam perniciem minabatur, fracta tunc, atque debilitata jaceret, & ecclesia ingemisceret, illa Gallicana, quæ quondam inter summas Christianæ religionis delicias, ob ejus pietatem incredibilem habebatur, & tunc toto corpore saucia, & animo consternata jacebat, oculos illos, quos lacrymis præ dolore madidos, præ pudore in terram defixos habebat, ad aspiciendam lucem attolleret.

ANNO CHRISTI 1563.

Hæc sunt, sanctissimi patres, catholici regis in Christianam religionem officia, quæ non solum in suorum regnorum finibus, sed in aliis etiam provinciis atque nationibus versantur. Quæ quidem ego omnia, ut omnibus nota, & explorata, silentio libenter prætermisissem, nisi non tam ego, hujus tanti principis laudes, quam vestrum, & afflictæ ecclesiæ solatium spectasse, quod in tantis ærumnis & calamitatibus hujus clarissimi regis, & rerum ab illo gestarum commemoratione capere debuisset. Neque vero illud prætermittendum existimo, quod ad summam ejus laudem, & totius Christiani orbis utilitatem arbitror pertinere, quod cum graviter, & iniquo animo ferret religionem non terra modo, sed mari etiam ab hostibus infestari, quod infinitis sit prædonibus refertum, a quibus non solum oræ maritimæ omnes, misere crudeliterque vexentur: sed quod est omnium longe miserrimum, Christiani innumerabiles captivi abducantur, qui (quod sine lacrymis & dolore commemorari non potest) partim blanditiis allecti, partim misera, & longa servitute fracti, partim metu, vique tormentorum coacti, ad deserendam (proh dolor) Christianam religionem impellantur. Cum nullæ præterea maritimæ civitates, nulli portus, nullæ oræ, nulli abditi, & sepositi sinus, tuti satis, atque securi sint. Cum nulla navis, nulla triremis oram per hosce annos e portu solvat, quæ non interitum, aut servitutem pertimescat, ut aut hyeme, cum fluctibus, aut vere, cum piratis sit prædonibusque pugnandum: classem parat numerosam, qua clausa vobis maria patefaciat, qua piratis expurget, qua securam reddat navigationem, qua denique Christianam religionem terra marique tueatur. Et tamen in hoc tam vasto curarum oceano, cum spem omnem ecclesiæ sitam in vobis nunc, & collocatam, e vestris sanctissimis decretis potissimum pendere videat, nunquam ab hoc sacro concilio removet oculos, sed ut regem vigilantem, & religiosum decet, omnia circumspicit, consilia atque conatus hostium diligenter observat, ne ullis technis, aut pravis hæreticorum consiliis dissipetur, quo sublato, simul etiam spem omnem salutis ecclesiæ sublatam, & ereptam intuetur. Militum si sit necesse firmissima hic præsidia collocaret, & si ad tuendum hunc locum sacrosanctum, & concilii libertatem fuisset opus, jam hic ipse armatus adesset, & nunc absens corpore, præsens animo inter hæc subsellia, & vestra latera, mente saltem, & cogitatione versatur, & se jam ad tuenlas vestras sanctissimas leges, paratum esse denunciat.

Atque hoc est primum hujus legationis caput, & ejus rei gratia, hic vir illustrissimus legatus advenit, quem cum intuemini, Philippum vos religiosissimum & potentissimum regem intueri, atque hic præsentem adesse existimate. Quis ergo jam erit, qui non istius legationis, justissimam hanc & optimam esse causam arbitretur? Quid enim vobis optatius, sanctissimi patres, evenire potuisset, quam tam pium, tam religiosum, tam

catho-

ANNO CHRISTI 1563.

catholicum, & tam potentem regem pro dignitate vestra, & ecclesiæ salute contra sacrilegam hæreticorum audaciam, pietate, & ferro, magnitudine animi, atque potentia armatum videre? Quis non videat Deo optimo maximo gratias immortales agendas esse, quod ejus divina bonitate in tanta catholici regis potentia, tam incorrupta fides, pietas, religio, tam ardens instaurandæ religionis studium, his præsertim calamitosis temporibus conservatur?

Sed venio jam ad alterum hujus legationis caput explicandum, in quo quid nunc catholica majestas a vobis, patres sanctissimi, postulet, quid optet, quid expectet, breviter aperiemus: quamquam neminem esse arbitror, qui cum ea, quæ pro tuenda religione ab illo gesta sunt, in memoriam revocaverit, non ejus nunc sanctissimum votum deprehendat: duo etenim sunt, quæ a vobis præstari ecclesiæ Christi hoc tempore vehementer exoptat: Alterum, ut ad reficiendas miseras illius ruinas, ad colligendas & confirmandas has exiguas reliquias dissipatæ religionis, omni studio (sicuti vos facere intelligit) incumbatis. Alterum vero, ut non prius de discessu ex hoc loco cogitetis, quam rem omnium sæculorum gravissimam, difficillimam, & maxime necessariam, sæpe cœptam, & infeliciter intermissam perficiatis. Neque enim ulla magis lethalis & mortifera plaga infligi potest ecclesiæ, quam si hac unica & extrema jam spe destituatur: non tam atrox, exitiale vulnus, hostium crudelitate perita, quam discessu vestro deserta atque destituta suscipiet.

Jamvero in gerendis rebus illam quam hactenus retinuistis consuetudinem magnopere probavit, & conservari cupit, ut doctrinæ simul atque morum vulnera curentur. Et licet non defuerint, qui vos prorsus a doctrina ad sanandos mores traducere conarentur, minime tamen illam prætermittendam prudenter judicatis. Cum sit præsertim majoris ponderis, atque momenti, cum illa semper fuerit consuetudo veterum conciliorum, cum majus periculum ex convulsa evangelica veritate, quam ex depravatis quorumdam moribus ecclesiæ comparetur. Sed illud in primis summis votis exoptat, ecclesiæ majestatem vobis (ut par est) sanctissimi patres esse charissimam, & illorum piam fortasse magis quam circumspectam sententiam diligenter a vobis examinandam & expendendam arbitratur, qui multa nunc Christianæ religionis hostibus a vobis putant esse permittenda, ut indulgentia victi ad ecclesiæ sinum revertantur. Qui vos ad id præstandum, & ad hanc, quam putant, misericordiam, vel ea ratione conantur impellere, quod parentes sitis, qui filiorum pereuntium saluti indulgentia paterna prospicere: pastores, qui abactas oves, summo studio, & charitate conquisitas, ad ecclesiæ caulas revocare: pientissimi medici, qui non acerbam aliquam (neque enim illam tempora patiuntur) sed blandam, & exulceratis animis aptam medelam adhibere debeatis. Fuisse jam dicunt quondam secula quædam, quæ virgas ferreas, & secures pati potuissent. Nunc vero in tanta temporum & animorum acerbitate, nonnulla esse hominum si non improbitati, imbecillitati saltem, a vobis condonanda: ita ut in curandis his morbis, temporum potius quam rerum rationem habuisse; pietatem, quam severitatem, summam clementiam, quam summum jus secuti fuisse videamini, atque hanc unicam esse viam conciliandæ pacis arbitrantur.

Pia sane, & a sincero Christianoque pectore profecta, neque a vobis, sanctissimi patres, repudianda sententia, si hac ratione concordiæ & unitatis conciliandæ certa spes eluceret. Sed quæ obsecro spes pacis cum illis esse potest, qui infinitis aliis erroribus ita pertinaciter adhæserunt, ut facilius a vita, quam ab illis depellantur? Quæ pacis certa conditio cum illis, in quibus incredibilis crudelitas, & nulla jam fides reperiatur? Cum iis, qui non ipsi se ad ecclesiam venire, sed ecclesiam ad se adducere, & suis cupiditatibus subjicere conantur? Cum iis, qui illis rebus, quas vehementer expetunt, vel hoc uno nomine, quod a concilio concedantur, se minime usuros esse profitentur, si non concedantur nihil curent? Quæ ista erit humanitas, pietas, aut clementia? Non est vobis certamen, sanctissimi patres, cum iis hominibus, quo ullum beneficium, ulla pietas, quos ulla jam possit flectere misericordia. Utinam sic illi vestram auctoritatem agnoscerent, utinam sic essent in sacrum istud concilium animati, ut si quid a vobis, nunc in illorum gratiam decerneretur, optime secum & clementer actum esse putarent. Sed quis sibi persuadere potest eos vestram clementiam requirere, a quibus auctoritas vestra negligatur? Crudelis esset hæc sane misericordia, quæ in nullum eorum emolumentum, & in maximum fortasse ecclesiæ dedecus redundaret. Quæ ea semper usa est gravitate atque constantia, ut multa suis hostibus, quæ honeste concedi potuissent, ad infringendam illorum pertinaciam sæpissime denegaverit, non est necesse exempla referre, vos ipsi recordamini.

Vestrum igitur erit nunc, sanctissimi patres, sic illorum saluti ecclesiæque majestati consulere, & omnia ex hujus potius dignitate, quam ex illorum libidine geri videantur. Illud denique ad extremum non modo rex catholicus, sed universus Christianus orbis a vobis ardentibus & suspensis animis optat, & expectat, ut infructuosis quæstionibus (quæ nullum ecclesiæ commodum, adversariis vero maximum scandalum, parere possunt) omissis, omnium Christianorum ordinum vulnera sanare studeatis, ut omnia illa Christianæ reipublicæ vitia, quæ Deo stomachum moverunt, & ad sumendum hoc de nobis supplicium acerbissimum provocarunt, ab ecclesia Christi repellatis, ut in ipsos malorum fontes, unde hæc, quæ modo patimur, promanarunt, conjiciatis oculos, & ea quæ divinos oculos offenderunt, quæ hostium animos a vobis alienarunt, & quæ tacitas etiam vulnerant filiorum cogitationes, e medio tollantur, ut ipsæ denique malorum radices exstirpentur, quæ licet sine aliquorum dolore evelli non possint, patienter ab illis & æquo animo ferendum est, si ecclesiam salvam esse cupiunt: sæpe etenim membra uruntur, & resecantur, ut unius hominis salus & vita conservetur, eo jam miseriarum ventum est, ut (quod medici desperata ægri salute facere consueverunt) extrema jam remedia sanctissimi patres, experiri debeatis: hoc a vobis ipsa petit ecclesia, hoc temporum conditio requirit, hoc omnes clamant, hoc principes, reges, respublicæ, populi, provinciæ, nationes, hoc filii, & hostes, catholici, & hæretici postulant, hoc ipsi jam lapides saxaque loquuntur, hoc tot incendia, cædes, ruinæ, hoc tot martyrum, qui passim pro Christo trucidantur effusus sanguis, & luctuosæ voces, hoc denique hic tantus, quem vel hic vos audire arbitror, ruentium ecclesiarum fragor efflagitat.

Quæ

ANNO CHRISTI 1563.

Quæ quidem mala omnia, cum præ se ferant iram, indignationemque divinam, errant, qui sibi ullam salutis spem, nisi placato Deo polliceantur, quo irato, frustra labores omnes suscipiuntur, inanes sunt omnes illi conatus, qui divina misericordia destituuntur, & spes fallaces, quæ non unica placati Dei clementia bonitateque nitantur. Si Deum placare cupitis, omnem ab illius ecclesia turpitudinem, & sordes removete, si lethale vulnus hostibus infligere vultis, medelam prius nostris vulneribus adhibete. Sauciam ecclesiam in vestris manibus habetis, cujus vulnera explicare non est necesse, quæ, & vos prope nostis, & quæ legati, ex omnibus provinciis non modo vobis aperuerunt, sed totum illius corpus saucium vulneratumque nudarunt: Illam nunc vos solos intuentem, vestram fidem implorantem, supplicem, & obsecrantem videtis, ne se miseram & ægram, sine spe salutis a vestris genibus repellatis, non hominum modo, sed angelorum etiam ipsorum oculos in vos conversos atque defixos videtis: sanctissimos apostolos, quorum vices geritis, pastoresque illos beatissimos, qui florentem ecclesiam, & hæreticorum spoliis ornatam vobis reliquerunt, & nudam nunc, & spoliatam intuentur: testes hic, & spectatores habetis, Christum denique ipsum, non modo rerum quæ a vobis geruntur, sed cogitationum etiam inspectorem, quem ecclesiæ sponsæ suæ causa, omni honore & unica (quam solam habuit) tunica spoliatum & objectum acerbissimis injuriis, & crudelissimæ morti, recordamini.

Cavete igitur per Deum immortalem, sanctissimi patres, ne Christus, ecclesia, angeli, apostoli, totius orbis Christianus, præsens sæculum, & ipsa etiam posteritas, ad quam hæc pestis non compressa promanabit, jure de vobis queri possit aliquando. Erunt etenim futuris temporibus multi, qui cum ex historiis hujus miserrimi sæculi, calamitates, & ecclesiæ ruinas collegerint, cum occurrendi iis malis gratia, hoc tantum concilium, tanta patrum frequentia, tam opportuno loco atque tempore, tanto regum & principum Christianorum præsidio coactum celebratumque cognoverint. Si (quod Deus avertat) nihil vos adjumenti ecclesiæ rebus attulisse, sed (re infecta) discessisse viderint, in quem obsecro existimatis, hujus mali culpam illos esse derivaturos? Vobis plene, quibus tanta affuerit, sanandæ ecclesiæ facultas, voluntatem defuisse, mirabuntur illi quidem & stupescent. Efficite ergo sanctissimi patres, ut & iis judicibus, & populi nunc Christiani votis, & tantæ totius orbis expectationi satisfactum a vobis fuisse videatur.

Hoc est, quod catholica majestas vehementer exoptat, in quo si omne suum imperium, dignitas, salus, & vita essent periclitanda, libenter hæc omnia ad ecclesiæ salutem incolumitatemque conferret. Hujus rei gratia, hanc instituit legationem, & hunc illustrissimum virum, cujus singularis prudentia, moderatio animi, fides, religio, probitas, in magnis & arduis rebus sibi cognita satis, & perspecta est, cujus majores bello, & pace clarissimi, & de Hispaniæ regibus, de republica Christiana, & de religione bene meriti semper extiterunt, qui has omnes hæresibus infectas provincias peragravit, qui hæreticorum consilia, intimos sensus conatusque perspexit, qui est suæ majestati clarissimus, ob magnas excellentesque virtutes, qui denique dignissimus visus est, qui tanti principis personam tantam sustineret. Hunc inquam ad vos suæ in hanc sanctam synodum voluntatis & observantiæ, in religionem studii, in ecclesiæ salutem, animi testem & obsidem mittit, qui suum istum vobis animum patefaciat, qui polliceatur se curaturum, ne leges a vobis ad instaurandam religionem conditæ, violentur, ne decreta ab hostibus convellantur, sed hæresis, vestris sententiis jugulata, a se penitus in omnibus suis regnis atque provinciis extinguatur, ut pax vestra sapientia parta, sua potentia conservetur, ut denique summa in primis misericordia clementissimi Dei, vestris deinde sanctissimis decretis, & suis armis ecclesiam (quod futurum sperat) pristinæ dignitati & splendori restitutam, lætam, florentem, atque beatam in Christi optimi maximi gloriam & laudem videamus. Dixi.

ANNO CHRISTI 1563.

XLVI.

RESPONSUM SANCTÆ SYNODI in admissione illustrissimi domini comitis a Luna oratoris serenissimi Philippi regis catholici datum in generali congregatione, die 21. Maii, MDLXIII.

MAGNO in dolore illustris orator, quem in communibus miseriis capimus, non mediocrem nobis consolationem attulit tua ista eximiæ sereniſsimi ac potentissimi Philippi regis catholici in Christianam religionem, atque in hanc sanctam synodum pietatis ac studii commemoratio: Non eam quidem ob causam, quod ignotus nobis antea fuerit tam pii, tamque de Christiana republica benemeriti principis animus, sed quod ea, quæ sigillatim superioribus temporibus animadverteramus, copiosissime nunc explicata, atque ante oculos posita uno aspectu omnia conspeximus. Atque illud in primis gratum nobis, atque jucundum accidit, & maximam nostris animis alacritatem addidit, quod sua rex studia omnia, suas vires (quæ quantæ sint non ignoramus) ad ea, quæ sanxerimus, tuenda atque defendenda se collaturum tanto animi ardore polliceatur. Quod idem potentissimum, atque invictissimum Cæsarem, aliosque Christiani nominis reges, ac principes facturos cum exploratum nobis sit, quibusdam quasi stimulis ineitamur, ut accurate operam demus, uti actiones nostræ, tot ac tantorum principum studiis cumulate respondeant. Atque id nos quidem, & sponte nostra, & sanctissimi domini nostri cohortatione jam diu facimus: Nihil enim aliud ex quo die huc accessimus, meditamur, neque in alia cura, atque cogitatione versamur, quam ut & in morum, atque ecclesiasticæ disciplinæ emendatione, & in doctrinæ catholicæ explicatione, nostras partes diligenter exequamur: sicque omnibus in rebus tueamur cum pietatis moderatione justitiam, ut publicæ utilitati maxime consulatur, atque ad optatum tandem exitum hanc sanctam synodum perducamus. Id quod a Deo immortali petere quotidie summis precibus non desistimus: & cum a bonis omnibus, tum a pontifice ipso maximo summopere desiderari intelligimus. Quamobrem cum prior orationis tuæ pars, quæ catholicæ majestatis egregia facta, propensamque in Dei ecclesiam voluntatem atque ingentia merita complectebatur, nos mirum in modum delectarit: posterior etiam, quæ de labenti, ac prope cadenti Christiana republica fulcienda, atque in pristinam (quoad ejus fieri possit) dignitatem revocanda, præclara multa continebat: ea, ut mirifice cum nostris sensibus atque consiliis convenie-

ANNO CHRISTI 1562.

veniebat, ita grata nobis admodum fuit. Nunc (quod hujus temporis est) quantas maximas possumus, regi ipsi gratias & agimus, & habemus, tum pro singulari ejus, ac perpetuo in catholicam fidem studio, a qua glorioſum illum titulum ſibi a majoribus ſuis relictum, præclare tuetur: tum pro recenti ac tam piæ in ſanctam ſynodum voluntatis profeſſione: tum vero etiam quod te potiſſimum, illuſtris orator, ex magno clariſſimorum, atque ornatiſſimorum virorum numero delegerit, quem poſt illuſtrem marchionem Piſcariæ, ad nos huc mitteret. Cujus præſentia, non mediocre communi huic cauſæ & adjumentum, & ornamentum afferret. Neque enim ignoramus quanta prudentia, moderatione animi, probitate, religione, & maximarum rerum tractatione excellas. Quare ſancta hæc ſynodus lætiſſimis te oculis atque libentiſſimis animis & intuetur, & excipit, ac mandatum tuum, prout juris eſt, libenter admittit.

COMPARITIO ORATORUM CAROLI regis Chriſtianiſſimi die XXVI. *Maii* MDLXII.

Literæ.
Oratio.
Reſponſum ſacræ ſynodi.

A præſidem in parlamento Pariſienſi, & Guidonem Fabrum judicem majorem Tholoſæ, quibus dedimus poteſtatem in concilio pro nobis ſiſtendi, eumdemque in eo gradum & ordinem tenendi, quem hucuſque regum Chriſtianiſſimorum majorum noſtrorum oratores tenuerunt, ac conjunctim, vel ſeparatim in eo concilio requirendi noſtro populique noſtri nomine quaſcumque reformationes, conſtitutiones, & decreta, ſecundum puram doctrinam, & quæ non ſolum pertineant ad eccleſiæ Gallicanæ, ſed eccleſiæ univerſalis utilitatem, ſectarum & controverſiarum, quæ ſunt hodie in religione, conciliationem, exaltationem, & propagationem nominis Dei, & in univerſum ſalutem reipublicæ Chriſtianæ, munus & officium oratorum, ſecundum mandata quæ illis dedimus. Et quoniam illorum fidem, & induſtriam perſpectam & cognitam habemus, rogamus, ſanctiſſimi patres, æquo animo eos admittere, attenteque quod illi vobis noſtro nomine exponent, audire, eamdemque illis quam nobis, ſi iſtic eſſemus, fidem dare. Deus vos ſanctiſſimi patres, pro ſua gratia & præſidio tueatur. Datæ Pariſiis XII. Aprilis MDLXII.

ANNO CHRISTI 1562.

CHARLES.

BOURDIN.

XLVII.

LITERÆ CAROLI CHRISTIANISSIMI Gallorum regis, exhibitæ ab ejus oratoribus die XXVI. *Maii in generali congregatione, & poſtea in ſeſſione IV. die* IV. *Junii* MDLXII. *ſanctiſſimis ac reverendiſſimis patribus, Tridenti pro concilio nunc congregatis.*

CAROLUS Dei gratia, Francorum rex, ſanctiſſimis & reverendiſſimis patribus concilii Tridentini ſalutem. Exiſtimamus vos omnes ſatis intellexiſſe, quanto ſtudio & diligentia rex Chriſtianiſſimus, frater & dominus noſter, egerit de concilio generali & œcumenico convocando apud ſanctiſſimum noſtrum papam, dilectos fratres & conſobrinos, imperatorem, regem Hiſpaniarum catholicum, & alios principes. Noſtis etiam qua diligentia, & eo, quem decet principem Chriſtianiſſimum in Deum & ejus S. eccleſiam zelo, nos, poſteaquam regiam coronam ſumus adepti, rem a defuncto fratre & domino noſtro, adeo egregie & magna cum laude cœptam, fuerimus ſubſequuti, magno & gravi dolore affecti, quod propter motus & diviſiones quæ ſunt propter religionem in regno noſtro, non potuerimus ejus prælatos, noſtroſque oratores, quos ſe itineri accingere primo quoque tempore optabamus, maturius mittere. Cujus ceſſationis cauſam vos pro prudentia veſtra magis imputabitis temporum calamitati (neque enim adhuc ſedati ſunt tumultus) quam noſtræ voluntati. Quæ, etſi adhuc ætate minores ſimus, erit tamen tanquam eccleſiæ filii primogeniti in religionem ſemper propenſa, & eam in eccleſiam Chriſtianam bene affectam re ipſa omnes intelligent. Miſimus interea aliquot noſtri regni epiſcopos, delegimuſque oratorem dilectum & fidelem, a ſecretioribus noſtris conſiliarium, ſummi ordinis noſtri equitem & unum ex his, qui ad latus noſtrum aſſidue eſſe ſolent, dominum de Lanſaco, & cum illo dilectos & fideles conſiliarios noſtros, magiſtros Renaldum Ferrerium,

XLVIII.

ORATIO HABITA A GUIDONE FABRO oratore Caroli Galliarum regis Chriſtianiſſimi, in generali congregatione, vigeſimoſexto Maii MDLXII.

LEGATIONIS noſtræ teſtimonium, patres ampliſſimi, habetis ex literis, quas vobis nunc a Chriſtianiſſimo Galliarum rege Carolo, publice reddidimus: cauſas vero ejus, quæ variæ ſunt, & maximæ, quibus non modo optimi principis animus in Chriſtianam rempublicam oſtenditur: ſed etiam ſingulare ejus de virtute, ac pietate veſtra judicium, quod ita nunc nobis neceſſe eſt, & cogit ſuſcepti muneris ratio, exponemus paucis, id eſt, inornate, nude, ſimpliciterque. Sic enim apud graves ac ſapientes viros agi oportet, & quidem ſi, quod magnopere volumus & obſecramus, Carolum Henrici regis filium eſſe memineritis, & Franciſci nepotem, non valde noſtrum, ut opinor, in explicandis legationis hujuſce rationibus, cauſiſve, ſermonem requiretis. Ad auguſta enim illa Franciſci & Henrici nomina, facile unicuique veſtrum occurret illico, ecquid officii, ecquid in his Chriſtianis conventibus oneris nobis impoſitum ſit, & quarum rerum poſtulata afferamus, ab eo videlicet legati, qui parernæ avitæque laudis non æmulus modo atque imitator, ſed etiam hæres & ſucceſſor, nulla in re magis unquam putavit ſibi eſſe elaborandum, nihilque vehementius contendit quam ut opportuno loco & libero, neque conventuris infido, juſta quædam ſynodus cogeretur, ſacroſanctum concilium convocaretur, quam ut Dei optimi maximi auſpicio, publici Chriſtianorum omnium conventus, jure legitimeque peragerentur, quam denique ut eæ opiniones, quæ in Chriſtiana republica controverſæ factæ ſunt, unum in ſenſum, ac decretum, ex auctoritate œcumenici cujuſdam concilii aliquando reducerentur.

Is fuit profecto regis animus jam inde a primo aditu, & ingreſſu principatus ſui. Quos autem

ANNO CHRISTI 1562.

autem hujus ſtudii ac judicii, perpetuæque in A reipublicam Chriſtianam voluntatis, citare teſtes veriſſimos Carolus rex poterat, eoſdem hodie voluit hic ſibi ad concilium legatos adeſſe. Adeſt enim Ludovicus Sangelaſius, Gallici ordinis eques illuſtriſſimus, & in ſecretiis principis conſilium ob ſingularem virtutem cooptatus, qui variis antea legationibus functus honorifice, nuper ad Pium IV. pontificem maximum propterea miſſus eſt, ut ipſum pontificem currentem quidem ſponte ſua, ad concilii procurationem acrius incitaret, ejuſque animum religionis ſtudio incenſum, vehementius (ſi fieri poſſet) inflammaret: Galliæ autem noſtræ recentia vulnera, quæ ſine ſummo dolore tractari nequeunt, ita nudaret, ita detegeret pon- B tifici, ceu parenti bono, ut tamen ea ipſa, ne obduci quidem alia ratione, niſi libero concilio, nedum curari penitus, aut ſanari poſſe contenderet.

*Arnaldus; mendoſe Renaldus ſive Raynaldus,

Adeſt quoque *Arnoldus Ferrerius, in ſenatu Pariſienſi præſes, qui altero fere die poſt Franciſci ſecundi mortem, a Carolo fratre, ad eumdem pontificem allegatus nihil potius in mandatis habuit, quam ut concilium, id eſt conventum Chriſtiani nominis univerſi, indici poſtularet, ejuſque occaſiones omnes, quoquo modo urgeret: admonet etiam verendum eſſe, ne ex noſtris hominibus quam plurimi, quos dudum concilii futuri ſpes ægre in officio retinebat, diuturna expectatione fatigati deficerent a nobis, & C ad eas partes traducerentur, quas nomini, & perſuaſioni Romanæ maxime adverſarias eſſe ſcimus: tantumque decederet de grege domini, magno non ſolum Galliæ, & totius Chriſtianitatis incommodo, verum etiam eorum, ad quos ea res potiſſimum pertinebat, qui occurrere malis dum poterant, noluerunt, dedecore, atque infamia.

Hæc apud pontificem non ſemel acta, ut cernitis, ſi aliud profecto nihil, Chriſtianiſſimi tamen regis de publica pace conſtituenda curam, de ſarcienda inter omnes ordines concordia ſolicitudinem, de ſanandis eccleſiæ vulneribus ſententiam atque judicium cuivis facile probatura ſunt: grata quidem, ni fallor, hominum recor- D datione cum laude ad omnem poſteritatis memoriam pervenient.

Neque vero ſolus pontifex de concilio a nobis ſæpe interpellatus eſt, ſed etiam Ferdinandus invictiſſimus & auguſtiſſimus imperator: Philippus quoque Hiſpaniarum rex maximus atque adeo omnes Europæ Chriſtiani principes, & reſpublicæ omnes, omnes, inquam, reges, ut ad rem præſtantiſſimam, & utiliſſimam, tam neceſſario tempore animum adjicerent: ad conſtituendam ſcilicet unanimem de religione conſenſionem, & reſtinguenda eccleſiæ incendia, continuis legationibus, quotidianis precibus, quanta fieri potuit maxima obteſtatione, ſæpe E ſumus cohortati. Hic ego vos appello, quicumque adeſtis illuſtriſſimi atque ampliſſimi regum, & rerum publicarum legati. Quod ſi me ipſum quoque actor citare teſtem debeo, liquide jurare poſſum de ea re, quæ mihi pro eo munere, quo in Gallia fungor, æque comperta & cognita eſt, atque alteri cuiquam, præſertim cum ipſa edictis regiis, & publicis noſtris tabulis contineatur: ſed faxo imperite, ne dicam inſolenter, qui in re minime dubia & obſcura artificioſas colligo probationes potiſſimum apud vos, quibus nihil tam certum eſt, nihil tam fixum, nihil tam ratum, nihil tam denique ad veritatem omnino perſuaſum, quam id, in quo videor hactenus tantopere laboraſſe. Quamobrem tranſeo nunc ad ea, quæ mihi pauca, ſed neceſſario dicenda ſunt. ANNO CHRISTI 1563.

Magna, patres ampliſſimi, & incredibilis eſt expectatio, quam de ſe hic ſanctiſsimus conventus, & conſeſſus veſter in animis mortalium excitavit. Non loquor ad gratiam, neque enim debeo: nec eos unquam viros bonos putavi, qui ad iſtas artes eſſent eruditi: ſed quod in laudibus veſtris veriſimum eſſe cenſeo, id quominus eloquar, pudore, & verecundia veſtra minime debeo prohiberi. Pergam igitur, ut cœpi, dicere. Præclarum eſt, & pene divinum, quod a vobis expectant homines. Sic enim exiſtimant, vos eos eſſe, qui non veſtris quidem, id eſt humanis viribus, ſed afflati Spiritu divino, per Jeſum Chriſtum, religionem noſtram tot in eam invectis opinionibus ſauciam, reficere & recreare, qui eccleſiam Dei per hoſce quinquaginta annos contrariarum opinionum, quaſi ventorum tempeſtate jactatam, in portu collocare: qui denique in his pugnantium inter ſe doctrinarum fluctibus, ſtatuere optime poſſitis, quid dignitas eccleſiæ, & quid ipſa temporum ratio poſtulet.

Equidem humana imbecillitate fortaſſe, & aliqua præfectorum eccleſiæ incuria, vel etiam, ne quid gravius dicam, præpoſtera pietate irrepſiſſe in eccleſiam, res nonnullas, antiquatione, abrogatione, vel moderatione dignas, fateamur neceſſe eſt. Sed quemadmodum ii homines comprimendi, mihi ſemper viſi ſunt qui arbitratu ſuo, vel potius libidine, ſine auctoritate, ſine ullo decreto, ceremoniarum omnem penitus rationem, quæ ipſa comes eſt & adminiſtra religionis, convellentes, atque ob id in pacata republica tumultuantes, impium quemdam cultum, rituſque novos induxerunt: ſic contra a nobis peccari fortaſſe poteſt, dum omnia quæ ſæculis muniuntur & longa vetuſtate, mordicus retinenda eſſe putamus: neque ſatis ſpectamus, quid inclinatio rerum, quid momenta temporum, quid publica quies poſtulet. Nonnulla atque haud ſcio an verius dixerim multa communi concordiæ permittenda ſunt, neque quiſquam a dignitate ſua vel conſtantia alienum putare debet, aliquid alteri condonare potius, quam obſtinatione rectæ ſententiæ, tantam inter Chriſtianos diſſenſionem alere. Sed vos, quam de mitigandis iis, quæ citra religionem inoleverunt, controverſiis curam & cogitationem ſuſcepiſtis, eamdem niſi re perfecta, & abſoluta, nunquam abjicietis.

Hæc ſpes reliqua nobis eſt, quæ bonorum mentes hominum, cogitationeſque ſuſtentat. Pugnabit ſcio perpetuus ille humani generis hoſtis, nihilque non aget, ut vos e cœpto opere deterreat, ut hos veſtros ad rem omnium præſtantiſsimam, & ſanctiſsimam impetus frangat, ut honeſtos eludat conatus veſtros, ut avocet, ut abducat vos ab inſtituto, ab officio: diſſidiis quippe, ac divortiis noſtris, quibus exedimur, & extabeſcimus, ille alitur, ille paſcitur, velut ſuaviſſimo cibo: egregius præterea ſcelerum artifex eſt, eſt & optimorum interturbator conſiliorum. Quoties, quæſo, ita vobis obloquetur? heu ſtultos, & fruſtra ſuſceptos labores, quid aliud tot maris, terræque ſpatia emenſi, præter invidiam, & paupertatem domum reportabitis? Quo ruitis nunc præcipites? Quid aliud hic agitis, quam ut revocata, quæ pene ſepulta jacebat, priſca illa, & rigida patrum diſci-

plina

ANNO CHRISTI 1562.

plina, minus posthac laute, minus beate, minus feliciter, minusque tranquille vitam degatis in otio? Ne in principum scilicet aulas liceat penetrare, ne splendide epulari, ne magnifice habitare, ne regio comitatu, & ornatu incedere, ne iis denique frui voluptatibus, quæ suavissimæ sunt, sine quibus vita omnis, & ingrata, & injucunda solet esse. Ergo parvo contentos vivere posthac oportebit? ergo uni sacerdotio, tanquam scopulo affixos inhærere? monendo, suadendo, largiendo, alienis semper inservire movendo? quid concionari de loco superiore? quid meditantes tam cito senescere? quid curis, & vigiliis absumpto corpore in ipso ætatis flore immatura morte concidere? Hæc aguntur per vos sedulo, hæc acerbæ vitæ, munerumque vestrorum officia, obsoleta illa quidem, & antiquata, atque extincta prorsus, vos renovare, vos e tenebris eruere, & in lucem revocare quæritis stulti, & nescii bonorum vestrorum.

Recognoscitis, arbitror, patres, tum exprobrationes, tum illecebras, quibus adversarius noster specie recti se insinuat in animos nostros: quem si benigni semel audieritis, si splendore falsi boni objecto, aciem ingenii vestri peistringi patiamini, si quid denique plus apud vos valet, quam publica utilitas, prædico, & prænuncio vobis, nihil agetis: susceptum onus aut perfide abjicietis, aut propter animi imbecillitatem deponetis: spem, quæ extrema nobis pendet, fulletis: conciliorum denique dignitatem, & auctoritatem, quæ initio nascentis ecclesiæ magna fuit, & bene constituta republica maxima futura est, in posterum omnem elevabitis.

Nostra, patrumque nostrorum, & avorum memoria synodos indictas fuisse, episcopos convenisse, maximos in Germania, atque in Italia conventus peractos esse scimus. Vix tamen ullus, aut perexiguus inde fructus Christianitati constitit. Nolo subtilius in causas inquirere, nolo rumores, ventosque colligere: hoc prætermittere certe non possum (quod vereor ne nimis ad rem pertineat) minus legitima, minusve libera fuisse dicuntur illa concilia: qui aderant, ad voluntatem alterius semper loquebantur, aut potius annuebant, qua re nulla in judiciis perniciosior, nullave capitalior esse potest. Vos quotquot in Dei nomine huc conveniistis, non deliberantium modo, sed judicantium personam geritis, statuendi, diffiniendi, decernendi, Spiritu divino suggerente, jus, facultatem, & potestatem sine ulla exceptione habetis: hanc facultatem, & libertatem divinitus vobis concessam ex optima, & vetere illa disciplina conciliorum, Carolus rex noster, vel suo solus periculo, si ita sit necesse, sartam & tectam ordini vestro conservabit: in eam enim causam potissimum hæc legatio decreta est. Quod si in privatarum rerum judiciis, de fundo, & stillicidio ubi agitur, sententiam suam ad alicujus gratiam accommodare turpe haberi debet, & severissimis legibus nostris vindicatur, quonam, quæso, supplicii genere digni sunt, qui de rebus divinis conscripti judices, dignitatis parum memores, in censendo vel auram captant popularem, vel principibus, quibus obnoxii sunt, turpiter se venditant, vel ex aliorum dictatis, & perscriptis, togata tanquam mancipia, sententiam ferunt? æternis certe tenebris, & vinculis leves isti, & nummarii judices mandandi sunt.

Hanc querelam habuit ætas superior. Ne idem quoque posteri, qui incorrupte judicaturi sunt, de vobis existiment & loquantur, magnopere est providendum. Atque etiam ut tecti ad homines esse possitis, ad Deum immortalem qui poteritis esse? qualis enim quisque sit, quid agat, quid in se admittat, de cœlo intuetur, cernit cupiditates nostras, & cogitationes omnes, videt quid in calculo ponendo spectemus, quid in suffragiis, & sententiis sequamur, num tacitis, & compressis labiis ardeamus, num adulemur, num gloriæ cupiditate efferamur, num contentionis studio nimio, præsentem, & oblatam veritatem recusemus accipere, num levissimas delectationes gravissimæ utilitati anteponamus, num aberremus, & hallucinemur, prudentes, scientesque, num denique imperatorum, aut pontificum, aut regum liberalitates erga nos turpissimo obsequii genere, gratioso scilicet calculo, & judiciariis tabellis provocare, atque elicere cupiamus. Quod si quid ejusmodi in his conventibus peccetur (quamquam secus existimamus, freti vestra bonitate ac pietate) si peccetur tamen, nihil est præterea quo confugere possimus, mihi hercle omnia jam addicta vastitati videntur esse. Utinam longe a veritate, a conjectura certe non multum aberrabo: Ruet dissidiis Christiana civitas, ardentem & flagrantem intestinis bellis cernemus Europam, civilis ferri aut subeunda nob erit crudelitas, aut saltem funerum patriæ spectatores cogemur esse, a quorum causa belli fortuna steterit, ab iis stabimus omnes: quæ mihi profecto tam videntur esse misera, & miseranda, ut ad eorum cogitationem totus perhorrescam.

Quamobrem excitamini, patres, & incumbite in eam curam dies, noctesque, ut hoc quod ægrotæ, ac prope desperatæ reipublicæ Christianæ unicum remedium est, non frustra exoptatum a nobis, non temere a vobis adhibitum esse videatur. Et, cum, ex nonnullorum fortasse conciliorum invidia hæc synodus laboret, curate, ut omnes intelligant abiisse illud tempus, mutatam esse rationem, patere nunc aditum unicuique ad disputandum, non flammis hic disceptari, non fidem frangi, non agi præjudiciis, veritatis disceptationem integram esse: quippe cum una eademque semper sit veritas, ex omni æternitate fluens, Spiritum sanctum hic adesse, præsidere: illius denique instinctu, & afflatu, de publica utilitate agi, de pacificatione communi, necnon ecclesiæ totius conciliatione, & restituenda vetere ejus disciplina hic tractari rite, legitimeque. Operæ pretium est, patres, ut rem ita se habere intelligant, & animorum vestrorum contentiones huc sciant pertinere: ad hanc quippe famam maxima illa, & nobilissima Europæ pars Germania, pro qua potissimum laboratur, velut e somno excitata, conveniet, legatos mittit, aderit hic vobiscum, suos de religione sensus exponet familiariter, suosque intimos nudabit dolores, sic denique contrariis opinionibus jam dissecta, & divulsa, atque ob id ad omnes externas, & suas quoque injurias opportuna Christianitas in unum tanquam corpus coalescet. Erit terra labii unius, & cordis unius, ut quidam ait; equidem hanc voluptatem, quæ incredibilis est, jam nunc mihi spe, & cogitatione jubet præsumere, juvat oculis mentis intueri idem sentientes omnes Christianos, idem credentes, idem sperantes, eodem caritatis igne accensos: quam sane conjunctionem, & divinam animorum conspirationem vis nulla posthac reperietur, quæ perfringere aut labefactare possit.

Ut au-

ANNO CHRISTI 1562.

Ut autem patres, quod ſuſcepiſtis non mediocre munus, alacriore animo conficiatis, Carolum Chriſtianiſſimum regem Francorum (quando is nos ſuæ voluit eſſe nuncios & interpretes voluntatis) ad omnes conatus ſocium fideliſſimum, & adjutorem fortiſſimum vobis futurum ſpondemus, ac religioſe promittimus. Quem vero laudatorem actionum veſtrarum, & aſſertorem acerrimum perpetuo habebitis, eumdem hic teſtem & ſpectatorem eratis habituri, niſi tenella ætas, inſolens laborum atque itinerum prohibuiſſet, aut potius niſi civilis tumultus terrores, in Gallia neceſſario retinuiſſent. Sed quod ille coram ſtudioſe facturus erat, ut ſe, ſuaque omnia ultro vobis offerret, id nos ut diligenter atque officioſe curaremus, præcepit: & cum ex auctoritate ſua aliquid acceſſionis ad id, quod per vos agitur, fieri poſſe conſideret, juſſit, mandavitque, ut id ipſum ſignificaremus, cum magna teſtificatione ſingularis ſuæ erga vos benevolentiæ, erga ordinem veſtrum voluntatis atque obſervantiæ, erga rempublicam Chriſtianam ſtudii, pro quibus omnibus non fortunas modo & facultates, ſed etiam vitam & ſanguinem, ſi opus ſit, cupiat effundere.

XLIX.

RESPONSUM SACRÆ SYNODI in admiſſione oratorum regis Chriſtianiſſimi, datum in ſeſſione quarta ſacri concilii Tridentini, ſub S. D. N. Pio Papa IV. die IV. *Junii* MDLXII.

EXPECTATUS, jucunduſque adventus veſter, illuſtriſſime domine a Lanſaco, voſque clariſſimi legati, ſacroſanctæ huic ſynodo, non modo ſummam animorum lætitiam, ſed certiſſimam quoque ſpem attulit, ut quæ, vel temporum vitio & infelicitate, vel potius perfidorum hominum ſcelere & pertinacia, a priſca illa veræ religionis puritate multis in regnis, jampridem in varios diverſoſque hæreſum errores defluxerant atque deciderant (ut volumus atque cupimus) in priſtinum dignitatis ac ſinceritatis gradum revocaremus. Nam cum perditi homines ſuis conſiliis atque pertinacia, multos jam annos non modo pontificum atque regum humana jura, ſed etiam divina ab apoſtolorum jam temporibus, Chriſto ipſo magiſtro & auctore, partim monumentis, partim viva voce per manus, velut hæreditaria nobis ad bene beateque vivendum tradita atque relicta, ſuo arbitrio atque libidine ita violare & perturbare auſi fuerint, novis quibuſdam licentiæ, ſacrilegii, impietatis, omnium denique ſcelerum ritibus ſuperinductis, ut ad unicum ſalutareque ſacri œcumenici remedium a pontifice maximo Pio, ſolertiſſimoque paſtore, tam libenter, quam neceſſario confugiendum fuerit. Quod Spiritu ſancto prælucente, tanta optimorum regum, Chriſtianorumque principum, non modo animorum conſenſione, ſed etiam concordiſſimis omnium Chriſtianæ reipublicæ bene juvandæ ſtudiis ſuſceptum eſt, & ornatum; ut brevi Dei eccleſia, multo purior, ſanctiorque futura ſit.

Merito itaque Chriſtianiſſimum Galliarum regem Carolum (in quo celerior eſt regiarum virtutum, atque religionis curſus, quam ætatis) & laudamus & admiramur: qui & Henrici patris, & Franciſci avi, Chriſtianiſſimorum regum clariſſimis nominibus, & erga ſedem apoſtolicam exemplis excitatus atque inflammatus, cum per ætatem nondum confirmatam, & impios ſuorum, tam in ſe, quam in Chriſti religionem tumultus, huic ſaluberrimo, ſanctiſſimoque generali concilio adeſſe non poſſit, vos præſtantiſſimos viros ſumma prudentia, fide ac religione præditos, legatos miſit, qui illius nomine omnem operam, opus, ſtudium, denique & parendi obſequium (ut decet) ſacroſanctæ ſynodo liberaliſſime promitteretis, & reipſa fideliſſime præſtaretis.

ANNO CHRISTI 1562.

Quam, apud bonos, pioſque nulla aliorum conciliorum (quæ nec legitima, nec libera fuiſſe, qui conciliis male afficiuntur, parum vere objiciunt) invidia laborare, qui recte ſenſerit facile æſtimabit: cum clarum ſit ſacra generaliaque concilia, rite Chriſti ſpiritu ab eo, qui poteſtatem habeat, inchoata, riteque abſoluta, & legitima ſemper fuiſſe habita, & libera: & ad hominum ſanitatem, ac ſalutem, quantum per eos, qui Spiritui ſancto non reſtiterunt, licuerit, ſpectaſſe, ac ſalutaria fuiſſe. Nec adverſus Tridentinum ſacrum iſtud concilium, ſatanæ inſidiæ, ac fraudes, per vos copioſe, ſubtiliterque enumeratæ, quamvis variæ, atque ingentes, Chriſti Spiritu præſidente, prævalebunt: qui illius conatus omnes ſua virtute, & potentia, cui ſoli confidimus, in quo ſolo omnes noſtras ſpes, ac cogitatus collocavimus, franget: ſub pedibuſque noſtris ſubſternet, noſque ab eccleſiæ ſuæ ſinceritate ac veritate, nec aberrare, nec decipi, aut a quoque cogi permittet. Itaque ſedulam veſtram, & liberam admonitionem, viri clariſſimi, ne ſcilicet in conſultationibus, ſententiiſque noſtris ferendis, aut popularem auram capiamus: aut principibus noſtris obſequamur (ita enim mavult ſancta ſynodus ſenſum veſtrum interpretari, ne quid præter manſuetum, piumque propoſitum, atque conſtitutum ſuum reſpondere cogatur) & ſi non neceſſariam fortaſſe, & ſuperfluam exiſtimat: tamen, ut a vobis bonis viris, bona mente atque animo profectam, ita in bonam quoque partem accipit. Et, ut vos iſto vano metu, alioſque omnes liberet: ſuique propoſiti, ac veritatis certiores faciat, aperte prædicit: ſe cujuſvis voluntatem, potentiam, aut cupiditatem ſacroſanctæ ſynodi dignitati, & auctoritati perpetuo poſt habituram. Quod ipſum vobis, aliiſque, qui ſacro huic concilio adſunt, aderuntve, res ipſa clariſſime comprobabit. Itaque, ut tandem redeamus.

"Ex editione Pariſienſi anni 1563. apud Joan. Dallier p. 53.

Sacrum hoc generale concilium vos ita libenter accipit & amplectitur, ut ſaluberrimi, ſanctiſſimique celebrandi concilii operis ſocios, ac participes habeat. Chriſtianiſſimo vero regi veſtro Carolo, ita regie atque ſancte educato, fideliſſimiſque & religionis amantiſſimis ſenatoribus, ac conſiliariis nunc ornato ac munito, tantum ſe debere fatetur, ut quæcumque ad ipſius honorem, dignitatem, regni ſtatum ac religionem tuendum ac conſervandum pertineant, libentiſſime præſtaturam ſe polliceatur, quæ ſalva fide & religionis puritate præſtari poterunt, tantoque libentius, ac jucundius præſtabit, quanto certius, firmiuſque exiſtimat, nihil a vobis præſtantiſſimis viris, religioniſque amantiſſimis regis veſtri Chriſtianiſſimi nomine poſtulatum iri, niſi quod honeſte, juſte, religioſe per tales viros poſtulari, & a ſacroſancto œcumenico concilio, & religionis Chriſtianæ dignitate, & ſinceritate ſancte præſtari poſſit, & debeat. Et mandata veſtra libenter, & prout juris eſt, accipit & admittit.

LITE-

ANNO CHRISTI 1562.

L.

LITERÆ CAROLI CHRISTIANISSIMI regis Francorum exhibitæ patribus, ab illustrissimo & reverendissimo principe Carolo cardinale a Lotharingia, in generali congregatione œcumenici Tridentini concilii die XXIII. *Novembris anni* MDLXII.

Carolus Dei gratia Francorum rex, sanctissimis & reverendissimis patribus in sacrosancto Tridentino concilio congregatis salutem.

ETSI ea fuit Dei optimi maximi voluntas, ut jam inde ab ineunte ætate, nos ad tanti hujus regni imperium vocarit, ejusque altæ, & infinitæ judiciorum prudentiæ placuit, nobis committere hujus principatus initia, adeo tumultuum, & civilium bellorum plena, ut nulla illius vel minima provincia inveniri possit, quæ hisce calamitatibus careat: oculos tamen pueritiæ nostræ hæc ipsa divina bonitas ita aperuerit, ut tantorum malorum causam facile judicaverimus, non aliunde quam ex varia, & multiplici de religione opinione, qua populus noster imbutus est, processisse cognoscamus: & jam hujus gravissimi morbi remedium non ab hominum prudentia esse petendum, sed a Deo vivo & inexhausto misericordiarum fonte, qui requirentibus eum ex animo, suique nominis gloriam tantum, & honorem spectantibus, nunquam defatigatur beneficia & gratias conferre. Itaque eodem sancto Spiritu ducti, cum primum regia corona sumus insigniti, nihil nobis magis fuit in votis, quam cum majorum nostrorum exemplo, ad sacros conventus, velut ad ejus ægritudinis unicum & præsens medicamentum confugere, tam in bonæ memoriæ Francisci regis domini & fratris nostri amantissimi vestigiis permanere, & quanto potuimus studio, & diligentia, hanc ipsam, in quam nunc ex variis orbis terrarum partibus convenistis, celeberrimam synodum expetere. Ac illud quidem gravissime tulimus, nos qui hujus instituti adeo pii & optati auctores fuimus, non tamen efficere potuisse, ut prælati nostri in hoc generale concilium primi convenerint, sed hujusmodi dilationis causam, & alii omnes & vos ipsi necessariam esse judicastis. Cumque amantissimum, & dilectissimum consobrinum nostrum cardinalem Lotharingum archiepiscopum ducem Rhemensem primum Franciæ parem, inque illius comitatu aliquot regni nostri episcopos & abbates advenire videatis, nihil quidem a nobis cum simulatione, aut exquisitis diffugiis, sed omnia serio, & ex pia, sanctaque voluntate gesta esse facile existimabitis.

Causa autem, sanctissimi patres, propter quam consobrinum nostrum ad vos misimus, duplex est: altera, quod ille muneris sui non oblitus, quique optime novit, quid ecclesiastica professio, horumque temporum calamitas ab eo suique ordinis hominibus requirat, sæpius & vehementer istuc eundi facultatem a nobis petiit & optavit. Altera, quod ille a teneris annis ad secretiora nostra consilia evocatus, & in regni nostri gravissimorum negotiorum administratione educatus, optime novit fontes, & origines tumultuum nostrorum, & quibus rebus egeamus, ut ii sedari possint: eique in mandatis dedimus, ea apud vos exponere, & quæ a prudentia vestra, & amore paterno re-

media vitæ expectari possunt, non solum propter regni tranquillitatem, sed etiam totius reipublicæ Christianæ salutem, a vobis impetrare: cum enim præ oculis, "quis sit verus, & purus Dei cultus, semel habuerimus, poterimus tandem ad laudatam illam & adeo expetitam rerum commendationem, quæ episcoporum "injuria, & hominum malitia funditus perierat, pervenire: ac in honorem & exaltationem Dei nominis, unitatemque ecclesiæ, antiqua illa catholicæ ecclesiæ, majestas & integritas splendebit. Quam rem velut munere vestro dignam universus orbis jure suo a vobis requirit, eamque si feceritis, accedet vobis inenarrabilis remuneratio a manu illius liberali, qui se harum rerum liberalissimum remuneratorem profitetur. Reges item & respublicæ principesque omnes vobis se merito devinctos existimabunt, vestramque pietatem, magna cum vestra laude posteritati commendabunt: & qui eo est ingenio consobrinus noster, ut ea plane noverit, quæ vos speciatim scire cupimus, obsecramus vos sanctissimi patres, illum ut æquo & lubenti animo audiatis, eamque illi fidem, quam nobis, si istic essemus, adhibeatis. Petentes interea a Deo optimo maximo, ut vos suo præsidio, totique orbi Christiano diutius conservare dignetur.

ANNO CHRISTI 1562.

" *In edit. Parisiensi anni* 1563. quod est vere & pure Dei cultus.

" *f.* incuria.

" Ex edit. Parisiensi anni 1563.

Dat. Ronville VII. *Octob.* MDLXII.

LI.

ORATIO ILLUSTRISSIMI & reverendissimi domini Caroli cardinalis a Lotharingia, habita in sacrosancto œcumenico concilio Tridentino die XXIII. *Novembris* MDLXII.

ILlustrissimi domini, reverendissimi episcopi, Christianissimus rex Carolus reginæ matris Christianissimæ auctoritate, ac præcipuo regis Navarræ assensu, procerumque omnium conscriptorum consilio, has literas, quæ modo perlectæ sunt decrevit, mihique ad vos perferendas dedit: quarum præcipua ea capita, quæ majorem a me explicationem desiderant: pro ea, quæ mihi credita est fide explicabo quam brevissime potero. Hæ (ut meministis) statim in initio rerum regni illius nostri nobilissimi, amplissimi, ac florentissimi quondam, summæque erga regem fidei, & observantiæ statum & conditionem testantur. Dicam uno verbo non sine incredibili animi dolore: fuimus Galli, fuit ingens gloria Francorum. Hæ rerum omnium, clarissimi oratores, sunt vicissitudines: *Manus Domini tetigit nos*, viri patres & fratres: Hæc nobis justum Dei in ira sua judicium provocaverunt, corrupti omnium ordinum mores, ac ecclesiastica omnis collapsa disciplina: Has turbas excitaverunt hæreses non suppressæ, & a domino Deo nostro instituta remedia tamdiu neglecta. Hinc illæ lacrymæ, & per totum regnum dissidia, odia, rapinæ, bella intestina, ac plusquam civilia: luctus ubique, ubique dolor, & *plurima mortis imago*. Nec sacrosanctis Dei templis parcitur, presbyteri, & religiosi viri ad aras usque, quas amplexantur morientes, trucidantur: visibilia sacramentorum signa pedibus conculcantur, & comburuntur: passim erecti apparent rogi ex omni genere ecclesiasticorum ornamentorum: accensæ ex imaginibus dejectis pyræ, additis omnium non solum ecclesiarum, sed antiquissimarum bi-

ANNO CHRISTI 1562.

bliothecarum libris. Nec quicquam ex chartis publicis, & instrumentis, quæ ad dotationem pertinent, reservatur: sanctorum reliquiæ ruptis altaribus in cineres rediguntur, qui sunt post hæc in profluentem projecti. *Horresco referens*, nec a summorum pontificum, imperatorum, regum, principum, episcoporum, & sine discrimine passim aliorum omnium sepulcris abstinetur, eorum maxime, qui de ecclesia Dei bene meriti per monumenta reperiuntur. Nomen Domini ubique blasphematur: spiritus mendacii in ore omnium est, qui falso verbi Dei ministerium usurparunt: atque ita expulsis pastoribus, alienæ ovis custos, fur, & latro in ovile ascendit. Postremo (quod longe omnium est gravissimum) juge, & sacrosanctum sacrificium apud eos cessat, quod intermissum quantam ruinam secum afferat, ac quantam regibus jacturam, & meministis viri doctissimi ex prophetarum oraculis, & experientia jam in magnis imperiis, florentissimis regnis, amplissimis provinciis didicistis, atque in Gallia nunc aspicitis. Regis enim majestas contemnitur, imperia detrectantur, non modo vectigalia, sed proventus etiam negantur; jura omnia, & leges silent. Quilibet vindictam, quam exercet, ex privato odio metitur: ad defectionem populus excitatur, & excusso monarchiæ, quod ajunt, jugo, anarchia in concionibus publice proponitur. Hæc omnia apud vos cogitate, clarissimi oratores, & quod in Gallia vobis nunc videre otiosis licet, sera nimis pœnitentia experiemini, si mole sua Gallia ex vicinia vos in ruinam trahat,

Sed quid vos sanctissimi episcopi detineo, aut diutius affligo? Superfunt tanto huic nostro malo opportuna remedia. Habemus enim magnæ spei pupillum regem, non tam regni ex legitima successione monarcham, quam religionis, & virtutum omnium avitarum hæredem, quem pater Henricus, & avus Franciscus excitant, & in quo jam Francisci fratris demortui, omnis generis virtutum igniculi relucent. Nec desunt Catharinæ reginæ viduæ, & Navarræ regis optima consilia, & infractæ procerum vires. Nullis opibus parcitur, undique auxiliares copiæ compatantur: fitque via vi, sed in nostra viscera, quantumcumque victrix dextra sit, ferrum convertitur, eruuntur opes, & fit lamentabile regnum: Jamque nulla ad sedandos tantos tumultus aptior via, nullum præsentius est remedium, quam, quod ab hac sacrosancta universalis ecclesiæ legitime in Spiritu sancto congregata synodo expetitur. Huc [N]vos majorum exemplatrahant: Hoc Dei verbum docet, ac ut speramus in promissis suis (quæ nunquam fecit irrita) imperat, atque ita demum ex hoc loco pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, expectatur: Templum enim Dei sanctum est, quod sumus nos, viri patres, & tametsi divisiones gratiarum sint, omnes tamen in uno spiritu, qui in nomine Domini Jesu Christi congregati sumus, quos & dicere necesse est, prout Spiritus sanctus dabit eloqui. Quæ omnia ut magis scire potestis ad bene, beateque decernendum, ex divino præscripto sunt necessaria.

Hæc omnia Christianissimus rex cum sibi satis persuadeat, nec quicquam alienum ab his a nobis expectet: duo tamen præcipua sunt ea, de quibus vos admonet pro sua in hanc synodum observantia, & pro ea, quam sentit ex his in religione disidiis, summa molestia.

Primum itaque a nobis postulat, ut quantum fieri poterit nova disidia vitemus, novas (inquam) & infructuosas relinquamus quæstiones, ac demum, quantum nobis licet enitamur, ut principes, & provinciæ omnes ab armis abstineant, ab hoc desiderio excitandorum bellorum prorsus nos alienos esse oportet, ne qui ex nobis discesserunt, & se ab ecclesia Dei præciderunt, existiment magis hoc conventu principes ad arma excitari, & societates, & fœdera iniri ad bellum, quantumcumque sacrum, quam de universali omnium animorum reconciliatione decerni: solliciti omnia servare unitatem pacis.

ANNO CHRISTI 1562.

Si quid in ea sententia peccatum est, parcite quæso, patres amplissimi. Henricus pater auctor fuit pacis, quæ in Christiano orbe tam fœliciter hactenus servatur: eam quasi testamento paulo post moriens filio Francisco regi commendavit. Hanc Franciscus frater, si nobis tam cito ereptus non fuisset, magna prudentia retinere conabatur. Pupillo, & viduæ iniquissimas semper turbas, & bella intestine rex, & regina mater valde pertimuerunt, & pacatos subditorum omnium animos, ne quies publica interturbaretur, summa prudentia, ac ut ætatem & sexum decet, perpetuo exoptaverunt. Quod & si (ut negari non potest) infœliciter successit, infœliciores tam belli eventus sunt pertimescendi, ne si omnes in eodem periculo versentur, eadem & tempestate acti, nemo periclitantes adjuvet, ac sic unum idemque omnes naufragium faciamus.

Summam propterea rationem haberi desiderat, eorum qui lapsi sunt, ut & illis, quantum ex Deo poterimus condonemus, quibus & nos amicos esse liceat, sed usque ad aras.

Alterum legationis meæ caput est, quod jam a principio regi meo Christianissimo cum serenissimo imperatore, & regibus & principibus viris, quorum hic oratores clarissimos viros habetis, fuit commune, nempe, ut de reformatione, & morum, & ecclesiæ disciplinæ omnino decernatur. De hac iterum, iterumque vos admonet, ad eam serio amplectendam (qua potest observantia) hortatur, & per Dominum nostrum Jesum Christum, qui judicaturus est vivos & mortuos, obtestatur: si ecclesiæ auctoritatem integram esse vultis, si ejus dignitatem conservare, si jam inclinatum nobilissimæ Galliæ regnum retinere posse judicatis: nec vos ex vestris commodis, nostra incommoda metiri æquum est. Si enim universa hæc Italia, si Hispania omnis, sedem & clavum tenet, gratulamur vobis felicissimi patres. Nos puppi excidimus, & vix supremo digito gubernacula retinemus.

Hic vobis liceat jure vestro causas a nobis tantæ tempestatis exquirere. Quem accusabimus coepiscopi fratres? Quem tanti mali auctorem constituemus? Memini quid velitis, nec memoria excidit vestrum de ea re commune omnium judicium, hoc non sine innato pudore, & magna anteactæ vitæ pœnitentia dicere me oportet. Propter nos tempestas hæc orta est, viri fratres, propterea mittite nos in mare. Quid addam amplius? habetis confitentes reos, in eos ut libet animadvertite. *Nunc judicium incipiat a domo Dei, & mundentur, qui ferunt vasa Domini. Attendamus nobis, & universo gregi. Quiescamus perverse agere, & discamus bene agere.* Imo potius tu misericors & bone Deus per viscera misericordiæ tuæ attende, placare, & fac, adauge nobis fidem, *ut sine timore de manu inimicorum liberati serviamus tibi.* Nunc viribus opus est patres, nunc pectore firmo.

1. Pet 4. Act. 20. Isaie 1. Luc. 17. Luc. 1. 2.

Sed vereor illustrissimi domini, & reverendissimi episcopi, ne nimis importune agam: non est enim sponte currentibus addendum calcar. Finem igitur faciam: est enim mea hæc expedita a

rege

ANNO CHRISTI 1562.

rege legatio. Si quid scire vos amplius oportebit, hæc omnia clarissimi regis oratores curabunt: ego vero, & mecum una, qui ex Galliis advenerunt reverendissimi coepiscopi, in hac universalis ecclesiæ sacrosancta synodo testamur beatissimo papæ D. Pio pontifici maximo post Deum in perpetuum subditos esse velle, ejus enim nos in terris primatum super omnes ecclesias agnoscimus, cujus nunquam imperia detrectabimus: ecclesiæ autem catholicæ, ac sacræ generalis synodi decreta veneramur. Vobis illustrissimi, ac reverendissimi legati fasces submittimus, sanctissimis episcopis dextras societatis offerimus, & clarissimos oratores testes sententiarum nostrarum hic adesse vehementer gratulamur, ut Spiritu sancto duce in omnibus, per omnia, & semper honorificetur Deus & Pater domini nostri Jesu Christi.

Tridentum appulit cum IX. episcopis, & IV. abbatibus mense Novembri, anno MDLXII. *nomine ecclesiarum Galliæ.*

LII.

ORATIO HABITA A DOMINO "Arnaldo Ferrerio præsidente in parlamento Parisiensi, oratore Caroli Galliarum regis Christianissimi, in generali congregatione, die XXIII. *Novembris, anni* MDLXII.

"al. Raynaldo seu Renaldo.

ORATIONIBUS, quas nunc audistis, illustrissimi domini, sanctissimi patres, nihil est quod a nobis quicquam addi aut detrahi debeat, tantum unum dicemus bona venia paternitatum vestrarum pro muneris nostri ratione. Christianissimi regis pius, religiosus, & in catholicam ecclesiam propensissimus animus, antea quidem erat omnibus satis perspectus, & cognitus, nunc autem adventu & oratione illustrissimi principis & reverendissimi cardinalis adeo est illustratus, ut ne ullum quidem dubitationi locum relinquat. Nam quo minus antea tanti viri adventus ab hominibus prudentibus, & peritis rerum humanarum sperabatur, eo magis cum venerit, nemo est, vel mediocri ingenio præditus, qui non plane videat, quantum Galli ecclesiæ catholicæ consultum velimus: quique non intelligat plures, easque gravissimas esse causas, quibus adductus rex Christianissimus, illum ad vos miserit, cujus singulari consilio, in rebus magnis agendis, cum antea semper usus est, tum maxime his miserrimis, & calamitosissimis Galliæ temporibus: qui autem existimant privato magis commodo, quam reipublicæ Christianæ causa hæc a nobis fieri, vehementer falluntur. Potest (si modo velit) rex Christianissimus vel triduo seditiones omnes, ac motus suorum componere, inque officio, & obsequio Gallis innato, subditorum omnium animos retinere: sed non tam, quæ sua sunt quærit, quam quæ sunt catholicæ ecclesiæ, & pontificis maximi, cujus dignitatem, & authoritatem, ut sartam tectam in Gallia retineat, non dubitat tanti regni imperium, vitam, & fortunas magnorum principum, procerum & nobiliorum in periculum adducere. Hic est Galliæ nostræ status: hæc fundi nostri calamitas.

Quod si quis nos roget, quid tandem illud est, quod vos, ecclesiaque vestra Gallicana tantopere a concilii Tridentini patribus expetit? Non sumus, patres sapientissimi, in petitionibus nostris admodum morosi, & difficiles, nihil aliud petimus, quam quod totus orbis Christianus efflagitat, quod a concilii Nicæni patribus petiit ille magnus Constantinus. Hoc ipsum a vobis requirit rex Christianissimus: omnia illius postulata continentur aut sacris bibliorum literis, aut vetustis ecclesiæ catholicæ conciliis, aut antiquis pontificum & patrum constitutionibus, decretis, & canonibus. Hæc sunt, hæc, inquam, sunt, quorum nomine rex Christianissimus, ecclesiæ catholicæ primogenitus filius, ecclesiæ (inquam) catholicæ petit restitutionem in integrum apud vos, quos dominus noster Jesus Christus prætores legitimos creavit, neque hoc ipsum petitur ex clausula (ut dicitur) generali, sed ex verbis expressis edicti illius divini, & perpetui, adversus quod nunquam fuit, neque unquam erit usucapioni, aut præscriptioni locus.

Redeant saltem quasi postliminio in sanctam Dei civitatem, & in lucem hominum tandem prodeant, quæ antiquus hostis satan vi eripuit, & longo tempore suppressit. Sic Darius Persarum rex motus in Judæa propter religionem excitatos sedavit. Non enim ad arma continuo; verum ut majorum suorum leges, & antiqua edicta inquirerentur jussit, inventumque regis Cyri edictum de reditu Judæorum in Judæam, & templi instauratione, a majoribus suis neglectum, mandavit executioni, & ita pacati sunt tumultus. Josias rex laudatissimus, & synceriſſimus ecclesiasticæ disciplinæ exactor, & reformator, librum legis ab Helcia magno sacerdote repertum (postea quam hominum malitia longo tempore suppressus fuerat) primum legit diligentissime, deinde lectum recitavit populo: Tum ex illius præscripto ritus, & præcepta divina Judæis restituit. Strenui illi Nehemiæ milites, quos tantopere commendat Chrysostomus, altera quidem manu telum tenebant, altera muros Hierusalem ædificabant, hoc est, ecclesiam ex antiquis patrum legibus restituebant.

1. *Esdræ* 6.

4. *Reg.* 22. & 23.

Nisi hæc fiant, patres sanctissimi, frustra a vobis rogabimur: num etiam pacata est Gallia? nos enim vobis respondebimus, quod Jehu regi Joran roganti: num pax? num pax? & quomodo, inquit ille, pax, cum adhuc superstint & vigeant? "nostis cetera. Nisi his rebus diligens detur opera: nos frustra confugiemus ad potentissimi illius, & maximi regis catholici affinitatem, singularem amicitiam, incredibilem liberalitatem, frustra fidem & auxilium implorabimus pontificis maximi, sereniſſimi Venetorum dominii, Lothoringiæ, Allobrogum, & Hetruriæ principum auxiliares copias. *Fallax* enim (mihi credite) *erit equus ad salutem*, nisi hæc a vobis fiant: Turbabitur brevi nimia quorundam securitas, & quod caput est, qui interea peribunt, tametsi id illis sua propria iniquitate & peccato eveniet, vobis tamen peribunt: hoc est *sanguis illorum de manu vestra requiretur.*

4. *Reg.* 9.

" absunt ab editionibus Parisiensib. anni 1563. *fornicationes Jesabel matris tuæ, & veneficia ejus multa*; quæ Lovanienses ediderunt minus apposite.

Psal. 32. *Ezechielis* 33 & 34.

Sed priusquam nos ad ea veniamus, quæ suo loco, & tempore sumus dicturi, secundumque mandatorum nostrorum formulam agemus: Petimus a vobis, sapientissimi patres, a vobis inquam, quos vestra sponte scimus esse satis incitatos, quorumque pietatis, religionis, & in omnes homines caritatis, sumus non solum auriti, sed etiam oculati testes: ut ea, de quibus jam diu cœpistis deliberare, quam brevissime fieri poterit absolvatis, quo citius possitis de multo gravio-

ANNO CHRISTI 1562.

ribus, & magis hoc tempore neceſſariis, ſententiam veſtram dicere, & his conventibus eccleſiaſticis finem imponere, ad laudem, & honorem Dei Patris omnipotentis ejuſque filii domini noſtri Jeſu Chriſti.

LIII.

RESPONSUM HABITUM SANCTÆ ſynodi nomine, a reverendiſſimo domino Mutio Calino, archiepiſcopo Jaderenſi, ſive Zarenſi, illuſtriſſimo cardinali a Lotharingia" ac Chriſtianiſſimi regis oratoribus, in generali congregatione, die XXIII. *Novembris, anni* MDLXII.

"ſoli cardinali reſpondiſſe teſtatur editio Pariſienſis, atque ipſa docen oratio.

ILLUSTRISSIME ac reverendiſſime domine, Inter ceteras Chriſtianæ reipublicæ miſerias, & calamitates, quarum memoriam ſacroſancta ſynodus neque deponere, neque ſine lacrymis repetere unquam poteſt, nulla ejus animum cura magis anxium, ac ſollicitum ſemper habuit, quam ſeditiones, & bellici tumultus, qui religionis cauſa in florentiſſimo Galliarum regno commoti, & concitati dicerentur. Nam cum omni tempore regnum illud firmiſſimum catholicæ veritatis præſidium, & columen jure optimo habitum fuerit: cogebatur ſancta ſynodus incredibili dolore affici, cum intelligeret ejuſmodi factam eſſe rerum commutationem, ut non in una, aut altera, ſed in pluribus ejus provinciis omnia fere, impietas, cædes, vaſtitas occupaſſe videretur. Accedebat præterea ad augendam doloris acerbitatem, quod nunciabatur, nobiliſſimos gentis veſtræ proceres, quod ſcilicet alii orthodoxam fidem labefactatam, & everſam, alii defenſam, & conſervatam maxime cuperent, tanto animorum ardore ad arma concurriſſe, quanto olim Chriſtianiſſimi reges veſtri totius Gallici nominis conſenſu pro Chriſtiana religione propaganda, ejuſque dignitate recuperanda difficillima ſæpe bella ſuſcepiſſent, ac confeciſſent. Verum antea cum hæc mala ſancta ſynodus multorum fama, & auditione accepiſſet, graviter ſane dolebat & præſentem incliti regni ſtatum maxime deplorabat: ita tamen, ut facile crederet multo ſibi miſerabiliorem ejus fortunam videri poſſe, ſi quæ aurium ſenſu perceperat, cernere etiam oculis, & propius omnia ejus vulnera intueri, ac penitus pernoſcere licuiſſet. Quod quidem illi nunc iſperato quodam modo contingit. Etenim illuſtriſſima & reverendiſſima amplitudo veſtra Chriſtianiſſimi regis literas, quæ nuper recitatæ ſunt, oratione ſua ſubſecuta, ea verborum copia, gravitate, prudentia, Gallicarum rerum ſtatum, & conditionem expoſuit, ut eas non commemoraſſe, ſed earum veluti expreſſam imaginem omnium oculis ſubjeciſſe videatur. Quare conſtanter ſancta ſynodus affirmat, ſe nullas ei proprias, ac præcipuas doloris partes concedere, verum eo acerbius hanc calamitatem ferre, quod amplitudo veſtra, matri, ſanctæ ſynodo cariſſimæ & dulciſſimæ filiæ ærumnas, & incommoda defleat, ac conqueratur. Sed tamen in tantis malis animum erigit, & confirmat, ſi quidem brevi futurum confidit, ut Deus reddat puero regi priſtinam majorum ſuorum, & præſertim avi, parentis ac fratris clariſsimorum regum virtutem, ac fortitudinem, qua non ſolum nefarios hoſtium conatus reprimere, & audaciam ulciſci queat, ſed in tenera etiam ætate ſingulare aliquod pietatis exemplum ad pulcherrimi facti imitationem poſteritati prodere.

ANNO CHRISTI 1562.

Deinde vero cum divina clementia atque miſericordia, & ſanctiſsimi domini noſtri Pii pontificis maximi opera, & auctoritate hoc ſanctum & generale concilium coactum ſit, ſi unquam antea, nunc certe maxime ſperandum eſt, fore, ut verus Dei cultus diſcuſſa errorum caligine ab omnibus agnoſcatur, mores emendentur, pax, & tranquillitas eccleſiæ reſtituatur. Qua in re quemadmodum adhuc ſancta ſynodus omnem diligentiam adhibuit, ut quæ ſui muneris, & officii eſſe intelligebat (adjuvante Deo) perficeret, ita in poſterum nihil ſe de ea cura remiſſuram. Verum ſi fieri poſſit aliquid potius ad eam ſtudii & induſtriæ, adituram eſſe pollicetur, ac ſpondet. Neque vero, illuſtriſsime domine, te impulſore ſolum, atque hortatore, ſed multo magis (quod ſummæ felicitatis loco habendum exiſtimat) adjutore, & conſiliario id faciet. Novit enim quanta tua ſit optimarum artium, & præcipue ſacrarum literarum ſcientia, maximarum rerum uſus, atque tractatio, apud regem potentiſſimum ſummoſque principes exiſtimatio & auctoritas, & quod caput eſt, pietas in Deum, vitæ integritas, & innocentia, ac veræ & catholicæ religionis ſincerum ſtudium. Quæ quidem tot & tanta ſunt, ut quid potiſſimum in te homines laudare debeant, maximarumne virtutum cumulum, an in quoque genere abſolutam, & perfectam earum formam, merito dubitari poſſit. Illud autem exploratiſſimum ſancta ſynodus habet, tam multa ab illuſtriſſima amplitudine veſtra ad communis cauſæ utilitatem adjumenta allatum iri, ut ſibi nunquam minus jucundam ejus adventus memoriam futuram confidat, quam ille ipſe dies, quo venientem excepit lætiſſimus, ac jucundiſſimus omnibus illuxiſſe viſus eſt.

Itaque, illuſtriſsime domine, omnes hi ſanctiſſimi patres, quod tam longo, difficili, ac periculoſo itinere ſuſcepto ad tuendam ſanctæ matris eccleſiæ dignitatem, tanta animi alacritate accurreris, quod ſalvus, & incolumis cum tot graviſſimorum patrum comitatu adveneris, quod tua præſentia, auctoritate, ſplendore frui liceat, primum Deo immortali maximas gratias agunt; deinde tibi ex animo gratulantur, fauſtaque omnia, ac felicia a domino precantur. Ceterum quæ vel de communibus catholicæ eccleſiæ rebus, vel de privatis Gallicarum eccleſiarum commodis proponenda erunt, ea ſancta ſynodus quotieſcumque regiis oratoribus viris præſtantiſsimis, vel illuſtriſsimæ amplitudinis veſtræ de his dicendi locus, & poteſtas dabitur, libentiſsime audiet. Neque enim dubitat, quin ejus regis nomine, qui pueritiæ commendationem a pietatis acerrima defenſione duxerit, cujuſque in omni vita præcipuum ornandæ atque amplificandæ religionis ſtudium eſſe debeat, illa proponantur, quæ in primis cum vera Dei gloria, perpetuaque ſanctæ ejus eccleſiæ utilitate, & ſumma apoſtolicæ ſedis dignitate, & amplitudine conjuncta eſſe videantur.

COMPA-

ANNO CHRISTI 1562.

COMPARITIO ORATORUM septem cantonum Helvetiorum catholicorum, & Cleri eorumdem septem cantonum.

Literæ. Mandata.
Oratio. Responsum S. synodi.

LIV.

LITERÆ SEPTEM CANTONUM catholicorum, exhibitæ in sessione quarta sacri concilii Tridentini, sub Pio IV. die IV. *Junii, anni* MDLXII.

Nos Schultetus, Amanni, & universalis senatus infrascriptorum veteris catholicæ fidei cantonum, Luceriæ, Uraniæ, Svitiæ, Sylvaniæ supra & infra Sylvam, & Jugium una cum territorio nostro extra sito recognoscimus, & publice fatemur præsentium per tenorem. Quod cum reverendissimus in Christo pater & dominus noster, dominus Joannes Antonius Vulpius episcopus Comensis, sanctissimi in Christo patris & domini nostri, domini Pii papæ ejus nominis IV. & sanctæ sedis apostolicæ nuncius, cum potestate legati de latere, nos in certis inter nos passim habitis diætis: quatenus nostrarum ditionum prælatos eo permoveremus, ut sacrosanctum œcumenicum generale concilium, quod Tridenti inceptum in præsentiarum celebratur, per se ipsos personaliter, vel per suos idoneos legatos inviserent, summopere crebrius interpellarit. Nos idcirco (quamvis non dubitaverimus ipsos ad cupita implendum sponte etiam non commonefactos fore promptissimos) quo sanctissimus noster papa sanctitatis suæ petita cernat apud nos plurimi (ut par est) esse momenti, eosdem nostrarum ditionum prælatos & serio, quantoque fieri potuit studio fumus obtestati, ut unanimiter convenientes inter se legatum, qui ad hujusmodi concilium mitteretur, eligerent. Petitionibus igitur nostris ad id, quod alioquin procul dubio erant facturi, invitati, reverendum in Christo patrem & dominum, dominum Joachinum abbatem monasterii Eremitarum in antiquorum confederatorum nostrorum Svitensium dominio, & illorum protectione situati, in eorum & cujuslibet legatum deputarunt: ea quæ in mandato procurationis desuper emisso, & suæ reverentiæ concesso continentur, mandando. Nos vero ea quæ dicti domini prælati, reverendo domino abbati in hujusmodi procurationis mandato commiserunt, non solum approbamus, verum etiam magno sumus gaudio perfusi, quod hoc muneris illi delegarint. Idoneum enim illum censemus ad ea expedienda, quæ in adeo toti orbi necessario negotio factu fuerint opportuna, quæque ipsius legati, & ceterorum prælatorum officii esse quomodolibet cognoscatur. Omnia enim & singula, quæ dictus dominus legatus præmisso nostro egerit, valida semper & infracta, quantum nos concernant, mansura testamur, harum per antiquos confederatos nostros Luceranos, sigillatarum literarum tenore. Datum Veneris XX. Februarii, anno domini MDLXII.

LV.

MANDATUM SEPTEM CANTONUM Helvetiorum catholicorum in personam sui oratoris, exhibitum in sessione quarta, sacri concilii Tridentini, sub Pio IV. die IV. *Junii* MDLXII.

Nos Schulteti, Amanni, atque universalis senatus septem celebris Helvetiæ laudabilis superioris Alamaniæ antiquæ & magnæ ligæ, veræ ac veteris catholicæ religionis cantonum, Luceriæ, Uraniæ, Svitiæ, Sylvaniæ supra & infra Sylvam, Jugium una cum territorio nostro extra situm, Friburgum, & Solodorum. Recognoscimus cuilibet inspecturo per præsentes. Cum reverendissimus in Christo pater, & dominus noster, dominus Joannes Antonius Vulpius, episcopus Comensis, sanctissimi in Christo patris & domini nostri, domini Pii papæ ejus nominis quarti, & seu sedis apostolicæ nuncius, cum potestate legati de latere, nobis in certis per nos passim habitis diætis, significarit: Quod sanctissimus dominus noster papa divino pariter, ut paterno zelo adductus, ex officio quo dignissime fungitur, totum Christianismum paci, tranquillitati, atque catholicæ & orthodoxæ fidei per totum terrarum orbem promulgato generali concilio, perque supremos Christianissimos proceres approbatum generale concilium Tridenti indictum, restituere intendat. Cumque nos sacrosanctæ apostolicæ sedis obedientes filios ac defensores ostenderimus, ab antiquo sanctitas sua, nobis quoque hoc (ut decuit) significare volens, paterne nos admonuit, quatenus (quod vel præcipuum Christi fidelium munus erat) non solum in concilium hujusmodi consentire, verumetiam religiosos nostrarum ditionum prælatos ad id visitandum adhortari, atque nos secularem legatum, quemadmodum & ceteri proceres facturi essent, eo mittere vellemus, ac amandare. Quamvis igitur nos quicquid per generale concilium, quod ad communem pacem & tranquillitatem, atque almæ nostræ fidei unitatem, quomodolibet spectare posset, concluderetur accepturos, tunc promptissimos ostenderimus: Ad majorem tamen obedientiæ, propensæ voluntatis, proinde animorum in Christianam nostram fidem studii ostensionem, non solum penes nostrorum dominiorum prælatos, ut nuncium suum ad concilium mittant, obtinuimus, verumetiam in nostrorum omnium & singulorum, verum & certum legatum deputavimus, prout deputamus per præsentes, nobilem & strenuum Melchiorem Lussi, equitem auratum, Amannum in Sylvania infra Sylvam: Mandantes eidem, ut nostrum omnium nomine in concilio hujusmodi Tridentino compareat, atque omnia & singula transigat & exequatur, quæ nos, si præsentes essemus, exequeremur. Quicquid etiam in dicto generali œcumenico concilio pro pace & tranquillitate, atque etiam reformatione ecclesiæ, nostræque religionis elucidatione, & seu augmentatione, tuitione, ac defensione statutum fuerit atque decretum, nostro atque omnium nostrarum ditionum nomine acceptandum, consentiendum, atque nos omnes & singulos, ea fideliter & stricte complexuros promittendum: promittimus insuper intercedentibus fide atque honore nostris, Nos omnia & singula, rata, grata, atque firma perpetuo habituros, quæcumque in præmissis, seu aliquo præmissorum, per hunc nostrum legatum acta gestaque fuerint, prout, & quemadmodum devota sacrosanctæ nostræ matris ecclesiæ (apud quam nos in perpetuum permansuros confidimus) membra decebit. In quorum omnium & singulorum præmissorum fidem, robur, & testimonium præsentes nostras literas exinde fieri, atque fideliissimorum antiquorum nostrorum confederatorum Lucernensium, nostrorum omnium nomine fecimus, sigilli appensione communiri. Datum XX. Februarii, anno domini MDLXII.

ANNO CHRISTI 1562.

LVI.

MANDATUM PRÆLATORUM, & cleri ſeptem cantonum Helvetiorum catholicorum, exhibitum in ſeſſione quarta ſacri concilii Tridentini, ſub Pio IV.

Nos Diethelmus ſancti Galli, Petrus in Vettingen, Michael in Rynow, Joannes Chriſtophorus in Muri, Jacobus ſancti Urbani, Henricus in Viſchingen, Jodocus in monte Angelorum monaſteriorum abbates, Leonardus Dovius Carthuſianæ ſancti Laurentii in Ittingem, Jacobus in epiſcopali Cella, Nicolaus in aula prope Lucernam, Heinricus in Turzachio præpoſiti, Heinricus Cuitzligenſis: Joannes Jacobus in Pfeffers, monaſteriorum Decani, & Honofrius monaſterii in Egronia cuſtos, ut & tanquam abbatum & præpoſiti noſtrorum reſpective commiſſarii, ad hoc per ipſum abbates, & præpoſitum reſpective noſtros legitime amandati jam in oppido Rappeſvilla unanimiter in domino congregati, recognoſcimus per præſentes. Quod cum reipublicæ Chriſtianæ diſſidia, ovilis Chriſti ovibus paſſim trucidatis, diſjectio, æſtuantis mundi hujus freti turbulenti motus, diſſidia numerum excedentia, procerum ſe invicem ulciſcendi rabida libido, & omnium rerum etiam optime conſtitutarum immutationes, an depravationes dicamus, haud conſtat: cum denique naufragium pretioſæ illius naviculæ Chriſti, (niſi is ipſe puppi, proræque præſideret, atque exuſcitatus pavidos diſcipulos conſolaretur immineant, præclariſſime equidem ſanctiſſimus dominus noſter Pius IV. pontifex maximus egit, quod ſacrum œcumenicum generale concilium, quo rugientem illum leonem, qui vaſtis diſtenſis faucibus mortalibus haud animadvertentibus jugiter inſidiatur, compeſcat, atque atrocem lupum neci ovium ſanctitati ſuæ commiſſarum inhiantem, quantum poſſit, (poteſt autem plurimum) abigat, indixerit, ne derelictæ, & funeſtis morſibus expoſitæ conquerantur, factæ ſumus opprobrium inimicis noſtris & deſpectio ſuperbis, neve dicant gentes, ubi eſt Deus eorum, ſed ad Chriſtum tuto clamare queant: Laqueus contritus eſt, & nos liberatæ ſumus. Hoc nimirum, hoc decet vicarium Chriſti, hoc eſt muneris paſtoris ſuper gregem ſuum, die noctuque vigilare. Gratulamur non nobis ſolum, ſed univerſo orbi, quod talem ſumus nacti pontificem, qui zelo ſponſæ Chriſti non comeſus, ſed fere conſumptus, maculas illi non aſperſas, quas quantum eſſet abſtergere, & temporis diuturnitate, (Deo connivente) infixas radicitus ſatagat evellere. Deus qui ut poteſt, ita vult, ſinat ſe exorari, & nobis omnibus abjectis, licet (peccata enim noſtra diviſerunt inter nos & illum) de patris tamen in nos affectu non dubitantibus filiis, reconcilietur: Et ſi non patiatur, ut filios, attamen ut micas ſolo colligentes, & de multitudine miſericordiarum ſuarum ſperantes, non deſpiciat, ſed ad faciem ſuam permittat aliquando accedere, ut omnes illuminemur in ævum, Amen. Utinam poſſemus noſtris non ſolum rebus, verumetiam propriis corporibus negotium hoc, tum univerſo orbi, tum nobis apprime neceſſarium, aliquantulum non dicimus promovere, ſed adjutare, ut tandem diſſidiis ſemotis, ac vera orthodoxa religione in priſtinum ſtatum reſtituta in hac lacrymarum valle ad æternam patriam anhelantibus, jugi detur frui conſpectu Dei. Quantum vero in nobis eſt, indeſinentibus preculis non deſiſtemus acclamare patrem, ut ille præſens cominus potenti manu ſuccurrat. Cuperemus ſane nos ipſis ex intimis animorum præcordiis, concilio (licet forte minimum profuturo) intereſſe: Sed Deum teſtamur, noſtræ non ſinunt reculæ, & ea quibus in præſentiarum diſtinemur impedimenta, ſingulos eſſe præſentes. Attamen ut obedientiæ filii, ne ſanctiſſimus noſter papa, ſeu ſanctitatis ſuæ reverendiſſimi legati, patriarchæ, archiepiſcopi, epiſcopi, & abbates atque alii patres, jam Tridenti in ſpiritu ſancto congregati nobis incertis, aut oſcitantiæ, vel etiam deteſtandi ſuperiorum contemptus notam inurant: Idcirco animo mature prius deliberato, unanimiter omnes & ſinguli prænominati ex certa noſtra ſcientia & ſpontanea voluntate conſtituimus in noſtrum omnium & ſingulorum, verum, certum, legitimum & indubitatum procuratorem, ſeu potius abſentiæ noſtræ excuſatorem, reverendiſſimum & illuſtrem principem & dominum dominum Joachinum loci Eremitarum apud Helvetios, abbatem ibidem præſentem, & onus procurationis, ſive excuſationis hujuſmodi in ſe (licet ægre acceptantem) concedentes omnes ſinguli prædicti, plenam & omnimodam poteſtatem coram præſentibus ſanctiſſimo domino noſtro papa, ſeu ſanctitatis ſuæ reverendiſſimis legatis, patriarchis, cardinalibus, archiepiſcopis, epiſcopis, abbatibus, ceteriſque patribus, quibus in concilio generali ſedere aut ſententias ferre de jure communi, privilegio, aut antiqua conſuetudine licet comparendum, eidem concilio omnium nomine intereſſendum & aſſiſtendum, ac omnia & ſingula, quæ ad ſacroſanctæ noſtræ religionis diſſidia tollenda ſpectare cognoverit agendum, diſſonaque componendum, & componi videndum, univerſalis almæ noſtræ matris eccleſiæ, conveniens bonum, quantum queat, promovendum, illiuſque nævorum ſi qui reperiri queant, exactionem petendum & obtinendum. Necnon quæ ad Chriſti ſponſæ reformationem, pacem & tranquillitatem expedire perſpexerit allegandum, promovendum, conſultandum, & decidendum, atque nos omnes & ſingulos, noſtramque abſentiam propter prædicta impedimenta fideliter & humillime excuſandum: omniaque & ſingula alia dicendum, gerendum, & exercendum, quæ in præſenti negotio dicere, gerere, & exercere neceſſaria fuerint, aut quomodolibet opportuna. Quæque nos ipſi omnes & ſinguli agere aut exequi poſſemus, ſi præſentes & perſonaliter omnibus & ſingulis præmiſſis intereſſemus, unum quoque vel plures procuratorem ſeu procuratores, cum ſimili aut limitata poteſtate loco ſui ſubſtituendum, eumque vel eos revocandum, & onus procurationis hujuſmodi, ut prius, reaſſumendum totiens quotiens opus fuerit, ipſique placuerit, ſeu viſum fuerit expedire, præſenti nihilominus procuratorio in ſuo robore ſemper duraturo. Promittentes & quilibet noſtrum promittens, nos ratum, gratum, atque firmum perpetuo habituros totum id, & quicquid per dictum noſtrum conſtitutum, aut ab eo ſubſtituendos procuratores, & eorum quemlibet dictum, actum, geſtumque fuerit in præmiſſis ſeu aliquo præmiſſorum: Relevantes, & relevare volentes eoſdem, & eorum quemlibet ab omni onere ſatiſdandi ſub expreſſa hypotheca & obligatione, omnium & ſingulorum bonorum noſtrorum, & monaſteriorum noſtrorum mobilium & immobilium, præſentium & futurorum, ſuper quibus præmiſſis omnibus & ſin-

Pſal. 12.

Pſal. 123.

ANNO CHRISTI 1562.

& singulis, præsentes nostras literas exinde fieri, singulorumque præfatorum dominorum Diethelmi sancti Galli, & Michaelis in Reynow abbatum, & Nicolai in aula prope Luceriam præpositi nostrorum omnium nomine appensione, & notarii nostri infra scripti, fecimus subscriptione communiri. Datum Rappeswilæ, die XXVII. mensis Januarii, anno domini MDLXII.

ANNO CHRISTI 1562.

LVII.

ORATIO HABITA A REVERENDO patre "Adamantio ordinis Eremitarum sancti Augustini, nomine oratoris septem cantonum Helvetiorum catholicorum in ejus comparitione, die XX. *Martii, anni* MDLXII.

" Diamante dicitur in editione Parisiensi, anni 1563.

QUANTUM parentibus vitæ nostræ auctoribus debeamus, illustrissimi ac reverendissimi, sacri & œcumenici concilii præsides, oratores clarissimi, vosque antistites reverendissimi; nemini, arbitror, est obscurum, aut dubium. Tanti enim est officium, quo parentes colere jubemur, ut statim post illa tria summa de Deo præcepta, nobis traditum, & commendatum fuerit, quo intelligeremus debere nos prima & præcipua officia parentibus post Deum impendere. At si iis, qui nos in hanc corporalem, & communem lucem ediderunt, tantum tribuendum est, quantum, quæso, illud erit, quod matri ecclesiæ, quæ nos in Christo genuit, debebimus. Ab ipsa enim sola in nos manant, quæcunque vera, & solida beneficia sunt: ipsa nos in veram vitam, seu potius æternam beatitudinem gignit, verbo Dei alit, sacramentis salutaribus nutrit, denique quicquid habemus salutis, eidem, ut piæ matri totum acceptum referimus. Eam ob causam omnes, qui se legitimos ejus filios profitentur, materno quodam jure tenentur ejus dignitatem contra oppugnantes, suo etiam cum periculo defendere dare operam, conari & niti, ne illius sacrosanctus honor ab ullo hominum violetur, cuncta ejus opprobria non secus ac sua ducere & vindicare, ac denique vitam ipsam, si contingat, exponere. Et si vero nunc peradmodum paucos videmus sanctissimo isto zelo accensos, qui hisce se periculis illius causa objicere audeant, ac potius sint valde multi, qui illam magis a se delertam quam defensam velint, fidelis tamen Deus est, qui cum ecclesiæ suæ nunquam se defuturum promiserit, nec nunc etiam illam in tanta perturbatione deseruit. Ecce enim Pius noster pontifex maximus, non passus ecclesiam sibi creditam tot periculis agitari, ac tot hæreticorum factionibus scindi, illud adhibuit remedium, quod in ejusmodi gravissimis tempestatibus tutissimum perfugium, & quasi sacra ancora semper existimatum est. Hic enim in hac Tridentina civitate sacrosanctum generale atque œcumenicum concilium instituit & aperuit. Quod sane ut ad optimum finem perducat, utque illud patribus pietate, & doctrina claris numerosius, & ornatius in dies efficiat, nulli labori, nullis incommodis omnino parcit. Existimat enim hac una rationem rebellium animos, ac cervices facilius flecti, si inter catholicorum gregem, tractandi, colloquendique gratia conveniant, ut auditis sanioribus rationibus mitescant, & sanentur. Fuit igitur hic nuncius, Christianorum auribus gratissimus juxta ac lætissimus, hic, inquam, promulgati concilii nuncius. Nemo enim non credit hanc unam esse rationem, qua tantis ecclesiæ malis, cum divino in primis auxilio succurri & subveniri possit, nemo non sperat se hac ratione a tantis angustiis, tantoque timore facile emergere, & ereptum iri. Quamobrem pene cuncti Christiani principes, hoc tam pium negotium, non magis ad ecclesiæ pastores, quam ad se pertinere rati, suos huc oratores miserunt, cum, ut gerendis in sacro concilio eorum nomine interessent, tum, ut rem tam necessariam omnibus viribus adjuvarent: sunt enim & ipsi membra ecclesiæ, & tanquam stellæ in firmamento positæ, quorum est post Solem, id est summum pontificem in subjectos populos secundum datam de cœlo potestatem, virtutem influere. Itaque consules septem pagorum seu cantonum, ut vocant, laudatissimorum Helvetiorum superioris Germaniæ, quales sunt, Lucernenses, Uranienses, Suithienses, Sylvanienses supra & subtus Sylvam, Tugienses, Friburgenses, & Solodorienses, qui erga sedem apostolicam, & vestrum hunc sanctissimum ordinem bene semper fuerunt affecti, noluerunt & ipsi in re tam necessaria, & in publica quasi totius orbis causa, suos oratores desiderari. Ea præsertim de causa, quod cum audierint his sacrosanctis comitiis jacta esse tam pia, tam religiose auspicata fundamenta, in eam spem venerunt, ut brevi se visuros sperent, quæ nunc in ecclesia, nequitia satanæ, qui superseminavit zizania, sunt dispersa & disjecta, nedum congregata, sed omnia unum, uti prius erant, esse effecta. Quod, ut ad Dei laudem, & Christianorum salutem quam celerrime fiat, in suis orationibus, & privatim & publice comprecantur.

Quamobrem iidem Helveticorum consules communi consensu dominum hunc Melchiorem Lusi Amannum Subsylvanienſium subtus Sylvam nobilem & strenuum sanctæ Romanæ ecclesiæ militem deauratum, virum omni probitate, & virtute ornatum, uti inter suos præcipuum huc ad vos delegarunt, ut omnibus, quæ in hoc sacro concilio gererentur, interesset, & in omnibus decernendis fidem & obedientiam eorum nomine publice sponderet. Cupiunt enim maxime, & vehementer exoptant, hoc vobis testatum relinquere, se quidem quod ad fidem, religionem, & obedientiam attinet, itemque alacritatem, & studium juvandi Romanam sedem nullis populis, qui Christiani censentur, cedere, nullisque se inferiores putare. Gratias enim Deo agunt, quod ejus munere sibi datum est, quod iis viribus, quibus invicti fere semper extiterunt, in hujus sedis beneficium semper usi sunt.

Et ne commemorem, qualem operam ecclesiæ ante Julii II. tempora, ipsi Julio II. & Leoni X. pontificibus maximis præstiterunt, ut præteream tot contra infestissimos ecclesiæ hostes partas victorias, satis erit hoc tantum argumento eorum fidem comprobasse, quod cum sint ipsis fidei hostibus, nedum finitimi, sed etiam conjunctissimi, nunquam adduci potuerunt, ut in eorum perversa dogmata aliquando concederent, aut transirent, licet ab eis quotidie omnibus pene machinis oppugnentur, quin potius eis semper constantissime restiterunt, & tanquam legitimi Israelitæ nunquam cum execratis Moabitis jungere prophana connubia voluerunt.

Et hoc apertissime declararunt, quando inito cum illis ipsis religionis causa bello, immanissimum, ac nefandissimum ecclesiæ hostem Zwinglium hæresiarcham peremerunt, extractumque e cadaveribus combusserunt, quo testarentur sibi cum illis, quamdiu extra ecclesiam manere vellent, perpetuum bellum, & vere ἀσπονδον fore. Nec sine causa arbitror in ipsis Italiæ limitibus, & fini-

ANNO CHRISTI 1562.

& finibus conſtituti ſunt, ut ſcilicet tanquam validum propugnaculum obſtarent, ne grave malum, quod ab aquilone, juxta prophetæ vaticinium quotidie panditur, in ipſius Italiæ viſcera tam facile irrumpat & penetret.

Hæc autem atque ejuſmodi multa, quæ Helveticorum virtutem teſtantur, etſi vobis, ampliſſimi patres, perſpectiſſima & notiſſima eſſe arbitror, teſtari tamen placuit, non quidem jactationis, aut ullius gratiæ promerendæ ſtudio, ſed ut quique exploratiſſimum & perſuaſiſſimum habeant, Helvetios erga Romanam ſedem tales ſemper fore, quales omnibus prope ſeculis fuerint, atque eundem ſemper animum in ejuſdem beneficium & ſua ſponte, & rogatos allaturos.

LVIII.

RESPONSUM SANCTÆ SYNODI in admiſſione oratorum ſeptem cantonum Helvetiorum catholicorum. Datum in eadem eorum comparitione, die XX. *Martii, anni* MDLXII.

MULTA ſunt, oratores præſtantiſſimi, & ea quidem præclara fortiſſimæ Helvetiorum gentis in Chriſtianam religionem merita, ejuſque magna & eximia in ſanctam apoſtolicam ſedem pietatis, & obedientiæ officia omni tempore exiterunt. Quæ, etſi nunc a ſancta ſynodo non commemorantur, clariſſimis tamen literarum monumentis conſignata, ſempiternam vobis laudem pepererunt, ac quod vere Chriſtianis hominibus, & ſolidæ felicitatis amantibus, multo optabilius eſſe debet, apud Deum (ut apoſtoli verbis utamur) æternum gloriæ pondus promeruerunt. Verum quamvis cetera pietatis veſtræ ſtudia magna ſane & illuſtria ſint, tamen haud facile dixerim, an ullum magis opportunum officii, & obſequii genus, vel Chriſtianæ reipublicæ magis ſalutare ab Helvetiis profectum fuerit, quam quod ad ſanctam hanc œcumenicam ſynodum honeſtiſſima legatione miſſa, ſe tanquam optimos eccleſiæ filios omni ratione communis matris cauſam, & dignitatem defenſuros eſſe apertiſſime declararint.

II. Cor. 4.

Teſtatum illud quidem antea ſæpius fecerunt invicta quadam animi fortitudine & conſtantia, cum ferro, & armis pro vera religione dimicandum fuit: Attamen eo nunc commendatior apud omnes, & Pio IV. pontifici maximo gratior eſſe debet veſtra hæc, quam ſedulo præſtatis, opera, induſtria, ac ſancta ſolicitudo, quia non ad unam aliquam Chriſtianæ reipublicæ partem juvandam, ſed ad univerſam pene ab impiorum ſcelere, una cum aliis, quibus eccleſiæ ſalus curæ eſt, vindicandam prompto, & alacri animo accurriſtis. Quod igitur ſancta ſynodus ad officium ſuum pertinere exiſtimavit, primum quidem vos, oratores præſtantiſſimi, ſalvos, & incolumes adveniſſe tam vehementer lætatur, ut de eo etiam maximas gratias Deo optimo & immortali nullum neque agendi, neque habendi finem faciat: quippe cum præter optimi, & Chriſtianiſſimi Cæſaris Ferdinandi, in cujus fide, & clientela potiſſimum conquieſcit, regumque ac principum egregiam erga ſe voluntatem, & propenſionem, magnum etiam præſidium in veſtræ laudatiſſimæ nationis ſtudio ad ea perficienda jam pridem collocarit, quæ Pius IV. divino quodam beneficio turbulentis hiſce temporibus eccleſiæ pontifex datus, rite & legitime convocato generali concilio inſtituit.

Hoc autem ſancta ſynodus de optimo Helvetiorum animo ante ſemper cognito, ac perſpecto eo magis ſibi nunc pollicetur, cum vos tales viros ad tantæ legationis munus obeundum delectos eſſe animadvertat, quorum in altero maximarum rerum uſum, ſummamque bellicæ virtutis laudem, in altero ſummam eccleſiaſticæ diſciplinæ gravitatem, religionem, doctrinam, in utroque autem incredibilem in Deum pietatem, & in ſanctam apoſtolicam ſedem obſervantiam, & devotionem mirifice commendari non ignorat. Quibus de cauſis vos jam ſummo amore proſequitur, & in poſterum omni officii genere complectetur. Quod vero in defendenda ſanctæ Dei eccleſiæ auctoritate, & dignitate perpetuum Helvetiorum ſtudium profitemini, de tam pia voluntate ac mente, ex qua præcipuam nominis commendationem majores veſtri ſibi, & poſteris compararunt, vobis ſancta ſynodus tum immortales gratias agit, tum ex animo gratulatur, nec dubitat quin (adjuvante domino) conſtantiſſima, & invicta natio in eadem ſententia permanſura ſit, non ſolum, quia diuturna, aut firma libertatis veſtræ defenſio a veræ pietatis cultu ſejuncta eſſe non poteſt; verumetiam, quod tantis jam rebus pro fidei catholicæ, & eccleſiaſticæ libertatis propugnatione fortitet, & feliciter geſtis, veſtri jam ſimiles non eſſe vobis unquam licebit. Mandata vero veſtra quoad juris eſt, libenter admittit.

ANNO CHRISTI 1562.

COMPARITIO ORATORIS Sigiſmundi regis Poloniæ, die XXIII. Octobris, anni MDLXII.

Literæ.
Oratio.
Reſponſum.

LIX.

LITERÆ SIGISMUNDI REGIS Poloniæ, exhibitæ ab ejus oratore in ſua comparitione, die XXIII. *Octobris, in generali congregatione* MDLXII.

SIGISMUNDUS Auguſtus, Dei gratia, rex Poloniæ, magnus dux Lituaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæque, &c. dominus & hæres, reverendiſſimis in Chriſto patribus, dominis ſanctæ eccleſiæ Romanæ cardinalibus, ac ſacroſancti concilii Tridentini legatis, ceteriſque reverendis & venerabilibus dominis epiſcopis, abbatibus, ordinum generalibus, ac aliis omnibus univerſale œcumenicum concilium Tridenti repræſentantibus, amicis noſtris cariſſimis, ſalutem, & benevolentiæ noſtræ commendationem. Reverendiſſimi in Chriſto patres, & reverendi, ac venerabiles domini amici noſtri cariſſimi, fecimus pro officio noſtro regio, ut ad hunc celeberrimum & ſacroſanctum dominationum veſtrarum conventum ablegaremus noſtro nomine reverendum in Chriſto patrem, dominum Valentinum Herburtum epiſcopum Præmiſlienſem oratorum noſtrum. Cui quoniam noſtro nomine quædam ad dominationes veſtras renuntianda commiſimus, ab illis petimus, ut eum differentem benigne audiant, ipſiuſque verbis non multo minus quam noſtris fidem adhibeant. Quas optime valere cupimus. Datæ Vilnæ, die VI. menſis Septembris, anno domini MDLXII. Regni vero noſtri anno XXXIII.

Sigiſmundus Auguſtus rex.

A ter-

ANNO CHRISTI 1562.

A tergo.

REVERENDISSIMIS IN CHRISTO patribus, dominis sanctæ ecclesiæ Romanæ cardinalibus, ac sacrosancti concilii Tridentini legatis, ceterisque reverendis ac venerabilibus dominis episcopis, abbatibus, ordinum generalibus, ac aliis omnibus universale œcumenicum concilium Tridenti repræsentantibus amicis nostris carissimis.

LX.

ORATIO HABITA A R. D. VALENTINO episcopo Præmisliensi, oratore serenissimi domini Sigismundi regis Poloniæ, in ejus comparitione in generali congregatione, die XXIII. *Octobris, anni* MDLXII.

SERENISSIMUS & clementissimus dominus meus rex, illustrissimi sedis apostolicæ legati, amplissimi oratores, reverendissimi in Christo patres, venerabilesque viri, eo nomine quod hoc sacrosanctum concilium tam necessario tempore coactum sit, ecclesiæ Dei unicæ dilectæ in domino nostro Jesu Christo parenti suæ, vehementer gratulatur. Cui pravis & perniciosis impiorum hominum opinionibus, ceu violentissimis tempestatibus jactatæ atque afflictæ, nihil opportunius, nihilque magis necessarium, quam hoc sacrosanctum concilium accidere potuisse existimat. Scit enim sacra illius majestas ejus generis tempestates, nulla re commodius, quam œcumenicis conciliis, posse, aut unquam potuisse ab ecclesia Dei propulsari. Et ut ex optimo animo serenissimus rex hoc tam per opportunum, & perne cessarium negotium ecclesiæ Dei gratulatur: sic de singulari vestra pietate, omnia præclara, atque egregia sentiens, facile sibi persuadet. Vos unum id agere, in id unum incumbere, ut salutaribus hujus sacræ synodi conciliis, tam horribilis ecclesiæ Dei tempestas componi, aut disjici possit. Et est (Deo optimo maximo sit gratia) serenissimi regis mei hæc de vobis opinio minime vana. Nam video omnes curas cogitationesque vestras in salutem ecclesiæ Dei conversas, video vos ea de re vehementer esse solicitos. Est omnibus catholicis viris, semperque erit serenissimo regi meo grata, & jucunda vestra tam necessaria, & pia solicitudo, eam vos memores salutis vestræ non debetis deponere. Hæc enim muneris nostri conditio, nobis divinitus data est, ut omnes curas, solicitudinesque patienter perferamus, dum iis rebus ecclesiæ Dei pax, ac tranquillitas salusque pariatur. Et eo certe id nobis diligentius faciendum est, quod nisi id fecerimus, certo scimus nobis illam æternam curam atque solicitudinem, quæ instar pestiferi vermis conscientiam conficit, esse subeundam. Sed non est quod quisquam vereatur commissuros vos unquam, ut curæ aliquid & diligentiæ prætermittatis, in hoc sacrosancto concilio optato fine terminando. Nam cum obsessa impiorum hominum furore, velut facibus ac telis, ad vos tendat supplex manus catholica ecclesia, vobis se, vobis gregem pretioso sanguine domini nostri Jesu Christi redemptum, vobis aras, templa, ipsumque summum Dei optimi maximi cultum commendans, eritis ne tam duri, ut illam in extremo discrimine deseratis? nec de illius salute, instituta consilia inire perseveretis? Vos vero pro vestra pietate, non modo id non facietis, sed ne cogitabitis quidem.

ANNO CHRISTI 1562.

Quod autem in tanta oppugnatione, ac magnis procellis ecclesiæ, sacrosanctum hoc concilium velut præsens auxilium, ac gratissimus Sol illuxit, id primum Dei benignitati, deinde beatissimo ac maximo pontifici Pio quarto merito acceptum ferre debemus. Quas enim ille pontifex impensas, quos labores, quas curas non suscepit ac pertulit, priusquam hunc vestrum sanctissimum gravissimumque cœptum coegit! Quæ igitur illi pro tam ingenti divinoque beneficio præmia, quæ honoris insignia, quæ laudum munimenta ab ecclesia Dei non debentur? Sed cum ille suo tam præclaro ac egregio facto contentus, ista non postulet, hoc tamen vel invitus consequetur, quod id illius præstans in ecclesiam Dei beneficium mortalium memoria aletur, sermonibus crescet, atque literarum monimentis inveterascet, corroborabiturque: ac ita demum sempiternum est futurum, nec illud ulla unquam ætas conticescet. Neque vero illud non opportune Dei benignitate accidit, quod ad ecclesiæ salutem defendendam tuendamque pius, & invictissimus imperator, ac alii catholici reges, principes, resque publicæ magno studio, ut ex hac oratorum clarissima, magnaque frequentia cognosci potest, consentiunt. Quid serenissimus ac clementissimus dominus meus rex? dissensit ne ab hac tam pia causa a reliquis catholicis regibus? Is vero cum illis mente, voluntate, studio ac virtute, ad conservandum veterem illum catholicæ religionis statum vehementer consensit. Ac in eo studio se regiis facultatibus suis huic sacrosancto concilio non defuturum offert atque pollicetur. Nam cum is serenissimus rex meus sapientia, justitia, fortitudine, temperantia, omnique illo pulcherrimo choro virtutum stipatus, ac in primis ornatus sit: tum pietatis tanto, quantus esse maximus potest, lucet splendore. Quot enim is templa, delubraque honoris, & cultus Dei optimi maximi gratia magnifice extruxit, ac copiose ampliſſimeque ditavit? Quantum extat ejus studium in vera religione augenda, dilatanda, ac etiam ad barbaras gentes regno suo vicinas proferenda? Jam vero quanto studio contendat, & elaboret, ut hæc lues tetra, quæ nostro sæculo plerasque Europæ provincias pervagata est, si minus funditus evelli, saltem reprimi & sopiri queat, nos qui regni illius incolæ sumus, testes locupletes esse possumus.

Sed quid omnia serenissimi regis mei pietatis certissima signa persequi necesse est, cum non mediocre ejus rei documentum sit, quod cum ipse belli, ac regni sui gravissimis negotiis impeditus, ad hoc sacrosanctum concilium venire non posset, me licet indignum suum oratorem miserit. Noluit enim pius rex in hoc totius Christiani orbis, de componendis dissidiis religionis ardore a beatissimi maximique pontificis, ac ab omnium catholicorum regum studio, studium quoque suum abesse. Sed factum fortasse est, ut sacra illius majestas, in ea re serius aliquanto ecclesiæ Dei ac ipsi religioni officium suum præstitisse videatur. Id vero officium si diligentius examinetur, penitiusque inspiciatur, profecto præmaturum potius, quam serum esse judicabitur. Nam cum in veteri more ac instituto regni serenissimi regis mei hoc positum sit, ut de decernendis, mittendisque quaquaversum legationibus in comitiis regni suscipiatur deliberatio, utique nisi comitiali decreto intercedente,

orator

ANNO CHRISTI 1562.

orator regiæ majestatis huc non erat mittendus. Sed cum serenissimus rex aliquot jàm annis a regno suo in remotioribus regionibus belli negotiis vehementer impeditus abesset, ac ob eam causam facultatem celebrandorum comitiorum regni ad hoc usque tempus prorsus sublatam sibi videret, diutius pro sua pietate se tenere non potuit, quin hùc oratorem suum, non expectato ea de re comitiali decreto ablegaret. Ex quo satis cuivis perspicuum esse potest, quod serenissimus rex meus maturius oratorem suum huc miserit, quam per morem in regno receptum, ei licere videbatur. Id vero eo fecit alacrius, quod ea, quæ in Christianam religionem hac nostra infelici ætate grassatur pestis, pestiferum virus suum in regnum quoque illius majestatis longe lateque diffudit. Quod quidem malum serenissimus rex a suo regno, ac ab universo Christiano orbe aversum & propulsatum in salutaribus ejus concilii decretis, confidit ac sperat.

Quæ ne spes eum atque adeo universum terrarum orbem fallat, per viscera misericordiæ domini nostri Jesu Christi obsecro, ea qua cœpistis solicitudine curate. Nihil enim ad eam tempestatem, qua navis vobis commissa jactatur, componendam, nihil ad eam pestem, qua gregem, cujus pastores estis, populari videtis, depellendam vobis deesse videtur. Nam & præclara ejus consilii occasio, & tanta quanta videtis, catholicorum regum ac principum studia, modo non emissa voce, vestri officii vos admonent, utque iis tantis malis occurratis atque obsistatis expostulant. Quibus autem rationibus fieri possit, Deus optimus maximus vobis inspiret, ac quæcunque inspiraverit illa in honorem & gloriam suam, vestram totiusque catholicæ ecclesiæ salutem propitius redundare velit.

LXI.

RESPONSUM SANCTÆ SYNODI in admissione oratoris serenissimi domini Sigismundi regis Poloniæ in generali congregatione, die XXIII. *Octobris, anni* MDLXII.

REVERENDISSIME & illustrissime domine orator, Sigismundi Augusti optimi, ac potentissimi regis vestris singularis pietas, & excellens juvandæ catholicæ ecclesiæ studium adeo perspectum sacræ synodo semper fuit, ut quemadmodum summa cum lætitia & voluptate ejus legatum advenientem excepit, ita certe nullam moræ & tarditatis excusationem ab ejus majestate expectandam esse unquam existimavit. Cum enim serenissimus Poloniæ rex is sit, qui acceptam a clarissimis regibus majoribus suis catholicæ fidei veritatem, non solum ipse constanter retinuerit, verumetiam optimis legibus, ac continentibus prope bellis, a nefariorum hominum scelere atque impetu defendendam summa cum laude susceperit, satis per se sacra synodus intelligebat, eum celeberrimo huic, ac legitimo totius orbis concilio animo interesse, eandemque pietatem omni tempore sanctæ Dei ecclesiæ reipsa præstiturum esse, quam invictissimus Cæsar, ceterique Christiani orbis reges, ac populi, missis legationibus professi essent. Accedebat autem Hosii cardinalis amplissimi aspectus, præsentiaque ad declarandam regiam mentem & voluntatem, veluti magnum aliquod atque illustre testimonium. Neque enim dubitari poterat, Sigismundum Augustum regem omnia, quæ ad sacræ hujus synodi decus & ornamentum pertinerent, summo studio curaturum esse, in qua ditionis suæ hominem apostolicæ sedis legationem obire perbenigne pateretur. Hæc igitur sunt, præstantissime orator, quæ hactenus fecerunt, ne ab hoc generali concilio regis vestri pietas, & auctoritas abesse videretur. Verum quando per legatum etiam summa religionis & prudentiæ, & integritatis laude præditum adesse voluit: hoc quidem sacræ synodo eo jucundius accidit, quod intellexit ejus majestatem, non expectatis regni comitiis, de hac re deliberasse, ne scilicet cum ea longius differrentur, aliquod pietatis officium ab optimo & religiosissimo rege defuisse illis videri posset, qui minus sincere, atque adeo invidiose catholicorum principum facta interpretari solent. Quare sancta synodus regiæ majestati de honorificentissima legatione, deque ejus in catholicam & apostolicam ecclesiam egregia voluntate, maximas gratias agit. Deinde vero te, reverendissime domine, non solum quia illius regis, cui nihil antiquius vera religione unquam fuit, personam geris, sed quia Hosii cardinalis & legati amplissimi laudatione es ornatus, non potest hoc munere non dignissimum judicare, libentissime excipit, mandatumque tuum, prout juris est, admittit. Quod autem sanctam synodum hortaris, ut Dei causam, quam suscepit, ita tueatur, ut aliquando sancta ecclesia pristinam dignitatem recuperare queat, illà quidem sua sponte incitata, in hanc curam omni cogitatione incumbit: lætaturque Dei misericordia tam præclara divini hujus operis fundamenta jacta esse, ut divina ope & auxilio freta, speret fore, ne cum sibi a Pio IV. pontifice maximo, cujus virtutem immortalitati consecratam omnes ætates admirabuntur, summa constituendæ ecclesiæ adjumenta suppeditata fuerint, ipsa suo muneri & officio defuisse existimari possit.

ANNO CHRISTI 1562.

COMPARITIO ORATORIS Emmanuelis Philiberti ducis Sabaudiæ, die ultima Januarii, anni MDLXIII.

Literæ.	Mandatum.
Oratio.	Responsum.

XLII.

LITERÆ DUCIS SABAUDIÆ, exhibitæ ab ejus oratore in generali congregatione, ultima Januarii, anni MDLXIII.

ILLUSTRISSIMI & reverendissimi patres: In tanta rerum perturbatione, in qua totus Christianus orbis periclitatur, illud nobis, ut certissimum ita unicum remedium, quod ab istius sacrosancti concilii diu desiderata diffinitione dependet, relictum esse videtur. Reliquæ enim omnes, quæ huic morbo adhibentur, medelæ, vulnus potius exacerbare, quam obducere dignoscuntur. Quare & pontifice summo, qui hoc tam salubre medicamentum adhiberi voluerit, & vobis omnibus, qui vestra opera, diligentia, virtute, in hanc rem prorsus incumbere, & pro religione tot labores sustinere non recusatis, maximè sunt agendæ gratiæ: Christianis vero omnibus summopere gaudendum, quod religione suo pristino candori restituta, & omnibus erroribus deplosis, viam, quam sequantur, veritatis minime sint ignoraturi. Mihi quidem nulla res gratior, nec desiderabilior obvenire poterat, tum totius reipublicæ Christianæ causa, tum etiam populorum meorum, ut quos a bellorum anfractibus, divino

[a] *f.* depulsis autexplosis.

mune-

ANNO CHRISTI 1563.

munere liberatos mea magna lætitia conſpicio, eos etiam animarum pace fruentes, majores cum gaudio intelligam. Quod ſi ſerius ad vos oratorem & procuratorum meum, qui mos omnibus catholicis principibus eſt antiquus, deſtinavi, id facile mihi a vobis condonatum iri exiſtimo, ſi varia atque eadem gravia negotia, quæ me hactenus totum occupaverunt, conſiderare non dedignabimini. Nunc cum primum licuit, reverendum epiſcopum Auguſtenſem, iſthuc mittendum curavi, qui & oratoris & procuratoris mei munere, apud iſtam ſacroſanctam ſynodum fungatur: ab eo intelligetis, & quanto in periculo conſtituti ſimus, & quo teneamur deſiderio conventum hunc veſtrum unanimi conſenſu ad totius orbis Chriſtiani quietem, & ad catholicæ religionis augmentum, perfici: qua denique afficiamur voluntate veſtra decreta, veſtraſque diffinitiones, quantum in nobis erit, omnibus favoribus proſequi & adjuvare, ut quod a vobis (Spiritu ſancto cooperante) determinatum fuerit, id a nobis pro virili noſtra ſinceriſſime executioni demandetur. Valete. Taurini Kalend. Januarii MDLXIII.

A TERGO.

ILLUSTRISSIMARUM & reverendiſſimarum DD. VV. obſequentiſſimus filius dux Sabaudiæ.

E. Philibertus.

LXIII.

MANDATUM DUCIS SABAUDIÆ exhibitum ab ejus oratore in generali congregatione die ultima Januarii MDLXIII.

CUM Philibertus Dei gratia dux Sabaudiæ, Chablaſii, & Auguſtæ, ſacri Romani imperii princeps, vicariuſque perpetuus, marchio in Italia, princeps Pedemontium, comes Gebennarum, Gebenneſii, Baugiaci, Recondimontis, & Aſtæ: baro Vaudi, Gai, & Faucigniaci, Niciæque, Breſciæ, ac Vercellarum, &c. dominus. Univerſis pateat, quod cum ſereniſſimus in Chriſto pater, dominus Pius divina providentia Papa IV. pro hæreſibus extirpandis, moribus reformandis, abuſibus corrigendis, atque aliis, quæ ad catholicæ religionis veritatem aſſerendam, priſtinumque candorem reſtituendum neceſſaria fuerint, proponendis, tractandis, diffiniendis, & exequendis, ſacrum œcumenicum concilium in civitate Tridentina proſequendum indixerit, quo in loco multi jam patres convenere, atque huic tam ſalubri, ac neceſſario negotio operam navare minime deſinunt. Nos pro ea, qua erga religionem catholicam afficimur pietate, ſacroſanctum hunc conventum omni ſtudio, omnique favore proſequi cupientes, ut pro virili noſtra univerſæ reipublicæ Chriſtianæ, & his præſertim populis, quibus regendis divina nos præpoſuit benignitas, in re tam neceſſaria prodeſſe valeamus, ut principem decet Chriſtianum, noſtrum illuc oratorem & procuratorem tranſmittere decrevimus. Confiſi itaque de fide, legalitate, ſcientia, probitate, rerum experientia, aliiſque virtutum moribus, reverendiſſimi conſiliarii noſtri cariſſimi domini Marci-Antonii Bobæ epiſcopi Auguſtenſis, eundem epiſcopum oratorem, & procuratorem noſtrum elegimus, deputavimus, & fecimus, ac tenore præſentium ex certa noſtra ſcientia, motuque proprio, & citra aliorum per nos hactenus conſtitutorum procuratorum revocationem eligimus, deputamus, & facimus, eique auctoritatem & facultatem impartimus noſtro nomine, ſeſe dictæ ſacræ ſynodo præſentandi in congregationibus, ſeſſionibus, aliiſque in locis, ubi fuerit opportunum, interveniendi, ea, quæ Chriſtianæ reipublicæ neceſſaria & utilia fuerint, proponendi, decretis & diffinitionibus aſſiſtendi, illaque & illas acceptandi, atque illorum, & illarum obſervantiam promittendi, ac demum omnia alia in præmiſſis, & circa tractandi, gerendi, negotiandi & concludendi, quæ nos, ſi præſentes eſſemus, tractare, gerere, negotiari & concludere poſſemus. Promittentes in verbo principis, omnia & ſingula per dominum epiſcopum oratorem & procuratorem noſtrum, propoſita, tractata, concluſa, acceptata, & promiſſa, rata, grata, & firma habere, & tenere, eaque inviolabiliter obſervare: renunciantes quibuſcumque legibus, privilegiis, & aliis omnibus, quibus contra præmiſſa, vel aliquod præmiſſorum facere, vel venire poſſemus. In quorum fidem, has manu propria ſubſcripſimus. Datum Ripolis die 1. Januarii MDLXIII.

ANNO CHRISTI 1563.

E. Philibertus.

LXIV.

ORATIO HABITA A REVERENDISSIMO domino epiſcopo Auguſtenſi, oratore illuſtriſſimi domini Emmanuelis Philiberti, ducis Sabaudiæ, in ejus comparitione.

VELLEM illuſtriſſimi & reverendiſſimi patres, tantum mihi hodie daretur eloquentiæ, ut in hoc digniſſimo conſeſſu, pro rei, de qua agitur, gravitate, & pro ejus, cujus nomine ad vos venio, principis egregia in religionem catholicam pietate, nonnulla breviter explicare poſſem, non quod exiſtimem oratione quantumvis prolixa & elaborata, poſſe me quicquam, non dicam plene complecti, ſed ne ſummatim quidem per capita attingere, quod non a vobis, & acutiſſime præviſum, & diligentiſſime examinatum fuerit: ſed quoniam rem vobis minime ingratam, & fortaſſe non omnino inutilem me facturum puto, ſi quanti apud homines veſtri fiant labores, quomodo veſtra probentur conſilia, quæ denique ſit omnium de vobis expectatio, curſim expoſuero: mox aliqua de glorioſiſſimo principe Emmanuele Philiberto Sabaudiæ duce ſubjecero, quæ licet vobis ſint notiſſima, ea tamen ſilentio prætereunda non eſſe duxi, quod earum rerum, quæ maxime expetuntur & proſunt, jucunda mirum in modum ſolet eſſe rememoratio. Illud itaque vos minime latere ſcio, cum ſuperioribus annis ſeditio hæc peſſima, Chriſtianam Rempublicam invaſit, & modicis non contenta finibus, longe lateque pervagaretur, eam bonorum omnium fuiſſe ſententiam, concilium cogendum eſſe, cujus auctoritate ſalubris huic morbo medela adhiberetur, eoque non tantum male affectæ provinciæ purgarentur, ſed ne aliæ polluerentur, quam citiſſime provideretur, id aliquando impetratum eſt, conciliumque hac in eadem civitate agi cœptum, qua in re cum a patribus vigilantiſſime inſudaretur, renovato inter eos principes bello, apud quos ſumma Chriſtiani

orbis

ANNO CHRISTI 1563.

orbis & potestas, & auctoritas erat, ab eo, re imperfecta, cessatum est: quæ cessatio ut maximum bonis omnibus dolorem attulit, ita catholicæ religioni graviores peperit difficultates. Nam multi, qui cum concilium perageretur, illius censuram perhorrescentes obmutuerunt, ut eo timore sese liberatos dimissis patribus crediderunt, audaciores facti, quasi tempus, quo tacuerant, recuperare volentes, non secus ac amnis intra claustra aliquandiu conclusus, sublatis obicibus, vehementius defluit, acrius venena sua diffundere, & contra receptas ab Ecclesia sententias novas afferere opiniones non destiterunt, donec omnibus perturbatis, Galliam ipsam nobilissimam, atque eamdem religiosissimam provinciam in hoc, quod videtis patres, discrimen traxerunt. Sed quid dixi Galliam? imo verius universum orbem: hac enim amissa, alias provincias diu in religione contineri non posse, summopere timendum est.

Quare cum res in maximam viderentur redactæ desolationem, omnipotens Deus, qui semper præsto est in tempore opportuno, pace inter principes conciliata, hujus instaurandi concilii facultatem nobis restituit, quod divina primum bonitate, deinde sanctissimi domini nostri Pii IV. prudentia, & incomparabili erga creditam sibi ecclesiam caritate, singulari etiam principum Christianorum voluntate, vestra præterea patres, virtute & diligentia frequentissimum, & certe reipublicæ Christianæ maxime necessarium conspicimus, quam vero utile futurum sit, res ipsa indicabit. Hoc tam celebri conventu omnium permoti animi, omnium excitata studia, omnium spes erectæ, omnes vos laudare, omnes vos admirari, quod in tempore tam difficili domibus, opibus, amicis, propinquis, ecclesiis vestris relictis, non æstus, non frigora, non maria, non hostium gladios exhorruistis, quod vos hue religionis tuendæ, & pacis in ecclesia Dei constituendæ, gratia conferretis.

Fingite vos, patres, in amplissimo theatro constitutos esse, & hujus vestræ actionis omnes homines spectatores habere, summos, infimos, bonos, malos, pios, impios, sed non omnes eisdem oculis, eademque mente vos intueri: non omnes eumdem exitum hujus negotii expectare. Alii enim, quam sibi soli sapere videntur, & de nobis pessime sentiunt, nihil aliud in votis habent, quam ut conventus hic, qui præter suam ipsorum opinionem celeberrimus evasit, discordibus sententiis dissolvatur, illud secum ratiocinantes (& mehercule summa cum ratione) nihil religioni Catholicæ perniciosius, nihil quod eorum malam causam magis adjuvet, evenire posse: quare si quæ inter vos aliquando exoriuntur quæstiones, quæ longiori egeant tractatu, tum vero maxime exultant, & ut hominum sunt ingenia, qui ea facillime credunt, quæ vehementer cupiunt, has controversias ad concordiam redigi minime posse certissime sibi persuadent. nihil minus, quam Spiritum sanctum in nobis esse constanter affirmantes. Alii vero in vobis omnem spem repositam esse cognoscentes, qua si fallamur, omnia nobis mala timenda esse, tum precibus apud Deum contendunt, tum vos rogant obtestanturque, ne communi & necessariæ causæ deesse velitis, in hoc cum aliis convenientes, concilii re infecta dimissionem gravissimas universo orbi calamitates aliaturam, in ceteris ab illis omnino dissentientes siquidem istis vestri conatus multo cum honore extolluntur, illis magna eum detestatione deprimuntur. Isti disceptationes vestras veritatis indagandæ studio adscribunt, illi occultandæ desiderio attribuunt, isti caritatis igne nos flagrare arbitrantur, illi contradictionis spiritu agitari calumniantur: quid plura? boni bene omnia interpretantur, mali in malum omnia detorquent sensum.

Quocirca, ut istis, patres (quod vos prorsus velle certo scio) satisfactum erat, illum potissimum a nobis expectari existimate, ut cum aliqua quæstio discutienda proponetur, illud Cassianum semper præ oculis habeamus, cui bono? ut scilicet, si quid tractandum fuerit, quod ad disciplinam ecclesiasticam temporum injuria, & hominum vitio inclinatam sublevandam, quod ad hæreses extirpandas, quod ad pacem in ecclesia Dei componendam pertineat, in hoc totis viribus insudemus, & quid agendum sit, sincere explicemus: at si aliqua inciderint, quæ nobis magnum facessant negotium, rei vero, de qua nunc agitur, moras potius injiciant, quam adjumentum afferant, hæc prætereuntes, ad ea, quæ maxime profutura sunt, unanimes descendamus. Duo sunt, quæ a nobis desiderantur, morum castitas, & puritas doctrinæ; hæc si fideliter præstiterimus, brevi nos summa bonorum omnium cum lætitia ab hoc negotio expediemus, quo nihil primo aspectu difficilius, at si rem interius consideremus, nihil explicatu facilius esse potest. Quid enim difficilius, quam mores per tot sæcula depravatos corrigere, & licentiosam multorum vitam duro severioris censuræ fræno cohibere? Quid difficilius, quam in tanta opinionum varietate, ita vestras proferre sententias, ut bene sentientes confirmetis, male autem opinantes a tenebris ad veritatis lucem revocetis? Quid, inquam, hominibus difficilius, quam sacras aperire scripturas, sacra tractare mysteria, & quasi Dei consiliarii fuerimus, illius arcana, sensusque scrutari & interpretari velle? Contra quid facilius, quam id agere, quod ut fiat, in tua positum est voluntate? Jure enim ea difficilia credemus, quæ nobis etiam maxime adnitentibus, assequi minime possumus: at hujus nostri negotii ea est natura, ut quicquid velimus, id in Domino possumus, a quo sexcentæ nobis de hac re factæ sunt promissiones. Fidelis autem Deus est, & eas irritas fieri non patietur. Quid facilius, quam ne cogitantes quidem ea loqui, quæ hominum prudentissimi summo studio, summa cura, summa diligentia, non solum non intelligere, sed ne attingere quidem (nisi Deus adsit) umquam potuerunt? At nobis, ne cogitemus quid loquamur, a Domino mandatum est, quem subministratorem verborum nostrorum habemus, quod suam per nos, non nostram velit prædicari doctrinam. Quid facilius, quam veritatis interprete Spiritu sancto, veras proferre diffinitiones? Ille nos docebit omnia, nihil tam veritati contrarium est, quam error; at ubi Spiritus sanctus adest, illinc ut omnis error absit necesse est: ergo ne falli quidem possumus, nisi Spiritui resistamus, ille semper nobiscum est, hic circumvolitat, is hæret parietibus quidem, hic in medio nostrum manet, non tantum ut omnia compleat, sed singulari quodammodo nostros occupaturus sensus, quos si ei aperire voluerimus, profecto & corda nostra sacris repleri mysteriis, & linguas nostras (ne cogitantibus quidem nobis) ad ea pronuncianda solvi sentiemus, & magnalia Dei loquentes, ab omnibus summa cum admiratione audiemur.

Reliquum est patres, ut ad religiosissimum principem Emmanuelem Philibertum Sabaudiæ ducem mea convertatur oratio, qua in re paucis

me

ANNO CHRISTI 1563.

me expediam: Neque enim in illustranda sereniſſimæ illius familiæ nobilitate, in ditionis latitudine deſcribenda, in rei militaris ſcientia laudanda, in clariſſimis victoriis recenſendis, denique in virtutibus, quibus fulget, innumeris connumerandis immorabor; tum quia is non eſt locus, tum etiam, quia ea vos ita cognita habetis, ut digitos veſtros. Duo tantum dicam, quæ rationi hujus temporis maxime conveniunt, primum nobis gaudendum eſſe, quod ſtrenuiſſimus princeps, non tam ſua fortitudine antiquum regnum ſibi recuperaverit, quam ſua pietate in religione Catholica conſervavit, ſiquidem eo proceſſerat militum licentia, invitis & repugnantibus iis, penes quos tunc erat adminiſtratio, ut multoties dubitatum fuerit penitus actum eſſe de religione, B quæ, quod adhuc in illis partibus retineatur, id totum poſt Deum, Sabaudiæ ducis virtuti acceptum ferre debemus. Alterum illud eſt, quod ab eo præcipuum mihi datum eſt in mandatis, ut ſuo nomine vobis profitear, vos in veſtris decretis obſervandis alacriorem, in exequendis promptiorem habituros neminem. Dixi.

LXV.

RESPONSUM SANCTÆ SYNODI in admiſſione oratoris illuſtriſſimi domini ducis Sabaudiæ, datum in generali congregatione die C *ultima Januarii* MDLXIII.

REVERENDISSIME domine, ac illuſtris orator, multæ ſunt, & eæ quidem graves rationes, quæ hujus œcumenicæ ſynodi animum & voluntatem excitare debent ad ea omni diligentia perſequenda, & juvante domino, perficienda, quæ ſumma bonorum omnium approbatione inſtituit. Hoc enim Chriſtianæ reipublicæ afflicta ſane & miſera conditio poſtulat, fidelis populus non ſolum expectat, ſed etiam flagitat, caritas ſuadet, & ſereniſſimi domini noſtri Pii quarti pontificis maximi ſumma auctoritas ſuo jure expetere videtur. Verumtamen ſpes D illa, quæ in dies major bene gerendæ rei oſtenditur, ita ejus ſtudium commovit, ut ſua ſponte ſatis incitata nullius cohortatione indigeat. Nam, ut omittamus, ejus benignitate, in cujus manu corda ſunt regum, factum eſſe, ut præter omnium opinionem pax inter Chriſtianos principes conſtitueretur, ſine qua, aut generale concilium cogi, de eo aut convocando, ne cogitari quidem ullo modo poterat, cum ſancta ſynodus animo repetit, quæ deinde conſequuta ſunt, in maximam ſpem adducitur fore, ut Deus ſanctæ eccleſiæ calamitates miſeratus, laborum ſuorum exitum afferat, quem omnes optamus.

Ac primum quidem illud mirum videri debet, tantum brevi temporis ſpatio ex remotis, & E disjunctiſſimis locis patrum concurſum factum eſſe. Deinde poſtea quam de graviſſimis rebus agi cœptum eſt, quamvis in deliberando nonnullæ interdum & variæ diſputationes orirentur (quod alia ratione veritas ſatis elucere non poſſit) tamen in decernendo ſumma inter omnes, & vere Chriſtiana conſenſio numquam defuit. Præterea in quo omnia fere eſſe poſita videntur, tanta catholicorum principum alacritas, tam propenſa in orthodoxam fidem omnium voluntas, tanta animorum conſpiratio, tot honeſtiſſimis legationibus declarata eſt, ut hoc veluti

A certiſſimum conſtituendæ eccleſiæ pignus a Deo immortali ſacroſancta ſynodus habeat. At vero inter ceteros maximi nominis principes, cujus ſe vel dignitate ornari, vel pietate, & opibus plurimum juvari poſſe ſibi perſuadet, quanti facere debeat Emmanuelis Philiberti optimi, & fortiſſimi Sabaudiæ ducis clariſſimum nomen, atque auctoritatem, multo notius eſt, quam ut pluribus verbis demonſtrari oporteat. Ut autem multa paucis comprehendantur, ſatis illud argumento eſſe poterit, quod dux veſter nobiliſſimi generis ſplendorem, ditionis amplitudinem, ſummam bellicæ artis, & ceterarum virtutum gloriam ita cum veræ pietatis & religionis ſtudio conjunxit, ut ſimul regnandi, & Catholicæ fidei defendendæ initium fecerit. Itaque reverendiſſime domine, vel quod ejus principis perſonam geris, in quo ſancta ſynodus multum præſidii poſitum eſſe jure optimo exiſtimat, vel quod te iis virtutibus ornatum eſſe intelligit, quæ tam gravi perſonæ & cauſæ maxime conveniunt, & ſumma lætitia venientem excepit, & ea modo loquentem, quæ a prudenti viro, & pietatis ſtudioſiſſimo expectanda erant, libentiſſime audivit, atque in poſterum omnia benevolentiæ & humanitatis officia, quæ nunc tibi prolixe pollicetur, re ipſa multo libentius præſtabit. Mandatum vero tuum, prout juris eſt, benigno animo admittit.

ANNO CHRISTI 1563.

LXVI.

LITERÆ CHRISTIANISSIMI regis Caroli, exhibitæ ab ejus oratoribus in generali congregatione, die XI. *Februarii* MDLXIII.

CAROLUS Dei gratia Francorum rex, ſanctiſſimis & in Deo reverendiſſimis patribus apud Tridentum celebrandæ ſanctæ ſynodi gratia congregatis ſalutem. Non dubitamus ſanctiſſimi patres, quin nobis cariſſimus, noſtrique amantiſſimus conſobrinus noſter cardinalis a Lotharingia vos ejus nuncii participes fecerit, quem nos ad eum nuper ſcripſimus, de felici & divinitus nobis oblata victoria adverſus eos noſtrorum hominum, qui falſo religionis prætextu ex ipſa ſacrarum rerum profanatione, & alieniſſimis in ſacros eccleſiæ miniſtros crudelitatis exemplis, nihil ſe aliud conari, aut quærere declararunt, quam ut catholicæ noſtræ religionis, & Chriſtianæ pietatis ſtatum omnem everterent, & armorum vi atque injuria reliquos omnes populos noſtros in errorem ſuum inducerent. Quorum audaciæ (ſicuti omnes norunt) tanto nos animi ardore obſtitimus, ac obſtamus quotidie, ut nulla nos aut rerum difficultas, aut periculorum diſcrimen ab hoc inſtituto avertere, aut remorari potuerit, quin ſceleratis eorum conſiliis ac incœptis, vel ipſam vitam noſtram opponeremus, cum non ignoremus in hoc toto negotio, præcipue de omnipotentis Dei honore, quo nihil nobis poteſt in hac vita eſſe carius, & catholicæ ejus eccleſiæ ſtatu ac ſalute decertari: cujus ut primogenitus, & majorum meorum hæreditario titulo Chriſtianiſſimus filius cenſeor, ita equidem defenſor, protectorque præcipuus toto orbe Chriſtiano agnoſci haberique ſtudioſe percupio, & exopto. Cum igitur certo nobis perſuadeamus, vos in hoc tam felici tamque ſalutari inſtituti noſtri ſucceſſu optimo maximo exercituum ac victoriarum

ANNO CHRISTI 1563.

Deo gratias ex animo esse acturos, fructumque A
hujus rei beneficii ad vos præ ceteris facile intelligamus perventurum, lubenter vobiscum commune hoc gaudium pariter gaudere constituimus, planeque atque palam testificari hanc tam insignem, tamque admirabilem victoriam nos uni Christo summo regum regi, ac bonorum omnium auctori referre acceptam. Unde eum nos toto studio totaque mente laudamus, & immortali gratiarum actione prosequimur, majestatem ejus obsecrantes, ut in perficiendo, quod feliciter ipsius gratia inchoatum est, negotium, tanta virtutis suæ præsentia adesse atque adsistere dignetur, ut ad laudem ejus, & ecclesiæ pacem pro nostro desiderio omnia passim sedata ac tranquilla, & in antiquum statum splendoremque re- B
stituta propediem possimus intueri. Ceterum cum probe noverimus sanctissimi patres optima & saluberrima eorum malorum, quæ & nos hodie hic affligunt, & pene omnibus Christiani nominis provinciis impendere videntur, remedia a sanctissimis Christianæ ecclesiæ pastorum comitiis, publicisque synodis quondam petita esse, atque habita, cum illi beatissimi patres pro injuncti sibi muneris officio de universalis ecclesiæ salute solliciti, tam mature, tanque accurate enascentibus erroribus obviam irent, tantaque vigilantiæ assiduitate eis resistere perseverarent, ut nunquam, nisi extinctis illis, & e medio sublatis sibi quiescendum esse arbitrarentur. Oramus vos sanctissimi patres, & in Dei atque unici C
filii ejus Jesu Christi nomine obsecramus, ut pro ea expectatione, quam de pietate, ac paterno in se animo vestro omnes conceperunt, tam sanctam, tamque seriam rerum, quæ tum bellorum injuria, tum temporum iniquitate in populo Dei vitiatæ corruptæque sunt, emendationem, ac reformationem instituere, atque inire velletis, ut qui se ex animi levitate temere ab ecclesia separarunt, ex ea quam instauratam probe atque perfecte restitutam ipsis expectandam exhibebitis, catholicæ ecclesiæ antiqua facie, puritate, atque integritate, in salutis viam facillime reducantur. Atque ut neque nos, quicquid opum ac virium nobis est divinæ gratiæ munere concessum, ad Christianæ religionis tuendam dignita- D
tem cupide impendimus, & nobiscum non pauci præstantes viri, & militiæ nostræ duces ac præfecti nobis charissimi in eadem ista causa sibi ipsis non pepercerunt, sed vitam & sanguinem suum in hoc recenti prælio domino Deo consecrarunt: sic vos pro vestri muneris ratione eo animi candore & conscientiæ sinceritate in hoc ipsum (cujus gratia convenistis) negocium incumbatis, ut ex sanctissimo labore vestro verum sincerumque Dei cultum, tanquam præcipuum operæ vestræ fructum, passim renasci atque instaurari videamus, atque adeo eam in ecclesia morum emendationem, ac disciplinam vigere, quæ non modo placandis regni nostri procellis, sed etiam conciliandæ, & in eadem religione per E
omnes Christianæ ecclesiæ populos constituendæ paci sufficere possit. Datum in civitate Carnutensi, die XVIII. Januarii MDLXIII.

CAROLUS.

BOURDIN.

XLVII.

ANNO CHRISTI 1563.

ORATIO HABITA AD. ARNALDO Ferrerio oratore Christianissimi regis in generali congregatione die XI. *Februarii*. MDLXIII.

QUONIAM ex literis regis Christianissimi, quæ nunc recitatæ sunt, & orationibus non ita pridem habitis, tum ab eloquentissimo principe cardinale a Lotharingia, tum ab eruditissimo viro episcopo Metensi, intellexistis Galliarum vastitatem, & regis Christianissimi aliquot egregias victorias, nolo esse vobis, patres sanctissimi, in illis rursus recensendis vel eo maxime molestus: quod si vobis calamitates nostras quales sunt exponerem, nemo certe vestrum est, qui rem non potius fictam, quam factam existimaret. De postrema autem victoria tametsi magna & glorioſa, quam Deus sua immensa providentia, ut eam nobis daret de manu victoris hostis eripuit, quid ego plura dicam? cum adhuc in mediis Galliæ visceribus vivit, & grassetur victus inimicus? utar igitur eo argumento, quo soleo, & orationem meam totam convertam ad vos sapientissimi patres, unicum miseriarum nostrarum perfugium: si enim per vos naufragii nosti tabulas (si modo ullæ supersunt) non conservamus, omnino periimus. Moyses cum pugnaret adversus Amalech, habebat magnum delectorum militum numerum, illisque præerat fortissimus imperator Josue: verum nisi montem conscendisset, nisi petra, cui insideret, suppositа ei esset: nisi virgam in manu interea dum pugnabatur habuisset: nisi Moysis utramque manum Aaron & Hur usque ad occasum Solis sustentassent, ut eas in sublime attolleret, victurum fuisse Amalech vel eo solo cognoscimus, quod simul ac Moyses manum demitteret, vincebatur Josue. Non desunt regis Christianissimo copiæ & propriæ & auxiliares, illarumque imperator prudens, & magnanimus princeps Guysiæ dux, nihil non molitur Christianissima, & prudentissima regina piissima regis mater, quod vel ad reconciliandos, vel propulsandos hostes pertineat: verum Aaronem & Hur, qui regi Christianissimo petram subjiciat, qui illius manus in altum tollat (si vos patres sanctissimi ii non estis) neminem præterea habemus. Moyses omnium modestissimus, quotquot in orbe unquam fuerunt, Dei vir, cui dominus non in ænigmate, & simulacro, sed ore ad os loquebatur, per quem tot tantaque miracula edita sunt, & ut uno verbo dicam, Moyses typus Christi non poterat vincere, nisi manus sublimes haberet. Quid est quod de nostris victoriis possit merito sperari, si regis Christianissimi manus demissæ sunt? Moyses per senectutem, & grandiorem ætatem non potest rex noster pupillus per impuberem & teneram adhuc ætatem. Vestrum est, patres sanctissimi, qui veri & legitimi estis Aaronis successores, non solum regis Christianissimi vestri primogeniti filii, sed etiam omnium Christianorum principum manus usque ad occasum Solis sustinere: id autem fieri a vobis facile potest, si petra illa, cui Moyses insidens vicit Amalech, sit vestrorum decretorum basis & fundamentum, ita enim ad Solis occasum usque perdurabunt, neque Sole meridiano dissolventur, & nos tum revera vicerimus: sin minus, neque victoria nostra erit victoria, neque inimici nostri, iidemque vestri reconcilia-

buntur,

ANNO CHRISTI 1563.

buntur, imo quasi remedlis iritati magis ac magis vociferabuntur, vos in Somariæ ab hominibus excogitato, non Hierusalem Dei tabernaculo semper pemanere, vosque non Aolîba, sed Aola filiam appellabuntur? Sed quid ego adversarios vestros moror? si eos contemnitis, habete saltem rationem catholicorum, & Christianorum hominum, qui hucusque in fide, & religione sanctæ Romanæ ecclesiæ permanserunt. Non eadem est hodie ætas, non mens omnibus Christianis hominibus, atque erat ante quinquaginta annos. Laboramus fere catholici omnes eodem morbo (si modo morbus recte appellari potest) quo quidem olim Samaritani, qui mulieri a puteo redeunti, & dicenti Christum venisse, vidisse, audiisse, familiariter allocutum esse, non prius crediderunt quam urbem exiissent, rem omnem diligenter inquisiissent: cumque Christum agnovissent, crediderunt, non quidem, ut dicebant, amplius propter mulieris sermones, sed quod illi ipsi Christum cognovissent. Scrutatur hodie, scrutatur (mihi credite) patres sapientissimi, bona pars Christianorum hominum sacras scripturas, rejectis aliarum disciplinarum libris. Hoc ipsum prospiciens rex Christianissimus curavit diligenter, ne quid mandatis nostris contineretur, quod ad illam petram non proxime accederet, quodque a catholicis omnibus vehementer non expeteretur, & ab adversariis nullo jure repelli aut repudiari posset. Ea autem illustrissimis dominis legatis dedimus, ii propediem (uti polliciti sunt) vobis, patres sanctissimi, examinanda & judicanda proponent: ad vos enim potissimum mittuntur, vestrumque de illis judicium magno desiderio expectat rex Christianissimus, & tota Gallia, in illis (ut videbitis) nihil præcipuum a ceteris Christianis petimus, omnia sunt nobis cum ecclesia catholica communia. Quod si videmur plerisque graviora & magis necessaria prætermisisse, illi si placet existiment, nos consulto a levioribus cœpisse, quo facilius graviora possent suo tempore proponi, utque horum leviorum facilior esset executio, a qua, patres sapientissimi, nisi vos inceperitis priusquam hinc abeatis, clamabunt catholici, ridebunt adversarii & dicent patres quidem Tridentinos scire, sed facere nolle: optimas quidem leges statuisse, eas tamen ne digito quidem attigisse, posteris tantum & successoribus observandas reliquisse. Qua in re etiam atque etiam considerandum vobis est: jurisconsulti enim putant legem, cujus causa & ratio est antiqua, non solum futuris, sed etiam præsentibus negociis formam dare. Qui autem impietatis nos insimulant, quique se olfacere dicunt in postulatis nostris nonnulla, quæ cum adversariorum libris faciunt, nos quidem illos responsione indignos existimamus: vos si aliter judicatis, ipsi pro nobis respondete, vim enim patimur. Qui vero in illis modum ac moderationem quandam desiderant, & si aliquid videantur dicere, dum nos prudentiæ, cujus in vita maximus usus est, admonent, duorum tamen meminerint oportet: primum quod Marcus Cicero scribit adversus Neoptolemum, aut potius adversus Ennium, apud quem Neoptolemus ita loquebatur: philosophandum esse, sed paucis. Erat, inquit Tullius, qui temperantiam, mediocritatem, modum denique desiderat in re optima, & eo meliore quo major est: alterum quod de istis tepidis moderatoribus & (ut ita dicam) lepidis & bellis mediatoribus scriptum reliquit Spiritus sanctus: incipiam inquit ille, vos evomere: utinam aut calidi, aut frigidi fuissetis. Valeat hoc genus hominum in prophanis, & civilibus rebus. nam in divinis mediocribus esse, non dii, non homines, non concessere columnæ: Nemo enim potest duobus dominis servire. Proponite vobis patres sapientissimi, qui profuerit ecclesiæ catholicæ moderata illa ecclesiasticæ disciplinæ emendatio facta in concilio Contantiensi, aut paulo severior in sequenti concilio, cujus ego nomini parcam, ne quorumdam delicatas ac teneras aures offendam? quid ea quæ in concilio Ferrariensi, Florentino, Lateranensi ultimo, Tridentino primo, aut qui unum tantum fuisse concilium putant: quid profuerunt decreta Tridentina facta post duosdeviginti annos: quot interea omnium hominum ordines, quot provinciæ, quot regna, quot nationes ab ecclesia Romana defecerunt? Non est, patres sapientissimi, hæc Gallorum causa: tantum valeant Galli cum suis tumultibus, res suas sibi habeant: vos Itali, vos Hispani patres appello: periculum ex aliis facite vobis quod ex usu fiet, cujus magis interst hanc veram & seriam disciplinæ ecclesiasticæ emendationem fieri, quam Romani episcopi pontificis maximi, summi Christi vicarii, Petri successoris in ecclesia Dei supremam potestatem habentis. Nunc hic agitur de capite, de fortunis vestris. Hoc ego pluribus dicerem, nisi vos vestra sponte ad eam rem satis incitatos cognoscerem. Interea vero de vestra in regem Christianissimum pia voluntate & grato officio gratias agimus, & oramus Deum optimum maximum patrem domini nostri Jesu Christi, ut nos ecclesiæ nostræ diutius salvos & incolumes conservet. Dixi.

ANNO CHRISTI 1563. Apoc. 13. Matth. 6.

* vos!

LXVIII.

RESPONSUM SACRÆ SYNODI IN admissione oratorum regis Christianissimi, datum in generali Congregatione XI. *Februarii*, MDLXIII.

Illustrissimi oratores.

QUANTAM lætitiam sacrosancta synodus ceperit ex ea victoria, quam proxime Christianissimus rex vester, Dei præsidio munitus ab hostibus reportavit, singulari pietatis significatione ab ea declaratum est: tanquam enim commune catholicæ religionis periculum propulsatum esset, ita communibus omnium votis gratulationes habendas, & gratias Deo immortali agendas esse judicavit. At vero optima & egregia Christianissimæ ejus majestatis voluntas, quæ ex omnibus partibus in iis literis, quæ modo lectæ sunt, & in vestra oratione se ostendit, adeo sanctæ synodi lætitiam & voluptatem auxit, ut nihil illi jucundius, nihil gratius accidere potuerit. Nam cum innumeræ calamitates catholicam ecclesiam pene oppresierunt, quis non mirabiliter lætetur? cum divino consilio factum esse consideret, ut potentissimi regis puerilis ætas ita ad veram pietatem informaretur, ut in eo laudis genere nihil se unquam majoribus suis clarissimis regibus concessurum esse præseferat. Atque hoc quidem Dei optimi maximi beneficium, quo amplius existimandum est, eo ardentiori studio precari atque optare sancta synodus cogitur, ut afflictæ Christianæ reipublicæ tanto & tam præclaro bono frui nunquam non liceat. Deinde vero summæ spei regem hortatur, & per Dei misericordiam obsecrat, ut (quod hactenus fecit) ejus sit memor, quod majorum suorum fide & religione partum ipse hæreditarium accepit, omnia

ANNO CHRISTI 1563.

sua studia, & cogitationes ad Dei gloriam amplificandam convertat sanctam sedem apostolicam defensam, atque omnibus ornamentis auctam velit, veterem fidem conservet, illorum consiliis benignas aures præbeat, qui regni firmitatem & robur non in fortitudine equi aut viri, sed in Dei potentia & virtute collocatam esse existiment: contra vero cum fortasse defuturi non sint, qui omnia utilitate metienda esse contendant, tranquillitatem, & pacem quæ non erit pax, suadeant, ne patiatur optimam illam mentem, & Christianissimo rege dignam, quam sibi dominus dedit, pestilentissimis veluti incantantium & veneficorum vocibus infici ac depravari. Sed hæc quidem optimus rex, tum Dei ope adjutus, tum propter excellentis cujusdam naturæ bonitatem sponte sua impulsus, tum reginæ matris, & nobilissimorum procerum sanctissimis monitis incitatus cumulate perficiet. Interim vero cum ille omnia pietatis officia catholicæ ecclesiæ benigne polliceatur, & fortiter præstet, sacrosancta synodus in eam curam toto animo incumbet, ut cum ea, quæ ad universæ ecclesiæ emendationem pertinent definiantur, tum vero de his agatur, quæ privatim Gallicarum ecclesiarum commodis & rationi maxime convenire arbitrabitur, neque umquam committet, ne ipsius diligentia & industria jure in eo requiri posse videatur, quod sui muneris esse, cujusque rei causa sanctissimi domini nostri Pii IV. authoritate, se in hunc sanctum & legitimum cœtum convocatam esse, oblivisci non potest.

LXIX.

LITERÆ ET MANDATUM illustrissimi domini Cosmi Medices, Florentiæ & Senarum ducis, exhibitæ a reverendissimo domino Hieronymo, episcopo Cortonen. ejus oratore die XXIV. *Julii* MDLXIII.

ILLUSTRISSIMI reverendissimi & amplissimi patres, domini observandissimi, Hieronymum hunc Gaddium episcopum Cortonen. non minus nobilitate natalium, literarum peritia, morum gravitate, rerumque agendarum solertia, quam ordine pontificio ac religione præclarum ad amplitudines vestras, ac sacrosanctam istam universalem synodum, alterum jam oratorem legavi, prosequendi officii causa ipsius affuturus, atque iis, quæ ad divinæ majestatis gloriam, rectæ fidei cultum, atque sacræ Romanæ catholicæ atque apostolicæ ecclesiæ reverentiam, nostræ item perpetuæ voluntatis, & in amplissimum ordinem istum obsequii promptitudinem pertinent, explicandis, partes nostras acturum. Sicut autem quæ sui muneris fuerint, probe ipsum atque ex animi mei sententia impleturum spero: viciſsim quoque studiose peto, easque impensius rogo, ut comiter illum ac benigne excipiant, & quæ illarum est humanitas, audiant patienter: ipsique in omnibus coram explicandis & tractandis, indubitatam fidem non secus ac mihimetipsi habere velint: ac sibi persuadeant, nihil mihi antiquius, nihil optabilius fore, quodque studiosius ac vehementius curaturus sim, quam ut dignitatis & existimationis earum, ubique gentium ratio, & honorifica imprimis mentio habeatur: utpote quæ maxime Christiani orbis afflictæ reipublicæ misereantur, congruamque tandem corporis hujus vulneribus ac scissuris medelam adhibere conentur. Quas omnipotens Deus, qui eas ad id munus, & ministerium obeundum, curandumque assumpsit, servet incolumes, Florentiæ Nonis Julii. MDLXIII.

ANNO CHRISTI 1563.

A TERGO.

ILLUSTRISSIMIS ET REVERENDIS. dominis observandissimis sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus, præsidentibus, & patribus in sacro Tridentino concilio congregatis.

Eorumdem deditissimus Cosmus Medices Florentiæ & Senarum dux.

LXX.

MANDATUM ILLUSTRISSIMI domini Cosmi Florentiæ & Senarum ducis, exhibitum a reverendissimo domino episcopo Cortonensi ejus oratore, die XXIII. *Julii* MDLXIII.

COSMUS Medices, Dei gratia, Florentiæ, Senarumque dux illustrissimus &c. universis has patentes literas inspecturis, salutem, & sinceræ dilectionis affectum. Sane jam inde ab administratione quam gerimus, divino favore suscepta, officii nostri esse cognoscimus, more, institutoque majorum, sanctæ catholicæ atque apostolicæ ecclesiæ, cujus fidem, pietatemque profitemur, vestigiis atque obsequiis studiose ac reverenter insistere, atque eo ferventius, quo graviorum negotiorum, curarumque solicitudo & pondus incumbit, ut in præsenti convulsæ religionis, morumque lapsorum discrimine imminere comperimus. Quapropter ut nostri perpetuo similes, ejusdemque voluntatis ipsi quoque pro virili nostra pio huic muneri adesse videremur, reverendum virum nobis dilectissimum Hieronymum Gaddium, præsulem Cortonensem, fide, probitate, atque eruditione præclarum, ipsisque rerum experimentis probatum, ad sacrosanctam Tridentinam synodum, Deo auctore, ac sanctissimo domino nostro summo pontifice pientissimo congregatam, destinavimus cum mandatis, eundemque item nuncium, procuratoremque harum patentium literarum serie deputamus: ut nostro scilicet nomine, nostraque possit auctoritate, quoties oportuerit, illustrissimis, reverendissimisque sedis apostolicæ legatis, amplissimorumque patrum sacrosancto concilio, ipsorumque cuilibet adesse, atque in sessionibus, congregationibus, & extra, & in omnibus tam celebri negotio, quomodolibet opportunis & expedientibus, assistere, inservire, prosequi, & obsequi. Cum Cæsareæ quoque majestatis, & serenissimorum regum, ac sublimium principum legatis, nunciis, negotiorumve gestoribus, & eorum quolibet, quoties expedierit, & ipsi Hieronymo procuratori placuerit, ea, quæ sanctissimæ Trinitatis, ac domini nostri Jesu Christi gloriam, cultumque, ac sanctæ matris catholicæ atque apostolicæ ecclesiæ fidem, unitatem, auctoritatem, puritatemque respiciunt, profiteri, promovere, suadere, agnoscere, & acceptare: ceteraque ad hæc pertinentia gerere, tractare & explicare, etiamsi nominatim nuncupanda, & specialiori nota censenda essent, plena videlicet, & libera ipsi potestate per nos attributa. Cujus acta, gesta, tractata, & explicata quæcumque fuerint, bona fide, rata nos & grata perpetuo jure, atque optimo recipimus & profitemur. Datum Florentiæ anno MDLXIII. Indictione sexta, nonis Julii.

Cosmus Medices Florentiæ & Senarum dux.
Vidit Lalius.

ORA-

ANNO CHRISTI 1563.

LXXI.

ORATIO DOMINI FRATRIS Martini Rojas Portaleubei illuſtriſſimi ac reverendiſſimi domini magni magiſtri, ac totius ordinis Hieroſolymitani oratoris, Tridenti in generali congregatione habita, die VII. *menſis Septembris anno* MDLXIII.

CUM nunciis, multorumque literis magno magiſtro, ordinique noſtro (reverendiſſimi & illuſtriſſimi præſides, oratores clariſſimi, patreſque ampliſſimi) nunciatum & ſignificatum fuiſſet, hanc ſacroſanctam Tridentinam ſynodum, non parva antiſtitum frequentia haberi, & celebrari: tantum lætitiæ & voluptatis accepimus, quantum ex ea re debuimus, cujus nos bonoſque omnes, multum atque diu contorſerat expectatio. Nam ut antea, pro noſtra in Deum religione & pietate, præcipuus erat dolor, ex miſerrimis, maxime calamitoſis, & turbulentis eccleſiæ temporibus, a nobis ſuſceptis ita nunc, eximiæ cujuſdam lætitiæ cauſam afferebat nova tranquillitatis ſpes, ad quam ſacroſancti hujus conventus nomen atque frequentia invitabat. Haud enim aliter nobis perſuaſum fuit, quam ſicut ipſe conciliorum author & præſes Deus, ad cauſam ſuam agendam, hoc tempore vos advocavit: ita actiones veſtras directurus, & illuminaturus, ut quicquid a vobis decretum & conſtitutum fuerit, id non ipſi ſolum Deo gratiſſimum, reique publicæ Chriſtianæ utiliſſimum fore: ſed etiam ſummam pacem, ſummamque concordiam, & tranquillitatem mortalibus omnibus perpetuo allaturum. Quamobrem tam fauſto atque jucundo nuntio accepto, poſt incredibilem animis noſtris conceptam lætitiam, decretaſque plurium dierum ſupplicationes, & maximas Deo maximo habitas gratias, optabat quidem prudentiſſimus, vigilantiſſimuſque magiſter noſter, in hoc ampliſſimo & celeberrimo totius Chriſtiani orbis conventu, una cum tot ſummis eccleſiæ viris, & de rebus maximis & graviſſimis, ad totamque rempublicam Chriſtianam pertinentibus, conſtituentibus, præſens adeſſe: (quid enim illi aut glorioſius, aut optabilius accidere poterat?) quo ſuum, totiuſque ordinis propenſum animum, promptamque voluntatem, ſingulare ſtudium, curam & diligentiam, in re Chriſtiana tuenda, propaganda, & amplificanda majori cum ardore, & fide teſtatiſſimam & conſpicuam vobis facere, & oſtendere poſſet. Verum negotia inſulæ noſtræ, inimicis catholicæ fidei expoſitæ, in qua tuenda & defendenda, magna adhibenda eſt diligentia: rumoreſque qui de Turcica claſſe, noſtris cervicibus aſſidue imminenti, atque etiam de Draguto archipirata, aliiſque prædonibus maritimis increbuerant, id minime paterentur: quod ipſe adire munus maxime cupiebat, neque ullo modo præſtare poterat, id ex publico totius noſtri ordinis ſenatu, Nicolao Durando Villagagnono, equiti noſtro, ac ſingulari prudentia, & eruditione ornato viro, planeque digno, cui tanta provincia committeretur, mihique pariter demandavit. Qua quidem in re, onus quod mihi impoſitum eſt libens (ſi adeſſet) collegæ conceſſiſſem, adeo de ingenio meo, exercitationeque dicendi (quæ ſcio quam ſint exigua) nihil mihi ſumere ſoleo: verum & neceſſitate (quam & collegæ abſentia, & ſuperiorum præcepta afferunt) coactus, ac de veſtra humanitate plane confiſus, ad pauca vobis exponenda accingor.

Quorum cum duo ſint omnium capita, hoc præcipuum eſt, ut quamvis pro comperto habeamus, reque ipſa jam ſati, experti ſimus, vos (utpote paſtores) longe prudentiſſimos, omnia quæ ad Dei omnipotentis gloriam, eccleſiæ catholicæ exaltationem, populique Chriſtiani pacem, & concordiam maxime ſunt neceſſaria, eo ſtudio, & animi ardore eſſe curaturos, ut nullius recordatione aut monitione indigeatis: Præſertim virorum militiarum, quibus arma magis, & navigandi inſtrumenta, quam ullius facundæ atque expolitæ orationis ornamenta ſunt nota. Attamen quia univerſa, quæ hic tractantur, negotia, ad nos etiam non parum pertinere videntur, tanquam non otioſa reipublicæ Chriſtianæ membra (ut inferius declarabimus) non alienum a partibus noſtris exiſtimamus, ſi vos ſponte veſtra currentes, hortationibus noſtris accendere conemur. Et non cum divitibus ingentia munera, ſed cum illa vidua paupercula, in gazophylacium Dei, minuta duo, hoc eſt quadrantem, ex inopia & indigentia noſtra, puro ſinceroque animo afferamus. Nam cum in tempora hæc, adeo perverſa, & diſſoluta, veroque Chriſti cultui, exemplique ſanctorum repugnantia inciderimus, ut vitia pro virtutibus habeantur: ne ferme ſit aliqua provincia, reſpublica, curia, aut ſenatus, qui ab ſparſis erroribus, praviſque perſuaſionibus eximatur, in veſtraque ſit ſitum poteſtate, tot malis remedium adhibere, omneſque ab his periculis liberare: æquum profecto eſt, ut quoniam nulla alia re major perniciosiorque exiſtat animorum deſunctio, reique publicæ perturbatio, quam ex ſententiarum quæ de religione habentur diſſidio ac diſcordia, ea in hoc ſacroſancto cœtu, de doctrinis publice proponantur & conſtituantur, quæ (tot erroribus & falſis perſuaſionibus expulſis) omnes ubique Chriſti fidem profeſſi teneant, & credant, amplectanturque & ſequantur. Sic enim ignaræ & imbecilli multitudini opportune conſuletis, & robuſtiorum firmiorumque mentes in religione ſemel accepta, magis magiſque in dies confirmabitis. Ad hæc, cum non parva in eccleſia detrimenta & incommoda, quæ rempublicam Chriſtianam etiamnum perturbant, ex corrupta vita, morumque Chriſtianorum diſciplina exorta fuiſſe plerique fateantur, dum ab illa priſcorum temporum ſanctitate & innocentia omnes degenerarint: ut hac etiam in parte curetur, quo ii præſertim qui reliquo populo exemplo debent eſſe virtutis & ſanctitatis, ad germanam, veteremque eccleſiaſticæ diſciplinæ obſervationem traducantur.

Agite ſanctiſſimi antiſtites, voſque alii viri longe prudentiſſimi, & ad ſalutem reipublicæ Chriſtianæ, totis pectoribus totiſque animis incumbite; eaque de doctrinis & moribus deliberate, decernite, & ſtatuite, quæ ſanctiſſimus ille hujus ſacri concilii gubernator & rector, paracletus Spiritus vobis ſuggeſſerit, quæque populus omnis Chriſtianus, pro certiſſimis ab ipſo Deo editis oraculis libens complectatur & teneat. Sic enim unius Chriſti ſervatoris noſtri gloriam inſanis dogmatis, corruptis atque perditis moribus noſtris obſcuratam (pene dixerim ſepultam) illuſtrabitis, & propagabitis: ſponſæque ſuæ languenti atque ſordeſcenti, priſtinam ſanctitatem & pulcritudinem reſtituetis. De magiſtro autem & ſocietate noſtra (quando me ſuæ voluntatis nuncium, & interpretem eſſe voluerunt) id vobis, ampliſſimi patres, ſpondeo, atque ſancte promitto: quæ ab hoc ſanctiſſimo conventu decreta emanabunt, ea omnia prompto alacrique animo acceptaturos & obſervaturos, eorumque

ANNO CHRISTI 1563.

curam, patrocinium, & propugnationem (prout ad eos attinet) suscepturos; pro iisque omnibus non fortunas modo & facultates, sed etiam vitam & sanguinem (si opus fuerit) esse effusuros.

Quod vero ad alterum orationis istius caput pertinet, hujusmodi est, ut cum ordo noster de republica Christiana tam benemeritus sit, nulli ut (quod pace aliorum dixerim) in hac parte concedere debeat: hicque tantis calamitatibus hodie subjaceat, quibus hac tempestate, sine vestro auxilio liberari minime possit, vos patres amplissimi, ea erga illum pietate utamini, qua sese preces suas non frustra vobis porrexisse, ac dolorem suum exposuisse intelligat. De quo mihi (quæso) ignoscite, si quædam summatim in præsentia perstrinxero, ne sine maxima ac justissima causa ad hanc petitionem descendisse videar. Et (ut ab ejus antiquitate principium faciam) quadringentis ferme annis, ante Asiaticum, quod & sacrum etiam dicitur, ac communibus Christianorum armis (Godofredo duce) gestum est bellum, ordinis nostri, fundamenta in Hierosolyma urbe locata esse constat; quamquam nonnulli ea pluribus antea seculis, a Joanne Hyrcano Machabæorum gentili jacta fuisse ajunt: Quandoquidem is nobile quoddam extruxerat xenodochium, super cujus ruinis nostrum postea ædificatum fuit.

In quo primi illi nostri, ac vetustissimi majores tanta semper exercuerunt pietatis officia, ut postea ipsemet Godofredus, cum urbem ipsam e barbaris recepisset, eorum institutum ac humanitatem admiratus, eos liberalitate sua augendos atque ornandos duxerit: dum xenodochii facultates, tantæ hospitum multitudini, quæ ad ipsum assidue Hierosolymam confluebat, alendæ minime sufficere intelligeret. Qua non contentus propter insignem eorum fortitudinem & fidem, quam multis experimentis exploratam habuerat, loca quædam munitissima, iis contra barbaros asservanda commisit. Hinc cum sancta illa hospitalitate, intrepida, Christianaque in nostro ordine militia, conjungi cœpit: quibus tanquam caput cultus divinus superimpositus est, ac in his quidem pie ac fortiter exercendis cum ordo noster perpetuo incumberet (omnipotente Deo summorum pontificum, principum, aliorumque piorum hominum animos permovente) tandem effectum est, ut non exiguum facultatum atque fortunæ acceperint incrementum, adeo ut nostri hujusmodi opibus, tanquam aptissimis instrumentis usi, dictu difficile est, quam gloriosa facinora marique contra barbaros Christi hostes per multas ætates ediderint. Quæ si mihi sigillatim recensenda essent, tempus potius quam materia deficeret.

In quibus licet ad hunc usque diem semper perseverarint, non defuerunt tamen, nec adhuc desunt, qui omni humanitate & pietate rejecta nos terris ac possessionibus expellere, ac omni honore & auxilio spoliare nituntur. Adeo ut in eas angustias jam redacti simus, ut si maxime vellemus muneribus solitis satisfacere, minime possimus. Quorum sane crudelitas (si quando reipublicæ Christianæ pernicioſa fuit) nunc certe multo pernicioſior esse apparet: Quandoquidem Melitè, in qua commoramur, inter Siciliam & Africam sita, ceu commodissimum propugnaculum contra barbarorum potentiam, quæ nunc in immensum crevit, oppositum sit, clarissimasque provincias (Italiam dico atque Siciliam) quibus illi inhiant, atque ab eorum insultibus quodammodo tueatur atque defendat. Qua (quod Deus avertat) semel amissa, ne illud haud dubie gravissimum toti reipublicæ Christianæ, ac forsitan insanabile vulnus accideret: ut jam non nostro solum, sed omnium qui ubique sunt Christianorum nomine, vos patres pientissimos, magister, ordoque noster vehementer obsecrat: uti antiquitatis, nobilitatis, ac maximorum meritorum in Christianam rempublicam ab ordine nostro profectorum memores, nec non periculorum (nisi eidem opportune succurratur) non tam illi quam cunctis imminentium recordati; auxiliares charitatis vestræ manus eidem porrigatis: utque possessiones, atque commendæ, ceteraque quæ per summam vim & injuriam eidem erepta sunt bona, restituantur; ac ne ea inposterum a quoquam usurpentur, neve aliis ab ordine nostro alienis conferantur, decernatis: Immunitates quoque ac privilegia nostra, ne ea quisquam in futurum violare audeat, confirmetis. Denique cuncta singulaque ad eundem ordinem pertinentia, in vestram tutelam ac fidem, suscipere dignemini. Quæ quidem perficere si in animum induxeritis, præter quam quod rem & operam, humanitate, & authoritate vestra dignam efficietis, tum societati nobilissimæ quam optime consuletis: Tum & de republica Christiana) cui nos perpetuo militamus) hae quoque in parte præclare atque ampliter vos esse promeritos omnes prædicabunt. Dixi.

ANNO CHRISTI 1563.

LXXII.

RESPONSUM SANCTÆ SYNODI in admissione oratoris illustrissimi ac reverendissimi magni magistri, & ordinis Hierosolymitani, in generali congregatione die VIII. *mensis Septemb.* MDLXIII.

Illustrissime ac reverende orator.

QUOD illustrissimus & reverendissimus magnus vestri ordinis magister, ad hoc sacrum generale concilium, ut optabat ipse, non venerit, tuque munus istud tuum non citius obiveris, sancta synodus excusationem quam attulisti, ut justam accipit. Nam cum non ignoret eximium vestrum erga sanctam apostolicam ecclesiam studium, cujus in magnis Christianæ reipublicæ periculis, contra immanissimos nostri nominis hostes, testimonia extant quamplurima: non dubitat, nisi piratæ iter impedivissent, quin multo antea sacer, strenuusque ille vester ordo fuisset declaraturus, quantum hunc sacrosanctum conventum probet, atque ejus progressus ex animo, ut Christianos decet, exoptet. Nunc te nobilissimi ordinis oratorem, & ecclesiæ dilectum filium, quando militum Christi, & acerrimorum veræ religionis propugnatorum piam & Christianam voluntatem testaris, hæc sancta synodus libenter excipit, atque ex luculenta illa, quæ modo a te habita est oratione, totius illius ordinis pietatem erga Deum, universamque rempublicam agnoscit, vehementerque diligit. Quæ vero de commendis, & privilegiis vestris conservandis diligenter petiisti, in his sancta synodus habebit (quatenus licebit pro charitate, qua magnum magistrum sacræ istius religionis, atque illum ordinem amplectitur) rationem dignitatis, & commodorum vestrorum.

DOCTO-

ANNO CHRISTI 1561.

PARS QUARTA,

DOCTORUM VIRORUM ORATIONES ET CONCIONES HABITÆ AD PATRES SANCTÆ SYNODI TRIDENTINÆ SUB PIO IV. PONTIFICE MAXIMO.

LXXIII.

CAMILLI COMPEGII PAPIENSIS, Theologi Dominicani, inquisitoris Ferrariensis oratio.

DE MUNDI FALLACIIS ATQUE RUINA,

In dominica I. adventus domini MDLXI. ad illustrissimos & reverendissimos legatos, & ceteros patres sacri œcumenici Tridentini concilii.

1. Jo. 5. *Mundus in maligno positus est.*

SI de summo periculo quempiam admonere, maximum beneficium est, vos hodie, sanctissimi patres, attentos atque benevolos habere confido, quos de gravissimo omnium discrimine, deque evadendi modo ex evangelicis verbis breviter commonendos esse putavi. Nullum quidem orationis genus ornatissimo huic senatui, vel temporum horum infelicitati magis accommodatum fore crediderim, cum jam senescit orbis, hoc quo tegimur corpus putrescit, & in cinerem passim omnia redeunt. Qui enim sine fidei lumine mundum contemplati sunt, mundum quem communem hominum atque deorum urbem quidam appellant, una cum motu ac tempore perpetuo stare, humanum spiritum extingui cum carne, animam necari cum corpore, & id genus absurda quamplura docuere. Horum profecto sectatores universa sibi tuta putantes, nihil timendum esse existimant. Proinde vanam quandam peccandi licentiam sibi vendicant, qua Sybariticam vitam ducentes, crapulæ & ebriotati, cubilibus & impudicitiis inserviunt, & in turpissima quæque facinora seipsos præcipites agunt. Nos autem, qui ab illuminato Mose didicimus Deum optimum maximum principio, non ex aliqua subjecta, ut ajunt, materia, sed ex nihilo cuncta creasse, & a Davide, verbo domini firmatos esse cœlos accepimus, & ab evangelista, & ab innumeris scripturarum oraculis aperte cognovimus omnia per verbum facta esse, nihilque sine ipso in lucem prodiisse, in fidei Christianæ symbolo omnipotentem Deum cœli terræque factorem, visibilium omnium & invisibilium claris vocibus confitemur. At ne factum mundum putaremus ut semper esset, propheta nos admonet, initio dominum terram quidem fundasse, operaque manuum ejus cœlos esse, hos tamen perituros: illum sempiternum esse, cetera sicut vestimenta veterascere. Quod si unicuique in arte sua credendum esse mundi sapientes affirmant, ædificatori de ædificiorum resolutione atque ruina differenti profecto fides adhibenda est. Cum itaque mundi opificem Deum fuisse scripturæ tradant, cur Deo illiusque spiritui de mundi excidio admonenti non credemus? Nunc precor aures erigant mundi cultores, sub quo tecto degunt videant, & se in capitis periculo, atque in vitæ discrimine constitutos esse cognoscant. Quamvis enim neque mundo quicquam pulchrius, neque ejus ædificatore præstantius concipi possit, satanica tamen tyrannide, nobis sponte peccantibus, Deoque permittente introducta, nihil eo turpius aut periculosum magis apparet. Ob eam ipsam causam satanas, qui rex olim super omnes superbiæ filios dicebatur, mundi etiam hujus princeps a domino quandoque appellatus est. O durissimum atque asperrimum diabolicæ servitutis jugum. O pestilentissimum Luciferi principatum. Quænam libido, quod facinus, quod flagitium, illo imperante, ab universo unquam abfuit? Quid, nisi venenum aut mortem, ex hoc tam turbido & inquinato fonte mortales unquam exhaurire potuerant? Hinc mox fraudes subortas viderunt homines: hinc exiere fallaciæ, doli, mendacia hinc impiæ illæ sectæ: hinc schismata: hinc hæreses: hinc universa crimina in mundum prodiere. Nihil quippe boni speciem habet, quo callidissimus humani generis hostis, cum maxima mortalium jactura, non utatur. Inverso summi architecti præcepto, eoque suis mendaciis conspersо, protoparentes in paradiso invadit & vincit. Christum Dei filium in deserto scripturarum armis aggreditur, sed confunditur: sacris itidem oraculis incautos homines in erronea ac pernicioſa dogmata, cum maximo totius ecclesiæ Christi dedecore, quotidie trahit, quos etiam philosophorum placitis, & mundi doctrinis impugnat, capit, & perdit. Heu quot hominum legiones inanis hæc seduxit philosophia? Eodem naturali lumine, quo omnes præditi sumus, ab eisdem principiis non modo varias, verum etiam adversas educunt sententias, quia sine Christi radiis nihil perspicuum aut dilucidum esse potest. In hujusce rei fidem tot testes ab inferis, aut ex annalium monumentis excitarem, quod physici seu naturæ venatores, extitere, nisi me vobis vestrum, ut ajunt, somnium narrare putarem.

Rom. 1. Psal. 32. Job. 1. Psal. 111. Job. 41. Is. 12. Ephes. 6. Gen. 3. Mat. 4.

Verum sapientissimus architecti filius, apostolo teste, ob id apparuit, ut opera diaboli dissolvat. Nam quod mundum æternum mortales existiment, quod nimium illi confidant, quod illius capti præstigiis tot sceleribus implicantur, opera esse diaboli jam conspeximus, quæ modo lectum evangelium vana impiaque fuisse convincit. Dicat itaque mundus se nunquam ruiturum, dicat Sol, dicat Luna, dicant omnia sydera splendoris sui lucem in generationis commodum perpetuo viventibus ministratura, nos architecti verbum quo omnia condita sunt, amplectentes adversus hæc aciem struimus, audacter pronunciantes signa in Sole, Luna, & stellis tunc futura cum Sol obscurabitur, & *Luna non dabit lumen* suum,

1. Jo. 3. Luc. 21. Ezech. 23.

cum

ANNO CHRISTI 1561.

cum *Sol converteretur in tenebras, Luna in ſanguinem, & ſtellæ de cœlo cadent.* Videte patres immaniſſimum fœdiſſimumque monſtrum, totum ex fraude & mendacio compoſitum. Promittit fallaciſſimus hic mundus tranquillam, quietam, beatam vitam: at quis illi credere poterit dicente domino, in mundo preſſuram habebitis, *& maxima in terris erit preſſura gentium*? Suadet deceptor ille, nihil mortalibus injucundum, nihilque triſte contingere poſſe: at quis illum audiet, cum Chriſtus admoneat procellarum turbines tam ingentem ſonitum concitaturos eſſe, ut homines effugiendi cupidine, ſe ipſos confundant ac comprimant? Mundus alacres & pingues homines ſemper futuros eſſe prædicat, at quis has nænias amplius excipiet? Nonne Dei filius areſcentes eos futuros eſſe prænunciat præ timore & expectatione, quæ non alicui tantummodo orbis angulo, ſed mundo univerſo ſupervenient?

Joel. 3.
Jo. 13.
Luc. 21.

Mundus adhuc regibus & principibus blanditur, promittens eis imperii æternitatem, proſperam liberorum ſucceſſionem, fideliſſimum populorum obſequium, ingentem auri rerumque omnium copiam: at quis illum exaudiet, architecto clamante, cœlorum etiam virtutes, a ſuo regendi officio tandem amovendas eſſe? Hæ ſunt illæ cœlorum columnæ, quas, ex libro Job contremiſcere, & ad judicis nutum pavere didicimus. Hæ ſunt, de quibus Beda ille venerabilis exclamabat: quid faciunt tabulæ, quando tremunt columnæ? quid virgula deſerti, quando paradiſi cedrus concutitur? Cœlum igitur & terra tranſibunt, verba autem domini non tranſibunt. Inclamat ſuper his Chriſtus: mundus autem qui eum non cognovit, qui extremam judicis ſententiam non veretur, qui ſe perpetuum exiſtimat, architecti verba contemnit, Chriſtum illudit, judicem illum venturum negat, inglorium, infirmum, & impotentem vocat. Quod ſe crucifigi ſemel permiſerit, & ab impiis quotidie blaſphemari patiatur, debilitati virtutis ejus adſcribit. Sed abſit ut ſint in hac tam illuſtri virorum corona qui mundum colant, qui ſatanicis adulationibus aures aperiant, qui Chriſti monita non ſuſcipiant.

Job. 26.
Jo. 10.

Vos etenim, optimi patres, tanquam lapides vivos ſuper fundamentum apoſtolorum & prophetarum in eccleſiæ ſtructura ſapientiſſimus architectus collocavit. Vos paſtores, epiſcopos, & ſpeculatores, in illa eccleſia Chriſtus ipſe conſtituit, quam ſuo pretioſo ſanguine illuſtrem & glorioſam reddidit. Vos denique vere *genus* eſtis *electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis*. O præclaros miniſtrorum Chriſti titulos. O egregia fidelium ſacerdotum munera. Nos igitur non mundum, ſed illius architectum audiamus, qui ſe in extrema orbis reſolutione, judicem in nube venturum promittit, non debilem, aut impotentem, ſed eum omni ea judicandi poteſtate, quæ in cœlo & in terra a patre ſibi tradita eſt, non vilem aut inglorium, ſed cum illuſtriſſima & pluſquam regia aut imperiali majeſtate.

1. Petr. 2.
Epheſ. 2.
Epheſ 5.
1. Petr. 2.
Mat. 28.

De hac omnium communi domo ſummi architecti judicium audiſtis, ampliſſimi patres, parietes pene collapſos, ſciſſum tectum, omnia veteſtate perfracta ipſi jam cernitis, & maximum periculum jam proximum eſſe videtis. Quid obſecro mundo vetuſtius? Quid autem infelicius nobis obtingere poteſt, quam ſub vetuſtiſſimis ædificiis undique ruinam minantibus diu vivere? Sed cur parietes pene collapſos dixi, cum jam plures corruiſſe ſcripturæ ipſæ teſtentur? parum profecto abfuit quin tota hæc mundi machina ceciderit, cum mortales omnes, octo dumtaxat exceptis, aquarum ingluvie periere: Univerſum tunc ſtridere videbatur ædificium, cum tot diris plagis Ægyptum ultimum ipſe dominus percuſſit. Ruinam tunc quidem minabatur hæc noſtra domus, cum ignea ſulphureaque pluvia nefandiſſimas illas urbes, cum adjacenti regione ſubvertit. Tunc, inquam paries magnus cecidit, cum aperta terra infelices illos viventes abſumpſit. At quid moror? Quid ſacras antiquaſque ſcripturas commemoro? Cur prolixiori oratione jam defeſſas aures veſtras obtundo? Mundi ipſius annales evolvite, & urbes alias igne cœleſti conſumptas, alias grandine comminutas, alias ventis & terræ motu proſtratas, alias maris aut amnium inundatione ſubmerſas, alias peſtilentia, fame, belloque videbitis a propriis incolis derelictas. Ecce collapſos parietes. Jam gens contra gentem, & regnum adverſus regnum ſurrexit. Jam Conſtantinopolitanæ ſedis majeſtas evanuit. Alexandrinæ eccleſiæ zelus interiit. Antiochenæ religio excidit. Hieroſolymitanæ ſanctitas periit. Orientalium præſulum auctoritas abiit. Jam cecidit ab eccleſia Anglia, jam corruit Germania, & quam plures orbis partes titubant, ſtrident, & ingentem ruinam minantur. De horum regnorum tragœdiis ſi non prolixius enarrandum, certe dolentius deplorandum neceſſario nobis eſſe arbitror. Quid igitur hic amplius in tanto rerum diſcrimine moramur? Hinc precor abeamus omnes, non enim hæc noſtra patria eſt, ſed futura nobis inquirenda eſt.

ANNO CHRISTI 1561.
Genes. 7.
2. Petr. 2.
Exo. 7.
Gene. 19.
Exo. 17.

His demum, inquit architectus, fieri incipientibus, terras relinquite, mundum finite, metum excutite, ſpem concipite, capita veſtra ſurſum tollite, quia proxima redemptio veſtra eſt. Redempti etenim per crucem, & in Chriſti ſanguine, per fidem & ſacramenta juſtificati, ſalvatorem ac redemptorem iterum expectamus, *Qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ*: & tunc a ſervitute corruptionis, & ab omni periculo perfecte liberabimur. Eja igitur, optimi patres, ſi vos religionis honor, ſi Chriſti pietas, ſi vos tandem æternæ retributionis movet affectus, ſuavem hanc architecti vocem audiamus, ſaluberrimum illius conſilium amplectamur, & periculum tam proximum intuentes ad Chriſtum ipſum confugiamus; ut illo opem ferente, ex hoc ingenti diſcrimine tuti evadamus. *Hora quidem jam eſt de ſomno ſurgere*, cum nos ſacri adventus tempus invitat, indictum concilium admonet, Chriſtianæ reipublicæ negotium excitat, pereuntium fratrum calamitas urget, ſummus ille Chriſti vicarius vere pius, pontificis maximi paternis adhortationibus impellit. Nam hujus ſacroſanctæ & apoſtolicæ ſedis legati illuſtriſſimi ac reverendiſſimi in hoc ſacro concilio præſidentes, pene collapſum eccleſiaſticum ædificium reſtituere cupientes, vos omnes hodie rogant, & obſecrant, ut propriæ dignitatis memores, eam ſtudioſe diligenterque adornare curetis.

Hab. 2.
Rom. 3.
Phil. 3.
Rom. 8.
Rom. 13.

Quod vos optime præſtaturos eſſe confidunt, ſi quæ in prima hujus ſynodi ſeſſione ſancti patres olim ſanxerunt, præcipue obſervabitis. Me itaque nunc apud vos præconem agere, & contractam decreti illius ſubſtantiam in medium proferre jubent. Ut omnes videlicet epiſcopi, omneſque ſacerdotes aſſidue divinis laudibus ac precibus incumbant, miſſæ ſacrificium quolibet die, dominico ſaltem offerant, ſingulis ſextis feriis in memoriam paſſionis domini noſtri Jeſu Chriſti

jeju-

ANNO CHRISTI 1561.

jejunent, eleemosynas pauperibus elargiantur, mensam non conquisitis cibis extructam, sed sobriam ac moderatam habeant, sacramque lectionem ferculis immisceant, familiares instruant & erudiant, in vestitu & cultu, atque in omnibus actibus, honestatem, modestiam & sanctitatem præseferant: episcopos etenim, apostoli sententia, irreprehensibiles, sobrios, castos, domuique suæ bene præpositos esse oportet, quos terræ sal, civitatemque in montem constitutam dominus appellavit. *Opera*, igitur, *tenebrarum abjiciamus, arma lucis assumamus*, nos ipsos componamus, *ut in die honeste ambulemus. Non in commessationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & amulatione*, sed induimini dominum Jesum Christum. *Transit* enim *mundus & concupiscentia ejus, præterit figura mundi hujus*, pereunt omnia.

Matth. 5.

Rom. 13.

2. Cor. 7.

1. Joan. 2.

Solus Christus in æternum permanet. Solus ipse tam magnum ab hæreticis adversus ecclesiam concitatum incendium, extinguere poterit. Solus ille, a quo sacri œcumenici hujus concilii felix initium, progressum sanctum, finemque optimum expectare debemus. Ipse, inquam, est qui vos patres ante mundi constitutionem elegit, ut sancti & immaculati existentes, fidei negotia in concilio recte tractare, hæresiarchas prosternere, ecclesiæ vineam purgare, gregem vobis commissum verbo & exemplo pascere, mundi sectatores arguere, a philosophia deceptos instruere, universos de mundi ruina, deque judicii die admonere, & ad cœlestem patriam dirigere valeatis. Ipse est qui electos vocat, vocatos justificat, justificatos a corporeis vinculis redimit, redemptos in mundi interitu, & in tremendo judicii die ad illius dexteram inter oves collocat, & ut secum in æternum vivant & regnent, in cœlesti solio tandem constituit. Dicebam.

LXXIV.

ORATIO F. MAXIMIANI BENIAMI Cremensis, ordinis conventualium sancti Francisci, in II. *dominica adventus domini* MDLXI. *ad illustrissimos & reverendissimos legatos, & ceteros patres sacri œcumenici Tridentini concilii.*

QUAM bene sperandum sit, illustrissimi ac reverendissimi patres, antistites vigilantissimi, cujusvis ordinis auditores ornatissimi, quamque prolixe de amplissima servatoris nostri benignitate & clementia, nobis ipsi polliceri possimus: ex iis quæ nobis hodierna die proposita sunt, & auribus nostris hausimus satis, superque nos edoceri, neminem vestrum ignorare arbitror. Per faustissimos namque nuncios utilia, grata, ac jucunda mortalibus deferuntur, etenim cœcos illuminari, surdos audire, claudos incedere, mortuos resurgere, & pauperes evangelizari quid lætius, quid jucundius, quid utilius proponi poterat? Ex quo contemplari licet incredibilem Dei beneficentiam, & omnium nostrum procurationem ejus immensam. Porro si tantæ rei magnitudini exponendæ, tantum mihi ingenii, tantaque dicendi facultas esset, quantum obtemperandi studium fuit: non dubitarem profecto, singula hæc pro loci, temporis, frequentissimi ac si unquam laudatissimi consessus dignitate, & existimatione persequi. Quamvis difficultates aliæ non minores tanto oneri imparem me faciant, temporis angustiæ, ex itinere huc Patavio in hac horrida hyeme, tum animi, tum corporis defatigatio suscepta. Huc accedit, quod fere imparatus tantum negotii suscepi, serius enim, quam res ipsa postulabat, mihi ceterum occupatissimo delatum fuit: attamen (ut res esset habitura) malui multorum reprehensionem subire, quam tantam rem denegare iis, qui non solum corporis, sed animi quoque mei potestatem omnem propemodum habent. Dicam igitur, & breviter dicam: quin potius rem, de qua dicturus sum, paucis perstringam, illius benignitate fretus, qui dat verbum evangelizanti, & sermonem rectum, ac bene sonantem virtute multa.

ANNO CHRISTI 1561.

Incomprehensibilis ille rerum omnium parens, & auctor, causarum causa, simplicissima unitas, veritas ineffabilis, summa bonitas, & indeterminata potestas, qui cuncta in unitate implicat, explicat in veritate, effundit per bonitatem, cujus centrum ubique, quia cuique rei interior est, quam ipsa sibi, circumferentia nusquam, quia extra cuncta existens, ita supereminet universa, ut cujusque rei summum apicem dignitate excellat immensa. Hic, inquam, rerum omnium & officiorum fons, & origo, ut ipse mirabilis, ita admiratione digna rationibus quibusdam incommutabilibus, æternis, & stabilibus coæterni sibi Verbi, ac quodam (ut ita dixerim) flatu coæterni sancti Spiritus sui, semper operatus est, & usque modo operatur. Ac primum omnium cum probitatis potestatisque suæ specimen nobis dare constituisset, divina quadam, & sibi insita vi, rebus omnibus ordine digestis, sic effinxit hominem, ut nihil antiquius unquam sibi fuisse videatur. At ipse a muliere vitæ sociæ impulsus (proh dolor) uxorios affectus divino præcepto præferre ausus, ex summa felicitate in fœdissimam devolvitur calamitatem: sapientia exuitur, innocentiæ ornatu spoliatur: ex solo uberrimo in terram tribulos, senteſque ferentem pellitur, amarissime sensurus a quantis bonis exciderit, quantas vicissim in ærumnas miser inciderit, quas etiam nunc cum nostro magno malo experimur. Equidem quis morbos enumeret? quis moriendi tot vices incertas? tot pericula, curas, atque metus recenseat? inflamur cibis, solvimur jejunio, curæ macerant, quies hebetat. Quid plura? quis non videt homines terræ incolas, esse moribundis membris, levibus & anxiis mentibus, brutis & obnoxiis corporibus, dissimilibus moribus, simillimis erroribus, pervicaci audacia, pertinaci spe, casso labore, fortuna caduca, tarda sapientia, cita morte, querula vita? Non sunt tamen tot mala, tamque variæ calamitates, quas inobedientiæ peccato secum advexit homo, quin major fuerit æterni Dei in hominem providentia: qui cum tanquam ab alta specula prævideret, a quantis bonis excessurus esset: ea tamen summa Dei bonitas homini dona elargita fuit, quanta ne ipse quidem expetere aut excogitare potuisset. Acerrimam ingenii aptitudinem, cujus vi numerosissimam rerum seriem percipere valeret, memoriam, quam vere thesaurum quendam rerum arbitrari possumus. Non deest in quamplurimis fatidicus item spiritus, & quæ Deum modo deceat, perspicax futurorum inspectio. Addita est postremo loquendi potestas inter cuncta summe mirabilis, flexanima, atque omnium regina oratio, quæ non currentem modo excitare, sed & languentem possit commovere.

Hæc in homine tam magna sunt, atque adeo suspiciunda, ut hominem ipsum miraculum magnum, animal adorandum & venerandum, nonnulli

ANNO CHRISTI 1561.

nulli divinitore quodam ſpiritu conciti, & interiore inſtructi ſapientia nuncupandum exiſtimaverint. Hæc ſunt in ipſo: quæ vero præter ipſum (Deum immortalem!) quanta ſunt? cœlum expandit: fulgidis ſtellis adornavit: cœlo affixit Solem, aureis ſplendentem fulgoribus: Lunam fecit noctivagam, ut obſcura noctis illuſtret: terram coegit, arboribus, herbis, floribus decoravit: fontes aquarum, ad ſedandam hominum ſitim, præparavit. Procedente deinde tempore, ac creſcente genere, & in omnem malitiam vergente, quia videbat incurabilia eſſe vulnera; operatores malos, quaſi fomentum quoddam inutile, abolevit, relicto juſto illo, qui radix, & origo foret humani generis: quo rurſus inſtaurato, electos deinceps patriarchas, præceptores dedit, qui ſua virtute omnes nos inſtituerent, & quaſi medicos, qui ægrotantes ſanare poſſent, prophetas monſtrat, prodigia facit: poſtremo omnium patefacturus ſuorum abyſſum beneficiorum, unigenitum filium, ex paternis ſinibus exurgentem ad nos miſit: qui ſuſcepta forma ſervi, ex virgine natus, nobiſcum verſatus, omnia noſtra ferens, genus humanum peccatis oppreſſum jacens, a terris in cœlum ſubtraxit.

Quis valeat cogitatione, nedum oratione, complecti tantorum beneficiorum menſuram, magnitudinem, excellentiam? Baptiſma nobis contulit, remiſſionem peccatorum, ultionis abſolutionem, regnique poſſeſſionem: infinita benemerentibus bona promiſit, porrexitque manum, & in tota corda ſpiritum effudit, oleo juſtitiæ nos unxit, quo ipſe unctus erat, cujus gratia & miſericordia nos ſemper prævenit, a periculis liberat, errantes reducit, ignorantes docet, peccantes corripit, triſtitia affectos conſolatur. Si cadimus, erigit: ſi ſtamus, tenet: ſi proficiſcimur, ducit: ſi venimus, ſuſcipit. O miram ſervatoris noſtri largitatem! Et ne ſingula perſequendo, longius, quam temporis anguſtiæ expoſtulant, divagetur oratio, in memoriam veſtram revocate patres, quicquid hodierna ſancti evangelii lectio in aures noſtras infundit. Perpendite, quæſo, & ad interna mentis veſtræ redeuntes, intueamini, quanta ſint ea, quæ fidelis, mitiſſimus medicus noſter Chriſtus ad Joannem deferri jubet, & videbitis modo corporis partem, aliquando totum corpus ad ſanitatem reſtitui, & id quod mors abſtulerat, ad vitam revocari. Fœlix nuncium. *Cæci vident, claudi ambulant, ſurdi audiunt, leproſi mundantur, mortui reſurgunt!* Quicquid morborum, & vitiorum contraxit genus humanum, ipſum ſibi cauſa fuit: quicquid beneficiorum conſecutus eſt, Deo totum, ne minimum quidem ſibi, acceptum referre debet. Chriſtus noſtras ægritudines videns, aliquantiſper moram traxit, tandem veniens venit, & ſanavit. *In tempore* (inquit ſapiens) *erit reſpectus illorum*: tollere morbos, & vulnera, magnum quidem eſt, ſed id longe majus, vita functos ad vitam revocare: id vero maximum omnium, & quod mens humana vix capere poteſt, mortem vincere, juſtificare credentes, ad vitam gratiæ, & fidei ſuſcitare quoſcumque per peccatum mors abſtulerat.

Matth. 11. Luc. 7.

Sap 3.

Ceterum recondita magis penetrantes, diligentius intueamur, qui, qualeſve morbi ſunt, quos hodierna die Chriſtus ſanat. Magna profecto calamitas eſt, luminibus privatum eſſe, quia huc ipſum Solem qui ſuo lumine illuſtrat univerſa, intueri non licet: quanto calamitoſius eſt, mentis aciem obtuſam habere, ne dicam cæcam, qua quis prohibetur, ne in verum Solem (qui Chriſtus eſt) obtutum figere poſſit? ſenſuum vanitate, carnis libertate, mundi deliciis, in Cimmeriis obſcuriores hæreſum tenebras attrahimur: nolite ambulare (inquit Paulus) ſicut gentes ambulant, in vanitate ſenſus, tenebris obſcuratum habentes intellectum, alienati a via Dei per ignorantiam, quæ eſt in illis, propter cæcitatem cordis ipſorum. Cæci ſunt omnes, qui ab eccleſia Romana deficientes, non ſolum ſuis legibus vivunt, ſed adverſus eam armatas acies inſtruxerunt, bellum, igni, ferro, manu, copiis indixerunt, intuleruntque: Hos percuſſit dominus, ne videant. An non legiſtis, quotquot domum Loth obſederunt, foris manſiſſe & oculis fuiſſe captos? An non vidiſtis, regis Syriæ phalanges inſtructas populum Dei oppugnantes in cæcitatem incidiſſe? Claudi ſunt illi, qui unum tantum pedem habent, aut cum duos habeant, uno tantum incedunt: hi autem ſunt illi, qui fidem ſolam ad ſalutem conſequendam ſatis eſſe exiſtimant, aut qui tantummodo doctrina, non exemplis, ambulant, hi a gloria æterna dejecti repulſam patientur: cœcus, & claudus non intrabunt in templum.

ANNO CHRISTI 1561.

Epheſ. 4.

Heu vos, qui vobis Chriſtum imitandum propoſuiſſe jactatis, fide, & operibus: operibus, & fide ambulate, quia alterum ſine altero eſſe non poteſt. Antiſtites doctrina, & exemplo, exemplo, & doctrina, & utroque ſimul, iter ad Chriſtum ſuſcipite, quia ipſe eſt, qui facit ſalire ſicut cervum claudum, & claudicantem robuſtum reddere promiſit: propter quod *remiſſas manus, & ſoluta genua erigite* (Paulus ait) *& rectos greſſus facite pedibus veſtris*, ut non claudicans quis erret, magis autem ſanetur a Chriſto, qui identidem lepram, genus morbi abominabiles homines faciens, mundat, & ſanat, per quam quidem hæreſim intelligendam puto. Cujus ſceleris contagio latius hoc tempore ſerpit, quam quiſquam putat, quippe quæ multos, ac varios infecit populos: cujus etiam, ut diverſæ lepræ, in ſacris literis leguntur, in carne, in capite, in crinibus, in barba, in una corporis parte, totum obtegens corpus, ſic diverſæ hæreſum formæ reperiuntur. In Chriſto capite, in eccleſiæ ejuſdem domo, in ſanctis ejus luminibus, in crinibus, hoc eſt, in eccleſiæ cæremoniis, hæreſis ſingularis, hæreſis generalis: hujus ſane lepræ judicium, & expiatio ſolis ſacerdotibus conceſſa fuit.

Hebr. 12.

Surdi audiunt) Ut illi auribus capti eſſe dicuntur, qui vocum varietates internoſcere non valent: ſic in ſacris literis illos ſurdos cenſemus eſſe, qui non intelligunt, & ſi intelligunt, non obtemperant: aures ſuas aggravaverunt, ut non intelligerent (ait propheta) quam quidem ægritudinem mirandam, an potius miſerandam dicam, vix ſcire poſſum. Referate obſecro aures veſtras, qui ad vocem incantantis illas obturaſtis, tunc audietis, & intelligetis. Sic fiet, ut non ſolum auditum recipietis, ſed etiam qui per illum jamdiu mortui eſtis, ad vitam gratiæ reſtituemini per Chriſtum, quia ipſe eſt qui vivificat: o morbos, o vulnera, quæ hac noſtra tempeſtate univerſum fere orbem terrarum invaſerunt, gravata ſunt, opprimunt, conſumunt! Quando magis tot ægritudines invaluerunt? (inquit ille, ut doctus, ita ſanctus) omnia improbitas, intemperantia occupat, omnia a recto æquitatis & juſtitiæ tramite deviant, in obliquum tendunt: unicuique denique omnia licent. Quando unquam ambitio petulantior, quando cupiditas inflammatior, quando audacia

Iſai. 6.

adver-

ANNO CHRISTI 1561.

adversus pietatem loquendi, disputandi, scribendi, aut securior, aut frequentior fuit? quando in populis rerum sacrarum, quando sacramentorum, quando clavium & sanctorum præceptorum, non modo negligentia, sed contemptus major? quando apertius religio nostra, & fides ludibrio, vel tenui plebeculæ fuit? pastoribus grex non obtemperat. Pontificibus principes non parent: nec sacerdotes populus veneratur; templa spoliata: inde sacerdotes detracti: aræ dirutæ: sacrificia contaminata: cæremoniæ sublatæ sunt, ridentur, & irridentur, qui eas tuentur, & magis qui observant. Sed *qui habitat in cælis irridebit eos.* *Psalm. 2.*

Sedendum, patres optimi, & flendum est, dum recordamur Sion illius, quæ in primordiis suis tam florens, pura, & speciosa fuit, ut omnium credentium esset cor unum, & anima una in Domino. At quid dico sedendum? insurgendum potius, acriter instandum, & omnibus viribus agendum, ut schismata, hæreses, scandala, ab ecclesia Dei tollantur. Pro se quisque vestrum, quos jam video accensos, & inflammatos ad pericula quæque subeunda, vel discrimine vitæ suæ: "condite: a grege vestro turbam luporum immanissimam arcete. Vobis non deerit, qui dixit: *Vobiscum ero usque ad consummationem sæculi*: ille, inquam, vobis aderit: studia vestra fovebit: conatus & vires augebit: linguam expeditam faciet: orationi eloquentiam addet: ingenio suppetias feret. Hierusalem hæc mystica, quæ sua vetustate attrita, & corrosa ruinam minatur, a vobis instaurationem expectat: vobis hic labor defertur, vobis hic locus relictus est: vestrum hoc est studium: vestra interest: ad vos spectat: quantum de expectatione vestra detraheretur, si in tantis angustiis, in quibus universam ecclesiam constitutam videtis, ab officio vestro decedere volueritis? "Accedite, *vel* fingite. *Matth. 18.*

Vos, vos, inquam, vestra sapientia, auctoritate, diligentia potestis providere: hac de causa huc conveniistis. Suscipite igitur causam integritatis, fidei, religionis: suscipite causam vestram, & omnium nostrorum capitis Christi, ejusque vices in terris gerentis: huc Paulus vos adhortatur, sic enim testatum reliquit: *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo*: in hanc curam, & cogitationem eo alacrius, & lubentius incumbere debetis, quo majus præsidium in regibus fortissimis, principibusque optimis, & potentissimis, constitutum videtis: qui omnes operam suam, auxilium, & auctoritatem pro religione, fideque conservanda, & amplificanda libere pollicentur: qui quicquid consilio, labore, ingenio, constantia, & studio possunt, id omne vobis promittunt, & deferunt. *Act. 20.*

Tu Pie pontifex maxime, a Deo tanquam Aaron vocatus, super gentes, & regna positus, quem absentem perinde, ac præsentem alloquor: quod cœpisti jam perfice id, quod te facturum omnino non dubitamus, quippe quod huc nervos omnes intenderis, & conatus omnes contuleris, qui sacrosanctum hoc œcumenicum concilium indixisti: ex omnium cardinalium cœtu viros amplissimos, doctrina clarissimos, virtutibus illustres, tua fungentes potestate huc misisti: tot episcopos, abbates, religionum præfectos, pietate & religione insignes accedere jussisti: Quorsum tandem? nisi quia, cum de summa rerum agatur, aliquando pareres, quod diu parturieras.

Agite igitur, præstantissimi patres, vosmetipsos colligentes considerate, qua de causa patriis commodis posthabitis, ovibus propriis derelictis, huc contendistis: quot pericula inter conveniendum subiistis, & nihil vobis reliqui facietis, quin id omnino absolvatis, quod tamdiu a vobis universus orbis terrarum anxiis mentibus expectat. Sic cœcitas in visum, tenebræ in lucem, surditas in auditum, claudicatio in rectum incessum, lepra in nitidissimam cutem, mors in vitam convertentur: pauperes, & miserrimi illi, qui tamdiu fame laborant, evangelicum panem esurientes, illum alacri animo, quin potius avide suscipient: quos jam videre videor nihil magis desiderare, & expectare. ANNO CHRISTI 1561

Tu vero Christe servator noster in nobis effice, quæso, ut sicut omnes nos unam lucem habemus, unam fidem, unum baptisma, unum Deum, unam spem, unum spiritum: sic sit communne studium, in una fide, in uno sensu, in una voce, in una caritate, in una denique tui, tuorumque ministrorum permanendi, ac perseverandi obtemperantia. Ut una tandem sit Petri domus a te electa, & dilecta, tantoque studio complexa: jube quæso, non Joanni solum per nuncios deferri, sed Germaniæ, Galliæ, Hispaniæ, Italiæ, universæ Europæ, nuper adinventis orbis partibus, vel exteris quibuscumque nationibus, a te omnia vulnera obligata esse, omnes morbos propulsatos, quascumque ægritudines delinitas, adversas quaslibet valetudines, & omnia tandem mala ad sanitatem restituta esse. Tu, qui semper mirabilia operatus es, hoc unum hodierna die a te peto, quin totus hic consessus, universa hæc sanctissimorum patrum corona, hoc præsertim mane animi sordibus sanctissima confessione, & sacrosanctæ eucharistiæ sumptione expiatis, scelerum labe detersa, summi pontificis auctoritate noxa quacumque dimissa, detecto capite, poplitibus humi jacentibus, manibus in cælum extensis, profusis lacrymis obsecrat, obtestaturque: ut ecclesia pristino candori restituta, sine labe, sine ruga, propulsatis omnibus morborum generibus, valetudinem integram consequatur. Quod nobis quamprimum concedas tu, qui omnis sanitatis es auctor. Dixi.

LXXV.

ORATIO R. P. M. EUGENII Pisaurensis, eremitæ Augustiniani, ad sacrosanctam synodum Tridentinam habita. In dominica tertia adventus Domini MDLXI.

ET si multæ se mihi offerant rationes (reverendissimi & illustrissimi sacri concilii hujus præsides) quibus hodiernum dicendi munus omnino recusare, meisque humeris imparem sarcinam, in viros plerosque doctissimos rejicere jure optimo debuissem, antistiti tamen meo, (qui mihi hanc curam demandavit,) meam operam negare sine dedecore non poteram. Et licet arduam suscepisse provinciam & onus, quod meas vires superat, me subiisse cognoscamus, domini tamen dicentis voce commotus: Aperi os tuum, & implebo illud, & quæ a sancto Evangelista scitu digna memorantur observans, multa ad nostræ fidei confirmationem, & pios mores, sanctamque conversationem necessaria percurram. Cum enim variæ inducantur personæ, Judæorum legati, Joannes, & postremo Christus, de singulis aliquan- *Psal. 80.*

ANNO CHRISTI 1561.

quando dicetur. Quæ omnia donec breviter perſtrinxero, quæſo (quæ veſtra eſt humanitas) ut benignas mihi, & patientes aures præbeatis.

Cum ſanctiſſimus Patriarcha Jacob, certum venturi Meſſiæ prædixiſſet adventum, nimirum, quando ſceptrum, & regia poteſtas, a Judæis ablata eſſet, & numerus annorum a mille præſcriptus, magna ex parte jam evolutus eſſet, indieſque expectarent, quando Meſſias appareret. Tunc duo aderant, Joannes, & Jeſus Nazarenus, & alterum eorum eſſe Meſſiam ſuſpicabantur. Joannes multa habebat, quæ illi auctoritatem conciliabant: nam mirabiliter conceptus erat, nunciante angelo, multa acciderant in ejus nativitate, nullis umquam temporibus audita. Et præter hæc omnia auctoritatem ſibi paraverat ipſe non vulgarem, vitæ auſteritate, & prædicatione, ut non immerito a quibuſdam pro Meſſia haberetur, & voluerunt ad horam exultare in luce ejus: Jeſu autem Nazareni quamquam non tanta eſſet exiſtimatio, non tamen ignotum erat angelos in ejus nativitate annunciaſſe gaudium univerſo orbi terrarum, Magos illum adhuc infantem adoraſſe. Ad hæc Joannes Spiritu ſancto edoctus, apertum illum Meſſiam eſſe dicebat: & hinc jam oriebatur diſſidium, illi teſtabantur Joannem, illi Jeſum, alii neutrum: arbitrantes non temere nova ſectancto a veterum & Phariſæorum inſtituto recedendum eſſe.

Ut igitur concordia fidei & doctrina inter populos conſervari poſſet, legatos ad Joannem miſerunt, & ſeduſam navarunt operam, ut novæ doctrinæ cauſam ſcirent, hæc quidem in parte inſigniter eorum diligentia laudanda eſt: & utinam omnes eccleſiæ præſides noſtro tempore id facerent, atque hactenus feciſſent, & non omni ſpiritui credidiſſent, ſed probaſſent ſpiritus, an ex Deo eſſent, nam alioqui eo res noſtræ devenerunt, ut non ſolum princeps unuſquiſque ſed etiam unaquæque civitas, nobilis, præfectus, prædicator, atque adeo etiam paterfamilias in fide & religionis cauſis aliquid novi (& id quaſi impune) inveniat ac prædicet, eximiam profecto laudem promeriti fuiſſent Judæorum primates, ſi ex animo id factum fuiſſet, & non potius veritatem obſcurare, quam ipſam illuſtrare quæſiſſent.

Nonne & ſereniſſimi apoſtoli hujus rei gratia iniere concilium, ut novam de legalium obſervatione doctrinam tollerent, & evangelicam veritatem confirmarent? Quid ſanctum evangeliſtam Joannem movit, ut poſt omnes evangelium ſcriberet, niſi ut Cerinthi, & Ebionis nova dogmata penitus amoveret? Niſi publica extitiſſet Niceni concilii definitio adverſus Arium: & Conſtantinopolitani adverſus Eunomium & Macedonium: & Epheſini adverſus Neſtorium: Chalcedonenſis, adverſus Eutychen, adhuc eorum hæreſes viverent, nec deeſſent, qui eorum pernicioſam doctrinam ſectarentur. Cur toties in tot urbibus celebrata plenaria concilia? cur toties ſimul cojere tot ſancti doctores, & eccleſiæ lumina? niſi præcipue ad novas extirpandas doctrinas? Nonne & vos reverendiſſimi hujuſce rei gratia, tanquam paſtores vigilantiſſimi ex diverſis orbis partibus conveniſtis? Videte tamen (quod etiam Deus intendere vos non permittat) ne in totum Judæorum exemplum ſequamini. Quid enim perverſius & impium magis eſt, quam in rebus tam arduis, Dei honorem, & animarum ſalutem concernentibus, nihil aliud quam proprias ſequi cupiditates, & obtentu pietatis rem impiam moliri? Meſſiam volebant, non quem illis Deus dabat, ſed quem ad ſuas cupiditates attemperare potuiſſent. Deus illis miſerat Chriſtum de tribu Juda, tam longe autem promiſſum, ſed illi Joannem de tribu ſacerdotali, non regia natum attendebant, quem ex ſcripturis Meſſiæ præcurſorem futurum potuiſſent cognoſcere: volebant tamen ut Meſſiam ſe fateretur, credebantque illum honorem, quem illi ultro offerebant, utriſque (ut dici ſolet) ulnis amplexurum: jam illis non placebat Chriſtus, & ſtatim obſervarunt eum operibus eorum reluctari.

Utinam horum exemplorum nullum apud nos Chriſtianos videatur, & uſu veniat. At certe timeo vota mea irrita fore, poſtquam in diverſis mundi partibus contrarium a multis fieri conſpicitur, qui quæ ſua ſunt quærentes, non quæ Jeſu Chriſti, rejectis jam diu receptis eccleſiæ moribus novos ſequuntur, & ut a maximo exordiar. Quis non videt hoc tempore, quam ſpecioſo, & plauſibili titulo (quemadmodum credere par eſt) bono animo concilia, ſynodi, comitia indicantur, fidei pacis, & reipublicæ Chriſtianæ negotia pertractandi gratia, ut idipſum dicamus omnes, & non ſint in nobis ſchiſmata, & ut plurimum per privatos affectus impediuntur, & alio torquentur? ita ut quiſque hoc maxime urgeat, ut Chriſtum, id eſt fidem, religionem, & eccleſiæ ordinationem, & politiam ſuo ingenio attemperatam habeat & obtineat, ſive ea ſint ſacris literis conſentanea, reique publicæ Chriſtianæ conducibilia, ſive non, ſacras literas ad ſuam ipſorum ſententiam, non ad legitimum ſenſum detorquentes. Talem vellemus Chriſtum, per quem omnia nobis impune licerent, quæ flagitioſe patramus. Alii Chriſtum habere deſiderant, qui illis omnia approbet, quæcumque per tot annos hactenus delirarunt. Noſtra fides, Chriſtiana doctrina neutrum patitur, nec noſtros abuſus, & morum pravitatem, nec errores, & temeritatem commendat, ſed obedientiam eccleſiæ præſtandam expoſtulat, quam qui non audierit, tanquam ethnicum & publicanum habendum cenſet: quam ſi ſequuti fuerimus ducem, cum ſit columna, & fundamentum veritatis, non errabimus: ſi autem ab eccleſiæ conſenſu ſemel diſceſſerimus, eveniet nobis, quod viatoribus uſu venire ſolet, ſi quando a recto itinere aberrarunt. Ut enim illi alias ex aliis ſemitas ingredientes vagantur & errant, nullum peritum regionum ducem ſequuti, ſic nos duce carentes eccleſiam, quam reliquimus, cum a rectæ fidei religioniſque curriculo deflexerimus, alia ex aliis impietatis diverticula ingrediemur.

Sed veniamus ad aliud nobis in evangelio propoſitum, Joannis videlicet perſonam, & videamus quomodo conſtantiſſime perſeveret in officio, uti fidelis ſervus & prudens, domini ſui honorem, cum poſſet non uſurpavit, neque Judæorum blandimentis quicquam commotus, confeſſus eſt, & non negavit, quod non erat Chriſtus. Hæc ſingularis eſt conſtantia, quæ in paſtoribus & prædicatoribus maxime reperiri debet: unico verbo omnium magnatum favorem, & benevolentiam ſibi conciliare potuiſſet, ſed veritatis partes tuetur fortiſſime, & non ſolum, ſe non eſſe Chriſtum affirmat, verum etiam digito quis eſſet oſtendit, unde magnifica eum

laude

ANNO CHRISTI 1561. laude extollit Christus, cum dicit, eum non fuisse arundinem agitatam vento, sed columnam fortem, arborem fixam, quam nulla ventorum tempestas, & non humana laus, non adulatio, non metus, aut minæ, non promissa felicitas, non adversa fortuna, a proposita & vera confessione dimovere potuit. Hæc animi constantia Christianis omnibus communis esse deberet, ne damno aut probro affecti excandesceremus, ne amore aut laudibus turgidi superbiremus, ne rebus secundis elati, adversis animo consternati essemus: ante omnia autem, ut in fide nostra, in ecclesiæ catholicæ veritate tuenda firmi essemus & stabiles, nec (ut Paulus docet) circumferamur omni vento doctrinæ. Sed Joannem ad hoc nobis hodie propositum imitantes, pluris faciamus veritatem quam omnium hominum gloriam, aut benevolentiam.

Altera tandem nobis, quæ in evangelio ponitur, Christi persona inspicienda est, de quo dicitur: Medius vestrum stetit, medius quidem secundum humanitatem, quia exinanivit se, formam servi accipiens, & in similitudinem hominum factus: secundum divinitatem etiam medius: quia omnibus æque præsens, estque inter nos & Deum, veluti mediator Dei & hominum, nobis propositus ad utilitatem & salutem, nec non paratus omnibus, haud secus ac lignum vitæ in medio paradisi. Nonne igitur hoc verbum omnem vobis præripit excusationem, si opus Domini negligenter fecerit? Nonne dixit ipse: *Ubi fuerint duo vel tres in nomine meo congregati, in medio eorum sum?* Matth. 18. Quam ergo prætexetis excusationem in hoc sacrosancto concilio, si non omnia juxta ordinem ac debite fiant? Adest Deus ipse, & redemptor noster, via, veritas, & vita, stat medius, videt corda, actiones examinat. Non destituet corpus suum ecclesiam, nec deerit unquam sanctus Spiritus, qui vivificet illam, qui regat, & gubernet, ducatque in omnem veritatem: facite vos quod in vobis est. *Attendite vobis & universo gregi*: Gregi, ne pereat vobis, ne dominus requirat eum de manibus vestris: & cessare vobis faciat, ne ultra pascatis gregem suum.

Grave est onus quod humeris vestris nunc impositum est, utinamque vos tametsi gravissimi & sapientissimi sustinere possitis. Non unius civitatis aut regni vobis cura demandata est, sed universæ Christianæ reipublicæ, non in partem solicitudinis nunc vocati estis, sed nunc in vobis est solicitudo omnium ecclesiarum, nec integris quidem rebus sed deploratissimis. Nostis Christiani nominis jacturam, nostis calamitatem, nostis periculum, nota sunt vobis omnia: nolite ergo nomini vestro, reipublicæ vestræ, & communi omnium saluti deesse, quin potius omni studio ac diligentia in hoc unum incumbite, vosque totos ad hoc ipsum convertite, ut sedatis procellis & tempestatibus, quibus ecclesiæ navis jactatur, & agitur, ad optatum tandem aliquando quietis portum pervenire liceat: ponite vos muros pro domo Israel, ut sciant omnes, non minorem a vobis adhiberi diligentiam in arcendis lupis, in tutanda veritate, in erroribus tollendis, quam a sanctissimis illis patribus: quorum imitatores facti, talem Christi ovibus præparabitis escam, ita pretiosum in hoc sacro concilio conficietis panem, quo universæ ecclesiæ, confecto negotio hinc recedentes, oves vestræ poterunt epulari in azymis sinceritatis, & veritatis, sic pascentur in pascuis uberrimis, in herbis virentibus super montes Israel, cum destructis adversitatibus, & erroribus universis secura libertate Deo serviet ecclesia: hoc pacto quod periit requiretis, abjectum reducetis, confractum alligabitis, infirmum consolidabitis, pingue & forte custodietis. ANNO CHRISTI 1561.

Aperiantur auctoritate vestra juxta sanam & Catholicam doctrinam, mandatorum, oraculorum, promissionum libri, ut cuncti videant, intelligant, faciant voluntatem domini. Discent ex lege, quæ nos deterret, dominum deum timere, qui postquam occiderit, habet potestatem mittendi in gehennam. Discent, si defecerint ex oraculis, reverti ad dominum, qui multus est ad ignoscendum. Discent ex promissionibus caritatem, qua dilexit nos Deus, & ea ipsa accensi, quam libentissime facient voluntatem domini. Quod totum Deo in primis optimo maximo veritatis omnis auctore, & Christo ecclesiæ sponso, qui usque ad consummationem sæculi cum illa se futurum promisit: deinde vestræ sapientiæ, vestræ singulari diligentiæ acceptum referent: nomenque vestrum apud posteros pro tanto accepto beneficio semper in benedictione erit.

Hoc autem ad vos maxime spectat, reverendissimi sanctæ sedis apostolicæ legati. Quod si iis qui foris sunt vestra diligentia, ac solicitudo, justo occulto tamen Dei judicio, profutura non sint, prompta tamen vestra, ac illos salvandi atque ab errore revocandi propensa voluntas Deo optimo maximo cordium inspectori, grata atque accepta erit: per vos enim non stetisse quin illis optime consultum foret, clare perspiciet. Ad retinendos fortasse eos qui intus sunt, ne in hæresim labantur, plurimum solicitudo vestra conducet. Quod si neque hoc ipsorum malitia prævalente datum fuerit, muneri vestro omnes satisfeciisse intelligent, & vos ipsi conscientia recte factorum ingenti lætitia in Domino semper gaudebitis.

LXXVI.

JOANNIS FRANCISCI LOMBARDI Neapolitani Theologi oratio, habita ad patres concilii Tridentini, die sancti Stephani protomartyris, anno MDLXI.

CUM Heroum encomia a præclarissimis viris tantum celebrari æquum sit, illustrissimi sedis apostolicæ legati, reverendissimi antistites, patres, auditoresque ornatissimi, neminem vestrum latere arbitror, quod Davidem psalmorum auctorem nullus laudare possit, nisi qui Davidis spiritus compos factus fuerit. Pauli quoque laudes enunciare nemo potens erit, nisi qui Pauli cœlestem doctrinam sit assecutus. Hoc enim erat illud, in quo apud ethnicos laudabatur Alexander, quippe qui a nullo, præterquam ab uno Apelle, pingi voluit. Ita gloriosum Stephanum hodie commendare nemo unquam audebit, nisi dona linguarum, ut ipse, sit assecutus. Ne dum ista, sed & spiritalis gratiæ facultatem, qua Christi adversarios facile confutavit, qui simul mensis ministrare, & apostolicum munus, quod ipsis apostolis minime concessum esse legimus, exercere idem gratiose valuit. At bene res se habet, quod humanis

ANNO CHRISTI 1561.

viribus non est tributum, cœlesti beneficio nobis copiose donatum est. Dum beatum Lucam hodie nobis excitavit, qui in actibus apostolicis heroica hujus martyris gesta graphice depinxit. Nec non beatum Matthæum extulit, qui in evangelii pericope, hujus sancti viri eximias virtutes felicissime nobis describit. Quas ad clepsydram breviter & celeriter perstringere conabor.

Act. 5. 9. 8. *Matth. 23.*

In hac evangelica lectione primi martyris typice recolitur memoria: nec præter instituti mei rationem. Nam sicut Abelus in exorientis mundi primordiis primus martyrium suo sanguine consecravit, ita nascentem Christi ecclesiam glorioſus iste martyr primarius effuso sanguine stabilivit: dum apostolos omnes, a quibus in diaconorum collegium cooptatus erat, felici morte anteivit. Quem nobis humani generis servator præsenti evangelio veluti digito quodam monstrat, dum Pharisæos hypocritas multis execrationis notis minaciter perterruit. Inter quas ista, quæ ad sepulcrorum structuram spectat, in prophetarum memoriam erectam extremum locum obtinere videtur. Illos arguens mendacii, cum indicat brevi tempore futurum, quod prophetarum domino allaturi essent mortem, ut multo magis credibile esset illos occisuros prophetas. Subditque se in die pentecostes missurum apostolos & Levitas, quos prophetiæ, sapientiæ, & eruditionis scripturarum gratiis exornarat. Inter quos unus Stephanus præcipue enitebat. Quem dominus mirabilibus donis locupletavit, ut sapienter & docte per scripturarum traditiones legis præscripta interpretaretur: quem Judæi tamen interfecerunt, ut parentum suorum implerent mensuram, qui prophetas occiderunt, inter quos Abelum, & Zachariam Barachiæ filium, cujus meminit liber Paralipomenon, truci morte mulctarunt. Quorum duum exempla (ut illos vitæ anteactæ pœniteret) forte proposuit, quoniam illorum sanguinis ultionem apertissime sacra Biblia testantur. De illo namque legitur: *videat Dominus, & requirat*: de hoc autem sic, *sanguis fratris tui clamat de terra*.

Matth. 12. *Genes. 4.* *Act. 6.* *Matth. 23.* *Matth. 27.* *Act. 2.* *Psal. 67.* *Luc. 11.* *1. Par. 24.* *Psal. 78.* *Apoc. 6.* *Genes. 4.*

Deinde Dominus noster assumpta gallinæ alitis parabola, ut deposita cordium duricie vocem ejus attente audirent, sic illos alloquitur, dicens: *Jerusalem, Jerusalem, quoties ego volui congregare filios tuos sub alas*, & tu præ tuæ voluntatis nequitia (quæ est malorum omnium caput & seminarium) ad me venire noluisti, & omne consilium meum pertinaciter despexisti, quodque longe pejus est, incredulitatem incredulitati in dies adjecisti, sicut bene prophetavit Isajas, dicens: *Domine quis credidit auditui nostro? & brachium domini cui revelatum est?* Has duas prophetæ querimonias hodie Christus insinuat, cum primum occisionis, & mox lapidationis meminit. Quæ utraque in martyre Stephano absoluta esse intelligimus. Is enim primus in martyrii stadium descendens, calicem passionis Dominicæ primus bibit, ut & mandatorum ejusdem Domini singulare præstaret exemplar, dum non sibi vindictam mortis, sed lapidatoribus ac interfectoribus veniam postulavit. Sic sane oportebat esse primum Christi martyrem, qui secuturos martyres, glorioſa morte præcurrens, non tantum dominici calicis esset prædicator, sed & patientissimæ lenitatis imitator: cui se se in pluribus comitem dedit. Ille quippe extra portam civitatis Hierosolymitanæ crucis supplicio periit: hic vero ex ejusdem civitatis finibus extrusus est. Ille orando peccatis indulsit eorum qui cruci eum affixerunt: hic pro lapidatoribus humi defixo utroque genu regem gloriæ exoravit. Ille erat angelus testamenti, at hic angelicam in vultu gratiam habuit. Ambo gravissime accusantur de templi eversione, & ambo falsam testium criminationem sunt perpessi. Ambos tandem reseratos cœlos vidisse singulari prodigio sacris literis memoriæ proditum est: ut verè pro tantæ affinitatis symbolo dici possit: Lapidem tetigisse lapidem angularem illum, super quo ecclesia sancta fundamentum erat habitura.

Matth. 20. *1. Reg. 1.* *Hebr. 13.* *Act. 7.*

ANNO CHRISTI 1561.

O beati lapides, ex quibus erectum est templum Jerusalem cœlestis matris nostræ, quæ ex vivis prædestinatorum lapidibus ædificatur ut civitas. O dulces torrentis dominici lapides, ex quibus oleum effuse manavit, ut in testimonium domino altare Christi fidelium erigeretur. In quo uni Deo martyrum quotidie sacra persolvens incruenta summa pietate offert sancta mater ecclesia, quæ tam glorioſi militis hodie lætatur corona. Etenim cum in vocibus aliqua subsit ratio, qua facta hominum expressa personarum proprietate interpretamur, quis Stephanum apud Græcanicam dialectum coronam significare ignorat? Illam scilicet coronam vitæ, quam, qui certamen præoccupavit, primus a domino accipere meruit. Qui fiorem martyrii prævendicans, de corona nominis in coronam gloriæ translatus est, & ut diadema pulchritudinis gemmeis lapidibus contextus e terra traditus est in manus Christi: qui hodierno evangelio (ut vidimus) hujus præclari martyris cædem sub Abeli typo apposite proscripsit.

Apoc. 21. *Galat. 4.* *1. Reg. 2.* *Psal. 121.* *Deut. 32.* *Isa. 29.* *Jac. 1.* *1. Cor. 9.* *2. Tim. 2.* *Can. 3.* *Act. 6.*

Sed tempus est ut accedamus ad actorum apostolicorum sacram historiam, quam beatus Lucas summa animi oblectatione complexus est: quæ lectio plurimum habet admirationis, & non minus continet dignitatis in mysterio. Initio siquidem de Stephani castitate bonum exhibet testimonium, dum ad viduarum custodiam ab apostolis præpositum fuisse commemorat. Qui & ipsum fide, sapientia, & Spiritu sancto plenum prædicat, ut qui vim fidei Christianæ in conspectu regum terræ effuso sanguine ope Spiritus sancti sapienter esset testaturus. Etenim post adventum Spiritus paracleti credentium multitudo incrementum erat susceptura a domino quotidie in idipsum, ut salvi fierent homines, per sapientiam, ac per verbum Dei ad obediendum fidei.

Psal. 118. *Act. 5. 2. 6.* *1. Cor. 3.*

Adjungit huic plenitudini gratiam & fortitudinem: alteram, ut signa: alteram, ut prodigia in populo faceret. In quibus verbis non exile latet mysterium: quippe qui loquens archangelus Gabriel dixit beatæ virgini: *Salve gratia plena*: idem Lucas iisdem verbis de Stephano locutus est, dicens: *Stephanus plenus gratia*: sed post excellentiorem modum genitricis Dei, sublimius gratiæ genus in hoc martyre (Christum semper excipio) abunde magno laudum præconio laudatur. Cujus animus infuso libertatis evangelicæ spiritu in lucem veritatis fortiter & strenue prosiliit. Adversus quam cœlestis gratiæ fortitudinem, quidam Hebræi in synagoga satanæ educati, nec non ex variis gentibus, qui erant libertate donati a Romanis, Cyrenes, Alexandriæ, Ciliciæ, Asiæque cives furioſe insurrexerunt. At cedat

Luc. 1. *Psal. 87.* *2. Cor. 3.* *Apoc.*

pietati

ANNO CHRISTI 1561.

pietati impietas, & iniquitas ſibi mentiatur: non poterant, ait ſcriptura, reſiſtere illi, ſapientiæ & ſpiritui, qui loquebatur, dicente prius domino omnibus amicis ſuis. *Ego dabo vobis os*, id eſt ſpiritum oris mei, & theſauros ſapientiæ Dei mei, *cui non poterunt reſiſtere omnes adverſarii lucis*. Siquidem divina doctrina, & ſapientia, quæ deſuper eſt, in perſecutionibus magis floret, quam emoriatur, aut flacceſcat: quæ dum premitur, creſcit: dum contemnitur, proficit: dum ſuperari videtur, tunc viget: quæ tandem quanto plus tyrannorum ſævitia urgetur, tanto plus pietatem, & Chriſti nomen inclytum toto terrarum ambitu late profitetur.

Adducunt martyrem mox in concilium malignantium, & gaudent illum in ſua retia concluſiſſe. At *fruſtra jacitur rete*, inquit parœmiaſtes, *ante oculos pennatorum*: quoniam tunc vox liberior profunditur, & Spiritus ſanctus totum ſibi martyrem rapit. Ex cujus flatu copioſi latices fluxerunt, qui in Stephani ventre fecerunt fontem aquæ vivæ ſalientis in vitam æterna. Dum fœcunda, divinaque oratione illos primum patrum ac fratrum vocabulo honeſtavit. Qui & compendioſa brevitate inſtrumenti veteris diſpendia libere enunciat, legemque domini immaculatam exponit, ut eſſet prædicator ejus, cujus vaſtator eſſe denunciabatur. Et nacto exordio a fide Abrahami, Iſaaci, & Jacobi in repromiſſionibus obſignata, ſingularem Joſephi gratiam in Ægypto, ne ipſi necarentur, in medium profert. Cui annectit Moſeos miniſterium, per quod Iſraelitæ clare effulgente divina diſpenſatione in manu potenti traducti ſunt in ſolitudinem. A qua egreſſi ſub Jeſu Nave introjerunt in terræ olim promiſſæ poſſeſſionem, uſque ad Davidis tempora. Cujus pacifico filio tantam gratiam largitus eſt dominus, ut illi ſoli ædificium templi Hieroſolymorum viſus ſit concedere.

Hæc ſane ſunt Dei optimi maximi beneficia erga populum Judaicum, quæ generoſus Levita, magna dexteritate, & admirabili prudentia in memoriam revocat. Qui paululum in iram ſuccenſus, illos ſpiritui ſanctificationis contumaces appellat, cervicoſos, corde, auribuſque incircumciſos, vocat pariter proditores & homicidas, quoniam eorum patres interfecerunt Dei prophetas, qui longo ſeculorum tractu prædixerunt de felici adventu juſti Filii Dei (qui factus eſt nobis juſtitia, ut in juſtitia ambulantes, juſte viveremus in hoc ſeculo) quem ipſi morte crucis turpiſſima condemnarunt. Quæ omnia cum illi audierunt, e veſtigio diſſecti cordibus, dentibus tabidis fremere cœperunt.

At ſpiritus plenitudo, dum martyr oculos in cœlum attollit, illum in ſe rapuit: quum is, qui divinitatis afflatur ſpiramine, conculcatis terreſtribus, cœleſtibus inhians, videat gloriam Dei. Qua viſa, etiam Jeſum ſtantem a dextris Dei in illa vidit: ſtantem, inquam, & non ſedentem Jeſum vidit, ut magnam Chriſtus ſuo athletæ exhiberet alacritatem. Vidit ſane illum, quem peſſimi Judæi in crucis ligno pendentem irriſerunt: & vocat filium hominis, pro ratione honoris, ut illorum nequitia retundatur, qui eum in mundo negabant: ut & illi e cœlo daret teſtimonium Veritas, cui fidem in terris perfida impietas negavit. Vidit filium Dei, non oculis carneis, ſed pectoris, quos apoſtolus cordis oculos evocat. Quod cum ex ſcripturis canonicis clare elici nequeat, ſecuræ ambiguitati cum Pauli raptu committens negotium, nihil audebo temere definire, ſed ſilentio libenter præteribo. Idipſum dici arbitror de curioſa apertionis cœlorum theoria, quæ ad animorum profectum nihil valet.

Redeo ad id, a quo deflexit oratio mea. Cum iſthæc illi audiviſſent, voce petulanti rugientes aures ſuas ritu aſpidum continuerunt. Et merito, non erant certe digni prophani animi cœleſtes audire orationes, neque mentes corruptæ Dei ſacramenta ſuſcipere. Inde factum eſt, ut unanimi conſenſu impetum fecerint in ovem Chriſti manſuetam, & corde rabido manu cædem conſpirante cucurrerint ad lapides, iracunde dicentes ad invicem: quid ſibi vult iſte juvenis? fecimus falſum teſtimonium contra dominum ſuum, dum per Cayphæ os diximus, *Expedit ut unus moriatur pro populo*: faciamus & nunc contra famulum, dicentes: *Exterminemus eum de terra viventium, & nomen ejus non memoretur amplius*. Proh ſtupor! illi currunt ad lapides, & iſte currit ad preces: illi ejiciunt eum extra civitatem hominum, & ille eos allicit ad ingreſſum civitatis Dei, de qua glorioſa ſunt dicta. Tunc teſtes illi nequam, quo eſſent expeditiores ad lapides jaciendos, poſuerunt veſtes juxta pedes adoleſcentis Sauli, qui neci ipſius conſenſerat. At officioſus adoleſcens orat pro Saulo, ut ad gratiæ divinæ capeſſendam fiduciam ſpem noſtram nutriret & foveret: nam dum pro perſecutore deprecatur, procul dubio ſuis cultoribus ſalutaria ſuffragia pollicetur.

O efficax oratio, quæ de Saulo Paulum fecit. Qui de diſcipulo fabularum Phariſaicæ ſuperſtitionis, factus eſt magiſter gentium in veritate religionis noſtræ. Qui e terra erectus eſt ſuper cathedram ſeniorum eccleſiæ, dum in terra inclinatus Stephanus exauditus eſt præ ſua reverentia in cœlis, qui ſub ingenti lapidum cumulo ait, Domine Jeſu ſuſcipe ſpiritum meum, ut ſic imitaretur teſtem in cœlo fidelem, qui æterno patri ſpiritum ſuum commendavit. Quo dicto ſalubriter oſtendit martyrum candidatos exercitus illico evolare ad cœlos, & animas fidelium tranſmitti in manus Dei per unicum mediatorem Dei & hominum Jeſum Chriſtum. Nec ſimpliciter Stephanus oravit, ſed cum attentione, dum poſitis genibus pro inimicis precatur, qui prius erecte pro ſe exoraverat dominum gloriæ.

Quis vidit unquam huic ſimile? certe nec primum eſt viſus ſimilem, nec habere ſequentem. O incredibilis caritas, quæ non quærit quæ ſua ſunt, nam in illa lapidum ruina, quando quis poterat cariſſimorum & domeſticorum oblivionem capere, tunc iſte ſanctus domino ſuos commendavit inimicos, dicens voce magna, & clamore valido: *Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum*: plus namque illorum vicem, hoc eſt ſcelera dolebat, quam ſua vulnera. *Et cum hoc dixiſſet, obdormivit in domino*. O beatum ſomnum pacis cum voluptate deliciarum domini. Quid iſta dormitione quietius & pacatius? per quam abſorptus in abyſſum caritatis ſpiritus martyris inter Dei brachia tutius quieſcit, corpus vero cum planctu officioſe ſepulcro committitur; ſicut mos erat patrum antiqui teſtamenti mortem ſanctorum deplorare cum fletu, & vehementi luctu ſolemnes exequiarum pompas celebrare. Etenim dominus virtutum mirabilis agnoſcitur in ſacris electorum ſuorum reliquiis, dum per illorum merita & preces, fideles ſuæ protectionis munit auxilio.

Teſtantur profecto vetuſtiſſimi æque ac graviſſimi

ANNO CHRISTI 1561.

simi patres summum rerum omnium opificem Deum per hujus sancti pretiosam mortem cæcis visum restituisse, podagra, fistula, lithiasique affectos curasse, plaustro obtritos solidasse, ac tremulos firmasse: quodque idem dominus excitavit mortuos ad vitam, & multos ægrotos ad sanitatis robur revocavit. Verum enim vero cum sanctos viros non solum ob oculos nobis Christus objiciat ut illos precemur, sed ut illorum vestigia sectemur & imitemur, ideo columna veritatis ecclesia, & Christi sponsa (cujus spiritu gubernatur usque ad seculi consummationem) singulare hujus martyris hodie fidelibus suis proponit exemplum, dum in sacro liturgiæ officio (collectam vocat ecclesiasticus usus) sic orans, dicit: *Da quæsumus domine imitari quod colimus*, &c.

Psal. 33. *1. Cor.* 4. 11. *Heb.* 13. *1. Tit.* 3. 4 *2. Cor.* 11. *Joan.* 16. *Matth.* 28.

Prov. 25. *Rom.* 12. *Isai.* 49. *2. Cor.* 6. *Heb.* 9. *Joan.* 21.

Ecce nunc, patres amplissimi, *tempus* imitationis *acceptabile*, *ecce nunc dies salutis*. In hac quippe solemni die summus hierarcha & pontifex futurorum bonorum Christus, non sine mirabili, singularique providentia in pascendis ovibus ecclesiæ suæ de tanto pastore providit, Pium inquam pontificem maximum intelligo, Cujus creationis in pontificatus apicem hodie biennium agitur & absolvitur: cujus vel pietas ad omnia valet, Dum in tanto religionis Christianæ turbine, quantum in ipso est (liceat vera mihi dicere) nutanti ecclesiæ omni pietate & officio opem præstare videtur. Qui noctu diuque incumbens solicitudini omnium ecclesiarum, ut boni pastoris, ac episcopi animarum nostrarum officio rite fungatur, diligentissime curat exorta dissidia componere, & pacem quasi intermortuam ab inferis revocare. In quo patrando ministerio admirabili solertia (pace aliorum dixerim) viros fide, sapientia, & pia eruditione præditos, ad nostri seculi refellendos errores in sui nominis legatione delegit.

1. Tim. 4.

Rom. 12. *2. Cor.* 21. *Joan.* 10. *1. Reg.* 2.

Vos, vos itaque apostolicæ sedis lectissimos proceres obsecro per viscera misericordiæ Dei nostri, qui heri visitavit nos oriens e summo cœlorum cardine, qui attritus est propter scelera nostra, imo qui & resurrexit propter nostram justificationem: ut scilicet DEI gratia suffulti sancti pastoris animum opere compleatis, & cum tot patrum antistitum cuneis Stephani caritatem imitemini, ut pro adversariorum fidei conversione (quos tantum causa religionis fecit inimicos) Deum totius consolationis nostræ absque ullo temporis discrimine orare velitis: ut quotquot annos quadraginta & amplius diabolica fraude hæreseon sunt decepti, Christi gratia a sataneæ laqueis absoluti resipiscant, & evadant ab interitu mortis æternæ, quoad vixerint in una arca Noe, quæ fuit typus unius ecclesiæ, sic loquente Spiritu sancto in psalmis, *Deus qui habitare facit unanimes in domo*, scitis enim quod sumus invicem membra de membris sub uno capite, quod est Christus Deus: *qui mandavit unicuique de proximo suo*. Recogitate precor, quod cum sit unus Deus, qui creavit omnia: & una ecclesiæ catholicæ fides, sicut docet Spiritus sanctus in canticis; quam portæ inferi labefactare non valent: quis nisi Christianus in Christiani salute, tanquam sibi propria non semper lætetur? aut quæ fraternitas in fratrum gaudio non ubique gratuletur? In Christi namque cultoribus mens juncta, & individua concordia esse debet. Facite ut satanas, (qui fuit homicida ab initio, & in quem omnis isthæc causa rejicienda est) tanti exercitus uniti fide non ficta, & caritate de corde puro retundatur, & draco ille ruffus summum apostolorum coryphæum, & milites Christianæ reipublicæ evigilare intelligat. Solliciti estote pro virili vestram servare unitatem spiritus in vinculo pacis, & saluberrimis Dei consiliis admoniti in hoc anno novo, quæ est corona benignitatis dominicæ, pressuras fratrum errantium in spiritus novitate, id est, fraternitatis mutua dilectione relevare. Hoc est etenim infirmos in fide assumere: inquietos spiritu lenitatis ut fratres corripere, & alter alterius onera portare, ut Christi lex adimpleretur: sic namque facilius ad Christi ecclesiam, a qua ad tempus recesserunt, ovanti animo redibunt, & eorum mentes ab errorum caligine expiabuntur.

Luc. 1. *Psal.* 28. *Isai.* 53. *Rom.* 4.

Rom. 11. *2. Cor.* 1. *Luc.* 18. *2. Tim.* 2.

Gen. 6. *Eph.* 4. *Psal.* 67. *Rom.* 12. *1. Cor.* 12. *Eccle.* 17. *Deut.* 6. *Heb.* 3. *Ephes.* 4.

Cant. 6. *Matth.* 16. *1. Cor.* 13.

Joan. 8. *1. Joan.* 3.

Quæ est melior & major cura præpositorum, quam medela salubri sauciis ovibus fovendis provideri, dicente domino Samaritano in evangeliis: *Non est opus sanis medicus, sed male habentibus*? Non patiamini quæso oves Christi, quas ille pretioso sanguine redemit, crudeliter sine medicamentis despici ac calcari. Ne vobis objiciatur a domino, quod ait per prophetam: *Oves meas*, dicit dominus, *non pavistis: quod infirmatum erat, non confortastis: quod errabat, non revocastis: quod perierat, non requisistis*. Quapropter date illis per omnia multiformis gratiæ & sapientiæ Dei sacramenta, & fidei catholicæ veritatem elucidate, ut simul nobiscum dulces cibos sanorum dogmatum capiant: & antiquus serpens, qui hucusque divisit inter fratres in opprobrium sempiternum sub pedibus vestris conteratur.

Luc. 10. *Matt.* 6.

Act. 20. *Ezech.* 34. *Jerem.* 23. *1. Reg.* 4.

Ephes. 3. *Eccle.* 24. *Psal.* 54. *Gen.* 3. *Osc.* 13. *Psal.* 77. *Ro m.* 16. *Psal.* 70. *Rom.* 12. *Tob.* 3. *Job* 17. *Job* 5. *Tob.* 13. *Eccle.* 7. *1. Reg.* 18. *Psal.* 10. *1. Cor.* 13. *Rom.* 4. *Act.* 9. *Gal.* 1.

Eja agite speremus omnes in domino, imo & spe gaudere debemus, quod post lacrymas succedent gaudia, & post tenebras videbimus lucem fratrum nostrorum. Idem est enim dominus, *qui percutit, & qui sanat: qui mortificat, & vivificat: qui ducit ad inferos, & reducit*. Quis namque scit (ut quidam ex ecclesiæ propugnatoribus in domino confidens flagranti caritate pie sperat, & in spem contra spem pie credit) quod sicut ille, qui Christum hodie in Stephano persecutus est, factus est postea Christi vindex acerrimus: ita & isti agnita veritate in hac œcumenica synodo legitime in spiritu Dei congregata, futuri sint fidei catholicæ longe potentissimi patroni & assertores, quam hactenus fuerint nostri orthodoxi patres? Ut si terra propediem (curantibus illis tenere in ecclesia catholica id quod semper & ubique hæreditaria patrum traditione ab omnibus creditum est) futura sit unius labii lectio, & omnes idipsum uno corde, unoque ore sentiamus, nec sint in nobis schismata: sed in eadem permanentes regula, gaudeamus in domino, & iterum gaudeamus, nec non psallentes Deo in cordibus nostris hymnis, & canticis spiritalibus dicamus: *Ecce quam bonum, & quam jucundum fratres habitare in unum*. Nam qui perierant inventi sunt, & qui mortui erant, ad vitam redierunt sempiternam, qua hodie gloriosus martyr Stephanus cum aliis sanctis civibus fruitur in regno cœlorum.

Gen. 22.

Soph. 3. *2. Cor.* 1. *Act.* 4. *Rom.* 25. *Phi.* 4. *Ephe.* 5.

Psal. 132. *Luc.* 15.

Ei autem, qui potens est ecclesiasticam hierarchiam in suo servitio conservare, oppugnatores veritatis catholicæ in obsequium fidei, humiliare, & actiones hujus sacrosancti concilii aspirando prævenire, & adjuvando prosequi, sit gloria in ecclesia, & in Christo in omnes gentes seculi, nunc, & in diem æternitatis, Amen.

Jude 1. *Rom.* 16.

2. Cor. 2.

Ephes. 3. *2. Reg.* 3.

DIXI.

ANNO CHRISTI 1562.

LXXVII.

PAULI GUIDELLI TRIDENTINI oratio, ad patres concilii Tridentini habita, anno domini MDLXII.

SI quod unquam fuit tempus (sanctissimi præsides, optime atque integerrime princeps, amplissimi patres, auditores ornatissimi) si qua unquam sese obtulit occasio, in qua universa Christiana respublica ob aliquod singulare ac immortale beneficium susceptum Deo optimo maximo quam maximas gratias agere, eique hostias laudis offerre debuerit, hi profecto, hi, inquam, sunt illi dies, in quibus fausto, felicique ominę, festa, solemnique pompa omnis sexus, omnis ordo, omnisque ætas apertissimum gratissimi animi argumentum erga divinam clementiam in medium afferre jure merito compellunt. Cum nunquam antea melioribus auspiciis jacta fuerint universæ nostræ salutis fundamenta, quam hodierna die: quandoquidem clementissimus ille ex alto tandem prospexit, tantasque Christiani populi calamitates miseratus, vos P. A. duces dedit, & moderatores rerum omnium, quæ ad peragendum publicæ salutis negotium in sacrosancta hac synodo maxime spectare videntur. Eo namque sævientis Herodis, insanientisque satanæ impetus, rabies, crudelitasque pervenerat, ut in Christum domini, sanctamque ejus sponsam, Aquilone susciteto, universi Christiani orbis meliores partes mortifero execrandarum hæresum & sectarum veneno, ac contagione infecerit: a sacro, pio, veterique illo, nobisque a sanctissimis patribus per manus tradito, bene, beateque vivendi instituto averterit: &, quod reliquum est, maximum adduxerit in discrimen. Quod, quale, quantumque sit, cum ex eo cognoscere potestis, quod amplissima regna, potentissima imperia, maximæ provinciæ & regiones, innumeræ civitates, & oppida ab orthodoxa fide, veraque pietate defecerunt: tum ex eo, quod domus, patriam, parentes, carissimosque penates dereliqueritis: hucque ex remotissimis orbis partibus conveneritis: non ut de privatis commodis, non ut de focis, aut laribus: sed de communi omnium salute, & de Dei optimi maximi honore ac gloria strenue ac viriliter agatis: omnemque motum, ac impetum animorum vestrorum ad sacrosanctæ ecclesiæ dignitatem tuendam, ab omni alia cogitatione traducatis, vestramque ac ejus majestatem in tanta hominum & temporum perfidia retineatis. Id quod præclarissime præstiteritis, si omnem moram, omnes inducias, omnemque cunctationem abstuleritis, maximum illum Alexandrum imitati, qui nihil ægrius, quam moram patiebatur. Quando unum, idque potissimum tantis calamitatibus remedium in celeritate videtur esse positum, & collocatum: alioqui labentis religionis rem & fortunas eo brevi maximo vestro cum dedecore deductas conspicietis, ut nulla amplius auxilia, præterquam lacrymæ, possint ab hominibus expectari.

Etenim quis tam durus, vel potius ferreus, qui fletum & lacrymas in tantorum malorum, tantarumque tragœdiarum fœdissimo aspectu, turpissimaque recordatione contineat? dum verum, & germanum Dei cultum, cui prima semper officia boni quique debuerunt, impii nostri hostes tollere conantur: quo violato, nedum sublato, tollitur omnis humanarum rerum delectus, sa-

A lusque, & beatitudo universi Christiani gregis periclitatur. Unde factum est, ut nunquam antea Christi ecclesia vel vigente Ario, Manichæo, Pelagio, Nestorio, Eutyche; Donato, reliquisque ejusce notæ hæresiarchis, gravioribus periculis fuerit expositа, turbulentioribusque tempestatibus agitata, quam hodierna die: ita ut omnia dira, omnia prophana, omnia portentosa præteritorum temporum inventa in præsentiarum revixisse, in unumque coacta conspiraſſe videantur in dilectam domini, eique immaniora bella indixisse, acerbioresque clades intulisse, quam olim Claudii, Nerones, Domitiani, universæque tyrannorum acies, dum florentem illam, licet adhuc adolescentulam, districtis gladiatorum, tor-
B torum, & carnificum gladiis, uncis & aculeis insequerentur. Nec profecto credendum est eos ipsos Gothos, Hunnos, Vandalos, & Scythas, acerrimos ex professo Christiani nominis hostes, tantas clades, tantasque strages rebus nostris ferro, flammis, depopulationibus, devastationibus, & cædibus attulisse, quantas impius ille satan caput ecclesiæ aggressus, & fastigium domus domini sua intulit impietate, atque licentia: cum illi in agros, in oppida, in ipsaque tantummodo virorum corpora, aperto Marte fuerint grassati: at hi, veluti omni insidiarum genere armatæ vulpeculæ, dolo malo, fraudibus, technis, phaleratis verborum lenociniis, truculentaque plerumque armorum rabie in ipsas Dei
C imagines, animas scilicet nostras fuerint debacchati, omnia defœdando, & conspurcando, a sacra, totque sæculorum usu & consensu confirmata doctrina dissentiendo, sibi populi Dei, pietatisque ministerium vindicando: & (si diis placet) pollicendo se ex tenebris, & umbra mortis eruturos, in lucemque daturos sacrosanctam hanc, quam nos incolimus, & veneramur ecclesiam: quamque artifex ille sapientissimus sibi fundavit, & ædificavit in fundamentis Sion opere sane admirando, non in exercitu, aut robore, sed in spiritu super lapidem primarium, probatum, angularem, pretiosum, qui factus est in caput anguli: quamvis eum antea reprobassent ædificantes: quasi vero prophanis hisce impostoribus novam
D nescio quam Babylonem molientibus major adhibenda sit fides, quam ipsi veritatis parenti: qui ut dispersiones Israel congregaret in unum, nempe mysticum ecclesiæ corpus, cum advenisset plenitudo temporis, se cruci, mortique obtulit, quo nobis certam salutis viam, veram lucem, apertamque veritatem ob oculos poneret.

Quasi vero credendum sit ideo Christum Jesum exisse ab æterno patre, tot tantaque incommoda, tormenta, & cruciatus adjisse, ut apostolis, primisque illis ecclesiæ proceribus sublatis, iterum ei in antro Trophonii, in Democriti puteo, in Cimmeriis specubus esset delitescendum, donec
E post mille quingentos & amplius annos unus cum nefandissima sua schola, unus, inquam, impurissimus Lutherus insurgeret, qui eam ipsam omni (quod ajunt) impietatis genere defœdatam ad antiquum genuinumque candorem revocaret, in pristinamque libertatem & majestatem vindicaret. O mores, o tempora, o anilia deliramenta, o capita plane detestanda! Siccine credendum est æternam patris sapientiam carissimæ sponsæ consultum voluisse? Nonne hoc perinde esset, ac si mercator pro pretiosa margarita comparanda, nullis laboribus, nullis ærumnis parceret, omnesque licet quam maximas & opes

ANNO CHRISTI 1562.

ANNO CHRISTI 1562.

& fortunas erogaret: ubi autem voti factus esset compos, in profundum abyssi illam abjiceret, atque demergeret: quo quid stolidius, quidve dementius posset unquam excogitari? At cum usque adeo nostri hostes, pernicioſissimi profecto satanæ satellites sint stupidi, contumaces, atque rebelles, ut Dei dicentis, ecclesiæ admonentis, validarum rationum convincentium vim, vocem, dignitatem, & auctoritatem contemnant, deberent saltem sincero mentis examine scrutari, & contemplari quis ipsius sanctæ ecclesiæ fuerit & cursus, & status a Christo passo ad hæc usque tempora, ut inde manifesto cognoscerent, quantum a scopo, ab ipsaque veritate aberrarent.

Primo namque primi illi apostoli, apostolorumque discipuli omnes æque, atque validissimi duces & antesignani, in proprio sanguine, propriisque vitæ meritis, perinde ac in vivis & pretiosis lapidibus per trecentos annos ineffabile ipsius pietatis, & religionis jecerunt fundamentum: deinde apertius Christi Jesu imperium cœpit orbi innotescere, cœperunt templa aperiri, Christusque ipse publice prædicari: quod antea minime licuerat ob tyrannorum, mortisque formidinem: tuncque (juxta prophetæ vaticinium) multiplicatum est ejus imperium. Et quamvis religioſissimo Constantino e vivis recedente, filius ejus Constantius Arriana hæresi fuerit infectus, ecclesiam vexaverit, Athanasius, Hilarium, complureſque alios ecclesiæ heroas in exilium miserit, & relegarit, attamen Constantino sublato, apostataque Juliano interfecto in bello, quod adversus Persas susceperat, reddita est pax ecclesiæ per Jovianum, ab hocque Joviano ad usque Caroli cognomento magni tempora, omnes pii Cæsares, religioſique principes se sanctæ Romanæ ecclesiæ subditos esse juxta Nicenæ synodi sanctiones professi sunt.

Id quod præclariſſime omnium Valentinianus Joviani successor, cum Mediolanensis pontificis instaret & electio, his verbis declaravit. Talem (inquit) nobis in pontificali instituite sede, cui nos, qui gubernamus imperium, nostra capita submittamus, & ejus, dum veluti homines deliquerimus, veluti curantis medicamina susciplamus. Hoc ipsum præstiterunt in synodo Nicæna Constantinus, senior Theodosius in Constantinopolitana, Theodosius junior in Ephesina, & Marcianus in Chalcedonensi. Accedat divus ille quoque legum conditor Justinianus, qui si in hisce, quæ ad veram pietatem spectant, aberrasse credatur, vix fieri poterit, ut in legibus condendis, orbique promulgandis pie sancteque senserit. Nonne hic in epistola, quam Constantinopolitano celebrato concilio ad universas gentes, & populos direxit, sanctæ Romanæ ecclesiæ statutis, & sanctionibus se suppoſuit? nonne dictorum quatuor conciliorum edicta & decreta confirmavit, mandans omnibus, ut eisdem parerent, ac obtemperarent, omnesque leges quas promulgaverat, ecclesiæ censuræ subjectas esse decernens? Nec ab hoc sacro pioque instituto aberravit junior Constantinus, qui anno circiter centesimo & quinquagesimo post Justinianum cum imperasset, habitis de more majorum comitiis in urbe regia, Monothelitas hæreticos, quorum pater & avus fautores fuerant, penitus delevit, templaque omnia ab eis eversa a fundamentis instauravit.

Hæc autem omnia idcirco fusius dicta velim patres, existimetis, ut intelligant prophani Græcos Cæsares fere omnes Romanæ ecclesiæ protectores fuisse usque ad magni Caroli tempora; tunc siquidem vexata, agitataque ecclesia, nullasque suppetias afferente Græcos Cæsare, Stephanus pontifex Pipinum Francorum regem accersivit, & Leo, & Hadrianus Carolum ipsum contra Astulphum, & Desiderium Longobardorum tyrannos, quibus profligatis, atque devictis, ut tanto beneficio parem gratiam referret Hadrianus, [a] coacto Romæ concilio CL. patrum, imperium a Michaele Cæsare Græco in Carolum transtulit: cumque non multo post ab impiis Romanis iterum perturbaretur ecclesia, nullamque opem ferret Ludovicus Caroli successor, Leo [b] septimus genere Germanus, Othonem primum Saxonum ducem in ecclesiæ subsidium evocavit, eumque compressa hostium temeritate Imperii diademate decoravit. Huicque & secundus, & tertius Otho continua serie successerunt, tuncque per Gregorium quintum natione itidem Germanum invecta fuit Cæsarum electio per septem Germaniæ principes, quæ in hanc usque diem perdurat, & tamdiu perdurabit, quoad Christi fidelibus expedire judicaverit sacrosancta ipsa Romana ecclesia, quæ supremum gradum, & primas in Imperio jure merito sibi vendicat, ob causas, & rationes, quas & quamplurimas, & validissimas vel ipse ego, licet asymbolus, & pene prophanus, in medium afferrem, ni temporis angustia me deterreret, neve (quod proverbio ajunt) Athenas velle portare noctuas viderer, susque Minervam docere.

Ex dictis modo consideret illa olim Romanæ majestatis propugnatrix & amplificatrix Germania, an majorum suorum virtutem, gesta, facinora, exempla, & merita vel sequantur, vel æmulentur, an potius toto (quod ajunt cœlo a scopo aberrantes degenerent. Resipiscant quæso, & dent honorem, & gloriam Deo suo, nec amplius tot ineptiis, quas suggerente satana adinvenerunt, mentes piorum implicent. Adeo enim inanes, pueriles, absurdæque esse conspiciuntur, ut a nullo viro bono, nisi maximo cum stomacho audiri posse videantur, cum damnatos, explosos, & toties exibilatos veterum hæreticorum, gentilium, & philosophorum errores nobis iterum, perinde ac divina oracula, obtrudere laborent. Quid enim aliud moliuntur, dum humanæ voluntati libertatem adimunt, nisi ut impiam illam, & prophanam Zenonis, Democriti, Carneadis, reliquorumque Stoicorum opinionem nobis inculcent? qua asserebant omnia certa lege stare, de necessitate, fatoque evenire. Id quod non modo sacri ordinis viri eruditi, verum etiam ipsi mundi sapientes confutarunt, dicentes omnia quidem fato contineri, non tamen omnia fato esse decreta: fatumque ipsum nequaquam dicere, hic talia faciet, hic talia patietur: sed legis instar in hanc sententiam personare: Quæcumque anima hæc vel illa fecerit, hæc vel illa vel promerebitur, vel feret. Quæ autem nostras actiones consequuntur, ab ipso fato perficiuntur. Quod præterea contendunt, cum nullis honestis actionibus ad immortalitatem comparandam opus esse afferunt, nisi ut Epicuro, Aristippo, Cyrenaicaque turba longe sordidiores in hujusce ærumnosæ vitæ proscenio, atque theatro, luxu & ocio marcescentes, Sardanapalos tantum agamus, & Philoxenos?

Sed ne singula hujusce pestilentis hydræ capita, ne

ANNO CHRISTI 1562.

[a] Non Hadrianus, sed Leo III. neque a Michaele, sed Irenes tempore, nec coacto concilio, &c.

[b] In hoc aliisque pluribus errat hic declamator ineptissime multa deblaterans.

ANNO CHRISTI 1562.

ne dicam deliramenta, recenſere, actaque agere videar, vos videtis P. A. ut hæc Chironia ulcera, hæc Telephia vulnera irrepſerint in intima uſque præcordia ipſius pietatis & religionis, cui veſtris genibus advolutæ, veſtramque opem & auxilium imploranti, ni quantocumque fieri poteſt conſilio & auxilio medelam & antidotum præſentiſſimum afferatis, periculum & ſane verendum imminet, ne vehementiſſimus hic aquilo irruens a regione deſerti concutiat omnes angulos domus noſtræ, neve dominus Dei cœli det hanc noſtram Hieruſalem in acervos arenæ, in cubilia draconum, in ſolitudinem & deſertum, ita ut ſanctiſſimo Joſeph una cum puero & ejus matre iterum in Ægyptum ſit fugiendum: eccleſiæque in Tyrum & Sidonem, in exteras gentes, in extremos nuperque repertos Indos ſit tranſmigrandum, omni nobis tum adoptionis, tum hæreditatis cœleſtis ſpe penitus ſublata.

Curate igitur P. A. curate pro veteri illa, & ſacroſancta inter vos, ipſamque eccleſiam conjunctione, pro ſingularique veſtra humanitate, ut quibuſcumque rebus poteritis (poteritis autem omnibus) languentis religionis rationibus proſpiciatis: eam enim de vobis, veſtraque divina virtute concepimus ſpem, ut longe melius quæ ex re noſtra ſint vos perficere, quam nos exoptare poſſimus: ſi præſertim vos ad hanc rem adjutores habuerimus, ſuſceperitiſque hanc procurationem, & vobis glorioſam, & Chriſtianæ reipublicæ maxime utilem. Neque enim fieri poteſt, ut vos in ocio, & illa in pace poſſit quieſcere: & quo fœdius ac indignius rem & rectiſſimam & honeſtiſſimam impudentiſſimorum hominum temeritas violat & audacia ſummo cum reipublicæ detrimento, eo ſtudioſius & ardentius illis reſiſtere, & univerſæ reipublicæ conſulere veſtri muneris eſt. Quo peregregie fungemini, ſi intellexeritis vos ſupra omnia opera manuum domini, ſupra cœlorum vertices, ſupra ipſos angelicos ordines eſſe conſtitutos, atque adeo vere maximos, & non minores eſſe mundos, contra quam veteres illi ſomniarint, ſi cognoveritis vos factos eſſe ſpectaculum mundo, angelis, & hominibus, qui vos amant, & quærunt quod laudent in vobis.

Et quemadmodum in unum Solem reliqua ſidera intuentur, ut inde cariſſimam lucem hauriant: ſic in vos univerſæ Chriſtianæ reipublicæ oculos & ora eſſe converſa, ſi memineritis vos eſſe *genus* illud *electum*, illudque *regale ſacerdotium*, quod apoſtolus prædixerat gentibus datum iri, ut annunciaretis laudem & virtutem illius, *qui de tenebris eduxit & evocavit vos in admirabile lumen ſuum*: ſi denique vos non latuerit veſtra nomina nihil aliud ſonare, præter quam reges, inſpectores, conſultores, ſpeculatores, cuſtodes, ultores, & propoſiti compotes: cum eadem mens, idemque animus vobis eſſe debeat in eccleſiam domini, qui principibus & regibus in ſubditos: & eo ardentior, quo ne omnes quidem humanæ res cum minima divinarum rerum portiuncula ſunt comparandæ. Incumbite igitur, per Deum immortalem, incumbite in hanc curam & cogitationem, ipſamque pietatem, religionem, eccleſiam, bonoſque mores, quæ olim a Deo optimo maximo, a veſtriſque majoribus ſummo omnium cum ſtudio & contentione, vobis intacta, inviolata, impollutaque tradita fuerunt, veſtræ fidei, veſtræ pietati, veſtræque bonitati etiam atque etiam commendata eſſe intelligite. Et ſi Dei, & hominum gloria vos delectat, in eo potiſſimum virtutum genere & campo animorum veſtrorum vires & magnitudinem exercete: quod cum rebus noſtris pene perditis præſentiſſimum attulerit auxilium, vobis ampliſſimam dignitatem, immortalemque gloriam ſit allaturum: quandoquidem omnem eam diligentiam, ſolicitudinem, & animorum propenſionem, qua in hac cauſa uſi fueritis, & præſens ætas, & univerſa poſteritas divinis proſequetur honoribus, & admirabitur.

ANNO CHRISTI 1562.

Huc (quæſo) ad pietatem confirmandam & amplificandam omnes nervos dirigite, ſola religionis ſalus vobis ob oculos verſetur, tanquam e ſpecula ad ejus commoda & ornamenta proſpicite: vos in ejus periculis propulſandis ſolertiſſimos & fortiſſimos præbete, eumque animorum ardorem in ea tuenda exhibete, ut univerſus terrarum orbis fateri compellatur, nullos unquam neque præſentibus, neque præteritis temporibus ejus amantiores extitiſſe, ardentiorique eam caritate fuiſſe proſecutos, quam vos. Vos feliciſſimos, vos beatiſſimos fore exiſtimate, ſi omnia conſilia veſtra, omnes actiones, omnemque veſtram virtutem in pietatem, in eccleſiam, in ipſumque Deum optimum retuleritis: cum nulla videatur cenſenda, nec appellanda virtus, quæ in Deum, perinde ac in ſummum & incommutabile bonum non referatur. Inſurgite alacres in hoſce perditos & delirantes homines, nec ullas eorum amplius vel minas, vel inſidias extimeſcite: nam illi ubi primos impetus effuderint, veluti veſpæ, & crabrones emiſſo aculeo illico torpeſcent.

Et ſi honeſtum eſt ob communes fluxas, & fere inanes hominum utilitates nullos labores, nullaque pericula evitare, quæ qui faciunt, hi maxime naturæ bonitatem præſeferunt, hique ad communem omnium utilitatem, ſalutem, & ornamentum ſe natos eſſe recordantur, quanto honeſtius & præclarius exiſtimare convenit id facere non propter homines ſolum, ſed propter Deum, propter ſervatorem, propter Chriſtum, qui nullo a nobis officio provocatus, præterquam quod ampliſſima, immortaliaque antea in nos contulerat & beneficia, & ornamenta, ultro ſe noſtri cauſa morti dedit, quique cariſſimam ſponſam hiſce perditiſſimis temporibus adeo torqueri & lacerari permittit, ut nullum ejus ſit membrum, quod non ſit fractum, deluxatum, debilitatumve: quo vos P. A. ſitum & ſqualorem e divinis veſtris mentibus excuteretis, dormientiſque veſtræ virtutis aliquod præclariſſimum ſpecimen ederetis. Nam quemadmodum bonus agricola, ut tandem omnium laborum ſuorum frugem & mercedem conſequatur, ſpicas & paleas ad ardentiſſimos Solis radios expoſitas, aſſidua, validaque triturâtione contundit: & pigmentarius, ut ex muſco, myrrha, cinnamomo, reliquiſque aromatis odoris ſuavitatem eliciat, ea in æneo vaſe affiduis ictibus terit, ignique admovet: ſic Chriſtus dominus in eccleſiam, voſque ejus paſtores, permiſit ut tam dira, tamque execranda hæreſum flagella & tormenta inſurgerent, vos exagitarent, contunderent, ac excruciarent, quo fructum, odoremque Deo dignum aliquando in lucem daretis.

Rebus itaque omnibus fulgentiſſimum lumen afferte, recondita nudate, abſtruſa aperite, dubia cert efficite, corrupta inſtaurate, memoria repetentes illud in religione & pietate, vitiis hominum

ANNO CHRISTI 1562.

minum invaleſcentibus, uſu veniſſe, quod in ſpecioſa, & ſcite quidem depicta tabella, quæ lucem illam & nitorem coloris primi ſenſim amiſit, locique aliquot eſt ſuis deleta, quæ ſi non eſt pingenda denuo, eſt certe & ſitu & ſqualore deterſo inſtauranda, & quod interlitum eſt, a vobis eſt illuſtrandum: & ſi hactenus tum fatali graſſantium bellorum lue, tum noſtrorum principum diſcordia atque ſocordia ſegniores in hanc rem, quam par erat fuiſtis, nunc alacriorem impendite operam: & quo plus receſſus vobis aſſumpſiſtis (quod clarorum virorum eſt maxime proprium) eo nunc vehementiores impetus edite, haſque veſtras potiſſimum eſſe partes ducite, ut agatis de Dei cultu conſervando, de pietate propaganda, de animis conciliandis, & de pace, & concordia in domo domini confirmanda. Hoc ſiquidem immenſus ille in nos omnes Dei optimi amor, & caritas: hoc immortalia ejus in vos collata, & beneficia, & ornamenta: hoc naturæ leges, quibus ſupra, infraque gubernamur: hoc gentium jura, & inſtituta: hoc fides: hoc pietas: hoc religio: hoc denique majorum non modo noſtrorum, verum etiam & gentilium, & ethnicorum & geſta, & exempla expoſtulant atque contendunt. Quandoquidem tantum fuit ſtudium priſcis illis, & præſertim Romanis, & ſervandæ & amplificandæ religionis, ut ei ſupra omnem hominum opinionem, omne ſummum imperium ſemper ceſſerit: ita enim ſe rerum potituros arbitrabantur, ſi divinæ potentiæ & bene & conſtanter fuiſſent obſecuti. Nec vobis, ut pote viris fortiſſimis, iiſdemque ſapientiſſimis quam maxima, validiſſimaque præſidia & auxilia defutura vereamini.

Aderit primo clementiſſimus ille rerum omnium parens, & creator Deus, qui cum ſemper faveat, præſtoque ſit juſtis cœptis, ſaniſque conatibus, in medio veſtrum non commovebitur: adjuvabit vos mane diluculo, & aquis ex Libano maximo cum impetu fluentibus conſolabitur vos, ſanctamque eccleſiam: quam licet interdum caſtiget propter electorum exercitationem & ſalutem, nunquam tamen eam morti devovet, ſed de portis mortis exaltat illam, ut annunciet omnes laudes ejus in Sion: quique & multas & malas tribulationes oſtendit illi, converſus tamen vivificat eam, & de abyſſis terræ iterum educit eam.

Aderit Pius quartus pontifex maximus, acerrimus, ſapientiſſimuſque Petri naviculæ defenſor, & gubernator ſolertiſſimus, vigilantiſſimuſque Chriſtiani gregis paſtor, abſolutiſſimum ſanctitatis, omniumque bonorum exemplar, qui quam primum uno omnium purpuratorum patrum voto in Chriſti, Petrique ſucceſſorem, eccleſiæque moderatorem eſt cooptatus, nihil antiquius habuit, quam ut vos P. A. in unum cogeret, quo tam diri ſerpentis caput contereretur, tantiſque calamitatibus conſuleretur.

Aderit Auguſtiſſimus ille Ferdinandus Cæſar, quo principe nemo unquam Romano imperio obtigit vel clementior, vel prudentior, vel ſapientior, vel per omnem pietatis, juſtitiæ, reliquarumque virtutum laudem immortali Deo carior, vel hominibus acceptior. Hic eſt ille divus Ferdinandus, qui alacriori animo, majoribuſque conatibus, quam ullus unquam antea Cæſarum, religionis, Chriſtianique imperii decus adverſus crudeliſſimos barbaros eſt tutatus: utpote qui cernens propriis humeris, perinde ac Herculeis, univerſæ Chriſtianæ rei molem eſſe impoſitam, adverſus Othomanorum, univerſique Orientis diſtrictos gladios, infeſtiſſimaque arma, adverſus hoſce etiam ſanctæ religionis corruptores ſemper ſe objecerit, veluti validiſſimum murum, munitiſſimumque propugnaculum, eoſque toties repreſſerit, atque confregerit. Hujus profecto divini imperatoris opera ac induſtria factum iri & brevi ſperamus, ut & Mahumetici imperii tyranni penitus tollantur, & hæreſes, & corruptelæ ab univerſa Chriſtiana republica relegentur: quando in præſentiarum huc omnem animi contentionem direxit, ut deducat hujuſmodi hæreſum fautores ad hoc ſacroſanctum œcumenicum concilium, quo rite ſancteque peracto, glorioſum, nullaque unquam temporum injuria delendum, perinde ac alter Alexander, alterque Auguſtus, de omnibus Chriſtianæ pietatis hoſtibus ſit acturus triumphum.

Aderit una cum duobus Chriſtianiſſimis regibus, Francorum ſcilicet, & Luſitanorum, potentiſſimus ille, religioniſque obſervantiſſimus Philippus Hiſpaniarum rex, qui divina ſua virtute obſtinatiſſimos Chriſtianorum principum in mutuam perniciem animos ſuperioribus annis dum jura, & injurias armorum apparatu ſupra hominum memoriam maximo invicem proſequerentur, crudeliſſimaque bella, varia dubiaque fortuna, ſed certiſſimis cladibus rempublicam Chriſtianam affligentia ita compoſuit, atque ſedavit, ut auream illam, & auguſtam pacem, a Chriſto mortuo ad hæc uſque tempora nunquam viſam, & toties omnibus omnium votis expetitam nobis reſtituerit. Aderit etiam illa divinis elogiis vere digniſſima Venetorum reſpublica, in qua una omnem veterum rerumpublicarum virtutem, gloriam, & majeſtatem reviviſſe conſpicimus, & admiramur. Aderunt præterea una cum reliquis Chriſtianis principibus, & illuſtriſſimi noſtri Madrucii, qui tum ut vetera illa, & ſacroſancta hoſpitalitatis jura ſervarent, tum ut hiſce principibus, quibus ſemper addictiſſimi fuerunt, rem gratam facerent, & obſequerentur, omnes quantaſcumque poſſident & opes, & fortunas, hanc pulcherrimam urbem ad Germaniæ radices (ut videtis) ſitam, huicque obeundo negotio maxime opportunam, noſque omnes, quotquot ſub eorum feliciſſimo imperio vivimus, veſtris commodis, veſtriſque obſequiis obtulerunt, dicarunt, & conſecrarunt: vos etiam atque etiam orantes, atque obteſtates, ut ea vobis de eorum humanitate, & benignitate polliceri velitis, quæ a principibus munificentiſſimis, veſtrumque omnium obſervantiſſimis expectari poſſe videantur.

Inſurgite igitur P. O. inſurgite, & vobiſcum univerſus Chriſtianus orbis exurgat, ferte pietati periclitanti auxilium: ferte religioni: ferte eccleſiæ: ferte Chriſto Jeſu: ferte rebus veſtris, vobiſque ipſis. Nolite amplius per Deum immortalem pati tantam peſtem, tantam perniciem adverſus Chriſtianam rempublicam invaleſcere, incrudeſcere, debacchari. Laudantur prophani illi Heroes, quod pro patria, fideque ſervanda filios virgis cæſos ad palum deligatos ſecuri percuſſerint: quod & volentes, & lubentes ſeſe morti devoverint, quod in vaſtiſſimos terræ hiatus præcipites ſeſe dederint, quod acerbiſſimis cruciatibus, turpiſſimiſque contumeliis intrepidos ſe objecerint. At quanam ratione illos ductos fuiſſe arbitremur? nulla nempe alia, niſi ut inanem, umbratilem, & brevi interitu-

ram

ANNO CHRISTI 1562.

ram hujusce seculi gloriam vel mortui quoquo pacto viderentur assecuti.

Et vos, qui ad celebrem hujusce vitæ gloriam supra cœlestem illam, & immortalem estis addituri, & assecuturi, cunctabimini diutius obviam ire præclarissimis, glorioſissimisque triumphis? Tollite quæso, tollite felicia & victricia signa in hosce communes omnium bonorum hostes, qui cum verbum vitæ toties susceperint, illudque meretricia fronte contempserint, facti sunt similes terræ depravatæ, quæ optimo semine sæpe ac sæpius suscepto, nihil tamen aliud reddit præterquam infelix lolium, & steriles avenas. Neque enim dubitamus, quin pro excelsa animorum vestrorum magnitudine, pro incomparabili sapientia, pro divinaque vestra virtute omnia sitis gesturi, moderaturi, constituturi, & perfecturi. Sic nos qui quatuor & quadraginta annos, ex quo hæc immanis lues, teterrimaque contagio invaluerunt, una cum propheta inter vestibulum & altare ploravimus, exclamantes: *Parce domine, parce populo tuo*, & procul fac a nobis detestandum hunc Aquilonem, nostræ tandem fortunæ exultantes, ovantesque gaudebimus, utpote quæ nos in tantos heroas, in tantos duces, in tantos moderatores, in tantos rerum nostrarum amplificatores conjecerit: & vestræ divinæ virtuti gratulabimur, qua duce & auspice ea propediem aderunt tempora, in quibus, sublatis una cum immanissimo Herode universis Christianæ concordiæ perturbatoribus, stillabunt montes dulcedinem, colles fluent lacte, per omnes rivos Juda ibunt aquæ, & dominus Deus Sion habitans in monte sancto suo convertet captivitatem nostram in pacem, requiem, & tranquillitatem sempiternam. DIXI.

LXXVIII.

LITERÆ ILLUSTRISSIMI DOMINI Marci Antonii cardinalis Amulii ad legatos sacri concilii Tridentini, super professione fidei patriarchæ Assyriorum Orientalium.

REVERENDISSIMI & illustrissimi domini colendissimi, reverendus dominus Abd-Isu, Assyriorum Orientalium patriarcha, electus a clero, & eorum populorum consensu, qui finitima Tigri fluvio loca incolunt, Turcarum & Persarum imperio subjecti, anno superiore, ut confirmaretur a pontifice maximo ad urbem se contulit, cumque literis ac testibus fide dignis cognita ejus electio & probitas esset, ac per multos non solum dies, verumetiam menses absolutam nostrorum rituum cognitionem, a quibus antea in nonnullis, non quidem gravibus, dissenserat, a catholicis & eruditis hominibus accepisset, tandem (proponente me) a S. D. N. frequenti consistorio, patriarcha & pastor illorum populorum declaratus est: Cum prius se nunquam a sanctissimis sedis apostolicæ decretis esse dissensurum, aut discessurum, solemniter de more, confessione, & jurejurando pollicitus est. Quarum rerum memoria literis diligenter consignata, in archivio custoditur. Quod nisi senio jam confectus redire ad suos, impetrata primum a S. D. N. licentia, properasset, ut eos ecclesiastica doctrina plenius instrueret, ad sacrum concilium profectus esset, ut isthic fidem catholicam, suumque erga sedem apostolicam singulare studium, & obedientiam profiteretur. Abeuntem summus pontifex ipsum, suosque presbyteros, & diaconum vestimentis, & rebus omnibus ad ejus sacerdotium pertinentibus, & viatico est prosecutus. Hujus viri eximiam in Deum pietatem, optimumque de vera fide sensum, cum in multis aliis, tum in eo perspeximus, quod cum discederet, petiit studiosissime, ut istius sacri concilii canones, & decreta perferenda ad eum curaremus: se enim quicquid in concilio statutum erit, omnino servaturum promisit, daturumque operam, ut omnes sui servent, ut chirographo suo Chaldaica lingua confecto, quod Latine explanatum cum his literis mittimus, confirmavit. Nos autem libenter fecimus, ut ejus probitatis, prudentiæ, eruditionis, ac nobilitatis testimonium his literis daremus. Nam ex celeberrima ortum familia, opibus etiam pro loci ratione abundantem, jam sexagenarium, non aliam ob causam tam longum, tamque difficile, ac periculosum iter suscepisse, nisi ut visitaret apostolorum limina, & pontificis maximi pedibus osculum ferret, optimamque erga hanc sedem voluntatem ostenderet, perspicue cognovimus. In itinere semel a " crudis populis, bis a Turcis male acceptum, ac fustibus percussum esse, satis constat.

" Drudis.

Hic sæpe de sacris literis interrogatus, graviter admodum & copiose respondit, magna omnium admiratione: qui sententiam ejus verborum ab interprete audiebant, nominabat, eosque se habere dixit, libros omnes veteris, & novi Testamenti, etiam quos Hebræi, aut hæretici non probant, antiquos doctores Græcos, & Latinos, eosdem fere, quibus nos utimur, Chaldaice, Syriace, aut Arabice versos diligenter legisse, nonnullos etiam, quorum nomina a nobis ignorantur. Addebat hoc, in Caraemiet Turcarum civitate libros esse ab ipsa fere apostolorum ætate conscriptos, qui nunc in quadam bibliotheca custodiuntur. Summam profecto Dei beneficientiam licet agnoscere, quod in tam longinquis regionibus, quæ nobis vix fama notæ sunt, veræ fidei cultus adhuc vigeat, & Christiana religio non minore fortasse, quam apud nos pietate excolatur, conservata doctrina: quam per ea loca beatorum apostolorum Thomæ & Thadæi piis sermonibus disseminatam, & Marii eorum discipuli prædicationibus confirmatam, hic patriarcha ita asseverabat, ut etiam id se scriptis probaturum promitteret. Sacramentis ajebat uti se, ac populos illos iisdem fere, quibus nos: confessione auriculari: precatione pro salute mortuorum: canone iisdem fere verbis in celebranda missa: consecratione prorsus eadem: imagines quoque sanctorum piis precibus venerantur.

Fideles autem huic patriarchatui subjectos dicunt esse usque ad ducenta millia: quod argumento etiam, præter sexcenta alia, inania improborum hæreticorum commenta refelluntur, cum per annos mille quingentos ecclesiæ dignitas, ac doctrina salutaris apud gentes a nobis tanto terrarum intervallo disjunctas, in tanta rerum, regum, & regnorum mutatione, religionis varietate, sub infidelium gravi ac jugi per injurias & contumelias vexatione, in medio barbariæ, eadem tamen ad hanc diem permanserit, quæ nunc a gentibus nobis propinquis oppugnatur. Sed hæc quanti sint, atque adeo quantum sint, dominationes vestræ illustrissimæ ponderabunt. Ego vero de sanctissimi domini nostri mandato, confessionem ipsius patriarchæ de obedientia sacro concilio præstanda, cum his literis mitto, eique

ANNO CHRISTI 1562.

eique me humillime commendo. Romæ die XXVIII. Augusti, anni MDLXII.

DD. VV. illustrissimarum & reverendissimarum,

Humillimus servus, Marcus Antonius cardinalis Amulius.

A tergo vero,

ILLUSTRISSIMIS ET reverendissimis dominis colendissimis, dominis dominis cardinalibus legatis sacri concilii Tridentini.

LXXIX.

PROFESSIO FIDEI R. D. ABD-ISU, *patriarchæ Assyriorum Orientalium, &c. facta sub S. D. N. Pio papa IV.*

CONFESSUS sum puro corde, & fide non ficta coram reverendissimis & illustrissimis dominis Michaele, tituli sanctæ Sabinæ, Alexandrino, & Marco Antonio, tituli sancti Marcelli, Amulio, sanctæ Romanæ ecclesiæ presbyteris cardinalibus, in hanc formam, videlicet.

EGO Abd-Isu filius Joannis, de domo Martia, ex civitate * Gezire in Tigri flumine, olim monachus ordinis sancti Antonii, monasterii sanctorum Rahæ & Joannis fratrum, electus primas sive patriarcha civitatis Muzal in Assyria Orientali, juro, quod ita corde credo, & ore confiteor, sanctæque Romanæ ecclesiæ fidem, approbatis omnibus, & singulis illis, quæ ipsa approbat, & damnatis similiter omnibus, quæ ipsa damnat, amplector, & perpetuo me amplexurum, & retenturum esse profiteor, & promitto, & omnes fratres meos metropolitas, sive episcopos, ac diœcesanos quovis modo meæ jurisdictioni subjectos, ita credendum, & tenendum esse docebo, & modis omnibus, quibus potero, persuadere conabor, ita me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei evangelia. In quorum omnium fidem, hanc meæ fidei professionem, & attestationem manu mea scripsi, & subscripsi coram reverendissimis, & illustrissimis dominis domino Michaele tituli sanctæ Sabinæ, Alexandrino, & domino Marco Antonio tituli sancti Marcelli, Amulio, vulgariter nuncupatis, S. R. E. presbyteris cardinalibus. Romæ, die VII. Martii, anni domini MDLXII.

* Geziræ

Fides publica de iis, quæ in infrascripto scripto continentur.

ANNO domini MDLXII. die XXIII. Julii, Romæ coram illustrissimo, & reverendissimo cardinale Amulio, constitutus reverendissimus dominus Abd-Isu patriarcha de Muzal, in Assyria, confessus est hoc scriptum inclusum, lingua, & charactere Chaldaico sive Syriaco exaratum, manu sua propria esse conscriptum, cujus rei fidem fecit dominus Joannes Baptista Abiscinus Indus interpres, & præsentibus etiam testibus infrascriptis, confessus est se velle observare totum id, quod in scripto huic inserto continetur, & de ipsius voluntate in præsentia testium infrascriptorum, & de mandato illustrissimi domini mei ut supra, propria manu fidem facio, ut possint hæc scripta authentica mitti ad sacrum concilium, & inde confici publica documenta, si opus fuerit, & idem etiam Latina lingua versum adjunxi.

ANNO CHRISTI 1562.

Romæ in ædibus illustrissimi domini cardinalis de Urbino.

Ita est Marcus Antonius cardinalis Amulius.

Ego Bartholomeus Eustachius Sancto severinas, affirmo ut supra.

Ego Antonius Joannotius, affirmo ut supra.

Ego Christophorus Anichinus, affirmo ut supra.

Ego Aurelius Savignanus de mandato.

Patriarcha Assyriorum Orientalium jurat se credere, recipere, & tenere omnia decreta conciliorum, præsertim Tridentini, &c.

EGO Abd-Isu filius Joannis, de domo Martia, ex civitate Geziræ, in Tigri flumine, olim monachus sancti Antonii, monasterii sanctorum Rahæ & Joannis fratrum, nunc Dei, & apostolicæ sedis gratia primas, sive patriarcha civitatis Muzal, in Assyria Orientali, sub cujus jurisdictione multi metropolitæ episcopi, & diœcesani continentur; videlicet Arbel metropolis: Sirava, Hancava episcopatus: Cheptiam metropolis, Caramleys, Achusch episcopatus: Nassybin metropolis, Macchazzin, Talescani, Mardin episcopatus: Sceert metropolis, Azzen episcopatus: Elcheffen metropolis, Zuch, & Mesciara episcopatus: Gurgel metropolis: Esci episcopatus: Amed metropolis: Chiaruchiæ, Hayn, Tannur episcopatus: quæ omnes simul regiones subsunt Turcarum imperio. Ormi superior metropolis, Ulcismi, & Cuchia episcopatus: Ormi inferior metropolis: Durrasoldos, Escinuch episcopatus: Espurgan metropolis, Nare Gien nunc episcopatus: Salamas metropolis, Baumar, Schiabathan, Vasthan episcopatus, omnes Persarum regi, vulgo Sophi nuncupato subjecti. In India vero Lusitanis subjecta, "Cuschin metropolis, Cananor metropolis, Goa metropolis, Calieuth episcopatus, cui subest Carongol civitas, quæ adhuc ab idololatris, & ethnicis hominibus possidetur.

" Cochin.

Juro, & polliceor cum mihi non liceat ad sanctam sacram Tridentinam synodum accedere, sed necesse sit, ut ad patriarchatum meum me transferam, qui meo eget auxilio, & sine custode, me absente, permanet: munus enim ecclesiarum præsulis est, animas sibi subjectas quotidie in sancta Christiana fide instruere, & moribus, vitæque integritate eas in fide confirmare, ne grex sibi commissus pastoris regimine destitutus, in varios incidat morbos, quod eo facilius gregi meo accedere posset, qui cum sit sub infidelium tyrannide, adhuc multos in Christiana fide imbecilles tenet, & quotidie, etiam mea diligentia, Dei gratia cooperante, ampliari potest. Cumque difficile fratres mei metropolitæ, episcopi, & diœcesani, qui tam longe absunt, possint in hanc sacram Tridentinam synodum convocari.

Ea de re, ita meo, quam eorum nomine, quos omnes, ex corde sanctæ Romanæ catholicæ ecclesiæ partes tenere non dubito, inhærendo juramento fidelitatis, alias per me confecto, sive per me præstito. Juro, inquam, & polliceor, omnia nos tenere, & credere, quæ in sanctis œcumenicis conciliis hucusque sunt acta, & secundum eorum decreta promitto omnes filios nostros instituere, & præcipue in iis, quæ in sancta sacra œcumenica Tridentina synodo terminabuntur. De cujus legitima congregatione nihil penitus dubito, sed ei, & meo, & eorum nomine reverenter & humi-

ANNO CHRISTI 1562. humiliter me ſubjicio, vocatuſque ad hanc, ſeu ad aliam ſanctam ſynodum, cum dictis fratribus meis libenter ſemper accedam, ſic me Deus adjuvet, & hæc ſancta evangelia.

LXXX.

ORATIO AD SACROSANCTUM œcumenicum concilium Tridentinum, qua de eccleſiæ auctoritate, & imitandis apoſtolis diſſeritur, Habita per R. P. Gaſparem a Foſſo, archiepiſcopum Rheginum in ejuſdem concilii apertione, die XVIII. *Januarii.* MDLXII.

Sub Pio IV. pontif. max.

SI daretur congreſſus cum vate aliquo, illuſtriſſimi apoſtolicæ ſedis legati, & patres ampliſſimi, illum de Nili ortu, vel Darii fuga (uti Alexandrum feciſſe ajunt) non percontarer, neque de primis rerum ſeminibus, ſint ne Pythagoreæ deciſiones in cœlo, Empedoclis elementa, atomorum congeries, vel indigeſtum Anaxagoræ chaos: non de origine fontium, & aliis, quorum ſcientia inflat potius, quam ædificat: Verum a certiori oraculo ipſe libentius peterem, ſi Deus hominem rectum, ratione ornatum, beatitudinis participem, & ſua inſignitum imagine creavit ab initio, cur ipſe ſuimet oblitus, & Dei, innumeris ſe immiſcuit quæſtionibus: quo factum eſt, ut priori ſpoliatus honore compararetur jumentis inſipientibus. Quis præterea eumdem hominem Dei bonitate per mortem filii ejus ſuo candori reſtitutum, & ita enutritum in evangelio, ut azymus, & nova conſperſio eſſe deberet: tantus ſtupor oppreſſerit, ut ad veteris nequitiæ, & malitiæ fermentum reverteretur? Quinimo ad deteriora prolapſus eſt, dum neglecta veritate, quam in orthodoxa didicerat eccleſia, poſt impias abiit opiniones, dicens: Capitis ſui tenebras eſſe lucem, & eccleſiæ catholicæ lucem eſſe tenebras. Utinam ævo noſtro tot non eſſent hujus inſaniæ ſectatores, ut vere dici non poſſet: ſtultorum infinitus eſt numerus.

Magna profecto circa religionem illorum inſania eſt, qui cum Chriſtum opera bona & præcepiſſe, & exemplo ſuo commendaſſe legerint, & tandem voluiſſe pati, & ſic intrare in gloriam ſuam: ipſi tamen ſub tali capite genio & delitiis indulgentes in otio ſe vivere poſſe exiſtimant. Et ſi qui eorum ſint, qui hæc ipſa opera verbo non negligant, ea tamen ad ſalutem minus neceſſaria eſſe dicunt, inanem reddentes illam fidei noſtræ confeſſionem: reddet Deus unicuique ſecundum opera ſua: & qui bona egerunt ibunt in vitam æternam. Cum autem ab eccleſiæ initio ſacramentorum uſum ſemper fuiſſe legerint (ritus enim ſi qui aliquando immutati ſunt, hoc ideo factum fuit, quia temporum & ſtatuum conditiones illud expetebant: ſed quantum ad ſubſtantiam attinet, in eorum integritate ſine aliqua mutatione perſtitere) cur ea nunc projiciunt, deteſtanturque? eo magis, quod ſanguis Chriſti, quo ipſi tantopere gloriantur, & in quo ſe unice dicunt confidere, ſolo ſacramentorum medio nos abluit, & Deo conciliat. Cum inſuper beati Petri, ejuſque in Romana, & apoſtolica ſede ſucceſſorum auctoritatem, eminentiamque ſuper ceteros omnes ab ipſa Chriſti reſurrectione indubitatam acceperint, ad quos alii quivis gravia fidei dubia, & eccleſiæ negotia, tanquam ad ſupremos doctores, & totius dominici gregis paſtores ſummos referebant: cur hodie ab eis tanta cum indignatione deficiunt? Unde obſecro nefas tantum populis, & iis qui aliquando paſtores erant? Unde hæc tetigit o Chriſte tuos inſania cives?

ANNO CHRISTI 1562.

Non deſunt in ſacris literis oracula, quibus meæ petitioni ſatisfiat: dum enim de peccatoribus ajunt, non cognoverunt, neque intellexerunt, *in tenebris ambulant*: peccata & mala quævis ex ignorantia proveniſſe oſtendunt, quæ eſt altera peccatorum origo & cauſa, nec immerito: omnis enim pravus ignarus eſt, & nemo amplectitur vitium niſi ſpecie honeſti: nec virtutem odiſſe poterit, niſi turpitudinis ſpeciem præ ſe tulerit. Si enim illius formam oculis corporeis ſpectaremus, magnum (ut dicebat Plato) ſui amorem excitaret in cordibus noſtris: eadem oracula cum de eiſdem peccatoribus dicunt, obcœcavit eos malitia eorum: alteram oſtendunt vitiorum cauſam, malitiam ſcilicet priori longe deteriorem, quibus ignorantiæ & malitiæ morbis intellectus, & voluntas animæ noſtræ, vires præcipue inficiuntur uti fuit ab initio: & ſic homo a ſua rectitudine receſſit, comparatuſque eſt jumentis inſipientibus. At dominus, qui miſericordia & miſerationibus dives eſt, noluit hominem in tenebris & in umbra mortis ſine remedio derelinquere: ſed ei ineffabilem bonitatis ſuæ dexteram porrexit oriens ex alto, ipſe inquam, pater ac dominus, qui condidit, firmavitque cœlum, qui libratam ſua magnitudine terram vallavit in montibus, mari circumdedit, omnibuſque diſtinxit: quicquid in hoc mirabile cernitur, conflavit, ac perfecit ex nihilo, perſpectis erroribus noſtris ducem miſit, qui viam nobis juſtitiæ panderet: quem audiremus, quem ſequeremur, cujus monitis & præceptis devotiſſime pareremus: quem qui non audierunt jam judicati ſunt: quia lux venit in mundum, & illi dilexerunt magis tenebras, quam lucem.

Pſal. 80.

Verum enimvero ex iis qui eum audierunt, & ſe ejus nomine Chriſtianos eſſe profitentur, alii moribus diſſentiunt, alii vero doctrina. Primis ſacramentorum remedia contulit, quibus veſtem, quam amiſere candidam recuperare, & in viam poterunt redire juſtitiæ: adverſus vero errorem, hæreticorum doctrinam, pertinaciamque, patrum exhortationes, & tandem œcumenica concilia inſtituit: quippe quæ ad evellendas hæreſes præcipua ſemper fuere medicamenta, ita ut ipſe dominus ſaluti noſtræ ſemper conſulere videatur: olim quidem per filii ſui miſſionem, deinde vero per internas inſpirationes, per patrum exhortationes, per ſacramentorum miniſteria, & in rebus arduis (uti nunc ſunt) per generalia concilia, ubi Chriſtus aſſiſtit, & Spiritus ſanctus operatur: cujus directione, & nutu totum eccleſiæ corpus ſanctificatur, & regitur.

Hæc itaque, patres ſanctiſſimi, cauſa fuit, cur vos a Chriſti vicario (cui ſoli hæc poteſtas data eſt) in hunc ſacrum & legitimum cœtum vocati eſtis, ut ſcilicet prudentia veſtra, & ſingulari doctrina errores (adjuvante Deo) eradicentur, veritas catholica confirmetur, & pax reſtituatur eccleſiæ: in eam enim Spiritus ſanctus ad hoc potiſſime concilia introduxit, ut ſi quæ inter Chriſtianos de re fidei orta eſſet diſſenſio, patribus in unum convenientibus per invocationem nominis ſui veritas appareat, errores, opinio-

nes,

ANNO CHRISTI 1562.

nes, & schismata, quæ in religione emerserunt, A ipsorum concilium auctoritate amputentur, & penitus extinguantur. Quæ autem, & quanta sit conciliorum, & ecclesiæ auctoritas, qualesve vosmet ipsos patres, in hoc negotio gerere debeatis. omni verborum ornatu & lenocinio excluso brevissime percurremus.

Scriptura cum non ab humana voluntate, sed a Deo ipso auctoritatem acceperit, ideo nullus unquam fuit sanæ mentis, qui illi contradicere, aut aliquid falsum, inconstans, vel otiosum objicere præsumpserit. Ecclesia etiam non minorem a domino auctoritatem obtinuit, ita ut quicumque eam audierit, vel spreverit, Deum ipsum audivisse, vel sprevisse dicatur: ei datum est inter canonicum & apocryphum, catholicum & hæreticum discernere, scripturas fideliter interpretari, peregrina & noxia respuere, & amplecti utilia. Unde non absre Augustinus dicebat se evangelio non credere, nisi illum auctoritas commonuisset ecclesiæ: verum tamen cum fidelium cœtus, prælatorum conventus, ac prælatus ipse nomine ecclesiæ intelligantur, licebit eos sub eodem nomine appellare. Cum autem caput ecclesiæ Christus sit, cujus spiritu illuminata in iis quæ ad fidem pertinent, errare non potest: quicumque ei non crediderit, & in iis, quæ ab ea determinata fuerint non acquieverit, repugnat ipsi Christo, ac ejusdem sententia tanquam ethnicus & publicanus habendus est.

Nec etiam sunt audiendi qui denuo de iis referri volunt, quæ semel sacra concilia determinarunt, & ab apostolica sede firmata sunt: si quidem hoc nihil aliud esset, quam Sisyphium volvere saxum: & dum in pelago dubitationum fluctuamus, portum quietis & veritatis nunquam attingere. Desideratur, proh dolor, concilium ab omnibus, quis ejus erit finis, quæ utilitas, & quis usus, si postquam decretum in eo quicquam fuerit, illud denuo aliquibus in dubium revocare, vel disputare licebit? Idem profecto iis eveniet, quod febricitantibus evenire conspicimus, quibus dulcia quævis morbi initio amaiescunt: qui superioribus conciliis non credunt, nec iis credent, quæ futura sunt: sicuti qui non credebant Moysi & prophetis, nec illi qui a mortuis surrexisset crediturі erant.

Sed quia hæretici semper conciliorum auctoritate damnati fuerunt, mirandum non est, si contra eandem auctoritatem sua spicula jaciunt, arbitrati blasphemiis & argutiis quibusdam posse illam demoliri: ajunt enim se nullius velle stare judicio, nisi solius verbi Dei: quippe quod solum est verax, & manet in æternum: at conciliorum veritas cum hominum judicio ac voto initatur, qui natura mendaces sunt, ea possunt facilitate alios fallere, qua ipsi decipi possunt. Quare hinc fit, ut aliqua unius concilii decreta ab altero sæpenumero revocata fuerint. Impiorum vox est adversus dominum, & adversus Christos ejus: *Dirumpamus* (inquiunt) *vincula eorum*, E *Psalm. 2.* *& projiciamus a nobis jugum ipsorum: sed qui habitat in cœlis irridebit eos*, & idem dominus subsannabit illos. Si vere divini verbi judicium magnificiendum existimarent, ecclesiam & illius proceres audirent, quos verbum domini præcipit esse audiendos. Fatemur homines esse mendaces dum loquuntur a seipsis: at cum in Christi nomine congregati sunt, de summa religionis & fidei tractaturi, licet in examinanda veritate interdum discrepent, in decretis tamen non ipsi sunt qui loquuntur, sed Spiritus sanctus: qui loquitur in eis: unde conciliorum determinationibus apte, quod apostoli docuere, apponitur: *Visum est Spiritui sancto, & nobis*. Cum ergo determinationes vestræ, patres sanctissimi, Spiritui sancto præcipue tribuendæ sint, certe ille spiritus veritatis, sicut non potest falli, ita neque vos decipi patietur. ANNO CHRISTI 1562. *Act. 15.*

Fatemur etiam sæpe contigisse, ut semel definita, postea revocata fuerint: sed nunquam in iis, quæ ad dogmata fidei pertinent factum fuisse legimus, sed ad mores & ritus tantum: quippe qui pro temporum & locorum varietate mutari possunt, & interdum debent, ut apostolos aliquando feciſſe legimus, dum abstinendum a sanguine & suffocatis statuerunt: & quasdam legis cæremonias permisere: & Paulus Timotheum circumcidi, & ipsemet more gentis suæ purificari voluit, ne esset Judæis credentibus offendiculo, & synagoga sine honore sepeliretur: quorum exemplo posteri locis & temporibus prudenter aliquid condonarunt. Sed in iis quæ ad fidem pertinent, quod semel determinatum est, mutatum fuit nunquam: nec aliquid erroris inventum ad hæc usque infelicissima tempora (quod sine lacrymis commemorare non possumus) quibus a mille & trecentis annis ecclesiam erraſſe contenditur: forte id scilicet ideo evenit, quia dormiente sponso ejus Christo tamdiu in erroribus fluctuavit: fuisſetque funditus submersa, nisi illum a somno Lutherus excitasset. Quis tam impias voces perferre queat? quis tam ferreus, ut teneat se? & hæc audiens justissimo dolore atque indignatione se commoveri non sentiat? dum enim his blasphemiis satanæ ministri ecclesiam nituntur deprimere, Christum ejus sponsum promissorum fide & veritate expoliant: ipse enim ait: *Quæ procedunt a labiis meis, non faciam irrita*. Irrita certe essent verba ejus, si ecclesia erroribus (ut ipsi dicunt) diu succubuisset: ipse ait: *Rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum*: non erroris, sed *Spiritum veritatis*. Et alibi ait: *Vobiscum ero usque ad consummationem sæculi*: quæ promissio non solis illis, quibuscum loquebatur, facta est, qui nec in terris in æternum, neque erant usque ad consummationem sæculi permansuri, sed ecclesiæ facta est, cujus ipse est caput: caput dico non errantium aut erroris, sed veritatis. *Psalm. 88.* *Joan. 14.* *Matth. 28.*

Non casu eveniſſe judico, ut hic dies, quo tot superatis difficultatibus, & suspensione sublata œcumenicum hoc concilium aperitur, cathedræ Petri sacer esset, ac eodem die evangelium nobis legeretur, quando Christus, mater ejus sanctissima, & discipuli ad nuptias invitati convenere (utrumque enim hujus diei ministerio convenit) in cathedra, quam Petrus sibi, ejusque successoribus Romæ erexit, Romanæ ecclesiæ eminentiam ac dotes præcipuas licebit inspicere, quas ita in Petro suscepit a domino, ut super cunctas alias supremum magisterium, & ducatum obtinuerit. *Tu*, inquit, *es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam*: Christus enim ipse, sicut tibi tanquam primario, & independenti capiti univit ecclesiam, ita ut eadem semper habeat caput visibile, Petrum constituit, quem Cepham appellavit, id est petram, super quam ecclesiam suam fundandam esse dixit: & quemadmodum in sacramentis operatur omnia ipse solus, ministerio tamen utitur visibilium sacerdotum: sic visibilem in terris ministrum elegit, per quem ecclesiæ molem hanc sustineret, & gregem suum visibilem invisibilis ille gubernaret. *Matth. 16.*

At hæretici, qui nihil studeat accuratius, quam

Petri

ANNO CHRISTI 1562.

Petri ſucceſſorem Chriſti vicarium exoſum omnibus reddere, ut unitas in eccleſia diſſolvatur, diſſeminant, nos dum Petrum eccleſiæ caput vel fundamentum prædicamus, Chriſto petræ primariæ, & angulari lapidi, ac fundamento præcipuo, præter quod nullum aliud poni poteſt eodem modo quo ipſum eſt, quoquo modo derogare: ubi, ſicut in aliis, & decipiuntur, & alios ſtudent decipere. Nos enim potius Chriſti gloriam & majeſtatem extollimus, dum eum, qui a principio creaturas omnes voluit bonitatis ſuæ eſſe participes, prædicamus participatione quadam tempore gratiæ voluiſſe illam hominibus copioſius & auguſtius communicare: ita ut cum ſolus ipſe ſit lux mundi, ſolus poſſit peccata dimittere, tamen hæc hominibus communicavit: ſolus eſt filius Dei, & tamen quod ipſe eſt natura, contulit ut alii fierent per gratiam: qui ſacerdos eſt, ſacerdotes facit, & qui petra eſt, petram facit. Unde quod dixit, *ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam*, ita ad Chriſtum, & ad fidem, quam Petrus confeſſus eſt, refertur: ut niſi ad Petrum ipſum referri etiam intelligas, diminute credes, & prope nihil, neque ubi ſit eccleſia, ſcies: nam ſi per petram Chriſtum ſolum, aut Petri fidem intellexeris, quilibet hæreticus penes ſe & Chriſtum & fidem eſſe dicet: ſi vero Petrum, & Petri ſucceſſorem intelliges, nullus ſchiſmaticis & hæreticis locus relinquetur.

Confirmat hoc B. Hieronymus ad Damaſum papam ſic ſcribens: *Cum ſucceſſore piſcatoris, & diſcipulo Chriſti loquor, ego nullum alium, niſi Chriſtum ſequens, beatitudini tuæ, id eſt, cathedræ Petri communione conſocior: ſuper hanc petram ædificatam eccleſiam ſcio: qui extra hanc domum agnum comederit, profanus eſt: qui non fuerit in arca Noe, peribit regnante diluvio*: hæc enim ſancta, & apoſtolica omnium eccleſiarum Chriſti mater eccleſia, quæ per Dei gratiam a tramite apoſtolicæ traditionis nunquam receſſit, nec hæreticis pravitatibus aliquando ſuccubuit: ſed ut in exordio fidei Chriſtianæ normam accepit ab auctoribus ſuis apoſtolorum principibus, eam illibatam ſemper ſervavit juxta ipſius domini pollicitationem, qui ejus diſcipulorum principi

Luc. 22. ait: *Petre, ecce ſatanas expetivit te, ut cribraret ſicut triticum, ego vero rogavi pro te, ne deficiat fides tua, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos*. Sola hæc eccleſia nunquam fuit erroribus depravata, *nec ad eam*, ut Cyprianus ait, *acceſſum potuit habere perfidia*. Defecit Hieroſolyma, ubi Jacobus: Aſia, ubi Joannes: Achaia, ubi Andreas: India, ubi Thomas: Æthiopia, ubi Matthæus: Perſia, ubi Judas: Phrygia, ubi Philippus. Defecerunt & aliæ, quibus Chriſti & apoſtolorum diſcipuli præfuere: ſola hæc apoſtolico culmine inſignis a fide & veritate nunquam declinavit, ut a domino promiſſum eſt: quod *portæ inferi non*

Matth. 16. *prævalebunt adverſus eam*. Si portæ inferi, quæ ſunt hæreſes, & doctrinæ, non ſunt contra eam prævalituræ, cur ſic impudenti ore tamdiu in erroribus illam fuiſſe proclamant? nemo dicat Deum ſe habere patrem, niſi hanc eccleſiam matrem agnoverit.

Sed tempus eſt, ut ad illius auctoritatem (unde digreſſi ſumus) revertamur: & in ea inſiſtendum eſt: talis enim eſt hujus ævi hæreticorum conditio, ut in nullam rem magis incumbant, quam ut ſub prætextu verbi Dei eccleſiæ auctoritatem evertant: ac ſi verbo Chriſti corpus ejus eccleſia, vel corpori caput poſſet adverſari: quinimo auctoritas eccleſiæ tunc a ſcripturis maxime illuſtratur, dum eas commendat, divinas eſſe declarat, nobis legendas exhibet, in dubiis fideliter exponit, & eis contraria condemnat, dum legalia in ſcripturis præcepta a domino eadem auctoritate ceſſarunt. Dies ſabbati in lege celeberrimus tranſiit in dominicam: circumciſio Abrahæ & ſemini ejus ea ſub comminatione ordinata, ut cujus præputii caro circumciſa non fuerit, deleretur de populo ſuo, ſic ſublata eſt, ut apoſtolus obteſtetur, ſi circumcidamini, excidiſtis a gratia, & Chriſtus nihil vobis prodeſt. Hæc, & his ſimilia non Chriſti prædicatione ceſſarunt (ait enim ſe venisse implere legem, non ſolvere) ſed auctoritate eccleſiæ mutata ſunt: etenim ſi ea tolleretur (cum oporteat hæreſes eſſe) quis oſtendet veritatem, & hæreticorum confundet pertinaciam? erunt confuſa omnia, redeuntibus mox hæreſibus illius auctoritate damnatis.

Qui vos contemnunt, patres ampliſſimi, Chriſtum contemnunt, & eundem audiunt quicunque vos audierint. Ordini veſtro ſubjiciuntur dæmones, & datum eſt angelos quidem ipſos nedum ſæcularia judicare. Vobis dictum eſt: quorum peccata remiſeritis, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retinebuntur. Vobis id mirabile dicitur, ut ſit in cœlo ligatum, aut ſolutum quod ipſi ligaveritis, vel ſolveritis in terra. Hæc Deum potius, quam mortale ſonant: vos eſtis illi principes, quos pro apoſtolis patribus David ſuper omnem terram conſtituendos eſſe præ- Pſal. 14. dixerat: qui principatus eo omni terreno eſt dignior, quo divina humanis, & cœleſtia ſunt terrenis digniora. Hoc Conſtantinus agnovit, cum in epiſcoporum ſynodo voluit humiliorem ſedem retinere, ac libellos contra epiſcopos ſibi oblatos comburi juſſit, dicens: *Deus conſtituit vos ſacerdotes, & poteſtatem dedit judicandi de nobis*. Hoc idem Theodoſius (cujus religionem, & humilitatem nunquam ſatis laudare poſſumus) agnovi, cum de ſævitia ab Ambroſio redargueretur, & ab ingreſſu arceretur eccleſiæ, ſacerdotis non contempſit imperium, ſed humiliter paruit.

Hæc eadem auctoritas Chriſtianiſſimos principes, ac dominia movit, ut ad hos clariſſimos oratores tanquam defenſores & obſides deſtinarent. Eadem auctoritate poteſtis rebelles hæreticos ad parendum veſtris decretis, & ad veniendum ad nuptias, quæ hodie Tridenti illis aperiuntur, compellere. Chriſtiana enim & paterna caritas docet, filiis etiam invitis & rebellibus eſſe benefaciendum. Quod ſi (ut vultis) efficere non poteſtis, & hæreticos, pro quorum ſalute tot incommoda & labores ſuſtinetis, & periculis, & peregrinationibus vos conjeciſtis, ad has nuptias trahere non valetis, pro quibus ſternuntur menſæ, dapes apponuntur, & vos ad miniſtrandum accingitis, ubi Chriſtum invenirent, matrem ejus, ac ſanctos, quos ipſi e ſuis commerciis ejecerunt, ubi lapideæ eorum hydriæ evaderent carneæ, & aquæ errorum in vinum cœleſtis doctrinæ, & ſpiritualis lætitiæ verterentur: quia eos *defendit numerus, junctaque umbone phalanges*: eadem monet caritas aſſidue Chriſtum dominum orare, ut qui *lux eſt mundi*, dignetur illorum tenebras excutere, ac eis lumen, & cognitionem catholicæ veritatis imprimere. Joan. 8.

Reſtat, ut in quibus & vos exercere, & beatos apoſtolos imitari debeatis, breviter abſolvam. Præſentis eccleſiæ ſtatus nonnunquam in ſcripturis vinea nuncupatur, & ea certe eſt, quam dominus ſuis hodie non locat, ſed commendat agricolis: Matth. 2.

ANNO CHRISTI 1562.

lis: & ſicuti ad culturam illius nunquam deſtitit a primo mane vocare operarios, ſic nunc vos, patres, vocavit, & miſit, non ut vinum bibatis, aut in otio delitiis fruamini, ſed ut apoſtoli quibus vos ſucceditis, præcipui hujus vineæ cultores, exemplum reliquere, in ea operemini. Finis, & ſcopus, in quem toto pectore debetis incumbere, eſt vineam domini excolere, ſuperflua amputare, utilia enutrire, nocua evellere, & circumquaque omnia ſpeculari. Vos enim turres eſtis, & firma adverſus inimicorum inſidias propugnacula: vos ſepes, & muri eſtis, qui ſævientibus, & exterminantibus apris viam clauditis, quibus etiam ſatagendum eſt vulpeculas capere, ne ſi creverint, colligatis mutuo auxiliaribus caudis (uti hæretici & peccatores majores effecti facere conſueverunt) totam vineam, & meſſem domini hæreſum & vitiorum incendio depopulentur. Vos demum, patres, eſtis torcular illud, ubi vineæ fructus exprimitur, colligiturque: nec aliam ob rem dominus voluit hic adeſſe, niſi ut fructum afferatis, & fructus veſter maneat: quod accuratius fiet, ſi in eiſdem cordium veſtrorum torcularibus diu noctuque verſabitis, quorſum Tridentum veneritis, quo in diſcrimine reſpublica Chriſtiana reperiatur, quid a vobis catholici expectent, in quibus (ſicut aviculæ deplumatæ in nido, & nautæ firma in anchora) omnem eorum ſpem collocarunt: & ſub quo ſitis hæreticorum judicio.

Quæ ſi accurate cogitabitis, & tabulis cordis veſtri ſcripta deferetis, efficient, ut in opere tantæ molis non otioſi, ſed ſolertes ſitis operarii, ac orbis expectationi, & temporum horum calamitatibus digne ſatisfacietis. Et quia in actionibus noſtris, dum ſtudemus nobis ipſis placere, ſæpe hallucinamur: ideo apoſtolos doctores præcipuos in oratione & conſtantia ſtudeamus imitari: quarum prima illuminati ſcietis potiora deligere: altera vero adverſa omnia ſuperabitis. Sine intermiſſione patres ſanctiſſimi orandum eſt: nam hæc religionis negotia ſunt oratione potius examinanda, quam verbis: quæ ſi a corde puro proceſſerit, cœlos penetrat, & veluti fidelis nuncius mandatum peragit, & attingit, quo caro non pervenit. Nec aliquis debet tantum ſibi placere, ut ſe non poſſe deficere arbitretur, cum non deſint occultæ, & falſæ ſuggeſtiones dæmonum, qui in habitu lucis, & ſub ſpecie recti decipiant: ideo orandus eſt Deus, ut qui *lux eſt*, vos illuminet: qui *via eſt*, vos dirigat, & *qui veritas eſt*, vos manu ducat. Sit ipſe *lucerna pedibus veſtris, & lumen ſemitis veſtris*: ſic enim apoſtolos feciſſe legimus, Petrus & Joannes in Samariam profecti non prius iis qui crediderant impoſuere manus, ut acciperent Spiritum ſanctum, quam pro ipſis oraſſent, & dum Petrus ſervaretur in carcere, oratio fiebat ſine intermiſſione ab eccleſia ad Deum pro eo: divina non niſi a Deo petenda ſunt, nec poſſunt humanis viribus comparari. Conſtantia inſuper & fortitudo vobis neceſſaria eſt: quæ ſi defuerit, nullum ferme opus optato & laudabili fine coronabitur: ea armati Petrus & Joannes cogentibus, ut Chriſtum negarent, & a ſui nominis prædicatione deſiſterent, audacter reſponderunt: *Si Deo magis, quam hominibus obedire oporteat, ipſi judicate*. Quapropter nec Deum negabimus, nec a ſui nominis prædicatione deſiſtemus. Cum Andreas paratam ſibi crucem longe proſpiceret, ſupplicii ſpectaculo non territus, ſed ſenectute gravatus cœpit alacri animo clamare: *Salve crux diu deſiderata*. Omnes denique apoſtoli ibant gaudentes a conſpectu concilii, quando *digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati*.

Pſal 118. Act. 8. Act. 12. Act. 5.

Eandem quibuſvis in periculis & difficultatibus debetis conſtantiam imitari, ac voſmet pro gloria domini tanquam parietes opponere, dicentes cum Davide: *Non timebimus dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris*. Gentium hiſtoriæ Horatium miris laudibus proſequuntur, quia toti ſe Hetruriæ oppoſuit, ut patria redderetur incolumis: Spartanaſque fœminas, quia filiis euntibus ad bellum clypeos ſub his monitis porrigebant: *Fili aut cum hoc, vel in hoc*: ratas dignius eſſe in bello audacter pugnando occumbere, quam inde turpiter recedere. Quanto magis eorum fortitudo celebranda eſt, qui non pro inani mundi gloria, ſed pro fidei confeſſione, & fratrum ſalute periculis, laboribus, & incommodis non cedunt? de quovis prælato, & de religione Chriſtiana benemerenti glorioſius narratur, eum alicubi pro Dei cauſa, impiorum gladiis occubuiſſe, quam illac tranſiſſe dum fugeret. Quid homini prodeſt, ſi animam amando perdiderit? aut quam dabit commutationem pro anima ſua?

Pſal. 45. Matth. 16. Marci 8.

Volui, ampliſſimi patres, hæc dixiſſe pro fortitudine, quam quiſque veſtrum in animi præparatione habere debet: non quod hæc pericula vineæ in his Tridentinis montibus collectæ immineant: eam enim dominus protectionis ſuæ & evangelicæ cuſtodiæ ſepe munivit, circuivitque non horum montium vallo, ſed Cæſaris invictiſſimi: ac catholicorum principum, qui nec ſumptibus parcent, nec laboribus, ut fœlix ſit ſacri hujus concilii progreſſus, ut ne capillus quidem cadat a capite veſtro. Superſunt adhuc parvo in hoc ambitu plus quam ſeptem virorum millia, *qui coram Baal genua non curvarunt*. Dei, non mundi opus aggredimur: hinc nec formidetis, nec difficultatum ventis circumferamini, experti ſanctos per fidem reges viciſſe, & imperia, & apoſtolos pauperes, & infimos audacter prædicaſſe Chriſtum crucifixum, mundo exoſum, Judæis ſcandalum, & gentibus ſtultitiam: quibus etſi mundi ſapientia, & vires contradixerint, Deus tamen voci ſuæ dedit virtutem, & evangelizantibus verbum potentiam, ita ut adverſarii ſapientiæ, & ſpiritui qui loquebatur in illis, reſiſtere non potuerint. Sic vos ſi, quod in vobis erit, feceritis, qui incrementum dat Deus efficiet, ut lux veſtra luceat in univerſo orbe: & expectatos fructus populo Chriſtiano afferatis: quibus ipſi immortalitatem apud poſteros aſſequemini, & eccleſia a tot perturbationibus liberata quieſcet. Quod ab eodem domino nobis certo promittitur, cum his temporibus eccleſiæ ſuæ Pium pontificem maximum præeſſe voluerit: de cujus ſapientia, zelo, & rectitudine ſpem certam componendæ religionis accepimus. Adeſt illuſtriſſimorum legatorum prudentia, & fides, ac omnium veſtrum patres reverendiſſimi conſtantia & pietas: quæ quicquid antea difficile videbatur, facile futurum oſtendunt.

Rom. 11.

Adſis ergo domine Jeſu mentibus noſtris, & eccleſiæ, ac fidei tuæ aſpira negotiis, quæ hodie ſub ſpe tuæ protectionis aggredimur: ſicut oculi omnium in te ſuſpiciunt: ut tu aperiens manum ubertatis tuæ *expleas omne animal benedictione*: ſic nunc oculi noſtri ſunt ad te dominum Deum noſtrum, ut noſtri miſereatis, & mittens auxilium de ſancto, de Sion tuearis nos. Tu caput es, nos membra: vivifica, & illumina nos, & unigentum

Oratio ex Pſalmis Davidicis contexta.

gratiæ

ANNO CHRISTI 1562.

gratiæ tuæ a te capite deſcendat in barbam, & ad oram veſtimenti tui, ita ut hi eccleſiæ tuæ proceres ac fideles populi ſint illius unguenti participes: & cum ſine tuo numine nihil ſit in homine, nihil ſit innoxium, *Veni tu ſancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium*, & horum patrum *mentes igne tui amoris incende*.

LXXXI.

ORATIO HABITA AD PATRES concilii Tridentini die ſancti Gregorii, MDLXII. *Per reverendum patrem dominum Auguſtinum Loſcos, abbatem ordinis Caſſinenſis.*

VELIM hodie, patres ampliſſimi, clariſſimique oratores, &c. Velim, inquam, mihi apud ſupremos patriæ patres, apud electos totius orbis paſtores verba facturo melliſluam ac nectaream dari dicendi copiam. Quandoquidem ad tanti oneris provinciam ſuſcipiendam, non hominum, quorum minimus ego ſum, ſed angelorum linguis, ut ita dixerim, mihi opus fuiſſet. Sed quamvis hujus negotii magnitudini impar ſit dicentis eloquium, ſpes omnis eſt tamen cum primis in eo ſita, qui vere ſcientiam habet vocis, & hominum mentes luce veritatis illuſtrat, labia infantium ſolvit, & fantium ora tum linguarum generibus, tum ſermonum interpretatione affatim replet. Ipſe enim, cujus dicere eſt facere, proprio ore promiſit: *Aperi* (dicens) *os tuum, & implebo illud*. *Pſal. 80.* Omnis igitur ſpes in eo cum primis eſt ſita, deinceps in vobis, P. A. qui pro veſtra ſingulari humanitate, benignitate, caritateque, animo læto, hilari vultu ea accipitis, quæ a filiis veſtris, a filiis ſponſæ, quamvis parva, quamvis minuta, in templi gazophylacio mittuntur. Ea, inquam, accipitis, penſantes non tam uniuſcujuſque manum, quam animum. Non igitur meis viribus, quæ nullæ ſunt, nixus, ſed Deo optimo maximo fidens, veſtraque benevolentia fretus, hoc onus æquo animo ſubire non dubitavi. Verum ne fruſtra ipſa conteratur oratio, noſtri propoſiti narrationem jam aggrediamur.

Mihi quidem ſolicite cogitanti, quem ſcopum dicendi proponerem, illa perpulchra evangelii modo recitati verba in mentem venere. *Vos eſtis ſal terræ, vos eſtis lux mundi*. *Matth. 5.* Hic ſuis dumtaxat diſcipulis ſervator noſter verba facit: atque aperit, quales & diſcipuli, diſcipulorumque ſucceſſores eſſe debeant: cum illi omnes non unum oppidum, non unam civitatem, non unicam provinciam, non (inquam) ſingulare quoddam regnum, ſed univerſum imperium, ſed univerſam terram, imo univerſum orbis circuitum deberent & ſapientiæ ſale condire, & bonorum operum luce illuminare. *In omnem enim terram exivit* *Pſal. 18.* *ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*. Sedebat ſiquidem populus, univerſum ſcilicet hominum genus, in tenebris & mortis regione, *Iſai. 9.* quando orto juſtitiæ Sole, vidit lucem magnam.

Hoc certe illuſtre & fulgentiſſimum tempus vidit propheta, vidit inquam, & ita gaviſus eſt, ut maximo animi affectu in hæc verba proruperit: *Surge, illuminare Hieruſalem, quia* *Iſai. 60.* *venit lumen tuum, & gloria domini ſuper te orta eſt*. Populus ſedebat, quieſcebat, immobiliſque permanebat. Erat namque corporis calamitatibus præpeditus, tenebris ignorantiæ obrutus, pravis cupiditatibus ligatus, atque gravi peccatorum mole oppreſſus. Hæ ſunt illæ evangelici Samaritani profundæ plagæ: hæ ſunt illæ Davidicæ acutæ ſagittæ, quibus univerſum hominum genus, peccante Adamo, aſtu diaboli, fuit transfoſſum. Per primum namque illud Adæ peccatorum magnas & graves admodum plagas humanum genus accepit: non in corpore ſolum, quod tunc factum eſt imbecillum, & morbis, ſenio, mortique obnoxium, ſed etiam in animo, parte hominis longe diviniore. Et quod ſupra modum intime dolendum eſt, in ipſa voluntate, graviſſimum corruptionis vulnus accepit: quæ cum antea recta in ſummi, maximique conditoris amorem ferretur, tum demum ab illo vero, perfecto, optimoque bono averti cœpit, & ad res vanas, futiles, nihilique deflexit: tum in mente, ſuprema hominis veluti ſpecula, caliginem quandam tenebricoſam, hoc eſt ignorantiem, cœcitatemque contraxit, ut jam inde per ſeſe non ſatis perſpicere valeret, quid rectum ſit, & quo dirigere debeat.

Degente itaque humano genere in his denſis ignorantiæ & vitiorum tenebris, quum nox in ſuo curſu medium iter haberet, mediumque ſilentium omnia tenerent, advenit illa temporis plenitudo, in qua ab æterno, a regalibus ſedibus omnipotens Pater Verbum ſuum in terram mittere conſtituerat, ut ex muliere virgine non corrupta, formam ſervi accipiens ita ſub lege viveret, ut nos ab omni infirmitate curaret, atque feliciſſima filiorum Dei adoptione donaret. Hoc igitur oppor- *Iſai. 9.* tuno tempore, *populus qui ſedebat in tenebris, vidit lucem magnam, habitantibus in regione & umbra mortis lux orta eſt, lumen juſtitiæ apparuit eis, uti* *Jac. 1.* Sol, *apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio*. Non mutat horizontem, non *Joan. 1.* variat hemiſphærium, ſemper illuminat omnem hominem venientem & exiſtentem in hac tenebrarum valle. Venit quidem Dei filius e cœlo in mundum, ut ipſum illuminaret: *quamdiu* (inquit) *Joan. 9.* *ſum in mundo, lux ſum mundi*. At quoniam multi hominum tenebras potius dilexerunt quam lu- *Joan. 3.* cem, hac de cauſa non omnes illuminavit, ſed cæcos dumtaxat illuſtravit. Venit, inquam, ut *Joan. 9.* non videntes viderent, & videntes cæci fierent. Quamdiu igitur cum hominibus converſatus fuit, lux profecto ipſius mundi fuit.

Attamen quemadmodum adventus ſui tempus ab æterno præfinitum eſſe a patre legimus: ſic & receſſum ſuum in carne aſſumpta e mundo ad patrem præordinatum fuiſſe, abſque dubio intelligere debemus. Itaque functus ſua legatione, jactis eccleſiæ fundamentis, quadrageſimo die poſt ſuam a mortuis reſurrectionem, videntibus diſcipulis, comitantibus angelis, pſallentibus & exultantibus cœleſtibus ſpiritibus, cœlum perpetuo regnaturus aſcendit. Et ne omnino ſua nos corporali præſentia deſtitutos, orphanoſque derelinqueret, priuſquam a nobis diſcederet, divinam ſuam præſentiam nobiſcum uſque ad ſæculi conſummationem manſuram promiſit, & unicum ſibi vicarium in terris conſtituit. Cui & ejus ſucceſſoribus paſcendarum ovium ſuarum univerſum negotium perpetuo duraturum demandavit, aliis etiam & apoſtolis, & omnibus diſcipulis, eorumque ſucceſſoribus, pari ordine, uſque ad ſæculorum finem, & evangelii ubique prædicandi onus, & ligandi ac ſolvendi poteſtatem pleniſſime conceſſit.

Quamobrem non illis tantum diſcipulis, ſed vobis etiam in poſterum ſucceſſuris, a Chriſto dictum fuit: *Vos eſtis ſal terræ, vos eſtis lux mundi*, *Matth.*

ANNO CHRISTI 1562.

ac si diceret: Ego vos præscivi, prædestinavi, vocavi, justificavi, atque glorificavi, glorioſos, fulgentiſſimos vos reddidi: Feci vos diſcipulos, miniſtros, & amicos meos. Et ſicut miſit me vivens pater, ita & ego mitto vos. Omne judicium dedit mihi pater, ipſe enim neminem judicat: & ego omne judicium vobis do. Quæcunque ſolveritis, vel in terris ligaveritis, erunt in cœlo ſoluta vel ligata. Inſuper ſedebitis ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim tribus Iſrael. Ad hoc ornavi ſiquidem vos ſacerdotali gemma: decoravi epiſcopali infula. Illuſtravi, magnificavi, atque glorificavi ſacri paracleti charismatibus. At quid obſecro? ut ſitis ſal terræ, ut ſitis lux mundi, ut omnia veſtro & ſale condiantur, & lumine illuſtrentur. Ecce P. A. quales eſtis, ad quam præcellens munus, ad quam altam ſpeculam eſtis a Deo evecti? Speculatores poſuit vos Deus, ut venientem rapacem lupum ad mactandas & perdendas Chriſti oves eminus cernere, eique obviam ire poſſitis: atque vobis eminentiori loco poſitis, oves vobis commiſſæ, & veſtra virtutum exempla intueri & fidei verba commode queant audire. Ideo eſtis civitas non in valle, ſed ſupra montem poſita, inſulis conſpicua. Lucerna non ſub modio, ſed ſuper eminens candelabrum conſtituta, oleo ſancti ſpiritus ſuffulta, ut omnes qui per ſacramentorum januam domum Chriſti ingrediuntur, lumen videant, & ut more Solis, cuncta ſuppoſita virtutum radiis, illuſtriora fulgentioraque reddatis, atque ſapientiæ catholicæ ſale gregem vobis creditum, ab omni vitiorum labe corruptioneque immunem & impollutum cuſtodiatis.

Joan. 6. 20. Matth. 16. Joan. 5. Matth. 18. Matth. 19.

Ad hoc elegit vos, poſuit vos, P. A. SS. ſua in eccleſia epiſcopos & paſtores. Non quidem eſtis ex eorum numero, qui non per oſtium, ſed aliunde aſcendunt in ovile: quibus hoc dumtaxat curæ eſt, ut mactent, & oves perdant: ita lanam vellicando, ut una cum ipſa pellem auferant, ita ubera preſſando, ut ſimul cum lacte ovium ſanguinem ſugant. Neque vero mercenarii eſtis, qui nullam ob aliam cauſam ſuo funguntur officio, niſi ut velleribus cum lacte fruantur. Horum quidem omnium non ſunt oves propriæ, qui jam evangelii lata ſententia fures & mercenarii ſunt declarati. Non ita vos, P. A. eſtis: abſit, ſed poſuit vos SS. vere epiſcopos, vere paſtores, vere animarum noſtrarum rectores, vobis vere cura eſt de ovibus, qui huc nulla alia movente ratione, niſi ut Chriſti ovium cauſam ageretis, acceſſiſtis: pro quibus regendis, inſtituendis, ex profundis ſatanæ viſceribus educendis, atque ſervandis, maximis cum periculis, ſpretis patriis focis & laribus, carorum abdicata parentum conſuetudine, contempto corporis ſolatio, atque propria neglecta vita, huc vos contuliſtis. Imo Tridenti vos Deo obtuliſtis, hoſtiam vivam Deo placentem, ſacrificium in odorem ſuavitatis. *Ecce odor filii mei, ſicut odor agri pleni, cui benedixit dominus.* Nonne undequaque redolent quæſo, iſthæc fragantia mella? Quis eſt qui non videat ſingularem omnium veſtrum P. A. gravitatem, venuſtatem, modeſtiam, honeſtatem, religionem, atque erga Deum pietatem, frequentius divinis rebus aſſiſtendo, atque ipſa ſacra tractando? Quis obſecro ignorat veſtram erga pauperes & egenos ingentem caritatem: cum in primis vobis cordi fuerit, ut eorum unicuique in ſuis propriis hoſpitiis neceſſaria tribuerentur, ne per civitatem vagarentur? *Talibus ſiquidem hoſtiis promeretur Deus.*

Joan. 10. Gen. 27. Hebr. 13.

A B C D E

ANNO CHRISTI 1562.

O te ter & amplius beatum, imo beatiſſimum, felicisſimumque papam Pium IV. qui tot ac talibus collegis, commilitonibus, coadjutoribuſque ex præditus. Re vera quales principes, tales & eorum aulici inveniuntur. Qua de re nequaquam putaverim pontificem noſtrum degenerare a veſtigiis ſanctiſſimorum majorum ſuorum, ex quorum collegio unum hodierno die habemus Gregorium, de cujus laudibus modo aliquid dicere operæpretium fore putavi: dicam brevius tamen quam res ipſa ſuopte ingenio ampliſſima dici poſſit.

Gregorius igitur & Romæ natus, & clariſſimis parentibus, Gordiano ſcilicet & Sylvia ortus fuit. Qui ab infantia cor gerens ſenile, nulli unquam voluptati animum dedit, ſed ſemper doctiſſimis, religioſiſque viris adhærendo, maturis & graviſſimis ſtudiis ita operam navavit, ut etſi tunc Romæ ſtudia maxime florerent, nulli tamen Gregorius in philoſophia ſecundus haberetur. Cum cœleſtium tamen illuſtris juvenis maximo flagraret amore, cum primum fuit patre orbatus, fluxas & inanes hujuſce mundi divitias atque delitias, cum cœleſtibus prudentiſſime commutavit. Sex namque ſtatim in Sicilia cœnobia erexit, ibique quamplurimis collectis, qui Deo miniſtrarent, monachis, tantum prædiorum contulit, quantum ad eorum victum ſufficere videbatur. Septimum tandem cœnobium intra urbis mœnia, in ſua propria domo conſtruxit, dicavitque divo Andreæ apoſtolo. In quo remota purpura, relictis ſericis, abjectis argento & auro, relegatiſque micantibus gemmis, ſub Hilarione & Maximiano monachis hunc divi Benedicti habitum induit, ut pauperis habitu indutus, pauperibus inſerviret, & omnia ſua eis erogaret. Cumque in illius monaſterii abbatem evaſiſſet, tot pia & divina opera edidit, totque clara & heroica geſſit facinora, ut ejus odor non minus undequaque diffunderetur, quam virgulæ fumi ex aromatibus myrrhæ, thuris, & univerſi pulveris pigmentarii. Hoc tam ſuavi odore ſummus pontifex Benedictus allectus, ipſum Gregorium a monaſterii quiete invitum ad ſe traxit, eccleſiaſticique ordinis officio decoratum, ſeptimum Levitam ad ſui adjutorium ordinavit. Nec multo poſt tempore in Conſtantinopolim urbem pro eccleſiæ negotiis a Pelagio dirigitur, ubi præter impoſitum ſibi munus, quod ſumma cum gratia & auctoritate apud imperatorem præclariſſime geſſit, naſcentem hæreſim de reſurrectionis corporum noſtrorum ſtatu, ratione & auctoritatibus ita extinxit, ut ipſius hæreſis Eutychium auctorem ejuſdem civitatis epiſcopum ad veritatem revocaret. Qui morti proximus in hæc verba prorupit: Confiteor, me in hac pelle reſurrecturum.

Deinde vita functo Pelagio pontifice, univerſus clerus ipſum Gregorium, quoad potuit reniti tentem in ſummum pontificem delegerunt. Qui meditata fuga, mutato habitu, iter arripiens in opacas ſylvas, abditaſque cavernas ſe contulit. Nec tamen lucerna ſuper candelabrum poſita diu ibi latere potuit. Nam dum ab omnibus anxie requiritur, indicio fulgidæ columnæ, ſuper ipſum jugiter dependentis agnoſcitur, capitur, trahitur: & apud divi Petri apoſtolorum principis templum pontificiis ſacris initiatur. Suſcepto igitur eccleſiæ gubernaculo cum primis judicavit epiſcopum oportere domui ſuæ bene præeſſe. Remotis hac de cauſa a ſuo cubiculo ſecularibus, clericos & monachos probos familiares ſibi delegit: putans non convenire inter mi-

tratos

ANNO CHRISTI 1562.

tratos versari calamistratos: eum quibus Gregorius diu noctuque Deo serviens, nihil monasticæ perfectionis in palatio reliquit, sacerdotes suos in summo habebat honore: eos enim elegerat, qui ejus contubernio & sodalitio digni videntur.

Verum & catholicæ ecclesiæ optime præfuit: namque consuetudines omnes, quas contra priscos mores & patrum traditiones pullulasse reperit, a Romanæ ecclesiæ corpore omnino segregavit. Deinde ex pontificiorum indumentorum consideratione id assequebatur, ut qualem eum oporteret esse, & ecclesiarum & subjectarum ovium moderatorem, apertissime cognosceret. Intellexit namque sibi claves creditas, sibi commissas oves: & non solum ovium, sed & pastorum se pastorem recognovit. Quod ex Christi verbo conjectavit. Cui enim alii, non dico episcoporum, sed nec apostolorum, sic absolute, sic indefinite commissæ sunt oves, sicut Petro: *si me amas*, inquit, *Petre*, *pasce oves meas*, non unius regni, sed omnes absque ulla loci circumscriptione. At ante omnia fratres suos episcopos juxta Christi præceptum confirmare studuit, quod in registro luce clarius patet. Sciebat enim se nequaquam eorum fidei dominari, sed eorum esse adjutorem gaudii. Nam quemadmodum in cœlis sub uno capite Deo Seraphim & Cherubim, ac ceteri quoque usque ad angelos ordinantur atque servantur: ita in terris sub uno summo pontifice, cardinales, patriarchæ, archiepiscopi, episcopi, abbates, & generales, ceterique ecclesiastici constituuntur, atque suis in honoribus conservantur. Bonos itaque amplissimis prosequebatur honoribus, & in malos, ut resipiscerent, acrius animadvertebat. Posthæc manus suas aperuit inopi, & palmas suas ad pauperes extendit: ut veluti omnium pater toto terrarum orbe, piis muneribus pauperes Christi sustentaret. Adeoque hæ ejus benignitatis hostiæ Deo acceptæ fuerunt, ut propter has non solum angelos, sed etiam angelorum dominum mensa exceperit.

Joan. 21.

Prov. 31.

Præterea quanta æternæ, immarcescibilisque gloriæ diademata comparaverit, cum steterit contra horrendos reges, & immanissimos tyrannos. In primis schismaticos fide junctos, sed pace divisos, ad priorem unitatem restituit. Ligures dico, Istros, aliosque quamplurimos: deinde Donatistas, Manichæos, Arrianos, Agnoitas, domino opitulante, ab ecclesiæ ovili separavit. Post hæc & gentilibus obtulit Christi evangelium. Misso enim Augustino cum aliis fratribus ad Anglorum populos, tantam eis Deus gratiam contulit, ut verbum fidei, quod ore prædicabant, signorum efficacia confirmaretur. Plures quoque Judæos mira sua industria ac doctrina ad Christi cognitionem perduxit. Sed quid singula in tanta temporis angustia sanctissimi hujus viri facinora, præclarissimaque gesta dinumerare laboro? Cum tantus sit suarum laudum campus, ut vel cuique disertissimo maximum possit facessere negotium. O vere sal terræ, o vere lux mundi, o vera præsulum idea, monachorumque exemplar, vobis quidem veram pascendarum Christi ovium formam tribuit: nobis vero videndi regulam a sanctissimo Benedicto editam, propriis operibus adimplevit, & apostolicis scriptis authenticam tradidit. Hunc igitur gravissimum, maximumque ecclesiæ doctorem, hoc splendidissimum mundi lumen, toto conatu, totisque viribus sequamur: ambabus manibus amplectamur.

ANNO CHRISTI 1562.

Ad te igitur, o summe rerum moderator accedimus, te suavissime Christe oramus, postulamus: ecce omnes isti congregati sunt, & venerunt tibi, ut tuam agerent causam, fac ut eorum voluntates intercedente glorioſissimo Gregorio igne illo divinæ charitatis ardeant, quem in terram mittere venisti: Intellectusque eorum scrutentur, quid sit imprimis pro ecclesia tua optimum, tum quid expediat, quid deceat, quid liceat, ut fratrem nostrum juniorem, qui vere cum meretricibus jam suam portionem dilapidavit, ad te piissimum patrem revocare possimus. Fac bone Deus, ut nihil sibi favor humanus usurpet: nihil præmium corrumpat, nihil possit timor, vel principum amor. Absint impietatis consilia, supercilia contentionis, & malignantium conventicula, ut ecclesiæ tuæ labenti, quiete, tranquille, & cito (uti opus est) provideatur. Amen.

LXXXII.

ORATIO F. THEODORI MASII Mantuani Carmelitæ, quam habuit ad patres in concilio Tridentino, die octava Martii, quæ erat quarta dominica quadrageſimæ.

IN sacris ecclesiæ ritibus, tametsi plurimis & copiosis, nihil sine ratione institutum, nihilque otiosum esse crediderim, illustrissimi sedis apostolicæ legati, oratores præclarissimi, patres summa veneratione dignissimi. Est enim ecclesia mystica illa & divina sponsa, pro qua servanda & ornanda immortalis Deus homo factus sanguinem suum fudit: cujusque amorem, fidem, pulchritudinem reges & prophetæ Spiritu sancto pleni admirati sunt: & cecinerunt.

Quare sacros illius ritus, sacrasque cæremonias, non inania quædam aut levia, sed & pulcherrima & mysticæ significationis plena ornamenta existimare oportet. Et profecto decuit, ut quæ sponsum habebat non solum omnium præstantissimum, sed & amantissimum, & suavissimas omnium delicias: suam quoque ipsa in illum fidem, suumque amorem non verbis tantum aut scriptis aliquando profiteretur, sed cantibus, hymnis, lectionibus, variisque cæremoniis & ritibus perpetuo demonstraret. Propterea certissima totius anni distributione, sponsi sui adventum, nativitatem, circumcisionem, baptismum, passionem, mortem, resurrectionem ex mortuis, ascensum in cœlum, omnia denique, quasi ipsa vitam illius agat, sive læta, sive tristia, solenni ritu percelebrat. Neque id solum, sed mundi creationem, conditum hominem, peccatum, legem, evangelium, varioſque mortalium & casus & status (mysticis quibusdam temporum numeris ex divina scilicet scriptura desumptis) anniversaria memoria recolit: ut nulla sic anni pars, qua suæ fidei, suique amoris ecclesia apud mortales testimonium clarissimum non relinquat. Quam ob rem hodie quoque si simul omnia, tum quæ ex evangelista Joanne, tum quæ ex apostolo de duobus Abrahæ filiis audivimus, nec non illud subinde repetitum evangelici prophetæ oraculum: *Lætare*, inquam, *sterilis*, *quæ non paris*: nobis animo cogitationeque comprehensa fuerint, inde procul dubio colligemus, mysterium illud maximum nunc ab ecclesia celebrari, quod olim prophetæ sanctissimi futurum prædixerant, ut gentes uni-

Isai. 54. Gal. 4.

ANNO CHRISTI 1562.

versæ ad fidei catholicæ veritatem evangelica prædicatione advocarentur: cadenteque veteri synagoga, nova constitueretur ecclesia.

Quæ res licet, ut scitu dignissima, ita & amplissima sit: Ego tamen eam, omissis multis, ut ipsa temporis angustia postulat, in tria illa capita contraham, rationem, inquam, modum, & finem. Nam primum cur Judæorum synagogæ Deus ecclesiam catholicam sufficere voluerit, quærendum videtur. Tunc enim facilius secundo loco modum, quo illud factum sit, & finem denique, in quem ecclesia constituta fuerit, addere poterimus. Sic igitur dicenti faveat Spiritus sanctus, faveat confessus iste gravissimus, ut si minus pro rei dignitate propositum absolvere potero, aliquid saltem de re tanta studiose videar attulisse, quod vestris auribus, vestraque attentione, patres amplissimi, non omnino indignum videri possit.

Deus author omnium cum res universas primum conderet, nusquam duo hominum genera condidisse legitur: sed ut unam rerum universitatem, quam dicimus mundum, ita unum condidit hominum genus, ejusdem naturæ scilicet, & ingenii, quod ab uno eodemque parente communi originem duceret: rationis particeps, arbitrii libertate insigne, cui justi, injusti, honesti, inhonesti non ignota essent discrimina: vivacis animæ, mortis nesciæ, ac pene divinæ. Illud enim vitæ spiraculum est, quod ex ore suo Deum immortalem efflasse legimus: & merito ad imaginem Dei factus dicitur homo, qui ita efformatus est, ut divinorum bonorum possessionem adipisci posset. Quis igitur sanæ mentis affirmare audeat ullos homines a Deo primum creatos fuisse, ut ab eo alieni essent, miseriisque obnoxii, tandem sempiterna morte interirent? Illud nos potius & longe verius dicamus, quod miseriæ atque interitus causa peccatum est: peccare autem cum hominis quidem sit, Dei autem nequaquam, necessario fit ut non aliunde quam ex ipsis hominibus orta sit illa hominum differentia, qua ex una duæ factæ sunt hominum quasi familiæ & civitates: altera Dei, altera diaboli: sicut & apostolo duo regna, alterum justitiæ, alterum peccati: & hujus quidem stipendia miseria & mors, & illius autem salus & felicitas. Jam vero divinæ misericordiæ deberi cœptum est, quod licet omnes peccati regno & morti obnoxii nascantur, quidam tamen, tanquam si postlimino redirent, in justitiæ regnum cooptentur, & salvi fiant. Et quidem si primas populorum origines consideremus, facile cognoscemus, non Dei parum benigna voluntate, sed sua quosdam pravitate & culpa a Dei populo semotos fuisse, ut alienos habitos ambulasse, ut dixit propheta, *in tenebris & umbra mortis*. Isai. 42.

Cain quidem primus diaboli civitatem ædificare cœpit, & periit. Abel autem frater justitiam & pietatem amplexus est, & a fratre occisus, Deo, quem colebat, perire non potuit. Unde hæc obsecro differentia orta est? Numquid forte impius ille suæ iniquitatis, suique interitus causam in Deum referre poterit? An non illi dixit Deus, *si bene egeris, recipies*? numquid non ambo eisdem orti parentibus? An non eisdem instituti præceptis & moribus? An non simul educati sunt? Et qui quidem illum proxime secuti sunt homines impii, an non sua potius quam Dei voluntate impii fuisse, & contra Deum pugnasse dicendi sunt? Cum etiam postea magis in dies aucta fuisset iniquitas, & peccati regnum vires acquisivisset semper majores, tunc Deus aquarum inundationem Gen. 4.

propterea in universum terrarum orbem videtur immisisse, ut sublatis impiis hominibus, deletaque iniquitate, & servata mirifico navigio sancta pii Noe familia, nullus deinceps esset impius populus, neque qui a Deo haberetur alienus: sed sicut omnes ex eadem familia, eodemque parente communi ex sancto Noe trahebant originem, ita deinceps eandem servarent pietatem & religionem: atque eo diligentius, quo majora divinæ sævientis iræ atque horrendæ vindictæ exempla præcessisse noverant.

Quidam tamen rursum in impietatem prolapsi sunt, atque tandem eo insaniæ devenerunt, ut cultum, quem Deo vero auctori exhibendum a parentibus didicerant, hominibus, volucribus, quadrupedibus, inanibus denique simulacris exhiberent. Quid vero tum Deus? Numquid rursum fontes abyssi magnæ, cœlique cataractas aperiret? atqui prius tantæ mortalium stragis misertus, sanctique Noe pietate placatus, promiserat se nunquam postea quicquam tale facturum.

Tunc igitur pro æterno illo suæ sapientiæ consilio, quod omnes excedit cum hominum, tum angelorum mentes, de proterenda mortalium, tollendaque impietate agere cœpit. Tunc enim certum populum sibi elegit, & suum vocavit, non quod præter illum, neminem sibi gratum esse vellet, sed quod ex eo communem mortalium salutem orituram promitteret, mystico appositio circumcisionis signo. Interea permittens *gentes ingredi*, ut dicit apostolus, *vias suas*, quibus tamen quamvis impiis, non secus quam pater ille adolescentiori filio ex paterna domo invitis parentibus abeunti, suam non negavit substantiæ portionem: propterea etiam in eis tanta fuit divinarum rerum cognitio, ut ex illis quidam Dei viventis benevolentia digni habiti sint: donec tandem veniret temporis plenitudo, qua longe alios abyssi fontes, aliasque cœli cataractas aperiret, diluvioque alio omnes hominum deleret iniquitates, & perditum genus humanum præstantius instauraret, neque enim, ut prius, desæviit in universum genus mortalium, sed omnes iræ suæ fluctus in filium suum unigenitum immisit, & mystico aquæ baptismo veterem illum hominem cum suis iniquitatibus sepelivit. Rom. 10.

Et quicumque mysticam ecclesiæ navim conscenderunt, a divina ira salvi facti sunt. Conscenderunt autem quicumque voluerunt, omnes enim vocati sunt: Judæorum tamen plurimi conscendere noluerunt, legique illi veteri nimis addicti quidam, ita Christum amplectebantur, ut legem quoque simul tueri vellent, impie Christum dividentes, a quo non totam salutem, sed partem quoque a Mosaica lege agnoscendam esse censerent: quod in illa meretrice prius ostensum fuerat, quæ coram Salomone secari alienum filium, quam vere matri reddi malebat: hæc enim Judæorum populum, altera Gentilium præmonstrabat. Quare sapientissime non secanti, sed alteri, id est, non Judæis legem cum Christo commiscentibus, sed gentibus integrum servatorem defendentibus deberi illum judicavit alter Salomon, Petrus, inquam, apostolus, cum subortam illam quæstionem in concilio publico definiret. Propterea Judæos *zelum* quidem DEI habuisse dicebat apostolus, *sed non secundum scientiam*, quippe qui Mosaicæ legis usum atque ingenium ignorabant. Nam, ut idem docebat, lex lata non erat, quæ vivificare posset, cum ejus occasione Act. 14.

potius

ANNO CHRISTI 1562.

potius propter membrorum legem peccatum revixerit, & quod videbatur facere ad vitam, ſua maledictione mortem afferret. Uſus autem ejus non parvus erat, cum & peccatum indicaret, naturæ infirmitatem aperiret, & viam, qua progrediendum eſſet, oſtenderet, ac tanquam pædagogus facta ad illum denique ſalutis auctorem perduceret, quem Deus multo ante quam legem ferret mortalibus promiſerat: quo munere functa, cur obſecro loco non cederet, ut evangelium ſubſtitueretur?

Quare non eſt cur mutatas quiſpiam miretur leges, hoc enim & ratio temporum, & rerum conditio poſtulabat: neque etiam cur Judæorum populus prius Deo gratus, nunc autem inviſus ſit. Non enim Dei mutata voluntas, ſed eorum obſirmata iniquitas hoc fecit, quibus apoſtoli dixerunt: *Vobis oportuit primum loqui regnum Dei: ſed quoniam rejeciſtis illud, ecce convertimur ad gentes.* Et Paulus tantam quæſtionem ingreſſus: Cur Iſrael, inquit, ſectando legem juſtitiæ, ad legem juſtitiæ non pervenit? quia, inquit, non ex fide, ſed quaſi ex operibus. Et clarius infra eleganti tranſlatione uſus, fractos dicit fuiſſe naturales ramos, propter incredulitatem: quos tamen rurſum inſerendos affirmat, ſi non permanſerint in incredulitate. In eo autem commendabat apoſtolus divinam pietatem, quod quaſi ſolicitus pro ſalute filiorum pater optimus, nunc hos, nunc illos, acceptis, ut offerebantur, occaſionibus, ab interitu revocaret. Nam non credentibus Judæis, occaſio accepta eſt prædicandi evangelium gentibus: quibus credentibus, Judæos rurſus æmulatione quadam ad fidem evangelicam invitare ſtuduit: tantum abeſt, ut in Deo vel paternam dilectionem, vel propoſiti conſtantiam deſiderare quis poſſit.

Act. 13.

Ad Romanos & Galatas.

Quibus paucis mihi ſatis pro tempore oſtendiſſe videor, patres optimi, qua ratione Deus poſt veterem legem, & Judæorum ſynagogam, novam conſtituerit eccleſiam, evangelica doctrina inſignem, atque omnibus patentem. Jam itaque modum aperiam, quo illud factum ſit, quod ſecundo loco declarandum nobis propoſitum eſt. Secus autem eccleſiam quam ſinagogam conſtitutam invenimus. Et Joannes quidem brevibus rem hanc nobis ſignificabat, cum verba pontificis interpretatus dixit, Jeſum non ſolum pro gente moriturum, ſed ut filios Dei qui erant diſperſi, congregaret in unum.

Jean. 11.

Vobis hodierna evangelii lectio idem nobis & clarius & jucundius explicabit: idque tanquam ſi rem notam in tabella contemplaremur. Tunc enim Jeſum ultra mare Tiberiadis abeuntem turbæ multæ ſecutæ ſunt, cum Tiberio imperante occiſus reſurrexit a mortuis.

Jean. 6.

Paſchatis autem omnino congruunt & tempora & ſacramenta. Et profecto, ſi conferantur ſingula, mirifice convenient. Tunc enim Jeſus navim conſcendit, cum a cohorte capitur. Tum navigare incipit, cum ad pontifices ducitur. Tum navigationem proſequitur, cum interrogatur, alapis cæditur, reus mortis judicatur. Tum immenſis fluctibus jactatur, cum flagellatur, cruci affigitur, & affixus ſumma ſupplicia atque opprobria patitur. Tum deſcendit e navi, cum emiſſo ſpiritu loca inferna petit. Tum aſcendit in montem, cum ad immortalem vitam reſurgit. Tum mirificam ejus beneficentiam turbæ audiunt, cum prædicatur in nomine ejus pœnitentia, in remiſſionem peccatorum. Tum denique populi relicta Hieroſolyma, pedibus ultra mare Chriſtum ſequuntur, & in montem conſcendunt, cum relicta ſynagoga, abjectiſque vanis idolorum cultibus, per baptiſmum Chriſto conjuncti in evangelicam eccleſiæ ſublimitatem attolluntur, & mirificis, diviniſque natalibus inſignes (iis enim datum eſt filios Dei fieri) in novam excitantur (ut dixit Apoſtolus) creaturam: neque enim naturali virtute, ſed ex aqua & Spiritu ſancto eccleſiæ filii propagandi erant: nam, *quod natum eſt ex carne, caro eſt*, ut ipſe ſponſus Eccleſiæ dixit: *& quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt*. Propterea quoque non in Iſmaele, ſed in Iſaac vocatum Abrahæ ſemen legimus: ut enim ille naturæ viribus genitus eſt, ita hunc divina promiſſione centenaria peperit vetula ſterilis. Et Paulus quoque: *Non omnes, qui ex Iſraele nati ſunt ſecundum carnem, hi ſunt Iſraelitæ, ſed qui ſecundum promiſſionem*. Promiſſioni autem debetur fides, & cognata eſt gratia. Iſajas quoque matrem credentium tum ſterilem, tum deſertam vocabat, & quæ videretur non habere virum: mox tamen ei propheta Deum pollicetur virum futurum.

Joan. Galat. 6.

Joan. 3.

Rom. 9.

Ecce hodiernam turbam ſine duce, ſine humano auxilio, atque omnia ſua ipſius cura deſtitutam videmus. Quæ ſui propemodum oblita, civitates, domos proprias, ſine commeatu, ſine rebus neceſſariis deſerit, ut Jeſum ultra mare abeuntem, & deſerta loca petentem uſque ad ſtudioſa ſectetur. Quo uno invento, deeſſe obſecro quid illi potuit? His autem omnibus præſcriptum nobis quaſi figura quadam modum intelligamus, quo renaſci, & filios Dei fieri, & Chriſtum denique ſequi oporteat. Qui enim per baptiſmum Chriſto inſiti ſunt, in hoc mundo tanquam peregrini & alieni verſari debent, & ut qui permanentem non habent civitatem, ſed futuram inquirunt, myſtico interea pane, divinique verbi doctrina confirmati: quod in paſcendis turbis hodie nobis luculenter ſignificatur. Qua in re illud myſtice ſpeculari oportet, quod Chriſtus quinque panes hordeaceos & duos piſces tunc in manibus accepit, cum in libris Moſaicis latentem veritatem oſtendit, & cuncta præſtitit, quæ in pſalmis & prophetis de ipſo ſcripta legebantur: in quibus duobus major ſane copia ſpiritus eſſe videbatur. Hi namque duo illi piſces ſunt, qui craſſæ legi additi fuerant, ut palato ſpiritus eſca gratior redderetur. A puero autem hæc omnia accepta ſunt, quia populus Judæorum ſub pædagogia & onere legis vitam agens, ad Chriſtum tanquam bajulus, antiqui teſtamenti libros ferebat. Et quid tandem eſt, quod fregit, deditque diſcipulis, ut diſtribuerent turbis: niſi quod apoſtolis, immiſſo divino ſpiritu, *aperuit ſenſum, ut intelligerent ſcripturas*, juſſitque, ut euntes in mundum univerſum prædicarent evangelium omni creaturæ? Ceterum non abſumuntur myſticæ dapes, ſed longe plura ſuperſunt, quæ nimirum & Chriſti, & apoſtolorum opera colliguntur, ut repoſita in uſum vitæ poſteritati cedant. Tantus autem mundi theſaurus non alii quam Chriſti ſponſæ relictus eſt, ut ſumma fide ac diligen-

Luc. 24.

ANNO CHRISTI 1562.

ANNO CHRISTI 1562.

diligentia ſervaretur, neque deeſſent apoſtolorum ſucceſſores, qui Chriſto jubente recondita depromerent, & fidelibus populis ſuo tempore diſtribuerent.

Sed qui jam modum audiſtis, patres optimi, audite obſecro patienter & finem, in quem eccleſia conſtituta ſit: quod poſtremo loco nobis explicandum relictum eſt: jam enim & oratio brevi curſu ad finem ſuum properat. Hac igitur de re loquens apoſtolus nos graviter monebat, *ut abnegantes impietatem & ſæcularia deſideria*, quod, ut proxime dicebamus, fit in baptiſmo, *ſobrie & juſte & pie vivamus in hoc ſæculo*: in futurum autem expectemus *beatam ſpem, & adventum gloriæ magni Dei*: atque interea progredientes de virtute in virtutem aſcendamus cum Chriſto ad montem domini virtutum. Unde mundi perturbationes, & varias temporum viciſſitudines excelſo animo deſpiciamus: & ad ſydera converſi magno ac ferventi ſpiritu ad cœleſtem patriam feſtinemus. Ubi, inquam, divitiarum fœnum, & voluptatum herbas, brutorum potius animalium quam hominum præſertim Chriſtianorum cibos conculcemus: atque eis utamur, ut nobis commoda eſſe poſſint ad ea perficienda bona, quæ nobis miniſterio ſanctorum e Chriſti manibus afferuntur. Hac enim ratione ad illos æternitatis, & divinæ viſionis montes iter patebit, quos dominus pollicebatur ovibus ſuis, cum eas de cunctis locis & populis ſe congregaturum & liberaturum dicebat, ut ibi quieſcerent in herbis ſemper virentibus, & juxta rivos aquarum viventium accubarent. Ubi nihil abjectum, nihil confractum, nihil infirmum: ſed mortale induet immortalitatem, ignobilitas gloriam, infirmitas virtutem. Ubi denique a cunctis, cum divinis illis exercitibus, quorum linguas nemo mortalium novit, laudibus immortalibus honorabitur Deus, qui tunc erit omnia in omnibus. Neque enim unquam ſine divina gloria ſalus hominum fuerit: nam & Chriſtianis hominibus in hunc finem omnia tendunt, ut non ſolum ſerventur ipſi, ſed ex ſua ſalute laudetur auctor ſalutis Deus.

Tit. 2.

Ezech. 34.

Propterea quoque turbæ hodie ſumma Chriſti beneficentia inſpecta, cum ſummam ejus virtutem admirarentur, in illam honorificam vocem eruperunt: *Hic eſt vere propheta, qui venturus eſt in mundum*. Ille autem ſummus rerum finis eſt, ſummaque perfectio, ultra quam progredi non licet: ad quam non vetus illa ſynagoga, non lex, non Moſes, minus etiam naturæ vires, ſed Chriſtus, ſed eccleſia, ſed evangelium (quæ tria ſimul jungantur neceſſe eſt) perducere potuerunt. O admirandum eccleſiæ ſtatum: o certum mortalium præſidium, ubi verum evangelium eſt, ubi ſacramenta, ubi divina virtus operatur in ſalutem omni credenti, ubi ſponſus eſt ipſe Chriſtus, ubi Deus homo homines facit Deos! Timere igitur eccleſia non poteſt, ne a ſuo ſponſo aliquando deſtituatur, aut ſicut priſca illa ſynagoga, videat alteram gratiorem duci. Eſt enim illa Rachel pulcherrima, quæ non ut Lia ſoror natu major, id eſt, ſynagoga, lippitudine oculorum dehoneſtatur: ſed facie decora, venuſtoque aſpectu, & mentis acie, fideique lumine inſignis. Quam unam cum ardentiſſime Jacob noſter Chriſtus verus Iſrael adamaret, longa quidem ac difficili ſervitute, ſed alacri

Gen. 24.

A tamen animo præ amoris magnitudine ſibi acquiſivit, & poſt quam unam, nullam ducere voluit. Hæc eſt illa Sara, patres optimi, quæ, ut audiſtis hodie, ludentes Iſmaeles Ægyptiæ ſervæ filios æquo animo ferre non poteſt. Ludebat tanquam puer Judaicus populus, qui tum etiam cum temporis plenitudo adveniſſet, qua virum eſſe decebat, puer eſſe non deſiit: ſed puerilibus adhuc immorabatur elementis, & cæremoniis inanibus detinebatur. Ludebant cultores idolorum, non ſolum quod etiam ridiculus per ſe non potuit non eſſe rerum cultus, quibus nullum divinitatis numen ineſſe poterat. Ludunt denique quicumque a vero Dei cultu, veraque religione alieni ſunt. An non B etiam pueri, ludenteſque ſunt, qui in ipſis fidei rudimentis adhuc hæſitant, necdum firma tenent ſpiritualis ædificii fundamenta? qui puerili quadam jactantia elati, de re quavis etiam graviſſima, ut libuerit, loquuntur? qui de religione, de ſacris, de divinis, non ſecus quam de ludicris & puerilibus rebus agere videntur? quibus nihil certum, nihil ferium, nihil conſtans eſſe poteſt? Hi autem omnes licet ſe Abrahæ filios, licet ſe Chriſtianos, & evangelicos jactent: cum tamen illam, communem credentium matrem Saram, eccleſiam, inquam, catholicam non agnoſcant, Ægyptiæ ſervæ filii ſunt, in tenebris Ægypti & gravi ſervitute detenti: evangelicæ lucis ac libertatis C expertes.

ANNO CHRISTI 1562.

Gen. 21.

Quare tandem merito cum Iſmaele ſuo ex paterna domo expellendi ſunt, niſi forte reſipiſcant: ſecus enim cum filiis liberæ paternorum bonorum hæredes eſſe non poſſunt. Sed heu nos miſeros, quot nunc experimur Iſmaeles, qui communem credentium matrem perſequantur! qui liberæ filios oderunt! qui ſuis dolis & ludis nihil non audent, omnia corrumpunt, omnibus illudunt! Nec tamen propterea, patres optimi, hæc a me dici credatis, quod ego forte de matre noſtra catholica minus bene ſperandum crediderim. Jubetur enim divino oraculo pater Abraham etiam invitus obtemperare voci Saræ. Ille pater credentium dictus eſt, in quo uno poſita ſunt credentibus fidei & ſpei exempla pul- D cherrima, qui, ut docebat apoſtolus, divinæ promiſſioni innixus, in ſpem contra ſpem credidit. Nam profecto quemadmodum ſupra naturæ vires Deo naſcuntur legitimi filii, ita etiam divina virtute educari & conſervari neceſſe eſt. At non etiam Chriſtus ipſe, quo infirmior factus eſt, eo ſe nobis potentiorem oſtendit? Victus vicit, ſervus factus mundo attulit libertatem, mortuus denique mortem occidit, & vitam mortalibus recuperavit. Illud vero divinæ virtutis privilegium eſt, ut eo majorem eccleſiæ ſuæ de hoſtibus victoriam paret, quo magis eos ſævire permiſerit. Quare ſemper de eccleſia quo minus bene ſperandum externa facie viſum fuerit, eo melius credentibus ſperandum eſt. Ea namque ratione fit, ut ſplendidior nobis divina virtus eluceat, ſi major nos urgeat rerum neceſſitas.

Rom. 4.

Semper tamen cavendum eſt, ne Chriſtiana ſpes temeraria quædam confidentia ſit & otioſa ſecuritas. Chriſtus hodie prius excitavit diſcipulos, & quaſi exercuit, quos pro turbis ſolicitos eſſe voluit, cum tamen ipſe non ignoraret quid eſſet facturus. Cumque ipſi fatentur, nec cibi, nec pecuniæ tantum ſuppetere, quod paſcendæ illi multitudini ſatis eſſe poſſet:

ANNO CHRISTI 1562.

posset: mox tamen, jubente Christo, non dubitaverunt curare, ut tanta multitudo discumberet, & ad sumendum cibum, quem ipsi quidem ignorabant, se præpararet. Oportet igitur Christianum hominum, rerum primum necessitatem agnoscere, faterique suam impotentiam, animo deinde solicito esse, & spe tandem erigi divinæ promissionis: orationibus interea & supplicationibus vacare, viriliter agere, & æquo animo expectare divinum auxilium. Vobis autem præsertim patres amplissimi curandum est, ne quicquam quod pastoralis officii sit, in vobis desiderari possit. Tunc enim vestra illa spes proculdubio existet, quæ Christianos homines, quæ sanctissimos ecclesiæ antistites deceat, nescia confusionis, plena solatii. Tunc Deus optimus maximus pastorum, qui solus rerum novit occasiones, tempora non prætermittet opportuna visitandi plebem suam: perpendit ille rerum necessitates, & mira sapientia moderatur universa, nec unquam ecclesiæ suæ deesse potest.

At quæ, pater optime, majora nobis mala expectanda sunt? quæ nos tandem manent rerum discrimina? facta est quasi vidua sponsa tua, & quæ quondam orbi latissime leges ferebat, nunc maximis premitur angustiis, majorem suæ hæreditatis partem occupaverunt hostes ejus. Ubi nunc illæ patriarcharum sedes toto orbe clarissimæ? Ubi domine Jesu sedes tua natalis? ubi sepulchrum? proh dolor! cuncta prophanat Turcica impietas. Vide domine potentiam, vide superbiam inimicorum nostrorum, ne forte dicant: *Ubi est Deus eorum*? Ecclesia tua undique incendiis, depopulationibus, vastationibus exposita est, nec hic malorum finis. Viperinos experitur fœtus, qui maternam discindunt alvum, dilacerant, dilaniant: quibus nihil intactum, nihil sanctum, prophana omnia. Nonne vides domine Absalones impios, qui contra regem tuum David pontificem maximum seditiones commovent, populos solicitant, concubinas patris violant, & a recta fide avertunt ecclesias? An non audis, pater optime, quas blasphemias contra pastores tuos jaciant improbi Semei? Da domine Chusios Arachitas, qui Achitophelum dissipent consilia. Et ipse majora molientibus obsiste, ne propinquum incendium omnia corripiat. Noli nunc oblivisci misericordiæ tuæ antiquæ domine, sed qui vidisti patientiam David, vide quoque pastorum tuorum pietatem, vide studia: multi enim propriis sedibus, ut ille civitate regia, pulsi Absalonum suorum cupiunt salutem: nec minore forte patientia ferunt hi maledicorum hominum convitia, quam ille convitiantem Semei tulerit. Simplici quoque populo, & iis qui dolis & fraudibus decepti sunt, parce domine, placare, miserere, ut tandem matris dulcissimæ gremio collecti, te uno ore, uno corde in perpetuum laudent ac venerentur. Dixi.

Psalm. 113.

2. *Reg.* 14. 15. 16. 17. 18. 19.

9. *Reg.* 16. 3. *Reg.* 17.

A

B

C

D

E

ANNO CHRISTI 1562

LXXXIIII.

ILLUSTRISSIMIS TRIDENTINI CONCILII cardinalibus legatis coram, plenaque amplissimorum œcumenica patrum corona, oratio habita, per totius instituti Minoritanæ observationis reverendissimum patrem F. Franciscum a Zamora generalem ministrum. Dominica secunda Quadragesimæ MDLXII.

VEREOR, illustrissimi ac reverendissimi domini, amplissimique præsules (vereor, inquam) ne mihi hodierno die accidat in hoc ornatissimo purpuratorum ecclesiæ patrum consessu, quod evangelium protestatur in monte Thabor olim contigisse apostolorum præcipuis: qui ad transfigurati corporis contuitum, & ad divinæ vocis (ut ita loquar) tonitruum timore perculsi expaverunt. Ita proculdubio ipse bene præclaram insignemque circumstantem coronam conspiciens, videor mihi illam cœlestem & prope divinam intueri majestatem. Quare stupescit intellectus vestris doctissimis auribus recensere molienti, quæ Christus in Thaborea celsitudine divina reseravit mysteria. Verum ipsius voce, vestraque humanitate fretus, hujus celeberrimi montis abditissima, sermonis compendio dicturus accedam.

Sacrosanctæ ecclesiæ typum montem gerere, divina tradunt eloquia, ac propheticæ præsensiones prodiderunt. *Erit*, inquit Isajas, *in novissimis diebus præparatus mons domus domini, in vertice montium*. Non enim ab re pietatis opera, documenta salutis, reparationis humanæ monumenta, quæ in catholica modo celebrantur ecclesia, olim a patribus sub miro velamine, in montibus facta leguntur. *Tolle*, inquit dominus Abrahamo, *filium tuum quem diligis Isaac, & vade in terram visionis, ibique offeres eum in holocaustum, super unum montium quem monstravero tibi*: latent equidem mysteriorum pretiosa monilia. Paternus quippe animus, non solum posteritatis gratia, veram & promissionum spe accensus erat amore. Dominus autem, quem pater tenere amabat, gladio interimi jubet, ac ut concursantibus curis viscera quaterentur senilia, caris ac dulcioribus appellationibus iterum ac sæpe repetitis, grandævi patris suscitantur affectus: ut amoris evigilante memoria adversus animi fidem tota repugnaret carnis militia: *vade*, inquit, *in terram visionis*. Quo spectat tanti itineris diuturnitas? quo montis ascensus? equidem, ut spatium certaminis accipiant affectus & fides: amor Dei, & amor carnis: præsentium gratia, & spectatio futurorum: hinc perurgente præcepto, hinc vero paterni affectus perluctante amore. At strenuus ille patriarcha in repromissione Dei non hæsitans diffidentia, sed confortatus in fide, non deliberat, non detrectat, hominum non quærit sententiam: sed subito occupat iter, pueriſque ad radicem montis dimissis, ac filii regressum pollicetur in dubium. Ascendensque montem armatus fide, futuræ veritatis imaginem gerens, quod nondum factum fuerat, futurum certo sperabat: adeo ut percontanti filio, futura respondit, de præsentibus requirenti, *Dominus*, inquit, *providebit sibi victimam holocausti fili mi*.

Isaiæ 2.

Genes. 22.

Ibidem

Quando hæc erunt? Tunc enim, quando æterni pa-

ANNO CHRISTI 1502.

ni patris filius, non ex Sara, ſed ex utero procedens paterno: non temporalis, ſed ante Luciferum genitus, mortali indutus natura montem conſcendet eccleſiæ. Ubi tantum domicilio delectabitur montano, quod a ſapientiſſimo Salomone (velut montium accola) jam ſaliens in montibus, jam tranſiliens colles decantetur. In monte illo videbitur Deus, magnifica cum hominibus liberalitate concertans: quando non Iſaac mortalis & non moriturus, ſed immortalis Deus, hominum inveteratam labem morte dirimet ſua: non lignorum faſciculo, ſed ponderoſa cruce montem conſcendet onuſtus: non arietem inter vepres, ſed humanam præaſſumptam naturam, diris obſeſſam ſpinis tradet ſacrificandam. Tantum erat decorandus mons iſte, quod Moyſes eccleſiæ præſagium in illo ut agnoſceret, calceatis pedibus ceu ad ſancta ſanctorum ne accederet, prohibetur a Domino: ibidemque oratione velut clypeo munitus & haſta, habito de Amalechitis triumpho, victori Deo aram dedicavit inſignem. Si igitur hæc omnia patribus in figuram contingebant: quid figurabant? quid portendebant? quid ſibi volebant orationes, benedictiones & maledictiones? quid ſacerdotes ſacris induti veſtibus, aliis vero ſpoliati? quid erectæ, oleoque delibutæ aræ, foci, victimæ, ſacrificia, ſepulcra, & id genus ſimilia in montibus celebrata? Quorſum denique Noe, Abraham, Iſaac, Jacob, Moyſes, David, ceterique proceres ac patres antiqui in montibus ſacrificarunt? Typici erant montes, & figuram ſublimis geſtabant eccleſiæ: nec alio tendebant illa montana myſteria, niſi eo, quia in monte beneplacitum eſt habitare Deo. Et licet omnium rerum opifex, & orbis fabricator omniſcius (juxta Platonem) totius mundi ambitum, ſibi pro ſacello conſtruxerit ornatiſſimum, ſuam ſibi præcipue delegit eccleſiam, & hanc præmonſtrabit in monte, ad cujus dignitates

Luc. 9. capeſſendas, *aſſumpſit Jeſus Petrum, Jacobum, & Joannem fratrem ejus, & duxit illos in montem.*

Animadvertite obſecro patres: Chriſtus allicit, Chriſtus ſuſtulit, & Chriſtus montem ſecum juſſit aſcendere. Non eos ſane qui in depreſſis & humanæ vitæ caliginoſis peccatorum vallibus perſtant: nec qui ſuos non ſugillantes affectus, talem ultro quærunt honorem: nec qui depravatas opiniones ſtilo ferreo in ungue adamantino ſupra latitudinem cordium eorum exaratas habent: nec eos denique qui carnis libertatem, ejuſque effrænem cupiditatem, ſub prætextu ſanctitatis in puſillos diſſeminare conantur. Tales enim

Galat. 2. ſunt falſi fratres, qui (ut inquit apoſtolus) *ſubintrojerunt explorare libertatem noſtram, quam habemus in Chriſto Jeſu: ut in ſervitutem carnis nos redigant.* Sed quos duxit? Illos proculdubio, qui tanquam juſtitiæ cultores, procereſque divini exercitus, primipili ac tribuni vitioſum nihil admittant. Illos qui nec gloriæ ſtudium, nec terrenarum rerum cupiditates, nec principum applauſus, nec etiam mortis metus e monte depellat. Illos qui in vera fundati humilitate, ſucceſſores ſibi in regimine forent eccleſiæ. Nam ſuperbe dominari ſubjectis, non Chriſtiani viri, ſed gentium gerit officium. Illos inſuper aſſumpſit, quos indefectæ ſanctitatis, & purgatæ virtutis permanſuros prævidit. Petrum nempe, qui etſi ad ancillæ vocem pertimuit, prolapſum tamen de præcipitio revocans pedem, quæ negando perdiderat, amare fiendo recepit. Jacobum, qui vitia quæque ſupplantet, ſeipſum vincere diſcat. Nam tam fœdum eſt a ſemetipſo vinci, quam pulchrum reliquos ſuperaſſe. Joannem vero, qui virginitatis privilegio ceteris pollet, ut illecebras quaſque coerceat cupidinis: carnis enim infrænis cupido de eccleſiæ montibus quamplures præcipites dedit, & a Chriſtiana religione transfugos effecit. Secum eos duxit (intimam prælatorum cum Deo familiaritatem oſtendens) qui etſi humanis oculis, corpore velut ceteri peregrinentur, miro quodam deificantur numine, ſupremis etiam creaturis condonatum nuſquam. Cui unquam angelorum dictum eſt: *Quodcumque ligaveris, erit ligatum, & quid ſolveris, erit ſolutum?* Moyſes obnoxio populo inſtanter dimitti poſcebat: Chriſti vero vicarius judiciaria fungens auctoritate, quæ Chriſtus ſui ſanguinis effuſione promeruit, alumnis diſpenſans eccleſiæ, non clamat dimitte, nec ut abſolvat precatur: ſed, inquit, abſolvo. Ad cujus vocis ſonitum inferorum profligantur horribiles furiæ, angelorum tripudiant agmina gaudio. O ſuprema hujus montis dignitas! o regale ſacerdotium!

Matth. 16.

Sed quia alternæ ſunt omnium rerum vices: nec aliquid adeo proſperum aut ſublime, quin graviſſimis tangatur aculeis: nec quid tam durum, quod præmii "ſecuritas non matureſcat: Chriſtus optimus maximus prælatorum labores proſpiciens, ampliſſima illis præ oculis præmia poſuit, dum transfiguratus ante eos, in corpore mortali, gloriam immortalitatis oſtendit: & ſuæ majeſtatis gloriam, jamdudum velamine carnis obtectam, humanis oculis conſpiciendam detexit. Nulla profecto ab orbe condito anguſtior viſio mortalibus innotuit, quæ futuræ beatitudinis conſignato arrabone, temporarios ad ſufferendos labores, animi deſiderium tantum excitaret. Sic ut illa fruens Petrus, ab illo popoſcit non dimoveri loco. Et quia lex & prophetæ, hujus montis abditiſſima complectebantur myſteria, *ecce apparuerunt eis Moyſes & Helias, loquentes cum Jeſu: dicenteſque exceſſum, quem completurus erat in Hieruſalem*: ut eccleſiæ myſterium abſconditum, manifeſtum faceret mundo. Mirabantur quo amore ductus, rimas ac fiſſuras, quas in eccleſiæ monte antiquus fecerat ſerpens, pretioſiſſimo cupiebat occludere ſanguine. Non in fiſcella ſcirpea confecta, bitumineque linita (velut Moyſes) ſed ligno crucis, ſuo ſanguine rubricato. Non virga mare percutiens rubrum, ſed ira futoris Dei ſacroſancta ejus humanitate percuſſa, ut prædeſtinatorum cœtus ad ſupremam traduceret patriam. Non minas Jezabelis ſanguinolentæ (velut Helias) fugiens, ſed impiiſſimis ultro ſe offerens Judæis. Non ſub junipero, pane confortatus ſubcinericio, ſed aceto felle mixto propinato, mente integra, ſuperata carnis mortalitate, expetivit animæ ſuæ ut moreretur. Referebant inſuper quo zelo ſeipſum morti dare volebat, ut notum faceret nobis ſacramentum voluntatis ſuæ, quando mortis ſoluto pretio, profugos filios ad gremium revocaret eccleſiæ.

"ſecuritate.

Luc. 6.

Supremus itaque pater id idem voce retegens: *Hic eſt*, inquit, *filius meus dilectus*. Petra angularis: Petra, ſupra quam excelſus, perpetuæque durationis eccleſiæ mons, tanta ſtabilitur firmitate, ne tota inferorum claſſis illum diruere poſſit. Ideo ipſum tanquam tanti operis mirificum artificem jubet audiri, qui per ſanguinem crucis ejus tam terrenis quam cœleſtibus pacem impartiturus venit. Ipſius juſſa capeſſere mandat, qui ſervili indutus forma præfectorum quorumcumque pernicioſam ambitionem, vitæ ſuæ contemptu

ANNO CHRISTI 1562.

ANNO CHRISTI 1562.

temptu damnavit. Christi præceptoris disciplinam ediscere mandat, qui ad tam sublimem dignitatis gradum, nedum illustres, regioque sanguine natos, verum demissos etiam homines virtutibus tamen præditos, non dedignatur assumere. Christi legislatoris edictum nobis servandum proponit, qui pretiosa quæque contemnens, superbam hominum vitam sua profundissima suggillavit humilitate.

Operæ pretium ergo erit, patres amplissimi, ipsum ut audiamus: qui pro grege vobis commisso, animam tradidit suam, morbidas oves sanans, dispersas congregans, errantesque humeris suis reducens. Ipsum audite, qui vanam ac fluxibilem hominum pompam conculcans, abjectissimum suæ nativitati & morti locum elegit: ut ecclesiæ suæ alumnis mansiones præpararet perpetuas. Ipsum audite, qui derisorias, fallaces atque caducas mundi nil pendendo divitias, nudus ascendit crucem: ut ecclesiæ montem æternis ditaret thesauris. Ipsum audite, qui non ovium pellem, sed suam pro illis virgineam, diris dilaniatam flagellis: pascendas & non perdendas, nec excoriatricibus mercenariorum manibus committendas oves instanter poscebat. Ipsum audite, qui acerrimis clavis contusis manibus, cruci affixus, ne quis illi aliquam abripere posset, ad unius ovis balatum impiger, paradisi pascua statim promisit. Ipsum audite, qui toto exulcerato corpore (etsi paterno destitutus auxilio) ovium tamen suarum salutem sitire fatebatur. Ipsum audite, qui diro lanceæ vulnere sauciatus, intima cordis patefaciens: nedum aquam, verum sanguinem, sitibundis ovibus propinavit. Ipsum audite, vos qui ad hujus celeberrimi montis fastigium evecti estis: qui non in adumbratis sacramentis (velut patribus antiquis) sed in ipsa relucet veritate.

Vobis enim ad dexteram patris regnans Christus, hujus montis hæreditatem possidendam, moderandamque reliquit. Quare in vobis supremis rectoribus, refugium omne, præsidium ac spes nostra post Deum constituta est. Atrendite obsecro, patres piissimi: nam *parvuli petierunt panem*: Panem, inquam, purgatæ doctrinæ: Panem castigatæ disciplinæ: Panem denique exemplaris ac regulatæ vitæ. Heu me patres, ter millies heu me. Non deficiant obsecro, qui frangant, & porrigant eis. Quid proderit nobis inter vestibulum & altare clamorosis vocibus Deum optimum maximum interpellare, clamantes: *Parce domine, parce populo tuo: & ne des hæreditatem tuam in perditionem*: si conspiciendo ferocissimum aprum de sylva egredientem, vastantemque Christi hæreditatem, (utpote ecclesiam suam) & solum sibilis eam defensare conamur? Manus mittere ad fortia necessum est. Quid utilitatis, quid emolumenti oriri poterit, otiosis vacare disputationibus? Semel in Christi tunicam inconsutilem sortem miserunt crucifixores: cecidit namque sors supra ecclesiæ filios. Nostra enim est hæreditas. Talaris tunica Joseph (etsi sanguinolentis hæreticorum dogmatibus circumdata conspicimus) nobis tamen de jure debetur.

Thren. 4.

Joel. 2.

Quorsum jam denuo discutere debemus, cujus sit? Equidem non sine magno discrimine de religionis veritate disputaremus, quam tantorum sanguine confirmatam videmus. Magni periculi res est, si post prophetarum oracula, post apostolorum testimonia, post martyrum vulnera, veterem fidem quasi novellam discutere præsumamus. Quorsum post tam manifestos duces, post martyrum sudores, post confessorum & virginum illibatam vitam & constantiam, post tot concilia, post tot sanctiones, post tot decreta in errore permaneamus? Absit. Rescindite quæ rescindenda sunt. Purgate quæ purganda sunt. Ejicite vendentes & ementes a templo. Mensas numulariorum, & cathedras vendentium evertite. Tunc enim res salva erit. Vos qui lucis nomen adepti estis, in tenebrosa vitiorum valle jacentibus fulgentissimos virtutum radios emittite, ut vobis auspicibus, vobis ducibus, inde illi ad splendidissimos fidei, & cœlestium montium vertices aspirent.

ANNO CHRISTI 1562.

Matth. 2. Marc. 11. Luc. 19. Jo. 2.

Vigeat nunc tanti muneris solicitudo in hac turbulentissima tempestate, in qua Christianam patriam spumantem hæresibus cernimus. Prophana viget libertas: terra scatet scandalis, scelera perpetrantur innumera. Divinus cultus perfidiæ rubigine labefactatur: sacra prophanantur loca: religio corruit, ac crucis Christi inimici sacrosanctæ ecclesiæ montem tangere minime verentur, ac si qui hunc tetigerit montem, non sit lapidibus obruendus. Nonne vulgus, utpote vulgares homines, ne propius accedant, prohibentur a domino? Contendite igitur manus ponere adjutrices, extrema quævis pericula pro hujus montis indemnitate minime subire timete: ut sit paratus mons ecclesiæ in vertice montium: sit domus Dei, domus regia, domus quæ in cunctis nominetur nationibus: ejusque cultores in Christianam mutentur metamorphosin: Ex peccatoribus in resipiscentes: ex carnalibus in spirituales: ex hominibus in Deos per gratiam, ut posthac possint frui eo in gloria. Ad quam nos perducat Christus optimus maximus, Amen.

DIXI.

LXXXIV.

ORATIO IN SACROSANCTO *œcumenico concilio Tridentino coram patribus in dominica tertia quadragesimæ, per reverendum magistrum Angelum Ferrum Venetum theologum, ordinis fratrum Eremitarum sancti Augustini habita.* MDLXII.

Ego illustrissimi ac reverendissimi hujus sacrosancti œcumenici concilii præsides, in hunc ornatissimum dicendi locum meorum majorum mandato, de hodierna evangelii lectione verba facturus accessi: verum quia tanto oneri me imparem esse intelligo, Christum dominum nostrum, qui hodierno die muti linguam solvit, precabor, ut & quæ dicturus sum mihi suggerat, & labia mea aperiat, quo præsentis evangelii mysteria contemplari, atque explicare valeam: quem pro sua clementia, ac pietate, qua dat spiritum bonum petentibus se, facturum non dubito. Idcirco oratos vos velim, ut ad me audiendum benignas aures, ac propensum animum afferatis. *Erat* (inquit evangelista) *Jesus ejiciens demonium, & illud erat mutum.* Homo (amplissimi patres) inter corporales ac visibiles creaturas præstantissimus statim ut peccavit, mox justo Dei judicio potestati satanæ traditus est, qui non solum

Luc. 11.

ANNO CHRISTI 1562.

lum illum tentare, sed quod gravius est, in varias ac pernicioſas admodum tentationes inducere conatus est, præterquam quod etiam multis corporalibus morbis atque incommodis illum ipsum affecit, & oneravit. At Deus illius commiseratione ductus, incredibili pietate illum sanando ad se revocavit: in plenitudine tamen temporis, hoc quam maxime feciſſe legimus, cum Deus per Christum brachium virtutis suæ hominem suis numeris absolutum reddidit, eum ab omni morborum genere purgando, tum corporis, ad manifestandam gloriam Dei in illo: tum animæ, ad ejus salutem, quæ omnia ab evangeliſtis gestorum Christi piis ac fidis scriptoribus videre licet. Uno tamen admiratione digno contenti erimus, quod quidem quasi ob oculos hodierno die ab evangeliſta nobis proponitur. Nam hominem diaboli opere mutum effectum, mox cunctis audientibus loqui fecit.

At tanti ac tam admirabilis operis magnitudine, humiles turbæ stupore quodam confectæ admirari cœperunt, & fortasse parum aberat, quin ipsæ turbæ crederent. Superbi vero & arrogantes Scribæ, & Phariſæi cœca invidia exagitati, Christi admirandum, & nunquam antea auditum factum, ne turbæ crederent, glorioſiorque Christus inde appareret, calumniari, ac obscurare conabantur. Proinde hoc præclariſſimum factum maxima admiratione dignum, in auctorem diabolum invidi referre nituntur, dicentes intra se: *In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia.* Unde in illos quod regius propheta cecinit commode dici potest: In medio juventutis tuæ *mentientur tibi inimici tui*. Quid mirum, quod superbi & arrogantes Judæi hoc faciant, quando ad credendum superbiam atque invidiam impedimentum semper extitiſſe nemini divinarum literarum studioſo obscurum est aut dubium? Inquiunt enim præstantes ac pii interpretes: Quomodo Eva communis omnium mater diabolo credidiſſet, niſi ante in mente ejus præceſſiſſet elatio? Et veritas Christus nonne Judæos de incredulitate arguens, cur etiam illi ipsi credere non possent ostendens, dicebat: *Quomodo poteſtis credere qui gloriam ab invicem accipitis?* At Christus dominus noster, cogitationum omnium noſtrarum inspector, qui novit *cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt*, quique in mundum venerat, ut veritati testimonium perhiberet, miraculi veritatem a Judæis obscurari non est passus, sed Judæos ipsos cum suæ falsitatis, tum impietatis duabus validiſſimis rationibus convicit.

Psal. 65.

Joan. 5.

Psal. 93.

Una sane quæ ab hominibus assidua verborum consuetudine dici solet: nam in ore omnium trita est vetustate sententia: Concordia parvæ res crescunt, discordia maximè dilabuntur. Idcirco Christus dominus noster, qui comprehendit sapientes in astutia sua, Judæos suæ falsitatis convincere volens, ait: *Omne regnum in seipsum diviſum deſolabitur*. Quæ enim domus tam stabilis, quæ tam firma civitas, quæ non odiis & diſſidiis brevi possit everti? Cum vero regnum satanæ maneat, manserit, & posthac mansurum sit, diviſum non esse perspicuum est: quod si diviſum non est, quonam pacto perditorum hujuſmodi spirituum alterum alteri, quo ex corporibus obsessorum hominum illico exeat, vim facere possit non video.

Luc. 11.

Alia ratio adversus Judæos hæc est. *Si ergo in Beelzebub principe dæmoniorum ejicio dæmonia, filii veſtri in quo ejiciunt?* Hoc est, exorciſtæ ad expellendos dæmones sub Davide & Salomone inſtituti, in quo ejiciunt, dicite mihi? Vel secundum alios: apoſtoli a gente veſtra ortum habentes, discipuli vero mei, quos ejicere dæmonia videtis, in quo ejiciunt? Qui si in Beelzebub principe dæmoniorum ejicerent, atque ipsos fugarent, ergo majorum veſtrorum pia ac sancta inſtituta reprehenditis, quod si non in Beelzebub, sed in Dei virtute illi hoc faciunt, cur, in dæmonis virtute mihi hoc crimini datis, & non aperte potius me eadem virtute id effiecere, quod exorciſtæ, vel apoſtoli mei facere consueverunt, omni livore depoſito confitemini? His sane rationibus infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum.

Tandem in majorem Judæorum confusionem, Mulier quædam, quæ dominum disputantem cum Judæis ac differentem jam audierat, miraculique magnitudine permota, quam sane veluti infirmam ad confundendum fortia Deus elegerat, non Phariſæorum auctoritate perterrita, sed Spiritus sancti veritate illuſtrata, eorum temeritatem coarguit, & quo ejus prædicatio de Christo facilius ab omnibus audiretur, extollens vocem, Christum dominum noſtrum, quem Judæi calumniis deprimere quærebant, divino numine afflata, vere summis laudibus extulit. Illi namque Christum quasi fœdus cum diabolo iniiſſet criminabantur, quod quidem Deo optimo maximo execrabile semper admodum fuiſſe divinarum literarum monumenta testantur. Nam scriptum legimus, *Magos & ariolos non patieris* vivere. Hæc vero mulier Christum non cum diabolo fœdus iniiſſe prædicat, sed longe aliter rem se habere ostendit. Nam Christum eo beatiorem, quo nihil beatius esse potest, appellat, propter quem venter, qui illum gestaverat, beatus quoque diceretur.

Ampliſſimi patres, cum omnia quæ scripta sunt ad noſtram doctrinam scripta sint, Christum igitur dominum noſtrum veritatis omnis auctorem ac magiſtrum, vos universi, quos Spiritus sanctus poſuit episcopos regere eccleſiam suam, qui eodem Spiritu sancto duce huc veniſtis, omni qua poteſtis ratione imitari oportet. Nam quemadmodum veritatis magiſter Christus veritatem a Judæis obtenebrari seu conculcari (quemadmodum evangelii lectio plane nobis ostendit) non est paſſus, sed hanc ipsam oppugnantibus Judæis in faciem semper reſtitiſſe, scriptum legimus. Nam adverſus Sadducæos de reſurrectione prave sentientes, sacris scripturis in medium allatis, quas eos ignorare, neque intelligere dicebat, suæ impietatis convicit: earumdem sacrarum literarum dictis atque sententiis eosdem, quomodo ille ipse esset filius Dei non credentes, quoniam David illum ipsum dominum appellat, publice superavit. His igitur rationibus, quas paulo ante commemoravimus, Judæis in Spiritum sanctum dire blaſphemantibus, Christus est adverſatus. Ita & vos (patres ampliſſimi) peſtilentem hæreticorum doctrinam, quorum nequitiæ virus in dies longius serpit, quibus undique vallati sumus (nam malum hoc jam villas, civitates plurimas, provincias, & quod vobis omnibus tanquam catholicæ veritatis defenſoribus maxime terrori esse debet, proh dolor! regna occupavit) hanc itaque peſtilentem doctrinam sacrarum literarum monumentis, plenariorumque conciliorum, quorum est in eccleſia saluberrima auctoritas, sanctorum quoque veterum patrum teſtificatione, & piis univerſalis eccleſiæ

ANNO CHRISTI 1562.

consuetudinibus, nec non rationibus, atque exemplis imitatione dignis, & quod omnium maximum est atque præcipuum, optimo vitæ exemplo, ut dictis facta concordent, penitus confutetis, atque zizania ista, quæ pastoribus dormientibus inimicus homo superseminavit, vobis vigilantibus radicitus evellite, ecclesiæ supra quam dici potest fluctuanti, & quasi periclitanti subvenite, ut quiescat aliquando ab universis ferme hæresibus tamdiu vexata mater ecclesia.

Ut vero hoc commodius faciatis, procul absit ab animis & cogitationibus vestris omnis vestri commodi ratio, tantum Dei timorem atque honorem, necnon sponsæ Christi ecclesiæ pacem præ oculis habentes, omnem vestram cogitationem in tutanda catholica veritate, a qua omnis salus proficiscitur conferatis, quidvis potius perpessuri, quam tam pium, necessarium, salutareque ecclesiæ negotium deseratis. Ad hoc enim huc venistis, ut vestra omnium diligentia ac sollicitudine opera diaboli dissolvantur, quorum præcipua hæreses sunt, & schismata. Non minoris esse auctoritatis hoc præsens Tridentinum concilium, quam alia plenaria concilia unquam fuerint, cogitetis. Quorum conciliorum patribus in illis ipsis considentibus adversus hæreticos, qui *malitiæ velamentum*, ut ait apostolorum princeps, *libertatem habentes*, catholicam veritatem Spiritus sanctus, Spiritus veritatis revelavit. 1. Petr. 2.

Quibus plenariis conciliis celebratis, totius ecclesiæ paci optime consultum fuit, donec diabolus, pacis inimicus, novas hæreses, vel jam damnatas, justo, occulto tamen nobis, fortasse judicio permittente excogitasset, vel excitasset. Quas etiam Deus optimus maximus rerum omnium providos esse non fineret, nisi in ecclesiæ utilitatem eas facile vertere posset. Quemadmodum Joseph a fratribus venditus jam vita functum existimantibus dixit: *Cogitastis de me malum, sed Deus vertit illud in bonum*. Ita hæreticorum occasione excitantur studiosorum ingenia, divinarum literarum loca elucidantur. Unde post hæreses magis quid ecclesia teneat patet, præterquam quod electi a Deo fideles tententur, probatique magis inveniuntur. Unde beati tunc sunt, qui non fuerint scandalizati in doctrina Christi, quorum plenariorum conciliorum auctoritati ac judicio omnes stare debent, neque cuiquam absque suæ salutis periculo pertinaciter refragari, ac temere contradicere licet: nam qui ecclesiam (quam sacrosancta plenaria concilia repræsentant) non audierit, tanquam ethnicus & publicanus habendus est. Quorum conciliorum auctoritati tantum majores nostri ac sancti viri detulerunt, ut nunquam adversus illa vel scripsisse vel aliquid dixisse inveniantur. Gen. 50.

Quid de Nicæno concilio divus Ambrosius dicat, legatur, qui verbis apostoli ad Romanos alludens ait: Quis me separabit a fide 318. patrum Nicæni concilii? & quæ sequuntur. Quid Augustinus, Basilius, Hieronymus, & alii de plenariorum conciliorum auctoritate dicant, veritatis catholicæ inimici attendant, quorum patrum non sunt digni solvere corrigiam calceamenti. Quid S. Gregorius ecclesiæ Romanæ præsul de quatuor generalibus plenariis conciliis dicat, advertant, quæ non secus ac quatuor evangelia veneratur. Romanæ quoque ecclesiæ detrahere cessent, de qua beatus Ambrosius loquens ait: In omnibus cupio sequi Romanam ecclesiam: De qua beatus Augustinus ait: Semper in catholica ecclesia apostolicæ sedis principatus viguit. Quantique ille ipse tantus doctor summi Romani pontificis auctoritatem in hæreticos confutandos fecerit, epistolas ipsius legant.

His igitur rationibus, solida fide ac firma in Deum spe animati, jam cœptum Dei opus perficere, & ad optatum finem perducere contendite; Christo enim domino nostro in medio vestri posito, nihil erit quod arduum vobis sit, atque difficile: in eo sane facietis virtutem, & in lumine ejus videbitis lumen. Namque fidelis est qui dixit: *Ego vobiscum sum, usque ad consummationem saculi*. Fidelis est, qui dixit: *Ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum usque in æternum*. Fidelis est qui dixit: *Nolite timere, ego vici malignum*. Non hæsitemus igitur diffidentia, sed confortati solida fide, ac firma spe, plenissime sciamus, quia quæcumque promisit Christus, potens est & facere. Est enim ille fortis armatus, qui intrabit in domum fortis, & alligabit fortem, armaque ejus aufert, atque spolia distribuit. Sed quid nonne novorum inventores eodem fere argumento, quo Judæos ipsos hodierno die Christus revicit, revincuntur & ipsi? An non illi ipsi inter se divisi atque contrarii? Eorum igitur doctrina nullatenus extare poterit. Nam Spiritus veritatis, qui est Deus pacis, illic esse non potest. Quæ tamen omnia ut facilius, celeriusque fiant, a Deo optimo, maximoque petenda sunt. Tsal. 35. Matth. 28. Joan. 14. Joan. 16. Luc. 11.

Vos igitur, patres amplissimi, mysteriis divinis contemplandis atque examinandis, aliisque a vobis ad universæ ecclesiæ statum pertinentibus decernendis, non viribus vestris fidentes, sed orationibus, jejuniis, aliisque piis operibus veritatem catholicam invenire, reliquaque recte disponere satagite. Hæc una est habendæ ac inveniendæ catholicæ veritatis via: neque hoc solo contenti esse debetis, verumetiam quantum in vobis est, lucrari fratres vestros, qui de recta via deflexerunt, laborate. Omnes vias persequamini, quibus eorum saluti consulatur. Itaque a beneficentissimo Deo precibus contendite, ut convertat corda patrum in filios, aperiatque illis ostium cordis, & ad se animum ac malam denique mentem revocet, ne amplius mendacio fidem adhibeant, sed majorum suorum piam atque catholicam fidem, ab illis diu integram atque inconcussam retentam, quam paucis abhinc annis a diabolo suggerente seducti miseri deseruere, in se reversi Deo inspirante amplectantur, & colant: & nox eorum sicut dies illuminetur, sicut tenebræ ejus, & lumen ejus.

Ad vos vero in hoc sacro concilio, illustrissimi & reverendissimi apostolicæ sedis legati, pro muneris vestri ratione maxime pertinet, universos hujus sanctæ synodi patres in vinculo pacis retinere, nihilque in hoc ipso tempore quo hæc sancta synodus celebrabitur, dici aut fieri permittere, quod ejusdem dignitatem, seu existimationem imminuere, vel eorum qui foris sunt corda, quo suis erroribus tenacius inhæreant, concitare possit, quin potius contradicentium (ut ita loquar) animi feritas aliquando mitescat, seu eorum cordis duritia emolliantur. Tunc enim apud vos fortasse, non apud se Christum dominum nostrum, atque catholicam ecclesiam esse intelligent, excussumque Romanæ seu catholicæ ecclesiæ jugum ingenti gaudio denuo recipient. Quod si hoc vestra opera, ac diligentia fiet, clementis-

ANNO CHRISTI 1562.

mentissimi Dei, qui vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, voluntatem facietis, ac sanctissimi Pii quarti pontificis maximi, cujus hic vices geritis, pium, sanctumque propositum implebitis, ac omnium tam absentium catholicorum principum, quam omnium qui hic adsunt, opinioni, atque summæ expectationi respondebitis, tam digni operis vestri copiosam mercedem a Deo optimo maximo omnium bonorum largitore accepturi.

LXXXV.

QUOD NON SIT LAICIS *Calix permittendus.*

ORATIO AD SACROSANCTAM *synodum Tridentinam. Authore Gaspare Cardillo Villalpandeo Segobiensi, doctore Theologo.* MDLXII.

Scio ego, illustrissimi & reverendissimi legati, sanctissimique patres, neque culpa, neque reprehensione vacare eum interdum solere, qui minime illud requirentibus consilium præbet: tum maxime cum ii quibus consultum volumus, præstantissimarum artium notitia, pietate, consilio, & multarum rerum usu clari sunt, qualem unumquemque vestrum esse, omnes plane & agnoscunt, & fatentur libenter. Nam etsi non sus Minervam, (ut est in proverbio) inepte (ut ille ait) quisquis Minervam docet: Vestra tamen humanitas, atque animi candor, quæ multis faciunt animum ad dicendum: deinde studium vestrum, & accurata diligentia, ad exquirendam aliorum sententiam, cum qua vestram conferatis: ut ea ratione quod optimum est, & ecclesiæ Christi convenientissimum, intelligere atque amplecti possitis: præterea Christiani hominis, sacerdotis, atque theologi officium, a quo me non omnino abhorrere aperte confiteor: demum persona illa, quam in hac sancta synodo sustineo, dum vicariam operam nuvo amplissimo episcopo Abulensi, hortantur me, ut, quod de quæstione proposita sentio, exponam breviter, atque illud vobis sanctissimi Patres renuntiem. Quod dum efficimus, non tam vobis consilium damus, cujus admodum estis locupletes, quam ut memoriam vestram refricemus, negotiis aliis, curisque impeditam, gravemque. Tametsi enim nos ingenio, judicio, literis, atque prudentia parum valeamus, audemus tamen, divina Christi Jesu (cujus negotium agimus) ope freti, candide atque ingenue animi nostri sensa depromere, atque exprimere dicendo, non ignari sæpenumero ita evenire, ut vel olitor satis loquatur opportuna.

Hoc onere quod subimus modo, facile quidem levaremur, si, cum est de usu eucharistiæ publice, in conspectu vestro, a theologis disputatum, orationem, more ceterorum, habere potuissemus: sed quando adventus nostri ex Hispania in hanc civitatem tarditas dicendi nobis opportunitatem eripuit, ne feratis, obsecro vos, iniquo animo patres, ejus hominis scriptam sententiam diligenter inspicere, quem vestra consuetudine, intentis animis coram differentem de hac ipsa quæstione simul cum ceteris, si in tempore Tridenti adfuisset, eratis audituri: neque enim tam nullius pretii, neque tam omnibus obvia atque exposita ea quæstio est, quam vestris ingeniis in præsentia exercetis, ut pœnitere vos unquam jure possit impensæ illis legendis operæ, quæ de eadem domi theologi meditantur officio pietatis impulsi, & charitatis studio ducti, primum quidem erga sanctissimum istum, atque numeris omnibus absolutum ordinem vestrum: deinde erga ecclesiam Romanam, charissimam Christi sponsam: quam cum cernamus, neque sine summa acerbitate atque animi dolore, indiguis & miseris modis ab impiis hæreticis dilacerari atque discerpi, qua parte possimus, debemus eidem opitulari.

Quis est enim tam temere audax, usque adeo consilii atque rationis inops, qui non videat magnum adversus Christianam religionem momentum in ea re situm esse, si contra quam par sit & ratio postulat, Germanis, aliisve privatis quibusdam nationibus, vestris decretis (hoc est, ecclesiæ universalis judicio) liberam facultatem faciatis bibendi calicem, quem antiquitatis consensu, gravibus & doctis rationibus, lata lege, laicis olim, & sacerdotibus, qui eucharistiam non conficiunt, ademeratis. Prius igitur quam de re quidpiam statuatis patres, diligenter eamdem, quemadmodum cœpistis, quæso animadvertite: ne, si negotio confecto, aliter quam velitis res accidat, (quod avertat Deus) sera sit pœnitentia: magno etenim opere occurrendum est vobis, patres, illi morbo, qui si semel contractus sit, aut curari difficile possit, aut facile in alios contagione sævire. Ne vos tamen ultra quam satis est, oratione mea suspensos tenens, in publica commoda, quibus procurandis occupati estis, peccare videar, quanta maxima possim brevitate, de re proposita sententiam dicam, atque ita dicam, patres, ut illam judicio vestro perinde atque me, subjectam esse libentissime feram, & studeam.

Quæstio illa quæ perplexos, atque ancipites animi multos tenet eventus expectatione (sit ne laicis, & sacerdotibus non facientibus sacra, calix porrigendus) cum proximis superioribus diebus (quod vos probe nostis) ferventiori quorumdam studio agitari cœpta sit, admirabili quadam providentia, aut divino potius consilio, omnium ferme calculis missa facta est, atque in commodius (ut dicebatis) tempus rejecta: hanc eamdem quæstionem patres, in medio cursu aliarum gravissimarum rerum hoc temporis articulo sunt qui revotent, atque urgeant tam magnis conatibus, tamque impotentibus animis, ut suspicari liceat non tam eos solicitos esse, ne vos quidpiam contra dignitatem vestram, atque auctoritatem sacrosancti œcumenici concilii admittatis, quam ut ipsi festinatione suscepta voti compotes evadant. Quod si nullum aliud nobis argumentum superesset (quæ multa quidem & potentissima sunt) ad persuadendum de hujusmodi quæstione amplius tractandum non esse, neque movendam rursus hanc Camarinam.

Illud unum magnam abunde fidem facere possit, quod eam, non suo tempore, vestris suffragiis definiri hujus negotii architecti atque patroni postulant. Neque enim vos latet, in quavis quæstione, ad quam definiendam consilio opus est, magni in utramque partem temporis rationem momenti esse. Nunc vero qui intempestive, hoc est, alieno tempore, atque una cum aliis gravissimis, & præstantissimis quæstionibus controversiam hanc poscunt a vobis dirimi, deliberandi ansam infringunt, & libere cogitandi facultatem eripiunt: neque enim tam exiguo tempore, & tot ac tantis negotiis impedito, ingenii lumen

atque

ANNO CHRISTI 1562.

atque animi vis, qua plurimum ad difficillimam controverſiam dirimendam indigemus, exerere ſe ulla ratione poteſt: neque illuſtre aliquod veritatis veſtigium apparere, quam ſummi philoſophi in profundo demerſam eſſe in ſcriptis ſuis nobis reliquerunt. Fit enim ita poſtulante natura, quæ nobis animum anguſtum fecit, ut dum multa minamur, feriamus recte nihil: atque agitantibus multa, procedat parum. Huc accedit, quod rerum uſque adeo diverſarum confuſio, atque ordinis, ex quo cuncta bene procedunt, perturbatio, cum non aliunde, quam ab omnium malorum artifice, atque ſatore diabolo, qui rerum, quæ a nobis ordine & ratione geruntur, capitalis imprimis hoſtis eſt, ortum habeat, quo pacto boni cujuſpiam cauſa eſſe poſſit, non ſatis intelligo.

Timeo enim graviter, patres, ne dum parum opportune quæſtionem minime neceſſariam diſcutere in animum inducitis, non modo cetera negotia deſeratis, de quibus his diebus agere cepiſtis, & quibus expediendis dixiſtis diem, ſed (quod ego non ſine lacrymis meminiſſe poſſum) re infecta, ſanctiſſimi iſti eccleſiæ conventus diſſolvantur: nam qui uſque adeo enixe, & quodammodo contentioſe dant operam, ut calicem Germanis, atque aliis quibuſdam nationibus, minime illum fortaſſe poſcentibus porrigatis: ubi quod tantopere laborant, ſe minime conſequutos viderint (quod ego vehementer cupio, & futurum ſpero) præ animorum impotentia quam dejecti ab ſpe inducere atque gerere ſolemus, in illud unum totis (quod ajunt) nervis intendent, ne ſacroſancta comitia veſtra univerſi orbis Chriſtiani ardentibus deſideriis, crebris ſuſpiriis, maximiſque veſtris laboribus atque ſumptibus coacta longius procedant: quod ſi fiat, non fiet ſane ſine ſummo dedecore, atque ignominia veſtra, patres, neque ſine reipublicæ Chriſtianæ detrimento, quæ in hac ſancta ſynodo univerſam ferme ſpem ſuæ ſalutis collocavit. Sed tu ſumme Deus, ſingularis, atque unice Chriſtiani cœtus patrone, teterrimam iſtam peſtem terris averte.

Non obſcura, neque ignota vobis, patres, narro, vos hujus ſententiæ meæ teſtes appello, qui propriis illam vocem auribus in publica concione hauſiſtis: niſi hanc rem procurantibus mos geratur, non poterit fortaſſe concilium habere fœlicem exitum: quorſum vero hæc infauſta, feraliſque vox pertineat, ſcitis patres: & quid portendat, ſcitis. Ceterum cum vobis hac in re, perinde atque in ceteris omnibus, quæ ad ſuſcipiendam, tuendamque religionem ſpectant, parere principes debeant, reges, atque imperatores: cum vos ipſi reliquis omnibus leges præſcribere, atque jura dare debeatis, non accipere ab aliis: cum minime occaſiones temporum ignoretis, gerendis rebus eccleſiæ pro dignitate accommodatas, convenienteſque: Sumite, obſecro, atque obteſtor vos per Deum immortalem patres, concilii capiendi, deliberandique de re uſque adeo gravi tempus idoneum. Et quando impræſentiarum multarum aliarum numero rerum, pondereque ſatis oppreſſi eſtis, futuram aliquando opportunitatem expectate: quod ſuperioribus proximis diebus prudenter admodum facere cœperatis: ſuppetet illa vobis, cum reliquis id genus curis, negotiiſque fueritis expediti.

Quod ſi vos ſuſceptam jam, atque in conſultationem adductam nuper de hac re diſputatio-

nem, niſi ea plane abſoluta ſit intermittere parum decorum putatis, excutite, ſi placet jam veſtris humeris moleſtum hoc jugum, atque vos ſuſpendio iſto tandem liberate: Ita tamen liberate patres, ne vitalem Chriſti ſanguinem profundi quiſpiam poſſit cum ratione putare: quod nullo negotio conſequemini, ſi nemini calicem alteri propinaveritis, niſi qui concilii Conſtantienſis & Baſileenſis decreto, quod vetus firmavit conſuetudo, illum hactenus biberunt. Tametſi enim vobis integrum ſit, vetuſtam hanc conſuetudinem de medio tollere, & ſi velitis, penitus abrogare, qui una cum Chriſti ſanguine, reliquorum etiam myſteriorum ab eodem miniſtri & diſpenſatores eſtis conſtituti: ita tamen altiſſima eccleſiæ myſteria a Chriſto Jeſu ſervatore noſtro edocti, juſſique diſpenſare debetis, ut fideles decet diſpenſatores: tales autem nuſquam eritis, niſi gravis imprimis cauſa ſit, quæ id facere jubeat, & quam interroganti intrepide ac ſine rubore poſſitis reddere.

Ego vero ſic exiſtimo, patres, non ſolum nullam legitimam cauſam eſſe, ſed neque fingi poſſe, cur de conſenſu veſtro calicem laici bibant: plurimas autem ſupereſſe, quibus ſi rem accurate atque ad amuſſim expendatis, facile doceri poſſitis, perſuaderique, antiquum ut morem Chriſtianæ reipublicæ veſtræ retineatis: neque pati ullo modo velitis ab eo quempiam diſcedere latum unguem. Has in præſentia vobis commemorabo patres, ne ſi ruſticano pudore impeditus taceam, officio quod eccleſiæ debeo, defuiſſe videar: vos illas admirabili judicio veſtro, & prudentia pene divina diligenter conſiderate, atque excutite: hinc autem ut oportet initium ſumam.

Si calix ullis eſt hominibus a vobis hoc tempore porrigendus, aut is eſt porrigendus hæreticis, aut fidelibus, nihil eſt medium: neutri tamen veſtra auctoritate concedi debere aut poſſe, graviſſima multa incommoda, quæ utramvis ſententiæ partem conſequuntur, plane atque aperte declarant: & præterea probabilis ratio nulla ſupereſt, qua facere jubeamur. Etenim qui Romanæ eccleſiæ obtemperant, neque cauſam, neque rationem ullam habere mihi videntur, qua adducti calicem a vobis petere poſſint, niſi ſibi perſuaſerint, minime ſub alterutra ſpecie Chriſtum integrum contineri, aut verum euchariſtiæ ſacramentum non eſſe, aut denique ulla quantumvis exigua gratia deſtitui nos, dum alteram tantum ſpeciem ſumimus, quæ ſit ad ſalutem homini neceſſaria: quem dum nimium impotenter calicem expetunt, animum prodere proculdubio videntur: ſed hos ſcrupulos vos ipſi jam patres ſanctiſſimi condita lege, proxima ſeſſione omnium animis exemiſtis, ut concilia duo generalia prætermittam, Conſtantienſe & Baſileenſe, in quibus de re eadem decretum eccleſia confecerat: tanti vero apud nos (modo pie, Chriſtianeque ſimus inſtituti) eccleſiæ auctoritas, & caritatis opinio valere debet, qua nos illa ſemper, tanquam piiſſima mater liberos, tenerrime proſequuta eſt, noſtraque commoda procurat, ut poſthabito, atque abjecto procul quocumque affectu, quem fortaſſe nos erga calicem hunc temere admodum induimus, gerimuſque, illi uni nos atque omnia noſtra ſubmittere: illud velle unum, quod illa vult: illud optimum putare, quod optimum illa ducit: ſuſpectamque habere ſententiam noſtram, quæ non ex obedientia eccleſiæ orta ſit, & ortam jam continuo deſerere debeamus. Nunc vero contra videntur facere, qui nimia

ANNO CHRISTI 1562.

ANNO CHRISTI 1562.

(ut ajunt) cupiditate atque affectu erga calicem ducti, præ impotenti quadam siti vel illum bibunt ecclesia repugnante, vel usque adeo studiose, perditeque calicem ambiunt, ut nullis rationibus, nulla lege, nulla (licet antiqua) consuetudine persuaderi queant, ut ejusdem obliviscantur. Nulla igitur (ut dicebam) honesta causa reddi potest, propter quam qui fideles sunt, receptam diu consuetudinem ecclesiæ labefactari velint, & suppetunt efficaces rationes multæ, cur alterutra specie contenti esse debeant.

In primis, quoniam illud nobis ecclesia præcipit, ut alteram tantum speciem laicis porrigamus, atque insuper ut altera tantum laici sint contenti: cui merito obtemperandum nobis est: quia nihil agit sine magna ratione, B nihil statuit quod honestum non sit: nihil, quod bene institutis probari non debeat, decrevit unquam: neque in hujusmodi legibus ferendis errare potest. Deinde si latam legem, quam plurimis retro annis consuetudo jucundissimam effecerat, nulla evidenti necessitate convellatis, patres, suspicari multis in mentem veniet, aut vos illam temere, nulloque consilio tulisse olim, suscepisseque: aut susceptam cum ratione, & servatam diutissime in Christiana republica nulla vel causa vel ratione pro nihilo ducere: quo nihil fingi potest gravitate vestra, aut hujus amplissimi ordinis majestate magis indignum.

Generalis præpositus Franciscanorum, & societatis Jesu, & Petrus Soto.

Accedit ad hoc, quod, ut nobis locupletissimi C testes, atque omni exceptione majores retulerunt, qui plurimis Germanorum (cum in Germania agerent) familiariter usi sunt, qui eo loci per omnia obediunt Romanis pontificibus, non solum calicem vitæ non cupiunt, aut petere audent, sed, quod maxime mirandum est, constanter affirmant, nihil se tam indigne laturos esse, quam si contra servatum diu in republica Christiana morem, pontifex maximus, vel sancta hæc synodus de calice bibere sinat: ut suspicio sit, hunc ipsum, quem plerique tantopere jactant affectum, discessionis ab ecclesia argumentum esse potius, quam ejus charitatis, quam erga ineffabile hoc eucharistiæ sacramentum gerere se simulant.

Hanc opinionem probabilem superioribus rationibus, longe probabiliorem facit auctoritas, & doctrinæ opinio confirmata longo usu rerum, quorundam episcoporum Germanorum, qui de hac ipsa quæstione in publica concione vestra illam sententiam dixerunt, nihil minus expedire, quam ut Germanis, hominibus nationis suæ, negatus hactenus calix permittatur. Cum enim prudenter admodum (ut par est) in eorum mores inquisierint, ingenia probe norint, rationem vitæ diligenter inspexerint, conatus denique omnes ad unguem sint perscrutati, nisi ratio aliud & pietatis officium poscret, non difficile horum episcoporum animos atque studia patriæ caritas incendere, inflammareque po- E tuisset, ut suis hac parte hominibus consulerent. Quod si negatus laicis calix compendium aliquod rei familiaris, honorisve, pontifici maximo, ecclesiæ præsulibus, aut denique ullis sacerdotibus adferre posset, haberent fortasse qui ecclesiam Christi hoc nomine reprehendunt, occasionem aliquam existimandi, maligne a nobis, & quæstus proprii spe calicem surreptum fuisse: modo cum nihil simile dicere aut putare queant, ob eam rem maxime quod eumdem neque sacerdotibus permittamus, nisi cum Christi munere in postrema cœna fungentes, Deo optimo maximo in missa exhibent sacrificium: ad cujus naturam atque substantiam illud pertinet necessario, ut Christum sub utraque specie offerant, atque sumant. Dubium sane non est, quin hujusmodi calicis amatores, vitio potius quam justa ulla, honestaque occasione hoc titulo ecclesiam Christi traducant, atque suggillent.

ANNO CHRISTI 1562.

An non illud vidistis, patres, si Germanis, aut privatis aliis nationibus calicem concedatis, esse continuo eumdem Italis, Hispanis, atque universe piis omnibus bonis porrigendum? quos consentaneum est, pari aut majori potius cum Germanis studio & pietatis affectu sanctissimum eucharistiæ sacramentum colere, venerarique? Quis enim sibi possit persuadere, si vos calicem uni aut alteri provinciæ permittatis, non protinus eumdem ceteras omnes summa cum ratione petituras, daturosque vos illis? nisi schisma velitis in vestra ecclesia excitari, atque scissuram fieri in Christi corpore: rem sane perniciosam, exitialemque. Quod si iniquum existimatis Hispanis calicem propinare, Italisque parum de hac re solicitis hoc tempore, quorsum illum bibendum reliquis nationibus offeretis? Neque modo, si his hominibus calicem porrigatis, ea incommoda consequentur, quæ numerata sunt a me, sed alia insuper longe graviora.

Pergent enim iidem, credite mihi, eadem arte, urgebuntque vos, aliis ut in rebus ipsorum similiter voluntati morem geratis: quod vestro in conspectu, habita publice oratione, quidam istorum patroni zelo permoti (ut puto) significaverunt: nam præter calicem quem deberi sibi horum plerique divino jure existimant: a qua opinione non facile se abduci posse plane testantur, sacerdotium maritis petunt, & concionandi facultatem efflagitant illis viris, qui nullis sacris ordinibus sunt initiati: contra Christianam œconomiam, contra morem ecclesiæ vestræ, contra summorum pontificum decreta, contra sanctissimas leges in conciliis generalibus latas, denique contra jus omne atque fas. Hæc enim non tam arcto legum Christianarum vinculo D constare credunt, & pari ratione necessaria arbitrantur, clamantque, ut suos in officio retinere queant, neque facile res novas moliantur, atque ad defectionem aspirent. Ita fiet, ut laxatis semel solutisque institutis, legibusque Christianis, magna ad contemptum ceterorum omnium fenestra patefiat, & universa disciplina Christiana sensim remittat vires, atque labascat.

In oratione oratoris Bavariæ ducis, quæ omissa est in hac collectione. Parisiis autem anno 1563. & sæpe alias postmodum in lucem edita, ut suo loco monebimus.

Præclare, mea sententia, Aristoteles diligentissime cavendam esse præcepit omnem mutationem legum, ne, ut ait, reipublicæ disciplina corruat labefactata, atque homines assuescant legibus non obedire. Ferendum autem vobis, patres, non est ulla ratione, hujus legis observatione, quam vel solum nomine, quod a vobis condita sit, omnes saluberrimam putare debent, & reipublicæ vestræ necessariam, Christianos homines ab hæreticis superari, qui more suo, divina omnia atque humana jura pervertunt. Atqui scimus ex historiis, Anglos, hæreticam gentem, cum primum ab ecclesia discesserunt, passos non fuisse, ut populus, more sacerdotum, eucharistiam sub utraque specie sumeret: quinimo nova lege lata, antiquari de hac re priscam ecclesiæ legem prohibuerunt. An vos unquam æquo animo feretis, patres, turpem illam macu-

Robertus Pontanus libro 4. rerum memorabilium.

ANNO CHRISTI 1562.

maculam atque notam ſacroſancto œcumenico concilio inuri, quod contra morem vetuſtæ in eccleſia diſciplinæ, contra ſanctorum patrum exempla, contra ſynodorum inſtitutionem, abrogatione ſaluberrimæ legis judicio eccleſiæ conditæ, & magno antiquitatis conſenſu comprobatæ, velitis hæreticos homines ab errore revocare, quem non deſerent, credite mihi, plurima licet alia concedatis eiſdem: aut retinere in eadem diſciplina orthodoxos, qui diligentiſſimi legum veſtrarum, & morum eccleſiæ cuſtodes eſſe debent ſine murmuratione, & qui dum eccleſiæ ſtatutis non plane acquieſcunt, manifeſtæ defectionis a vobis indicium præbent.

Minime ſane puto, neque id uſque Chriſtus pati poterit, qui matrimonio ſibi junxit eccleſiam, pulchram, immaculatamque: addo præterea, ſi calicem his hominibus, qui ſe fideles profitentur, porrigatis, tantum abeſſe a judicio meo, ut eoſdem arctius in officio religionis impoſterum poſſitis continere, ut liceat potius exiſtimare hac una re, veluti initio ſumpto, eoſdem occaſionem reperiſſe, ab eccleſia catholica diſcedendi: quod unum quidam veſtri ordinis pietate atque literis inſignis, in ſcriptis ſuis admodum prudenter animadvertit. Quorſum enim tanta contentione calicem a vobis exigant, quem vos illis ſimul cum ſanctiſſimo Chriſti corpore ſub ſpecie panis porrigitis, cauſam nullam video, niſi ut ſeparationis anſam habeant, decreta veſtra contemnant, conciliis repugnent, atque eccleſiam Chriſti diſcant non audire:

Reverendiſſimi cardinalis Pharmienſis de communione ſub utraque ſpecie, & contra Brentium.

Hactenus quidem, ſanctiſſimi patres, uſurpatus a quibuſdam, aut potius contra eccleſiæ Romanæ legem per vim reptus calix, illud commodi afferebat, judicio eorum qui vixerunt in Germania diu, quod hac veluti nota, atque indicio non obſcuro, homines orthodoxi ab hæreticis diſcreti, ſibi admodum diligenter cavebant, ne quid in fide detrimenti paterentur: nunc vero ſi calicem laicis permittatis, non ſolum hunc aditum ad judicium de religione faciendum plurimum neceſſarium præcludetis: ſed quod graviſſime ferendum eſt, hinc facile impii & novatores occaſionem arripient, qua animati ceteros omnes pravis opinionibus corrumpant atque pervertant. Cum enim tam familiariter in poſterum cum catholicis hominibus agere debeant, & uſque adeo cum illis arcto vinculo copulari, ut in eadem ſacratiſſima menſa, de manu ejuſdem patris familias, eumdem panem ſacratiſſimum, & calicem quoque eumdem, hoc eſt, corpus & ſanguinem Chriſti, ſint ſumpturi: nemini dubium eſt, quin callidiſſimi hæretici, qui omnibus artibus atque modis, fidei, religioni, & pietati inſidias parant, ſumma ope laboraturi ſint, ut eos homines, cum quibus verſantur, ſocios ſceleris atque flagitii effectos in errorem ſuum pertrahant: atque hoc ſane detrimentum non hi modo, qui inſtabiles ſunt, atque in fide parum firmi, ferent, proculdubio, ſed horum præterea exemplo ceteri provocati, qui religione adducti neque extremis labiis calicem attingunt, in abſurdiſſimas hæreticorum ſententias ſenſim præcipites abibunt. Ita fiet, ut hac ipſa indulgentia veſtra, patres, quæ vel hoc ſolum nomine inclementia putari poteſt, hæretici intelligant, commoditatem ſe reperiſſe nocendi reipublicæ veſtræ, minori negotio ſuo.

Quod ſi hoc incommodum minime timere-

ANNO CHRISTI 1562.

mus, quod certo ſcimus pro foribus inſtare, ac ſeſe ſponte ingerit, quis eſt obſecro uſque adeo plumbeus, aut mente captus, qui non videat, ſi ſemel quiſpiam calicem auctoritate veſtra atque conſilio bibat, hæreticos omnes, neque ſacramentarios modo, ſed cujuſvis etiam ordinis atque inſtituti, protinus Stentorea voce clamaturos, facile ut ab omnibus percipi poſſint, atque etiam libris editis, (quod faciunt non gravate) victoriam ſtare pro ſe, papiſtas (ut illi loquuntur) victos, atque proſtratos jacere, quod qui olim calicem laicis ſubripueratis invidia potius quam ratione, evangelicorum argumentis ſuperati propriis eumdem dominis reſtituatis. Tunc vero cum nullum jam ſuppetat remedium, niſi vobis diligenter caveatis, aperte intelligetis, religionis diſſidium, miniſterio ſatanæ apud quoſdam excitatum, minime componi aut ſedari poſſe, ſi calix laicis permittatur, quod urgent hujus ſententiæ patroni, defenſoreſque: etenim hoc (magnorum virorum opinione) alere potius eſt, quam ſedare diſſidium. Nam qui ſe ab eccleſia ſegregaverunt, illud unum ardentibus votis expetunt, ut vel una aliqua in re ab univerſa eccleſia Romana diſcedere ſibi integrum fiat: quo fundamento diſceſſionis jacto, quo non eos progreſſuros putemus? Imprimis erroris arguent totam eccleſiam, quod ſine cauſa, his qui ſumunt euchariſtiam extra ſacrificium, calicem abſtulerit: ex eodem deinde principio colligent, liberum eſſe ſibi, a ceteris eccleſiæ præceptis diſſentire, atque in contrariam ſi velint abire ſententiam: atque id facile rudibus hominibus perſuadere poterunt. Nihil enim impedit (dicent) quo minus id aliis quoque rebus liceat ſibi, perinde atque in hac: ita fiet proculdubio, ut nihil ſit fide noſtra incertius, nihil noſtris legibus mutabilius, nihil denique ſtatu eccleſiæ perturbatius, & id maxime culpa noſtra.

Sunt qui magnopere mirentur, atque alios ſubinde rogent, quid potiſſimum cauſæ ſit, cur hujuſmodi nationes, quæ calicis ſtudio teneri ſe dicunt, eumdem a vobis tanta animi contentione requirant, & tam ſtudioſe ac ſolicite ambiant atque procurent, neque pontificem adire velint, eumdemque precibus ſolicitare, cum perinde atque vobis, patres, facultas ineſt, calicis uſum laicis permittendi, cum res poſtulare videatur: bonam tamen eorum hominum partem, qui rem iſtam acute admodum, ut apparet, perſpexerunt, quod fuerint eamdem propius contemplati, dicere video, illud unum in cauſa eſſe, puta quod horum plerique, quibus petitur calix, pontificibus hac in re fuerint mentiti non ſemel, fidemque illis datam fregerint. Plurimum igitur verentur, ne jam vera etiam dicentibus non credatur: atque ita conatus cadat irritus.

Altera pars (quam vere, neſcio) eo conſilio factum exiſtimat, quod hujuſmodi homines non tanti faciant pontificem maximum, & vicarium Chriſti, quanti debent. Ego vero ſtrenuam iſtam diligentiam ſic interpretari ſoleo (atque utinam dum ita divino, verus vates non ſim) ab his hominibus id curari maxime, ut ſemel ab eo calicem ferant, qui eumdem facile non poſſit adimere: ſi calicem pontifex porrexerit, cum primum eodem intemperantius laici ſint abuſi, aut impoſitas conditiones prætergreſſi, nullus ſane labor erit mutare factum: at vero ſi ducenti ſanctiſſimi patres, doctiſſimique, ſi ſacroſancta ſynodus in Spiritu ſancto Tridenti legitime congregata, aut potius univerſa eccleſia Chriſti, quam concilium œcumenicum repræſentat, calicem propinet,

ANNO CHRISTI 1562.

ubi ſcelerati homines, transfugæ, atque fidei A
deſertores conditiones contempſerint, ac pro
nihilo duxerint, quod remedium capietis pa-
tres, adverſus ſanctiſſimi fœderis atque pacti
tranſgreſſores, ut illatam Chriſto injuriam ul-
ciſcamini? Vocabuntur fortaſſe præſules ſta-
tim, deſerent epiſcopi eccleſias ſuas, & mari,
terraque iterum pericula ſubibunt, atque ita
concilium rurſum magnis ſumptibus inſtaurabi-
tur, ut qui laicis copiam calicis feceratis, ſu-
blatum eumdem impoſterum cuſtodiatis diligen-
tius. Quando igitur proprio, patres, pericu-
lo comperiſtis, quantæ molis ſit, comitia iſta,
& conventus eccleſiæ cogere, cavete per Deum
immortalem, diligentiſſime, ne dum in alios,
quam par ſit, benigniores atque indulgentiores B
eſſe vultis, in vos ipſos, in leges, atque ſtatu-
ta veſtra, in Chriſtianam rempublicam, in ſan-
guinem quo redempti ſumus, in ipſum denique
Chriſtum Jeſum ſævi atque crudeles ſitis: dum in
eas anguſtias vos conjicitis, unde non facile eripi
poſſitis.

His atque id genus aliis rationibus, quas bre-
vitatis ſtudio prætermitto, qui ſit bene moratus,
atque animo & vita conſtitutus ut ratio poſtulat,
facile ſibi poſſit perſuadere, non eſſe his homini-
bus calicem permittendum, qui vere Chriſtiani
ſint, quæcumque videatur refulgere ſpes eoſdem
in officio retinendi, aut errantes a via revocandi
ad eccleſiam: cum ea (ut apparet) nullo firmo
ac ſtabili fundamento nixa ſit. Reſtat ut eumdem C
hæreticis permittamus, atque his (ſi placet) in-
vitis & repugnantibus: nam neque petent illi uſ-
que ab eccleſia, quo ſe, eadem reluctante, uſque
ad ambas aures immerſi, hactenus ingurgitave-
runt: neque ſi ea ſponte offerat ſua, de manu ve-
ſtra volent bibere.

Audite, quam diu hanc ſententiam, & præce-
ptum hæreticorum inſtillarit animis, atque ſcri-
ptum reliquerit ipſorum coryphæus atque ante-
ſignanus Martinus Lutherus. *Si concilium ſtatueret, ut calix permitteretur, ob hanc ſolam cauſam, quod ita concilium ſtatuit, nolo ut eodem utamini, ſed in deſpectum concilii, aut una, aut neutra, nequaquam vero utraque ſpecie potiamini*: addit, ſe ha-
biturum anathema, quicumque authoritate ta- D
lis concilii utraque potiatur. In hac vero ſen-
tentia perſuadenda neceſſarium ſane non eſt: ut
multum operæ atque induſtriæ ponamus, quod
ea ipſa prima ſtatim fronte venenum nocentiſſi-
mum oſtentet: ut enim taceam hanc veſtram in-
dulgentiam patres, ſi eadem velitis uti, ad diſſi-
dium de religione componendum nullius mo-
menti fore, quod orator Bavariæ his verbis ait,
dubium non eſt, etiam ſi hæc tria (ſignificat au-
tem calicem laicorum, matrimonium ſacerdo-
tum, turpemque vitam clericorum) ex quadam
catholicæ matris eccleſiæ indulgentia, præſentis
concilii auctoritate rite ordinarentur, ſectarios
duces, & populos ſeductos, ad eccleſiam non eſſe
reverſuros, cum palam editis libris non dubitent E
obfirmare ſeſe, nunquam ſe ſummis pontificibus
obedientiam præſtare velle: cujus indicium eſt,
nullum ſui ordinis atque ſtatus virum ab eis Tri-
dentum miſſum fuiſſe, qui more veterum hære-
ticorum, ipſorum nomine ſupplex a vobis poſtula-
ret, ut condonatis erroribus admiſſis, calicem il-
lis relinquatis: ut inſuper taceam, relicto calice,
adverſus eccleſiam inſolentiores efficiendos, quaſi
de eadem victoriam reportaverint, & magnifica
ſpolia tulerint.

Quid aliud eſt, obſecro, calicem hæreticis per-

ANNO CHRISTI 1562.

mittere, Chriſti corpus atque ſanguinem conti- A
nentem, quam margaritas ante porcos projici,
ſanctum dari carnibus, Chriſtique ſanguinem
pedibus hoſtium eccleſiæ conculcandum præbe-
ri? quod ſeveriſſime prohibemur. Revocate in
memoriam veſtram, obſecro vos, Paulum III.
pontificem maximum paterna charitate permo-
tum calicem Germanis, qui ejus cupiditate ca-
pti, ajebant ſe univerſos cum calice errores de-
ſerturos, honeſtis quibuſdam & neceſſariis
conditionibus adjunctis, olim permiſiſſe, ne-
que id ſemel remedium tentatum eſt, ſed per-
fidi & veteratores calcatis conditionibus, con-
tempta fide data hominibus atque Deo, in de-
ſpectum pontificis ſummi, & totius eccleſiæ
Chriſti, eodem calice temere abuſi ſunt. Ut
intelligatis patres impoſitas conditiones parum
eſſe profuturas, calicem illi jactabunt, condi-
tiones vero ſuppriment omnino: cavete ne ter-
tio cum dedecore pacta infecta reſcindatis, &
quando alienum facile ſuppetit, ne velitis, ob-
ſecro vos per viſcera Jeſu Chriſti, proprio pericu-
lo ſapere.

Perpendite igitur, quid agatis, in quas tem-
porum anguſtias conjecti ſitis, quid poſtulet loci
dignitas, in quo, divino beneficio eſtis collocati,
quid his artibus agat ſatanas, quid etiam de cal-
lidiſſimis atque vafris hæreticis ſperari poſſit, ne-
que vos cujuſpiam auctoritate, & majeſtate nomi-
nis opprimi ſinatis, quo minus eccleſiæ Chriſti,
cui fidem dediſtis olim, ut facitis diligentiſſime, C
conſulatis. Nam neque imperator Ferdinandus,
qui longis experimentis fidei, quam Chriſto de-
bet, magnifica teſtimonia orbi terrarum exhibuit,
neque rurſus illuſtriſſimus ejus gener Bavariæ
dux, vobis eccleſiæ principibus imperare volunt,
neque hac in re quid agere debeatis ulla ratione
præſcribere, quod in orationibus ſuis plane do-
cent: morbum tantum (ut ajunt) aperiunt, at-
que a vobis, tanquam a peritis medicis, efficia-
cem requirunt atque ſperant medicinam: videte
tamen, ne dum corpus ſanare vultis, gravior fiat
animorum jactura.

Quod ſi & ſocero, & genero ſpectatæ religio-
nis, & pietatis viris, gravitati inſuper veſtræ, at-
que hujus ordinis amplitudini ſatisfacere velitis, D
deligite ex vobis probatos viros, qui, ut rem om-
nem adamuſſim intelligere poſſint, Germaniam,
Bohemiam, atque Ungariam contendant, qui
eorum regnorum principes viros adeant, præſu-
les conſulant, rogent plebem, iſtos etiam mini-
ſtros ſatanæ excutiant prius, atque ex eis certo
ſcire laborent, veſtrisne decretis ſtare velint, ſi
calicem permittatis: ſi annuant, res peragetur
optimis conditionibus, ſine gravi metu diſceſſio-
nis, obſtrictis ante & confirmatis juramento diſ-
ſidii principibus: ſi abnuant, nemo vos cum ra-
tione poſſit reprehendere. At ſi quod unus aut
alter calicem petat, in cujus poteſtate ſitum for-
taſſe non eſt, etiam ſi velit maxime, ceteros om-
nes in antiqua religione continere, nedum a ſuſ-
cepto jam errore eoſdem revocare, protinus vos
contra leges veſtras, contra conſuetudinem jure
ſuſceptam, illum cuipiam liberam ſumendi co-
piam faciatis, timor eſt profecto, ne pro beni-
gnitate ſævitiam, pro pace bellum, pro concor-
dia tumultum, pro unitate animorum, novum
aliquod in eccleſia veſtra ſchiſma ſentiatis: neque
modo herbam porrexiſſe veſtris hoſtibus ea ra-
tione videamini, ſed arma quoque ſubmini-
ſtraſſe, quibus in viſcera reipublicæ veſtræ cru-
deliſſime adactis, leges illi atque ſtatuta veſtra

conſo-

ANNO CHRISTI 1562.

confodiant. Contra vero si feceritis patres, ego non dubito quin Christus Jesus viam atque rationem vobis sit monstraturus, qua ecclesiæ (quam unice diligit) præsentaneam opem feratis. Dixi.

LXXXVI.

ORATIO HABITA AD PATRES sacri concilii Tridentini a reverendo doctore Joanne Fonseca Hispano, Theologo reverendissimi domini archiepiscopi Granatæ, feria VI. in Parasceve MDLXII.

Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. 1. Petr. 2. c.

HODIERNI evangelii prolixitas, reverendissimi & illustrissimi domini, patres amplissimi, nec non mysteriorum, quæ in singulis ejus verbis nos Spiritus sanctus docet, multitudo, simulque temporis ad hic dicendum concessi brevitas & angustia, me jure quidem compulere, ut omissa sacræ dominicæ passionis historia, quam modo audistis & vobis omnibus notissima est: ad loquendum, ne tanto concessui molestus essem, compendium aliquod quærerem. Illudque aptissimum inveniisse mihi visus sum in prædictis beati Petri apostolorum principis verbis, ex secundo capite suæ primæ epistolæ desumptis: quæ quidem, cum ad sacrosanctæ Dominicæ passionis Sacramentum aperiendum, tractandumque necnon ad mores nostros exemplo Christi reformandos, accommodam doctrinam complectantur, materiamque amplam nobis suppeditent, præsenti orationi maxime convenire existimavi. Quare sanctissimi patres, ut ea vobis digne exponere possim, vestram obsecro mihi exhibeatis humanitatem, & benignam attentionem, quæ mihi ad dicendum vires non tenues subministrabit, vestrisque me precibus adjuvate. Et illius Spiritus auxilium implorate, qui omnia scrutatur etiam profunda Dei, ut per me indignissimum licet ministrum ad sui gloriam, omniumque nostrorum utilitatem sua referare arcana dignetur: quod ut facilius impetremus, sacratissimam virginem matrem apud filium mediatricem ponamus, dicentes: Ave Maria gratia plena, &c.

Qui incarnationis Christi causam, cur, inquam, Deus homo, cur verbum caro factum est, alta, profundaque mente consideraverit, ejusdemque etiam passionis, & mortis congruentiam, imo & necessitatem ex eadem facile cognoscet. Nam cum omnia, quæ sunt, a Deo ordinata sint, utriusque una eademque extat sacramenti & mysterii ratio. Ideo autem filium Dei incarnatum fuisse, naturamque humanam sibi in unitate personæ associasse, scriptura sacra nos docet, ut hominem, quem justum & rectum ipse conderat, ejusque culpa in peccatis lapsum viderat, ad pristinum, & primum innocentiæ statum misericorditer reduceret, ac pro suo peccato Deo patri satisfaciendo a culpa purgaret: hoc enim alia via fieri nequaquam potuit, satisfacere, inquam, Deo patri pro humani generis peccatis. Nam cum ex objecto infinitam in se malitiam peccatum habet, necessarium fuit, ut infinitæ dignitatis esset homo, qui pro illo pœnam subiret, & condigne pro totius mundi peccatis satisfaceret. Est namque satisfactio contractus justitiæ commutativæ, qui in æqualitate quantitatis consistit. Ideoque secundum dignitatem satisfacientis & pretii valorem ponderari habet: quare talem mediatorem nostrum fecit Deus, qui pro peccato satisfacere posset, deberetque. Nam in quantum Deus, poterat: in quantum vero homo erat, debebat. Et ideo in una, eademque persona convenit Deus & homo, unus dominus Jesus, *qui* (ut inquit Paulus) *factus est nobis a Deo patre sapientia, justitia, sanctificatio & redemptio.* 2. Cor. 1.

ANNO CHRISTI 1562.

Cum ergo Dei filius humanam naturam ad lapsum hominis reparandum assumpserit, ea oportuit ipsum agere, & pati secundum naturam humanam, per quæ contra peccatum remedium adhiberi posset. Peccatum autem hominis in hoc consistit, quod homo corporalibus & terrenis adhærendo, spiritualia & cœlestia bona prætermittit: & spreto infinito, & incommutabili bono, ad finitum, vile, & caducum convertatur. Quare filium Dei decuit in assumpta hominis natura ostendere per ea quæ fecit, & passus est, ut homines temporalia bona, vel mala pro nihilo ducerent, atque omnino flocci penderent, ne ab eorum inordinato affectu impediti, spiritualibus minus dediti essent. Et hac ratione ab instantis suæ conceptionis, & nativitatis suæ primordiis, *stulta hujus mundi elegit, ut confundat sapientes, & infirma mundi, ut confundat fortia, & ignobilia, & contemptibilia mundi, & ea quæ non sunt*, id est, humilia, *ut ea quæ sunt*, id est, superba, *destrueret, ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus.* 1. Cor. 1. Hinc parentum discipulorumque ejus humilitas, contemptibilis ejus ortus, præsepis reclinatio, stabuli diversorium, pauper vita, Ægypti fuga, jejunii prolixitas, peregrinationis decursus, irrisionum tolerantia, in eo habuere principium, ut elationis materiam hominibus auferret: ut delitias, divitiasque mundi contemnere nos doceret, & ab inordinato horum appetitu revocaret. Ideo laborem, famem, sitim, nuditatem, persecutiones & opprobria multa sustinuit, ne homines voluptatibus & delitiis intenti, propter hujus vitæ asperitates a virtutis bono retraherentur.

Et tandem ne ullum in laboribus mundi non moveret lapidem, mortem (quæ laborum & ærumnarum hujus orbis ultima linea est) omniumque terribilium terribilissimum, voluntarie ac propria sponte pro veritate sustinuit, ne propter mortis timorem aliquis veritatem, aut virtutem desereret. Et ne quis, qui pro virtute & justitia mori non timeret, forsitan ignominiosissimum mortis genus formidaret, exprobratissimam mortem, crucis scilicet, hodie elegit, in qua ultra omnium mortalium vires afflictus in anima & corpore fuit: in anima quippe doloris atque compassionis transfigebatur jaculo, tametsi deificata in verbo, divinis absque intervallo inhærebat amplexibus. In corpore vero supra modum afflictionibus & cruciatibus premebatur. Nam captus & ligatus in judicium ducitur, modo ad Annam, modo ad Caipham, modo ad Pilatum, modo ad Herodem: iterumque ad Pilatum, a Pharisæorum ministris velatus, consputus fuit, alapis cæsus, falso accusatus, in veste alba illusus, flagellatus, purpura in opprobrium indutus: spinis coronatus, arundine pro sceptro insignitus, capite

Rom. 13.

Artic.

Mat. 10. 27. Mar. 14. 13. Luc. 22. 23. Joan. 18. 19.

ANNO CHRISTI 1563.

capite percussus, derisorie adoratus, morti damnatus, innumerisque aliis illusionibus & contumeliis affectus, cruciatibus & tormentis fatigatus, ita ut in cruce existens, in ultimo jam constitutus cum immanissimis tormentis premeretur, coactus fuit ad Patrem voce tonante clamare: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* non quod totaliter a Deo fuisset derelictus, cui in unitate personæ fuerat conjunctus, sed quia in puris naturalibus sensibilem partem dereliquerat Deus: fluenta enim æternæ voluptatis continuerat pater, ne impetu quo solebant emanarent in Christo, quamobrem toto super se humanæ infirmitatis incumbente onere, atque divinæ æquitatis in se suscipiente flagellum, ad Patrem vocis suæ dirigendo clamorem ait: *Deus meus, Deus meus*, &c.

Matth. 27. *Marc.* 25. *Psal.* 21.

Ceterum quæ lingua, quæve facundia, quanta hodie passus est redemptor noster enarrabit? quis intelligit? credo sanctos evangelistas brevitatis causa irrisionum & afflictionum tantum species, non item numerum expressisse. Tandem cruci affixus, quasi signum ad sagittam coram omnibus elevatur, ut contradictionis & irrisionis verba susciperet, in Hierusalem civitate regia & famosa, in præcipua solennitate Judæorum, quando propter templi pulchritudinem, & reverentiam, & solennem festivitatem non solum ex Judæis, verum ex diversis etiam nationum gentibus maxima convenerat multitudo; omnibus factus spectaculum, Judæis & Græcis, Latinis & Barbaris, justis, & peccatoribus, diligentibus, & odientibus, ita ut clare hic adimpleretur quod dixerat: *Ego sum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis: omnes videntes me deriserunt me, locuti sunt labiis, & moverunt caput.* O mirandum insolitumque prodigium! o horrendum inauditumque spectaculum! regem aspicere gloriæ, cui cœlorum famulantur obsequia tot lacessiri injuriis, opprobriis gravari, atque incomparabilibus pœnis dilaniari? O humanæ superbiæ pudor! o altitudinis terrenæ confutatio singularis! mirabantur angeli, omniumque cœlestium spirituum legiones videntes Dei verbum, per quod facta sunt omnia, contemni a perfidis, sapientiam ipsam hominum super se sordidissimas injurias, irrisiones sputaque suscipere, undique Dei filium, attritum, despectum, agitatum, illusum: a sæculo non est auditum tántæ humilitatis & dejectionis prodigium, tamque insigne patientiæ, obedientiæ, caritatis, omniumque virtutum exemplar, nulli prorsus nisi verbo Dei congruebat talia virtutum præbere magisteria.

Psal. 41.

Ad hoc venerat in mundum, ad hoc visibilem sumpserat humanitatis formam, ut peccata destrueret, resecaret vitia, reformaret mores, virtutesque doceret, ut quemadmodum humanæ speciei fuerat ipse auctor, ficret etiam lapso homini per virtutum exempla sapientissimus reparator. Et sicut ad imaginem & similitudinem suam (quam in nobis per peccatum fœdavimus) naturaliter creati sumus: ita ad morum ejus similitudinem, per imitationem virtutum pro nostra possibilitate reformemur. Nam, ut inquit Paulus, *quos Deus præscivit, prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui*, id est, Christi humanitatis. Ideo redemptor noster jam ex hoc mundo ad Patrem transiturus, quicquid in vita verbo & exemplo docuerat, quicquid virtutis & perfectionis in hominum cordibus plantaverat, in hoc suæ passionis sacramento velut in summa quadam & exemplari nobis imitandum reliquit. *Passus est enim* (ut inquit Petrus) *pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* Vobis inquam, id est, omnibus fidelibus suis: vel vobis, id est, ecclesiæ suæ pastoribus: sed jam quomodo hi & illi Christum sequi & imitari debeant, paucis videamus. Cum ergo omnis Christi actio, ejus vita, passio, & mors, nostra sit instructio, nostrorumque morum disciplina, & reformatio: omni cura, & solicitudine in re hac advigilandum nobis est, si cum Christo regnare cupimus, quomodo ipsum imitemur, quomodo vestigia ejus sequamur. Nam, ut Joannes inquit, *qui dicit se in Christo manere, debet, sicut ille ambulavit, & ipse ambulare.* Modum autem & ordinem, quem in hoc servare debemus, ipse dominus per Matthæum capite XVI. nobis declarat, ubi postquam secreto passionis suæ mysterium discipulis suis prædixerat, & ad sui imitationem & passionis tolerantiam illos invitarat, modum quo hoc facere deberent, statim subjunxit, dicens: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me.* O salubre consilium, o persuasio fidelis, o admonitio salutaris! noverat redemptor noster hominem quem plasmaverat, sciebatque absque dilectione ipsum non posse persistere. Re etenim vera aut delectatur in summis, aut jucundatur infimis; utraque enim pariter amari non valent. Propterea divina sapientia priusquam infundat in anima cœlestis doctrinæ divinum liquorem, lutosos voluit evacuare affectus: servavit quippe medicorum morem, qui numquam ægrotantibus restaurantem præbent medicinam, nisi prius purgationibus auferant humores corruptos & noxios: sicut doctus etiam agricola primum vomere radicitus evellit sentes, & postmodum in tertæ sulcis spargit semina: prudenter namque intelligit, quod ad maturitatem non valet spica coalescere, quæ fuerit sentibus suffocata.

ANNO CHRISTI 1562. *Petr.* 2. 1.

1. Joan. 2.

Matth. 16.

Hac ergo usus arte cœlestis medicus, & sapientissimus agricola noster dominus Jesus, fidelibus suis ejus sequelam anhelantibus mandavit, ut priusquam se divinis imbuendos traderent disciplinis, se ipsos abnegarent, seque a propria sua voluntate denudarent, & temporalium rerum, ac propriæ carnis inordinatos affectus a se omnino abdicarent, quatenus ad sui sequelam & cœlestem doctrinam capessendam habiliores inde fierent. Hi namque inordinati affectus ingentium, innumerorumque delictorum in nobis gignunt effectus, necnon multorum adfuerunt impedimenta bonorum. Quis enim enumerare sufficit, quanta exuberent peccata ex sui ipsius inordinato amore? ex eo enim odia, lites, jurgia, rixæ, furta, homicidia, rapinæque prodeunt; hic affectus pravis animum machinationibus replet, & qualiter proximum fraudare valeat, consilia adinvenit: hic humanitatis officium & pietatis extinguit, & proximi misereri nullatenus permittit: ignorat hic pernicioſus affectus fratrem diligere, nescit aliena damna, quia proprio tantum & singulari gratulatur bono; hic præsentia amat, temporalia cumulat, spiritualia negligit, quia nec credit promissa, nec sperat futura, & cum totum se spargat in imis, nihil potest amare de summis: internos hic claudit oculos, nec futurum sinit prævidere judicium: diuturnam hic pollicetur vitam, prosperos promittit successus, & tandem amatorem suum in barathrum demergit æternum. Et quid mirum? si enim, teste apostolo: *cupiditas*

Genes. 1.

Rom. 3.

est radix

ANNO CHRISTI 1562.

est radix omnium malorum, & teste Sapiente: *Superbia initium omnis peccati*: cur non potiori jure agnomina hæc huic pravo affectui conveniant, qui & cupiditatis ac superbiæ radix & origo est?

Merito igitur redemptor noster discipulos suos ab inordinato sui ipsorum amore tanquam a malorum fonte compescuit, & sui abnegationem in ipso statim doctrinæ limine tantopere suasit: *Et tollat*, inquit, *crucem suam*: hæc jam secunda conditio est Christi discipulorum, quia enim electos suos, qui jam proprio renunciarunt affectui, flagellis & tribulationibus variis agitari non cessat dominus, ipsorum salutem hac via sapienter operando, ut hac occasione se in exilio positos esse cognoscant, & ex inundantia tentationum ad dominum, apud quem solum secura quies est, redire cogantur, & quatenus per experientiam cognoscant quantum inter peregrinationem distet & patriam. Ideo, inquam, ne his laboribus & afflictionibus succumbant, clementissimus pater, ut illas æquanimiter ac patienter ferant, ipsos præmonet. O veri patris viscera, o immensa Dei charitas, imo totius charitatis abyssus indeficiens! non tantum purgare assidue vult afflictionis igne servos suos tanquam electos palmites in vera vite manentes, ut fructum justitiæ tempore suo proferant: sed hortatur etiam ut flagella, quæ vel pro expiatione culparum, vel pro augmento virtutum dominus illis dimiserit, patienter sustineant: & non hortatur solum, sed etiam exemplo suo ad illa sufferenda illos trahit, calicem passionis alias hominibus impotabilem prius ipse bibens, & in se dulcescere faciens. Unde non verbo tantum, sed exemplo etiam dicit: *& sequatur me*, hoc est, me imitetur, vestigia mea sequatur, discat a me humilitatem, patientiam, obedientiam, caritatem, ceteraque virtutes, mundum contemnere, terrena non ambire, non caduca sectari, honores fugere, ignobilitatem amplecti, cunctis liberaliter prodesse, injuriam nulli inferre, sibi illatam patienter tolerare, inferentibus veniam a Domino postulare. Et in omnibus tandem non suam sed Dei gloriam quærere, *sequatur* (inquam) *me*, non solis carnis gressibus, sed mentis affectibus: sequatur me, sicut discipulus magistrum, sicut viator ducem suum, sicut ovis pastorem: quia ad hoc veni in mundum, ad hoc de cœlo missus sum, ut legem vitæ ac disciplinæ homines docerem, & meo exemplo illos in via virtutis præirem.

Ecce quam doctrinam docet Christus volentes post ipsum venire, ejusque vestigia sequi: qua quid consultius, quid brevius, quid melius dici potuit? docuit in summa his paucis verbis incarnata Veritas terrena despicere, amare cœlestia, & veram paradisi viam sequi. Quis hæc audiens se continere possit, quin obtemperet tam prudenti consilio? aut quis compos sui dissimulare audebit, & non magis toto animo, totoque affectu, tanto se præparabit obedire præceptori, qui non verbo tantum, sed exemplo etiam præstat quod docet? Omnes ergo, o filii hominum, qui proprio affectu, hujusque labentis sæculi amore detinemur, expergiscamur ad tam salutarem pastoris nostri vocem, & Christum Dei virtutem & sapientiam, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi*, clamantem veramque salutis viam verbo pariter & exemplo docentem audiamus. Cognoscamus ubi sit sapientia, ubi prudentia, ubi pax vera, & vita nostra, quod non in hoc sæculo nequam, in quo peregrinamur, reperitur, sed in Christo Jesu crucifixo: ipsiusque dulcem affectum in præcordiis nostris ante omnia imprimere studeamus, ejus vestigia, id est virtutes, pro viribus imitemur, & sequamur, atque omnes actiones nostras ad ejus exemplar, quod hodie nobis in monte crucis ostensum est, faciamus.

ANNO CHRISTI 1562.

Exod. 25.

Et quia horum omnium fundamentum unicum est (ut diximus) nostri propria abnegatio, studeamus imprimis ipsius documento, nos ipsos abnegare, propriam voluntatem, proprium affectum, omniaque nostra, idest, peccata quæ sola nostra sunt, abjurare: studeamus, inquam, ut clarius loquar, vere de peccatis pœnitere: hoc enim proprie est seipsum abnegare, veram ac salutarem peccatorum pœnitentiam agere, hoc proprie est crucem suam tollere, Deo pro præteritis offensis satisfacere: hoc vere est Christum sequi, vitam veterem in novam commutare, & exuto terreno Adamo, cœlestem Christum scilicet induere, ac demum vitiorum abrupta via dimissa, virtutum regiam amplecti. Ne igitur amplius immoremur, ne obsurdescamus ad tanti doctoris vocem, & exemplum, sed *abjicientes opera tenebrarum, induamur arma lucis*, abjicientes a nobis peccata nostra, ad Christum crucifixum unicum peccatorum asylum per veram pœnitentiam confugiamus. Hoc namque omnia ejus membra pro nobis hodie vulnerata suadent, apertum latus, extensa brachia ad suscipiendum nos, declinatum caput, peccatores ad se vocans: *Venite ad me*, inquiens, *omnes qui laboratis, & onerati estis*, (jugo scilicet peccati) *& ego reficiam vos*, id est, liberabo vos, hoc conscientia nostra clamat, cujus testimonium galli cantus est, qui hodie Petrum ad pœnitentiam excitavit: hoc infelicissima hæc tempora monent, ad idem tot mala, tot hæreses, tot afflictiones, tot miseriæ, quæ nos (proh dolor!) undequaque circumstant, compellunt.

Rom. 13.

Matth. 11.

Matth. 26. Marth. 24. Luc. 22. Joan. 18.

Tot ergo contra nos testimoniis, evigilemus omnes a tam gravi somno peccati, quo miserabiliter opprimimur, & apertis mentis oculis meritas divinæ justitiæ plagas attendamus, quæ nostris temporibus plusquam quingentis retro annis Christi ecclesiam, catholicamque religionem oppugnant, aliasque majores jam jam nisi resipuerimus imminentes, cognoscamus omnia ecclesiæ mala præterita & præsentia (quæ heu quis enumebit?) a nostris peccatis, velut ab unico malorum fonte emanare: & totis conatibus Deum placare studeamus, contra nos, seu potius contra delicta nostra iratum, arcumque iræ suæ ac flagelli vibrantem, ac velut nobis minitantem, & dicentem: *Adhuc quadraginta dies & Ninive subvertetur: nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis*. Rumpamus ergo moras omnes, fideles, abigamus a nobis omnem torporem & somnolentiam, abjiciamus a nobis has tenebras plusquam Cimmerias, in quibus versamur, festinemus ad pœnitentiam, festinemus, inquam, ad pœnitentiam, nos præsertim sacerdotes, nos præsertim ecclesiastici, potissimum ecclesiæ duces, pastores, proceres & primates, quorum delictis & abusibus Deus magis offenditur, atque ad iram provocatur, sicut per prophetam nobis ipse declarat, dicens: *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique, & si is qui oderat me, super me maligna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo. Tu vero homo unanimis dux meus* (attendite) *& notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambu-*

Jonæ 3. Luc. 3.

Coloss. 2.

Psal. 54.

ANNO CHRISTI 1562.

ambulavimus cum consensu. Et alibi: *Etenim homo pacis meæ in quo speravi, qui edebat panes meos*, id est, corpus meum, *magnificavit super me supplantationem*. Unde in hesterna nocte de Juda (quia apostolus ejus erat) specialiter questus est Dominus, non de Pharisæorum ministris, dicens illi: *Amice, ad quid huc venisti? osculo filium hominis tradis?* Gravissime itaque ecclesiasticorum delictis irascitur Deus, & nedum Deus, sed & homines multum offenduntur atque irritantur. Et hac de causa omnes ecclesiæ ministri, qui olim ab omnibus, ut patres & dii venerabantur, nunc a multis tanquam purgamentum hujus sæculi habentur, & deridentur, exigentibus nostris demeritis, exigentibus nostris peccatis.

Psal. 40. Matth. 16. Luc. 22.

Hæc ergo omnia attente considerantes, nullus ecclesiasticorum, nullus ecclesiæ pastorum, ac procerum se excuset: quia *in multis offendimur omnes*, a minimo usque ad proximum: quin potius prosternamus nos coram Deo, & perpetuo lacrymarum lixivio, ac pœnitentiæ nitro, gemitibus, vigiliis, jejuniis, orationibusque assiduis delicta nostra ploremus, & non nostra tantum, sed proximiorum etiam defectus, defleamus mundum nescientem plangere se: hoc enim ecclesiasticorum, hoc pastorum proprium munus est, quilibet seipsum solum malorum causam faciat, nullus in alium culpam rejiciat, sicut terrenus pater noster Adam, qui mulierem suæ culpæ auctorem fecit, & ipsa serpentem: sed potius aliorum peccata propria faciamus, sicut hodie secundus noster Adam cœlestis fecit: qui cum innocentissimus esset, omnium culpas super se sumpsit, omnium se debitorem constituit, pro omnibus animam suam posuit, ut pro omnibus Deo patri satisfaceret, in hoc vobis spiritualiter, patres amplissimi, *relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus*, ut quemadmodum ipse fecit, ita & vos faciatis. Docuit enim profecto hoc facto dominus, quale sit spirituale pastoris proprium ministerium: Utique Dei & hominum continuum mediatorem esse, quatenus piis ejus intercessionibus, orationumque suffragiis divinam justitiam erga delinquentes faciat esse placabilem, quemadmodum Paulus ad Hebræos perhibet: *Omnis*, inquit, *pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis, qui condolere possit his qui ignorant & errant, quoniam & ipse circumdatus est infirmitate. Et ideo debet quemadmodum pro populo, ita etiam pro semetipso offerre pro peccatis:* docuit etiam hoc suo exemplo Christus, quanta pastoris erga gregem sibi commissum cura esse debeat, quanta solicitudo, quantus labor, quanta dilectio, qui propriam etiam animam pro ovium salute, si necessarium fuerit, ponere debet.

Jacob. 31. Genes. 3. 3. Petr. 2. Joan. 13. Hebr. 5. Joan. 20.

Utique nullis verbis declarari potest spiritualis pastoris erga suum gregem obligatio. Tenetur enim continue & sollicite supra illum excubare, circumquaque adversariorum insultus ac deceptiones prospicere, & propugnare, illum erroribus purgare, sanctis moribus instruere, ovium labores & infirmitates supra se tollere ac sublevare, & ut proprios sentire: ita ut cum Paulo dicere possit: *Quis infirmatur, & ego non infirmor, quis scandalizatur & ego non uror?* Tenetur in summa bonus pastor perpetuo ovibus ministrare exhortando, admonendo, suadendo, increpando, obsecrando, pro illis cœlum crebris pulsare gemitibus, assiduis instare orationibus, & si quando ingruerit persecutionis procella, exemplo sui ducis Christi crucifixi, proprium caput pro ovium salute periculis objicere. Laboriosum profecto est, & intolerabile pondus, spiritualis pastoris munus, nisi desuper constantiæ atque caritatis ovium infundatur gratia, & zelo salutis animarum ejus accendatur affectus: a paucis quidem, aut a nullo appeti deberet, & tamen multi sunt qui pastoralis officii cathedram desiderant, sibi oblatam libenter amplectuntur, & quod deterius est, prece aut pretio sollicitant, imo mendicant: hujusmodi pastores, seu potius mercenarii: non ut prosint, sed ut præsint, promoveri desiderant, *non quæ Jesu Christi, sed quæ sua sunt, quærunt*, non ovium utilitati, sed propriis incumbunt affectibus, eorum quidam honores ambiunt, aliqui divitias appetunt, nonnulli corporis inhiant voluptatibus: sed hæc, quæ tempus aliud auditoresque alios postulant, missa nunc faciamus.

Ephes. 2.

Hoc tantum (ut ad scopum desideratum jam veniam) dicere non prætermittam, patres amplissimi, vestra fretus benignitate & clementia, etiam si vos pro pietate, & sapientia vestra, ac salutis animarum studio in tam gravi ac arduo negotio quod tractatis, bonorum pastorum officio functuros minime dubitem: illud est, quod si pastores aliquos, unquam pastoralis cura & munus obligat, & si aliquos unquam obstrinxit & obnectit: estis nunc vos, patres reverendissimi, pro loco & persona quam sustinetis, pro rerum magnitudine quas tractatis: non enim singularis pastoris, sed totius ecclesiæ personam agitis, non unius animæ, non unius provinciæ, non unius regni tantum, sed totius orbis curam geritis: non de rebus futilibus & vanis, sed arduis, imo arduissimis tractatis: nempe de hæresibus extirpandis, de dogmatibus fidei formandis, de ecclesiastica disciplina tam valde his nostris temporibus corrupta & depravata, corrigenda, & reformanda. Quare obsecro vos, patres amplissimi, ut vestri muneris rationem, necnon ecclesiæ catholicæ calamitates attendentes, erectos sumatis animos, mentemque magnanimam, ut pulcherrimis cœptis hujus sacri concilii dignissimum imponatis colophonem. Considerate episcopum & pastorem animarum vestrarum Christum Jesum, pro sua sponsa ecclesia hodie crucifixum: attendite, quanta pro illius salute passus sit, & ipsius vestigia sequentes pro eadem omnem solicitudinem vestram, omnem laborem & conatum, cunctumque studium vestrum adhibere ne dubitetis. Considerate etiam vos spectaculum esse Deo & hominibus, fidelibus & infidelibus, piis & impiis, in vosque intentos esse totius ecclesiæ, imo totius universi oculos, tantorum malorum remedium jamdiu ab omnibus desideratum ab hoc sacro concilio expectantes, omnesque fideles in extremis pene constitutos, & religionem Christianam jam jam ruinam minantem, nisi a vobis sustentetur, vestrum implorare auxilium.

Videte, quantam, quamque miserandam stragem animarum, pro quibus Christus mortuus est (fletus me impedit) in ecclesia fecerint hæretici, quotidieque faciant, non cessantes noctu diuque suæ malignitatis venena diffundere, ut perimant innocentes: qui fieri potest, ut tot animarum perditione non moveantur viscera vestra, qui pastores & patres estis? gemit Christus excidium tot filiorum suorum qui quotidie pereunt, meminit se illos per propriam mortem

hodie

ANNO CHRISTI 1562.

hodie genuiſſe, & eorum caſum tanquam verus pater deflet, atque illorum reſurrectionem a vobis paſtoribus, quibus gregem ſuum commiſit, dolenter efflagitat. O quanta erit omnium fidelium lætitia, & gaudium, ſi hoc ſacrum concilium, effectum tamdiu ab omnibus deſideratum feliciſſime fortiatur, ab omnibus merito per vicos & plateas cantabitur alleluya, hymni, laudes, gratiarum actiones, ac ſacra libamina Deo offerentur: Planctus convertetur in gaudium, amaritudo in dulcedinem, deſperatio in ſpem, & fidelium tepor in flagrantiſſimam caritatem. O quantus etiam erit angelorum, totiuſque militiæ cœleſtis jubilus, quantum ſupernæ illius Hieruſalem tripudium, quam læta tota civitas illa erit hoc evangelio, quam hilaris, quam feſtiva, & in Dei laudibus occupata: quamque per contrarium triſtis erit infernus, quam mœſta hæreticorum turba.

Sitis ergo forti animo, patres ſanctiſſimi, & ab incœptis nequaquam, ablit, degeneretis: quia dux veſter Chriſtus, qui ſanctiſſimo D. N. Pio quarto, vobiſque tam intrepidam mentem ſuggeſſit, ut negotium hoc ſupra humanas vires aggredi auderetis, non deficiet eccleſiæ ſuæ, ſed idem profecto ſicut promiſit, illi aderit, & hoc quidem præſentius, quo gravius eſt periculum.

Matth. 28. Lumen ſapientiæ & intellectus vobis dabit ad penetrandum myſteriorum fidei arcana, & hæreticorum argutias ac deceptiones fallaces confutandas, conſilii donum ad apprehendendum quid pernicioſum, quidve utile ſuæ eccleſiæ ſit, reliqua etiam Spiritus ſancti dona fortitudinis, ſcientiæ, pietatis & timoris, ac neceſſaria omnia ad eccleſiæ ſuæ reformationem vobis ſuggeret, dummodo ejus remedium ex animo (ut vos facere non dubito) deſideretis, dummodo viri deſideriorum ſitis, ſicut propheta Daniel, qui ideo meruit ſecreta

Dan. 9. ſcire cœleſtia, & populi remedium pro quo Deum precatus eſt, quia concupivit, dicente illi angelo Gabriele: *Ego autem veni ut indicarem tibi, quia vir deſideriorum tu es.* Deus vobis mittet non angelum ſolum, ſed Spiritum ſuum, *qui omnia ſcrutatur etiam profunda Dei, qui illuminabit ſenſus*

1. Cor. 2. *veſtros, & intelligentias veſtras*, qui voluntatem veſtram ſuo inebriabit amore, ut tantis malis, quibus jamdiu eccleſia vexatur, finem aliquando imponere poſſitis: nolite metiri vires proprias, ex vobis ipſis nihil poteſtis, ſed cogitate illum omnipotentem eſſe, qui pugnat in vobis Spiritus ſanctus.

Nec vos terreant hæreticorum ſeu ſatanæ potius vires & technæ: cum hoſte enim jam olim multoties a vobis fracto bellum geritis. Ubi enim Arius? Ubi Sabellius? Ubi Manichæus, ceterique horum ſimiles? nonne in ſuis evanuerunt cogitationibus? & retrorſum alienati ſunt quotquot ſchiſmata compoſuerunt? ſinguli hanc Chriſti tunicam inconſutilem, eccleſiæ ſcilicet unitatem ſcindere voluerunt, ſed illi ab unitate ſe diviſerunt, non unitatem diviſerunt. Ventiletur a Lutheranis, Sacramentariis, Anabaptiſtis, & aliis hæreticis, deprædetur, ſortiatur cujus ſit, in ſua ipſa integritate per ævum durabit, ſicut in hunc uſque diem integerrima permanſit: ipſi vero & eorum ſchiſmata peribunt (ut de aliis factum eſt) & ſicut veſtimentum veteraſcent.

Pſal. 101. Quapropter iterum atque iterum obteſtor vos P. S. per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, per ſacratiſſimam ejus paſſionem & mortem, quam hodie recolimus, per egregiam pietatem veſtram, per calamitates & pericula filiorum veſtrorum Chriſti fidelium, per fidem quam Chriſto domino, per caritatem quam fidelibus ejus debetis, per æternam felicitatem, quæ vos pro re hac manet in cœleſti patria, ut in hoc tanto ac tam ſerio negotio animos vobis dignos (ut de tantis patribus ac paſtoribus ſperamus) præſtetis. Beati eritis ſi hæc feceritis, alioquin judicium duriſſimum fiet vobis, qui gregi dominico præeſtis, qui paſtores agitis, ſi opus domini negligenter egeritis, ſi diſſimulaſſe, ſi tacuiſſe, aut non clamaſſe pro ovium ſalute fueritis deprehenſi: quia de manibus veſtris diſſipatarum ovium requiretur ſanguis. Hoc autem a me, patres ampliſſimi, æquo animo accipite, qui non dixi ut vos ceſſantes extimulem, ſed ut ſponte ad tam laudabilia, arduaque negotia currentibus gratuler, agamque gratias Deo, qui tam egregiam mentem vobis inſpiraverit, ut nullius egeatis exhortatione.

ANNO CHRISTI 1562.

Sap. 6.

Hiere. 48. Ezech. 33.

DIXI.

Laus Chriſto Crucifixo.

LXXXVII.

R. P. D. ANDREÆ DUDITII Sbardellati, epiſcopi Tininienſis, ac DD. prælatorum, totiuſque Hungaria cleri in ſacroſancto œcumenico Tridentino concilio oratoris, ad ampliſſimos ſedis apoſtolicæ legatos, ceteroſque ejuſdem concilii patres, oratio, habita 8. Idus Aprilis MDLXII.

TRIA fuerunt tempora, & ea quidem non ita multis menſibus interjectis: quibus temporibus hi, quos in literis quæ modo recitatæ ſunt, nominari audiviſtis, reverendiſſimus & illuſtriſſimus dominus Nicolaus Olahus, archiepiſcopus Strigonienſis, DD. epiſcopi, cunctus denique Hungariæ clerus lætitia ſane tanta affecti ſunt, quanta vix ulla oratione explicari poſſe videatur. Primum quidem tempus fuit, cum religionis Chriſtianæ rebus in maximum periculum, & extremum pene diſcrimen adductis, anditum eſt, eum nobis Dei miſericordia ac bonitate, veluti e cœlo demiſſum eſſe gubernatorem, qui tot, tantiſque procellis, & tempeſtatibus agitatam, ac prope in ſcopulos illiſam Chriſti navem, Chriſto ipſo, qui horribiles fluctus compeſceret, e ſomnis excitato, tranquillum aliquando in portum perduceret. In quo certe ita nobis a divina bonitate conſultum eſſe confidimus, nihil ut jam ad felicem hujus tam ſalutaris, tam bonis omnibus optatæ, tamque ſperatæ rei eventum magnopere deſiderandum amplius eſſe videatur. Eum enim nobis Dei clementia pontificem dedit, qui religionis ſtudio, in Chriſti plebem caritate, ac ſapientia longe excellit. Quæ quidem virtutes in eo haud obſcure jam tum elucebant, cum in Hungariæ regnum ſatis quidem incolume illo tempore, nunc vero malis omnibus oppreſſum, ac pene everſum, una cum clariſſimo viro fratre ſuo miſſus, omnium in ſe noſtrorum hominum ora, ſermoneſque convertit. Neque enim tum noſtra gens alium eum futurum ſperavit, quam qualem ipſe poſtea præclariſſimis, & omni commendatione digniſſimis actionibus ſe præſtitit.

Etenim, ut alia quamplurima tranſeamus, in quibus ſingularis ejus ſapientia, ac ſumma quædam pietas enitet, quantum illud eſt, quod poſt adeptam hanc dignitatem, qua ne fingi quidem excelſior ulla poteſt, non propterea ad eum ſe dignitatis

ANNO CHRISTI 1562.

tatis gradum ſublatum eſſe exiſtimavit, ut ſuis commodis, ſed ut reipublicæ Chriſtianæ incolumitati, atque utilitatibus inſerviret. Et quidem, ut omnes homines intelligerent, eum hac una in re omnes cogitationes defixiſſe, cum primum pontifex maximus divino afflante Spiritu renunciatus eſt, nihil potius habuit, quam ut pravis opinionibus imbutas hominum mentes purgaret, eaſque a ſimulata religione ad verum Dei cultum; ab immani quadam contumacia, ad eccleſiæ obedientiam, a ſumma demum inſania, ad integram ſanitatem revocaret. Quod ut ſapiens ac peritus medicus, quam poſſet, leviſſimo, & ad morbi naturam peraccommodato remedio tentandum, neque ſtatim ad acriores medicinas confugiendum eſſe judicavit. Itaque cum ingratos ſane multos, & leviſſimorum hominum fallaciis irretitos, ac prorſus infatuatos eccleſiæ, ſuoſque filios, omnem obedientiam abjeciſſe, ſeque e cariſſimæ matris complexu, per ſummam impietatem, ac petulantiam ſubmoviſſe animadvertiſſet: Dei maximi, cujus in terris vices gerit, bonitatem & clementiam imitatus, non ſtatim illos omnino abjiciendos, ac pro ſumma ſua poteſtate, æternis ſuppliciis addicendos eſſe duxit, ſed eximia adductus caritate, ac paterna quadam indulgentia, id dedit operam, ut, ſi poſſet, Deo, ſibique eorum animos conciliaret, eoſque in eccleſiæ matris gremium reſtitueret. Atque id ut commodius rectiuſque conſequeretur, ſacroſanctum hoc œcumenicum concilium congregandum ſedulo curavit.

Atque hoc quidem fuit alterum lætitiæ illius tempus, qua Hungariæ epiſcopos, & univerſum clerum affectum fuiſſe initio dicebam. Idque profecto non ſine cauſa. In eam enim ſpem veniebant, fore, ut hac potiſſimum ratione peſtilentiſſima hæreticorum lues, quæ univerſum jam Chriſtiani orbis corpus pervagata eſt, aut prorſus regi, aut ita compeſci poſſet, ut a ſumma deſperatione ad magnam ſanandæ reipublicæ ſpem, bonorum animi erigerentur. Quam ad rem perficiendam, quid aptius, quid horum ſanctiſſimorum patrum celeberrimo conventu accommodatius fieri potuit? Nam ſi in morbis curandis illud in primis ſpectamus, ut contrariis remedia adhibeamus contraria, in hæreticis ad ſanitatem revocandis, omnis generis ſatis uberem & abundantem ampliſſimi patres nobis medicinam ſuppeditabunt. Nempe ſi erit nobis contra hæreticorum impietatem decertandum: horum illis patrum ſingularem pietatem opponemus: ſi contra ſuperbiam, humilitatem: ſi contra inſcitiam, rerum omnium ſcientiam: ſi contra levitatem, conſtantiam objiciemus. Nullum denique morbi genus illos occupare aut potuit antea, aut deinceps poterit, cui ſalutarem & præſentem in ſanctiſſimis hiſce patribus medicinam reperire non liceat. Sed hæc notiora ſunt, quam ut in eis explicandis longiorem orationem inſumi neceſſe ſit.

Jam vero tertium tempus, quo incredibilem noſtri epiſcopi animis lætitiam ſenſerunt, illud fuit, cum primum inauditum eſt, ac poſtea conſtanti fama percrebuit, ſanctiſſimum D. noſtrum, quæ ſumma ejus eſt ſapientia, ad ſacroſanctum iſtud legationis munus obeundum, quo ſecundum ipſius dignitatem, nullum in terris habetur majus, ex omnibus vos potiſſimum delegiſſe. Quod quidem ejus judicium ita omnium ſententia comprobatur, ut nihil prudentius, nihil ſanctius, nihil ad id quod quæritur, perficiendum, accommodatius excogitari potuiſſe optimus quiſque veriſſime prædicet. Tot enim ſunt ac tam præclaræ cujuſque veſtrum virtutes, ut nulla exiſtat tanta dicendi facultas, quæ earum laudibus non longe ſit inferior. Quare ne videar vel modeſtiæ fines tranſire, vel præter animi mei ingenium aſſentatione uti, malo egregias virtutes veſtras, animo, cogitationeque mecum ipſe reputare, atque admirari, quam pauca, eaque non ſatis pro tantæ rei dignitate, in medium afferre. Nam ſatis præclare mecum quidem in præſentia actum putarem, ſi vel illud dicendo conſequi poſſem, ut eam, quam dixi, noſtrorum antiſtitum lætitiam, vobis ante oculos ponerem, ac ſimul oſtenderem eximiam eorumdem in catholicam eccleſiam obſervantiam, ac ſtudium quoddam ſingulare. In quo tamen illud me conſolatur, quod ſpero id ipſum vobis omnibus aliqua ex parte jam eſſe perſuaſum, tibique in primis Staniſlae Hoſi, cardinalis ampliſſime, qui Nicolaum Olahum Strigonienſem archiepiſcopum, quem ſæpe honoris cauſa nomino, & alios noſtros epiſcopos & noviſti, & eis familiariter etiam uſus es.

Te igitur, illuſtriſſime Hoſi, teſtem appello, tuoque graviſſimo teſtimonio, D. archiepiſcopum, ac dominos Hungariæ epiſcopos honeſtari, ornarique, & meæ curſum orationis adjuvari cupio. Nonne magnam in omnibus, maximam in optimo illo ac prudentiſſimo ſene D. archiepiſcopo pietatem, in oves ſibi commiſſas caritatem, & curam, in lupis a caulis ſuis abigendis vigilantiam, in ſanctiſſimum D. noſtrum, in ſanctam ſedem apoſtolicam obedientiam, in te, atque alios tui ordinis proceres obſervantiam cognoviſtis? Equidem illud pro certo affirmare poſſum, ſi par eſſet noſtræ tot jam bellis attritæ, ac pene proſtratæ nationis ratio, atque aliarum etiamnum florentium, nec ipſum D. Strigonienſem archiepiſcopum, hominem quamvis ætate jam exacta, ac prope decurſa, nec alios DD. epiſcopos noſtros, omnes ferme aut adverſa valetudine, aut ſenectute, quæ ipſa morbus eſt, ita confectos, ut minime poſſint iter paulo longius ingredi: dubitaturos fuiſſe, huc omnes cupidiſſime venire, ſuamque hanc talem, tantamque lætitiam, & quam S. D. noſtro, ſanctæ ſedi apoſtolicæ, & vobis omnibus, & debent, & debere ſe libenter profitentur, obedientiam, atque obſervantiam, præſentes, quibus potuiſſent rationibus, declarare. Neque vero alienum quidquam a majorum noſtrorum pietate, ac religione feciſſent. Multas enim gentes gens noſtra Hungarica in ſanctam ſedem apoſtolicam obſervantia, & quæ hinc enaſcitur, pietate, ac regligionis cultu anteceſſit. Cujus quidem rei tam multa, tamque præclara extant teſtimonia, ut nemo adeo rerum ſit imperitus, cui ſingularis Hungarorum pietas, ac religio non maxime ſit cognita.

Ac ne quid interim de multis regibus noſtris dicam, qui ob eximia in Chriſtianos merita, ob vitam ſancte actam, in beatorum ſunt numerum relati: quid illa, quæ in omnium oculis incurrunt, ſuperba, & magnis opibus extructa templa, cœnobia magnificentiſſima, ſacerdotia opulentiſſima, an non ſatis magnum majorum noſtrorum pietati teſtimonium præbent? Jam vero non ita pridem, ſed patrum noſtrorum memoria, ſalvis adhuc, atque florentibus Hungarici regni rebus, quanti illud ſtudii, & obſervantiæ, quantæ pietatis erga Romanam eccleſiam fuit totius noſtræ gentis argumentum? cum innumerabilis prope multitudo quotannis eupidiſſime Romam confluebat, ut beatorum apoſtolorum limina ſalutarent, atque his proni oſcula figerent, omneſque ſanctorum reliquias, quibus

urbs

ANNO CHRISTI 1562.

urbs est refertissima, venerarentur: ac demum a pontifice maximo, summi beneficii ac gratiæ loco, benedictionem læti demum referrent. Vias tum passim, plateas, fora, gentis nostræ viris ac fœminis, parvulos etiam secum trahentibus opletas vidisses. Non quemquam vel ætas, vel sexus, vel itineris longitudo, vel mille viæ pericula, aut ulla omnino difficultas retinere poterat, quin Romam venerabundus religionis ergo properaret. Omnia scilicet pietas vincebat. Atque hic quidem fortasse adsunt, qui hæc, quæ dico, viderint, ut possit ab ipsorum oculis oratio mea firmissimum atque gravissimum hujus tantæ nostrorum hominum pietatis & religionis testimonium capere.

Sed hujus generis adeo sunt multa Hungarorum pietatis testimonia, ut nusquam se non offerant. Ac ne alia nunc attingamus, quid de tot, tamque diuturnis atque adeo continentibus adversus communem Christiani nominis hostem, & susceptis, & confectis bellis, quid dicam aliud, quam quod omnium hominum confessione verissimum esse constat? Hungaros nimirum singulari pietate, ac Christianæ religionis studio adductos, propterea arma sumpsisse, ut horrendam illam barbarorum tyrannidem, omnibus populis imminentem, depellerent, ac durissimum intolerabilis servitutis jugum a Christianorum cervicibus excuterent: quorum quidem tantæ pietati, quæ satis digna a Christianæ pietatis cultoribus referri gratia potest?

Ipsi, ut reliquæ nationes in utramvis aurem secure, ut ita dicam, dormiant, ut pacis artes, omni depositio timore, excolant, ut summo otio perfruantur: ipsi, inquam, Hungari sævissimis barbaris sua corpora miseris modis dilanianda objiciunt, ipsi barbarorum tela, in Germaniam, in Italiam, in Gallias, in Hispanias, in alias Christiani orbis partes directa, suorum corporum objectu excipiunt. O pietatem singularem, o ingentem atque admirabilem Hungarorum ex pietatis radicibus pullulantem caritatem!

Hanc a majoribus nostris nobis veluti per manus traditam, ac summa semper constantia conservatam pietatem & obedientiam, & ipse D. archiepiscopus, & reliqui episcopi nostri suo, ut dixi, adventu comprobassent, si parem voluntatem, aut commoditatem habuissent. Sed ita ab immani Turcarum rabie omnia divexantur, ita ab hæreticis omnia perturbantur, ac sursum, deorsum feruntur, ut si vel paululum se a suarum ovium conspectu subducant, nihil jam integri sit remansurum. Actum sane de religione, deque omni pietate foret, si D. archiepiscopus, si alii DD. episcopi, non dicam in longinquam aliquam regionem proficiscerentur, sed si pedem omnino ex Hungariæ finibus efferrent. Si quid est, quod hæreticorum hominum rabiem compescat, auctoritas certe est, cujus nonnullum adhuc vestigium nostri episcopi retinent. Idque ob piissimi, atque optimi regis nostri Ferdinandi imperatoris summam pietatem, & singularem quandam in Christianam religionem, inque nostrum hunc ordinem animi propensionem.

Et quidem, quod Christiana religio in Hungaria aliquantum adhuc vigeat, neque prorsus exposa, exturbataque sit, unius Ferdinandi Cæsaris pietati acceptum in primis referre debemus. Cujus erga nos clementia, atque in Deum pietate episcoporum nostrorum auctoritas primum nixa, tum functionibus quibusdam fulcitur, ac sustentatur, quæ in reip. nostræ administratione positæ sunt. Ac nisi majorum nostrorum sapientium virorum, virtute perfectum, ac prudentia ita nobis provisum fuisset, ut qui apud nos episcopi essent, iidem etiam a regibus ipsis nostris ad consilia adhiberentur, nullum in Hungaria jampridem pietatis vestigium reliquum esset.

ANNO CHRISTI 1562.

Quod si hoc etiam tempore a regis consilio removerentur episcopi, Deum immortalem, quanta repente religionis, & rerum ecclesiasticarum perturbatio existeret! Nam tametsi eum Dei benignitate, & clementia regem nacti sumus, qui unus omnium regum pietatem ac sapientiam superat: tamen is tot populorum, tot regnorum, & maximi imperii procuratione distractus, ac gravissimis, iisque continuis occupationibus impeditus, qui potest cognoscere, quid in hac, vel illa Hungariæ parte fieri oporteat, nisi episcoporum admoneatur diligentia? Eo jam hæreticorum vis processit, ut nisi aut ipse Diarchiepiscopus, cum id per muneris sui pastoralis rationem licet, aut alius ex episcopis aliquis ad principis latus assistat, qui contra perpetuam hæreticorum audaciam & insolentiam, ejus opem auxiliumque imploret, omnia in pejus fuere, ac retro sublapsa referri videantur. Quod probe intelligens S. D. noster, & re ipsa expertus, quanti interfit miserrimo hoc tempore, si docti, & pii viri ecclesiarum apud principes patrocinium suscipiant, illum ipsum, quem jam ante nominavi, Nicolaum Olahum, archiepiscopum Strigoniensem, virum omni virtutum ac laudum genere ornatissimum, teque reverendissime Quinqueecclesiensis episcope, hortatus est, ac monuit, atque adeo mandavit, ut nunquam ab imperatoris & regis nostri latere vel latum unguem discederetis: sed pro vestra auctoritate, & qua, merito vestro, plurimum apud eum valetis, gratia, ecclesiarum causam defenderetis, ac tueremini. Huc accedit, quod D. Strigonienses, & alii ex nostris episcopis nonnulli Turcis finitimas aedes habent. Jam in iis defendendis, & ab hostium injuria tuendis, etsi Cæsareæ majestatis munificentia, & liberalitate potissimum subleventur, nisi tamen sua ipsi quoque providentia, ac cura, quæ ad remorandas, quantum fieri potest, hostium incursiones usui sunt, subministrent: si suam prudentiam, ac vigilantiam Turcarum potentiæ non opponant, quomodo fructus suos percipient, quibus se sustentare, suarumque ovium commoditatibus prospicere queant? Postremo tanta est quorumdam ac prope omnium nostrorum episcoporum inopia, ut nisi eos piissimus idemque optimus imperator & rex noster singulari sua liberalitate adjuvaret, & ex suo ipsos ærario aleret, vix fieri posset, ut hi se domi suæ sustentarent, nedum possint tantos sumptus, quanti hic faciendi sunt, sustinere.

His igitur publicis muneribus illic occupentur necesse est, si suam episcopi auctoritatem ac religionis dignitatem retinere ac tueri, si gregem sibi commissum defendere velint. Eo enim ventum jam est, ut non tam contra Turcas, quam contra hæreticos nostris episcopis sit decertandum. Quod ni faciant, actum, ut jam dixi, de omni pietate foret. Quamquam ne nac quidem ratione possunt idquod cupiunt assequi. Tanti enim tum a Turcis, tum ab hæreticis impetus existunt, ut non nisi singulari Dei providentia, nullo eis humano ingenio, nullis viribus, nullis opibus resisti posse videatur. Atque utinam, o utinam, cum sacrosanctum hoc œcumenicum concilium dimittetur, & actiones nostræ, quem

ANNO CHRISTI 1562.

speramus, felicem exitum habebunt, utinam, inquam, illuc, unde egressi sumus, nobis redire liceat. Hæc est nunc calamitosissimæ, olim vero non tam aliarum rerum ubertate, quam religionis integritate florentissimæ Hungariæ facies, quam nemo est adeo ferreus, qui aspicere, & lacrymas continere queat.

Sed tota hac de re, deque miserabili Hungariæ statu, de hæreticorum multitudine, ac varietate, deque iis rebus, quæ privatim ad ecclesias Hungaricas pertinent, dicam alias, cum id per vestram mihi benignitatem, & patientiam facere licebit. Nunc dicendi finem faciam, si prius illud dixero, reverendissimum D. Strigonienſem, DD. episcopos, & universum Hungariæ clerum, cum ipsi ob jam commemoratas, multasque alias causas, præsentes adesse non possent, ut suum tamen singulare studium testificarentur: quod ante hac nullis unquam temporibus factum fuisse legimus, ne florentissimis quidem Hungariæ rebus, id nunc ipsos prostratis publicis, ac privatis opibus præstitisse, ut nos duos hoc tempore D. Joannem Sylvestri Colosvarinum, episcopum Chanadiensem, quem hic præsentem cernitis, & me, summa Cæsareæ majestatis voluntate deligerent, qui eorum nomine omnem, quam S. D. nostro, sanctæ sedi apostolicæ, & vobis debere se profitentur, obedientiam deferremus, ac supplices obtestaremur, ut hanc ipsorum voluntatem, atque etiam missionis tarditatem boni consulatis: seque ac suas ecclesias, quæ in tutela, ac patrocinio potissimum vestro conquiescunt, eo loco habeatis, ut inter ceteras orbis terrarum ecclesias, nonnullam ipsarum quoque habitam a vobis fuisse rationem appareat. Quæcumque autem vos, & sacrosanctum hoc œcumenicum concilium statuerit, & sanxerit, ea nos, ipsique non secus, atque a Deo maximo profecta, qui nusquam a vestris conciliis abest, summa cum reverentia atque humilitate, non accipient solum, sed accepta, quam poterunt maxima cura, ac diligentia, tum ipsi servare, tum alios etiam ut id faciant adducere conabuntur.

LXXXVIII.

RESPONSUM SACRI CONCILII Tridentini, ab ipsius concilii secretario pronunciatum.

REVERENDI patres, persuasum est sanctæ synodo, eam lætitiam, quæ communis fuit cum omnibus Christiani populi nationibus, pro generalis hujus sacrosancti concilii celebratione, ad prælatos, quosque ecclesiæ vestræ Hungaricæ perveniſſe, cujus singulare semper extitit studium in tuenda & conservanda vera Christi religione. Nunc rogandus est Deus immortalis, ut quæ tanto bonorum omnium consensu inchoata sunt, ad optatos etiam exitus pro sua benignitate perducat. Optabilius quidem sanctæ synodo fuisset, ut regni Hungarici prælati ad hoc sacrum concilium personaliter accessissent, sed quando justis & legitimis de causis, cum gravissimo testimonio illustrissimi & reverendissimi D. Hosii cardinalis Warmiensis conjuncto cogantur abesse, libenter illorum excusationem sancta synodus accipit: cum præsertim confidat fore, ut non multo minorem utilitatem Christiana religio, percepturа sit ex opera, quam ipsi suis ecclesiis his turbulentis temporibus, pie & diligenter præstare poterunt: atque eo magis, quod res & negotia sua vobis optimis religiosissimis patribus committenda existimarunt. Quod reliquum est, vos, & mandata vestra, prout juris fuerit, læto animo amplectitur, atque admittit.

ANNO CHRISTI 1562.

LXXXIX.

CONCIO HABITA AD PATRES IN concilio Tridentino congregatos, ab illustri atque reverendo domino Didaco de Payva, d' Andrade, Lusitano, sacræ theologiæ doctore, dominica II. post pascha. MDLXII.

Ego sum pastor bonus, bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. Joan. cap. 10.

SEMPITERNA illa atque inexhausta caritas, qua Deus optimus maximus res omnes a se procreatas complectitur, tantum differt ab amore, quo ipsi res nobis caras prosequimur, ut potius ex vocum penuria, quam ex rerum similitudine sit, ut ea, eadem amoris voce significentur & explicentur. Ut enim præclare docet D. Augustinus, divinæ res tantopere humanæ mentis vim excellunt, & humanis vocibus tam sunt inexplicabiles, ut, nisi divina benignitas sese submitteret, & rusticanis iis, imperitis, & plane infantilibus nostris vocibus pateretur ineffabilia ipsius arcana tractari, prorsus divinæ cognitionis, & divinarum laudum incomparabili fructu careremus. Inter infinita vero discrimina, quibus summa illa divinæ mentis caritas, ab hac nostra infima & abjecta sejungitur, hoc unum est non minimum, quod nos nihil unquam amare in animum inducimus, quin alicujus pulchritudinis aut honestatis specie præconceptæ allecti aut inflammati simus. Ita enim intellectus & voluntatis munera invicem cohærent & conligantur, ut nihil voluntas amplectatur, quod intellectus anticipata cognitione non comprobaverit: nihil detestetur & fugiat, quod non reprobaverit. Quare ubi nihil amore dignum intellectus judicaverit, nullis minis, nullis machinis, nullaque vi voluntas poterit ad diligendum impelli. At amor ille infinitus, incontaminatus, & plane divinus, quo Deus optimus maximus iis quæ condidit conjungitur, non modo a rebus ipsis non proficiscitur, pendetve: sed quicquid boni rebus inest, ab illo tanquam a fonte defluit: ille unus ornamentorum, rerum omnium, pulchritudinum, splendoris omnis, deinde honestatis causa est & origo. Tantumque quodque a summo & præpotenti Deo amari intelligemus, quantum in eo bonitatis contemplari licebit.

1. Libro de doctrin. Christian. c. 6.

Si igitur a Deo amari, est illum in sese liberalem experiri; videamusque multa pluribus a Deo beneficiis ornata: quis jam dubitare poterit, quædam esse Deo aliis longe cariora, quæ videlicet divinæ liberalitati magis sunt obligata? Quocirca quoties Deus filios Israel voluit esse persuasos inter ceteras omnes gentes divinæ dilectionis primas partes obtinere: id semper beneficiorum, quæ in ipsos contulit, commemoratione effecit. Inter omnia autem quæ a Deo formata sunt, quis de acceptis beneficiis, cum homine jure certare poterit? Quis plura Deo accepta referre? Non angelos excipio, non supremos illos omnium ordinum spiritus. Longe ii quidem nos naturæ præstantia superant: sed non hoc potissimum beneficio divinam caritatem metiendam puto. Sed opera potius & studio, quod ipse omnium fabri-

ANNO CHRISTI 1562.

fabricator posuit, ut nemo sempiterna felicitate, ad quam conditi sumus, excideret: quin potius illa omnes perfruerentur. Nostri vero solum causa dictum est: *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam aeternam*. Videte, patres amplissimi, quantum intersit inter seipsum dare, aut sua, ut hinc ardentissimæ in nos divinæ caritatis magnitudinem intelligatis. Neque solum seipsum dedit, sed majestatis suæ quasi oblitus tradidit infirmum, debilem, ærumnis vitæ & incommodis obnoxium, ut nihil pene miseriarum, nihil doloris & cruciatuum potuisset aut humana malevolentia invenire, aut fragilitas sustinere, quod ipse non subjerit. In tantas ne putatis angustias fuisse numen divinum compulsum, ut si illud tanta cupiditas tenebat humani generis liberandi, non aliam rationem inire posset, quam eam, quæ extremæ miseriæ perfunctione, & summi dedecoris offensione continetur? Minime quidem id in hominis mediocriter sani mentem & rationem cadere potest.

Joan. 3.

Sed tanta dilectione hominum divinum pectus æstuabat, ut parum ei visum fuerit, si ea tantum in nos conferret, quæ, quanquam eximia essent, cum tamen a sola omnipotentia proficiscerentur, nullum sibi laborem inferrent. Quare rationem aliam excogitavit nos beneficiis cumulandi, quæ tanto eximiæ ipsius in nos benevolentiæ foret gratior, quanto esset majoribus sui ipsius anxietatibus referta, pluribus vitæ incommodis gravioribusque malis circumsepta. Qua caritate quæ major potest excogitari? Quare jure optimo, ut mea fert sententia, D. Paulus illam promptuarium omnium divinorum beneficiorum censet, cum inquit: *Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non cum illo omnia nobis donabit*? Qui enim vitæ suæ tam fuit prodigus, ut se immanissima morte mactari pulchrum esse judicaverit, ut homines cruciatu dignissimos a debita pœna seduceret, qui fieri potest, ut eisdem hominibus quidquam eorum deneget, quæ ad beatitudinem comparandam illorum interesit? Cum præsertim audiamus divinam sapientiam apud Salomonem, id est, unigenitum filium Dei, non modo homines suas delicias appellantem, in eorumque salute maximam suæ voluptatis partem collocantem, sed illos conferentem cum iis deliciis sempiternis, quas omnipotens pater ex unigenito ipsius filio capit.

Rom. 8.

Prov. 8.

Quod ut evadat exploratius, Hebræa verba totidem Latinis verbis reddamus. Cum sese sapientia maxime commendasset, nihilque sine ipsa a Deo unquam fuisse factum prædicasset, adjungit: Cum eo eram cuncta componens, & deliciæ sui perpetuæ, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terræ ejus. At deliciæ meæ filii hominum (Interpres vero vulgatus nomen Sciaha sciuha modo delicias, modo delectari interpretatur) Neque puto unigenitum Dei filium potuisse melius explicare quam sibi homines essent cari, quam cum ait, perinde illos esse suas delicias, ac ille patris. Etenim cum illa summa atque sempiterna felicitate perfueretur, ita tamen hominum salutem sitienter appetebat, ac si omnia sibi deessent, nisi illi, quoad fieri posset, eadem simul felicitate perfruerentur. Non igitur mirandum est, si Christus se hominum pastorem, & omnium qui unquam fuerunt optimum prædicet: qui ea fuit in oves, quas pascendas suscepit, animi propensione, ut has suos amores, suasque delicias appellet, & habeat: pro iis algeat, pro iis sudet, pro iis esuriat, sitiat, crucem subeat, pro iis nulla, quamvis immania, supplicia formidet: & cum tot angelorum millia perire sit passus, hominem tamen funditus interire ferre nullo modo potuerit.

ANNO CHRISTI 1562.

In quam sententiam D. Joannes Chrysostomus interpretatur verba illa Pauli in epistola, quam ad Hebræos scribit, quibus hominis dignitatem commendans, ait: *Nunquam enim angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit*. Non dixit (inquit) assumpsit, sed apprehendit, ut indicaret contemplatum fuisse Deum angelorum & hominum naturas a se quasi fugientes, & homines Dei voluntate contempta ferri præcipites: quod cum non pateretur divina clementia, summo studio homines fuisse insecutum, tantumque operæ & laboris in eo posuisse, quousque tandem illos quasi apprehensos retinuit, ne perirent. Nonne hoc est officium boni pastoris, feris se laniandum exhibere, ut grex incolumis servetur?

Cap. 2.

Quam Christi in oves suas vigilantissimam curam, egregiamque benevolentiam commendans D. Paulus ad Tit. scribens, ait: *Qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut nos redimeret, & mundaret sibi populum acceptabilem sectatorem bonorum operum*. Vocem autem græcam περιούσιον, quam vulgatus interpres vertit acceptabilem, quia peregrina & incognita erat veterum Grecorum auribus, ait D. Hieronymus, neminem reperisse qui sibi explicaret: quare coactus est ex ipsis fontibus sacrarum literarum vocis hujus vim & propriam significationem petere: in quibus offendit septuaginta interpretes, quoties scriptura utitur voce Segulah, vertere solitos περιούσιον: est autem Segulah, thesaurus in majori pretio habitus, magisque reconditus & selectus: quod etsi non paucis scripturæ locis possemus facile ostendere, unus tamen sit nobis multorum instar, Ecclesiastes cap. 2. Vbi enim vulgata lectio habet, *Coacervavi mihi substantias regum & provinciarum*: habet Hebræa Segulah melachin, id est, selecta quæque regum. Neque enim Salomon jactat se omnium regum & provinciarum æraria exhausisse & compilasse, sed quicquid ubique fuit magni pretii, sibi comparasse. Quapropter semper pro Segulah vertit Chaldæus Paraphrastes Habidin, id est, carum & dilectum valde. Unde fit (ut ad propositum revertamur) D. Paulum voce περιούσιον, a septuaginta usurpata, voluisse significare Christum seipsum tradidisse, ut gregem suum non quocumque modo redimeret & mundaret, sed illum sibi possideret proprium & peculiarem, tanquam pretiosum & carissimum thesaurum.

Cap. 2.

Sed quanto majorem spem & alacritatem horum commemoratio merito ingerit nostris omnium animis, qui oves illæ sumus Christo longe carissimæ: tanto majorem timorem incutiat necesse est eorum præcordiis, quorum fidei & curæ eæ ipsæ oves Christi traditæ sunt. Cum eo sint Christum severiorem judicem experturi, quo benigniori pastore illo utuntur oves illæ, pro quibus vobis, patres amplissimi, reddenda est ratio. Quis enim æquus rerum æstimator sibi poterit persuadere satisfacturam in pascendo suo grege nostram negligentiam ei, qui sua ipsius diligentia nunquam sibi satisfeciſſe videtur? Neque enim ita unquam amore est satiatus, ut tot laboribus pro suis ovibus exantlatis tam acerbæ

ANNO CHRISTI 1562.

mortis perpessione ardor illè caritatis restinctus aut temperatus sit, sed velut fomenti accessione videtur multo majores vires sumpsisse, usque adeo sane, ut si salus cujusquam illarum ovium quarum estis pastores, postulaverit, lubentissime iterum sit vitæ jacturam facturus, ut ab eodem Christo revelante accepisse sanctissimum virum Polycarpum tradit divus Dionysius Areopagita in ea epistola, quam de benignitate ad Demophilum scribit.

Tanto igitur Christi amori, tam inflammatæ caritati quæ hominum vigilantia poterit satisfacere? Si grex hic esset, quem suus dominus parvifaceret, & quem non omnibus suis opibus prætulisset, possemus quidem in spem duci, quamcumque in hoc genere somnolentiam facile condonandam. Sed qui præcipuas domini sui delicias, suavissimosque amores sibi traditos esse intelligit: qui certo scit nihil dominum suum habere carius, nihil in omnibus rebus quas condidit præ oculis magis iis ovibus quas ei pascendas, servandas, fovendasque tradidit; non intelliget nullum in hoc munere peccatum esse facile ferendum, nullam negligentiam non maximam? Quare, pastores optimi, nunquam hoc nomen jure poteritis usurpare, nunquam (inquam) satis pro dignitate pastorali officio functos vos esse intelligite, nisi cum hunc potissimum cogitationum vestrarum scopum & universæ vitæ vestræ præfixeritis, omnes animi & corporis nervos in hoc unicum negotium contuleritis, ut ne minima quidem ex vestris ovibus pereat, sed universum gregem sartum tectum summo pastori Christo offeratis, qui pro illo mortuus est. Quæ tamen vires non corporis languore assidua vivendi licentia contracto, sed caritate metiendæ sunt. Sæpe enim fit, ut quis solum illa se posse præstare arbitretur, quæ cum voluptate conjuncta sunt. Quæ quam falsa sit, & Christiano homine indigna cogitatio, satis Christus indicavit, cum dixit: Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. At cujus rei vel sola recordatione humanus animus magis consternatur quam mortis? Hanc tamen, quam natura ita perhorrescit, caritas ovium votis omnibus amplexatur. Quare tunc quisque omnia quæ potest fecisse se jactet, cum cuncta caritatis officia fuerit diligenter persecutus. Nisi enim ad hostes Christiani nominis, qui nunc effrenate grassantur, velit quis deficere, certo secum statuat necesse est, ita esse divinam legem æquam, ut æque pateant vires nostræ divinæ præsidiis confirmatæ, & caritas, Christianæ religionis summa & fundamentum, eisdemque prorsus finibus claudantur.

Amor, veteri proverbio, fuit omnipotens dictus, ut qui omnem operis molestiam levat, omni labore & difficultate liberat. Qui igitur fieri potest, ut inflammatus quidam amor & in Christum, & in oves ejus minus habeat roboris quam impurus, nefarius, sceleratus, atque prophanus? Aut quid turpius esse potest, quam apostolicæ functionis successores virium imbecillitatem, aut operis, ad quod a Christo missi sunt, difficultatem excusare? Quare prudenter satis expendit D. Joannes Chrysostomus, quod Christus, cum Petro voluit omnem ecclesiæ vicariam curam committere, & gregis sui supremum pastorem creare, non fuit diligenter perscrutatus, si ceteros omnes prudentia, si literarum cognitione excelleret, si parentum gloria, aut generis splendore præiret, si reliquis apostolis morum austeritate, illibatæ vitæ continentia, si ciborum parsimonia præstaret: sed hoc solum, si amore erga ipsum omnes vinceret. Idque ter geminata interrogatione, dicens: *Petre amas me?* At ille, *Tu scis domine quia amo te*: cui Christus, *Pasce oves meas*. Iterum ac tertio, *Petre diligis me plus iis?* cumque perseveranter assereret summopere ipsum diligere, eum ceteris pastoris officio prætulit, quem intelligebat ceteros caritate superare: qua una re satis pastor optimus, pastorumque omnium verus æstimator indicavit, neminem posse ex animi sui sententia pastoris ecclesiastici officio fungi, nisi qui ipsum ardenter amaret: ut qui solus nihil eorum formidabit quæ ipse pro ovium suarum incolumitate subiit. Christi enim & ovium dilectiones ita sunt conjunctæ, & indiscretæ, ut neque inter se disjungi, neque una sine alia extare ulla ratione possit.

ANNO CHRISTI 1562. Joan. 21.

Quocirca cum Christus ecclesiæ suæ pastoribus voluit muneris sui leges instituere, seipsum formam atque typum proposuit, in quem perpetuo respicientes officium suum discerent. Unde fit ut D. Joannes Chrysostomus, divino quodam spiritu concitatus, tertio libro de sacerdotio constanter affirmet summa esse reprehensione dignum, qui oblatum episcopatum amplectitur, cum non vere illam Pauli vocem possit usurpare, *cupio anathema esse a Christo pro fratribus meis*. Quare insolenter magis quam vere, & de Christo & de ovium dilectione sibi blanditur, qui pro eis quævis etiam horrenda pericula subire formidat. Nemo vero tam severe ecclesiæ prælatos amplissimos auderet judicare, nisi jam esset Christi præjudicio definitum, non pastores, sed abjectissimos esse mercenarios, illiberali & sordida redituum mercede conductos, vilissimique quæstus spe, & amore locatos, eos omnes, qui ovium curam gerunt, ut potius suæ quam illarum studeant incolumitati: malintque oves, quarum curam alacri animo susceperunt, perire, quam sese pro eatum salute devovere.

Rom. 9.

Mercenarius (inquit) *cum videt lupum festinare, fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ovibus*, sed de reditibus, nihiloque nisi propriis servit commodis. Cum quibus Christi verbis consentit, quod D. Paulus, cum recenset caritatis officia, in potissimis numerat, *non quærere quæ sua sunt*. Quapropter ii, qui cum Christi oves perire, lacerari, dilaniarique intuentur, Christi honorem proscindi, religionem conculcari & profanari vident: ita tamen propriis commodis hærent, suisque sunt cupiditatibus infixi, ut nihil horum perire facile patiantur, quo tantis incommodis opem ferant: si pastores sint, nonne satis indicant se non liberalem, sed mercenariam operam Christo locasse: si vero pastorali munere sint destituti, omnis Christianæ caritatis expertes a Christiano sensu plane alieni, omnique divina dilectione prorsus destituti non temere, sed Christi & apostoli vocibus possunt judicari.

Si quod igitur unquam fuit tempus, patres amplissimi, aut si qua sese potuit occasio offerre, ut veri ecclesiæ Christi pastores a mercenariis disjungi valeant, nunc maxime. Communi enim sanctorum patrum sermone usurpatum est: rebus secundis ægre posse veros pastores a mercenariis secerni. Sæpe enim fit ut omnes pastorum specimen præseferant: Solo autem ærumnoso tempore, & cum ovium salus periclitatur, pectus caritate accensum, Christique dedecoris impatiens potest cognosci. Veluti qui sint fortes & strenui

6. lib. de Sacerdotio.

ANNO CHRISTI 1562.

strenui milites, non pax, sed funesta pugna ostendit. Cum igitur lupi truculentissimi passim grassentur, gregem domini magna ex parte deglutierint, quod reliquum est avidissimis morsibus infectentur, summa vigilia animis nostris abstrusas instruant insidias, nullum non moveant lapidem, nullam occasionem prætermittant, nulla non confingant mendacia, ut, si fieri possit, nihil saltem incontaminatum maneat: quis erit verus Christi ovilis custos, aut quem aliquis divini honoris sensus tanget, qui non summopere, studeat summa cum rerum suarum jactura, quovis honoris incommodo, vitæ quocumque discrimine tam grave incendium, tamque late serpens malum, si non extinguere saltem temperare? Id quod eo majori contentione nobis faciendum est, quo magis intuemur istos, Christiani nominis hostes, nos nostris oppugnantes telis, a nostrisque vitiis argumenta arripere, quibus & catholicæ ecclesiæ puritati tenebras obducant, & ipsius conentur integritatem evertere.

Legistis puto, patres amplissimi, hostium nostrorum scripta maledicentiæ, calumniarum, & criminationum plenissima: quibusque potissimum conantur omnium nostrum verenda totius orbis oculis objicere, & palam facere. Expendite, quæso, ipsorum tela omnia, quæ in nos jaciunt, quibusve machinis catholicam ecclesiam oppugnant: & videbitis hoc unum esse potissimum: nostram vivendi rationem cum illa veteri apostolorum & religionis nostræ heroum conferre, & quantum ab illa deflexerimus, quanta possunt hostili malevolentia & audacia, amplificare: nostram vivendi licentiam cum antiquorum patrum parsimonia, ambitionem cum modestia, negligentiam cum solicitudine, morumque nostrorum obscuritatem cum sanctitatis splendore pristinæ ecclesiæ comparare. Et cum aliquibus veris (proh dolor!) permulta falsa immiscent, falso concludunt, non posse fidei integritatem apud illos manere, qui moribus tantopere degenerarunt. Quę ratio etiam si omni probabilitate careat, tamen quantum apud ignaros & imperitam multitudinem habuerit momenti, satis nos malorum experientia docuit. Quoad longissime potest, patres amplissimi, mens vestra respiciat spatium præteriti temporis, atque hujus pestis initii, pueritiæque memoriam recordetur ultimam: & inde usque repetentes plane videbitis, iis exordiis hoc contagium sese in hominum animos insinuasse, iisdem argumentis adoleviſse, neque aliis fomentis in dies majores vires sumere. Quid autem justius potest Christiani hominis pectus angere, quid majoribus cruciare anxietatibus, quam intueri ecclesiam communem omnium nostrum matrem, a qua in Christo geniti sumus, cujus uberibus educati, monitis aliti, præceptis instructi, fide confirmati, a nobis filiis carissimis bello infestari, sævissimisque hostibus, ut illam oppugnent, arma suppeditare? Neque enim unquam tantopere vexaretur, nisi immanissimi hostes ei filiorum opprobria possent objicere. An non jure poterit nobiscum expostulare iisdem verbis, quibus olim dominus apud Isaiam de filiis Israel conquerebantur: *Filios enutrivi & exaltavi, ipsi autem spreverunt me*. Et sic sensibus orbati sunt, ut neque sint quidem cum brutis animalibus comparandi. Nam & boves suum dominum agnoscunt, impositumque ab illo jugum sponte subeunt. Asini vero dum præsepia domini frequentant, plane sentiunt se domini providentia

Cap. 1.

sustentari. At populus hic meus tot a me honoris insignibus decoratus, tantisque beneficiis cumulatus, beneficiorum memoriam prorsus abjecit, & honoris mei solicitam curam plane deposuit.

ANNO CHRISTI 1462.

Nihil dubito, pastores vigilantissimi, quin brevi, divino afflante spiritu, sitis tot malis opportunum remedium allaturi. Nisi enim id mihi de vestra integritate, in Deum fide & pietate, singularique prudentia pollicerer: parum abesset, quin de rebus nostris actum esse ducerem: & a nobis transferendum esse regnum Dei, & dandum esse genti facienti fructus ejus. Sed dicet quispiam: si omnium ordinum mores ad pristinam vivendi normam reducantur, putas ne hostes nostros manus daturos, & ad ecclesiæ unitatem statim redituros? Imo, cum ipsi sint nefario scelere contaminati, vitæ turpitudine infecti, & eam fidem sibi excogitaverint, cum qua omnis turpitudo & vivendi licentia consentiret, tanto majori odio ecclesiam prosequentur, quanto illius ministri fuerint vitæ innocentia magis incontaminati, & religione puriores. Quid futurum sit, patres amplissimi, non meum est præjudicare, & quam sit brevi hæc pestis restinguenda, illius judicio relinquamus, cujus cognitionem nihil futurum latet, sed omnia æque intuetur, cuique æque parent, & quæ sunt, & quæ non sunt. Hoc tamen constanter possum affirmare, quod nemo, puto, inficiabitur, nulla re magis vos Christianæ reipublicæ perpetuæ incolumitati consulturos, eorumque saluti, qui aut ignorantes a catholica fide desciverunt, aut perditorum hominum falsis persuasionibus in ea parum sunt confirmati, opem esse allaturos, quam si divinæ caritatis facibus accensi diligenter curetis ea omnia a Christi ecclesia relegare, quæ & Christi hostes nobis juste exprobrant, & homines pios merito offendunt. Parum ne operæ pretium facturos vos esse putatis, si effeceritis, ne jam incircumcisi isti agminibus Dei viventis juste exprobrare possint, neve divinum nomen omni laude & veneratione dignum propter nos inter gentes blasphemetur? Quo telo aut omnino confracto, aut leviori atque hebetiori reddito: quod præcipuum in causam nostram intendunt, & in quo omnem habent fiduciam collocatam: quibus jam fictionibus, quave argumentorum vi poterunt mendaciis suis patrocinari, quæ non facile a nobis omnia rejiciantur, quibusque diu causam suam apud suos tueantur? In eorum scriptis, qui falsas hominum sententias refellunt, mediocriter versatus sum: cumque permulta legerim, quæ illorum vesaniam comprimunt, falsasque opiniones apertis argumentis convincunt, nullis tamen in antiqua religione magis sum confirmatus, quam legendis iis ipsis, quæ isti perditæ mentis, frontisque perfricatæ ad stabiliendam suam sententiam cumulant.

1. Reg. 17. ad Rom. 2.

Cum enim video omnia illorum scripta scurrilibus vocibus scatere, impostoris, mendaciis, sanctorum patrum locis aut depravatis, aut truncatis referta esse, satis video quam turpem causam tueantur: cui non nisi scurrilitate, aut apertis mendaciis possint patrocinari. Vixque mihi possum persuadere, hæresiarchas illos, factionis istius principes, ita esse persuasos, ut imperitæ multitudini studeant persuadere. Qui enim fieri potest, ut viri non omnino imperiti, & in sanctorum patrum scriptis satis versati fallantur mendaciis a se confictis, iisque sanctorum patrum testimoniis, quæ a se truncata & depravata esse certo sciunt?

ANNO CHRISTI 1562.

Sed, cum volunt nominis illam existimationem, A quam sunt consecuti, apud suos tueri, contramentem, contraque sententiam sæpe agunt, soliqueimperitæ multitudini suam hæresim probare studeant, quam unicam suæ veritatis & fidei judicem ut cœcam & rudem, voluerunt. Cum autem se causa cadere, neque jam illam se posse tueri intelligunt, in nos debacchantur, & aliquibus nostris objectis vitiis conantur nos in omnium invidiam ducere: atque ita erga nos sunt animati, ut toti in hanc cogitationem incumbant, ut vulgo hominum persuadeant, omnes nostras vigilias & cogitationes, quas in tuenda sacramentorum vi, fideique veritate collocamus, huc solum spectare, ut privata nostra commoda, quæ inde pendere arbitramur, sarta tecta conservemus. B Qua nota atque ignominia, quæ major in Christianam rempublicam potuit excogitari?

Præclare jam puto, patres, intelligitis, quantum sanctissimi hujus consessus, sacratissimæque synodi sit muneris, quantumque Christi honos, religionisque nostræ decus & integritas a vobis postulet, ut nihil prætermittatis ad totius ecclesiæ mores ita componendos, ut omnes intelligant, quantum semper vitia nostra vobis displicuerint, quantumque vitæ integritatem, divinæque legis exactam observantiam perpetuo caram habueritis: nihilque a nobis judicio aut ratione unquam (ut hostes nostri falso criminantur) sed humana fragilitate fuisse peccatum. Cujus erit luculentissimum testimonium, si omnium vestrum C calculis omnis ecclesiæ labes, corruptique mores jam deinceps prorsus exulent, illaque vestra opera pristino nitori restituatur. Neque dubito, si hoc unicum remedium languenti ecclesiæ adhibeatur, quin omnes hostium Christianæ disciplinæ & philosophiæ conatus, quibus Christianæ reipublicæ insidiantur, in ejusdem dignitatis & amplitudinis accessionem convertantur. Si enim pristina ecclesiæ tempora memoria repetamus, facile videbimus omnem hanc illius gloriam & splendorem quem admiramur, hostium insidiis, adjuvante divina bonitate, comparasse. Quod Christus ipse Petro apostolorum facile principi prædixit, *Simon* (inquit) *satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum; ego autem* D *rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: tu autem aliquando conversus confirma fratres tuos*. Non quidem patrem rogavit, ut ecclesia hostibus careret: id enim esset gloriam ecclesiæ suæ invidere, & ut Laurentii, Stephani, Vincentii, ceterorumque martyrum triumphis, quibus splendescit, esset destituta, imprecari: neve tot sanctissimorum doctorum præclarissimis monumentis esset illustrata: sed solum precatus est, ne fides iis persecutionibus lacessita succumberet, sed idem fieret gloriæ occasio, quod in ruinæ materiam satanas moliebatur.

Sozomenus hist. Eccles. lib. 5. cap. 4. & 5. Item Nicephorus lib. 10. c. 20. & l. 11. c. 1.

Julianus (ut ex ecclesiæ annalibus constat) qui ob defectum a fide apostata dictus est, cum omnes nervos conferret ad Christi gloriam delen E dam, vidisset que in dies eidem majoris splendoris cumulum accedere: & odio, conatibusque suis reddere ecclesiam longe illustriorem, neque ferens esse se gloriæ ministrum ei, cujus honorem conabatur obterere: aliam rationem excogitavit Christi gloriam obscurandi, & publico edicto pacem ecclesiæ reddidit: putabat enim pace posse ecclesiæ gloriam obcœcari, quam oppugnationibus comparaverat: aut saltem illi tanti splendoris occasionem præriperet. Cum enim ecclesia omnibus humanis præsidiis destituta, solisque Christi promissionibus hærens, undique bello petita, nulla ex parte non lacessita, tantum fuerit gloriæ consecuta: satis Deus optimus maximus declaravit, non humanis viribus, sed divinis auspiciis & auxiliis sustentari. Quare Tertullianus in apologetico, simulque Eusebius Cæsariensis, summæ cuidam providentiæ divinæ adscribunt, quod, cum Tiberius Cæsar ad senatum referret stupenda Christi opera, quibus adducti permulti, ipsum verum Deum prædicabant, velletque senatus consulto in deorum numerum referri: senatus tamen Tiberii precibus non acquieverit: quia non expectata ipsius sententia Deus a multis haberetur: erat enim tanta Romani senatus deliratio, ut vellet etiam divinitatem a suis sententiis pendere, necesseque esse Deum habere homines propitios, si Deus haberi vellet. Divina autem summa & infinita sapientia effecit, ut Christi divinitas a senatu rejiceretur, ne evangelii vires hominibus adscriberentur. Qua etiam divina providentia factum est, ut nunquam Christi ecclesia importunissimis hostibus careret, quibus superatis, sui in fidei & disciplinæ integritate multo magis confirmarentur.

ANNO CHRISTI 1562.

2. Eccles. hist. libr. cap. 2.

Quapropter, pastores vigilantissimi, de iis qui pereunt soliciti sitis, ut bonos pastores decet, qui animam suam exponunt pro ovibus suis. Ecclesiæ Christi nihil est quod vereamini: iis enim procellis quati quidem potest, mergi nullo modo poterit. Hoc vero, judicio meo, præ omnibus intimis sensibus nos angere & torquere debet, ne forte divinum numen tam sit contra nos irritatum, ut, nisi summa cum celeritate a nobis, vitæ sanctimonia, moribusque ad normam evangelii filii sui reformatis, placetur, aliquando tandem ira incitatus & commotus nos deserat, atque alium populum sibi acceptabilem, sibique dicto audientem pariat. Neque enim est, quod nobis plura de *Rom. 1.* divina clementia pollicemur, quam olim Libya, Persia, Alexandria, Macedonia, Africa, Ægyptus: quæ provinciæ cum tantopere fide & Christiana religione vigerent, ut viri sanctitate clarissimi, qui in illis quondam floruerunt, sint nobis summæ admirationi, illorumque meritis & doctrinæ monumentis summa cum voluptate fruamur: tamen in quantis nunc ignorantiæ & infidelitatis tenebris versentur, nemo non videt, cum ab iis fidei rudimenta cogantur accipere, quorum fuere magistræ. Neque enim est obscura D. Pauli sententia semel in id furoris & indignationis divinam iram progredi, ut homines divinæ cognitionis lumine privatos, divinisque auxiliis destitutos tradat in omnium suarum cupiditatum potestatem, ut nihil jam sit, quod eos possit in officio continere, aut ab omni flagitio retardare.

Simulque, amplissimi præsules, animadvertite totius Christiani orbis oculos in vos, divino beneficio huc quasi postliminio reductos, esse defixos: vestrum judicium, ut divina quædam oracula, hæreticos omnes perhorrescere: alicujus criminis conscientia perculsos vestram censuram summopere formidare, ut qui persuasi sunt vos jam nostris cupiditatibus modum adhibituros; miseros hæreticorum importunitate vexatos a vobis auxilium præstolari, ut qui Christianæ religionis, & omnium Christi ovium nunc patrocinium & præsidium sustinetis: omnesque pios omnino esse persuasos in vestra vigilantia, prudentia, integritate, eximiaque in Deum pietate, ovilis Christi instaurationem, morumque ad antiquam disciplinam restitutionem esse positam,

ita

ANNO CHRISTI 1562. Luc. 24.

ita ut totus Christianæ reipublicæ nomine dicere ausim: nos speramus quod sitis redempturi Israel. De me id possum testari, quod, cum sæpe angar & crucier cogitatione earum calamitatum, quas miserrimis his temporibus intuemur: maxime tamen me consolatur sacratissimi hujus concilii auctoritas. Quod cum intueor, non possum adduci, ut credam ecclesiæ Christi pastores sanctissimos, qui luporum truculentam rabiem, aut in ovibus suis sunt experti, aut habent exploratissimam, quicquam eorum esse prætermissuros, quæ optimos pastores de Christi grege mirum in modum solicitos decet, quæque aut ad Christi gloriam amplicandam, aut ad Ecclesiæ omnem nævum & maculam eluendam valeant.

Macti igitur virtute, patres amplissimi, facite, ut hanc totius Christianæ reipublicæ de vobis expectationem neque fallatis, neque diu suspensam teneatis. Nobis vero qui muneris vestri sumus coadjutores & ministri, curæ erit potissimum ad Christi pedes provolutis lacrymis & singultibus illius clementiam precari, ut ecclesiæ suæ labenti opem ferat, cordaque filiorum ad patres convertat, ut jam-jam illi reddatis hanc ecclesiam sponsam dilectissimam, omni labe atque ruga carentem, & plane dignam, cum qua in terris habitare dignetur, ut cum illo triumphet in omnes æternitates in cœlis. Amen.

XC.

REVERENDI PATRIS MAGISTRI Thadæi Perusini Augustinensis, concio ad sacrosanctum concilium Tridentinum, habita in festo sanctissimæ ascensionis anno Christi domini MDLXII.

CUM hodie, patres amplissimi, universus terrarum orbis, solennem ac sacrosanctum hunc diem veneretur, quo Christus Dominus in cœlum ascendisse prædicatur: non mihi desistendum putavi, quin vobiscum hunc eumdem lætissimum diem concelebrarem, & ea in medium afferrem pro virili, quæ suggerente ipso sanctissimo ascensore, maxime ad præsentem rerum & temporum statum facere viderentur: quandoquidem ad onus hocce subeundum, me in primis hortatæ sunt difficillimæ Christianæ reipublicæ calamitates, & angustiæ: in quibus nullam æquam reperiri posse causam sum arbitratus, qua a labore & officio (viro præsertim Christiano) vacare liceret. Nam quemadmodum ad priscum illud Salomonis templum (quod Chaldæi igne & ferro vastaverant) reficiendum, non modo potentissimi Cyri edicto accersebantur divites, & qui magnifica dona afferrent: verum etiam pauperes & imbecilliores excipiebantur, qui alia vilioris materiei munuscula exhiberent: pari quoque ratione in hoc magno consessu, qui Pii IV. pontificis maximi jussu hic factus est: ut cogitetur de instaurando sanctissimo Dei templo, quod impiorum quorumdam perfidia ac petulantia inclinare, ac fere labi cœperat, unicuique patere aditum existimavi ad augustissimum hunc locum, dum sese, fortunas, & quicquid habet virium ei polliceatur & deferat.

Dicturo itaque mihi de divinissimo Christi in cœlum ascensu, plura quidem, sed duo in primis occurrunt, quæ cum omnium maxima, tum maxime quoque necessaria videntur. Alterum quidem, ut differamus, quamobrem Christus, cum sit idem cum patre Deus, sese in cœlum receperit, quantumque gloriæ & dignitatis ei ad patrem reverso accesserit. Alterum vero quid iis qui in eum crediderint commodi & utilitatis attulerit. Qua quidem in re, si ea non præstitero, quæ tantorum virorum tam illustri corona digna viderentur, illud vos etiam atque etiam rogatos velim, ut munus, quod affero perexiguum, hoc summa animi mei in vos, in Deumque optimum maximum pietate compensetis.

ANNO CHRISTI 1562.

Qui admiranda divinaque Christi opera, pie, & sine errore meditari contendunt, operæ pretium est, duplicem in eo naturam, divinam scilicet & humanam, ante omnia sibi proponant: quæ tametsi in una eademque persona admirando consortio unum fiant, inter sese tamen discretæ, ac longe admodum sejunctæ esse dicuntur, & suam utraque retinet vim, propriisque fungitur officiis atque muneribus. Nam quæ Christo conveniunt, ut Deo, eidem ut homini nulla ratione conveniunt. Quæ itidem ut homini, nefas est illi ut Deo tribuere: verumtamen cum indissolubili inexplicabilique nexu, in una eademque hypostasi (ut diximus) conjungantur, fit, ut quæ naturæ divinæ sunt, homini: quæ vero humanæ, Deo sæpissime tribuantur. Hoc ipsum profecto, cum de sacrosanctæ ascensionis mysterio cogitamus, nos ad memoriam revocare maxime convenit. Nam cum sacræ litteræ Christum Jesum, Deum & hominem, cœlos ascendisse testantur: non de eo, secundum divinitatem, quamvis virtute divinitatis intelligere illud oporteat, quando quidem Deus ubique est, omnia implet, omnia continet: non deest usquam, nusquam non adest. Sed neque putandum, ita Christum sui corporis præsentiam subtraxisse, ut (quemadmodum impii quidem senserant hæretici) eo nos omnino destitutos esse voluerit: quin potius illud ipsum quod surrexit, ac in cœlum ascendit, voluisse sub divini sacramenti tegumento obtectum, nobis in cibum exhibere, ut ejus vi corroborati, & virtute educati, ac enutriti: dum diutius peregrinamur, & longe a cœlesti patria evagamur, non deficiamus in via: sed alacres & indefessi in finem usque properemus. At vero cum in consummatione sæculi ad judicandum venerit, nullis amplius velaminibus obductus apparebit: sed quemadmodum ascendit in cœlum, sic venientem sumus conspecturi: & tandem una cum ipso in cœlum rapti, illo ipso perpetuo sumus fruituri.

Marc. ult. Act. 1.

Ibidem.

Cum itaque Christus, Deus & homo, secundum hominem tamen a mortuis resurgens, corpus haud amplius moribundum, aut ulli corruptioni obnoxium suscepisset, debebat incorruptibilem quoque locum adire: quandoquidem minus cohærebat corpori jam plane divino, & immortalitatis gloriam adepto, lutea hæc & terrestris habitatio. Cumque corpus illud glorioſissimum, præter egregias dotes, quibus undique erat exornatum, divinæ quoque personæ conjunctum extitisset: debuit non modo supra cœlos, verum etiam supra omnem creaturam extolli. Qua quidem in re, stultam fecit penitus Deus sapientiam hujus sæculi, prudentiamque prudentum reprobavit, dum quod illi nequaquam fieri posse arbitrabantur, mirabiliter eum effeciſſe conspicimus: quando scilicet sanctiſſimum

ANNO CHRISTI 1562.

mum suum corpus, quod suopte pondere ad ima labitur super altissimas cœlorum sedes tolli præsentes apostoli conspexerunt, & venerati sunt. Quid? quod si admirandam Dei providentiam contemplemur, satis superque constabit, debuisse conspicuam illam atque sensibus tractabilem corporis præsentiam submoveri, cum nulla alia de causa clarissimus filius fuisset ab amantissimo parente missus in hunc mundum, nisi ut perficeret opus ejus: hoc est, ut hominem ad æternam gloriam procreatum, satanæ tamen livore, & peccati colluvie dejectum atque prostratum erigeret, & cum Deo in gratiam reduceret. *Venit enim Filius hominis quærere, & salvum facere quod perierat.* Quamobrem cum sua ipsius morte ac resurrectione hujus legationis munus absolvisset: debuit ad patrem ire, atque apud eum pro nobis perpetuo advocatum agere. Nec tamen quamprimum surrexit a mortuis, ad patrem se contulit: sed *præbuit* adhuc *seipsum vivum, in multis argumentis, per dies quadraginta*: ut ea ratione suam nobis resurrectionem, præ omnibus ejus maximis operibus, maxime admirandam & salutarem demonstraret: quo tot signis & miraculis comprobata, omnem ex animis dubitandi occasionem removeret: ut non immerito recumbentibus undecim discipulis apparens exprobraverit incredulitatem illorum & duritiem cordis, propterea quod iis, qui eum viderant resurgentem a mortuis, non crediderant. Verum enimvero, non mediocris mysterii vim certus hic dierum numerus continere videtur: sed cum danda sit opera, ut quam brevissime possumus, utiliora pronunciemus, unicuique liberam (dummodo a recto fidei tramite non aberret) judicandi facultatem relinquimus.

Joan. 4. *Luc. 19.* *Act. 1.*

Ex his itaque cum abunde constet, quamobrem Christus, terreno hoc relicto ergastulo, cœlestia regna petierit (quod primum erat nostra oratione pertractandum) nunc alterum quod supereſt, quoad ejus fieri potest, brevibus absolvemus. Videamus itaque quid, quantumve gloriæ ac dignitatis, cœlestis Christi ascensus hodierna die ei pepererit. Scribit evangelista, quod *assumptus in cœlum sedet a dextris Dei*. Breviuscula quidem, & angusta satis est oratio, sed angustissimam & plane divinam Christi gloriam ac dignitatem explanat: *Sedet*, inquit, *a dextris Dei*. Neminem puto commoveri, quod alibi legatur, Christum stare a dextris virtutis Dei: stat utique Christus, & sedet: stat quidem, veluti semper paratus ad pugnam pro nobis ineundam, & ad opem nobis afferendam: sedet, quatenus, jam magna ex parte hostibus devictis, summa cum tranquillitate possidet regnum; manu potenti & brachio excelso, humilitate scilicet & patientia, e manibus hostium ereptum. *Et sedet a dextris Dei*: quoniam secundum naturam, quam suscepit humanam, supremum obtinet beatitudinis gradum, veluti in potioribus bonis paternæ hæreditatis constitutus: reliquis etiam minoribus bonis tum potiturus, cum evacuaverit omnem principatum, potestatem atque virtutem. Sed non secundum hominem solum, verum & secundum abditissimam divini numinis majestatem, aliquid ei faustissimum hunc ad patrem ascensum contulisse putandum est: cum is, qui apud homines habebatur ut homo, postmodum fuisset agnitus & prædicatus ut Deus.

Marc. ult. *Act. 7.*

Illa vero Christi fœlicitas, ad quam secundum hominem fuit assumptus, cum rerum omnium sit pulcherrima, mira verborum venustate, & summa sententiarum gravitate debuit explicari: id quod tum aptissime cœleste oracultum protulit, cum eundem sedere a dextris Dei pronunciavit. Quibus in verbis, tantum Christi fœlicitatem ab aliorum fœlicitate sejunctam esse voluit, ac intelligi, quantum dextera a sinistra distare cognoscitur. Quod fœcundum illud electionis vas Paulus affirmans, in hæc verba prorumpit: Christus sedet ad dexteram majestatis in excelsis, tanto melior angelis effectus, quanto glorioſius præ illis nomen optione hæreditaria est consecutus. Hoc ipsum clarius alibi declaravit, dum dixit: quod suscitavit illum Deus a mortuis, & constituit ad dexteram suam in cœlestibus, super omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & super omne nomen, quod nominatur, sive in hoc sæculo, sive in futuro. Quid pluribus immoror? deficeret me tempus: & a primario instituto recederem, si omnia loca velim recensere, quæ incomparabilem hanc Christi dignitatem & gloriam aperte commonstrant. Sed fortasse magis oporteret observare semitas ejus, & quibus vitæ rationibus eo perveniatur: atque in illis ambulare si expetimus, ejusdem gloriæ nos aliquando fore consortes. *Non est discipulus supra magistrum*, dicebat ipse salvator: *nec est servus major domino suo*. Propterea si Christus Deus & dominus noster, multa sustinuit opprobria, cruciatus, & mortem, ut ita intraret in gloriam suam: sic & nos per multas tribulationes oportet intrare in regnum Dei. *Vidit Isachar*, inquit scriptura, *requiem quod esset bona, & terram quod esset optima, & supposuit humeros ad portandum.*

Hebr. 2. *Ephes. 1.* *Luc. 6.* *Joan. 15.* *Act. 14.* *Genes. 49.*

Sed cum hæc nunquam satis pro rei dignitate ac majestate dici posse videantur, ea felicioribus ingeniis relinquentes, quod in ratione nostra postremum est futurum aggrediamur. Christus igitur, non ut sibi, qui nulla re indigebat, sed ut nobis rerum omnium egentissimis opem ferret, e cœlo descendit, ac ut nostram causam tueretur, hominum conspectu ereptus, ad superas beatorum sedes ascendit. Cujus rei tametsi multa sese nobis offerunt testimonia, unum tamen ac maxime præcipuum, ex sacrarum literarum monumentis assumemus. *Ascendens*, inquit Paulus, (a Davide ipsum potius sensum, quam verba mutuatus) *Christus in altum, captivam duxit capivitatem: dedit dona hominibus.* Sed quonam pacto captivam duxit captivitatem? captivi quidem antea eramus, captivi & postea: sed illa iniqua nimis & immanis captivitas erat, nempe sub dæmonis potestate: hæc vero placida & mitis qua nimirum sub tuta ac secura Christi clientela ac patrocinio servamur. Quamobrem Christus dicitur captivam duxisse captivitatem, quoniam eos qui sub dura ac detestanda dæmonis potestate ac feritate, manicis ac compedibus ferreis tenebantur vincti, soluto pretio, deletoque chirographo, ac patefacto cœlestis regni aditu Christus adduxit: ac in veram, & omnibus omnium votis expetitam libertatem vindicavit. Hinc (testante eodem Paulo (*descendit primum in inferiores partes terræ, exspolians principatus & potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso*. Hoc est præclarum illud, ac ingens beneficium, quod Christus innocens, ac impollutus, segregatus a peccatoribus, & excelsior cœlis factus, nobis exhibuit: dum pro nobis fortiter dimicans, hujus mundi principem foras ejecit, mortem jugulavit, & inferni fauces obstruxit.

Ephes. 2. *Psal. 67.* *Ephes. 4.*

Sed

ANNO CHRISTI 1562.

Sed aliud quæso divinæ beneficentiæ glorioſum munus contemplemur, quod ibidem ſubdit apoſtolus, dicens: *Dedit dona hominibus*. Quæ autem ea ſint, haud obſcure demonſtrat, cum inquit: *Alios quidem dedit apoſtolos, alios prophetas, alios evangeliſtas, alios paſtores, & doctores, ad conſummationem ſanctorum in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti*. Apoſtolos quidem, tanquam præcipuos in eccleſia Dei miniſtros: prophetas, qui non ſolum futura prædicerent, ſed abditos & abſtruſos ſcripturarum ſenſus explanarent: evangeliſtas, quibus ea potiſſimum cura demandaretur, ut Dei verbum annunciarent: paſtores vero, & doctores, ut plebem ſibi commiſſam inſtruerent ac erudirent. Quo in loco hæc duo munera ſimul conjunxit, ut oſtenderet, eum non recte paſtoris munus obire, qui docere non poſſit aut nolit. Qua de re Paulus inſtituens epiſcopum: *Oportet*, inquit, *ipſum amplecti, qui ſecundum doctrinam eſt, fidelem ſermonem, ut potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt arguere*. Sed quamquam hoc loco varia miniſtrorum genera juxta menſuram donationis Chriſti recenſeat: omnes tamen in id ſolum deſignatos fuiſſe oſtendit, ut nos regant & inſtituant: ne veluti parvuli fluctuantes, & inſtabiles, circumferamur omni vento doctrinæ: ſed perfectam & ſolidam fidem habeamus, nullis ventorum flatibus, nulliſve perſecutionum procellis obnoxiam. Denique ſingula hæc dona teſtatur apoſtolus, non in otium, aut dominium, ſed neque in deſtructionem, verum in opus miniſterii, & in ædificationem corporis Chriſti, quod eſt eccleſia, fuiſſe conceſſa.

Eph. 4.

Tit. 1.

Sed præter hæc præclara eximiaque dona longe his majora & pretioſiora contulit Deus, poſtquam aſcendit in cœlum. Miſit ſiquidem Spiritum ſanctum ſuum, qui eſt primum illud & ſummum donum, in quo omnia dona dantur, prout ipſe ſuis promiſit apoſtolis, priuſquam moriturus ab eis receſſiſſet: *Expedit*, inquiens, *vobis ut ego vadam. Si enim non abiero, paracletus non veniet ad vos: ſi autem abiero, mittam eum ad vos*. Noverat quippe dominus Jeſus, nunquam apoſtolos potuiſſe divini Spiritus majeſtatem percipere, quamdiu in ejus beatiſſimo corpore intuendo verſati & immorati fuiſſent: atque adeo ipſo recedente, & Pater & Filius, ineffabili quadam & admiranda ratione illis affuerunt. Et ne quis fortaſſe putaret, Spiritum illis promiſſum ſine cauſa affuturum, oſtendit in quem potiſſimum uſum & finem ſit eum miſſurus, dicens: *Cum venerit Spiritus ille veritatis, docebit vos omnem veritatem*. Plurimum certe referebat, eos doceri omnem veritatem, qui univerſæ eccleſiæ fundamenta, duces & præceptores futuri erant: quorum opera, Chriſtianæ religionis doctrina, per univerſum terrarum ambitum erat propaganda. Divino ſiquidem oraculo atque decreto ſancitum erat, ut *in omnem terram exiret ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*. Quocirca Paulus tanti muneris particeps effectus, magna quadam excelſi animi cum fiducia, & certa rerum divinarum ſapientia inquit: *Nos ſenſum Chriſti habemus*: nobis enim Deus revelavit, ut per nos, ad alios hæc cœleſtis doctrina traducatur.

Joan. 16.

Pſal. 18.

1. Cor. 2.

Aliud inſuper ſingulare beneficium Deus contulit hominibus, cum ipſe & Deus homo in cœlum aſcenderit, humilem hanc & abjectam hominis naturam in tantam extulit majeſtatem, ut qui omnem eo commigrandi facultatem noſtra culpa amiſeramus, ejus meritis ſimus in cœleſtibus collocati: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti. Hæc maxima & præclariſſima dona princeps apoſtolorum Petrus conſiderans, dixit: Per Chriſtum maxima & pretioſa promiſſa nobis a Deo donata, ut per hæc efficiamur divinæ conſortes naturæ, fugientes ejus, quæ in mundo eſt, concupiſcentiæ corruptionem.

ANNO CHRISTI 1562.

Jure itaque merito Chriſtus dicebat apoſtolis: *Expedit vobis ut ego vadam*, expedit, inquam, ut cœlos aſcendam: ut aſſiſtam vultui Dei pro vobis. Expedit, ut vadam, quo vobis iter aperiam, ut ſecure poſſitis in patriam pervenire: quemadmodum Micheas prædixerat: *Aſcendit, pandens iter ante eos*. Expedit tandem ut ego vadam, quoniam ea ratione non ſolum ſpem, ſed certam etiam fidem, ut illuc aliquando evolandum eſſe credamus, præbuit. *Habentes* enim, inquit apoſtolus, *pontificem magnum, qui penetravit cœlos, Chriſtum Jeſum, teneamus uſque in finem ſpei noſtræ confeſſionem*. Confidamus inquam, & nos, ſi boni æmulatores fuerimus, aliquando eo eſſe perventuros, ubi & ipſe eſt. Hoc enim jampridem ſuis promiſerat, dicens: *Si abiero & præparavero vobis locum*, nempe impetrando, & una cum Patre gratiam largiendo, *iterum veniam, & accipiam vos ad meipſum, ut ubi ſum ego, & vos ſitis*.

Mich. 2.

Hebr. 4.

Joan. 14.

Sed ad vos redeo, patres, cum jam-jam finem dicendi ſim facturus. Operæ pretium eſt conſiderare parumper, quæ Chriſtus mox aſcenſurus in cœlum, apoſtolis potiſſimum, & iis qui in eorum locum ſucceſſerant, peragenda præceperit. *Euntes*, inquit, *in mundum univerſum, pradicate evangelium omni creaturæ*. Et in alio loco: *Euntes*, inquit, *docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti: docentes eos ſervare omnia quæcumque mandavi vobis*. Quibus quidem ſaluberrimi domini noſtri præceptis, ſi ullo unquam tempore fuit obſequendum, fuit obtemperandum, ſi totis animi & corporis viſceribus inſerviendum, nunc profecto maxime decet: quando tantus in hominum mentes erroneæ doctrinæ dolus irrepſit: ut ſpreta & juſtitiæ & religionis diſciplina, illud in nos prophetæ oraculum contorqueri poſſit: *Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt: non eſt qui faciat bonum: non eſt uſque ad unum*. Quamobrem veſtra nunc intereſt, patres religioſiſſimi veſtra, inquam, intereſt, *Spiritus ſanctus poſuit epiſcopos regere eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo*: a Chriſto, & a ſanctiſſima ejus eccleſia alienos, velut oves errantes, ad paſcua reducere: & ſi fuerit opus, eriam humeris reportare. Veſtrum eſt inquam, tot calamitatibus opportunum remedium adhibere, totque perniciosis erroribus, omni ſapientia, diligentia ac celeritate occurrere, & ſi fieri poſſet, prius illos opprimere, quam in eorum hominum mentibus radices agant, qui impudentiſſime & ſine fronte, bonum malum, & malum bonum aſſerere non verentur.

Rom. 8.

Pſal. 13.

Act. 20.

Et ne videar, patres, plus operæ, diligentiæ ac laboris a vobis exigere quam par ſit, mihi abunde, patres ampliſſimi, factum erit ſatis, ſi eos conatus in defendenda fidei catholicæ veritate adhibueritis, quos in ea evertenda hæretici iſti adhibuerunt: ne vos, qui cauſam Dei agitis, illis qui illam proſternere ac peſſumdare totis viribus annituntur, inferiores extitiſſe, & præſentia ſecula & futura poſteritas conqueratur. Si itaque

Pſal. 3.

par

ANNO CHRISTI 1562.

par ſtudium & vos adhibueritis, abunde per vos arbitror officio veſtro, & eccleſiæ ſatisfactum erit. Curate igitur in primis evangelicæ doctrinæ veritatem, ſectarum rabie laceratam, & ſuperſtitionum vanitate contemptam, in priſtinum Chriſtianæ religionis ſtatum aſſerere & vindicare. Nec patiamini, tanquam pro Chriſti gloria dimicantes, eam vel denſa tenebrarum caligine convolutam deliteſcere, vel fœdiſſima errorum colluvie obtuſam jacere. Nec ullum quæſo vitæ aut fortunarum diſcrimine adire vereamini, modo tem adeo utilem, adeo dignam, adeoque neceſſariam perficiatis. Quo enim infirmiores videbimini, eo potentiores ita evadetis, ut cum propheta dicere valeatis: *In deo faciemus virtutem, & ipſe ad nihilum deducet tribulantes nos.* Verum enimvero præter hanc doctrinæ puritatem retinendam, fideique conſtantiam conſervandam, ſummopere quis non judicet neceſſarium, vitæ integritatem, ſanctimoniamque adhibere? Id vero quantum ponderis ac roboris habeat, & ad devios in veritatem fidei revocandos, & ad probos in pietatis officio retinendos, vos optime noſtis. Omnes quandoquidem intelligunt, vos parum Chriſtianæ rei prodeſſe poſſe, ubi doctrinæ veritatem, non modo diſceptatione (quod facile præſtabitis) ſed morum quoque integritate (quod omnium eſt maximum, maximeque neceſſarium) vobis defendendam non ſtatueritis. Nec vero ipſi noſtræ religionis hoſtes habent, quo ſuam ipſorum petulantiam tueantur, cum eos potius divinæ literæ execrationi obnoxios eſſe teſtentur, quod Cham patrem Chanaan imitati, veriti non ſunt detegere verenda patrum ſuorum. Quapropter in hoc unum toto pectore eſt incumbendum, ne habeant quo vos accuſent vel convincant: atque ea de cauſa doctrinæ (quam ſola & tenet, & conſervat ſancta Romana eccleſia) ſinceritatem contemnant. Quod ſi nec eos hac ratione lucrari poteſtis, hoc noviſſimum, quod reliqua omnia poteſtate continet, adhibete antidotum.

Pſal. 59. *Gen. 9.*

Aſſiduis precibus ac ſupplicationibus Deum optimum maximum a quo majora fere nec ſperare, nec optare poſſumus, rogate atque obteſtamini: ut quemadmodum pro peccatorum noſtrorum magnitudine, eorum in nos invidiam diſſimulat, ac petulantem Semei temeritatem, eos in noſtram eccleſiam exercere patitur: ita pro ea, qua adductus & victus eſt clementia, ut ferret noſtra crimina, convertat eorum corda, ut agnoſcant veritatem, *& reſipiſcant a laqueis diaboli, a quo captivi tenentur ad ipſius voluntatem.* In tanta ſiquidem eccleſiæ perturbatione non alio tutius nobis confugiendum eſt, quam ad ipſum verum ſervatorem, qui poſuit altiſſimum refugium ſuum, quo nulla hominum temeritas poteſt pertingere. Si vero in ipſa animorum pertinacia permanſerint, ſuaque qua ſolent contumacia a nobis abhorruerint, oratio quidem veſtra in ſinus veſtros convertetur, & Deus illis quandoque exprobrabit incredulitatem & duritiem cordis, quod eccleſiæ veritatis columnæ, & a Spiritu ſancto edoctæ non crediderint, ſed inconſutilem Chriſti veſtem reſcindere ſint auſi: quam vel eos, a quibus patibulo fuit affixus, diſcindere ſuppuduit. Si qui vero (quod faxit Deus) reſipuerint, & ad cor redierint, hæc eos proculdubio ſigna ſequentur: *In nomine Chriſti Jeſu dæmonia ejicient*, id eſt, errores & mendacia ſpernent, non attendentes amplius ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum. *Linguis loquentur novis*, id eſt, Catholicæ veritatis doctrinam, quam antea acerrime oppugnabant, nunc Spiritus ſancti ore defendent. *Serpentes tollent*, id eſt, hæreſum venena ejicient: *& ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit*, id eſt, ſatanæ inſidiis circumventi, non periclitabuntur. *Super ægros manus imponent, & bene habebunt*, ſqualore ſcilicet peccati jacentes pœnitentiæ medela curabunt. Vobis autem, qui boni adminiſtratores & operarii fuiſtis, qui ſcilicet Chriſti religionem caſtiſſime pro veſtra in Deum pietate coluiſtis: ac pro ſervanda veſtri muneris ratione eccleſiam Chriſti a teterrimis noſtrorum hoſtium mucronibus defendiſtis: cum paterfamilias advenerit, redditurus unicuique ſecundum opera ſua, *menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, & ſuperefluentem dabit in ſinum veſtrum.*

2. Reg. 16. *2. Tim. 2.* *Pſal. 34.* *Joan. 19.* *Mar. ult.* *Matth. 26. Luc. 6.*

ANNO CHRISTI 1562.

DIXI.

XCI.

SERMO PETRI FAVONII Juſtinopolitani, habitus ad ſacroſanctam Synodum Tridentinam, in die pentecoſtes ſuper precatione: lectione: & evangelio. MDLXII.

Precatio. *Deus qui hodierna die corda fidelium, &c.*

Ex actibus. *Dum complerentur dies Pentecoſtes, &c.*

Ex Evangelio. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, &c.*

SACROSANCTÆ œcumenicæ ſynodi legati prudentiſſimi, præſtantiſſimi oratores, patres optimi, audivimus qua precatione communis mater Romana eccleſia animum qui recta ſapiat, ab immortali Patre hodie nobis ſtudeat impetrare. Quid ſubjiciat ſolemni precationi, cum diſcipulos domini noſtri Jeſu hoc ipſo die ſancto Spiritu quondam afflatos concitatoſque commemorat. Quam magna & illuſtria Chriſtum diligentibus Chriſti nomine eadem polliceatur, cum pronunciat: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum: & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Sed cur obſecro tam diverſa? Ita ut primo quidem precaretur, ſecundo commoraret, tertio polliceretur? Quæſo vos quicumque propoſita dum recitarentur multa veſtra attentione ac pietate proſecuti eſtis, nunc quoque attente proſequimini, quæ ad eaſdem res ex veteri inſtituto conſtitui dicere quam breviſſime.

Joan. 14.

Summa eſt univerſæ Chriſtianæ rei, ſi quis vitam ſic inſtituat, ut ipſi tandem contingat Deo pſacere, & eodem ſummo ac ſempiterno bono frui, expleri, ſatiari. At vero (quemadmodum proponimus) vitam inſtituere non poteſt, niſi qui novit Deum, qui diligit ex animo, qui præcipienti paret, obtemperatque non invitus. Ut propterea illi qui inſtituat neceſſe ſit Deum cognoſcere, Dei voluntati obtemperare, diligere Deum, diligi & amari a Deo. Quæ multa ſic conjuncta & colligata concedere oportet, ut ipſa inter ſeſe alia aliorum fidem faciant non obſcuram. Nullum certius argumentum proferri poteſt volentis, ſperantiſve Deo placere, quam cupien-

ANNO CHRISTI 1562.

cupientis diligi; neque rursus cupientis diligi, vere diligentis: neque diligentis ullum aliud melius, quam cognoscentis & obtemperantis. Si paremus, diligimus: cum autem diligimus, cognoscimus, diligimur, placemus. Ait enim salvator: *Qui habet mandata mea, & servat illa, ille est qui diligit me: qui autem diligit me, diligitur a patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.* In prima autem epistola scribit Joannes: *In hoc scimus quoniam cognovimus eum, si mandata ejus observamus. Qui dicit se nosse Deum, & mandata ejus non custodit, mendax est, & in eo veritas non est. Qui autem servat verbum ejus, vere in hoc caritas Dei perfecta est. In hoc scimus, quoniam in ipso sumus.* Prudenter igitur, & ex religione (mea quidem sententia) quicumque existimarunt, (quod tamen non pauci nostra hac infoeliciſſima ætate malitiosa rerum interpretatione plerumque subvertere aggrediuntur,) Prudenter (inquam) & ex religione, quicumque existimarunt aliud esse filiorum numero haberi, longe aliud illis jam adnumerari, qui cœlesti Patri nunquam possunt non esse cari. Filium communi & minus proprio vocabulo demonstrat vel ipsa ex aqua & spiritu nova procreatio. Amicum autem & Deo ipso gratum, clarumque hominem, quod eo modo procreatus, patri cui natus est facile & libenter obtemperat. Licet filium esse, ut etiam pravis delectere, ut vitio faveas, ut sequare vitiosa. Non licebit autem esse amicum, si justis & honestis quibus Deus gaudet, tu quoque non gaudeas, si non oderis vitia, si virtutem non complectare. Qui amicus est, is protinus & filius erit. Qui autem filius, is non continuo etiam amicus. Demus ergo (quod primum omnium dare in iis cogimur) catholicam ecclesiam differentias ejusmodi non ignorasse. Noverit etiam (ut par est) unam & alteram expositarum diffinitionem: non latuerit eandem, cœlum ipsum, beatam vitam, & quæcumque alia Deum colentibus quotidie promitti audimus, melioribus tantummodo reddi, ac persolvi. Meliores autem vel amicos, illis dumtaxat esse licere, qui præstanti æterni patris liberaliter animum (ut prædictum est) recta sapientem fuerint adepti.

Ibidem.

Hæc qui dederit fateatur necesse est parentem optimam, quæ omnibus quos peperit optima omnia semper cupit, summa cum ratione mentem illis recti non ignaram ante omnia voluisse precari: Mox vero & qualem hanc esse oporteat, illarum quas discipuli olim accepere exemplo commonstrare: ad extremum autem etiam illud subtexere, quid eam adepti sancti & pii homines a Deo optimo maximo aut consequi valeant aut sperare. Quo uno excellenti & miro rerum ordine magistra solertissima de illo potissimum cogitavit admonere. Omnino & mente opus esse & via, non tamen omni vel via, vel mente, sed utriusque optimis, ut aspirante & adjuvante Deo per mentem, & viam optimam, ad optimam & immortalem vitam contingat pervenire. Ex quibus late patet, prædicta omnia; preces, de quibus loquimur: exempla, quæ tractamus: præmia, quibus ad colendum Deum divinitus invitamur: cum earum rerum fere nemo non indigeat, eadem ut proponuntur, omnibus qui honeste vivendo Deo placere cupiunt, esse communia. Nullus est (ut opinor) tam rudis & expers cœlestium literarum, quidem non existimet. Sed cum exposita, patres sanctissimi, ad omnes pertineant, qui Christianam (ut nos facimus) agnoscunt & sequuntur religionem, ad hanc vestram synodum hoc tempore ea constat maxime pertinere.

ANNO CHRISTI 1562.

Ii estis vos, qui Pii quarti pontificis maximi cohortationibus monitisque tam frequentes huc accessistis, ut labefactatam multis ante annis malis multorum artibus ecclesiæ matris vestræ majestatem præclaro vestro consilio in pristinum statum aliquando restituatis. At enim, si diligenter (ut vos facere video) animadvertitis, quæ ostendit ipsa suorum malorum remedia? hoc pulcherrimo die ponit ante oculos, qua ratione id quod nunc agitis, bellissime possit consummari. Revocate, optimi patres, ad memoriam, quæ vobis proxime tradiderit mater vestra, scilicet monstrat illa ducem omnium fortissimum & auxilia, ad quæ sola in summo communium rerum discrimine oportet vos confugere. Nam quod ex Joanne primum pronunciat: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit: & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*: In eo præcipue illum patefacit, qui unus si præeat, vos ipsos, consiliaque vestra egregie præter ceteros potest adjuvare. Quod vero paulo post subnectit: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat, ego do vobis*: id eo pertinet, ut intelligatis, quibus instrumentis, ac veluti copiis venturus sit vobis auxilio dux patefactus. Itaque dux vester, Christus fuerit: Auxilia autem pax & tranquillitas, quæ ab eodem proficiscuntur. Eum vero ducem & auxilia quomodo liceat comparare, jam non est obscurum: etenim id quoque satis & super explicavit mater, cum pronunciatis diligendi adjiceret conditionem. Unde apparet dandam in primis operam esse, ut ametur a vobis Deus, ut amemini ab ipso. Ut divinam ipsius beneficio in eo quod cœpistis recte peragendo mentem accipiatis.

Joan. 14.

Hæc si habeat vestrum hoc nobiliſſimum ac venerandum concilium œcumenicum, jam non erit de fine optimo a nobis neque desperandum, neque ambigendum. Ut autem habeat, paucis, iisque breviſſimis opus erit. Nam vel in uno omnia posita videbuntur, ut sæpius in mentem veniat, quibus ante vos aliis contigerint, quæ vobis dari vehementer nunc expetitis. Occurret id quod volumus, si illorum quæ apostolus recensebat assidue recordari non pœnitebit. Erant (ajebat) discipuli omnes pariter in eodem loco, cum apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, ac repleti sunt universi spiritu sancto. Statuite primum apud vos divina imbutum doctrina scriptorem, nihil unquam nisi verum ac necessarium scribendo nobis expressisse. Deinde interrogate scribentem, cur de hominibus, quibus Deus cum in igne refulsisset sua ipsius dona contulit historiam conscribens, iis quæ exposuimus verbis uti maluerit: quid eum censetis responsurum? Responderet (ut ego quidem arbitror) in eo quod audivistis describendo non magis exprimi multitudinem, cui cœlestis Pater olim affuit, quam concludi, ac prope dixerim, definiri omnem aliam, cui quovis tempore idem bonorum omnium donator liberaliſſimus est affuturus. Id ita perspiciemus. Multitudo de qua fit sermo, Dei & domini nostri Jesu discipulorum erat: erat omnium: præterea vero in eodem loco, & pariter, ut historia contestatur.

Act. 1.

Nihil est horum (optimi patres) quod dicentis studio digniſſimum non debeat existimari, sed

ut alia

ANNO CHRISTI 1562.

ut alia omnia brevitati consulens, consulto maxime prætermittam, illud nunquam sine diligenti animadversione præteribo. Discipuli (inquit) convenerant pariter. Hoc extremum propterea (ut mihi quidem videtur) Lucas adjunxit, ut significaret eum, quem retulit piorum hominum conventum non corporum tantum synodum fuisse, sed etiam animorum, quorum par erat in deliberando studium, idem finis, una & æqualis omnium utilitas. Eam multitudinem propius aspexit Deus, nullum ipsius ab ea numen abfuit: universa simul juverunt, (& ut videtis) non ob aliam rationem, quam quod ob piam & cœlestem causam, pio & cœlesti proposito eadem convenerat. Convenite ergo & vos, convenite animis, patres, ut corporibus B conveniistis. Certe una est ecclesia, unus Deus, una religio, pastor etiam ac pontifex unus, omnia denique unum sunt: quorum gratia tot numero ex tam diversis locis in hunc locum vos collegistis.

Quomodo igitur quæ ad unam & eamdem causam spectant consilia vestra diversa decebit esse, & non una? Multis deliberantibus, præsertim vero in gravi & ardua re, sicut vestra est, haud facile contigit, eadem protinus ut probent universi. Nam plerumque evenit, ut quæ alii pro rectis & utilibus sequenda esse judicabunt, hæc alii ex diverso, ceu valde contraria contendant esse fugienda. Id & aliis ante vos patribus non deteriore seculo in rebus ejusmodi non semel sci- C mus evenisse. Si & vobis (quod esse potest) tale aliquid interdum acciderit, tunc illud statim prospici debebit, quonam modo ac veluti via post longam concertationem in unam & eamdem sententiam ab universis optime decurratur. Mentium namque vestrarum consensionem non modo causa quæ una est, a vobis nunc requirit, verum etiam mala quibus mederi vos oportet, quæ sunt ingentia, difficilia, inveterata, idem summopere videntur postulare. Neque enim ejusmodi illa existimanda, ut vel unus vestrum, vel pars una cum maxime id velit, bene ipsis valeat succurrere. Utinam autem vere id possemus affirmare, præclare nimis nobiscum ageretur, non oporteret diutius hic moram trahere: Nunc vero contra se D habet res, tot & talia sunt quibus urgemur præsentia incommoda, ut vix simul omnes, nedum unus aut pauci ex vobis iisdem tollendis, depellendisve satis esse videamini.

Quamobrem intelligitis magna (quod sæpe jam dictum est) animorum conjunctione, summa vestra concordia opus esse in dicendis sententiis, in constituendis & sanciendis legibus, in factis omnibus, in re omni. Consentite ergo: sentite in idem viri integerrimi. Si a vobis in idem consentietur, si, ut sperant omnes, aliis quibuscumque posthabitis susceptam causam unice diligetis, si ut decet, in re omnium maxima una voluntate ac proposito quam maxime uni eritis, neque dux supra demonstratus vobis unquam de- E erit, neque ducis auxilia antedicta. Præsto erit ille, præsto quem illius singulari beneficio ac munere delabi nunc optatis, divinus & sanctus Spiritus: quem non modo per ignem, & multas linguas (ut apostolis accidit) sed (quod aliis contigisse legimus) etiam per columbam cœlo demissam semper interfuisse declarabit, optimis & sapientissimis decretis vestris omnium qui in Christiano orbe degunt, summo consensu ac veneratione, præceptis observatisque, eventu ipso ac plane rebus id comprobantibus experiemini, per vos unos, A patres sanctissimi, ecclesiæ matri vestræ veterem dignitatem, pacem, pietatem, esse restituta. ANNO CHRISTI 1562.

DIXI.

XCII.

ORATIO AD SANCTAM œcumenicam synodum Tridentinam in sessione V. qui fuit dies Junii mensis XVI. *Andreæ Dutitio Sbardellato, episcopo Tininiense, & dominorum prælatorum, ac cleri Hungariæ oratore, anno* MDLXII.

SI quanta est cœlestium divinarumque rerum dignitas atque majestas, quanta Dei maxima in humanum genus beneficentia, mortales animo cogitationeque comprehendere, ac mentis aciem in clarissimam illam æterni Solis lucem defigere possent: tanta, tamque incredibili voluptate perfunderentur, ut nihil his studiis potius ducerent, nullo alio mentes pabulo reficerent ac recrearent, nihil harum rerum contemplatione suavius, nihil jucundius, nihil beatius existimarent. Illud etiam votis omnibus ab omnium rerum conditore Deo, dies noctesque expeterent, ut in fœdum, ac tetrum hunc corporis carcerem inclusum animum, solutis vinculis, educeret, ac post longum hoc auxilium, in cœlestem illam beatorum sedem ac patriam transferret: ubi ex uberrimo illo divinitatis fonte omnem sapientiam haurire, atque omnibus, quæ illinc largius promanant, divinorum munerum divitiis sese perfundere, atque adeo se totos in immortales illos thesauros cupidissime immergere atque ingurgitare possent. Atque hoc quidem omnium mortalium esset studium: hoc unum animos hominum magnis desiderii stimulis excitaret atque inflammaret: in hoc uno omnium evigilarent curæ ac cogitationes, si, ut paulo ante dicebam, mentes humanæ ex impuro hoc cœno, & caducarum rerum sordibus emergere, atque ad divinarum immortaliumque rerum contemplationem homines erigere sese, atque attollere, & veluti cœlo capita inferre possent. Sed ita pulcherrimam, omnibusque divinis ornamentis decoratam naturam nostram, primi parentis nostri lapsus deformavit: ita omnibus æternæ sapientiæ donis nudavit, ita pernicioſa sui cogitatione errati contaminavit atque afflixit, ut cœlestis patriæ ac regni hæreditate deturbati, omnibusque bonis exuti, nihil jam prope aliud quam unam tantum, eamque non plane certam consequendæ illius gloriæ, quæ ejus culpa nobis erepta est, spem retineamus. O miserabilem humani generis sortem! o luctuosum illum nobis diem, quo de tam alto dignitatis gradu dejecti, & in has miserias, in has angustias conjecti ac depressi sumus!

Execrando isto ac detestabili primi parentis nostri errore factum est, ut abdita, & penitus retrusa divinitatis mysteria, ac clarissimam & pulcherrimam illam lucem, veluti degeneres quidam aquilæ fœtus, apertis oculis aspicere prorsus jam nequeamus. Simulacrum autem, ac vix leviter adumbratam divinitatis imaginem, aut, ut verius dicam, impressa in rebus terrenis illius vestigia, non nisi longe, idque quasi per nebulam, ac densam quandam caliginem contueri liceat. Utinam vero quando jam in eam nos ille miseriam secum pertraxit, hanc saltem nobis facultatem reliquam feciſſet, ut si vel tenuem illam, quam in

divinis

ANNO CHRISTI 1562.

divinis rebus aſpectamus lucem, dicendo explicare non poſſumus, at certe ſummam Dei in nos beneficentiam & cognoſcere & cognitam dignis laudibus, atque aliqua grati animi quantulacumque ſignificatione proſequi poſſemus. Sed o miſeram undique noſtram ſortem, ne id quidem ſatis, pro Dei optimi in nos meritis, ac pro tantæ rei dignitate perficere poſſumus: quin vero illud ipſum quod poſſumus, non niſi ejus munere ac beneficio poſſumus, ita ut ne pro beneficiis quidem, niſi veluti novo ejuſdem beneficio cumulemur atque adjuvemur, aut quas ei debemus gratias agere, aut omnino loqui liceat.

Ita infinito quodam beneficiorum cumulo, ac ſingulari Dei erga nos clementiæ magnitudine undique premimur, atque adeo obruimur. Ac mihi quidem nunc ad Deum maxime confugiendum eſt, iſque ſuppliciter precandus, ut quoniam ipſe & voluntatem ad præclaras res peragendas, & facultatem, pro immenſa ſua bonitate ac miſericordia, humano generi largiri conſuevit: mihi hodierno die in auguſtiſſimo hoc & ſanctiſſimo tot præſtantium ac ſummorum virorum cœtu de ſacroſancto Jeſu Chriſti ejus filii corpore & ſanguine: in quo infinita ejus erga nos beneficentia in primis elucet: breviſſime dicere cogitanti, & mentem, voluntatemque ad omnem alacritatem excitet, & os meum talium, tantarumque rerum majeſtate jam tremebundum ac titubans aperiat, & Spiritus ſancti gratiæ particulam mihi aliquam impertiatur, ut ſi pro tantæ rei dignitate parum accommodate dixero: illud ſaltem ejus beneficio ac munere conſequar, ut omnis ab oratione mea vanitas, omnis longe removeatur impietas.

Vos vero, ampliſſimi viri, obſecro atque obteſtor, ut tam ſalutaris argumenti multis obſtructam difficultatibus explicationem ita audiatis, ut neque attentionem, neque benignitatem veſtram, qua in primis fretus ad dicendum veni, in alia orationis meæ parte mihi defuiſſe intelligam. Immanis ille, & capitalis ac perpetuus humani generis hoſtis, qui tanquam leo rugiens mortales circumit, quærens quem devoret, noſtris nondum miſeriis ſatiatus, inveteratam illam ſuam conſuetudinem, quam in primo parente magno noſtro malo ſatis jam experti eramus: etiamnum retinens, non languet, non ocio torpeſcit, ſed vigilat, huc atque illuc circumcurſat, omnibus locis præſto adeſt, inſidias collocat, laqueos ponit, omnem diligentiam adhibet, ut irretitos homines teneat, & in tenebricoſum illum, atque omni infœlicitatis genere refertum carcerem ſuum præcipites rapiat. Etenim eam nobis ille fœlicitatem invidet, cujus nos ipſo ejecto a ſervatore noſtro hæredes inſtituti ſumus. Quid autem? nihilne ſuis ille artibus proficit? O cœcas hominum mentes! Si novus hic aliquis, ac nondum ſatis adhuc cognitus hoſtis eſſet, cujus dolos homines antea auditione tantum accepiſſent, nonnullam fortaſſe inertiæ, ſocordiæ, imprudentiæ, quæ ſe tuerentur, excuſationem habere poſſent: Sed cum veluti hæreditarius quidem noſter ſit inimicus qui non bonis, non fortunis, non mortali huic & caducæ vitæ, ſed æternæ fœlicitati, ſempiternæ gloriæ noſtræ inſidietur, quæ tanta ſuæ ſalutis mortalibus eſt negligentia, ut ejus fallacias effugere, dolos evitare, conatus eludere, impetus a ſe depellere, ac propulſare nolit? Antea ſuis ille fallaciis, ſuis illecebris, parentem illum noſtrum, noſque una, ab æterna fœlicitate abſtraxerat, & aſtu perfecerat ſuo, ut nihil jam noſtro genere miſerius fingi poſſet.

2. Pet. 5.

Nunc ſumma Dei optimi maximi in nos clementia, atque unigeniti ejus filii miſericordia redditam nobis cœleſtis vitæ, gloriæque hæreditatem invadere, atque iterum eripere conatur: & quos Chriſtus ſacroſancta ſua morte ex diris ejus faucibus per vim extraxit, nefarius ille, & inſatiabilis animarum quaſi helluo quidam, iterum devorare contendit. Quem enim alium tot in eccleſia diſſidiorum, tot factionum, tot contentionum auctorem nominabimus, quam illum ipſum, qui omnis inanitatis eſt pater, omnis diſſenſionis, omnis diſcordiæ, omnis denique mali ſator, ac ſeminator? Sed quomodo ad rem aggreſſus eſt? præclare ille quidem, & ad id conſequendum, quod ad evertendam humanam ſalutem in primis pertinere intelligebat, peraccommodate. Nam cum probe noſſet, nihil ſe ante proficere poſſe, quam ſi Chriſtum ipſum non poſſet, at certe, quod proximum fuit, Chriſti in terris vicarium aggrederetur: & eccleſiam, cujus ipſe vicarius præſidiis ac viribus munitus eſſet, convelleret: huc omnes machinas admovit, ut, quanta maxima poſſet vi, utriuſque auctoritatem labefactaret: atque etiam, ſi poſſet, & quocumque tandem modo poſſet, penitus everteret fundituſque exſcinderet.

Non ignorabat ille, ſi alterutrius dignitas firma, ſtabilis, inconcuſſaque conſiſteret, parum ſe promoturum: cum tanta utriuſque inter ſe connexio exiſtat, ut non niſi una & ſtare, & concidere poſſe videantur: itaque totis in utrumque viribus impreſſionem fecit, ac primum quidem ſummum in terris eccleſiæ caput, tanquam fortiſſimum aliquod propugnaculum adortus, quibus non armis, quibus non machinis ad oppugnationem uſus eſt? Poſtea vero firmiſſimam veritatis arcem eccleſiam, cuniculis quibuſdam actis, proſternere conatus, eos ad eam rem adminiſtros, ac ſatellites adhibuit, quos illinc ob nefanda quædam patrata ſcelera transfugas, in ſua devolaſſe caſtra conſpiceret. At cum firmiora adhuc ſibi comparare præſidia, & quam poſſet numeroſiſſimum exercitum, quo eccleſiam oppugnaret, conſcribere vellet: animadvertit nulla alia ratione majorem ſe facinoroſorum hominum manum cogere poſſe, quam ſi omnis ſceleris, omnis impietatis impunitatem, tanquam ampliſſimum quoddam militiæ ſuæ ſtipendium proponeret: quam rationem etiam in impuriſſima ac nefaria Mahometi ſecta excitanda atque propaganda ſecutus pridem fuerat. Itaque repente veluti aſylum quoddam aperuit, & omnis licentiæ ad omnia perpetranda ſcelera ſignum ſuſtulit.

Hoc ſublato ſigno, Deum immortalem, quanta brevi tempore, non modo lixarum & calonum, ſed jam ipſorum etiam ducum multitudo ad ejus vexillum convolavit! quot hominum millia ſacramento huic ſe militiæ addixerunt! Ibi tum præclari ſcilicet illi, ac generoſi, & vel ipſis jam nominibus horribiles duces prodierunt: Lutherus, Melanchthon, Zvinglius, Oecolampadius, Oſiander, Bucerus, Svenckfeldius, atque alii innumerabiles. Atque hi quidem, ut primum ex eccleſiæ matris caſtris profugerunt, arma illa, quæ a matre acceperant ut a vi eam tuerentur: o ſcelus, impii, ingrati filii, in ipſius ſanctiſſimæ, caſtiſſimæ, optime de ſe meritæ matris viſcera contorſerunt, & crudeliſſimis divinum ejus corpus vulneribus lacerarunt. Quid? hoc ne eorum furor ac rabies loco ſubſtituit? minime vero. Lon-

ANNO CHRISTI 1562.

gius etiam progressi sunt, & in ipsa sacrorum adyta, ac veneranda mysteriorum penetralia, per summum scelus, per summam impietatem irruentes, rupto Christi domini testamento, sacrosanctum ejus corpus & sanguinem, quem ipse, ut nos servaret, profudit, ac perpetuum suæ erga nos caritatis monumentum ac pignus nobis in terris reliquit, scelerati isti filii de nostris manibus per vim extorquere conati sunt, ac quantum in ipsis fuit, conculcarunt, atque indigne protriverunt. O impietatem! unicum nobis in adversis rebus solatium: unicam hanc, & sacram anchoram, ad quam in tot tantisque humanæ miseriæ procellarum fluctibus confugeremus, excutiunt, ac de medio prorsus sublata volunt. Nihil efficitis, non deseret suam Christus ecclesiam, non eam suo destitutam auxilio vestris diutius sceleribus patere, neque eam vestris amplius injuriis expositam, objectamque esse volet: vestros ille conatus, vestros impetus reprimet, debilitabit, franget.

Quod quidem si nostra ille causa, pro quibus pretiosissimum sanguinem istum suum, in quem vestri feruntur incursus, profudit: si nostra, inquam, causa non faciet, at certe sua ipsius causa faciet, ne tanta res tam indignis a vobis modis tractetur, si reliqua vestra in hunc diem ferre potuit maleficia, neque ea statim vindicavit, quod ecclesiam suam hisce ad patientiam malis exerceri, & electos suos hoc veluti igne quodam examinari ac probari voluit? vestrum istud tantum, tamque nefarium, & inexpiabile scelus, ne erretis, inultum abire non sinet. Neque vero poterit. Nam si summus ille, atque æquissimus est judex, si ita justus est, ut omnis justitiæ, omnis æquitatis uberrimus quidam sit veluti fons atque origo: qui fieri potest, ut in tam contumeliosos, & in suam carnem, in suum sanguinem tam injurios homines non animadvertat? carnem ille suam, *Joan. 6.* qui vere est cibus, & sanguinem suum, qui vere est potus: panem illum angelorum a vobis proteri sinet, ac de cœlo sævientes vos in illum aspiciet? O singularem sceleratorum hominum confidentiam! O nimiam audaciam!

Nos vero, pater cœlestis, qui improbi quidem filii, sed tui tamen filii sumus, eximiam atque incredibilem hanc tuam erga nos caritatem agnoscimus: ac pretiosissimum, omnibusque divinorum munerum thesauris affluens corpus, ac sanguinem tuum, in terram prostrati, suppliciter ac demisse veneramur. Neque enim tua in nos ingens ignorare nos patitur misericordia, quantum hoc admirabilis tui erga nos amoris sit pignus: illudque plane persuasum habemus, hujus cibi, hoc est, corporis tui esu, & sanguinis tui potatione, tali nos tibi nexu copulari, tamque indissolubili, ac firmo quodam vinculo conjungi, nulla ut posthac vis abs te nos divellere aut abstrahere queat.

Atque hoc quidem ita esse, quis jam dubitare ausit? cum Christum ipsum, servatorem nostrum audiat dicentem: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo: Joan. 6.* *Hic est panis ille vivus, qui de cœlo descendit: qui ex hoc pane manducaverit, vivet in æternum.* Jam qui tantæ hujus beneficentiæ magnitudinem aut animo complecti, aut oratione prosequi se posse existimet? Ipse unigenitus Dei filius, summa bonitas, summa sapientia, summa perfectio nostræ nihil opis indigens: quin potius vicem nostram dolens: miserabilis conditionis nostræ misertus: cum Deus esset (dictu mirabile) cum Deus esset, e cœlesti suo domicilio, nostra causa in has se terras demisit, vilem hanc, & abjectam carnem nostram, tanquam sordidam, atque indignis quibusdam maculis imbutam vestem induit, homo factus est: atque ut divinitatis nos suæ participes faceret, eamque nobiscum communicaret, cum infinita nostra scelera nemo alius, nisi ipse, qui infinitus & immensus est, expiare unquam ulla ratione posset, nostram hanc naturam assumpsit. Ad extremum autem, ut in cœlestis patriæ civitatem, e qua ejecti eramus, postliminio nos restitueret, ut denique Deos nos efficeret, acerbissimam pro nobis mortem, volens libensque oppetiit, hostiamque se, ut iratum & aversum a nobis patrem placaret, in ara crucis immolandum præbuit. Postremo ne quid omnino ad summam ejus erga nos beneficentiam deesset, aut requiri a quoquam posset, cum jam antea illud ipsum, quod de nostro sumpserat, nobis restituisset (quod tamen ne ipsum quidem nostrum dicere possumus, cum omnia ab eo acceperimus, ac quod spiramus, quod vivimus, quod denique sumus, ipsi, qui ex nihilo nos procreavit, acceptum ferre debemus) ut immortale hoc suum beneficium nobis cumulatius quodammodo redderet, humanam nostram naturam divinitatis suæ temperamento perfecit, atque absolvit, & conjunctam atque in unum jam concreatam, admirabili quodam nexu, humanitatem cum ipsa divinitate nobis in sacrosancto hoc sacramento utendam fruendam reliquit.

O admirandum! o sacrum! o salutiferum, & omni suavitate refertum convivium, in quo Christus Deus, & homo perfectus nobis proponitur! Sed quo me rapit ardor? Nullum mihi cum impiis istis satanæ satellitibus susceptum certamen est, qui ipsum servatorem nostrum (quod dicere horresco) vanitatis arguere non dubitant: qui quidem, ne quis unquam existeret nisi mentis inops, qui de sacrosancto hoc mysterio addubitaret: aut secus, quam fas esset existimaret: ipse sanctissimos suos oculos in cœlestem hunc panem defigens, apertis ac disertis verbis dixit. *Hoc est* *Matth. 26.* *corpus meum.* Non est mihi contra istos depugnandum: ipsi sibi, mihi credite, perniciem: ipsi sibi exitium adferent. Est aliud quoddam nefariorum hominum genus, quos ad subruenda ecclesiæ fundamenta malus ille Dæmon submisit.

Hi vero, ut fucum facilius facere, & imperitos homines ad defectionem adducere, atque in sua pellicere castra commodius possent, pietatem prætexentes, in angelos se lucis transformantes, novo, & in vulgus plausibili quodam armorum *2. Cor. 11.* genere matrem adorti, pro Christi se sanguine prælium inire, ac dimicare prædicant. Christi sibi ereptum esse sanguinem, imperita approbante & acclamante multitudine, fremunt, eumque sibi deposcunt. Ita incautas mentes in suas partes pertrahunt: ac cum nihil minus cogitent, omnem se pro pietate, proque conservanda vera & incorrupta Christianæ religionis integritate concertationem suscepisse persuadent.

O ingrati filii! o fidei desertores! unde vobis tanta tam subito sapientiæ lux affulsit, ut sapientissimam matrem vestram omnis omnino erroris expertem, erroris redarguere, & in densissimis ignorationis tenebris demersam jacere existimetis? Vanus erit, vestra opinione, Christus, qui *Matth. 28.* perpetuo se illi ad consummationem usque sæculi affuturum pollicitus est. Quis furor, aut potius, quæ vos furiæ agitant: quæ vos intemperies, quasi

ANNO CHRISTI 1562.

quasi violento quodam flatu atque impetu huc atque illuc propellit? Unitatis hoc & pacis symbolum, atque arctissimum quoddam charitatis vinculum in ecclesia servator noster extare voluit: vos, proh dolor! hanc unitatem dividitis: pacem tollitis: vinculum disrumpitis. Vestem illam inconsutilem, cujus nos tegumento ab omnibus turbulenti & fluctuosi hujus maris tempestatibus muniti ac tuti eramus: vos, vos, inquam temere, nulla de causa, discidistis, atque adeo dilaceraștis. Fuerunt tempora, cum sapientissima mater nostra Christi sponsa, quæ a vera & recta sponsi sui sententia ac voluntate nusquam aberrat, filiis suis, in quibus pristinum illum pietatis igniculum accensum & inflammatum conspiceret, calicis usum permitteret, & Christi sponsi sui sanguinem etiam sub vini specie illi propinaret.

Postea vero cum antiquum illum pietatis ardorem restinctum esse, & religionis studium in hominum mentibus refrixisse animadverteret, multaque infanda per socordiam, ac negligentiam evenire cerneret, quæ ad tam pretiosi sanguinis injuriam pertinerent: primo quidem illa calice filiis suis non statim prorsus interdixit, sed prudenti aliqua ratione ostendit magnum vitari nefas & sacrilegium posse, si ab ejus usu abstinerent. Itaque jam tum ab initio, cum hæc plurimum consuetudo vigeret, ut populares quoque sub vini specie Christi sanguinem sumerent: ex eis illi, qui eo in statu essent, ut non nisi magno negotio, ac summa cum difficultate cavere possent, ne aliqua per impudentiam sanguinem potantibus guttula effluęret, atque ex ore delaberetur: ipsi se, sua sponte, prophanationis ac sacrilegii metu, ac fuga ab hoc usu removerunt. In quo quidem præclarum & memorabile suæ pietatis ad omnem posteritatem argumentum transmiserunt. Ac sapienter illi quidem. Nam & summa pericula hoc suo facto devitarunt: neque tamen propterea non omnem eam utilitatem, ac totum illud, quod utriusque speciei communicatione percipi solet, ad se non traduxerunt.

Non ignorabant illi æque sub pane ac vini specie, totum Christi corpus esse: Atque utrumque tam alterius dumtaxat, quam utriusque specie contineri. Corpus enim vivum, quale illud esset, sanguinis expers existimare nefas putabant: Sanguinem item vivum, qualem illum esse non dubitabant, non nisi in corpore consistere plane persuasum habebant. Deinde vero ne illud quidem nesciebant, Christi corpus in partes secari ac dividi non posse. Ex quo facile intelligebant, & sub pane, & sub vino, totum, verum, vivum Christi corpus, & sanguinem: non cadaver mutilatum, aut membratim discerptum, non cruorem existere. Cum autem tanti, tamque admirabilis sacramenti aptam in pane, & vino, ac cohærentem inter se connexionem, & non dissolubilem quandam quasi coagmentationem cogitatione satis assequi non possent, omni cum demissione, ac pietatis testificatione, ex lætis illorum animis præclara illa vox erumpebat. *O res admirabilis, manducat dominum pauper servus & humilis.* Ad hæc illa etiam audiebantur: *Tantum ergo sacramentum veneremur cernui: præstet fides supplementum sensuum defectui.* Ad extremum autem cum istorum imitatione, non ita multas post ætates, universi pene ecclesiæ filii, ut pietatem, & quem servatori suo cultum debebant, sartam tectam conservarent, ipsi quoque a periculoso illo sanguinis potu paulatim sese subduxerunt, & illa hauriendi calicis consuetudine abrogata, hunc non novum quidem, sed non ab omnibus æqualiter ubique servatum panis tantum edendi morem unanimi consensu receperunt. Ita factum est, ut jam inde a sexcentis & amplius annis, calicis usu, omnibus fere aut certe plurimis locis prorsus sublato, panis tantum comedendi consuetudo magno studio ac religione conservaretur.

ANNO CHRISTI 1562.

Quiescebat in summa tranquillitate totus pene terrarum orbis, cum ecce satan communem & tam altam ecclesiæ pacem invidens, tristem illam ex Erebi sedibus Erinnym excivit, & ut summa inimis permisceret, atque omnia perturbaret, in Christi gregem immisit. Tum vero ecclesia portentosi hujus monstri exortu perterrita, deque filiorum suorum salute magnopere solicita, cum sponsi sui sanguinem non ad errorum expiationem, sed ad impietatem, ad injuriam, ad prophanationem expeti vid ret: ne, si taceret, boni etiam, sed tamen incauti filii in eumdem per imprudentiam errorem prolaberentur: hanc ignominiam, hoc tantum scelus ferre diutius non potuit: Sed vocem sustulit, ingens esse periculum denunciavit, quod ut vitari posset, ad laudatam illam pristinæ pietatis consuetudinem filiorum animos incendit, atque vehementi quodam ardore inflammavit.

Nam omnes tam piæ matris monitis paruerunt, non omnes dicto audientes fuerunt: sed obedientia semel abjecta, in pestilentis, & pernicioſæ illius libertatis, cujus dux ipse satan esset, castra profugerunt, ac nullo honore, nullo cultu, nulla reverentia sanctum domini prosecuti, nullum jam fingi potest tam magnum scelus, quod illi aut cogitatione non designaverint, aut etiam re ipsa aggredi dubitaverint. Continebat ista se pestis initio intra angustos illos unius Boemiæ fines, neque latius adhuc serpserat: cum adversarius noster, tanti hujus mali contagionem ad reliquas etiam orbis terrarum partes derivare cupiens, alium quendam suum ab inferis emissarium excitavit. Hunc furiis percitum, ambitione tumentem, invidiæ stimulis agitatum, sanguinem, cædesque spirantem hoc tam præsenti veneno imbuit: quod ille postea in Germania, nobilissimo illo ecclesiæ membro spargeret ac disseminaret, & tanti mali vi tabescentes miserorum hominum animas ad Tartara detruderet. O incauta filia. Itane te facere oportuit? Ubi mens: ubi sensus? ubi præstans illa tua virtus tum fuit, cum tam venenatum hoc & virulentum poculum fraudulenter ad tuam tibi perniciem propinatum tam avide hausisti?

En tuo exemplo, alios etiam fratres tuos ad sceleris ejusdem societatem invitasti: eodem communicato veneno illos infecisti: infectos tecum una perdidisti. Hanccine tu matri tuæ, pro ingenti suorum in te meritorum magnitudine, post tot sæcula gratiam refers? Illa te in densissimis impietatis tenebris demersam erexit: illa Dei ignorationis caliginem ab oculis tuis discussit: illa veritatis tibi lucem intulit: illa ab impio te satanæ cultu, ad veri Dei cognitionem traduxit: illa iratum tibi Deum conciliavit: illa divinorum te munerum participem fecit: illa tibi Christi sponsi sui corpus & sanguinem proposuit: illa tibi cœlum denique ipsum patefecit: & tu tantorum beneficiorum oblita suavissimo obedientiæ jugo excusso, contempto Deo, salutis tuæ immemor, ad immanem illum adversarium nostrum transfugis, in illius te castra recipis: illinc carissimam atque innocentissimam matrem omnibus

ANNO CHRISTI 1562.

ignominiis, omnibus probris, omnibus injuriis lacessis: illinc eam iniquissimis criminationibus laceras: illinc venenata in eam jacula torques. Non te piæ matris miseret? Non te fratrum tuorum gemitus, non lacrymæ, non preces movent? tantæne animis iræ? itane ad omnem pietatem, ad omnem misericordiam obriguisti? itane te obfirmasti? An ideo imperii illa tibi ornamenta & decus tradidit: ideo summum atque altissimum dignitatis ac majestatis fastigium apud te collocavit, ut tu pro tantis in te meritis, omnia sua sibi ornamenta detraheres, e sua ipsam sede ejiceres, omnes tuas cogitationes, omnes vires, omnes copias ad ejus eversionem converteres? Quis te adeo dementavit? quis te fascinavit? quis te in hos impietatis laqueos induxit? B

Resipisce jam, resipisce, tibique ad imitandum propone præclara cum ceterarum omnium virtutum, tum vero etiam religionis ac pietatis exempla, quæ in principe tuo, optimo imperatore Ferdinando mirabiliter elucent: imitare eorum, qui plurimi etiam nunc apud te sunt, in catholica religione ac pietate retinenda constantiam ac fortitudinem: horum vestigiis, quæ ad certissimam salutem & gloriam reducunt, insiste. Redi, redi cum suavissima matre tua in gratiam: non vult illa te perditam: non erit amplius injuriarum memor, omnia perpetua oblivione involvet, modo tu ad tuam te salutem erigas: modo eam agnoscas matrem: modo te dicto deinceps audientem præbeas. Si sponsi tui sanguinem ita C ardenter expetis, ut non satis habeas uno illum modo tantum sugere, dabit illa tibi calicem quoque, permittet tibi, ut hoc altero etiam modo Christi sanguinem haurire queas.

Redi, redi ad matrem: curre in carissimæ matris gremium, curre in ejus amplexus. Viden' ut illa ardentissimis suspiriis, acerbissimisque te lacrymis ad se vocat? Viden' ut te apertis brachiis, ut obviis ulnis avidissime expectat? Si te perditam filiam recuperabit, omnibus lætitiis efferetur, exultabit, triumphos aget. De te vero quid dicam, opibus olim, virisque florens infœlix mea patria? clarissima sanctissimorum regum domus: quid de te dicam? Meministi tu quoque quid a matre tua ecclesia acceperis. Illa te aberrantem D in viam duxit, illa tibi ad cœlos iter commonstravit: illa te in cœlestis regni hæreditatem adscripsit, illa tibi omnia virtutis ac pietatis ornamenta tradidit, illa tibi arma, quibus adversus humani generis hostem decertares, subministravit: illa te omnibus ad illud certamen accommodatis rebus instruxit: illa, si quo casu succubuisses, victam erexit, recreavit, animos addidit, fortem & alacrem prælio restituit: contra vero si virtute tua hostem illum tuum superasses, victricem omni laudum genere ornavit, ad cœlum sustulit, omni commendatione ac prædicatione prosequuta est: tuis illa regibus prudentiam, consilium, virtutem suffecit: tuos illa reges fortiter, constanter, & præsentissimis animis, adversus communem sa- E lutis nostræ hostem belligerantes, post victoriam in cœlestem civitatem quasi triumphantes induxit, atque in beatorum numerum inseruit: illi tu salutem, illi omnia debes.

Memineris antiquæ virtutis majorum tuorum, pietatis, constantiæ, in matrem ecclesiam caritatis & observantiæ: ne te ulla vi abduci, ne te ullis unquam ab ejus gremio rationibus avelli patiaris. Illa tibi a suo sponso vires impetrabit: antiquam illam majorum tuorum virtutem, & ingens animi robur ac fortitudinem recuperabit. A Illa suis apud Christum precibus perficiet, ut sævissimum illud immanis Turcarum tyrannidis jugum tandem aliquando a cervicibus tuis excutias: ut post diuturnam, miserabilemque tot annorum servitutem in libertatem te vindices, ut te attollere, ut erigere, ut Christiani nominis hostes labefactare, frangere, propulsare queas: ut post tot tamque difficiles labores exantlatos summa pace ac tranquillitate perfruare: ut denique suaviter in carissimæ matris sinu conquiescas.

ANNO CHRISTI 1562.

Vos autem, amplissimi patres, aberrantes filios vestros respicite: reduces libenti atque alacri animo excipite, complectimini, fovete, abeuntes omnibus quibus potestis rationibus retinete: fuga jam dilapsos blandis vocibus revocate, manum revertentibus porrigite, attrahite: omni caritatis ac benignitatis significatione prosequimini. Non tam judices vos illis, quam parentes præbete, atque horum affectum erga illos, plane induite: omnem ex animis vestris acerbitatem ejicite: omnem offensionem deponite: omnem iracundiam abjicite. Misericordiæ nunc tempus est: Christum misericordiæ, non ultionis Deum ante oculos vobis statuite: ignoscite errantibus, errorem deprecantibus subvenite: supplicum aliquando miseremini, sublatam de medio malis dæmonis artibus pacem illam, quam servator noster sacrosancti testamenti sui tabulis consignatam, non multo ante, quam moreretur, veluti amplissimam quandam, & plane omnibus bonis circumfluentem hæreditatem nobis reliquit, orbi Christiano restituite. Videtis, nisi fallor, quantis discordiis, quantis dissensionibus, quantis odiis res agatur. Cernite, ut vestri se filii immaniter cruentent, ut mutuis se cædibus conficiant. Ubi illa vestra pietas, ubi caritas, ubi in filios vestros commiseratio?

Adeste auxiliis, suppetias ferte, extinguite hoc tantum, tamque latum incendium, ne miserabili isto igne totus terrarum orbis, vestra potissimum culpa conflagrasse videatur. Huic vos rei tum demum obviam ire poteritis, si imbecillitatis filiorum vestrorum miserti, ad eorum vos infirmitatem demiseritis, & incredibilem illam eorum sitim, qua dies, noctesque cruciantur, quamprimum restinxeritis. Quod quidem non ante fiet, quam vos tantopere ab illis expetitum Christi sanguinem, hianti ore, siccis faucibus, summo cum desiderio expectantibus, non gravate præbueritis.

Ne committatis, patres, ut tot populorum, tot nationum, tot insignium provinciarum, tot nobilissimorum regnorum, quæ nunc eodem incendio absumuntur, inanem esse jacturam existimetis. Arctissimo hoc unitatis & pacis vinculo dispersas ac dissipatas, & inter se pugnantes filiorum vestrorum mentes ac voluntates colligite, firmissimo hoc modo discrepantes animos constringite.

Non vult Christus ita vos propositi vestri tenaces esse, ut propter hunc sanguinem, quem pro omnibus ipse profudit, tanta sit inter nos, tamque pernicioſa animorum dissensio: quin potius propterea hunc sanguinem effundere, & quod maximum est, ignominiosissimum mortis genus obire voluit, ut nos caritatis ejus erga nos memores, conjunctissimis inter nos animis essemus, & quam concordissime viveremus. Ne cogitetis, patres, eos qui tanto studio, tanta contentione, tam ardenter Christi sanguinem expetunt, atque efflagitant, tam negligentes, tam impios

ANNO CHRISTI 1562.

pios futuros, ut quod tanto ardore ſibi dari poſtulant & obſecrant, id non omni veneratione ſint proſecuturi, non omnem ab eo prophanationem longiſſime amoturi. In veſtra propemodum manu eſt, ut a recta ſalutis via deflexos filios veſtros, in viam iterum retrahatis. In vos omnium conjecti ſunt oculi, a vobis univerſus terrarum orbis ſalutaria documenta, optatam illam, & jamdiu cupitam pacem, concordiam, ſummam animorum ac voluntatum conſenſionem avidiſſime expectat: veſtram omnes fidem, veſtram opem, veſtram miſericordiam implorant. Ne ſitis ita implacabiles, atque inexorabiles. Succurrite labenti, & jam jam ruituræ reipublicæ Chriſtianæ, pacem orbi reddite, caritatem reſtituite, errantes & in alienis, atque adeo peſtiferis paſcuis vagantes oves veſtras in ſuas cauſas congregate, ſalutari illas pabulo recreate. Eas vero, quæ nondum diſperſæ paſſim omnibus campis, relicto grege, vagantur, ſumma diligentia continete, ne ab eis vel latum unguem diſcedite, ne ſolas relinquite. *Eccl. 4. 6.* *Væ ſoli*, inquit ille, *quia ſi ceciderit, non habebit ſublevantem*. Quod ſi vero aliquo abiviſtis, eaſque ad breve aliquod tempus reliquiſtis: ſummum eſt periculum, ne redditum veſtrum procraſtinate, redite ad veſtras oves: omni celeritate recurrite.

An nondum videtis, ut veſtro deſiderio æſtuent, ut langueant? vos illæ miſerabili balatu ad ſe revocant: inſidiantes & circa caulas oberrantes lupos horrent, crudeles corporis ſui laniatus pertimeſcunt: aliæ vero veſtra abſentia fieri poſſe exiſtimant, ut luce illa ſublata, quæ ipſis ex Chriſti præcepto, ad rectum ſalutis iter prælucere debet, in tenebris verſentur, omnibus locis impingant, concidant, pereant. Vos illis in tantis tenebris erroris & inſcientiæ, quæ univerſum prope orbem contexiſſe videntur: vos, inquam, jam tandem clariſſimum lumen præferte, denſam hanc caliginem diſpellite, veram illam lucem, *Joan. 1.* quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, omnibus conſpiciendam præbete. Excitate vos ad veſtrum officium: imo vero Chriſti domini vox omni vos ardore ad veſtrum munus peragendum incendat, atque inflammet. Revocate in memoriam ſanctiſſimas illas ejus vo- *Joan. 10.* ces: *Bonus paſtor animam ſuam ponit pro ovibus ſuis*.

Imitamini paſtorem illum, qui aberrantem a grege ovem ſumma diligentia ac ſtudio perquiſivit: inventam ſuis humeris ſuſtulit: ſublatam ad *Lucæ 15.* ceteras aggregavit. Quod quidem vos ipſos facere oportet. Non hoc per miniſtros munus recte perficitur. Non hic aliena opera utendum eſt: inviſum illud atque odioſum ſervatori noſtro mercenariorum nomen hæc functio longe a ſe repellit: vos, vos ipſos poſtulat. Quod in vos ipſi facitis, quomodo ea, quæ paulo ante ſtrictim attigi, perficietis? aut quomodo boni paſtoris partes atque officium explebitis? quomodo ſi longius *Ezech 34.* ab ovibus veſtris abfueritis, quod infirmum eſt conſolidabitis? quod ægrotum eſt, quomodo ſanabitis? quomodo quod confractum eſt, abſentes alligabitis? quod abactum eſt, ſi non adeſtis, quomodo reducetis? quomodo quod periit, ſi præſentes non eſtis, conquiretis? Jam vero, quomodo, ſi longius abieritis, mutuo inter vos voces exaudietis? quomodo paſtor oves, aut illæ paſtorem ſuum cognoſcent, ſi ille oves, iſtæ paſtorem ſuum, aut nunquam aut raro admodum conſpiciant? Date operam, patres, ne illud in vos recte ac cum ratione cadere videatur: *Di-*

ſperſæ ſunt oves meæ, eo quod non eſſet paſtor: & factæ ſunt in devorationem omnium beſtiarum agri, & diſperſæ ſunt, erraverunt greges mei in cunctis montibus & in univerſo colle excelſo: & ſuper omnem faciem terræ, diſperſi ſunt greges mei, & non erat, qui requireret: non erat, inquam, *qui requireret. Propterea paſtores audite verbum domini. Hæc dicit dominus Deus: ecce ego ipſe ſuper paſtores requiram gregem meum de manu eorum, & ceſſare eos faciam, ut ultra non paſcant gregem.*

Pertimeſcite, patres, exhorreſcite vocem illam: *O paſtor & idolum, derelinquens gregem: gladius ſuper brachium ejus, & ſuper oculum dextrum ejus. Brachium ejus ariditate ſiccabitur: & oculus dexter ejus tenebreſcens obſcurabitur.* O aceribam, patres, o terribilem comminationem! Quæ omnia, ut quam longiſſime a vobis removeatis, ut acutiſſimum illum divinæ ultionis gladium non a brachio tantum veſtro repellatis: ſed ut etiam jugulum veſtrum, cui ille, niſi dicto audientes eſtis, jam imminet, a ſæviſſimo illo mucrone ſubtrahatis: quod veſtri officii eſt, facite, divinæ voluntati atque imperio obtemperate. Quod ni facitis, cavete, ne in Dei viventis manus incidatis. O terribiles! o inevitabiles ultionis divinæ manus! Hinc rebus fœliciter, ut ſpes eſt, confectis, concitatiſſimo curſu domum iter arripite: lucem veſtris ovibus præferte, ne in avia & ſenticoſa aliqua loca, ne in præcipitia deferantur. Sed quo rapior? quid ago imprudens? Ignoſcite, patres, longius me orationis quaſi quidam æſtus abripuerat. Nam ſum neſcius quales vos ſitis? Nihil mea iſta cohortatione opus eſt, veſtra vos ſponte, ampliſſimi patres, quæ veſtræ ſint partes optime intelligitis, & quod intelligitis, nullo monitore, veſtra voluntate incitati, & eximio caritatis ardore incenſi, præclare & ſumma cum omnium bonorum admiratione ac prædicatione peragitis.

Jam videor mihi videre illum diem, cum, dimiſſo concilio, præclaræ illæ & ſanctiſſimæ voces ex ore veſtro excipientur: cum alter certatim alterum ſummo ſtudio ad ſuum munus invitabit: cum mutuis vos cohortationibus, veluti ſtimulis quibuſdam, in hunc modum impelletis. Age ſis, frater, eamus. Heus tu, nunc iter ingrediamur: quid ceſſamus? pergamus, pergamus ad oves noſtras, quas ſuo Chriſtus ſanguine redemptas, noſtræ fidei commiſit, quarum item ſanguinem de manibus noſtris requiret. Age nunc *Ezech. 34. Prov. 27.* diligenter cognoſcamus vultum pecoris noſtri, noſtros greges conſideremus: in numerato noſtras oves habeamus, agedum, nominatim eas vocemus, educamus ad paſtum: ſequentibus præeamus: luporum rabidos ab eis morſus arceamus: ſalvas & incolumes domum iterum reducamus: ut cum ſummus ille paſtor rationem a nobis repoſcet, intrepide in medium prodire, & his eum vocibus *Joan. 10. Num. 27.* fidenter alloqui audeamus: En tibi pater cœleſtis, quem mihi gregem tradidiſti, eum ego tibi integrum conſervavi: tu illius miſerere, & una cum paſtore in optatam illam tuam ſedem, & beatorum domicilium transferas: ut ibi dulciſſimo tuo aſpectu læti perfruamur: ut oculos noſtros divinitatis tuæ ſplendore ac pulchritudine perpetuo paſcamus: ut tibi ſempiternas laudes & gloriam in excelſis canamus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

FINIS.

ANNO CHRISTI 1562.

XCIII.

DISPUTATIO DE COMMUNIONE sub una panis ſpecie, ad ſacram œcumenicam ſynodum Tridentinam habita in congregatione generali, a Ludovico Joanne Villetano theologo reverendiſſimi domini epiſcopi Barcinonenſis, diebus XVII. *&* XVIII. *Junii.*

ARTICULI PROPOSITI THEOLOGIS examinandi in ſancta ſynodo Tridentina VI. Junii. MDLXII.

I. Articulus.

AN ex Dei præcepto ad ſalutem neceſſario omnes & ſinguli Chriſti fideles utramque ſpeciem ſuſcipere teneantur ſanctiſſimi euchariſtiæ ſacramenti?

II. Articulus.

AN rationes, quibus S. catholica eccleſia adducta fuit, ut communicaret laicos, atque etiam non celebrantes ſacerdotes ſub una tantum panis ſpecie, ita ſint retinendæ, ut nulla ratione calicis uſus cuiquam ſit permittendus?

III. Articulus.

AN ſi honeſtis & Chriſtianæ caritatis conſentaneis rationibus concedendus alicui vel nationi, vel regno calicis uſus videatur, ſub aliquibus conditionibus concedendus ſit, & quænam ſint illæ?

IV. Articulus.

AN minus aliquid ſumat, qui ſub una tantum ſpecie hoc ſacramento utitur, quam qui ſub utraque?

V. Articulus.

AN divino jure neceſſarium ſit parvulis antequam ad annos diſcretionis pervenerint, altiſſimum hoc porrigere ſacramentum?

Dicant theologi, quæ tanquam vera ſive catholica recipienda, quæ tanquam falſa ſive hæretica rejicienda.

ILLUSTRISSIMI, ac reverendiſſimi domini, apoſtolicæ ſedis legati digniſſimi, oratores clariſſimi, antiſtites ſacratiſſimi, virique ornatiſſimi, ne videar in tam pio ac ſedulo totius reipublicæ Chriſtianæ negotio unus ipſe ſedere otioſus, verſo jam & ego meum dolium, obſequuturus interim quam officioſe ac pie potero veſtris ſanctis imperiis. *Luc. 21.* Atque ejus unius fretus auxilio, qui vobis, hoc eſt, eccleſiæ, ac proinde veſtris etiam miniſtris, os & ſapientiam, cui non poſſint adverſarii reſiſtere, pollicitus eſt ſe daturum, ad diſcutiendos propoſitos quinque articulos aggredior. *Ratio diſputationis. Ex imperat. in concilio Chalcedon. act. 3.* Qua in re videor muneri ſatis meo facturus, ſi non amplius immorer in noſtris confirmandis, (ne injuriam facere videar ſacroſanctis Conſtantienſi, & aliis ſynodis, ubi illa bona ex parte definita ſunt omnia, atque mirifice conſtabilita) ſed totus potius verſer in refutandis alienis, & quidem confodiendis adverſariis, proprias etiam in ipſorum capita retorquendo ſagittas. Qui niſi eſſent petulantes ac importuni, imo vero & impii, reſipiſcerent tandem, aut certe conquieſcerent convicti, & piis indulgentiſſimæ matris ſanctæ Romanæ eccleſiæ hortationibus, & juſtiſſimis doctiſſimorum ac religioſiſſimorum virorum objurgationibus, nec iterum ſibi iniqui, & nobis improbi inſurgerent, falſo conquerentes nos ipſorum argumenta aut obiter referre, non explicita, eorum vi & energia: aut leviter impugnare, non expectata ipſorum repulſione. Quibus imprudenter in utroque mentientibus, etiam ſi ab iis qui ante dixerunt & doctiſſimi & pientiſſimi viri, ſatis ſuperque fuerit factum, libet nihilominus, ſi tamen liceat per veſtram omnium, ſanctiſſimi patres, humanitatem, cominus cum adverſariis congredi, & velut manus conſerere, potiſſimis illorum objectionibus fideliter adductis, quinimo velut in belli aciem redactis cunctis, & ceu haſtata manu propoſitis ſingulis, ut vel ita tandem cum ſenſerint ſibi humanas omnes debilitatas vires, redeant ad cor, & pientiſſimæ matris Romanæ eccleſiæ implorent clementiam. Quod illis concedat benigniſſimus pater dominus Jeſus Chriſtus. In quorum parentum gloriam, quia hoc maximum palmarium eſt, ego filiorum minimus nullum diſcrimen veritus in arenam & certamen deſcendo. Atque primum ſit totius noſtræ diſputationis cardo & vertex, qui primus eſt ordine propoſitus articulus: quo definito, reliquos faciliori negotio abſolvemus. Ab hujus enim deciſione ceterorum definitiones pendere videntur.

ANNO CHRISTI 1562.

Adverſariorum petulantia & improbitas.

Adverſus impudens mendacium.

Inſtitutum diſputationis.

Ex Euſ. li. 6. Eccl. hiſt. c. 3. 4. Aug. de vera rel. cap. 6.

AN EX DEI PRÆCEPTO ad ſalutem neceſſario omnes & ſinguli fideles utramque ſpeciem ſuſcipere teneantur ſanctiſſimi ſacramenti euchariſtiæ.

ARTICULUS I.

QUÆSTIONIS aſſertoriam partem confirmare cum nituntur adverſarii, hoc veluti rete, quo ſe ipſi irretiant, ex omnibus eorum rationibus contexi poſſe videtur, quantum ego illas apud eos divulſus & temere ſparſas potui in quandam velut artis formam redigere ex ſequentibus ordine locis. Primo, ex præcepti diſpoſitione. Secundo, ex diſpoſitionis ratione. Tertio, ex ſacramenti inſtitutione. Quarto, ex inſtitutionis exequutione. Quinto, ex exequutionis obſervatione. Sexto, ex obſervationis continuatione. Hæc illa eſt eorum catena, quæ miſeros in teterrimum traxit hæreſeon barathrum, & deplorandum animorum exitium. Cujus quo propoſuimus ordine unamquamque ſeorſum anſam primum connectamus, deinde vero diſſolvamus, quam apto fieri utrumque poterit diſſerendi modo, & ſtilo, ut ita utriuſque ratio ſit apertior. Nam *ornari res ipſa negat, contenta doceri.*

VI. loci unde adverſ. argumenta cruunt.

Ordo diſputationis acceptam

EX PRÆCEPTI DISPOSITIONE objectio prima.

ITAQUE ex hoc primo loco acrem & hoſtilem inchoantes pugnam adverſarii, præſertim Huſſitæ, quanta poſſunt virium intentione adverſus nos ſpicula intorquent, ſic plenis buccis concrepantes. Quæ ſunt ejuſdem diſpoſitionis, ejuſdem pariter obligationis eſſe oportet: atqui præceptum illud baptiſmi Joan. 3. *Amen, amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei*: & illud alterum communicationis Joa. 6. *Amen, amen dico vobis, niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam*

Huſſitarum Achilles ex collatione baptiſ. & euchariſtiæ.

ANNO CHRISTI 1562.

vitam in vobis: ejusdem omnino dispositionis esse constat, ex asseveratione præfationis, *Amen amen dico tibi*, &, *Amen amen dico vobis*: ex energia conjunctionis: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto*, &: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem*: & ex gravitate comminationis: *Non potest introire in regnum Dei*, &: *Non habebitis vitam in vobis*. Cum tamen ad baptisma omnes & singuli Christi fideles teneantur ratione divini præcepti parvulis etiam injuncti ex analogia circumcisionis Gen. 17. *Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit*: Cum jam præmisisset: *Infans octo dierum circumcidetur in vobis*.

RESPONSIO.

HIc est magnus Hussitarum Achilles, in quo licet potissimum omnis spes Danaum, addunt illi tamen & alterum fraudulentum Ulissem ex ratione præcepti, cui etiam conjungunt & tertium furibundum Aiacem ex sacramenti institutione. Atque ita deinceps ex reliquis propositis locis ceteros antesignanos & præcipuos Græcorum duces conglomerant, & instructa phalange, sibi leviter plaudentes triumphum ante victoriam, si Deo placet, concinunt. Verum quia non in numero, sed in momento argumentorum vis est, age jam singula expendamus, & unumquodque istorum, Christo propitio, doceamus esse iners, & sine pondere pondus. Et adversus istos tot tantosque Goliathos cassidibus, loricis, ocreis, gladiis, hastis, clipeis, & reliquis infernalis Vulcani armis onustos exprobrantes agminibus Israel, insurgat unus David puer inermis, in nomine domini cum baculo tantum, funda, & quinque limpidissimis de torrente electis lapidibus, hoc est, quinque verbis Paulino sensu in ecclesia Dei locutis: ut intelligant nos vere niti verbo Dei & quidem expresso. Id quod etiam rudiores perspicerent apertissime, nisi habenda nobis esset ratio celeberrimæ hujus non minus doctæ quam sanctæ coronæ. Cui satis superque fuerit digitos intendisse in fontes sacræ scripturæ, & ad antiquorum patrum sententias obiter, & velut per transennam allusisse.

Adversariorum inanis fiducia.

Pia confidentia auctoris.

2. Reg. 7.

2. Cor. 14.

Ratio citand. exemplor.

Atque primum illud ducimus præmittendum: Citatum Joannis VI. locum bifariam a doctoribus ecclesiasticis exponi, nempe vel de spirituali, vel de sacramentali manducatione: ad has enim referimus, quæ aut voto, aut reipsa ex ambabus connectuntur. Quam quidem utramque expositionem hoc loco usurpamus, quod & ambas literales esse posse non diffiteamur ex doctrina non modo beati Augustini, sed etiam aliorum antiquorum patrum, cum in multis aliis sacræ scripturæ exemplis, tum in hoc etiam loco comprobata, & res nobis sit cum Lutheranis simul & Hussitis, quorum illi spiritalem tantummodo, hi contra sacramentalem ex hoc loco manducationem admittunt. Ut ita cum probaverimus ex neutra sequi adversariorum institutum, nullum illis relinquamus diffugii locum. Sed ne eadem repetamus, cum præcepti dispositio & ratio præcipiendi eodem fere spectent, dilata sacramentali in sequentem locum, spiritualem hic tractemus manducationem. Quæ ea maxime est, qua Christus spiritaliter manducatur & bibitur per fidem charitate vivam in ipsum Jesum Christum filium Dei unicum Dominum nostrum.

Duplex sensus literalis objecti loci. Jean. 6.

Augustin. l. conf. 12. & tract. 25. 26. in Joann. Orig. homil. 16. in Num. Cypr. in ser. de can. dominic., aut quis alius?

Quæ sit spiritualis communio apud divum Joan.

Quod esse divi Joannis institutum in supra citatis verbis & metaphora (in qua non proprietas, sed translatio est literalis, & primo intentus sensus) colligas facile & ex concordantia aliorum locorum, qui de fide tantum expresse loquuntur, & ex consensu ac conspiratione eorum omnium, quæ hoc loco & præmittuntur, & subnectuntur in idem institutum. Quæ duplex solum aut sane potissime assignari solet investigandi reconditioris sensus ratio. Nam cum manducans carnem Christi, & bibens ejus sanguinem, duos imprimis dicatur inde percipere fructus, ut scilicet habeat vitam æternam, & ut maneat in Christo, Christusque in ipso) ad priorem enim referendum est, quod idem non pereat sed vivat, quod resuscitandus sit a Christo in novissimo die) utrumque fidei vivæ referri acceptum in sacra scriptura notius est, quam ut pluribus comprobandum sit. Et ut ceteros prætermittam, quis nesciat divum Paulum in hoc libentissime versari argumento, ut doceat ex fide justum vivere, & Dei spiritum Christumque ipsum in eo habitare?

ANNO CHRISTI 1562.

Fructus spiritalis communionis.

Idem fructus fidei vivæ cum ex scriptura sacra cum ex universo divi Jo. evang. Rom. 1. c. 3. b. 4. a. 5. a. 8. b. Gal. 2. d. 3. 2 Cor. 3. d. Ephes. 3. d. 2. Tim. 1. d. Joan. 1. b.

Quid quæris? divus ipse Joannes usque adeo frequens est in hac sententia, ut fere nullum ejus evangelii sit caput, in quo non aut tacite insinuarit, aut expresse illam protulerit. An alia est ea initio evangelii concessa coaptatio in filios Dei, *iis qui credunt in nomine ejus & ex Deo nati sunt*. In quorum numerum adsciti jam videntur 2. cap. multi credentes in nomine Christi. Tertio autem capite, cum ipso præcepto baptismatis conjungit fidem in Christum, sæpe inculcans quod omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam. Quinimo & sequenti capite 4. Christus (ut intelligas ad omnem occasionem libenter irrupisse eum in hanc sententiam) cum Samaritana de aqua bibenda sermocinans subdit: *Omnis qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum: Qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum*. Quod de fide viva in Christum intelligendum esse, ut sic loquar, literaliter non solum concors omnium exponentium patrum sententia commonstrat, sed verba etiam ipsa Christi quæ sequuntur: *Sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam*. Quod ipse idem Joannes interpretatur capite VII. in simili sententia *de spiritu, quem erant accepturi credentes in Christum*. Unde fit, ut quidam hic Christus intelligit bibitionem ex occasione petentis aquam & potum, eamdem intelligat VI. capite manducationem ex occasione quærentium panem & cibum. Quare fuerit fides viva in Christum utrobique intellecta, si rem ipsam significatam attendas. Si vero etiam speraveris in ipso modo dicendi præfationem antecedentem, & promissionem subsequentem) ut in objecto adductum est) videas easdem fidei ipsi applicitas a Christo capite V. *Amen amen dico vobis, qui verbum meum audit, & credit ei, qui misit me, habet vitam æternam*. Qualis autem si hæc vita æterna, cujus sæpe meminimus, subdit dicens: *Et in judicium non venit, sed transit a morte in vitam*. Cujus oppositam pœham comminantur explicite ibidem, non credentes in se. Ex qua mirifica conspiratione antecedentium capitum quis non facile colligat intellectam a divo Joanne in supra adductis verbis spiritalem de fide in Christum manducationem carnis, & bibitionem sanguinis ejus? Quod si propius ad institutum libet accedere, & omnes habiti a Christo Joannis sexto de hac re sermonis partes penitus intro-

Cypr epist. 63. ad Cæcil. lib. 2.

Partes sermonis a Christo ad Capernaitas habiti.

ANNO CHRISTI 1562.

introspicere, miraberis, sat scio, summam omnium concordiam ad hunc sensum in continuato orationis ductu, ex assignatis ubique eisdem effectibus & fructibus.

Quid quæso te, an non illum manifestant ac perspicuum faciunt, & sumpta sermocinationis occasio, *Quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus & saturati estis. Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem filius hominis dabit vobis, &c. Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille.* Propositio petitioni Judæorum satisfaciens: *Ego sum panis vitæ, qui venit ad me, non esuriet, & qui credit in me, non sitiet in æternum.* Solutio dubii: *Amen amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternam*: &, *Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi; si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Compositio litigii, quæ nostra est ligandi occasio: *Amen amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Subsumpta subjectio: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem habet vitam æternam, & resuscitabo ego eum in novissimo die.* Apposita confirmatio: *Caro enim mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus; qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.* Augens expositio: *Sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter patrem, & qui manducat me & ipse vivet propter me.* Et illata collectio: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Quod si, ut decet peritum artificem, connectas conclusionem propositioni, finem principio, artificii circulum absolvens, dicas: *Qui manducat hunc panem*, credendo in me filium Dei, non esuriet nec sitiet, quia *vivet in æternum.* Hæc ergo esse videtur Christi apud Joannem de fide viva sententia, quam reliquo fere evangelio confirmat. Nam & sequenti capite VII. *In novissimo die magno festivitatis stabat Jesus, & clamabat dicens: Si quis sitit, veniat ad me & bibat, qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit* (ut inquit Joannes ipse, ne alium quæras interpretem) *de spiritu, quem erant accepturi credentes in eum.* Hanc ipsam deinceps sententiam sæpe apud eumdem legas, præsertim & expressius quam ut possis subterfugere, capite X. XII. XV. XVII. & ubi non in ejus evangelio? Cujus potissimum primumque institutum fuit Christi divinitatem adversus Ebionitas asserere: *Ut credentes quia Jesus est Christus filius Dei, vitam habeamus in nomine ejus.* Joan. 20.

Quinimo & in epistolis sibi perpetuo concors & constans Joannes eandem sententiam subinde inculcat. Unde divus Hironymus contra Jovinianum (ut prudens taceam multos alios ex antiquis & recentioribus patribus ejusdem plane interpretationis) expendens illud I. Joannis IV. *Quisquis confessus fuerit, quoniam Jesus est filius Dei, Deus in eo manet & ipse in Deo*, diserte dixit manducationem carnis & bibitionem sanguinis Christi Joannis VI. de fide per caritatem vivam, & superiorem confessionem intelligi debere, quod eundem utrobique apud Joannem videret & effectum & fructum. D. Hier. l. 1. contra Jovia.

Neque Joanni propria hæc est metaphora, sed quam ille inchoavit in gratia, eandem Lucas absolvit in gloria, dum etiam in novissima cœna Christus apostolos in magnam spem erigens, inquit: *Et ego dispono vobis sicut disposuit mihi pater meus regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo.* Sic enim demum beatis datur dapibus accumbere divum, cum per contemplationem Dei fidei respondentem velut ambrosiam comedere: per fruitionem vero caritati relatam ceu bibere nectar dicuntur in una perfecta felicitate, etiam a poetis veritatem nescio unde edoctis. O mirandus veritatis consensus atque concentus! Ergo te, te inquam, Domine Jesu Christe Deus noster, nos homines etiam manducamus & bibimus, dum in te credimus viam conversationis sanctæ, veritatem doctrinæ divinæ, & vitam beatitudinis sempiternæ? Quis igitur tam iniquus sibi fuerit, qui tantam felicitatem sibi inviderit? Spiritualis communio in beatitudine. Luc. 22. Quæ sint beatorum ambrosia & nectar. Leo ser. 2. de resurrect.

At dices: Si tam facile & ita absque ullo horrore manducari caro Christi, & ejus sanguis bibi per fidem poterat, cur ille Capernaitas & discipulos intelligentes ferinam comestionem carnis & bibitionem proprii sanguinis permisit in tam fœdo errore & impia obmurmuratione persistere? Fortassis inquam, quod illi ex eorum numero essent, quibus ita loquendum erat, ut videntes non viderent, & audientes non intelligerent? vel potius quod isti ex affectata ipsorum ignorantia nollent intelligere quæ satis ipse expresserat Quorum etiam admoneret subdens: *Hoc vos scandalizat? spiritus est, qui vivificat, caro non prodest quicquam. Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt*, &c. Sed addes: Atqui post hanc etiam admonitionem multi discipulorum ejus abjerunt retro, quos non legimus tunc revocatos. An quod & hi non essent ex iis, quibus dictum est: *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei*? Ex quibus ut doceret se neminem perdidisse, dixit Jesus ad duodecim: *Numquid & vos vultis abire?* Cui omnes in Petro, & Petrus pro omnibus, caput pro corpore, pontifex pro ecclesia respondit, *Domine ad quem ibimus, cum certo sciamus non esse aliud nomen præter tuum sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Quinimo confitemur quod verba vitæ æternæ habes, in hoc palam profitentes, & universi evangelii tui præstantiam, & superioris dicti energiam. Cujus ut omnes norint nos tuo munere veram & sanam intelligentiam assecutos, & nos credimus & cognoscimus, *quia tu es Christus filius Dei.* Ubi Petrus ecclesiæ fidem, & ejus ordinem, ac certitudinem publice protestatus satis aperte significat verborum Christi & sacræ scripturæ interpretationem esse, non exterorum Capernaitarum (cujusmodi sunt infideles & pagani) non etiam discipulorum Christi ab ecclesiæ unitate discedentium (quorum exemplum imitantur schismatici & hæretici) sed potissimum Petri & collegii apostolorum, hoc est, papæ & concilii, sensum Christi habentium, & illorum vices gerentium. Ut ideo dicere possis præceptum illud Joannis VI. de spirituali manducatione, & bibitione per fidem vivam in Christum, jam inde usque ab ejus promulgatione fuisse interpretatum ab ecclesia universa. Præoccupatio repulsionis. Luc. 8. Joan. 6. Præoccupatio 2. repulsionis. Luc. 8. Joan. 18. Joan. 6. Act. 4. Petri & pontificis summa auctoritas. Auct. incert. de 4. fer. Evang. præstantia ecclesiæ fidei. Quorum maxime sit interpretari litera 1. Applicatio responsionis ad objectionem.

Quod ob id paulo morosius ex eodem Joanne probandum duximus, ne hanc interpretationem respuant orthodoxi. Quam admittentes libentissime damus supra adducta in objectione ex Joanne III. & VI. quatenus præcepta sint, non tantum ejusdem esse dispositionis, & obligationis, sed etiam ejusdem fere significationis, aut certe virtutis. Quibus simul & semel, ut in scholis dicitur, paremus omnes, & singuli Christi fideles, dum in baptismate credentes in Christum

ejus

ANNO CHRISTI 1562.

ejus manducamus carnem, & sanguinem bibimus, sive per nos ipsos adulti, sive per alios pueri, in quorum fide baptizamur, ut optime explicuit Beda ex Augustino. Atque hic est unus modus respondendi objectis adversariorum ex manducatione spiritali, & fide viva. Est & alter ex manducatione sacramentali, quem jam nunc in diluendo secundo objecto explicemus.

Beda in collect. 1. Corin. 10. Eu Aug. in ser. ad infant. ad altare.

EX PRÆCIPIENDI RATIONE.
Objectio 2.

IN confirmationem primi objecti sui addant, imo & in refutationem nostræ responsionis, si quid juvare videtur, assumant secundo adversarii rationem præcipiendi. In quo utpote philosophico loco argutentur, quantum velint, Pragensis universitatis Hussitæ. Hoc profecto tandem suis argutiis & technis efficient, ut videantur voluisse magis videri, quam esse sapientes, vere sophistæ. Quorum rationem volumus non modo explicare, sed viribus etiam additis, ut in superiori fecimus, augere. Quo norint omnes, nos non tam vobis æquissimis judicibus, quam causæ ipsi & veritati fidere. Atque jam illud primo subjiciant, fuisse perpetuo ab omnibus & priscis & neotericis Theologis observatam quandam miram analogiam inter naturam & gratiam: qualis fere a philosophis celebratur inter materiam & formam mutuus respectus & reciproca ratio. Super qua quidem sancti patres & satis feliciter ædificarunt bona ex parte arcem illam, ad quam Theologia reliquas artes velut ancillas vocat: & in qua pro ingenii humani captu satis apposite explicarunt harmoniam illam universi ex ratione archetypi ad imaginarium? intelligibilis ad sensibilem, cœlestis ad ecclesiasticum (ut cæteros taceam) seduli sic indagatores (quoad licet & fas est) consiliorum & mysteriorum divinorum.

Adversariorum sophisticæ argutiæ.

Analogia naturæ & gratiæ.

Harmonia universi unde explicetur.

Atque ita isti magnifice præfati super communi illa naturæ ad gratiam proportione duas alias particulares habitudines adstruunt: Vitæ naturalis corporis & caducæ ad vitam gratuitam spiritus & æternam: item & alimenti corporalis ad sacrosanctam eucharistiam. Quibus decussatis (quæ efficacissima habetur apud mathematicos a decussata proportione colligendi ratio) conficiant cum concilio Florentino, omnem effectum quem materialis cibus & potus, quoad vitam agunt corporalem, hoc idem quo ad vitam spiritalem & hoc sacramentum operari. Nam & hactenus communis illis & nobis est sententia: dissentimus vero in eo, quod isti assumunt. Atqui alimentum corporale distinctis cibo & potu constat. Oportebit igitur eum distinctas duas species sumere panis & vini, qui sanctissima eucharistia velut alimento spiritali utatur: ut ita vere dicatur manducare carnem & bibere sanguinem Christi. Nec satis sit (quod præoccupantes fortassis adjungerent) communis & generica ratio alimenti & sumptionis, cum hæc servetur in potu, quo solo nequit corporalis vita conservari. Quæ si aliquo communi sustentetur, hoc velut compositum & coalitum fuerit ex illis duobus cum distinctis habitudinibus, nempe ad cibum sub ratione calidi & sicci, & ad potum sub ratione frigidi & humidi: ut ita alimento instaurentur in animante ea, ex quibus ipsum constat, & continuo fluxu, quæ ejus est conditio, deperduntur.

Decussatio proportionis vitarum & alimentorum corporis & spiritus.

Adversariorum elenchus ex analogia alimenti corporalis ad eucharistiæ.

RESPONSIO.

ANNO CHRISTI 1562.

SED hoc loco facile intelligo, o bone Jesu, quam verum illud sit: Sapientes hujus sæculi turpiter & pueriliter hallucinari etiam in rebus minimis, qui relicta tua & vera via & recta veritate, sua ipsorum nitantur prudentia. Quis non videt, qui vel prima fecerit philosophiæ rudimenta, acutos istos homines ad meridianam lucem cæcutire, dum rationem alimenti corporalis in eo quod extraneum, ne dicam contrarium illi est, collocant, non animadvertentes cibum & potum dum primum sumuntur sub materali ratione, & nondum dispositа, esse varia aliena & velut contraria animalis alendi naturæ & temperiei: Cui cum cognatum, quam maxime fieri potest, evaserit alimentum, tunc demum proprie nomen suum tueri posse & alere. Atque hujus rei gratia tradunt physici naturam mirifice suas ordine disposuisse in animali officinas, ventriculum, hepar, venas. In quibus quicquid per os ingestum fuerit, continua velut concoctione expoliatur & perficiatur, dum inde excernuntur perpetuo velut scoriæ quædam, quæ magis externa, minusque animali utilia fuerint, donec ex venis tandem irrorescens ac membris singulis mirandum velut gluten adhærescens, fiat & toti ipsi congeneum, & singulis partibus conveniens: atque ita demum pro ratione cognatæ substantiæ nutriens, pro ratione veræ abditæ quantitatis augens indicibili modo per totum ipsum, & minimas ejus partes citra dimensionum penetrationem commeans. Atque hic denique absolvitur alimenti ratio: in elaborata, inquam, illa unitate, quæ conformis est unitati & virtuti ipsius misti. Ut inde aperte videas: quam falso & inepte assumpserint adversarii, in alimenti ratione spectandas esse proprias & distinctas vires calidi & sicci, humidi & frigidi, velut quatuor elementorum, ex quibus animal constet alendum. Nam ut prudens prætermittam difficilem illam quæstionem, de qua philosophi & medici certant, & adhuc sub judices lis est: Num in misto elementa permaneant formis integris, aut viribus dumtaxat suis? Illud tamen inter omnes convenit misti rationem ad elementa esse velut formæ ad materiam: ac proinde illam consistere in superiori quadam unitate, virtute & temperie. In quam cum conspirant elementa cuncta, meliorem jam sortem nacta in communi totius natura, propriam partis conditionem obliviscantur singula.

Adversari deceptio in assignanda ratione alimenti ad elementa.

Qualis ratio misti ad elementa.

Huic igitur mirandæ unitati totius misti corporis respondere debet & ipsius unitas alimenti, quod ad illud totum instaurandum pertinet, dum suppetias fert humido radicali: quod a natura institutum ad conservandam misti totalem temperiem, in quadam tanquam superelementari conditione, a calore nativo tamen velut invaditur perpetuo, ut ita sustinere hujus impetum possit, donec naturæ periodus absolvatur. Itaque & ipsum intrinsecum, alimentum corporale suopte ingenio unum est, cui ut concordaret extrinsecum, unum etiam illud, si fieri posset, optaret natura. Id quod observatum videmus, ubi alimentum ipsa præparat parvulis, qui ob ætatis infirmitatem illi parando inepti sunt, utpote in lacte ipso alimentorum omnium si ex ipsa mamma sugatur aptissimo. Quare si tantam observamus in corporali naturæ alimento sive intrinsecus, sive

Quare oporteat unum esse alimentum corporis.

Natura consilium.

Quare deberet esse una alimentum spiritus.

Quanta gratia præstet naturæ.

ANNO CHRISTI 1562.

Quanta unitas utrinſque alimenti.

ſive extrinſecus unitatem, quantam, oro, vos obſervandam cenſeatis utrinque in ſpiritali gratiæ alimonia? Magna hoc loco myſteria nobis deteguntur, ſi commode propoſita naturæ ad gratiæ habitudine utamur. Ubi tanto gratia præſtabit naturæ, quanto ſpiritus corpori, quanto forma materiæ, quanto ens non enti, quanto unum multis, quanto denique divinum humano.

Quæ ſit unitas eminentiæ in ſuperiori & intrinſeco. Dionyſ. de div. nomin. Plato in Parmen.

Hinc neceſſario reſtat, ut quia alimenti naturæ corporalis, eſt unitas virtutis, alimenti gratiæ ſpiritalis ſit, quæ ſola ſupereſt unitas eminentiæ. Hæc autem eminentiæ unitas talis eſt, qualis apud Dionyſium omnium ſenſibilium in Sole, omnium linearum in centro, qualis denique apud Parmenidem omnium in ipſo uno. In quo non tantum omnia ſunt unum, aut unum omnia, ſed quodcumque, quidvis aliud. A quo, ut ſupremi ad infima ducta prima analogia, ſimilem deinde obſervant illuſtriores ſive philoſophi theologantes, ſive theologi philoſophantes in omni ſuperiori ad ſua inferiora, quatenus uniuſcujuſque propria ratio & natura ferre poſſit, & imitari divinam conditionem, quam omnia ſuapte natura appetunt, ut quo propinquius ad ſupremum acceſſerit aliquod ſuperius in mirifica illa partium univerſi gradatione, eo magis in hac ipſa eminentiæ ratione inferiora ſua ſibi connectat & uniat. Coeunt quidem, & uniuntur eminenter, id eſt, non modo facultatibus propriis, ſed actu etiam communi & ſuperiori omnia materialia in forma: magis, naturalia in anima: jam magis, animalia in intellectu: ſed maxime, intellectualia in Deo, eoque abſolute omnia in ipſo uno. Atque ita intelligendum illud celeberrimum, & in omnium ore vulgatiſſimum axioma: Quæ diſtincta ſunt in inferioribus, in ſuperioribus unita eſſe oportet. Quam ſimilem rationem obſervant extrinſeca ad intrinſecum. Id quod exemplo phyſico elariſſime oſtendunt philoſophi, dum in uno ſenſu communi & intrinſeco eminenter conglutinant & connectunt omnes ſenſus particulares & externos: ita, inquam, ut non ſolum unus & idem videat, & audiat, ſed & videndo audiat, & audiendo videat, dum eminenter tantum ſentit. Unde fit, ut ſi corporales & materiales, cibus & potus in ipſo intrinſeco corporis alimento formaliter unum evadunt (ut ideo & extrinſecum ex correſpondentia naturæ unum etiam eſſe oporteret) multo magis ſpiritualis in ipſo ſpiritu utrinque unum eſſe conveniat, & eo magis in ſacramento, quo ibi ſpiritus in gratiam & ſuperiorem divinam ſortem evehitur ſupra omnem naturæ conditionem & vim ex ſolo divino munere, & benigniſſimo clementiæ divinæ fœdere.

Gradatio partium univerſi in unitate.

Ut uniuntur inferiora in ſuperiori, ſic plura extrinſeca in uno intrinſeco.

Quanta ſit unitas alimenti ſacramentalis.

Quatenus in ſacramentis externa corporalia in æternum agãt ſpiritum.

Quod unum in ſacramentorum præſtantia, & efficacia ſpectamus & attendimus. Eatenus enim ſigna illa exteriora intrinſecus operari, & in ſpiritum agere intelliguntur, quatenus ex intentione operationis divinæ velut inſtrumenta ad gratiam, vel inducendam, vel augendam applicantur, cum quadam congruentia aut naturalis uſus in re, aut ſignificationis humanæ in voce ſecundum communem, ſed myſterio decentem utriuſque uſurpationem. Sic baptiſmus lavat animam, & euchariſtia paſcit etiam ſpiritum. Quare licet in hoc ſpirituali & ſacramentali pabulo, ſi rem ipſam ſpectes, vere & realiter ſint quatuor illa, caro, ſanguis, anima, & divinitas Chriſti, ſuis quæque actibus diſtincta, & eorum reſpectu naturaliter a ſe invicem diverſa: attamen ſi ea ad viſibile ſignum, & inviſibilem effectum ſacramenti referas (in qua relatione, & habitudine videtur maxime intelligendus ſpiritualis ille & mirus, quo Chriſtus eſt ſub hoc ſacramento, modus, a ſanctis theologis appellatus ſacramentalis) fortaſſe non inepte dixeris quatuor illa coire, ut ſic dicam, eminenter (non enim ſupereſt aliud apud philoſophos, cum quibus hic agimus, uſurpatum unitatis nomen) in unum ſanctæ euchariſtiæ ſacramentum, & perfectum ſpirituale alimentum ſub utriuſvis ſpeciei etiam minima particula, ubi non ſatis poſſit humanus ſenſus quatuor illa invicem diſcernere, utpote hic unita non modo in uno Chriſto realiter ſecundum eſſe, quo ille eſt in ſe, ſed etiam in una euchariſtia ſacramentaliter ſecundum aliud eſſe, quo idem etiam eſt in ſacramento. In quo Chriſtus unus eminenter paſtus ſic totus, & integer ex multis conſtans, ſimul ſumitur, ut compoſitus & multiplex natura exiſtens, ſimpliciter & unite ſacramento communicetur.

Chriſtus in euchariſtia unus eminenter paſtus unite communicatur. Græc. interpr. Luc. 22. Paſ. de ſac. cap. 7.

Unde licet non temere hic ſuam quandam obſervare eminentis unitatis rationem, propter quam Chriſtus ipſe, tametſi ſecundaria partium ratione, & velut materiali optime & vere dicatur ſecundum carnem manducari, & ſecundum ſanguinem bibi, non tantum ſub utraque, ſed etiam ſub una ſpecie, attamen primaria totius ratione, & ceu formali per ſe potius a ſanctis doctoribus dicitur ſumi & communicari in eminenti illa ſacramenti unitate. Ad quam ſic magis exprimendam, præſertim contra Neſtorium, qui eam impie dividebat (ut noſtri adverſarii) dicuntur a patribus ſanctis omnia in illo contenta etiam ſanguine manducari. Quinimo & de eodem etiam pane ſimul manducari & bibi. Quemadmodum & hujus ſacramenti typus (quem hic Chriſtus adducit) manna *omne delectamentum & omnem ſaporis ſuaviratem* pro credentibus in ſe habebat, & ſimul eſcæ ac potionis loco & pro integro alimento Hebræis fuit, antequam murmurare contra Dominum cœpiſſent (ut noſtris etiam adverſariis uſu venit) quod idem doctiores Judæorum tradiderunt: imo & quandoque petram, ut pſalmo ſeptuageſimoſeptimo accipi pro manna per ſynonymiam. Ut jam obſerves in ipſa etiam figura unam non modo rem, ſed & ſpeciem notatam hujus alimenti cœleſtis & ſpiritualis. Atque huc etiam ſpectaſſe concilium Florentinum facile intelliget, qui animadvertit ad intrinſecum utriuſque alimenti effectum verba illius relata, neque ſpecierum euchariſtiæ ullam factam mentionem, ſed ipſius indefinite ſacramenti, tanquam unius. Cujus ſub alterutra ſpecie (cum eidem etiam ſub qualibet utriuſvis particula totus ipſe Chriſtus ſit, & vere præſens habeatur) perfectum & mirabilem ex communicatione effectum quoad vitam ſpiritualem, explicatum ſic magis voluit ex analogia materialis alimenti quoad vitam corporalem, ſecundum eam profecto rationem, in qua propoſitionem adverſariorum audimus, proximi alimenti. Quam eandem inſinuavit Gregorius Nyſſenus, dum perfecti alimenti rationem in carne & ſanguine Chriſti eſſe docuit, ſecundum mirandum illum effectum, quem corporis Chriſti communicatio ſacramentalis in ipſo digne ſumente faceret.

Innocent. l. 3. de off. miſſ. conc. Epheſ. contra Neſt. Cyr. ſuper anathematis & in Joan. l. 4. c. 24. Cypr. in ſer. de cœn. Do.

Unitas eminentiæ in figura euchariſtiæ. Philo in lib. quod deter. & 2. lib. Al. leg. Joſeph. lib. 3. Tau. Bur. ex Rabin. com.

Conc. Flor. ſpectaſſe unitatem alimenti in effectu communicationis: d. Thom. 3. q. 79. ar. 1. ex Ambr. & Chryſoſt.

Eodem ſpectaſſe etiam Greg. Niſſ. Euth. in Panoplia. part. 2. titul. 22.

Ad hanc igitur communicationem ſignificandam, & commode quidem repræſentandam aptiſſima eſſet in ſacramento una externi alimenti ſpe-

ANNO CHRISTI 1562.

ti ſpecies, ſiqua in communi omnium uſu eſſet, quæ plenam illam totius alimenti rationem denotaret: qua cum careamus, ſufficit ex pacto ſignificationis non ad dimidium tantum, ut mentiuntur adverſarii, ſed ad integrum etiam alimentum, & perfectum ſacramentum alterutra ſive cibi, ſive potus communis ſpecies. Id quod ex diſtincta ſeorſum panis, & ſeorſum calicis conſecratione, commendatione, & traditione Chriſti, jam olim obſervarunt antiqui patres. Sed quia divina illa ſapientia in ſacramentis non tantum ſufficientiam ſignificationis, ſed etiam congruentiam naturæ & uſus communioris eligere ſolet, ideo ſub cibi tantum ſpecie commodiſſime communicatur aptiſſimeque, quod in eo ſolo plenior alimenti totius ratio ſignificetur.

Sufficientia unius ſpeciei in communione ſignificanda. Bern. epiſt. 69. d. Jx. 1. ad ep. Ægyp. 3. Bracc. can. 1 D. Bern. ſer. de can. domi.

Cibi ſpecies.

Solus enim potus ad alimentum non ſolet uſurpari, quinimo ex propria ipſius ratione minus alit. Quod uſque adeo exploratum philoſopho eſt, ut ei plantæ aqua non tam pro alimento quam pro vehiculo pinguedinis terræ, vel fimi, vel alius miſti, quo ipſæ vere vivunt, utantur. Contra vero cibus ex ſeipſo ſatis alit. Quod non tantum ratione phyſica ex ipſa cibi temperie & ratione comprobant philoſophi, ſed etiam multi & variis exemplis convincunt medici, præſertim cujuſdam, ut dicunt, Romani principis. Qui cum hydropiſi ex importuno potu laboraret, penitus eo deinde abſtinens non modo morbum omnino expulit, ſed vitam in multos annos protraxit incolumem. In cibo autem ipſo panis communiſſimus eſt, & is ipſe alimento aptiſſimus videtur. Quod Alberti magni experimentum confirmat, qui recentem panem quibuſdam applicitis infra paucos dies in quamdam velut humanam carnem transformaſſe dicitur. Quapropter commodiſſime & aptiſſime in una panis ſpecie & unum euchariſtiæ ſacramentum ſignificatur, & totum ſpiritus alimentum repræſentatur, & integrum Chriſti corpus communicatur.

Commodior communicatio. Rabbi in Pſ. 135. Potus minus alit. Philoſophi & medici. Panis cibo maxi. congruit & alimento. Una panis ſpecies apt. euchariſtiæ communioni. Theo. 2. dial. G. ſer. de reſur.

Accommodatio reſponſionis ad objection. De conſ. diſt. 2.

Sed jam ſatis ſuperque cum philoſophis philoſophatum ſit. Reſtat ut ad objectorum ſolutionem, quæ diximus, applicemus. Itaque ſi de manducatione, & bibitione ſpiritali ſupra citata ex Joan. 6. verba interpretemur, nullo negotio, ut ad præcepti diſpoſitionem, ita etiam ad rationem præcipiendi reſpondebimus.

Quid Chriſtus in euchariſtia commendaverit. Cone. Flo. in doct. Arm.

Quod ſi itidem de ſacramentali euchariſtiæ ſumptione loquutum etiam ibidem Joannis ſexto Chriſtum admittamus, ut ingenue fatemur optime eum locum a pleriſque ſacris & doctoribus, & conciliis fuiſſe expoſitum, & ab eccleſia fere uſurpatum in eum ſenſum: tunc etiam ſic facile diluemus ambo ſimul objecta: Commendatam quidem a domino Jeſu Chriſto Joan. 6. communicationem auguſtiſſimæ euchariſtiæ in alimentum gratiæ, & ſpiritale, atque ob id non tam continens, quam contentum, nec tam ſignum, quam ſignificatum fuiſſe ab eo intentum in intrinſeco illo alimento, quod ex analogia cognationis multo magis, quam in natura, oporteat eſſe unum in ipſa gratia. Ubi ratione primaria & totali unus ipſe Chriſtus eminenter ſumitur: ratione vero ſecundaria, & partiali illius caro comeditur, & ſanguis bibitur ſub utravis id fiat ſpecie, cum in utraque ſeorſum ſumpta totus ipſe, & integer Chriſtus contineatur. Hoc tamen commodius ſub una panis velut communiſſimi cibi ſpecie fieri arbitramur: Ut ita magis & unitas ſacramenti ſignificari, & totalitas alimenti repræſentari, & integritas Chriſti communicari

Origenes hom 9. in Leviticˢ cap. 16. Cyril. 8. contra Jul. Leo ep. 22. ad cler. Conſt.

Unus Chriſtus ſub una ſpecie commodiſ. communicatur.

ANNO CHRISTI 1562.

ſimul videatur. Quare Chriſtus in dicto Joan. 6. nunquam calicis, aut vini, neque etiam ſolius ſeorſum bibitionis meminit: cum tamen ſæpiſſime, & panem, & manducationem dumtaxat ad figuram manna, ibidem exprimat, attribuens velut per epilogum in his & totum ſacramenti effectum. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*, & totam rem contentam. *Qui manducat me, & ipſe vivet propter me.* Ubi ſatis ſubindicat ſub hac intelligentia manducari ſe velle ab iis dumtaxat fidelibus, qui ſic intelligentes & credentes digne tantum ſacramentum ſumant. Quod manifeſtum eſt hic appellari ſimpliciter panem a Chriſto, ut ſæpe a ſancto Paulo, etiam ubi panis ille a calice ſacro diſtinguitur, reſpiciendo non modo ad apparentem ſpeciem, ſed etiam ad ſacrum ibi vere contentum cibum corporis domini, in quod transſubſtantiatus vere fuerit panis, tota hujus in illud converſa omnino ſubſtantia, ſuperſtitibus tamen accidentibus. Quo itidem reſpectu ſolent ſæpiſſime ſancti patres poſt conſecrationem nominare ſacram panis hoſtiam ſimpliciter panem, quos nonnunquam liceat imitari, præſertim ubi ad ſacram ſcripturam ſpectamus, ſignificando ſic ſanctum hoc ſacramentum. Ad cujus communionem Joan. 6. Chriſtus non tam præcepto cogere gravem pœnam comminans, ut adverſarii objiciunt: quam commendatione allicere inæſtimabile præmium promittens, ut ſancti patres tradunt, videatur dicendus. Quod quidem fecerat in baptiſmate Joan. 3. Unde efficitur ut quæ objecta ſunt ab adverſariis Huſſitis, non tam dici debent injuncta præcepta, quam exaggeratæ commendationes primi & potiſſimi ſacramentorum poſtea inſtituendorum, ut Auguſtinus luculenter docet ſermone ſecundo de verbis apoſtoli.

In panis ſpecie a Chriſto ſignificatur integra & perfecta communio. Joan. 6. A quibus communicandum. Juſt. in epil. alt. Apol. Aug. Pſal. 98. Iſychius ſuper Levit. lib. 6.

Tanis pro hoſtia conſe. D. Tho. 3. q. 77. ar. 6. ex Gregor.

Adverſariorum inepti.

Videant ergo iſti, quam inepte ac ſophiſtice, & præcepti diſpoſitionem, & præcipiendi rationem argumentationum ſuarum prima fundamenta inde jecerint: ubi vel nullum eſt expreſſum Dei præceptum: vel ſiquidem aliquod ſit, illi ſatis ad legis rationem, & latoris intentionem obediamus, communicantes, ſive ſpiritaliter in una fide viva: ſive ſacramentaliter, ſub una ſpecie præſertim panis illius vivi. Ut ita utroque modo vitam habeamus in nobis Chriſto conjuncti, & velut incorporati. Quod cum fiat utraque prædicta communione, optime dicitur utraque a Chriſto Joan. 6. intellecta. Ubi docere inſtituit, quomodo a ſeipſo nos fideles, velut a capite membra vitam habere, & conſervare poſſemus. Hactenus adverſus Huſſitas tantum.

Duplex communio & incorporatio cum Chriſto.

EX SACRAMENTI *inſtitutione, Objectio* 3.

Commune Huſſitarum & Lutheranorum ſophiſma.

LUTHERANI, cum vidiſſent ſuperiores duas objectiones Huſſitis inter dimicandum periiſſe, & velut evanuiſſe, illis omnino neglectis, incipiunt ex hoc loco arcem Sion ſuper firmiſſima petra fundatam fruſtra impugnare machinis undecumque adductis. Id quod fractis & proſtratis Huſſitis, & jamjam manus daturis novos addidit animos, eoque collectis in unum viribus hoſtiliter nos invadunt, omnes ſimul ex inſtitutione Chriſti objicientes illud commune proloquium: Deus & natura, ut non deficiunt in neceſſariis, ita nec redundant ſuperfluis, quod magis in gratia obſervandum videtur, ubi verbum abbre-

Inepta Lutheranorum interpretatio.

ANNO CHRISTI 1562.

abbrevitatum fecit dominus: Cum tamen inſtituerit Chriſtus hoc ſacramentum ſub duabus panis & vini ſpeciebus ſeorſum conſecratis, ſeorſum porrectis univerſo diſcipulorum collegio catholicam eccleſiam repræſentanti, ſubjiciens: *Hoc facite in meam commemorationem*. Nempe ut Lutherani interpretantur: Quod nunc feciſtis hoc facite, non tantum vos, ſed omnes alii. *Quod enim vobis dico, omnibus dico*. Quam interpretationem cum vidiſſent Huſſitarum cautiores, tanquam ineptam facile eludi a catholicis, quod Chriſtus dixerit non omnibus fidelibus præciſe, ut facerent, quod tunc apoſtoli fecerunt (alioquin omnes quidem communicarent, nullus autem conſecraret) ſed ſolis tunc diſcipulis, & illorum deinde ſucceſſoribus. Hoc facite, ſcilicet quod ego feci, ſubintelligens, ut ipſi addunt, conſecrate, ſumite, & date aliis: nihilominus ſubſumunt, & ſi non recto ductu, obliquo tamen: idem conſequitur, ut ex inſtitutione Chriſti diſpenſatores miniſteriorum ejus, quemadmodum ipſe fecit, conſecrantes dent ceteris non conſecrantibus, ut fideles inveniantur, non tantum panem, ſed & ſeparatim calicem. Unde effici arbitrantur, ut ſi debeant ſacerdotes aliis porrigere ambas ſpecies, teneantur & laici ſub utraque ſpecie ex inſtitutione Chriſti communicare. Quæ cum divina ſint mandata, addunt utrique, ſecundum rem ipſam perpetuo perſeverare ea inconcuſſa, & immutabilia, licet quia affirmativa ſunt, poſſint ab eccleſia ſecundum exigentiam temporis, loci, modi, & ceterarum circumſtantiarum exponi, & velut magis determinari. Unde effectum putant, ut, etſi variari ritus communicationis potuerit, non tamen res ipſa communicanda: ad quam utramque ſpeciem pertinere ex ſacramenti inſtitutione, atque propterea utramque in communicando debere omnes fideles Chriſti ſumere, & ad id velut ex præcepto divino adſtringi, non minus impie quam falſo arbitrantur.

Luc. 22.

Captioſa Huſſitarum adjectio.

Cavilloſa nitrorumque præoccupatio.

RESPONSIO.

Quam inepte & iniquo adverſarii interpretentur ſacram ſcripturam.

CÆTERUM, quam inepte, & contra artis rationem hujuſmodi homines ſacram ſcripturam interpretantur, & quam inique in perverſum ipſorum ſenſum illam depravent, & velut obtorto collo repugnantem trahant, evidentiſſime demonſtremus: atque ex legitimo & primario Chriſti in objectis verbis inſtituto doceamus, communicationem ſub utraque ſpecie ſolis presbyteris conficientibus & ſacrificantibus congruere: reliquos vero ſub alterna panis ſpecie magis decere, eo prorſus modo, quem S. R. E. ſpiritu Dei acta etiam nunc temporis obſervat. Quam numquam a veritatis tramite & fidei aberraſſe, vel ab ipſa æmula Græcia luculentiſſimum habet teſtimonium. Itaque qui veri ac legitimi aquilæ, hoc eſt, eccleſiæ filii recto intuitu veritatis lumen concernunt, ſatis dilucide diſcernunt in illa Chriſti myſtica cœna (quam alteram a typica agni paſchalis fuiſſe, & inter utramque pedum apoſtolorum lotionem miro ordine interceſſiſſe, vel ex ipſo Joan. evang. ſatis conſtat) antiquatis & abrogatis ceu præviis umbris & figuris veteris teſtamenti, ſacrificio & ſacerdotio, duo quædam alia, quæ illis ſuccederent inſtituta novi teſtamenti myſteria, ſacrificii oblationem, & miniſtri ordinationem. In quibus etiam ſi duo alia concedamus inſinuata, ſanctæ euchariſtiæ ſacramentum, & communicandi præceptum: attamen quia priora illa primum ac per ſe intenta videntur, poſteriora

Propenitur probandus ritus E. R. in communione.

Inſtitutum Chriſti in myſtica cœna.

Can. 3. Apoſt. Joan. 13. & ibid. Auguſt. Hebr. 5. & Auguſt. in Pſal. 33. Iren. lib. 4. cap. 3. a. Chryſ. in cap. 26.

A vero hæc ſecundario & velut per aliud, quatenus ſcilicet ex illis pendeant, (præſertim cum uſus euchariſtiæ in commune, in quo tamen uno adverſarii rationem ſacramenti collocant, quiddam ſit conſequens ad conſecrationem & oblationem ſacrificii) quis non videt, juxta vulgatam apud omnis generis interpretes, & in omni ſcientia uſitatam interpretandi regulam, ad id quod primario & per ſe inſtituitur, auctoris verba ipſa eſſe primum ac ſimpliciter accommodanda?

ANNO CHRISTI 1562.

Matth. Hom. 83. Heſych. in Levit. lib. 1. c. 4. & lib. 2. cap. 8. Leo ſerm. 7. de paſſione dom. Doct. ſacr. in 4. diſt. Adverſariorum technæ detegantur & Sacrificii & ſacramenti rationes in euchariſt. Cypr. in ſer. de can. dom. Theoph. in Matt. c. 26. Aug. in li. ſent. Proſ. & epiſt. 86. Amb. de benedict. Patr. c. 8.

Ut jam ex hoc loco incipiant erubeſcere noſtri ſophiſtæ, ſi quis in eorum præcordiis reliquus eſt ſanguis, dum ſuas ipſorum impoſturas detectas publice cernunt: qui neglectis primariis ac per ſe intentis ſacrificio, & ſacerdote, ad ea quæ ſecundaria ſunt & velut conſectaria, ſacramentum & præceptum, Chriſti univerſum coarctant inſtitutum. O miſera iſtorum conditio: in quo magis ſapientiam jactabant: in eo minus ſapere deprehenduntur. Nos ergo ad propoſitam regulam evangelii verba exigentes illud præmittamus. Quod licet ſacrificium, & ſacramentum corpore & ſanguine Chriſti utrumque conſtet: ita ut in utroque utrumque ſit: in hoc tamen ipſo ſic inter ſe differunt, ut in ſacrificio potius ſanguinis, in ſacramento autem corporis magis emineat & eluceat ratio. Id quod ex utriuſque ratione, & inſtituto facile fuerit confirmare. Nam ſplendeſcere magis in ſacramento corpus & panem: imo & in his totum ipſum ſacramentum aptius notari: non modo quæ paulo ante ex ratione alimenti de eo philoſophati ſumus, comprobant: ſed etiam corroborant, quæ in illius abſoluta ratione mirifice obſervantur: nempe ipſa ſacramenti ſignificatio. *Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita*: Res contenta: *Qui manducat me, & ipſe vivet propter me*: Res ſignificata: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*: Myſtica deſignatio: *Unus panis & unum corpus, multi ſumus, omnes qui de uno pane participamus*. Ut jam non explicem hic mirabilem (qui ex ſuperioribus dictis apud ſanctos patres ſequitur, & inſtitutum confirmat maxime) ſacramenti potiſſimum hujus effectum, per quod ineffabili unione efficiamur Chriſto ipſi, ut inquit Hilarius, velut connaturales, & ut dicit Cyrillus, ceu concorporales. Quo ſpectaſſe ſæpe Paulum priſci patres elegantiſſime & mellitiſſime declarant. Contra vero in ſacrificio magis relucere & ſpectandum eſſe ſanguinem, & calicem, communis perpetuo fuiſſe videtur omnium nationum, religionum & rituum jam inde fere cum genere humano orta obſervatio cum apud gentes, unde illud: *Sanguine placaſtis ventos & virgine cæſa*, Sanguine quærendum iter: & in hanc ſententiam innumera: tum apud Hebræos, & ante legem datam & ſimul cum lege, ut nihil fere tam frequens ſit in ſacra hiſtoria, nihil tam mirandum in Levitico. Sed hoc inſtitutum aptius & explicatius proſequutus eſt divus Paulus ad Hebr. ex 9. capit. in reliquam epiſtolam, quam ut immorandum in eo amplius nobis ſit, niſi velimus data opera ineptire.

Sacramentum pane potius notari & corpore. Cypr. in ſer. de can. dom.

Joan. 6.

1. Cor. 10.

Leo ſer. 24. de paſſ. Hil. 8. lib. de Trinit. Cyr. in Joan. c. 26. & 17. 1. Cor. 6.

Eph. 3. & 5.

Sacrificium ſanguine & calice maxime deſignari.

Ex his igitur conſequitur, ut in pane conſecrato ſignificetur magis ſacramentum: in calice benedicto potius ſacrificium. Concordant figuræ veteris legis utrique ſeorſum correſpondentes. Concordant novi teſtamenti ſententiæ. Ubicumque enim ſacramentum intelligitur, aut tantum aut potiſſimum panis, vel corpus exprimitur. Ubi vero ſacrificium deſignatur, vel paſſio, aut mors

Potior utriuſque ſpeciei ſignificatio. Cypr. lib. 2. ep. 3. Exo. 12. b. 16. a. 25. a. &c. Levit. 1. c. &c. Matth. 6. a. Mar. 7. c.

ANNO CHRISTI 1562.

Luc. 11. a. 24. d. Joan. 6. d. Act. 2. 20. 1. Cor. 11. Matth. 26. Marc. 14. Joan. 19. Rom. 3. 1. Cor. 10. Ephe. 1. Col. 1. Heb. 9. &c. De conſ. diſt. 2.

mors Chriſti, qua immaculatus agnus ſacrificatur, calicis aut ſanguinis mentio ſit. Concordat ſanctorum patrum antiquiorum fere ubique obſervata loquendi conſuetudo. Quod ut ita ſit, attamen in illa myſtica Chriſti cœna, ubi integrum ſacrificium inſtituebatur, & utraque ſui parte explicitum, in quo caro pro corpore, & ſanguis pro anima offertur. Sacerdos ille ſecundum ordinem Melchiſedech panem & vinum offerens: in illo ſuum corpus, in hoc ſanguinem confecit proprium, in duobus ſimul junctis ſacrificii oblationem præcipue intendens. Nam & corpus tradendum, & ſanguinem effundendum in gratiam ſuorum & in remiſſionem peccatorum conſecrans commemorat. Quod illud fuit ſacrificium quod Chriſtus patri offerens hominem Deo reconciliavit.

Inſtitutum a Chriſto in cœn. ſacrificium perfectum: Iren. lib. 4. cap. 32. Euſe. lib. 5. c. 3. de dem. evangel. Leu. 17. b. He. 5. &c. Geneſ. 14. d. Pſal. 109. & ibidem Hier. Auguſt. in Pſal. 33. lib. 3. de Trl. Petr. Gal. lib. 10. de arc. c. 6. ex targ. Rabin. Ber. in ſer. de cœn. dom. Euſ. Emiſ. ſer. de cor. Chry. in c. 10. ad He. Hom. 17. Dio. de ec. Hier. c. 7. Tert. ad uxor. Rom. 10.

Cujus ut eſt infinita virtus, ita & jugem volens in eccleſia eſſe oblationem pro vivis & defunctis, tanti myſterii miniſtros in apoſtolis ſuis qui menſæ ſoli aderant, ordinavit ſacerdotes. Quibus divinitus tantam facultatem conceſſit, commiſit, & munus injunxit, dum dicit: *Hoc facite*: ut quod ipſe ſemel fecerat, hoc illi ſubinde facerent (quod verbum & in ſacra ſcriptura, & in omni idiomate immolatitium eſt) Nimirum ut corpus ſuum & ſanguinem ſub diſtinctis panis & vini ſpeciebus conſecrarent & offerrent, in ſui commemorationem, tanti beneficii memores, & tanti myſterii participes, non tam in propria, quam in totius eccleſiæ perſona, quam unuſquiſque ſacerdos velut in capite referat, in ipſo ſcilicet Chriſto domino, quem tunc maxime repræſentet. Ut ideo debeat ſacerdos, quod pro omnibus in utraque ſpecie oblatum eſt, ut etiam pro omnibus in utraque tunc temporis communicare. Atque in hoc ipſo ſatis apte dicatur collegium apoſtolorum repræſentaſſe eccleſiam, ſcilicet in præcipuis ejus membris & ſacerdotibus. Quibus ſolis maxime decuit facultatem concedi circa corpus Chriſti verum, utpote quibus tantum conceſſa illa ſit circa corpus Chriſti myſticum. Ut illis dictum tunc ſit, *Hoc facite*: quibus dicendum erat, *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*. Hoc enim ad debitam præparationem digne ſumendi euchariſtiam videtur potiſſimum pertinere: ejuſdem autem eſt, & materiam præparare, & formam introducere. Hi autem idem ipſi eſſe videntur, quibus dictum eſt, *Docete omnes gentes, prædicate evangelium omni creaturæ*. De quibus etiam dicitur: *Quomodo prædicabunt, niſi mittantur*? hoc eſt, niſi ad hierarchicum quemdam & eminentem in eccleſia ordinem promoveantur divina auctoritate per impoſitionem manuum presbyterii?

De quo & quibus dictum. Hoc facite. Can. 3. & 9. ap. Auguſt. cont. Fauſt. lib. 20. c. 18. Aug. lib. 17. de civit. cap. 20.

Duplex ratio ſacrificandi & participandi ſacrificii Aug. lib. 10. de civit. cap. 20.

Hinc ergo manifeſtum eſſe videtur, de quo & quibus dictum potiſſimum eſt, *Hoc facite in meam commemorationem*: nempe, de ſacrificio, & ſacerdotibus. Atque hæc eſt ſumma & primaria in hac Chriſti inſtitutione intentio. Extra quam quicquid adjunxeris ſecundarium fuerit, aut certe conſectarium. Secundum quam rationem non diffitemur hic ſignificatum, poſſe & alios non celebrantes ſic conſecratis & oblatis a ſacerdote participare. Sed eos hæc ipſorum participatio non tam videtur decere ſingulos in ratione ſacrificii, quam in ratione ſacramenti. Cum enim ſacrificii & ſacrificantis mutua ſit habitudo, reciprocam etiam eſſe oportet in omnibus eorum vim & energiam: atque propterea eatenus unumquemque ſacrificii participem fieri, quatenus etiam ipſe ſacrificet: videlicet conſecrantem in ſe ipſo:

Quæ ſacrificia deceant max. Chriſtianum populum. Cyp. in exp. orat. domin.

non conſecrantes vero, in alio, ſcilicet ſacerdote & velut communi totius eccleſiæ perſona. Atque hoc populi Chriſtiani, cujus deberet cor eſſe unum & anima una, maxime decet caritatem: ut quemadmodum orationes, ſic etiam ſacrificia communia ſint.

ANNO CHRISTI 1562.

Præoccupatio repulſio.

Sed inſtabit fortaſſis pertinax non tam Chriſtiana caritate inflammatus, quam contradicendi ſtudio actus: Volo ego & pro omnibus, & pro me ipſo ut orare, ſic etiam particeps fieri ſacrificii, ad quod ſæpe Paulus me provocat, præſertim. 1. Cor. 10. ubi de participatione ſacrificii videtur loquutus. Volo inquam, & ego, ſed ſicut Paulus intelligit, ut omnia decenter & ſecundum ordinem fiant in nobis. Decet autem expreſſa participatio ſacrificii, quæ in calice fit, expreſſe etiam ſacrificantem ſacerdotem, tacita vero omnes reliquos: quæ omnibus congruit, vel in tacito conſenſu omnium, qui devoto & intento ſacris animo miſſæ officio interſunt, vel in ipſa communicatione ſacramenti, ubi etiam ſua latet participatio ſacrificii, quatenus & mortem Chriſti commemorant, qui illius corpus, quod maxime in pane fit, communicant. Quod utrumque quamquam ex iis quæ diximus ſatis ſit manifeſtum, ex utriuſque tamen uſu fit evidentius.

1. Cor. 9.

Non eadem decet ſacerdotem & populum ſacrificii participatio. Con. Tol. 2 c. 5. Euſ. Emiſ. ſerm. 5. de Paſch. Cypr. ſer. de cœna dom.

Nam ut Gentiles ſacrificio fortaſſis in libamine participarent, hoc autem ex ignorantia veri uſus ſacrificii videtur illis contigiſſe. Cum enim in mactato animali utramque ſui partem Deo offerrent, ut aliquid ex corpore ſibi reſervarent, animam quidem totam quæ ſanguine ipſo vel libamine ſignificatur Deo conſecrare debebant: ut in Hebræorum omnibus ſacrificiis obſervatum videmus. Ubi nunquam populus oblatis libaminibus participabat, quæ ex integro cedebant miniſtris Dei, pacificæ hoſtiæ, & hujuſmodi parte offerenti conceſſa. At Chriſtianum ſacrificium holocauſtum eſſe perpetuo debet, ut ſe ei totum in utraque ſui parte conſecret & devoveat: quem totius & creatorem & redemptorem profitetur, neque tam in figura, quam in ipſa veritate. Quod ipſe tunc efficacius facit, cum venerabundus & gratulabundus capiti conglutinatus ſuo ſeipſum in ſpiritu Deo ſacrificat, in acceptiſſimo illo immaculati agni ſacrificio. Cujus utramque partem ſacerdos dum expreſſius ſumit in utraque ſpecie, ſic magis totum inſumptum in utilitatem & commodum eccleſiæ (cujus & illud eſſe ſacrificium, & hic perſonam repræſentare dicitur) reverenter videtur proteſtari. Atque hujuſmodi velut quotidiana ſufficit & congrua eſt populo participatio ſacrificii, in miſſæ officio: ubi hoc ſacramentum in ipſa materiei & euchariſtiæ conſecratione perficitur, in qua ſacrificium Deo offertur.

Uſus ſacrificii & participationis apud Iren. lib. 4. c. 32. Aug. 10. lib. de civ. c. 5. Levit. 17. & 16. Aug. q. 57. num. 15. 28. 29. Amb. li. 1. offic. c. 89. Et in pſ. 39. Chryſ. hom. 2. ad Pop. Id. 3. libe do ſacer. Amb. or. fu. Val. Anacl. epist. Greg. hom. 37.

Neque uſus fidelium de neceſſitate & perfectione ſacramenti eſt, ſed quoddam illius conſectarium, ut diximus, & ſacri doctores probant. Quare neque neceſſe eſt, ut deblaterant impii myſteriorum Dei contaminatores, & eccleſiaſtici ordinis inverſores: ut univerſus populus ſimul cum ſacerdote, quotieſcumque hic ſacrificat, ſub utraque ſpecie ſacrificio participet. Nam ut communicare laici adſtantes miſſæ ſacrificio poſſint, quinimo & decenter hoc faciant temporibus ab eccleſia vel præceptis, vel conſultis, attamen hoc potius ratione ſacramenti in una panis ſpecie, quam ratione ſacrificii in ipſo etiam calice, faciendum illis eſſe ipſis una hujus adorandi ſacrificii & ſacramenti figura (quam Chriſtus veritati

Non ſemper cum ſacrificio communicandum populi. Aug. epiſt. 118. ad Jac. Sacramenti perfectio & uſus. Max. d. Thom. in 3. par. q. 74. art. 7. & q. 80. art. 12. & q. 82. ar. 10. Chry. ad Eph. c. 1. ſere. 3. & ad Heb c. 10. Hom. 17.

ANNO CHRISTI 1562.

Gel. de ec. dog. c. 13. Communio sacramenti cuam conveniat populo sub una panis specie.

Chrys. hom. de prod. Jud. Naz. or. 4. In ser. pasch. Cyr. lib. 4. in Jo. c. 14. Exod. 12. Cyp. in ser. de cœna. Greg. lib. 22. Mor. c. 11. Clem. epi. 2. ad Jac.

ipsi conjungere voluit, velut adumbratæ tabulæ vivos suos addituros colores) in agno paschali satis luculenter rem omnem manifestat. Illius enim universus effusus sanguis, aspersio inde superliminari, & utroque poste, domus ostium adversus percutientis angeli ingressum muniebat: corpus vero totum edendum reservabatur, omnibus qui in domo essent, quique possent caput cum pedibus & intestinis vorare, & renibus accinctis, calceamentis indutis, baculosque tenentes in manibus, festinanter & hujusmodi facere: unde facile intelligas cibum illum fuisse grandium: & cetera in figura observes, quæ nunc S. E. R. quæ vera illa & una domus est, in qua verum hoc & sacrificium offertur, & sacramentum communicatur, ad unguem in veritate ipsa servare solet, & a sancto Spiritu ut docta, sic etiam ducta perpetuo in utriusque usu conservat.

Ex quibus omnibus illud effectum satis videre arbitramur, ut sacrificii perfecta ratio utraque specie distincta constet, & offeratur; sacramentum vero in una panis potius specie notetur & sumatur. Quare etiam si in calice totus ipse Christus sit non minus, quam in pane ex concomitantia naturalis corporis, sanguinis & animæ, & ex unione hypostatica divinitatis cum illis: ut ideo si rem ipsam contentam & significatam spectes, & sacramenti perfectionem in consecratione attendas, calix ipse etiam vere sit sacramentum: attamen quoad usum sacramenti, cum quo & verba consecrationis, ut post dicemus, consentiunt: quia ad sacramenti communicationem sufficit, & convenit una potius panis species, videbitur ipse calix si utendus concederetur, hac inquam, ratione dicendus magis quippiam sacramentale & subordinatum pani tanquam primario sacramento, & jam integro spiritali alimento, in quo & corpus Christi comeditur, & sanguis ejus bibitur, dum totus ipse Christus unite & eminenter, ut paulo ante probavimus, sumitur verus ille panis & cœlestis cibus, pro mundi vita primum promissus, deinde etiam & datus. Quamobrem ut daremus licuisse ex institutione Christi, aut non expresse prohiberi, non conficientibus inter communicandum calicis usum, nihilominus tamen & tunc (ut etiam cavillosam adversariorum præoccupationem dissolvamus) contenderemus potuisse ecclesiam catholicam de calicis dispensatione disponere. Si quidem observamus illam non modo interpretatam fuisse expressa Dei mandata, spectata legislatoris intentione (quæ illius est excellens prærogativa, ex inhabitante in ipsa Spiritu Dei, cujus est interpretari, ut fuit condere leges divinas: sic pedum lotio a Christo diserte præcepta & exequuta ante communionem, ab ecclesia spiritaliter intelligitur pro decenti præparatione) sed etiam in accessoriis, pia & decenti ratione fretam sæpe & ad tempus dispensasse, & varie ordinasse sicut Act. 15. prohibentur quidam alioquin Christiano liciti cibi, qui tamen nunc publice conceduntur. Imo ipsum accessorium, servato tamen principali, in perpetuum mutasse. Sic præceptum illud primæ tabulæ tertium de sanctificando sabbato, cum illæsum in primario & morali custodierit: certum quemdam hebdomadæ diem divino cultui dedicans, ab operibus servilibus abstinendo, in secundario tamen & cæremoniali variavit, pro sabbato quietis divinæ diem dominicæ resurrectionis pientissime observans. Ut eodem pacto calicis usus ea parte, qua sacramentalis & velut cæremonialis videretur, potuerit ecclesiæ mandato aut consuetudine suspendi.

In utravis specie totus Christus, & totum sacramentum.

Concil. Nic. Eph. Rom. &c.

Cavillosæ adver. præoccupat. dilutæ.

Ecc. potest de dispensa. calicis disponere.

Ecc. auct. in interpret. præceptis.

Bernar. de præc. dispens.

Nec est quod opponas sacramentorum certam illam pro institutione observantiam, quam nos sacram volumus utraque cujusque sacramenti parte, & ratam. Nam & hic illud tam illustre ecclesiæ privilegium (quo fretus Paulus dixisse videtur: *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*) plurimum commendat dispensatio baptismi omnium sacramentorum ut primi, ita maxime necessarii, non modo quod ejus ritus adeo sæpe variatus sit in aspersione, effusione, & immersione, sive trina, sive unica; sed etiam quod cum Christus diserte instituerit baptisma invocato nomine explicitæ Trinitatis divinæ, apostoli tamen in primitiva ecclesia legantur baptizasse in nomine Christi. Ea inquam ratione, ut sancti patres interpretantur, quod in Christi, id est, uncti nomine latenter Trinitas ipsa divina implicetur in ungente Patre, uncto Filio, & unctione Spiritus sancti.

Hinc autem consequi videtur, ut eodem modo & si explicita in institutione fuisset utriusque speciei communicatio, potuerit nihilominus optime ab ecclesia sub forma panis, ubi & caro & sanguis & totus Christus est, tota etiam implicari. Nec mihi iterum objeceris, apostolos non solum in nomine Christi, sed etiam nonnunquam in nomine Jesu dictos baptizasse. Nam dixerim, vel hic subintelligendum etiam Christi, sicut alibi exprimitur in nomine Jesu Christi, vel si tantum in nomine Jesu baptizasse apostolos aliquando contendas, ut accipias nomen sicut publice sacri patres acceperunt, majorem ita ecclesiæ facultatem in dispensandis Christi sacramentis & mysteriis, imo & divinam plane potestatem in exponendis verbis domini ex inhabitante Spiritu, qui scrutatur profunda Dei, necesse est fatearis. Quasi dici illa possit interpretata pro hac sibi data divinitus potestate, Christum intellexisse in institutione baptismi illum debere fieri invocato S. Trinitatis nomine, ut vere divino (quo divus Paulus alludisse videtur Act. 22.) & ideo tunc temporis optime invocari nomen Jesu divinum & salutare: ut ita fieret plausibile & celebre apud omnes, quod alias tunc esset invisum & odiosum multis. Ut pari ratione dicatur ecclesia interpretata Christum dominum in institutione communicationis eucharistiæ, ut supra in ejus commendatione probavimus, spectasse non tam ad species, quam ad rem ipsam in pane potius communicandam, cum tota sit in utravis separata specie.

Hæc autem omnia eo pertinere volumus, ut doceamus, licet concederemus, quod ex citatis verbis non satis colligi ante probatum est, in institutione sacramenti fuisse explicitam utriusque speciei communicationem, attamen optimo & suo jure potuisse ecclesiam eucharistiæ totam communicationem una maxime panis specie comprehendere; & sub ea sola communicare populum: tum ex iis, quæ superius de ratione & usu hujus sanctissimi sacramenti philosophati sumus, tum ex iis, quæ ad ejus congruam & decentem dispensationem adduci solent justæ & legitimæ causæ. Quas longum esset recensere simul & supérfluum: quod earum graviores & urgentiores in promptu cuivis sint. Præsertim illa, quæ una sufficeret, quod nequeat calix ipse ulla ratione ministrari abstemiis quibusdam quales sæpe videmus multos, qui vel ab ipsa natura vinum penitus abhorrent & abominantur.

ANNO CHRISTI 1562.

Præoccupatio repulsionis.

Ecclesiæ facultas in dispensandis sacramentis, 1. Cor. 4. Cyp. lib. 4. epist. De conf. dist. 4. Matth. 28.

Cano. Apo. 50. Tert. contra uxor. Doct. sacr. in 4. dist. 3. De conf. d. 4. Iren. lib. 4. cap. 57.

Præoccupatio repulsionis. Act. 8. c. Act. 2. f. & 20. g.

1. Cor. 2. d. Ecclesiæ potestas in exponendis verbis domini.

Hilarius tom. 1. de syn. Orig. ho. 5. in Mat. 8. Bernar. de cana domi. Totius ecclesia etiam explicitam utriusque speciei communionem sub una panis comprehendere.

Ex

ANNO CHRISTI 1562.

Ex his ergo intelligent tandem adversarii, nisi pervicaces & petulantes etiam convicti positionem tueri velint, quam infirmo utrinque fundamento nitantur, quamque imbecillæ sint ipsorum objectiones, quas ex mystica Christi cœna ineptissime, tanquam ex institutione sacramenti, etiam repugnantes trahunt. Quando ut satis supra confirmatum est, tunc Christus potissimum & primum missæ sacrificium instituit, & ejus ministros in apostolis (quos ibi vel solos affuisse, vel solos mensæ assedisse luculenter testantur evangelistæ) ordinavit. Concedens illis facultatem simul, & injungens pro sacerdotali munere, ut quod ipse fecerat, illi etiam facerent: quod immolatitium verbum est, hoc est, ut consecrarent & offerrent Deo patri inæstimabile illud sacrificium in corpore & sanguine filii sui, repræsentantes jugiter, in mysterio tamen & sub incruentis symbolis, cruentam illam agni immaculati in ara crucis immolationem, ubi ille pro nobis sanguinem suum in remissionem peccatorum fudit.

Applicatio cesponsionis ad objectionem.

In cœna mystica, primū a Christo ins̄tituta, sacrificium & sacerdos. Matt. 26. b. Marc. 14. b. Luc. 22. c. Malac. 1. c. Iren. libr. 4. cap. 32. Just. in dial. ad Tryph. Conc. Nicen. Eph. Greg. Naz. in Jul. Quatenus institutæ sacramentum, & ejus communio.

De sacramento autem eucharistiæ & ejus communione ac usu eatenus tunc temporis statutum aliquid videtur, quatenus hæc ambo ad priora illa duo quodammodo consequuntur, servata tamen sua utrobique decentia. Ut inquam sacrificantes sacerdotes in persona ecclesiæ, quam velut in capite referunt, explicite ipso participent etiam sacrificio. Cujus ratio cum in sanguine perficiatur magis, ex ambabus speciebus constabit distinctis. At vero populus, ad quem communio sub sacramenti ratione magis pertinet, licet tunc etiam tacite & suo modo sacrificio participet, quatenus in utroque alterum est, videbitur tamen congruentius sibi facere, si sub una panis potius specie, ministro tamen sacerdote, communicetur. In hac enim specie commodissime comprehenditur tota ratio sacramenti & alimoniæ spiritalis. Quamobrem si calix in communione sacramenti populo tribueretur, licet ille ex se ipso, quo ad rem contentam & significatam, sit verum sacramentum, nec minus quam panis consecratus: attamen secundum hunc usum & ritum cum pani subordinetur, magis fortassis quam potus esui, pro eminenti illa in pane totius sacramenti & alimenti unitate, sacramentalis potius rationem eatenus subire videtur. Ut ideo, quamquam in institutione fuisset calix ipse explicitus: optime tamen ecclesia, pro data sibi divinitus facultate, ejus usum dispensaret, & populo pro ratione & exigentia temporis & aliarum circumstantiarum suo jure vel concederet vel prohiberet. Atque hæ sunt adversariorum principes rationes, quibus illi potissimum freti puscherrime sibi videbantur ipsi philosophari. Quas quia satis simul cum suis appendicibus arbitramur ex allatis solutionibus eversas, poteramus sane hic finem facere: nisi vestra sanctitas, ut ad exempla ab istis adducta in tribus reliquis locis examinanda transiremus, juberet, dilata in diem crastinam oratione.

Una panis ſpecies populi communio. ni congruit. Potest ecclesia calicis usum in communione vel concedere, vel providere.

EX INSTITUTIONIS EXEQUTIONE.
Objectio 4.

SUFFICERENT, patres sacratissimi, quæ hesterna die fusius diximus, præsertim ad institutionem sacramenti: cum ex ea reliqua pendeant, & ad ejus rationem sint exigenda: nisi istis fabu-

Improbe

lam caneremus, qui obturatis auribus ad carmen incantantis non minus pie, quam sapienter, data opera surdescunt, vel tanquam obliti superiorum ictuum, dum etiam calent vulnera, musca multo improbiores certamen instaurare non verentur. Quæ istorum est execranda pertinacia? Quam unam pro ratione obtrudentes, cum suas sophisticas ratiocinationes, in quibus ipsi imprimis confidebant, dilutas omni ex parte, detectis ipsorum fraudibus, vident, ad auctoritatem, & exempla sacrorum auctorum, sed suo, id est, sophistico modo, non tam interpretandorum, quam vere depravandorum, arrepta occasione ex temeraria voculæ aut literæ phantasia, sese omnino convertunt importuni. Ubi oportebit nos in sacris & pensiculandis verbis, & eruendis sensibus sæpe sermonem cum illis invicem commiscere, & velut magis confertam pugnam & disputationem habere.

ANNO CHRISTI 1562. *adversarii. orum pertinacia.*

Quam iterum proterve renovantes objiciunt mysticam illam Christi actionem, qua non modo instituere, sed etiam ceremoniose exequi voluerit sapientissimus magister tantum hoc mysterium. Quod in hoc solo feciſse legitur: & in novissima quidem cœna suis ultimum valedicturus, ut ita omnia & singula quæ ille feciſſet, dixisset, vel imperasset, & altius menti infigerent, & recentiori memoria tenerent observanda, ritu perpetuo in memoriam suæ passionis, donec ille æquissimus judex iterum venturus esset mundum judicare, a quo fuisset primum judicatus iniquissime. Unde videtur illud elici, quod cum omnis Christi actio præcepto conformis nostra sit institutio ex debito imitanda, ut ibi maxime dictum intelgatur illud Christi: *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis*: ideo hæc illius imprimis sit referenda, non solum præcepto conformis, sed etiam quodammodo multis confirmata. Id quod & nos minime diffitemur, sed id faciendum quod Christus fecit censemus (ut *omnia honeste & secundum ordinem fiant* in nobis, ut Paulus præcipit) ab ipsis apostolis, & eorum in presbyteratu successoribus in ratione potius sacrificii: non autem ab omnibus & singulis Christi fidelibus, nisi jam velis ab omnibus etiam pueris infantibus, & deliris anibus irrideri. Quibus facultatem concedas, aut potius imperes, ut quemadmodum Christus fecit, ita & ipsi omnes consecrent, & dent ceteris omnibus, non tantum panem sacrum, sed etiam pretiosum calicem. O indigna vel homine ethnico sententia. Omnes ergo erunt sacerdotes, omnes populus: aut potius in tanta confusione nullus sacerdos, nullus populus: nullum sacrificium, nullum sacramentum: si pro mutua hæc, quam ad se invicem habent, habitudine considerentur. Videte jam, o populares, dum isti vobis blande imponere conantur, vestra facilitate abusi, qualem ecclesiam faciant Dei, prudentes, si Christo placet, ejus œconomi, ubi sacra prophanis commiscentes omnia susque deque ferunt: quod in propriis humilibus & rudibus casis enorme esse se ducerent, & turpissimum. Id vobis in primis negantes, quod maxime concessisse volunt videri.

2. Cavillus ex mystica Christi actione male aplicita removetur.

Joan. 13. b.

1. Cor. 14.

Servandus ordo in ecclesia quem adversarii tollunt.

Dion. de eccles. Hier.

Sed dicent, ut solent impudentes, & contumaces: Nos hæc non curamus, verbum domini expressum attendimus, qui cum in pane tantum dixisset: *Manducate*. In calice expressit, *Bibite ex eo omnes*. Non ergo soli apostoli, qui vel non erant ibi soli: vel si soli interfuerunt, non tamen tunc consecrabant, ut solos sacerdotes

3. Cavillus ex verbis Christi expressis falso intellectis.

ANNO CHRISTI 1562.

referrent sibi sumentes, cum conficiunt, sed a Christo sacerdotum principe datum susceperunt non conficientes, in quo par est sacerdotum, & laicorum conditio. Præsertim cum calicem dixerit Christus esse novum suum testamentum, quod a veris & legitimis Dei filiis exequendum quis dubitabit? cum testamentum hominis nemo spernat. Sunt autem omnes Christi fideles, Dei filii: quia quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, iis qui credunt in nomine ejus: Nam *& in Christo Jesu non est Judæus, neque Græcus: non est servus, neque liber, non est masculus, neque fœmina, sed omnes unum sumus*, & cetera in hanc sententiam, undecumque possunt, sacræ scripturæ loca temere congerunt, & citra delectum, satis instituto facere arbitrantes, si vel cortice tenus, vel ex voculæ similitudine consentire videantur.

1. Cor. 12. Gal. 3.

Joan. 1.

Gal. 3.

Hæreticorum inepta theologandi ratio.

Hæc est istorum hominum recens & inaudita theologandi ratio, digna tantis theologis, qui vel ex tonstrina, vel ex coquina, aut alio sedentario & vili artificio, de media plebe, & vitiorum fæce repente prodeunt nostris Dionysiis, Basiliis, Chrysostomis, Cyprianis, Hieronymis, Augustinis, & hujusce classis religiosissimis ac undecumque doctissimis viris comparandi: quinimo, ut sibi ipsi videntur, longe præferendi, non modo venerandis sanctorum patrum cineribus plusquam impii, sed etiam. Videte, viri patres, quo me rei indignitas traxerit, ut parum abfuerit, quin etiam in convitia cum Cretensibus cretizaturus eruperim, nisi hujus loci dignitas, & vestra omnium sanctitas justo dolore incitatum, & pio zelo percitum in ipso furoris ingressu cohibuissent, & mei me admonerent tacite officii.

Idrarum literarum decens tractatio.

Jam ergo nos sinamus istos, ut non dicam, miseros esse libenter, certe Christiana caritate meliorem mentem precati, & antiquiores illos doctores, & recentiores, etiam magistros. Lombardum, Alexandrum, Aquinatem, Bonaventuram, & ceteros pientissimos, & divini juxta ac humani jurisconsultissimos sequamur certos duces. Quibus ut semper visum fuit non modo temerarium, sed etiam impium illotis, quod ajunt, manibus sacrarum literarum contrectare tremenda mysteria, unde fere omnes ortæ sunt hæreses, ita perpetuo commodissimum, & certissimum compendium habitum, si sacræ theologiæ humaniores musas, & universam philosophiam submitterent, & in ejus famulatum detractis unguibus, capillis, & reliquis superfluis, velut exteras ancillas admitterent: certe, vel inde confirmaturi in interpretandis difficilioribus locis judicium. Quod non nisi diligenti studio, & sedula meditatione, quæ humanæ est mentis infirmitas, certam de rebus dubiis ferre valet sententiam. Quam nos viam ingressi, superiorum patrum vestigiis perpetuo inhærentes, dum illam mysticam actionem, quam luctuosæ Christi passi tragœdiæ tanquam argumentum, aut parascevem ecclesia repræsentat, velut spectatores mirabundi, magna cum non parvo luctu mista lætitia contemplamur, ex omnibus, quæ tunc Christum dominum nostrum vel egisse vel nunciasse, vel præcepisse communi omnium unius spiritus consensu, aut evangelistæ narrant, aut Paulus refert, aut ecclesia tradit, diligenter pensiculatis in ea, quam explicuimus, sententia magis ac magis confirmamur.

Christi institutum in dictis & factis ultimæ cœnæ ex conspiratione sanctorum evangelistarū Pauli & ecclesiæ. Dion. de ec. Hier. c. 3.

Chrys. 3. & 6. de sac.

Scilicet quod tunc Christus primum ac potissime intenderit instituere sacrificium novi testamenti, & ejus ordinare ministros: præsertim quoad ipsius calicis usum. Nam ut prætermittam post cœnam typicam agni paschalis solennem illam lotionem ante mysticam actionem, quæ quidem maxime quadrat cum antiquitus observato ritu in ipsa ad sacrificium præparatione: quæque ab ecclesia optime spiritaliter intelligitur, & servatur, ab ipsis autem adversariis, qui assiduos se jactant, dictorum, & factorum Christi sectatores, omnino negligitur: quasi nesciant de hac dictum a Christo quod ipsi inepte legerunt: *Exemplum dedi vobis*, &c. attamen illa subdam quod, pridie quam pateretur in qua nocte tradebatur, acceperit primum panem in sanctas ac venerabiles manus suas, & elevatis oculis in cœlum ac Deum patrem suum omnipotentem illi gratias agens. Deinde vero similiter & calicem. Nonne hæc sunt expressissima & gesta, & gestus sacrificantis & offerentis. Tacent hic adversarii propriæ conscientiæ testimonio convicti, & hæc dissimulantes, quæ sequuntur, obtrudunt.

Basil. in Liturg. sua.

Ordo & solennitas novissimæ cœnæ Christi.

Amb. lib. 3. de sac. c. 1. Exod. 19. Bern. in ser. de cœn. dom. Joan. 13.

Euseb. de dem. Evan. lib. 1. c. 10.

In quibus nos primum consecrationem corporis, & sanguinis Christi ab ipso tunc factam, & ejus deinceps faciendæ potestatem apostolis, & eorum in sacerdotio successoribus concessam observamus. Deinde vero annotamus participationem sacrificii ab ipsis sacrificantibus sacerdotibus sumendam sub utraque specie. Postremo autem communicationem sacramenti sub specie potius panis populo exhibendam indidem elicimus. Quæ quidem ex iis quæ consequuntur, sed inverso fere ordine, reddimus sic perspicua magis. In pane enim dicitur: *Benedixit, fregit, ac dedit discipulis suis*. Quæ eadem tria fecisse fere semper Christum, ubi alios etiam non expresso potu dicitur pavisse, notabis facile in historia evangelica. Concordat quod subdit dicens: *Accipite & manducate. Hoc est enim corpus meum*. Ubi Lucas addit: *quod pro vobis datur*: Paulus vero: *quod pro vobis tradetur*, scilicet promissum in dando pane pro mundi vita. Quæ quidem ab his expressa verba ecclesia subticuisse videtur, ne scilicet ex eorum occasione erroneus aliquis scrupulus circa miram transsubstantiationem in animo consecrantis suboriretur. Præsertim cum ex antecedentibus verbis satis significetur sub illius panis specie per se plenam & absolutam esse rationem sacramenti. Quod solo corporis Christi nomine & sacræ literæ, & sancti patres notare solent. Quinimo & inde illius fructum incorporationem cum Christo nominant. Tum ne quis falso hinc & impie (ut jam ita occursum fuerit nostri temporis non minus crassis, quam impiis hæreticis) ad solum usum sacramenti consecrationem arctaret, & definiret transmutationem: cum certo certius sit, post consecrationis verba in ipsa panis specie perfectum esse sacramentum: & in illo non modo typice, sed hypostatice corpus Christi & sanguinem, imo & totum ipsum Christum, qualis a mortuis resurrexit, & ad dexteram sedet Dei patris omnipotentis existere re ipsa, & vere, atque persistere in reservata a consecratione panis forma in usum infirmorum, & pro viatico decedentium ab hac mortali vita. Simul etiam ut nobiscum esset Christus usque ad consummationem sæculi speciali quodam & sacramentali modo, sed tamen substantiali, quem jugiter in ecclesia sic vere præsentem cultu latriæ adoraremus.

Quæ ex actione Christi eliciantur.

Unde eliciatur sacramenti ratio, vis, & usus.

Matth. 14. Marc. 8. Luc. 24. Ex Tert. 1. Cor. 2. Cyp. de dom. ora. Chrys. hom. 41. 6. Joan. Amb. lib. 5. de sac. c. 6. Sup. in ref. 2. De consec. dist. 2. c. Tanta. c. Pervenit. c. Hoc est, &c. Tert. lib. de orat. Aug. de visit. infir. cap. 4. Com. Græc. in can. lit. Græc. Aug. tract. 50. in Joan. Chrys. hom. 83. in Matt. & 24. in 1. Cor. 11. Greg. Naz. in epist. sor.

Atque hæ nunc primum sese offerunt rationes, quibus videtur freta ecclesia cum Matthæo & Marco, verba illa, quæ Lucas & Paulus exprimunt, ad consecrationem panis supprimere Spiritu sancto

Ubi potius noscitur sacrificii ratio. præstantia. & usus. Conc. Tol. 3 cap. 5.

ANNO CHRISTI 1562.

cto gubernata. Cujus ejusdem spiritus ductu contra explicuit in calice verbum illud. *Benedixit*, quod ibi evangelistæ & Paulus tacuerunt. Hi inquam, ut ita magis insinuare videantur in calice potiorem esse rationem sacrificii, cum alias facile quivis ex benedictione panis, suam etiam in calice benedictionem subintelligeret: illa vero, ne ideo quis falso suspicaretur consecrantes sacerdotes non simul cum sacrificio, quando bibunt calicem, communicare etiam sacramento: ac proinde crederet minus in calice, quam in pane benedicto & consecrato esse: quod impium plane foret & execrandum, cum in utraque seorsum specie, totus & integer sit Christus vita nostra, ut supra explicuimus, ex re ipsa & vere, etiam si aliquibus ex vi verborum consecrationis magis videatur in pane sanguis, quam in calice corpus intelligendum. Quod etiam institutum confirmat nostrum, & in calice tanquam in sanguine magis relucere sacrificii rationem. Id quod & ecclesia intendens non modo in hujus consecratione nomen (*Calix*) Paulum & Lucam sequuta, exponit, conjungens quæ particulatim evangelistæ dixerant: *Qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*: verum etiam interserit: *Mysteriorum fidei*, ad magis ita designandum sacrificium illud adorandum, in quo salubriter credimus per effusionem sanguinis filii mediatoris reconciliatum humanum genus Deo patri.

De conf. diſt. 2. Aug. ſer. 2. de verb. Apoſt. & in Pſal. 33. conc. 2. Aug. ſer. 3. de ſanct. lib. 3. quæſt. ſuper Levit. c. 57. D. Thom. ſuper 1. Cor. 11. Aug. lib. 9. confeſ. c. 13. lib. 4. de Trini. c. 14. & in Enchirid. c. 110.

Quod myſterium late D. Paulus proſequitur ad Hebræos. Ad quod etiam alludunt Matthæus & Marcus, quibus ſanguis hic non tam appoſitive vocatur teſtamentum novum, ut falſo intelligunt adverſarii, quam expoſitive, teſtamenti novi: & ut eccleſia ſupplet, æterni (ut ideo ita Lucas & Paulus intelligendi ſunt) ad ſignificandum quod quemadmodum Moyſes vetus teſtamentum & librum fœderis ſanguine ſacrificii aſperſit, ita & Chriſtus proprio ſanguine velut conſignare voluit legem illam ſuam æternam, quam novum teſtamentum appellat: non autem ſanguinem ipſum, ut grammatici iſti theologi, nec ſatis conſtructionem attendentes, quam ſolam ſuperficie tenus ſummam exiſtimant eſſe theologiam, ineptiſſime, ut feré omnia, interpretrantur: quaſi voluerit Chriſtus calicem aut ſanguinem ſuum exequutioni mandandum, non autem potius ſuam illam & patris voluntatem, quam in mandatis & conſiliis reliquit pro interpretatione eccleſiæ faciendam nobis filiis Dei per fidem in Chriſtum Jeſum: in quo quidem non eſt diſtinctio, ſed omnes unum ſumus, ut vel ita obiter ſatisfaciamus etiam inepte adducti ab adverſariis. Significavit præterea Chriſtus his verbis, hunc ſuum ſanguinem in novo teſtamento eſſe offerendum pro omnibus illis adeo diverſarum hoſtiarum ſanguinibus: ut unum hoc ſit novæ legis ſacrificium pro omnibus veteris legis ſacrificiis, hujuſmodi novi inſtitutione penitus abrogatis.

Quare ſanguis dicatur novi teſtamenti. Hebr. 10. Exod. 24. Tert. contra Marcion. Hebr. 8. c. & 10. 6.

Ex Jere. 32. ſ. Novum pro omnibus antiquis ſacrificium. Chryſoſt. hom. 24. in Matth.

Ceterum & hic habet infeſtiſſimus ille humani generis hoſtis ſpiritus iniquitatis & mendacii, quod ſuis miniſtris ſuggerat adverſus hæc quæ firmiter ſtabilita ſunt, ex occaſione cujuſdam vocule *Omnes*. Quod Chriſtus in pane tantum dixerit: *Manducate*, in calice tamen expreſſerit, *Bibite ex eo omnes*. O digna ſtrenuis iſtis compotatoribus conſideratio, quaſi voluerit Chriſtus, panis manducationem cuique liberam eſſe, ſed vini compotationem omnibus neceſſariam? Myſteriumque vocant, hoc prætexunt nomine culpam. An non potius tam inſignis ineptia debuit prudentes iſtos homines vel hoc loco cogere, ut re-

Quare in calice exprimatur omnes.

licto literæ cortice nucleum ſpiritus elicerent? Quare eccleſia provida mater & in pane ipſo expreſſit, *ex hoc omnes*: quod tacuerunt evangeliſtæ: nimirum quod ſatis intelligeretur ex eo, quod præmiſſum fuerat, *fregit*, *deditque diſcipulis ſuis*: ſcilicet, ſuas ſingulis portiones. Quæ quia ex calice porrigi non poterant, ne totum quis uno hauſtu abſorberet, ut tantum quiſque ſumeret, quatenus omnibus ſufficeret, præſentibus diſcipulis dixit: *Bibite ex eo omnes*: quod Marcus factum dixit, *& biberunt ex eo omnes*. Simul ut intelligerent in hoc ſacrificandi ritu (ad quem ſuos diſcipulos & eorum in presbyteratu ſucceſſores tunc inſtruebat & ordinabat) in hoc quidem laicis multo ſuperiores, tantum abeſt ut utrorumque par tunc fuerit conditio, quod ſupra objectum eſt, oportere omnes ſacrificantes calice etiam ipſo, in quo ſacrificii ratio perficeretur expreſſa, participare. Ne fortaſſis ſacrificantium aliquis a calicis participatione abſtineret (quod immane eſſet ſacrilegium) exiſtimans ſatis ſibi ſufficere corporis Chriſti ſub una panis ſpecie ſumptionem, quam videret non ſacrificantibus in communione ſacramenti ſine calicis hauſtu concedi ut congruam & decentem.

Mare. 14.

Quam debeat ſacrificans participare calice.

2. con. Tol. c. 5. de conſ. c. relatione, &c. compeſimus.

Quo etiam pertinere & illud videtur, quod cum evangeliſta Lucas tantum in pane expreſſiſſet: *Hoc facite in meam commemorationem*, neſcio an quaſi ita indicans neceſſitatem, & quod quemadmodum & in pane pleni ſacramenti ratio continetur, ita & ubi nullum vinum eſt, poſſit, ut ſacrificium, quod in pane implicatur, ut in calice ſacramentum, in ſolo pane diſpenſari, quod multi doctiſſimorum theologorum tradunt. At vero Paulus eadem verba & in calice repetit, decentiam potius attendens. Quo ſpectaſſe dicendus videtur Innocentius octavus, ſi verum eſt, quod refert Raphael Volaterranus, ejus conceſſione permiſſum Norvegiæ (ubi neque vinum naſcitur, neque tranſportari aliunde, quin ſtatim aceſcat, poteſt) ut ſine vino calicem ſacrificarent.

In pane ſacrificium, & in calice ſacramentum implicatur.

D. Bernar. epiſt. 69. ad Guidonem. Albert. magn. in comment. Volater. lib. Coſmograp. Damaſcen. li. 4. Orth. fide. c. 14.

Verum enimvero ne ex hac Pauli repetitione ad ſacrificii explicationem & decentiam pertinente, quiſquam falſo neceſſitatem communionis ſacramenti & in calice poneret quoad laicos & non conficientes, ut noſtri adverſarii proterve faciunt: ideo non ſimpliciter repetit Paulus. *Hoc facite*, ut in pane dixerat, ſed addit: *Quotieſcumque biberitis*: ut ita propter conſecrantes & ſacrificantes hoc repetitum intelligeret. Ad quos ut pertinet in perſona Chriſti & eccleſiæ commemorare & offerre hoſtiam illam & ſacrificium, quod ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech inſtituens & moriens obtulit: ita eos decet expreſſe illius participes fieri etiam ſub utraque ſpecie panis & vini in annunciationem mortis & ſacrificii domini, donec veniat. Quamobrem eccleſia ut interpretaretur in verbo illo: *Hoc facite* (in quo dictorum & factorum Chriſti, pro novo ſacrificandi ritu, ſumma continetur) utpote immolatio ex ſacra ſcriptura & communi uſu, non tam præceptum communicandi omnibus injunctum, quam ſolis presbyteris conceſſam tunc facultatem, pro commiſſo ipſis ſacerdotali munere, conficiendi & offerendi ſacrificii, quod ex ambabus ſpeciebus potius conſtat, & in calice magis perficitur, ad ipſas ſeorſum ſpecies non ſic illud verbum (facite) appoſuit, ſed totam illam divinam actionem & Chriſti cum diſcipulis ſacram colloquutionem concludit ſub hac dicendi forma: *Hæc quotieſcumque feceritis, in meam memoriam facietis.*

De conſ. diſt. 2. c. in Chriſto, & cap. de hac. Doct. in 4. d. 13.

Chryſ. de ſacer. lib. 6. & hom. 5. ad pop.

Cur eccleſia mutarit modum loquendi.

Levit. 23. Ezech. 45. & 46. Jud. 33. Iren. lib. 4.

ANNO CHRISTI 1562.

Quod in rebus fidei certius argumentum. Recollectio. Quid ex Christi novissima cœna observandum.

Jam & evidentius hujus rei quære argumentum: cum in rebus fidei aut certius aut efficacius nequeat sumi, quam ex perpetuo consensu, ut nos fecimus, supra citatorum testium, in quibus loquutum Spiritum sanctum constans ac firma est apud omnes Christianos fides. Atque ita facile adversariorum proposita somnia evanescunt, dum omnibus perspicuum fit in illa mystica & cæremoniosa actione, Christum dominum sacrificandi potius solemnem ritum fuisse exequutum, instituendo jam in eo suos, quos ibi haberet discipulos præsentes, & futuros illorum in sacerdotio successores. Quos sane voluit & memores & observatores perpetuo, dum illi postea similiter in missæ officio conficerent & sacrificarent, eorum omnium, quæ ipsum tunc vere sacerdotem secundum ordinem Melchisedech consecrantem & offerentem proprium corpus in pane, & sanguinem in calice fecisse, & dixisse viderant & audiverant. Addidit præterea, quod ipsum consequebatur sacrificium, & hujus participationem: non tantum in consecrato pane, verum etiam in ipso pretioso calice, in quo sacrificii ratio magis exprimitur & completur, ab omnibus consecrantibus expresse esse sumendam. Ut ideo omnes apostoli qui tunc aderant, etiam si tunc non consecrarent, quia tamen consecraturos sacrificos & novi testamenti sacerdotes instituebat, ex calice bibere voluerit, illustriori eos prærogativa donans, simul & admonens, ne eorum aut successorum in presbyteratu quisquam dum consecraret & sacrificaret (quod impium sacrilegium esset) sanguinis in calice participatione, quo ipse suum jam ante in vita conditum testamentum morieus velut obsignasset, & omnia veteris testamenti sacrificia antiquasset, abstinere sibi licere arbitraretur: fortassis quod videret non consecrantibus plenam sacramenti communionem, quam hic etiam significatam voluit, in solo sacro pane congruere, & eatenus etiam cuique illorum sacrificii realem participationem sufficere.

De conf. dist. 3 c. liquido.

Quos deceat sacrificii etiam ex calice fieri participes. Cypria. lib. 2. ep. 3.

EX OBSERVATIONE exequutionis. Object. 5.

CUM adversarii hoc loco jam videant, & suo ipsorum maximo incommodo experiantur, primum illud & præcipuum præsidium omni ex parte nostrum, esse expressum, inquam, verbum Christi & evangelii. Quod illi opportune & importune, sed tamen fere semper inepte citant, ingerunt, inculcant, tertio quoque verbo clamantes. Verbum domini, verbum Christi expressum, sic habet, ita dicit, ibi, & ibi, ut sic rudi plebeculæ imponant, cum tamen nullibi, ad secundam proprie arcem, hoc est, ad apostolicam interpretationem & observationem confugiunt. Quam etiam cum a nostris præoccupatam invenient, Paulo in omnibus favente nobis (id quod ex uno eodem ipso docturi sumus, nullum alium citando interpretem) tunc demum in omnes se vertent facies. Interim tamen si libet, illud magnifice proponant.

1. Cavil. ex obser. D. Paul. falso accommodata.

Observatio ab apostolo tradita in explicationem & exequutionem catholici præcepti Christi domini, ab omnibus ut lex divina est servanda. Quod & nos libenter audimus, illud tamen ferre non possumus, quod falso illi subsumunt, divum Paulum interpretando præceptum communionis

1. Cor. 11.

A sacramenti eucharistiæ in citatis Christi domini verbis exposuisse, observandum illud esse sub utraque specie, non solis sacerdotibus, sed etiam laicis convenientibus in unum dominicam cœnam manducate. Quod licet Corinthiis dictum sit, videtur tamen sub ratione communi omnibus Christi fidelibus accommodandum: cum ibi in universum concludat Paulus, quod *quicumque manducaverit panem hunc, & biberit calicem domini indigne, reus sit futurus corporis & sanguinis domini*, juxta illud quod in proximo capite proposuerat: *Omnes unum corpus sumus, qui de uno pane & de uno calice participamus.* Præsertim cum hujus capitis initio figuras veteris testamenti, ut baptismatis, sic communionis panis seorsum & calicis communes omnium præmisisset.

ANNO CHRISTI 1562.

Quam phaleratis & fabdolis argumentationibus utantur adversarii. Adversariorum fraudulenta iniquitas in citandis auctoribus.

Phalerata profecto argumentatio, & quæ prima fronte imprudentem & incautum fortassis deciperet, sed solertem & exquisite cernentem singula magis in nostra sententia confirmet. Imo & quæ ipsorum auctorum fallacias & fraudes prodat & manifestet iniquissimas. Potestne, vos oro, patres sancti, major excogitari, aut iniqua fraudulentia, aut fraudulenta iniquitas in citandis auctoribus, quam istorum in citando divi Pauli brevem quandam pandectam? Cujus & universum totius invertunt institutum, & in paucis, quas illius adducunt, detruncatis partibus, aliquid aut immutant, aut detrahunt, aut addunt, aut alio certe modo, sed cautissime omnia depravant, ne verus & germanus sensus elici ex citatis posset. Neque mihi volo fidem adhiberi, nisi singula, quo proposui, ordine commonstrem.

Quod si D. Pauli institutum. 1. Cor. 11.

Primum quidem non esse Pauli institutum vel ut præcipiat, vel ut observet sub utraque specie, ut isti sibi fingunt, esse communicandum, facile perspiciet, qui divi Pauli progressum, & excursum a carceribus ad metam usque fuerit persequutus. Nam cum principio proposuisset eos non laudans, quod non in melius, sed in deterius convenirent Corinthii, tum postea eosdem reprehendens subjungit. Quod illis, convenientibus in unum jam non esset dominicam cœnam manducare, id est, quod non sic convenirent in ecclesiam ad augustissimum eucharistiæ sacramentum manducandum, ut decenter & reverenter pro ejus dignitate, in qua Christus ipse vere contineretur, sumerent. Quod prosequutus tandem concludit comminans, quod sibi judicium sumat, qui indigne sacrosanctam eucharistiam sumpserit, *non dijudicans corpus Domini*, id est, non discernens divinum hunc & spiritalem cibum corporis domini, a profanis quibusvis & corporalibus cibis aliorum obsoniorum, quæ laute & opipare ditiores Corinthii parata conjungerent cum sanctæ eucharistiæ sumptione: quam inter splendidas epulas & strenuas compotationes sibi seorsum præsumerent, neque expectarent ad communionem, sed potius spernerent & confunderent ceteros pauperiores. Quod utrumque reprehendit Paulus. Atque hoc est ejus loci institutum, nimirum ut doceat Corinthios, quanta cum reverentia & dignitate deberent, contra quam facerent ad tremendam convenire communionem, in qua vere ipsissimum Christi corpus manducaretur. Ad quod probandum induxit & retulit, ut a domino acceperat, & eis ante tradiderat, ipsa ejusdem Christi domini verba, quibus ille in mystica incruenti sacrificii cœna corpus & sanguinem suum confecit, & in pane

Quam reverenter sumenda augustissima eucharistia.

Corinth. abusus a D. Paulo reprehensus.

ac

ANNO CHRISTI 1562.

ac calice ſic conſecratis vere & realiter fore diſertiſſime teſtatus eſt. Unde velut conſectarium infert? quod futurus ſit *reus corporis & ſanguinis domini, quicumque manducaverit panem hunc vel biberit calicem domini indigne*. Sic enim disjunctim melius intelligas ex lectione Græca, non ut iſti, qui fraudulenter disjunctionem mutant in copulationem: ſatis enim illis notum erat Græcum exemplar, quod unum ſe ſequi perpetuo profitentur. Ad quod etiam in propoſitione, quam citant ex decimo capite addiderunt (*& de uno calice*) quod pro ipſis facere videretur, detraxerunt autem, vel certe ſuppreſſerunt initio periodi (*unus panis*) quod noſtram ſententiam confirmaret: ut notam habeas iſtorum hominum impudentem & impiam temeritatem.

Paul. lect. ad fidem Græcam.

Inſtit. divi Pauli. Cor. 101.

Qua etiam vana fieri myſteria, quæ Paulus ex lege veteri refert initio capitis decimi in aliud longe diverſum ab expreſſo Pauli inſtituto ineptiſſime applicant. Nam cum Paulus ea attuliſſet ad probandum unam fuiſſe omnium utriuſque legis fidelium in ſpiritu fidem, & recepiſſe proinde omnes illos antiquos patres, ſua etiam a Deo beneficia: nihilominus tamen eoſdem ipſos ob patrata poſt ſcelera acriter divino judicio punitos eſſe: ut ideo deberent Corinthii propter ſimilia crimina ſimilem etiam vereri divinam ultionem, qui fortaſſis nimium in ſua fide & divinis beneficiis confidentes, inde vitiorum impunitatem ſibi pollicerentur: iſti autem in hac impia fiducia Corinthiis multo magis impii, illa omnia ad ſacramenta novæ legis, imo & ad externa horum ſigna peculiaria coarctant: quaſi velint antiquos illos omnes hujuſmodi ſacramentis jam tunc in lege uſos, quæ nunc primum in evangelio Chriſtus inſtituit. Debebat ergo tam inſulſam iſtorum ineptiam cohibere trita illa & decantata in ſcholiis de ſacramentis doctrina, iis etiam obvia, qui vel prima faciunt theologiæ rudimenta. Quæ ſi ipſi non fecerunt, ut impudenter gloriantur, certe poterant legere repetita illa apud Paulum eodem contextu verba, *Eſcam ſpiritualem, potum ſpiritualem, bibebant de ſpirituali petra*. Quæ cos admoniſſent ſpiritalium manducationis & bibitionis per fidem vivam, quæ etiam ab omnibus Chriſtianis in ipſo baptiſmate fiunt, cum quo Paulus illa hic conjungit, ut ejuſdem inſtituti hæc tria eſſe intelligeres, quemadmodum & nos ſupra in primo loco ad interpretationem ſexti capitis Joannis, quem & Lutherani admittunt, explicuimus.

Craſſa adverſariorum ineptia.

Præoccupatio repulſionis.

Quod ſi quis etiamnum inſtet, ſignificari verbis illis poſſe, velut in ejus figura, ſacram eucharistiam, ſane ut hoc iſti donemus, illud tamen dumtaxat unum maxime efficiat inſinuari hic eucharistiæ beneficium collatum univerſæ eccleſiæ in ejus ſive ſacramento, ſive ſacrificio, ſed tamen eo modo, quem ad utrumque ſupra in ſecunda & tertia objectione declaravimus: ex decenti utriuſque ratione & uſu, in ipſis etiam figuris ſignificato & obſervato: ubi lactentes parvuli neque manna, neque aqua indigebant, grandioribus vero ſufficiebat unum manna, antequam adverſus Dominum murmurarent, ut intelligas quam inepte hic etiam diſtribuant univerſale ſignum (omnes). Vides ergo quam diverſum in citatis locis ſit Pauli inſtitutum, ubi longe aliud agit, quam ut præcipiat ipſe, vel a Chriſto præceptum obſervet, laicis ſub utraque ſpecie communicandum. At dices, ut non hoc primario inſtituto Paulus intendat, ſatis tamen in diſcurſu capitis undecimi notat, debere omnes communicare ſub utraque ſpecie, dum ſæpe copulat panem & calicem, manducationem & bibitionem. Cui quidem objectioni ita facile reſpondemus: Primum, quod uſus ſit divus Paulus hoc dicendi charactere ad denotandum ſic magis ſacramenti integritatem, ſive hoc, ſive illo modo, ſi tamen utrobique decenter, ut tertia objectione expoſuimus, fiat communio, ut more ſacræ ſcripturæ dicatur modo exponi totum pro parte quavis præſertim homogenea, vel diſtinctas ſpecies pro indefinito genere, ut nos ſupra fuſe docuimus de manducatione & bibitione, ſive ſpiritualiter, in una in Chriſtum fide: ſive ſacramentaliter in eminenti ſub una ſpecie ſumptione, quemadmodum dicuntur: *Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam*, ut ſic magis perfectum juſtitiæ & totale deſiderium ſignificetur: ſed etiam explicari velut in ipſas rei partes & notas, quod ſolum implicatur in totius virtute. Deinde vero, quod hujuſmodi omnes ambarum ſpecierum copulationes accipiantur pro disjunctivis. Id quod frequentiſſimum eſt in omni idiomate, præſertim ubi per ſchema illud dicendi, quod grammatici zeugma appellant, duobus conjunctis membris unum apte ſubnectitur ad vitandam tautologiam, & ejus moleſtam repetitionem, quod alias utrique ſeorſum connectendum erat. Cujuſmodi eſſe omnia hoc loco conjuncta a Paulo facile eſt obſervare. Ut ideo non inepte Latinus interpres in prædicto figurato ſenſu omnia copularit, etiam quæ in Græco disjunctim legebantur: ut in ſupra citato: Itaque quicumque manducaverit panem hunc, & biberit calicem Domini indigne. Ubi Græcus habet, vel, Latinus poſuit, &, fortaſſis ut ita magis exprimeret germanum ſenſum Pauli & myſterium integritatis Chriſti, qui ſemper integer in eucharistia ſumatur: quocumque illa modo communicetur, ſive in alterutra tantum, ſive in ambabus ſimul ſpeciebus, ut ideo reus utrobique corporis & ſanguinis Domini & ipſius totius Chriſti eſſet, qui vel ſolum panem, vel ſolum calicem ſumeret, & qui unus & idem & panem manducaret ſimul & calicem etiam biberet, ſi vel hoc vel illud indigne faceret.

Matth. 5. 2.

Copulata pro disjunctis.

Fieri reum corporis & ſanguinis Domini etiam ſub una ſpecie.

Hæc ergo fuit Pauli intentio in hoc & reliquis utriuſque ſpeciei conjunctionibus ſive copulatis ſive disjunctis, dum hic meminit communicationis: nihil minus attendens, quam an hoc vel illo modo, & a quibus faciendum id ſit. Quod ſi etiamnum, nullo adhibito judicio, ut ſolent, iſti proterve contendant, hæc illum attendiſſe: dicam tunc & fortaſſis non proterviens, quod mihi liceret cum protervis. Ex quatuor his poſitis a Paulo periodis primam copulatim eſſe intelligendam expreſſe de ſolis presbyteris conficientibus, quos imprimis decet, ut ſupra ſatis probavimus, potatio calicis in participationem potius ſacrificii, ubi maxime cum miſſæ officio annunciatur & commemoratur mors Domini donec veniat: Quo potiſſimum ſpectans ſupra dixiſſet Paulus, *Calix benedictionis cui benedicimus*, (ſcilicet conſecrantes) *nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt*, ut ideo ſignificent nonnulli ex ſanctioribus & doctioribus patribus primam illam periodum, *Quotieſcumque enim*, &c. commemoratam a divo Paulo tanquam ex narratione evangelica & Chriſti, ſuperioribus connectendam. Secundum vero, quam modo explicuimus, at Græce etiam legitur, ſimul cum ſequentibus disjunctim intelligi debere, in univerſum, in ratione magis commu-

Præoccupatio proterviæ inſtantiæ.

Germana intelligentia dictorum S. Pauli.

1. Cor. 11.

Dam. lib. 4. orth. fid. cap. 14.

1. Cavillus ex dictione S. Paul. incepte conjunctæ.

ANNO CHRISTI 1562.

communicandæ eucharistiæ sive sub ambabus, ut congruit consecrantibus, sive sub altera tantum panis specie, ut expedit non consecrantibus modo decenter, sive hi, sive illi sumant tantum sacramentum, & pro dignitate corporis Christi, qui totus in utravis specie continetur & integer, in eminenti illa alimenti spiritalis unitate: ubi & secundum carnem comeditur, & secundum sanguinem bibitur, dum secundum seipsum totum potius sumitur. Ut ita singulorum quæ Paulus hoc undecimo capite dixit de digna corporis Christi communione, quam & in propositione & in conclusione manducatorum tantum appellat, ad ipsam certe panis speciem spectans, habeatur aliqua ratio (quam ipse idem fortassis magis explicuit ad ritum, quem servat ecclesia Romana, dum ad Corinthios veniens cetera disposuit, ut hic illis pollicetur) simul & omnium, quæ hactenus de decenti communionis modo tractata sunt explicetur consensus secundum veritatem Catholicam & fidem ecclesiæ Romanæ, in qua maxime cuncta consona sibi invicem sunt.

Ad quam regulam D. Paul. interpretandus sit.

Ad quam quia non exigunt neque interpretantur adversarii superiora & difficilia intellectu cetera, quæ Paulus secundum sibi datam sapientiam in epistolis suis multa scripsit, fit, sicuti de istis jam olim prophetaverat Romanorum pontificum primus, & totius ecclesiæ vicarium Christi caput, ut ea omnia indocti & instabiles depravent, sicut & ceteras scripturas ad suam ipsorum perditionem, ut etiam citatum ex Corinth. capite undecimo, unde ineptissime & falso, ut satis probavimus, illi colligunt: præceptum communicandi populum sub utraque specie observatum a Paulo ex Christi institutione & executione.

Cavillus ex phrasibus Paulin. prænc expositis.

Sed hæc fortassis loco adversarii vel stimulis propriæ conscientiæ tandem confossi, dissimulabunt undecimo cap. & cum inde non liceat, quod tendebant efficere satis, jam retrocedentes decimum ejusdem epistolæ caput objicient, ubi Paulus Corinthiis usum calicis concedere videtur: dum inquit: Non potestis calicem Domini bibere & calicem dæmoniorum. At vero quid hic Paulus intelligat, satis ipse subindicat, in interpretationem dicti, continuo subdens: *Non potestis mensa Domini participes esse, & mensa dæmoniorum*, mensam pro altari accipiens: ad id spectans, quod paulo ante dixerat. *Nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris?* Quibus velut peculiaribus phrasibus non tam sacramenti communionem, quam ipsam sacrificii participationem, quovis ea modo fieret, etiam in solo esculento, videtur notasse Paulus. Nam eum hoc decimo capite de sacrificii participatione potius locutum, contra quam in proximo undecimo ubi magis de sacramenti communione agere dicas, ex ipsius instituto evadit manifestum. Cum enim initio capitis octavi instituisset reprehendere Corinthios, quod non se abstinerent ab idolothytis, in quo viderentur participare sacrificio idolorum, illud deinde institutum prosequutus est, usque per totum hoc decimum caput. Atque cum aliis rationibus comprobasset in præcedentibus non convenire tale quippiam fidelibus. Jam nunc ultima & potissima ratione constabilit id: nempe, quod participantes sacrificio idoli, indignos omnino se redderent participatione sacrificii Domini. Quod superioribus verbis dicere intendebat, propterea sane quod nequeant ambæ istæ participationes simul consistere, ut ipse idem post explicatius tradit. *Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas lucis cum tenebris? Quæ autem conventio Christi ad Belial?* Sed illico mihi dices: Eodem res recidit. Nam & participatio sacrificii, & communicatio sacramenti idem sunt, ut, inquam, re ipsa subjecta idem sint, rationibus tamen propriis distingui, & a se invicem, neque absque mysterio, etiam in eodem ipso subjecto consideratione secerni, ex tertio & quarto locis superioribus satis facile fuerit colligere. Quamobrem cum in sacrificio calix ipse & sanguis emineat, & velut potiores obtineat partes, ideo etiam hic Paulus ipsius calicis & sanguinis prius & potius, quam panis & corporis nonnunquam videtur meminisse, ceu quodam inverso ordine, sed tamen aptissimo ipsius intentioni & mysterio, quod ipse etiam Lucas significasse videtur, dum calicis bis meminit. Quodque nos libenter nisi molesti essemus, & longiores in utriusque verbis diligenter expensis observaremus.

Sacrificii participatio maxi. notatur.

1. Cor. 10.

Præoccupatio repulsionis.

Sed in his in commodius tempus, ubi de sacrificio missæ disputabitur, dilatis, id quod præsentis est negotii, & omnem dirimit controversiam dicamus: nimirum ex Paulo non consecrantes dici optime posse, Bibere calicem Domini, singulari phrasi, dum sacrificio Domini congruo sibi ut diximus modo participant, etiam sub una dumtaxat panis specie communicantes, non modo omnes simul in communi ecclesia, sed etiam singuli, ut infirmi, seorsum in propriis domibus. Quemadmodum apertissime apud Paulum hoc ipso loco Corinthii dicuntur bibere calicem dæmoniorum, dum eorum sacrificio, in quo calicis eminet maxime ratio, participabant, comedentes vel in communi macello emptas, vel in privato convivio appositas, quas novissent ex infidelium relatione esse idolis immolatas carnes. In quo illos reprehendens Paulus, tanquam ita bibentes calicem dæmoniorum, & participantes eorum mensa, quod qui edunt hostias participes sint altaris, asserit non posse eos bibere calicem Domini, & ejus mensæ participes esse, hoc est, non posse eos hostiam illam corporis Christi in altari benedicto, & cum ceteris solemnibus missæ ritibus a sacerdote consecratam, & oblatam digne, vel sub altera panis specie comedere. Atque ita demum experiuntur adversarii dum firmissimam ecclesiam Romanam petram non minus frustra quam impie nituntur concutere, quam vere illud sit dictum.

Bibere calicem Domini dicuntur a beato Paulo etiam communicantes sub una panis specie.

In durum lapidem quisquis suâ spiculâ torquet,
In caput ipsius sæpe retorta cadunt.

Recollectio concertationis.

Eant jam nunc isti, & alios quærant, si inveniri possint, apostolicos locos: quos in impiam ipsorum hæresim, quanta possint calliditate depravent. Sic enim magis illorum impietatem manifestam futuram speramus, cum certi simus semper atque ubique pro nobis potius stare Paulum. Id quod etiam nos docturos profitemur, ut in priore epistola ad Corinthios satis docuimus, nullam observantiam præcepti communicandi populum sub utraque specie traditam: sed ubi potissimum ac solum reprehensos a Paulo Corinthios undecimo capite, quod nec reverenter, nec decenter, sacratissimam eucharistiam (dum illum cœlestem cibum prophanis ipsorum & opiparis comessationibus ditiores commiscebant & præsumebant (pretis pauperibus) communicarent pro dignitate tanti sacramenti, in cujus utravis specie totus ipse Christus contineretur: quod ex ejusdem Christi explicite narrata consecrationis ratione comprobatur. Decimo autem capite

quod

ANNO CHRISTI 1562.

S. Paul. institutum. 1. Cor. 10.

quod non possent bibere calicem Domini, & ejus mensæ participes esse sanctissimum Christi corpus in altari a sacerdote solemniter consecratum manducantes, qui biberet calicem dæmoniorum, & eorum mensæ participes fierent, dum carnes comederent vel emptas in macello, vel appositas in convivio, quas ex infidelium relatione noviſſent idolis immolatas: quod qui edunt hostias participes sint altaris, atque ita viderentur isti participes fieri idolorum & socii dæmoniorum. Unde satis liquet has & similes omnes phrases Paulinas, ubi in communione sanctæ eucharistiæ vel calix, vel sanguis, vel bibitio exprimitur, veras etiam ex ipso Paulo esse, & aptas in ea quæ populum decet, sub altera panis dumtaxat specie communione, sive in participationem sacrificii, sive in communicationem sacramenti corporis Domini.

Perpetua concordia apostolorum & ecclesiæ Romanæ.

Vides ergo quam mirifice & divine Paulus cum Petro, & Petrus cum Paulo, apostolus cum ecclesia Romana, & Romana ecclesia cum apostolo semper & ubique consentiant. Ut appositissime dixeris hoc loco: Quos Deus conjunxit, homo non separet.

EX CONTINUATIONE OBSERVANTIÆ. Objectio 6.

Adversar. impia, & inanis diligentia.

1. Cavillus ex ficta continuatione consuetudinis.

POSSEMUS hoc loco, velut in munitissima & sublimi divini verbi arce procul ab omni periculo positi conquiescere securi, & inde tumultuantes adversariorum turmas despicere, irridentes dicam an dolentes? Nisi quod ab omni prorsus expulsi divino præsidio, nec sic consistant, sed audeant etiamnum (o vanas hominum mentes, o pectora cæca) fremere gentes, & populi meditari inania, adstare reges terræ, & principes convenire in unum, adversus Dominum, & adversus Christum ejus: comminiscentes quasdam quas appellant centurias, undecumque non tam laborioso studio conquisitas, quam impio animo sibi confictas, non modo ut his velut præstigiis imperitæ plebis oculos capiant, sed etiam ut minus considerantium animos obruant multitudine, cum nequeant pondere exemplorum. Quo vel ita, quod enituntur videantur tandem certe superficie tenus efficere: Jam inde usque a temporibus apostolorum per multos annos continuata temporum serie conservatam consuetudinem communicandi sub utraque specie omnes & singulos Christi fideles: atque in illam sententiam corroborandam mirum est quam misere sese torqueant, nullum non moventes lapidem, nihil intentatum relinquentes, nihil intactum.

Adversar. temeraria inconstantia.

Hic jam fere sui obliti, & dissimiles, quæ alias respuere impudenter solent, & nihili facere, laudant, amplexantur, exosculantur, non modo œcumenica, sed & provincialia concilia, sacrorum doctorum monumenta, antiquorum scripta, recentiorum placita, ecclesiasticas historias, sanctorum martyrologia, gentium & populorum ritus, ecclesiarum & temporum cæremonias, & quæ non? Sed ea, & ex illis tantum partibus, quæ pro se facere aliquatenus, vel leviter ex vocula alicujus occasione videantur. Quod si iidem auctores in aliis operibus, aut in eisdem alibi aperte & diserte nostram sententiam confirment, ut semper faciunt, non verentur illico acclamare, esse adulterina opera, esse appositicia membra, esse interjecta verba, & cetera hujusmodi non minus impia, quam temeraria istorum familiaria dicteria. Sed & in illo suas magis commendant, & illustriores reddunt temeritatem & impietatem, quod si qua sint, ut fere innumera sunt, superioribus citatis ab ipsis similia, imo & multis illorum magis authentica, quæ ex instituto & professo sacræ Romanæ ecclesiæ sententiam & consuetudinem decernant, confirment & usurpent: horum & consimilium in universum auctoritatem omnem pessundant prorsus & elevant, nihil jam pensi habentes, an eadem, & eosdem auctores in superioribus approbarint. Sic demum impius, ut Luna, mutatur. Sed o, si mihi liceret in singulis locis in quibus isti nituntur, parumper immorari, docerem facile, divina gratia, ut in evangelio & apostolo fecimus, eorum dicta, qui magis authentici sunt, non modo non adversariorum parte aliqua hæresim adstruere: sed destruere potius & penitus evellere: contra vero sententiam nostram magis confirmare, & constabilire undiquaque.

ANNO CHRISTI 1562.

Generalis ratio examinandi dicta Ss. doctorum.

Verum ne in immensum crescret opus, in quo jam videmur tantorum audientium benignitate abusi, trahente nos materia, cogimur hoc institutum in aliud tempus differre. Illud tamen in universum notatum velim, quod sapienti satis fortasse fuerit: ad eas rationes & regulas, quibus nos freti evangelium & apostolum interpretati sumus, posse facile quemvis eorum orthodoxorum, quos isti citant, sententias examinare, & ad rectam reducere veritatis catholicæ normam. Ex quibus, dum ad evangelium & Paulum alluderent, eoque eadem ferme verba & phrases aut similia usurparent, ut sic magis cum scriptura concordarent, occasionem sumpserunt adversarii, ut in sacris literis, sic etiam in doctoribus, non tam ut ipsi misere fallerentur, quam ut alios impie fallerent suis plausibilibus promissis fallaces Sirenæ. Sed cum satis supra istorum pravos & impios animos in citandis, & depravandis sacris literis, quæ in promptu omnibus sunt, & quorum verba velut in numerato habentur, ad meridianum Solem commonstraverimus, quis dubitabit de illorum iniquissima licentia in subvertendis antiquorum scriptis, quæ apud paucos habentur edita, aut etiam omnino confingendis, quæ nondum in lucem publicata dicantur. Verum quia evidentiora sunt hujus fraudis & frequentiora argumenta, quam ut in ea detegenda, præsertim apud tantam coronam, insumendum amplius sit aliquid temporis, ad consuetudinem transeamus, quam illi importune obtrudunt.

Adversar. pravitas in qua in citandis auctoribus.

Unde consuetudo communicandi populum sub utraque specie.

Nam ut ingenue fateamur aliquos laicos aliquando in aliquibus locis communicasse sub utraque specie sacram eucharistiam: id tamen videtur non fuisse catholicum ubique ac semper omnibus observatum, sed ab aliquibus paulo religiosioribus neophytis, volentibus Christianismum conjungere cum Helleniſmo (ubi de sacrificio idoli participabant omnes vel parvuli etiam in libaminibus) nescio an dicam violenter usurpatum, certe (ut pleraque alia in usu tanti sacramenti non satis illo digna, ut post dicemus) permissum a superioribus blanda quadam materna indulgentia erga eos tunc primum de gentilitate conversos, & in fide Christi recens natos, qui tanquam infirmi, infantes lacte nutriendi erant. Quinimo etiam eorum imbecillitati donandum videbatur, ut qui efflagitassent, calice etiam participarent: ne molestius ferrent ejus privationem, fortassis suspicantes, ex ignorantia mysteriorum Dei melius secum actum apud Gentiles in participatione sacrificii, ubi ambabus ejus partibus participare licuisset.

Hebræorum ecclesias sub una panis specie com-

Quare

ANNO CHRISTI 1562.

Quare in nullis Hebræorum ecclesiis unquam legitur tale quid commissum: quod isti ex paterno ritu facilius abstinerent a participatione libaminis in sacrificio. Quos tamen credibile est, ut erant proclives ad idololatriam & ad gentium ritus, hoc ipsum in sacrificio Christi postulaturos quotidianis velut convitiis fuisse, nisi ipsi observassent sub una panis specie & duos illos discipulos in castello Emaus, ac Jacobum in Hierusalem ab eodem Christo post resurrectionem communicatos, & promiscuam plebem ab apostolis convocatam ad frangendum panem, simul & eos docuisset Petrus, Joannes, Jacobus, & alii apostoli circumcisionis, in sacratissima sumenda eucharistia populum, licet particeps tacite fieret sacrificii, potius tamen novæ legis communicare sacramento. In quo pro illius in uno Christo unitate eminenti, congrueret una panis magis species, & aptæ significationi & plenæ efficentiæ. Quo etiam velut solidiori ciba, & ipsi eidem Gentiles in suis ecclesiis, jam grandiores in intelligendis religionis abstrusionibus mysteriis factis ex Pauli, Barnabæ & aliorum ad gentes apostolorum institutione, qui decenter usi fuerunt, religiose abstinuisse omnes videntur perpetuo a potu & usu calicis in communicando sacerrimum corporis domini sacramentum.

Quamobrem si consuetudinis adeo habenda est ratio, ubi de intentione divina satis constat, consuetudini consuetudinem opponimus: sed, nescio an dicam, humanæ divinam, permissæ consultam, indultæ legitimam, temporariæ perpetuam, particulari universalem, atque proinde vere catholicam. Quæ licet ex iis quæ supra in universum observavimus satis sapienti & fideli videri possint asserta, nihilominus tamen comprobaremus jam nunc facile singula separatim membra, si nobis daretur nostras etiam contexere centurias. Verum quia non modo id longum esset, sed etiam supervacaneum, præsertim apud viros in ecclesiastica historia versatissimos, ac proinde molestum, & eo magis, quod in aliis plus æquo simus immorati, prudentes supersedebimus nunc temporis, commodius expectantes longiori conficiendæ historiæ. Contenti interim vel obiter annotasse: Primum quod miracula, quæ fere innumera ex omni ætate a Christo passo leguntur authentica, in quibus [a] aut hujus vivifici sacramenti communio aliquibus non consecrantibus divinitus ministrata narratur: [b] aut in eo contenti corporis & sanguinis domini veritas dubitantibus miro specimine edito sæpe comprobata refertur, [c] aut divini judicii vindicta indigne sumentibus manifesto & acri supplicio subinde inflicta recensetur, semper in altera panis potius specie omnia facta observemus. Deinde vero quod in una panis specie reservatam sacrosanctam eucharistiam, ut olim in arca fœderis solum manna sine aqua, perpetuo non modo legamus, sed ex ipsis [d] vasis, hoc est columbis, turribus, ciboriis, & aliis capsis in usum hunc antiquitus fabrefactis, velut oculis tangamus, ubicumque ejus observandæ aut ritus aliquis annotatur aliquando concessus. apud privatos pro quadam pia & ardenti illorum devotione secum illam transportandi, [e] vel in proprias domos pro familiari, præsertim persecutionis tempore, communione: vel ad longa [f] itinera & navigationes pro veris amuletis ex collo sæpe suspensis, sive mos vetustus celebratur ex Christi & apostolorum dispensatione semper custoditus apud communem ecclesiam, [g] tum pro decenti omnium & pio sic ibi vere præsentis Christi cultu & adoratione, tum pro sacramentali communione corporis Christi [h] tum extra ecclesiam peregrinorum & infirmorum, [i] quam intra ecclesiam laicorum omnium & non conficientium. Quibus mos antiquus, & celebris olim fuit ritus, [k] ut universi viri communicaturi, manus suas prius abluerent, & universæ conjuges mundum linteolum Christi corpus excepturæ haberent.

Norunt periti rerum ecclesiasticarum, quo in singulis istorum alludam, quosque fontes velut intentis digitis commonstrem. Unde sibi quisque haurire facile possit & non obscuram ex illis Dei voluntatem, & solemnem ex his ecclesiæ observantiam in communicandis non consecrantibus sub altera panis potius specie ut integro & perfecto sacramento. Ut ideo jure ac optime sacra Romana ecclesia ceterarum omnium caput & magistra semper servasse dicatur celebrem hanc communicandi populum consuetudinem tanquam legitimam, catholicam, & ex Christi apostolorumque traditione & praxi profectam. Nam tametsi aliquando vel ex recenti nec ita firma gentilium neophytorum religione, vel ex æmulatione quidem Dei, sed non satis secundum scientiam, vel ad deprehendendas & sedandas subortas interim hæreses fuisse ab aliquibus, & quidem forte cum prælatorum dispensatione interceptam legamus: sed tamen tunc etiam temporis animis usque retentam vel ex eo manifestissime constat, quod universus populus, nullo impulsore, cum primum potuit, ad pristinam velut veram, legitimam, & catholicam, sibique aptissimam, & religionis pietati maxime congruam lubentissime redierit. Ut simul intelligas, & quam inepte ac inique adversarii quærant, quo tempore, & qua authoritate fuerit introducta adultos populi sub una panis specie communicandi consuetudo: & quam bene ac pie œcumenicum Constantiense concilium (cui reliqua post omnia optime concinunt) illam tanquam catholicam laudaverit, & diutissime observatam pro lege habendam, quam non liceat reprobare, aut fine ecclesiæ authoritate pro libitu mutare, statuerit. Contra sentientes vero, & pertinaciter oppositum asserentes (ut nostri hactenus fecerunt adversarii) tanquam hæreticos graviter puniendos decreverit. Atque ita tandem satisfactum pro nostra virili parte sit proposito primo articulo.

Munic. asse ex usu Christi, & apostolorum.
Luc. 24. ex Chryso. Aug. Beda ex Hebræ. evang. Matth. Hie. Act. 2. 20. 27. Præstantia consuetud. Rom. eccles. Miracula in una panis specie.

a Ebeo. & Beda Matth. 24. Hie. in Eu. Greg. ho. 37. Bo. in vit. S. Ptl. Tol. le vit. Macar. &c.
b Greg. li. 1. & 3. dialog. Foa. in vit. Greg. lib. 2. Evagr. li. 4. c. 46. eccles. hist. Alexa. Hal. 4. par. Theo.
c Cyp. ser. de Lapsis exem. Ant. pb. in vit. Buf. in vita S. Sir. in vita S. Bernar. &c. Reservatio in una panis specie.
d Gre. Turo. de mi. gl. c. 85. Conf. Bur. 3. in decr. d. Bnard. &c.
e Tert. lib de pud. & de cor. mil. apol. cont. Jovin. & ep. ad Ruf. 11. conc. Tol. c. 14. &c.
f Ambro. in funer. Saty. g Brac. conc. 5. Dion. Alc. in Serap. &c.
g Conc. Arel.

ANNO CHRISTI 1562.

de conf. d. 2. c. qui. In act. cons. Const. 5. & 3. Brac. conc. c. 5. &c.
h Conc. Rom. de conf. d. 2. c. peruenit. Concilium Pvor. Later. sub Innoc. 3. Tol. 11. c. 11. Eusch. eccles. hist. l. 5. c. 22. ex Iren. Beda in vit. Pal. & Hild. Paul. in vit. Amb. &c.
i Conc. Const. 6. c. 52. Carth. c. 3. 2. Matis. c. 6. 1. Tol. c. 14. &c. Eccl. hist. Eus. l. 6. c. 34. Soz. lib. 8. c. 5. Theo. lib. 5. c. 18. Nic. lib. 17. c. 25.
k Tert. de or. Auguste. ser. 52. Hist. Trip. lib. 9. c. 20. &c.

DE RELIQUIS QUATUOR articulis.

ETSI quatuor reliqui articuli fortassis longiori discussione indigent: attamen quia per temporis angustias non licet diutius in eorum examinatione nobis immorari, accuratiore disputatione ad alios aut in aliud tempus dilata, nunc dicemus obiter & nos de singulis, ne ullus intactus videatur relictus, quatenus ex superioribus cujusque decisio haberi possit & definitio.

De II. Articulo.

RATIONES, quibus sancta Romana ecclesia adducta fuit, ut communicaret laicos atque etiam non celebrantes sacerdotes sub una tantum panis specie, cum nitantur & ratione mysterii & decentia dispensationis sacramenti eucharistiæ, ita retinendæ mihi videntur, ut nollem absolute & simpliciter populo calicis usum permitti,

ANNO CHRISTI 1562.

permitti, ut ex responsionibus ad 2. 3. & 4. objectiones constat.

De III. Articulo.

QUOD si honestis & caritatis Christianæ consentaneis rationibus concedendus alicui vel nationi vel regno calicis usus sacrosanctæ synodo videatur, id tum etiam Spiritui sancto visum iri certo credam: cum alioquin multa & magna incommoda perhorrescerem, & vererer inde consequutura, cujusmodi quamplurima in usu calicis contigisse nefanda ipsis Hussitis eorum historiæ luculentissimæ testantur. Quinimo timerem ne illi regno simile quippiam accideret ei, quod Hebræo populo non contento ipsius manna, hujus cœlestis panis figuræ omne delectamentum & omnis saporis, esus etiam & potus, pro ut quisque credebat, suavitatem in se habentis, obmurmuranti ac postulanti: præterea potum usuvenisse legimus concessa illis de petra aqua contradictionis. Itaque si illis calicis usus concederetur, non id simpliciter & absolute faciendum existimo, sed sub illis conditionibus, quæ in compactatis inter concilium Basilienſe & Boemos expressæ sunt. Hoc tamen magis explicito, quod crederent illi & profiterentur, id sibi sola potius materna sanctæ ecclesiæ Romanæ indulgentia concessum, non autem lege Christi divina mandatum, ut ex 1. 2. 3. 4. liquet locis.

De IV. Articulo.

CUM in sacramenti ratione panis ipse emineat, utpote in quo tanquam in cibo magis significetur ratio alimenti præsertim spiritalis & gratiæ, ac proinde calix ipse etiam si per se quidem non minus sacramentum sit quam panis consecratus: attamen in sacramenti & communionis usu cum ille pani, magis quam potus esui subordinari videatur propter eminentem illam alimenti spiritalis in pane significatam unitatem, effici inde quoque videbitur, ut calix etiam sacramentalis rationem in communione, quoad ejus usum obtineat, & eatenus unum subordinatione cum pane evadat: atque ideo non minus sumat, qui sub una tantum panis specie hoc sacramento utitur, quam qui sub utraque, quo ad rem ipsam sacramenti non modo contentam, sed etiam significatam ex opere operato, etiamsi ex opere operantis sacerdos dum in participatione sacrificii celebrans utramque sumit majorem gratiam in * posterioris, & calicis sumptionem acquirere possit quandoque: id tamen est per aliud a ratione sacramenti, ut ex 2. 3. 4. & 5. locis sit manifestum.

De V. Articulo.

QUANDO vero eucharistia, patribus dicitur cibus grandium, & eorum qui credere & cognoscere possint sub tanto mysterio se corpus Christi manducare, & ipsum adeo Christum sumere, unde mirifice vivant in æternum, si digna tanto beneficio adoratione, corde contrito & pœnitenti, ac decenter præparato, illud susceperint: Ideo tantum abest, ut necessarium sit divino jure parvulis infantibus tremendum hoc porrigi sacramentum, ut optime sancta ecclesia Romana majorem quam ad pœnitentiæ sacramentum expectet in recipientibus discretionem, qua non modo bonum a malo, sed etiam a prophanis & communibus epulis sacrum hunc & divinum cibum discernant, & decenter revereantur. Quibus interim sufficit, quod unusquisque fidelium corporis & sanguinis dominici tunc etiam particeps fiat, quando in baptismate membrum efficitur Christi. Ut ideo non sit hic attendendum, an aliter olim in aliquibus locis usurpatum sit paulo religiosiore observatione. Siquidem multa rudimentis nascentis ecclesiæ ex paternis & usitatis sive in Hebraismo, sive in Gentilismo ritibus permissa sunt, pro illius temporis ratione, quæ post in melius mutanda venerunt. Quæ tamen omnia ex superioribus sex locis 1. articulo fiunt dilucida, magis etiam ex ipsa disputatione. Quam totam & hæc ipsa, & omnia mea, ut me ipsum, judicio & correctioni sanctæ Romanæ ecclesiæ & hujus sacrosanctæ synodi submitto, & omnino subjicio prudens: nihil assertum volens, nisi quod, & quatenus illi asserendum videatur, simul & vobis patres sacratissimi, in quibus Spiritum sanctum veneror & observo. Qui cum Patre & Filio vivit & regnat Deus, per omnia sæculă sæculorum. Amen.

ANNO CHRISTI 1562 *De consſ. dist. 2. c. ita dominus.*

XCIV.

CONCIO DOCTORIS PETRI FONTIDONII, Hispani, Segobiensis, theologi illustrissimi ac reverendissimi Petri Gonçalez de Mendoza episcopi Salmantini, habita ad sacrosanctam synodum Tridentinam dominica sanctissimæ Trinitatis vigesima quarta Maii. MDLXII.

Absque synagogis facient vos. Jo. 16.

SI cum rudes, & populares homines, evangelicis præceptis instituendi, & amore virtutis inflammandi sunt, a magnis etiam, & excellenti ingenio atque doctrina viris in ipso statim concionis ingressu atque vestibulo divini numinis favor implorari consuevit: quanto majori ratione hodierno die, & mihi in hoc theatro sapientiæ, & apud ecclesiæ principes, & de re omnium gravissima & difficillima dicenti, omnia erunt invocanda cœlestia patrocinia, & divinus animorum medicus, atque magister Christus, precibus erit sollicitandus: ut illos in nobis spiritus ad dicendum accendat, quos huic tantæ provinciæ videt esse necessarios: quos ut facilius obtinere valeamus, illius matrem sanctissimam, virginem Mariam, solitis illis officiosissimis, jucundissimisque angelicæ salutationis verbis interpellemus, dicentes: Ave Maria.

CUM nihil sit præstantius amabiliusque veritate illustrissimi legati, reverendissimi patres, cujus amore incensi & inflammati mortales, nullis ut eam assequerentur laboribus parcendum, sed vota studiaque omnia illi consecranda, imo totas suas ætates plerique in ejus investigatione conterendas judicaverint: mirum profecto mihi sæpe videri solet, unde tam subito contra veritatem tantum odium exarserit, ut cujus tanto studio & cupiditate antequam esset inventa, homines tenebantur, eam in lucem jam editam, tam acerbo & intestino odio prosequerentur. Neque enim Christum servatorem nostrum, vitæque magistrum alio nomine perditi & profligati homines tam acriter infectati sunt, quam quod cum ipse veritas esset, se veritatem appellaverit, & veram recte sentiendi optimeque vivendi *Joan. 14.*

ANNO CHRISTI 1562.

vendi vitam innocentiſſima vita & cœleſti ſapientia mortalibus patefecerit: neque quidpiam aliud contra illius diſcipulos, acerrimos veritatis patronos, veterum tyrannorum carnificinas, quam odium veritatis armavit. Quod ſi veterem etiam rerum geſtarum memoriam jam inde ab initio ad hæc uſque noſtra infœliciſſima tempora repetamus, inveniemus plane & veritatem ipſam inviſam ſemper fuiſſe mortalibus, & eos qui illius cauſam patrociniumque ſuſceperunt, & publico odio conflagraſſe, & impios contra ſe ſceleratorum hominum animos, armaque moviſſe. Hinc prophetarum fuga, exilium, cruciatus, interituſque promanarunt. Hinc videas Michæam odio habitum, Hieremiam in carcerem teterrimum detruſum, Heliam ſanctiſſimum virum a perditiſſima fœmina indignis modis vexatum, Zachariam Jojadæ filium lapidibus obrutum, Iſajam ferra conſectum crudeliſſime trucidatum, cœleſtemque illum præconem Joannem Baptiſtam obtruncatum, ejuſque caput venerandum impudentiſſimæ ſaltatrici tanquam impudentiæ præmium atque mercedem exhibitum. Sed nihil mirandum eſt: pugnat enim veritas cum hominum ſceleribus, cum ambitione, ſuperbia, avaritia, cum omni genere improbitatis bellum gerit, tot habet hoſtes quot vitia: tum vero principem ipſum, mendaciique parentem dæmonem ſibi infenſiſſimum. Quo fit, ut non potuerit dignitatem ſuam citra pulverem & ſanguinem conſervare. Acerrimos igitur perpetuo & innumerabiles hoſtes, pauciſſimos vero patronos & defenſores adepta, ſic ſemper infeſtas & inimicas mortalium mentes experta eſt, ut mihi quidem totum pene orbem contra veritatem pugnaſſe, & odium ſimul cum illa natum & educatum ejus ſemper ſocium atque comitem extitiſſe videatur.

3. *Reg.* 22. *Hier.* 38. 3. *Reg.* 19. 1. *Paral.* 24.

Etenim antiquis temporibus ante adventum Chriſti fœliciſſimum, cum homines non expreſſam aliquam veritatis imaginem, ſed quaſdam illius umbras, veſtigiaque ſequerentur, non tamen defuerunt qui illas etiam umbras & odio haberent, & acerrime infectarentur. Nam ſi quitum magni & excellentes homines virtute atque ſapientia floruere, qui veritatis amore flagrantes, illius vindices & aſſertores eſſe voluerunt, ii plane ceteris inviſi, multis ſæpe incommodis, contumeliis affecti ſunt: ſed cum non ſatis eſſent ad illius defenſionem animati, qui honorem vitamque ſuam illius dignitati anteferendam ducerent, molles, & delicati patroni, ejus cauſam turpiter prodiderunt. Vexata ergo tunc, afflicta, & exagitata veritas, cum nullum locum in terris in quo reſpirare, nullum certum domicilium, nullam ſedem tectam ſatis atque munitam inveniret, in qua dignitatem ſuam illæſam, & inviolatam contra hominum inſidias conſervaret: quemadmodum incorruptiſſima illa virgo juſtitia, relictis tribunalibus judicum, in cœlum: ſic veritas deſtitutis gymnaſiis philoſophorum, cætuque hominum, in ſupernas ſedes, in gremium, ſinumque divinum, unde fuerat egreſſa, commigravit. Totus igitur terrarum orbis denſiſſima quadam & flagitiorum & ignorantiæ caligine circumſeptus, luce & ſplendore veritatis orbatus, in tenebris verſatur, quouſque confecto jam atque decurſo illo temporis ſpatio, quod divina bonitas aſſerendæ hominum libertati, implendiſque ſuis pollicitationibus, promiſſiſque præfixerat: filium unigenitum, hoc eſt ipſam veritatem humana carne indutam, mortalique conditione natam legavit ad terras: quæ hominum animos a tenebris errorum, ad veritatis lucem: a turpiſſimis moribus, ad honeſtam vitam: a miſerrima ſervitute, ad dulciſſimam libertatem: a cupiditate rerum abjectiſſimarum, ad cœleſtium ac divinarum contemplationem, amoremque traduceret: quæ deorum ſimulacra e fanis expelleret: quæ templum illi ſanctiſſimum conſecraret: quæ aram non jam hominum vel animantium, ſed ſuo ipſius ſanguine madentem erigeret: quæ iter mortalibus ad immortalitatem, veramque religionem veluti digito commonſtraret. Sed o cœcas atque perverſas hominum mentes, quæ non modo tantum, tamque præclarum Dei beneficium non agnoverunt, ſed ingratiſſime repudiarunt: & non repudiarunt modo, ſed inaudito quodam odio proſequutæ, acerbiſſimis opprobriis, & crudeliſſima morte ipſam veritatem affecerunt. Nam cum ob diuturnam errandi conſuetudinem, homines ſuis jam tenebris gauderent & delectarentur, non poterant tantum veritatis lumen ſuſtinere: & quemadmodum qui diu in tenebris jacuerunt, ab illis extracti, ſplendidiſſimam lucem Solis, ſine graviſſima offenſione ferre non poſſunt, ſed illius ſuaviſſimo, & candidiſſimo ſplendore vehementer offenduntur atque cruciantur: ſic illi veritatis lucem ſeſe ultro illorum animis inferentem, ſed tamen cum eorum erroribus, cupiditatibuſque pugnantem turpiter rejecerunt: multoque magis homines in eam ſævire cœperunt, cum eam magis amare, & venerari debuiſſent: nulloque tempore tantum odii & perſecutionum incendium contra veritatem eſt excitatum, quam eo quo illa magis cœpit de mortalibus bene mereri. Teſtes ſunt contumeliæ, maledicta, cruciatus, morſque acerbiſſima Chriſti. Teſtes ſunt carceres, catenæ, equulei, ignes, gladii, crateres, ſecures, laminæ ferreæ, reliquaque tormentorum genera, quæ tyrannorum crudelitas contra veritatis propugnntores excogitavit.

Cum ergo hæc omnia Chriſtus vitæ magiſter ſecum tacita mentis cogitatione perpenderet, cum videret calamitoſum illud, triſtiſſimumque ſuæ mortis tempus inſtare, cumque tota illa acerbiſſima malorum tragœdia, quæ cariſſimis ſuis apoſtolis imminebat, ante illius divinos oculos verſaretur, majorem animo dolorem de illorum calamitatibus, quam de ſua ipſius morte concipiens, illos hodierno ſermone conſolatur, impendentia mala prædicit, & ut præviſis malis minus offenderentur, & eorum acerbitatem illo vaticinio aliqua ex parte mitigaret: Attendite (inquit) diſcipuli mei cariſſimi, *abſque ſynagogis facient vos*, vos homines ſummo & infinito quodam odio proſequentur, vos templis exterminabunt, e conſuetudine hominum expellent, contumeliis afficient, omni crudelitatis genere vexabunt, immaniter interficient, & quod eſt acerbius, qui vitam vobis eripuerint, gratiſſimas ſe Deo hoſtias immolaſſe arbitrabuntur. Sed obſecro vos ſubeat tunc mei memoria atque recordatio, quem vobis priorem mundus odio & acerbiſſimis eſt contumeliis proſecutus. Quod ſi me magiſtrum, ſi ſervatorem, ſi ipſam denique veritatem tam inimice ſunt inſectati, quid mirum ſi vos, & diſcipulos meos, & veritatis etiam defenſores exagitent? Sed quoniam videbat illos nunc infantium more non poſſe omnia arcana divina complecti (nam illis paulo poſt dixit) *Multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo*: quia noverat eos non poſſe tanto animi robore

Joan. 16.

Joan. 15.

Joan. 16.

Gala. 4.

ANNO CHRISTI 1562.

bore malorum impetus ſuſtinere: Nam Petri niAmiam illam confidentiam illis antea verbis repreſſerat, non potes me ſequi modo, & aſcenJoan. 13. Luc. 24. ſurus in cœlum diſcipulos ſuos Hieroſolymis ſedere juſſit, donec cœleſti induerentur virtute, quia illorum infantiam & imbecillitatem cognitam & exploratam habebat: ut eos quos ſuæ divinitatis & gloriæ præcones eſſe volebat, contra tot procellas & tempeſtates, fortiſſimo aliquo patientiæ præſidio, cœleſti patrocinio, & ſpe fœlicitatis armaret: nunc illis ſpiritum ſanctum pollicetur, cujus præſentia non modo reformidabunt pericula, neque truces tyrannorum vultus exhorreſcent, ſed alacri & læto animo ſe in ipſas crudeliſſimæ mortis fauces, pro Chriſti gloria, & veritatis defenſione conjicient, B a quo non modo illorum mentes aptæ atque capaces ad excipienda divina illa myſteria redAct. 2. derentur, ſed linguas etiam igneas acciperent, quibus divina conſilia mortalibus explicarent, frigida hominum pectora, amore rerum cœleſtium atque divinarum incenderent, omnes gentes atque nationes ſub evangelii jugum mitterent, & in ultimos orbis angulos atque receſſus crucis vexillum, & lumen veritatis inferrent.

Quæ quidem omnia ſic eveniſſe ſicut ille prædixerat, ipſe rerum exitus declaravit: Nam cum Eph. 4. de morte parta victoria captivam duxiſſet captivitatem, & glorioſiſſimum triumphum in cœleſte capitolium (mirantibus angelis) intuliſſet, C miſſo Spiritu ſancto, ſuorum diſcipulorum animoJoan. 18. Matth. 26. mos ſic confirmavit, ut ille qui paulo ante ad unius ancillæ vocem contremiſcebat, jam audeat in principum conſpectu loqui confidenter, illis exprobrare perfidiam, illorum imperia juſſaque Act. 5. contemnere, dicens: *Obedire oportet Deo magis* Act. 4. *quam hominibus*, &, *non poſſumus quæ vidimus & audivimus non loqui*: & reliquis etiam apoſtolis, quibus antea vel ipſe magiſtratuum conſpectus erat formidabilis, nunc tormenta gratiſſima, accuſatio jucunda, dolor voluptas, pœna fœlicitas, dulcis infamia videbatur, uſque adeo ut ſummæ fœlicitatis loco ducerent, ſe dignos exiſtimari, qui pro Chriſto contumeliis afficerentur. O divina virtus, & inaudita D apoſtolorum conſtantia! O paterna clementia, & incredibilis miſericordia ſummi Dei, qui cum paulo ante filium cariſſimum infinitis opprobriis affectum, vulneribus transfixum, ſanguine perfuſum, tot plagis cæſum, ut toto corpore humanæ crudelitatis veſtigia conſpicerentur, eterris ad ſe redeuntem ſuis manibus excepiſſet: nunc mortalibus tanquam bene de ſe meritis miſerit Spiritum ſanctum, ut hoſtium etiam ſuorum, quorum filius fuerat ſervator, doctor Act. 5. ille nunc atque conſolator extitiſſet. Edocti ergo fuerunt apoſtoli atque confirmati divinitus: hæc duo illis officia præſtitit ſpiritus ille cœleſtis. Nam & illis aperuit divina conſilia, & eorum animos ita forte reddidit atque con- E ſtantes, ut nullis periculis aut calamitatibus frangerentur: de quibus duabus rebus nobis hodie dicendum eſt. Nam primo de illo abditiſſimo ſacræ triadis myſterio pauca dicemus, quod quia magnopere Spiritus ſancti præſidio & lumine indigebat, ſtatim poſt illius adventum eccleſia celebrandum curavit, deinde vero illud Chriſti vaticinium interpretabimur: abſque Synagogis facient vos. Quod quantam vim paſſura eſſet veritas evangelica, ſignificavit. Quapropter vos obſecro atque obteſtor, ſanctiſſimi patres, ut qua ſoliti eſtis ceteros attentione, & A benevolentia, nunc etiam me dicentem excipiatis.

ANNO CHRISTI 1562.

Inter reliqua abſtruſiora myſteria, quæ Chriſtus optimus maximus Spiritui ſancto explicanda ſuis apoſtolis reſervavit, illud eſt longe ceteris excellentius atque divinius, & quod humanæ, angelicæque mentis ſuperet cogitationem, quod hodierno die tanta frequentia, lætitia, & exultatione Chriſtiani celebramus: ſacræ, inquam, triadis arcanum, de quo quis erit tam audax & emotæ mentis, qui in hoc orbis gentium clariſſimo ſanctiſſimoque domicilio, in conſpectu, inquam, veſtro dicere audeat? Nam cum tria ſint quæ de re quavis quæri ſoleant, an ſit, quid ſit, & qualis res ſit: ſi reperti ſunt qui Deum eſſe negavetint, & *cum cœli enarrent gloriam Dei*, cum Pſal. 16. clamet hæc pulcherrima mundi machina, tanta rerum varietate & ſplendore nitens: cum clamet hæc ſplendidiſſima cœli facies, tot ardentibus ſyderibus, tanquam quibuſdam facibus luminibuſque diſtincta: cum clamet aer tot avium, vaſtiſsimum mare tot piſcium generibus refertum, terra tot animantium frequentia, fontibus, fluminibus, & arboribus exornata: cum omnia denique quæ hic mundi ambitus complectitur, apertiſſima voce teſtentur, eſſe aliquam vim cœleſtem, quæ rebus proſpiciat humanis, tantumque & tam præclarum opificium rectore aliquo & gubernatore carere non poſſe, non tamen defuere ſurdi, cæci, & improbiſſimi philoſophi, qui neque has voces exauditent, neque hanc tantam lucem viderent, neque moderatorem eſſe aliquem confiterentur, qui totius orbis clavum, imperiumque teneret. Si præterea noſſe quid ſit Deus, ſic eſt operoſum & arduum, ut Plato Deum invenire difficile, noſſe vero impoſſibile judicaverit: & Simonides rogatus a Dionyſio quid Deus eſſet, tres dies ad eam quæſtionem explicandam poſtulavit, deinde alios tres, rurſum & alios, & quo magis in hujus rei conſideratione demerſus divinam naturam humanis viribus inveſtigabat, eo ſe minus intelligere confitebatur. Si non modo philoſophi, ſed ſanctiſſimi & ſapientiſſimi theologi facilius & expeditius eſſe dixerunt, quid non ſit, quam quid ſit Deus explicare: quis poterit, quis, qualiſque ſit Deus non dicam exprimere dicendo, ſed mente ſaltem & cogitatione complecti: Si angeli ſtupefacti & attoniti cum Chriſtum aſcendentem in cœlum conſpicerent, percuſſi quadam admiratione clamabant: *Quis eſt iſte qui venit de Edom tinctis veſtiIſa. 63. bus?* Quis eſt iſte rex gloriæ? & illis verbis hujuſce rei ignorationem apertiſſime confitebantur. Si Iſajas, cum atrociſſimam illius mortem vivis coloribus depinxiſſet, exclamat, *generatioIſa. 53. nem ejus quis enarrabit?* Si Paulus gentium doctor ſublatus in cœlum, & in illa conſilia divinitatis admiſſus, cum illa ſecum perpenderet, in has voces prorumpebat: *O altitudo divitiarum* Rom. 11. *ſapientiæ, & ſcientiæ Dei*! quis audebit in illam puriſſimam ſimpliciſſimamque ſacræ triadis naturam ſine temeritatis & impudentiæ nota curioſos oculos inferre? Quis erit tam temerarius, qui Pſal. 75. quod angeli, apoſtoli, prophetæ, quod ipſi ci- Rom. 1. ves & incolæ cœleſtes ignorant, ſe ſcire exiſtimet, & explicare poſſe arbitretur? Exhorreſcit animus, & ad tantæ rei miraculum attonitus ſtupeſcit, & linguæ atque mentis officium rei magnitudine longe ſuperatur. Nam licet notus fuerit in Judæa Deus, tamen ut creator, conditor, auctorque rerum omnium (licet gentibus etiam per ea

ANNO CHRISTI 1562.

quæ facta sunt, cognosceretur) tamen ut rector moderatorque mundi hujus: sed trinum & unum esse Deum, nullus unquam mortalium conjicere aut divinare potuit. Nam neque argumentum, neque exemplum aliquod natura suppeditabat, quod lucem aliquam tantis tenebris posset inferre.

Divinum hoc fuit Christi servatoris nostri & Spiritus sancti beneficium, qui cœlesti fidei lumine sic Christianorum animos illustrarunt, & in ea persuasione confirmarunt, ut etiam si angeli e cœlo dilapsi aliud persuadere conarentur, fremant licet dæmones, & discrucientur, licet extrema tyranni comminentur, nulla vis tanta excogitari poterit, quæ ab ea possit sententia Christianum populum dimovere. Sunt plane in hac rerum universitate vestigia, sunt notæ quædam & umbræ hujusce rei, fateor: est animus hominis ad imaginem conditus similitudinemque divinam, qui mente, voluntate, atque memoria, sacræ triadis naturam adumbret: est in unaquaque re veritas, bonitas, & essentia: est sol hic splendidissimus, qui natura, lumine, & calore, aliquam (licet obscurissimam) hujus rei significationem exhibere videatur: est nescio quæ divinitas, quam Pythagorica philosophia in ternario numero latere arbitrabatur: & nescio quid quod veteres philosophi hac de re suspicabantur: sunt præterea quamplurima veteris instrumenti testimonia: est nonnulla populo Israelitico sacræ triadis exhibita significatio, fateor: sed quis obsecro mortalium iis vestigiis ad cognoscendam Trinitatem unquam progressus est? Quis hæc animadvertit quousque orbis & servator, & doctor, re explicata, præbuit ansam, ut ejus rei, cujus cognitionem homines divino beneficio fuerant adepti, exemplum postea aliquod in hac rerum universitate conquirerent? ille veteres excussit umbras, & illa cubilia, in quibus delitescere aliqua hujusce rei significatio videbatur, indicavit: ille remoto velamine in sancta sanctorum humanæ mentis aciem penetrare fecit: ille tribuit eam nobis facultatem, ut quod ipse docuit jam audeamus explicare: ille effecit, ut non modo Deum, & unicum Deum, sed tres simul in unitate naturæ personas agnosceremus. Patrem qui fons est, origo, atque principium totius divinitatis, cui tribuitur æternitas sine principio, bonitas immensa, quæ neque in conferendis beneficiis defatigari, neque ingratitudine aut sceleribus hominum exhauriri: potentia, quæ nulla senectute frangi, debilitarique possit. Filium vero (hoc est) divinum verbum in ipsis paternæ mentis visceribus conceptum ex immensa rerum cognitione genitum, qui splendor sit, species, figura, & expressissima imago paternæ illius divinæque naturæ, rivus ex uberrimo fonte, radius ex sole splendidissimo porrectus, cui sapientia ipsa dicata atque consecrata est, in quo lucent & splendent rerum omnium imagines, cujus præsidio omnia pater confecit: qui Deus cum esset misericordia motus, non modo ad vilem abjectamque hominis conditionem se demisit, sed & postremas contumelias, mortemque descendit, ut morte sua vitam hominibus, libertatemque restitueret: & ut illis esset via quæ errare: veritas quæ decipi: vita quæ mortales interire nulla ratione pateretur. Spiritum vero sanctum ex illis amoris flammis, quibus se pater filiusque complectuntur, procedentem, qui bonitatis fons, charitas ipsa, & pignus esset cœlestis hæreditatis: a quo pax, gaudium, solatium: a quo justitia, integritas, innocentia: a quo sapientia, bonitas, constantia: a quo libertas, sanctitas, perfectio, omnia denique cœlestia munera, beneficiaque promanarunt: a quo illustrati prophetæ, pastores eruditi, apostoli confirmati & inflammati sunt; ita tamen ut cum audiamus tres illas divinas personas nominari, non intelligamus unitatem illam simplicissimam naturæ divinæ trium personarum numero aliqua ratione violari, quo minus, licet tres sint personæ distinctæ, unaque alia non sit, omnes tamen unus sint simplicissimusque Deus. Et quamquam Patri potentia, Filio sapientia, Spiritui sancto bonitas tribuatur, non sic accipiendum, ut quod uni conceditur, ceteris auferatur: cum omnes eadem unaque bonitas, æternitas, sapientia, divinitas, potentia, majestas, gloria, beatitudoque complectatur. Itaque ab hac divina admirabilique natura cum de ea loquimur, diversitatis verba longe removenda sunt, ne injuria aliqua simplicissimam unitatem afficiamus: tum vero divisionis ne simplicitati, disparitatis ne æqualitati, separationis ne tantæ necessitudini, dissimilitudinis ne etiam unitati, singularitatis ne triadi, perturbationis ne ordini, solitudinis ne sacrosancto illi trium personarum consortio vim aliquam aut injuriam imprudenter inferamus: sed simplicissimam illam purissimamque sacræ triadis unitatem, quam docuit Christus, suasit Spiritus sanctus, celebrarunt apostoli, confirmarunt concilia, ecclesia edocta divinitus explicavit, & hodie proponit adorandam, supplicibus nunc animis veneremur.

Sed quod me rapuit insania? quo me per immensum hoc pelagus temerarius ardor, furorque provexit? quod ingredi angeli reformidant, & in quo tot Arii, Macedonii, Sabellii, Eunomii, Marcelli miserum fecere naufragium? Complicemus igitur vela, & placidum aliquem securumque portum occupemus, ne fragilis, leviscue nostra cymba longius provecta inter confragosas cautes iis tantis difficultatum fluctibus obruatur; & hanc tantam Dei majestatem, quam assequi cogitatione non possumus, proni atque supplices silentio & admiratione revereamur, gratulemurque sanctissimæ triadi, quod cum hoc misero & calamitoso seculo, omnia ferme Christiana dogmata ab hostibus convulsa & labefactata sint, illa ex hoc tanto incendio salva & incolumis evolaverit: piissimæque matris ecclesiæ exemplum vestigiaque sequamur, quæ cum dignam hoc tanto mysterio orationem invenire non posset, quod non assequitur exclamationibus colit, & in illas voces plenas admirationis laudisque prorumpit. O adoranda trinitas, o veneranda unitas, o perfecta deitas: tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio in sempiterna secula.

Sed venio jam, graviſſimi patres, ad alteram orationis noſtræ partem, & huic loco, & his temporibus magnopere accommodatam, ad Chriſti ſervatoris noſtri vaticinium, ad eas, inquam ærumnas & calamitates explicandas, quas Veritas evangelica paſſa eſt: in qua cum tot eccleſiæ acerbiſſima vulnera a ſe noſtris oculis objiciant, vix ſe poteſt meus animus ingenti dolore & commiſeratione preſſus continere, quin mortiferas & inſanabiles ejus plagas juſtiſſimis lacrymis & lamentatione proſequatur. Quis eſt enim tam ferreus, qui in tanta malorum acerbitate lacrymas poſſit continere? Qua in parte mihi viſa eſt eccleſia ſponſi dulciſſimi Chriſti injurias atque cruciatus

ANNO CHRISTI 1562. 1. Pet. 1.

Galat. 1.

Heb. 6.

Heb. 1.

Joan. 14.

ANNO CHRISTI 1562.

tus imitari. Nam ſicut ille verberibus cæſus, ſic eſt dehoneſtatus, ut (quemadmodum vates & Iſajas multo ante cecinerat) non modo in eo decor aliquis aut pulchritudo, ſed neque hominis forma aut ſpecies appareret: ſic etiam eccleſiæ pulcherrimam faciem, turpiſſimis erroribus dehoneſtatam, deformatam videamus, & ſicut ille tot plagis & vulneribus affectus eſt, ut nullus in eo locus ſanus conſpiceretur, qui novo vulneri excipiendo patere poſſit: ſic nullum eſt eccleſiæ membrum, quod aliquod hoſtium telum non exceperit: & quemadmodum ille ab ipſa infantia pericula diſcriminaque mortis ſubire, & immenſos labores perferre conſuevit: ſic illa impias & ſanguinarias carnificum manus, & hoſtilem hæreticorum audaciam inter ipſa crepundia experta eſt. Nam cum tria ſint hoſtium genera, infeſta evangelicæ veritati, primum tyrannorum, qui crudelitate & gladiis armati inauditis tormentorum generibus homines ab illa revocare, & Chriſti ſanctiſſimum nomen delere conarentur: alterum eorum, qui Chriſtianæ doctrinæ puritatem, ſicut improbiſſimi illi ſenes Suſannæ pudicitiam, vitiare atque corrumpere ſtuderent: tertium eorum, qui auctore Paulo, veritatem Dei in injuſtitia detinent, hoc eſt, illorum qui pravis moribus, & perdita vita, vim etiam inferunt veritati, ut illam elucere minime patiantur: ii omnes hoſtes ſtatim in ipſis exordiis naſcenti religioni bellum acerrimum indixerunt, nec paſſi eam adoleſcere ut viribus confirmata ſe colligeret, & cum illis æquo Marte congredi poſſet: infanti adhuc eccleſiæ, & in ipſis incunabulis vagienti jam ipſi inſidiabantur.

Cap. 35.

Dan. 13.

Rom. 1.

Tyrannorum ſane cæca rabies & inſania, auctoritate & potentia munita, in Chriſtianorum innocentiam, omni nudam atque deſtitutam præſidio, impune, crudeliterque ſæviebat: & eo atrocius, atque crudelius, quod ea ratione Dei ſe partes agere, & ſe illi gratiſſimum obſequium exhibere arbitraretur. Rapiebantur itaque tunc qui Chriſto nomen dediſſent ad tribunalia judicum, & abſtracti ex ipſa Chriſti ſchola & eccleſiæ complexu, tractique ad carnificinas, opprobriis & contumeliis affecti, vexati, torti, indicta cauſa condemnati ad ſupplicia crudeliſſima deducebantur. Sed! o res ſtupore & admiratione digniſſima, vexata tunc & dilacerata eccleſia inter ipſas tamen carnificum cruentas manus majora in dies ſuſcipiebat incrementa: & illorum qui pro Chriſto mortem oppetebant, effuſo ſanguine, veluti ſparſo ſemine, novi Chriſtiani naſcebantur. Ut mihi quidem ſapienter Tertullianus martyrum ſanguinem Chriſtianorum ſemen appellaſſe videatur: & Auguſtinus, qui multo dixit eſſe pulchriorem evangelicam veritatem Græcorum Helena, pro qua multo fortius martyres contra Sodomam, quam pro illo Græci contra Trojam dimicaverunt. Sed quamquam hoc hoſtium genus atrociſſimum fuerit, quod eccleſiæ ſanguinem ſemper exſorbere cuperet, & illo ſuas paſſim ſecures cruentare, tantum abfuit ut id quod optabat aſſequeretur, ut morte ipſa, qua exiſtimabat ſe poſſe naſcentem religionem extinguere, foverit & locupletaverit: & dum creſcenti Chriſti gloriæ invidet, illam multo reddiderit illuſtriorem.

Joan. 1.

Sed illud eſt longe atrocius atque crudelius eorum hominum qui in eccleſia nati, ex illius viſceribus progreſſi, in ejus gremio atque ſinu educati, in illius ſchola eruditi, ejus ſanctiſſimis præceptis inſtituti, & ſacramento auctorati ab illa turpiter defecerunt: & in ſanctiſſimam, piiſſimamque matrem contumelioſi, inſanis erroribus illius tranquillitatem pacemque turbarunt: & cariſſimos ejus liberos illa miſerabiliter flente & collacrymante ex ejus ſæpe complexibus abſtulerunt, ut quæ modo in ipſas tyrannorum armatas manus nuda, inermiſque conjecta, non modo partam dignitatem conſervabat, ſed augebat: nunc proh dolor, non liceat illi per filios collectam tantis ſudoribus & ſanguine gloriam retinere. Quod quid acerbius & calamitoſius excogitari poteſt? Conferte, graviſſimi patres, tyrannorum potentiam cum hæreticorum audacia, & invenietis tanto majora damna & acerbiores injurias ab hæreticis quam a tyrannis eccleſiam accepiſſe, quanto eſt atrocius inteſtinum domeſticumque bellum, quam externum: tantoque nunc illam eſſe mœſtiorem, quanto eſt funeſtius & calamitoſius, matrem a filiis quam ab hoſtibus dilacerari.

Multi antiquis temporibus eccleſiæ hoſtes extiterunt, non eſt neceſſe commemorare: vos ipſi, graviſſimi patres, recordamini, qui illam variis & miſerabilibus modis afflixerunt: ſed nunc quis mœſtiſſimam ejus faciem ſiccis oculis poſſit intueri? Habuit quondam tyrannos qui illam delere, hæreticos qui diſcerpere, & diſtrahere conarentur: ſed nunc non ſimplices tyrannos, non nudos & inermes hæreticos, ſed cum hæreſi conjunctam tyrannidem, armatam contra ſe jam hæreſim intuetur. Vidit quondam Julianum aliquem, vidit Hunericum ſævum Vandalorum Africæ regem, Arianis faventem, illiſque bona atque templa reſtituentem: ſed nunc vix poteſt conjuratos contra ſe principes numerare. Vidit aliquando unam aut alteram provinciam hæreſibus infectam & contaminatam: nunc vero ab ultima Scythia, ad extremas uſque Europæ partes, totum pene Chriſtianum orbem veluti fretum aliquod aut Euripum erroribus æſtuare: & non modo inquinatas provincias, regna, atque nationes, ſed perditas jam & profligatas: non ſolum apertos hoſtes, ſed occultos etiam inter ipſa filiorum latera cum maximo eorum periculo verſari. Vidit quondam Encratitas, Catharos, Euchitas, acerrimos ſane hoſtes, ſed qui prætextu virtutis (unde nomen ſortiti ſunt) ſe in Chriſtianorum animos inſinuarent: nunc vero nullo religionis prætextu, ſed ſpecie quadam improbiſſimæ libertatis, cujus amore perniciоſiſſimæ foventur opiniones, in eccleſiæ perniciem irruere. Vidit unum aut alterum dogma Chriſtianum labefactari, nunc inregram religionem everti. Senſit membrum aliquod eccleſiæ vulnerari, nunc vero totum illius corpus ſaucium atque cruentum intuetur. Vidit oppugnari aliquando fidem a perfidia, lucem a tenebris, veritatem a mendacio, Chriſtum ab antichriſto: nunc vero ſacrilegium cum hæreſi conjunctum & copulatum conſpicit. Videt enim ſpoliari templa, aras everti, omnibus ornamentis fana nudari, contemni leges, ſubſannari pontifices, irrideri ſanctos, patriam avitamque fidem deſeri, & quod eſt miſerabilius, hoſtium gladios atque ſecures ipſis jam eccleſiæ cervicibus imminere, trucidari catholicos, & ipſas Chriſti ſanctiſſimas aras illorum ſanguine madere. O rem acerbam & calamitoſam: obſecro vos, obteſtorque, ſanctiſſimi patres, ne moleſte feratis hoc in loco has ærumnas eccleſiæ & miſerrima naufragia ſæpe referri, & aures animoſque veſtros illorum commemoratione vulnerari. Liceat obſecro mœſtiſſimæ matri apud cariſſimos filios lugere, ac lamentari ſuam infelicita-

ANNO CHRISTI 1562.

ANNO CHRISTI 1562

tem, liceat vulneratæ atque fauciæ acceptas plagas & graviſſima vulnera medicis detegere, liceat afflictæ ſponſæ ad ſponſi dulciſſimi pedes provolutæ conqueri de injuriis, infortuniiſque ſuis: liceat illi hac ſaltem frui conſolatione, quando alia non poteſt: ut vos qui illius filii, qui ſponſi, qui paſtores, & medici eſtis, miſericordia commoti, erigere jacentem, alligare illius vulnera, & conſolari lamentantem majori animi ardore & contentione ſtudeatis.

Utinam mihi cœleſtis ſpiritus illam vim dicendi tribuiſſet, ut hanc tantam cladem & ſtragem eccleſiæ veſtris nunc oculis ſubjicere potuiſſem, non dubito quin non modo vos qui illius vicem ſortemque doletis, ſed ſaxa ipſa atque lapides flere & lamentari coegiſſem. Non enim jam hæretici, ſed monſtra: non hæreſes, ſed furiæ in Chriſtiana republica verſantur. Nam ſcripturam divinam corrumpere & depravare, majorum inſtituta contemnere, doctorum auctoritatem negligere, conciliorum decreta deſpicere, publicæ paci & tranquillitati invidere, hæreticis omnibus commune ſemper fuit & uſitatum: ſed bellum acerrimum & calamitoſum, aris, templis, altaribus, imaginibus, legibus, ſacrificiis inferre, ſacramenta delere, & illa unica hoſtia corporis & ſanguinis Chriſti, Chriſtianas aras ſpoliare, jus omne cæremoniarum auferre, in omnes ſacerdotum ordines impudenter invehi, mentes, ſenſus, ſermones, libros, ira, odio, & ſtomacho ardere, non modo infeſtiſſimis animis, ſed hoſtilibus armis velle religionem funditus evellere, atque delere: hoc ſane hujus ætatis infeliciſſimæ proprium eſt, ut niſi firmum ſtaret Chriſti ſervatoris noſtri promiſſum, inferorum portas fruſtra contra eccleſiam eſſe conaturas, nunc mihi de illius interitu reformidandum eſſe videretur.

Matt. 16.

Quid ego, graviſsimi patres, in veſtrum ſanctiſsimum ordinem jactatas referam contumelias? memoriæ proditum eſt, Arianos conatos fuiſſe eccleſiæ paſtores, qui illorum furori acriter reſiſtebant, de medio tollere: itaque Antiochiam Euſtathio, Adrianopolim Eutropio, Conſtantinopolim Paulo, Alexandriam Athanaſio, Italiam Dionyſio, Galliam Paulino nefarie privaverunt. Ut ſublatis gubernatoribus (ſicut dixit Cyprianus) ipſi liberius circa eccleſiæ naufragia graſſarentur. Nunc vero noſtri ſæculi homines non contenti Angliam univerſam, magnamque Germaniæ partem orbatam paſtoribus reliquiſſe, & ceteris jam etiam provinciis inſidiari, clavum totius eccleſiæ a Chriſto ſervatore noſtro Romano pontifici traditum (o ſingularem audaciam) ex illius ſanctiſsimis manibus extorquere nituntur: quinetiam & Carolo invictiſsimo imperatori, & Chriſtianæ religionis aſſertori imperium aliquando auferre conabantur: ut iis duobus luminibus extinctis, Cimmerias ipſi tenebras in Chriſtianam rempublicam inferrent. Quid ego tempeſtates ab illis excitatas commemorem? Quid eccleſiæ bona direpta? Quid ſervos contra dominos armatos, & trecenta hominum millia trucidata? Quid trecenta in Franconia ſpoliata monaſteria & illa quæ nunc ceteris in provinciis paſſim diripiuntur? Quid combuſtas publice ſanctiſſimas eccleſiæ leges? Quid Solymanum, infeſtiſſimum Chriſtianæ religionis hoſtem ab illis ſollicitatum, ut Chriſti ſponſam ſæviſſimis Turcarum armis dilacerandam objicerent? Sed hæc vetera. Quid illas pugnas, perturbationes, incendia, cædes, quæ quotidie ad aures veſtras tanto cum omnium dolore auferuntur? hoccine eſt eſſe Chriſtianos? hoccine eſt eſſe evangelicos? hoccine eſt eſſe Chriſti diſcipulos & imitatores? O tempora miſera & infeliciſſima, qui queſtus, qui mœror, quæ lacrymæ, quæ oratio digna his tantis malis inveniri poteſt?

ANNO CHRISTI 1562.

Quid primum conquerar, patres? nunquid illorum interitum qui ab eccleſia defecerunt deplorabimus? O Galatæ, quis vos faſcinavit non obedire veritati? O clariſſima Germania, cui eccleſia Romana ſimul cum religione ſanctiſſimum quoque tradiderat imperium, ut cujus fidem conſtanter retinebas, illius etiam dignitatem contra hoſtium injurias victricibus armis conſervares, Quo animo & quo vultu illamet arma ſacroſancta, quæ ad ejus ſalutem tuendam tuæ fidei commiſſa ſunt, in materna viſcera convertere potuiſti? Quis religioſiſſimam gentem ſubvertere, ſapientiſſimam decipere, fortiſſimam & conſtantiſſimam ab inveterata religione potuit deturbare? Tuque etiam Chriſtianiſſima quondam Gallia, quæ ob eximiam pietatem & religionem hæreditarium hoc nomen a majoribus acceptum, illæſum atque inviolatum tot ſæculis conſervaſti, quæ tot habebas domeſtica exempla regum ſanctiſſimorum, quæ tantam gloriam eras adepta, ut nullum eſſet regnum, nulla ratio, nulla provincia, in qua non Gallorum veſtigia religionis gratia impreſſa conſpicerentur: nullaque tam ſemota regio, in quam tuæ pietatis fama non penetraverit: Quis te faſcinavit non obedire veritati? Quis e tanta gloria dejecit? Quis tibi hanc tantam invidit felicitatem; Teque etiam Anglia, voſque reliquas nationes, cereroſque mortales appello, qui matrem ſanctiſſimam eccleſiam deſeruiſtis. Quis vos ab eccleſia Romana, quæ eſt ſponſa Chriſti, quæ eſt arca Noe, extra quam non eſt ſalus, quæ eſt columna & firmamentum veritatis, quæ eſt ſancta illa civitas Hieruſalem, ſegregavit? & paucorum hominum temeritati & audaciæ parere fecit? Quis vos faſcinavit non obedire veritati?

Reſpicite, fratres, aliquando, & hos Sirenum cantus, qui vobis falſa quadam libertatis ſpecie blandiuntur, ſed lethalem ſomnum comminantur, fugite, & piiſſimæ matris eccleſiæ vocem agnoſcite, afflictæ atque calamitoſæ, & interitus veſtri dolore confectæ miſeremini. Quæ nunc vos magnis ad ſe vocat clamoribus, quæ ſinu redeuntes excipiet, quæ conſertis brachiis vos ſumma benevolentia complectetur, quæ ſuarum calamitatum amplius non recordabitur, quæ lata lege oblivionis acceptas injurias ſempiterno conteget ſilentio: Quam quidem mœſtam, ſordidatam lugubri habitu, obortis lacrymis ad genua veſtra provolutam ſic vobiſcum agere exiſtimate. Quis vos, filii mei cariſſimi, a meis complexibus abſtraxit? quis præcepta mea tam longa ſæculorum ſerie, tot ſacrorum conciliorum & doctorum auctoritate firmata docuit negligere? cur illam viam quam apoſtoli, martyres, paſtores, tot doctiſſimi, & ſapientiſſimi homines ingreſſi ſunt, quam & Chriſti & martyrum ſanguine tinctam videtis, deſeruiſtis. Stupeſcat cœlum, me fontem aquæ vivæ dereliquiſtis, ut pertuſas & diſſipatas ciſternas ſequeremini? Cur meo ſacramento auctorati milites, parentis ſigna deſeruiſtis? Cur meum ſuaviſſimum jugum e veſtris cervicibus expuliſtis? Quod ego tantum contra vos concepi ſcelus, ut quos genui in Chriſto, quibus vitam dedi, quos lactavi, quos indulgentia materna fovi, quos in ſpem cœleſtis hæreditatis erexi, pro quibus nunc & preces & lacrymas fundo, vos diſcipuli in magiſtram ingrati, filii in matrem

ANNO CHRISTI 1562.

trem crudeles, amici in ſponſam ſitis contumelioſi? O & me miſeram, & vos infeliciſſimos.

Sed emergat jam ex iis vadis oratio, & iſtos doloris atque lacrymarum ſcopulos prætervecta ſe tandem ad inveſtigandum aliquod tantis malis remedium, conſolandamque mœſtiſſimam matrem convertat: qua in parte quem primum invocabimus patres? Cujus auxilium implorabimus? Nunquid Dei? at vereor, ne peccatis & ſceleribus noſtris offenſus avertat oculos, aures occludat, & illud nobis ſupplicantibus, quod olim populo Iſraelitico, reſpondeat: Neomenias & ſabbata veſtra odivit anima mea. Neque enim ullam aliam tantorum malorum cauſam extitiſſe arbitror, quam populi Chriſtiani flagitia. *Propter peccata tua* (inquit Deus per Hieremiam, alloquens veterem eccleſiam) *relinqueris ſola ab hæreditate tua quam dedi tibi, & ſervire te faciam inimicis tuis.* Ego ſane, graviſſimi patres, cum miſeram horum temporum conditionem, & calamitoſum rerum ſtatum conſidero, videor videre incenſum ira atque indignatione dominum, evaginato gladio ſponſam ob filiorum ſcelera vulnerare, & illi ſervitutem atque ſolitudinem comminari. In tantis vero malis unicum video eſſe remedium præſidiumque lacrymarum: ut ploremus coram domino, ut tantum iſtud incendium in eccleſiæ fortunis excitatum expreſſis dolore peccatorum lacrymis reſtinguatur: ut ſacram quam hodie colimus triadem invocemus, ut conniventem in noſtris calamitatibus dominum, & veluti noſtris malis indormientem illis regii vatis vocibus excitemus: *Exurge domine, quare obdormis? exurge & ne repellas in finem: quare oblivisceris inopiæ noſtræ, & tribulationis noſtræ?*

Jerem. 17.

Pſal. 43.

O pater cœleſtis, nunquid eccleſiam quam tibi atrociſſima filii morte conſecraſti, incendi nunc ab hoſtibus, diripi atque vaſtari patieris? cupis ne fortaſſis in alias illa puriores ſedes transferre? & ſicuti quondam Hieroſolymæ, Aſiæ, Græciæque templa, nunc etiam reliquæ Europæ ſanctiſſima domicilia tuorum martyrum ſanguine conſecrata ab hoſtibus occupari ſines? Si nihil noſtris precibus, ſi nihil eccleſiæ lacrymis, ſi nihil eorum qui paſſim jam pro tua gloria trucidantur, ſanguine vocibuſque moveris, reſpice in faciem Chriſti tui: ut hæc tua juſtiſſima indignatio peccatis noſtris ſceleribuſque concepta, illius conſpectis vulneribus pro noſtra ſalute ſuſceptis mitigetur.

Teque enim humanæ libertatis aſſertor atque magiſter Chriſte Jeſu, ſpes unica, ſolatiumque mortalium, è cujus cruentis vulneribus ſimul cum ſanguine mortalium ſalus, vita, felicitaſque promanarunt: te, inquam, appellamus, nunquid ſponſæ, cujus cauſa mortem atrociſſimam ſubiiſti, obliviſceris? nunquid oves nota crucis inuſtas, quæ ſignum ſemper ſalutis fuit, a lupis miſere dilacerari permittes? nunquid non illas jam inimicorum voces in nos jactatas exaudis: *Ubi eſt Deus eorum?* quibus nihil eſſe poteſt vel tuæ clementiæ contumelioſius, vel ad noſtram calamitatem acerbius.

Teque, Spiritus ſancte, qui veritatis ſplendidiſſimo lumine Chriſtianorum animos illuſtras, nunquid patieris, ut omnia nunc tenebris errorum occupentur.

Teque, virgo ſanctiſſima, piiſſimaque mater, quam voluit Chriſtus eſſe veluti aram religioſiſſimam, ad quam in rebus afflictis & calamitoſis confugeremus, quam omni honore, & tuo nos pa-

A trocinio ſpoliare homines perditiſſimi conantur.

ANNO CHRISTI 1562.

Teque, princeps apoſtolorum Petre, cujus humeris hanc molem eccleſiæ Chriſtus impoſuit, cui clavum eripere, cujus ſucceſſores pontifices Romanos e ſede deturbare nituntur.

Voſque, fortiſſimi martyres, felices animæ, incolæque cœleſtes, quos eccleſiæ cuſtodes, mortaliumque patronos Deus eſſe voluit, quorum immortalibus meritis minime nos adjuvari eccleſiæ hoſtes arbitrantur: vos, inquam, omnes imploramus, vos hanc funeſtam flammam a veſtris altaribus, ab eccleſia Chriſti, & Chriſtianorum mentibus removete: ut hic tantus impetus, quem humana imbecillitas ſuſtinere non poteſt, divina veſtra virtute comprimatur.

B

Hoc eſt unicum ſingulareque perfugium, ſanctiſſimi patres, ut ad divinam clementiam, ad vota, preces & lacrymas confugiamus. Quod ſi ullum ab hominibus eccleſia ſperare auxilium poteſt, id nunc totum in vobis ſitum & collocatum eſt: vos illam conſolari, ejus lacrymas abſtergere, vos illius ſordes abluere, & priſtinum illi ſplendorem reſtituere poteſtis. Vos illa nunc per Chriſti crucem & ſanguinem obſecrat, & obteſtatur, ut afflictæ & calamitoſæ matri ſubveniatis, ut jacenti porrigatis manum, eripiatis ex hoc miſerrimo naufragio, & ereptam in portu aliquo ubi conquieſcat, ſalvam & incolumem collocetis: voſque imprimis appellat, illuſtriſſimi legati, quos

C divina bonitas in hoc altiſſimo eccleſiæ vertice collocavit, ut omnia circumſpicere, videre & illuſtrare deberetis: quos hac purpura exornavit, ut mortis Chriſti admoneret, & ut illam, ſi eſſet opus, rubicundiorem effuſo pro Chriſti gloria veſtro ſanguine redderetis. Voſque etiam ſanctiſſimi patres quos cœleſtis ſapientia paſtores & eſſe & appellari voluit, ut nullum periculum aut laborem recuſandum, ſed crucem etiam atque mortem pro ſalute ovium, & eccleſiæ dignitate ſuſtinendam arbitraremini, vos inquam, omnes appellat, veſtram fidem implorat, vos obſecrat, ut viam nunc inveſtigetis, qua, ſi non priſtinum decorem recuperare, has ſaltem quæ ſuperſunt reliquias contra furorem hoſtium tueri, conſervareque poſſit.

D

Ad quam quidem rem obtinendam ſunt qui veterem illam ſeveram morum diſciplinam in primis revocandam arbitrentur, quorum ſententiam quis eſt qui non probet? qui non ducat ſalutarem, & ad placandam divinam indignationem magnopere pertinere non videat? Illas audio, graviſſimi patres, tota Germania jactari voces: fides antiqua, mores antiqui, in quibus ſicut eſt aliquid quod probem, ſic etiam eſt aliquid quod moleſtiſſime feram, & graviſſime dolendum atque reprehendendum putem. Illis etenim verbis primo ſignificant ſe non ob aliud ab antiqua fide degeneraſſe, quam quod nos ab antiquis moribus deflexerimus: quod quis non intelligat ſummopere eſſe deplorandum? Quid enim poteſt indignius excogitari, quam tanti ſceleris culpam in eccleſiæ corruptos mores tranſtuliſſe? An quod me ignavum videris militem, tibi transfugam & proditorem eſſe licere exiſtimabis? Quod ego ſim ambitioſus, tu parricida? Quod ego ſuperbus, tu in Deum & ſanctos contumelioſus? An quod gubernator dormiat aliquando, & qui in navi feruntur ſint profligatis moribus, tu navim perforabis? Quod domeſtici ſint improbi, tu domum incendes? Quod cives ſint iniqui, tu civitatem hoſtibus diripiendam dabis? O ſummam hominum

E

ANNO CHRISTI 1562.

excitatem. Sed quamquam illorum cæcitas lacrymis sit & commiseratione dignissima, qui hac occasione tantum in se scelus admittendum putaverunt, nos tamen illorum reprehensiones, tacitas quasdam Christi servatoris nostri voces, suam ecclesiam per inimicos excitantis & admonentis existimare debemus: præsertim cum illi hac potissimum via ad expugnandam ecclesiam, seducendamque popularem multitudinem progrediantur. Nam si quid est in ecclesia depravatum, si quid corruptum & contaminatum, id solum curiosissime notatum in unum quasi acervum congesserunt, id habent in numerato, id in gymnasiis, in suggestis, in publicis privatisque colloquiis, in templis, in foro, in angulis, in concionibus, in omnibus hominum circulis, id inquam unum sermonibus & libris populo jactant, hoc unico argumento & errores tuentur, nos in odium adducunt, & temeritatem concitatæ multitudinis ad iram & insaniam impellunt, & inflammatis odio facile quod optant persuadent.

Hæc sunt illorum arma quibus ecclesiam oppugnant, quæ ex eorum manibus eripi alia ratione non possunt, quam si hæc imprimis ecclesiæ vulnera sanentur: quæ vobis nunc, gravissimi patres, summo studio atque diligentia curanda sunt, ut restituta sanitate, revocataque ecclesiæ pulchritudine, cum in illa hostes conjecerint oculos, se deceptos intelligant, & illius amore capti in ejus ruant amplexus, maternumque in sinum revertantur. Vicistis mihi credite patres & non solum meo, sed omnium judicio vicistis, & non modo arma, sed captivos & spolia hostibus ademistis, si modo deformatæ ecclesiæ antiquam faciem atque formam restituatis. Sed quid ego hæc apud vos, quos potius omnium laudibus celebrandos, quam cujusquam oratione excitandos, aut animandos intelligam? quos cum ego tanta hujusce rei cupiditate flagrare videam, soleam ingentes Deo immortali gratias agere, qui eam vobis dederit mentem, ut honori, dignitati, omnibus commodis & utilitatibus vestris ecclesiæ causa renunciandum esse judicaretis. Et merito id quidem facitis, sanctissimi patres: quis est enim per Deum immortalem, qui hoc præsertim calamitoso & funestissimo sæculo cum ovium salus, cum ecclesiæ dignitas, cum Christi gloria in summo discrimine periculoque versantur, non modo dignitatis suæ, sed salutis etiam & vitæ dispendio ecclesiæ incolumitati subveniendum non ducat? Si Christus ipse ad abjectissimam servi conditionem, hominis causa se dejecit, ego pro illius gloria nihil de mea dignitate patiar esse detractum? ipse terræ cœlique conditor ac dominus, extremam paupertatem & indigentiam, acerbissimasque contumelias sponsæ suæ amore sustinuit: & ego meas utilitates ecclesiæ saluti anteferendas putabo? Ipse ludibrio habitus, inter sceleratissimos latrones in crucem actus, se crudelissimæ morti pro mea, ecclesiæque salute devovit: & ego non patiar dignitatis vel fortunarum mearum vel minimam fieri jacturam, ut minanti interitum ecclesiæ succurratur.

Liceat verum dicere, gravissimi patres, sanctissimi illi primi ecclesiæ pastores, clarissimique principes apostoli, humiles, abjecti, pannosi, texendorum tabernaculorum artifices, coriarii, piscatores, non minus inter pannos illos & retia, quam inter aurum & purpuram apostolicam dignitatem retinebant. Illa est vera gloria, illa vera dignitas, & apostolica majestas, velle contemptum, ignobilem & abjectum esse, ut Christi gloria, & ecclesiæ salus atque dignitas conserventur. In hanc igitur unam curam & cogitationem dies & noctes sicuti facitis, gravissimi patres, incumbite, ut rebus omnibus posthabitis atque neglectis, uni solum ecclesiæ saluti consulatis: quæ tota nunc e vestra fide, sapientia, auctoritateque pendet: quæ in summam nunc spem salutis erecta est, cum ad eam obtinendam videat vobis neque voluntatem deesse, neque facultatem. Habetis enim illa præsidia & adjumenta, quæ nullus mortalium (in tanta præsertim rerum perturbatione) non dicam sperare, sed neque optare unquam potuisset. Vota per totum orbem Christianum, hujus rei causa, suscepta sunt: omnibus omnium ecclesiarum altaribus supplicatur, continuis precibus & lacrymis divina sollicitatur misericordia: habetis sanctissimorum patrum, doctissimorumque hominum frequentiam innumerabilem: habetis clarissimi imperatoris, potentissimorumque regum, rerumpublicarum, principumque Christianorum legatos, quorum dulcissimo conspectu recreatur ecclesia, & sibi vobisque summam securitatem pollicetur, qui non modo consilio atque prudentia, sed armis etiam atque potentia auctoritatem & decreta vestra fortissime tuebuntur. Quæ quidem omnia Pii IV. pontificis maximi domini nostri singulari beneficio adepti estis: qui ut ecclesiæ subveniret, nullis laboribus, sumptibus, impensis parcendum judicavit, qui omnes principes Christianos, omnes ecclesiarum omnium pastores, ad tuendam illius dignitatem, quam & vita & rebus omnibus cariorem ducit, tanta sollicitudine & industria e suis sedibus excitavit, ut mihi quidem in rebus prope desperatis, signum aliquod salutis sustulisse videatur.

O pater sanctissime, cujus cum ego flagrans studium in cogendo concilio, in tot pastoribus convocandis, in tot regum, principumque Christianorum accersendo præsidio, in sollicitandis etiam ipsis Christianæ religionis hostibus omni benevolentiæ significatione: cum hæc, inquam, omnia tacita mentis cogitatione perpendo, te quidem divina bonitate, & clementia in hæc tempora infœliciissima reservatum intelligo: quibus præter te nullus alius subvenire aut mederi potuisset. Fruere, pater beatissime, hac tanta tua gloria & felicitate, te totus Christianus orbis assertorem suæ libertatis agnoscet: tibi non homines modo, sed angeli etiam, civesque celestes plaudent, & gratulabuntur: tibi se ecclesia suam salutem debere confitebitur: tibi Christus, cujus vices geris, coronam virentibus perpetuo floribus iis tantis tuis laboribus virtutibusque dignam, suis jam manibus intexit, eam sacrosancto venerandoque tuo capiti impositurus: tibi non modo præsens sæculum, sed ipsa posteritas gratulabitur, & hanc tuam pietatem incredibilem, quam & operibus & nomine profiteris, sempiternis laudibus celebrabit. Quid igitur restat, gravissimi patres, ut finem aliquando dicendi faciamus, nisi ut quando neque tempus committat, neque majora, quam illa, quæ nunc habetis præsidia, sperare potestis, summa celeritate & festinatione, in qua ego omnem spem sitam & collocatam arbitror, ad stabiliendam & confirmandam ecclesiam remis velisque (quod ajunt) contendatis. Nostis optime, sanctissimi patres, ecclesias vestras innumerabiles, nunc pastoribus orbatas, in maximo periculo versari? Nostis præterea hanc sanctam synodum sepe coactam, temporum injuriis, bellorum tumultibus, inimicorum insidiis

ANNO CHRISTI 1562.

insidiis dissolutam, dissipatamque fuisse: Nostis etiam Witembergenses theologos principem suum, cum exercitu quondam ad dissipandum concilium armasse: omnia nunc tentabunt, omnia experientur. Adest hic vicina Germania, quæ non mediocriter hujusce rei exitum, extremam sententiam, damnationemque reformidat: mihi credite, licet in ipsis Alpium visceribus inclusi, iis tecti satis atque muniti montibus & rupibus videamini, in hos etiam angulos subita & inopinata hostium arma penetrabunt: videorque mihi aliquando videre concussum tumultibus orbem, armorum strepitum audire, Hannibalemque ipsum ad portas, hostes, inquam, ad istam montium ostia fauces que consistere, vosque, gravissimi patres, de fuga solum & salute vestra cogitare, & simul cum fuga discessuque vestro, miserrimæ matris ecclesiæ interitum funusque contemplor. O rem miserrimam, & omnibus sæculis deplorandam: si modo (quod Deus avertat) hic tantus, tam illustris, clarissimusque cœtus vester, re infecta dissolvatur, actum est de religione Christiana. Exultabunt adversarii, ingentes animos concipient, alacres & læti volitabunt, se vera sentire, nos errare: nobis infensum, sibi Deum propitium esse jactabunt, & veluti jam de nobis parta victoria gloriabuntur: ecclesia vero omni spe destituta, omni orbata præsidio, quid aget? quem invocabit? quo se vertet? cujus opem & auxilium implorabit? quem locum hostibus vacuum reperiet, quo se valeat recipere? quam sibi imposterum spem pollicebitur? numquid ut iterum synodus cogatur? numquid sperare poterit, ut hæc unica spes toties jugulata reviviscat? Quin potius metu examinata, omni spe destituta, præteritæ calamitatis memoria, & impendentis timore confecta cedet misere suis hostibus, in triumpho captiva ducetur, & in prædam illis exhibita, se ab illis dilaniari, dilacerarique patietur.

Quæ quidem mala ne illi eveniant, vobis, gravissimi patres, celeriter providendum est. Efficite nunc cum silent arma, cum nondum hic bellorum strepitus exauditur, cum omnes in summam spem volunt vestris pendere sententiis, ecclesiæque salutem contineri arbitrantur: cum oracula hujus concilii ab omnibus provinciis suspensis animis, tanquam unicum & singulare tantorum malorum remedium spectantur: ne frustra de sapientia, consilioque vestro totus Christianus orbis speraſse videatur. Efficite, patres, ut vel illas provincias, quas nondum furor hostilis invasit, tutas, firmas, atque constantes decretis vestris sanctissimis conservetis: vel quod ego de divina bonitate, vestraque sapientia mihi polliceor, ut cor illud unum & unica anima, quam Spiritus sanctus omnibus Christianis voluit & fecit esse communem, & quorumdam licentia multis nunc erroribus distraxit atque dissipavit, iterum divina vestra virtute coeat & copuletur: ut omnium sit unus animus, una fides, unus spiritus, quorum unus est Deus, unicusque servator Christus, cui sit laus, decus, honor, gloriaque sempiterna. Amen.

DIXI.

XCV.

ANNO CHRISTI 1562.

F. HENRICI DE S. HIERONYMO Lusitani theologi, & artium liberalium magistri, Dominicani, de calamitatibus ecclesiæ oratio, habita dominica prima quadragesimæ apud sacrum concilium Tridentinum, anno MDLXII.

NEMO est, sanctissimi patres, qui hujus nostri turbulenti sæculi miserandum statum cernere perfecte possit, digniſque lacrymis deplorare, nisi is sibi proponat ante oculos præclara illa ac felicia nascentis & floreſcentis ecclesiæ primordia & incrementa. Nam si serio rem perpendamus, & conferamus recte singula, vitam, mores, pietatem, fidei, religioniſque ardorem, & amplitudinem: videbimus plane, si æqui rerum simus judices, & veri æstimatores, heu in quam lugenda, & calamitosa tempora inciderit posteritas ista nostra, & in qualem infelicitatem devenerimus, quantumque labentis hæc & senescentis, ne dicam expirantis mundi degenerans ætas, ab illo prisco majorum nostrorum exciderit, aureo, florente, ac beato sæculo. De præsentibus igitur ecclesiæ calamitatibus sermonem habiturus, earum causam ex evangelica recitata lectione depromam, remedia, Deo auspice, & antidota salutaria indicabo. Sed vincit fateor dicturi vires injunctum onus. Timorem incutit dignissimus hic locus ac sacerrimus. Deterret gravissimorum & sapientissimorum præsentia auditorum, mundi procerum, ecclesiæ luminum, christorum Dei: quibus sane jure potuissem optimo despondere animum, nisi vestra, sanctissimi patres, tanta esset humanitas ac facilitas, quanta profecto est auctoritas, dignitas, & eruditio, quæ patiens mihi dicturo pollicentur silentium, & trepidanti præbent audaciam, favoremque, conciliant.

Constat igitur, ut hinc initium capiamus Christum optimum maximum Dei virtutem & sapientiam reipublicæ Christianæ fuisse auctorem ac parentem. 1. Cor. 16. Eundemque (ut de divino illius numine sempiternaque majestate conticescam) vitam in hoc mundo pauperem, humilem, abjectam, despectam, incommodis omnibus ac laboribus refertam delegisse. Talem is ascivit populum, & rempublicam instituit, quæ ejus insectaretur vestigia, mores imitaretur, leges & instituta vitæ servaret. Hanc ut sponsam carissimam quam adeo dilexerat, ut sanguinem pro ea fuderit, extremaque supplicia subierit: & miseram mortem, qua eam a tenebrarum imperio & satanæ tyrannide liberaret: non perituris divitiis & gloria ditavit, sed ut inopia, despectu, paupertate, & vitæ injuriis quæ res ad illius sane regnum manuducunt & provehunt: ita maximis, optimis, atque divinis donis ornavit, affecit, ac prosecutus est. Eos autem quos ad eam gubernandam præfecerat, apostolos inquam, ignobiles, pauperes, & piscatores elegit: nullo fuco, inanive philosophia suffultos, divino tamen Spiritu afflatos, & cœlestibus virtutibus præstantes.

Hæc itaque sic cunctis mundi præsidiis destituta, & cœlo dives, Deus bone, quam crevit! quam floruit! quam splenduit! quam amplificavit fines suos! quam denique universis non solum agrestibus hominibus, verum philosophis, sapientibus, regibus, ac principibus admirationi fuit! Quam fervens tunc temporis religio! Quæ Rom. 14. pie-

ANNO CHRISTI 1462.

pietas, caritas, gaudium, pax in Spiritu ſancto! Quæ demum omnium in Deo concordia & animorum conjunctio! Quæ templa magnifica, & cœnobiorum multitudo, quorum adhuc jacentia ac proſtrata cadavera fervorem & devotionem non vulgarem oſtendunt! Deinde qualis in paſtoribus zelus, quotidie pro ovibus ſuis morientibus! Qualis in doctoribus ſapientia ad refellendas hæreſes, reddendamque rationem de ea, quæ in eis eſſet, ſpe! Qualis in monachis devotio, modeſtia, diſciplina, morigeratio, & mentis in cœlum jugis elevatio! Quæ in virginibus puritas, honeſtas, ac pudicitia! Quam in conjugibus reciprocus amor! In populo jam quæ ſinceritas, ſimplicitas, & ad magiſtratus ſubjectio! Quæ denique humanarum divinarumque legum ſedula obſervantia, diligenſque completio! Superbiæ, ſegnitiæ, ſocordiæ, aut ceteris ſceleribus nihil fere relinquebatur loci. Contra vero poſtquam ceſſere jura peccatis, & triticum zizania ſuffocare cœpit, tranſacto illo ardente eccleſiæ tyrocinio, quid jam non triſte, non miſerum, non funeſtum ac calamitoſum cernere licet? Omnia everſa, extincta, convulſa, labefactata ſunt & prope interitum. Refrixit impietate pietas, ſuperſtitione religio, bello pax, rebellione ſubjectio, mendacio veritas, procacitate pudicitia, edacitate temperantia, intemperantia ſobrietas, faſtu modeſtia, diſſolutione devotio, luxu moderatio, tenacitate eleemoſyna, temeritate prudentia, præcipitatione conſilium, ſuperbia & inſolentia humilitas, infidelitate fides, inani fiducia ſpes, cupiditate caritas, vitio denique virtus, & malo bonum. Ut nihil auctore Cypriano jam non cœperit eſſe licitum cum publicum eſt. Adeo ut vix veſtigium illius antiquæ ſanctitatis, & veteris nitoris in Chriſti ſponſa reperias. Quin eam, quam benignus ejus ſponſus tot, tantiſque donis ornavit, ut commemoravi, & liberali fuerat munificentia proſequutus, frigeſcente in dies caritate, ſuccreſcentibus peccatis, pullulantibus hæreſibus, fide ipſa velut in fontem remeante, & reliquum orbis quaſi deſerente, ad Petri ſedem, ad eccleſiam Romanam unde efluxerat & emanaverat retrolabente, ſenio confectam, rugis plenam & deturpatam maculis, aurum denique verſum in ſcoriam, ſummo cum dolore, & non ſine lacrymis perennibus contemplemur.

Cypr. lib. 1 epiſt. 2.

Quod ſi magnus ille Baſilius ſtatum ſui temporis ſimilem eſſe dicebat navali prælio & quidem nocturno, mari magnis undique concitato ventis, ingruentibus procellis, utrinque congrediente claſſe, ubi quis dux, aut imperator, miles, aut adverſarius, non poſſis dignoſcere: ſed commiſceri omnia, confundi, turbari, quati, collidi, & funditus everti. Nos qui non levioribus, ut reor, malis implicamur, & cladibus atterimur, in ea jam manentes vita, in qua nihil ſit aliquid, quam quædam miſerrimi temporis prorogatio, quid de noſtro calamitoſo ſæculo fingere aut ratiocinari poſſumus? Nihil non turbatum videas. Caligantem fidem apud pleroſque, & in mille ſectas diſſectam. Templa dominica polluta, ſacris imaginibus ejectis, & conſpurcatis diruta, & prope ruinam. Sacramenta potiſſima inquam illa, divinæ erga nos miſericordiæ organa, & animi præſidia calcata pedibus, & vilipendi: ſummum totius eccleſiæ paſtorem, & Chriſti vicarium paſſim contemni: graſſantes ac ſævientes lupos, qui arceat, vel rarum, vel neminem, magis ac magis, ut verbis utar Cypriani, ſæviente adverſario, errorem fallere, livorem incendere, ſuperbiam inflare, iram præcipitare, cupiditatem excœcare. Et ut paucis concludam multos amiſſa fide, irriſiſque operibus aut flocci-factis, falſo neſcio unde ſibi ſalutem promittentes, ſub Chriſtiano titulo, quem honoris cauſa retinere videntur, Epicurea aut Mahumetica longe turpiorem vitam agere. Orbem denique univerſum ardere flagitiis, & peccatorum incendiis, ſi quæ pejora mala peccata noſtra non minantur: ut boni quicquam nihil jam occurrat, quod ſperare poſſis, vix quod optare audeas: niſi forte malle pios ad vitæ exitum vocari (quæ felix nunc eſſet conditio) *quam videre mala gentis ſuæ, & ſanctorum*.

2. Mach. 3.

Qua in re, ſanctiſſimi patres, id ego dolentius eſſe arbitror, atque deplorandum magis, quod velut *febricitatos, qui nec medicum agnoſcunt, aut pharmacum admittunt: ſeu ut illi qui in imo maris poſiti, immenſum aquarum pondus non ſentiunt, nos a Deo tanquam a parente optimo & noſtro amantiſſimo quotidie flagellis cædimur, extremis calamitatibus attriti, tantum abeſt ut reſipiſcere velimus, quin (quod extremæ eſt cæcitatis) in tanto naufragio conſtituti, & periculorum diſcrimine vitam traducimus oſcitanter, perinde ac in ſumma pace verſaremur, nec quicquam a nobis quod ad bene vivendum ſpectat, inſignia utinam virtutis aſſequuti, omiſſum eſſe videatur. Ut merito in nos illud Jeremiæ cadat: Ad flagella, ut alter Pharao, obdureſcentes, & ad correptiones ut aſpides ſurdeſcentes, *Fruſtra percuſſi, filii diſciplinam non receperunt*. Hic ſtatus, hæc rerum noſtrarum conditio eſt, optimi patres, hic præſens quo periclitamur naufragium.

* febricitantes.

Jerem. 2. Pſal. 17.

Jam vero tantorum malorum cauſam mihi inveſtiganti, nulla alia ſane occurrit, quam quod ſuccubuerimus tribus illis ſatanæ telis, quibus nefarius ille olim caput noſtrum, Chriſtum inquam optimum maximum jejunantem in deſerto impetiit, & experiendi cauſa, quemadmodum eccleſia hodie commemorat, tentavit, gulæ, ambitioni, avaritiæ. Hæc ſunt tres illæ plagæ de peſſimorum equorum ore procedentes, ut eſt in Apocalyſi, quæ tertiam partem hominum occiderunt, ignis, fumus, & ſulphur. Hæc, inquam, tres illæ peſtes exitium ac perniciem univerſo orbi inferentes, ut teſtatur Joannes, *concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ*. Simulatque enim iſta in hominum mentes irrepſere, & ſerpere cœperunt, continuo virtus elanguit, emarcuit, conticuit, evanuit, & poſthabita eſt.

Apoc. 9.

Jean. 2. cap. 2.

Nam ut a gulæ vitio exordiar, quæ non mala mundo peperit? Parſimoniam hæc (ne toties primorum parentum infelix caſus repetatur) omnino abſtulit: abſtinentiam pepulit: jejunia ſacra non modo fregit, verum procul ablegavit. Corporis denique diſciplinam, qua veluti minutiſſimis arcibus caritas circumvallata conſtat ac firmatur, abrogavit. Intemperantiam, luxum, crapulam, venerem, ebrietatem & petulantiam induxit. Quæ cum majores noſtri viri ſanctiſſimi probe ac ſapienter noverint, adeo corporis diſciplinam fuere venerati, ut eam ſemper cum pietate conjunxerint. Non ſicut *multi hodie inimici crucis Chriſti, quorum Deus venter eſt*, qui *terrena ſapiunt* (ut reliquos voluptuoſos omittam) quos ob unam ciborum licentiam a fide, ab eccleſia, a Deo defeciſſe videmus.

Geneſ. 3.

Philip. 3.

Deinde jam inanis gloriæ appetitus & honoris ambitio pompam, faſtum, apparatum, & mille alia portenta & monſtra dedit. Quos enim ambitioſus, ut inquit Cyprianus, arrogantium faſtus prius

Baſilius de Spiritu ſanc. cap. ult.

Cyprian. de ſimp. præl.

ANNO CHRISTI 1562.

prius pertulit? Quas superbas fores matutinus salutator obsedit? Quot tumentium contumeliosa vestigia stipatus clientium cuneis ante præcessit, ut ipsum etiam salutantium comes postmodum pompa præcederet, obnoxia non homini, sed potestati? Quibus denique sordibus emit ut fulgeat? Hæc demum incredibili quadam & mira philautia gloriam & excellentiam, quæ veræ virtutis sunt præmia, & jure studiosis debentur, sibi usurpans & falso arrogans, sublimem illam humilitatem vereque evangelicam virtutem extinxit & profligavit: hypocrisim & simulationem intulit. Iis accessit avaritia, venenum illud mortiferum & pestilens, qua nocentius nihil, & perniciosius fingi aut excogitari potest: quæ quod residuum fuerat a grandine, comedit & demolita est. Et velut ventus ille urens, de quo meminit Oseas, desolavit fontes & siccavit venas, scilicet caritatis, diripiens thesaurum omnis vasis desiderabilis, justitiæ inquam & pietatis. Hæc magnus ait Basilius: Non memor fuit communis naturæ: non putavit oportere superfluum in egenos distribuere: nullam præcepti habuit rationem. Miser est inquit, avarus ob fertilitatem, miserabilis ob præsentia bona, miserabilior ob futura quæ spectat. Omnia aurum videt, aurum imaginatur, hoc dormienti insomnium est, & vigilantis animum possidet: optatque omnia in auri naturam transmutari: jucundius aurum aspicit quam Solem. Hæc detestabilis cæcitas mentium, Cyprianus ait, & cupiditatis insanæ profunda caligo ad hoc tantum possidet, ne alteri possidere liceat. Omnia denique sui labe tingit, fœdat, maculat, inficit, corrumpit atque contaminat.

Osee 13. *Basil. conc. de avarit.* *Cypr. lib. 2. epist. 2.*

Harum igitur tentationum primam si attente animadvertas, in deserto reperies, apud carnales & animales homines, qui sensu dumtaxat veluti pecora, & voluptate ducuntur. Secundam Hierosolymis, in sancta civitate, in domo Dei, in templo & in pinna templi. Tertiam in montibus. *Accedens igitur tentator*, narrat beatus Matthæus dixit Christo. *Si filius Dei es, dic, ut lapides isti panes fiant.* Quid malignus iste & miser machinatur? Non lapides in panem Christus transmutaturus erat. Quam quidem potentiam versipellis iste inficiari nequit, sed panem in carnem, quæ det vitam mundo. Unde satanæ sectatores in animum nequeunt inducere, aut sibi persuadere, posse fieri quod homo non ita cibo addictus sit, carnisve turpissimis voluptatibus, ut alia in re quapiam delectetur: Cum non in solo pane vivat homo (ut Christus inquit) sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei: divinis inquam, colloquiis, familiaritateque, cum Deo, qui verus *cibus* est, *qui non perit, sed qui permanet in vitam æternam*: suavius sapiens, nutriens interius, reficiens, sustentans, ac cor hominis confirmans. Quo cum usi sunt Moyses, Elias, & tandem Christus dominus, quadraginta dierum inediam pro suavissimis ferculis, opulentissimisque conviviis summa cum voluptate duxerunt. Hos qui sequuti sunt veri Christi imitatores, & viri evangelici, quique regnum Dei non escam, & potum esse (ut nostri helluones fingunt) intelligentes, & sacra jejunia cum ecclesia venerantes, desertis in locis vitam omnem vigiliis, & orationibus, suspensionibus divinis insumentes, non solum a cruentis dapibus & epulis abstinere superfluis, aut varia ferculorum multitudine, quam natura contenta paucis perhorrescit, sed quasi quodam divino furore perciti, ut Philo est auctor, nonulli vix tertio quoque die famem sentiebant. Alii qui prælaute accepti epulo sapientiæ copiose præbentis sua placita, duplum perdurabant ejus temporis, & vix sexto die cibum degustabant necessarium, Potum e fluentis hauriebant, contenti placare dominas a natura mortalibus additas, famem, sitimque, absque omnibus lenociniis fruendo rebus, sine quibus non licet vivere: edentes ne esurirent, bibentes ne sitirent, saturitatem cavendo, ut inimicam animo, pariter ac corpori.

Matth. 4. *Joan. 6.* *Idem.* *Psal. 103. Exod. 34. 3. Reg. 19.* *Rom. 14.* *Phil. de vit. contempt. tom. 2.*

ANNO CHRISTI 1562

Assumptio deinde Christi a satana in pinnam templi (ne longius progrediar) hoc docet, sublimibus nimirum, & summo fastigio positis ruinam sæpe, casum & præcipitationem imminere. Et quo altius fortuna levet, eo in majora pericula præcipitet. Semperque ea quæ diabolus suggerit, ut Hieronymo placet, licet prima specie alta sapiant, ad ima tendere. Ad hæc omnia regna mundi Christo oblata, quid aliud quam lucri causa avarum diabolum adorare docent? Quod alias Paulus de avaritia præmonuit, quod sit idolorum servitus. Nec putandum solum satanam omnium regnorum mundi pretio adorationem mercari voluisse, cum nihil tam mortalium mentes vindicet, alliciat, & rapiat, quam ardor gloriæ & propriæ cupiditas excellentiæ, sibique divinos honores impendendi. Ut facile res omnes, aurum, copias, supellectilem, vitam, corpus, animum, cœlum, & Deum ipsum repudient, pariter & contemnant, & vili exponant, dummodo adorentur, colantur, & habeantur in pretio.

Hieron. juper Matth. *Ephes. 5.*

Hujus congressionis satanæ priorem istum Christus illusit sacro jejunio & abstinentia: divino profecto adversus gulæ vitium antidoto ac præstanti medicamine. Nam sicut oleum pinguefacit athletam, ut magnus ait Basilius, sic jejunium exercitatorem pietatis. Secundum humilitate. Nec enim labitur humilis, ut sanctus vult Macarius. Nam unde labi posset, inquit, qui sub omnibus est? quam qui habeat, nempe totius, ut ajunt, spiritalis vitæ fundamentum, omnem fuisse videbitur assequutus virtutem. Nam omnis in virtute progressus, ut eidem Basilio placet, in humilitate progressus est. Postremum, mundi contemptu. Cur enim non contemneret quæ in puncto ostendi possunt & in momento? Unde contemptor mundi, quasi ex specula cum propheta videns mentis acie ejus gloriam, divitias, dominatum, copias, & ejusdem generis cetera, quæ plurimi æstimanda putant mundi sectatores, facile judicat esse vanitates, & insanias falsas, quæ sicut ostenduntur in puncto, puncto durant, & puncto continentur, eaque arbitratur ut stercora, ut Christum lucrifaciat.

Basil. conc. de jejun. *Macar. Ægypt. hom. 19.* *Basil.* *Luc. 4.* *Psal. 73.* *Philip. 3.*

Vos igitur, optimi patres, qui numquam ab ecclesia recessistis, nec quia in ea zizania fides aut caritas vestra est impedita, ut divine admonet Cyprianus, verum manentes ac consistentes intra domestica castra, ut ille sapienter inquit, & intus positi ea quæ in communi tractanda sunt agitis, ac providetis: iis servatoris nostri exemplis & salutaribus remediis collapsis, & corruptis moribus mederi potestis: intemperantiam, ambitionem, avaritiam, e quibus alia velut e fontibus scaturiunt incommoda rescindentes: ne ultra offendiculo esse possimus infirmis, ut docet Paulus, sed incitamento ad virtutem. Quo illi consilio parti quæ circa mores versatur, provisum ac satisfactum erit. Secundæ vero, quæ ad fidem spectat communem, imitati & caput nostrum olim a diabolo scripturis impetitum ipsarum scripturarum testimoniis, quibus fides ipsa hæret ac fulcitur, provi-

Cypr. lib. 3. epist. 2. *1. Cor. 2.* *Vincent. Lirinen. de antiq. fidei cathol.*

ANNO CHRISTI 1562.

providebitis. Sic enim majores noſtri ſacris conciliis congregati, ſacrorum bibliorum propugnaculis, ac firmiſſimis præſidiis, hæreſes convicerunt, hæreticos ad fidem aliquando reduxerunt.

Nam ut ille verſipellis Chriſtum aggreſſus eſt ſcripturis: ſic ejus ſatellites hæretici faciunt, qui ſacras depravant ſcripturas ac detorquent, & falſis conſpurcant commentariis, aut facile rejiciunt ſi ſuis manifeſte adverſentur inſaniis, ſacris bibliis imponentes quæ numquam mens divina voluit, ut liberius ac licentius ſuis voluptatibus vacent, & cupiditatibus inſerviant. Cum tamen librum hunc nemo ſolvat niſi agnus, & agni ſponſa, cui illi voluit revelare, & ſenſum aperire ut intelligeret ſcripturas. Tantum abeſt ut illi putare debeant, quemadmodum Cyprianus mirifice docet, ſe evangelium Chriſti aſſerere, dum ſemeptiſos a Chriſti grege, & ab ejus pace & concordia ſeparārunt. Taceo quod per ſe ipſa divinorum eloquiorum aperta contemplatio, ut magnus ait Dionyſius theologorum facile princeps, ſenilis cujuſdam virtutis eſt.

2. Petr. 3. Tertul. de carne Chr. Apoc. 5. Luc. 24. Cypr. lib. 3. epiſt. 2. Dionyſ. de Divi. nom. cap. 3.

His ergo armis ſi utamur, optimi patres, & remedia adhibeamus, ſatanæque incurſibus reluctemur, conſummabitur tentatio, præſto aderunt angeli: ſuppetias venient, accedent & miniſtrabunt nobis ſuffragio, præſidio, ac patrocinio erunt, Deumque quem demeritis & peccatis ad iram provocavimus ac vindictam, placabunt precibus, ſedabuntque: pium, benignum ac clementem reddent: avertentque ejus gladium jam-jam cervicibus noſtris interitum minantem: ut poſt tempeſtatem tranquillum faciat, & poſt tribulationem mittat conſolationem. Concilio miniſtrabunt conſilium, ſapientiam, ac prudentiam, conſiliabuntque favorem & gratiam, ut cuncta proſpere, fauſte, feliciterque ſuccedant, & pro votis fidelium, hæreſes extirpentur; hæretici dolis & impoſturis diaboli ſeducti, ad Chriſti ovile, ad eccleſiam Romanam, quæ mater, doctrix ac magiſtra eſt omnium eccleſiarum, cui omnes caput inclinant, ſumma concordia reducantur. Jura reſarciantur vetera, nova ſalubria ſanciantur: abuſus ſi qui ſunt, radicitus evellantur. Ut hoc ſaluberrimo œcumenico concilio, tot tantorumque antiſtitum multis nominibus colendorum, illuſtrium, ſanctorum, doctorumque virorum digna præſentia frequente, quo auguſtius in terris nihil, aut divinius inveniri poteſt, feliciter abſoluto, diu ab omnibus exoptata pace, concordia, unione, fœdere & caritate, divina ſuppeditante clementia perfruamur. Dixi.

Tob. 3. Ia. diſt.

XCVI.

DE PRIMATU PETRI ORATIO, ad ſacroſanctam ſynodum Tridentinam, die ſacro Petro & Paulo habita, a Gaſparo Cardillo Villalpandeo Segobienſi, doctore theologo MDLXII.

ILLUSTRISSIMI cardinales, reverendiſſimi patres, clariſſimi oratores, religioſe conſeſſus. De primatu Petri hodierno die in conſpectu veſtro, id eſt, in totius Chriſtiani orbis theatro, oratio nobis inſtituta eſt: quod ad id nos hujus diei evangelica lectione ſancta Romana eccleſia hortari videtur. Ad eam rem præſtandam: ſi pro ejus dignitate & majeſtate veſtra nobis agendum ſit, præter innumera alia ornamenta ingenii, quibus veluti condimentis ipſa oratio plaunbilis reddi ſolet, atque ad uſum vitæ accommodata, multarum prorſus, magnarumque rerum notitia, & admirabili dicendi facultate opus eſſe video. Sed quando his præſidiis animi, & ſermonis adjumentis deſtituimur, quod & agnoſcimus & fatemur, libenter ad Chriſtum Jeſum fontem atque originem bonorum omnium recurramus, ab eo imploremus opem, atque in eum omnem noſtram ſolicitudinem projiciamus, qui, ut ſcriptura refert, *omnibus affluenter tribuit, neque improperat cuipiam*: nuſquam ille nos præſentaneo ſuo atque divino auxilio deſtituet, quos ad id poſtulandum, quotieſcumque ejus inopia laboramus, invitat: hanc ipſam divinam opem multo minori negotio proculdubio conſequemur, ſi cariſſimam ejus matrem precibus ſolicitaverimus, atque eo maxime interpellaverimus ſermone, quem eumdem, jucunditatis atque lætitiæ pleniſſimum, Gabrielem cœleſtem paranymphum habuiſſe ſcimus, dicentes: Ave Maria.

ANNO CHRISTI 1562.

Jac. 1.

Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam. Matth. 16.

SUSCEPTA a nobis de primatu Petri in eccleſia oratio, jure quodam ſuo poſtulare videtur, ut de ipſa eccleſia ſancta catholica, & apoſtolica, quæ eadem prorſus eſt cum eccleſia Romana, cujus fundamentum Petrus eſt, vel Chriſti teſtimonio, his verbis: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam*, initio obiter diſſeramus: neque enim facile id de quo agitur conſtare poſſit, niſi prius qua ratione eccleſia hæc condita, & effecta ſit, probe noverimus: rem tamen univerſam ſumma quadam brevitate perſequi eſt animus, quod præſtabimus, favente Deo, modo vos ſanctiſſimi patres, intentis animis, benevoliſque adeſſe mihi dicenti velitis: quod incredibilis veſtra humanitas, & audiendi conſuetudo fore pollicentur. Inter cetera commoda quæ Chriſtus Jeſus ſuo adventu hominibus attulit, quorum ſalutem anxius atque ſollicitus procurabat, illud primo loco, patres, numerandum eſt, quod magno ſtudio, accurataque diligentia eccleſiam in terris, erexerit, confirmarit, atque inſtruxerit, eccleſiam dico, id eſt, univerſitatem quamdam atque hominum cœtum, qui Chriſti fidem, doctrinam, & ſacramenta profitentur: in hac lapis ipſe angularis diruta macerie, poſt placatum cœleſtem patrem hominis culpa graviter irritatum infenſumque, utraque fecit unum, duos ſimul populos conjungens. Hanc legibus atque inſtitutis vivendi, tanquam firmis ad pacem & tranquillitatem parandam, tuendamque præſidiis munivit. In eadem, eo a nobis ſacrificio & agnoſci, & coli voluit, quo neque majus ullum, neque excellentius a Deo optimo maximo hominibus in terris concedi potuit, ſanctiſſimo inquam corpore atque ſanguine ſuo panis & vini velaminibus, quaſi nube obducto: quod extrema cum diſcipulis cœna inſtituit, & nobis mirifice commendavit abiturus ex hoc mundo ad Patrem. Hæc cum nobis Chriſtus imperet ut renunciemus eccleſiæ crimen fratris, qui adhibitis etiam duobus teſtibus nolit reſipiſcere, non poteſt ſenſilis non putari, crepent licet ac rumpantur hæretici. Hæc a theologis peculiari nomine ob eam maxime rem militans vocatur, quoniam qui intra eamdem exiſtimus omnes, interim dum vita ſupereſt, quæ militia quædam eſt, ut Jobus ait cum corpore luctamur: quod adverſus ſpiritum inſurgit, & cum eo hoſtiliter dimicat, animam

Epheſ. 2. Matth. 26. Matth. 18. Job. 7. Galat. 5. Sapient. 7.

ANNO CHRISTI 1562.

mam aggravat, mentem deprimit, atque pessundat, & ab altera illa, quam triumphantem appellant, quoniam quæ illam incolunt mentes beatæ cum corporibus expeditæ sint, calamitatibus liberæ de acerrimis humani generis hostibus securæ triumphant, tantum ratione perfecti atque imperfecti discrepat: nam illa quidem, quod Theophanes docet episcopus Nicææ, veluti gymnasium quoddam est puerorum in Christo renatorum: est enim mundus hic noster veluti domus quædam a cœlesti rege nobis præparata ad ortum, educationem, atque omnem denique institutionem spiritalem: hæc vero cœlestium spirituum thalamus est, aspectu regis, splendore atque lætitia perfruentium.

Hinc fit ut hæc nostra ecclesia non probis modo hominibus constet, sed improbis etiam flagitiosisque: est enim illa decem viginibus similis, quinque prudentibus & quinque fatuis: est sagena missa in mare, quæ omne genus piscium con-
Matth. 25. gregat: est area, in qua existunt paleæ tritico per-
Matth. 13. mixtæ: est vinea domini sabaoth, cui uvæ suppe-
Matth. 3. *Isaiæ 9.* tunt, & labruscæ: est denique fœcundus ager bonis & malis agricolis locatus sanctarum scripturarum testimonio.

Insuper hæc de qua mentionem intulimus ecclesia instar regni est, quod præter graves imprimis scriptores sacræ nobis sæpenumero literæ prodiderunt: maxime vero cum regnum cœlorum decem virginibus simile esse ferunt, & sagenæ missæ in mare: neque enim his locis regnum cœlorum pro sede ac domicilio earum mentium usurpari possit, quæ corporibus exemptæ sunt, & quasi carnis compedibus solutæ, in quod, neque fatuæ virgines admittantur: quæ, cum sponsus venerit, horribilem illam vocem sunt audituræ:
Matth. 25. *nescio vos*, neque malis piscibus abjectis atque ignobilibus aditus ullus patet, quos piscatores angeli postremis temporibus extra ea vascula ejectos, quibus boni atque præstantes pisces concludentur, extremis cruciatibus atque malis destinabunt.

Neque vero quispiam existimet hoc ipsum Christi regnum, fraudibus hominum, dolisve usquam dissolvi, aut ulla morum pravitate in alteram quampiam reipublicæ formam mutari posse: quod ceteris accidit: perpetuo salvum constet, vel scripturæ sacræ testimonio de Christo loquen-
Luc. 1. *Dan. 2.* tis (cum ait) *Regnabit in æternum: regni ejus non erit finis. Potestas ejus, potestas æterna: regnum ejus, regnum quod non corrumpetur.* Hujus rei si sacræ literæ tacerent, historiæ temporum testes haud dubiam fidem facere possent: quantumvis enim Christi regnum animorum tumultibus, morum perversitate, & novis subinde opinionibus hactenus impetitum sit, valide concussum, & mirabiliter oppugnatum, nusquam tamen subverti aut labefactari potuit. *Portæ inferi*, Christus ait,
Matth. 16. *non prævalebunt adversus ecclesiam*: ipsi & jurati hostes & capitales ecclesiæ, qui nostris maxime temporibus, summo pontificatui bellum indixerunt, veritati usque adeo in luce positæ repugnare veriti sunt: produco in medium Bucerum, dæmonis buccinam admodum sonoram. Is cum ab Henrico Angliæ rege, qui pontificiam dignitatem magnopere extinctam cupiebat, rogaretur quænam ratio iniri posset evertendi Christi regnum, & perdendi ecclesiam Dei: Nullam, inquit, excogitare queas o rex, nisi prius Christum Jesum ejus conditorem, servatoremque de medio abstuleris.

Neque abs re, mea quidem sententia, hanc præ ceteris vivendi normam probavit cœlestis legislator, & in ecclesia sua retineri, & ab hominibus servari exactissime præcepit. Gravissimorum philosophorum, qui de republica nobis præcepta tradiderunt sententia est, si unus quispiam dari possit, qui rebus omnibus quæ sunt ad apte moderandum imperium necessariæ, abundaret: & munere atque officio suo recte defungi perpetuo posset, qui prudentia summa valeret: summo judicio: scientia rerum insigni imbutus: & ceteris animi atque corporis ornamentis præditus, quæ regiam dignitatem decent, eam maxime regendi & gubernandi formam tenendam esse, in qua unus semper imperat: parent ceteri. Sed quoniam difficile admodum, aut potius minime unus aliquis uspiam reperitur, qui tot ac tantis maximarum virtutum laudibus sit cumulatus, tanquam secunda navigatione minimum malorum eligimus, probamusque illam, sequamurque gubernandi rationem, quam plures boni atque sapientes viri exercent, qui se mutuis operis adjuvant: ut unius diligentia, strenuaque virtute, alterius negligentia atque animi vitium compensetur. Cum igitur Christus Jesus regno suo perpetuo adsit, patrocineturque, quod illi est verbis pollicitus: *Ego vobiscum sum omnibus diebus* *Matth. 28.*
usque ad consummationem sæculi: cum paracletus Spiritus, ecclesiam imbuat cœlesti doctrina, quod Christus testatur, cum ait: *Paracletus autem Spi-* *Joan. 14.*
ritus sanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, cum vicario suo in terris Christus firmitatem in fide, constantiamque promiserit, dicens: *Ego orabo* *Luc. 20.*
pro te, ne usquam deficiat fides tua: cum instruendi, & confirmandi ceteros omnes eidem facultatem fecerit, ajens: *Tu confirma fratres tuos*, cum sit ille fundamentum ecclesiæ, adversus quam portæ inferi, id est, impietatis & flagitii genus omne, nusquam prævalebunt, quantumvis illam violenter impetant, & conjuratis animis aggrediantur, dubium non est, quin ecclesiam Christus instituerit instar regni, in qua unus ceteris imperet, cum hic unus quisquis sit nusquam perniciose labi possit, tunc maxime, cum ex officio res tractat ecclesiæ, quæ vel ipsam fidem attingunt, vel morum generalia condit decreta, insuper hac potissimum ratione unitas corporis mystici, tantopere apostolis, & sanctis patribus probata, commendataque servatur.

Qua fiducia erecti, si studio veræ pietatis incensi sumus, tametsi omnia hæreticorum sectis atque blaphemiis turbata videamus, nunquam animos demittemus: sed tunc vel maxime divinum nobis auxilium adfuturum confidemus, & in summa rerum desperatione, præsertim, si humanæ vires expendantur, ad firmissimam spem salutis erigemur: huic amplissimo regno suo beatum Petrum ex sacro illo senatu delectum, & accuratissime imbutum cœlesti magisterio Christus præfecit: qui tametsi multa habeat cum ceteris regibus communia, illud habet procul dubio peculiare atque suum, quod cum ceteri reges auctoritatem suam, id est, vim gubernandi atque agendi a republica susceperint, cui natura concessum est, regem creare: Petrus atque etiam in eo ceteri omnes summi, maximique pontifices proxime a Christo auctoritatem & facultatem regendi susceperunt. Quam deinde præcipuis ecclesiæ membris, episcopos & presbyteros intelligo, distribuunt, ut jam istam pascendi vim non in ecclesia Petrus, sed in Petro potius ecclesia cœpisse videatur: super hunc Petrum, tanquam

supra

ANNO CHRISTI 1562.

ſupra firmam petram Chriſtus ædificavit eccleſiam ſuam: huic cœleſtis regni claves dedit, ſymbolum regiæ facultatis atque potentiæ: hujus eam dignitatem in eccleſia eſſe voluit, ut ratum atque firmum in cœlis ſit habiturus quicquid ille in terris probarit. Is Chriſti vicem gerit in terris tanquam mortalis Deus: is denique primatum, atque imperium in univerſalem eccleſiam tenet: neque modo honore & dignitate ceteros omnes, qui ſunt in eadem longo intervallo exuperat, & antecellit, ſed etiam facultatis regendi & gubernandi proram & puppim tenet.

Hujus ſententiæ, ſi divinam ipſam legem diligenter inſpicere velimus (ut interim ejus interpretes ſanctiſſimos atque doctiſſimos viros miſſos faciamus) non obſcura paſſim adverſus depravatores verbi Dei argumenta reperimus. Ne tamen de re ad propoſitum maxime neceſſaria nihil omnino dixiſſe videamur, nonnulla obiter in memoriam veſtram referemus, quæ convincendis hæreticis hac parte ſatis eſſe queant: niſi illi more ſuo adverſus manifeſtam veritatem admodum repugnantem animum gerant: vos me, ut cœpiſtis, patres, patienter audite: ego vos audiendi faſtidio brevi liberabo.

Imprimis huc ſpectat quod Chriſtus Petro inquit: *Ne ſcandalizemus eos*, qui tributum inquam petebant, *vade ad mare* & eum piſcem qui primus aſcenderit, tolle: & aperto ore ejus invenies ſtaterem, illum ſumens, *da illis pro me & te*, quemadmodum enim pro ſe ipſo, quod pater familias eſſet Chriſtus didrachmam pependit, ita etiam cum Petro porrigi jubet, eumdem patremfamilias declarat, & ceteris præficit, quod Auguſtinus, Ambroſius, & Cyrillus magni viri nobis retulerunt. Accedit ad hoc quod cum Matthæus evangeliſta duodecim apoſtolos nominatim recenſeret, principem locum Petro tribuit, dicens: *duodecim nomina apoſtolorum hæc ſunt, primus Simon, qui dicitur Petrus, & Andreas frater ejus*, cum enim prior Andreas quam Petrus ad apoſtolatum vocatus ſit, quod ex Joannis evangeliſtæ hiſtoria liquido conſtat, non poteſt primus vocatione Petrus exiſtimari, ſed dignitate atque honore. Deinde, cum in omni fere ſermone quem Chriſtus contulit cum apoſtolis ſuis; & roget Petrus & reſpondeat, neque ſuo tantum nomine, ſed etiam ceterorum apoſtolorum, quod vel eo argumento convincitur, quoniam interrogante Chriſto: *Vos autem quem me eſſe dicitis?* unus Petrus ſubjungit: *Tu es Chriſtus filius Dei vivi*; dubium eſſe non debet, quin Petrus caput eccleſiæ & princeps reliquorum ſit conſtitutus.

Matth. 17.

Matth. 10.

Joan. 10.

Matth 16.

Præterea principis officio ceteris præſentibus defunctus eſt, poſtquam in æthereas ſedes Chriſtus remeavit, quod ille temere nuſquam uſurpaſſet: cum enim de creando in locum Judæ apoſtolo ageretur, exurgens Petrus in medio fratrum dixit. *Viri fratres*; in die pentecoſtes ille unus ceteros omnes a crimine quod illis inurebatur defendit: ille unus tanquam judex a Chriſto delectus, ſpectantibus ceteris Ananiam, & Saphiram capite damnavit: ille unus Simonis Magi teterrimum vitium verbis acerrimis reprehendit: ille unus in eccleſiæ gremium gentes admittere juſſus eſt: cum conſpecto linteo, in quo omnis generis animalia cernerentur, illam vocem auribus hauſit: Surge Petre, occide, & manduca: denique ille unus in concilio apoſtolorum de ceſſatione legalium auctor ſententiæ fuit, quod eſt homini in eccleſiam tenentis imperium.

Act. 1. Act. 2. Act. 5. Act. 8. Act. 10. Act. 15. &c.

Hanc ſupremam dignitatem & poteſtatis amplitudinem, quam Chriſtus Petro pollicitus eſt poſt magnificam illam atque divinam vocem: *Tu es Chriſtus filius Dei vivi*, quam emiſerat, rogatus cum ceteris: *Vos autem quem me eſſe dicitis?* poſtquam ſe a mortuis excitavit, Petro in manus dedit: ne quiſpiam exiſtimare poſſet ullo pacto, ab eadem excidiſſe, quod qua nocte ad mortem vitæ magiſter ductus eſt, eumdem abnegaſſet, atque id ſane, verbis tam parum obſcuris, ut niſi qui pertinaci animo contendat, omnes procul dubio dicturi ſint, ſummam a Chriſto in eccleſiam ſuam Petro poteſtatem, & agendi vim eſſe conceſſam, cum inquit: *Paſce oves meas: paſce agnos meos*: nam quia Petro, atque in eo ceteris omnibus ſummis pontificibus ſimpliciter, *Paſce*, ait, haud dubie ſignificat, tunc a ſe omne genus paſtus exhibendi, uni, cui loquitur his verbis, Petro committi: atque impoſterum debere penes pontificem maximum reſidere: & cum oves nominet, univerſos procul dubio Chriſtianos intelligit: eccleſias etiam omnes, atque hominum Chriſtianorum cœtus, eximit nullum, juxta tropum ſanctarum ſcripturarum. Paſcere enim, quo verbo in præſentia Joannes evangeliſta uſus eſt, regere & gubernare eſt, natura verbi ipſius: unde fit ut ad reges quoque, & principes gentium pertineat hæc vox, quos ethnici ſcriptores, ſed imprimis Homerus, paſtores populorum appellaverunt. Nam quemadmodum paſtores, ovium commodis diligenter invigilant: ita quoque principes atque reges non tam ſuæ utilitatis ſtudioſi eſſe debent, quam gentium & populorum ſibi ſubditorum.

Joan. 21.

Hujus ſanctiſſimi regni habenas, ut id quoque obiter dicam, patres, non ante Petrus accepit, quam familiariter cognitum, & longis ac magnis experimentis probatum, dignum Chriſtus judicaret, qui peram & baculum paſtoralis indicia dignitatis teneret. Neque enim temere quiſpiam, ſed magno potius judicio ad paſcendum gregem domini admitti debet. Igitur cum cœleſti magiſterio Petrus imbutus eſſet, atque ſtrenue multos annos ſancti Spiritus diſciplina eruditus: plenam tandem paſcendi poteſtatem accepturus, duarum clariſſimarum virtutum, fidei videlicet & caritatis, quibus ceteræ omnes maxime continentur, publica documenta exhibuit: fidei quidem, ubi rogatus a Chriſto: *vos autem quem me eſſe dicitis? Tu es*, inquit, *Chriſtus Filius Dei vivi*. Caritatis vero, cum eodem interrogante, *Petre diligis me plus his? Tu ſcis domine*, reſpondit, *quia amo te*: utraque autem virtus tanto ſplendore enituit, atque effulſit in Petro, ut ob eam rem ſummis encomiis hac divina Chriſti voce eumdem celebratum eſſe ſciamus: *Beatus es Simon Bar-jona: quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed pater meus qui in cœlis eſt*. Caritatis ſimiliter a Chriſto Jeſu magnificam admodum his verbis laudem tulit, *cum eſſes junior, cingebas te, & ambulabas quo tu volebas: cum autem ſenueris, extendes manus tuas, & alius te cinget*: quibus pro evangelio mortem eſſe oppetiturum Petrum declarat: qua una caritate nulla major fingi poſſit.

Matth. 16. Joan. 21.

Et ſane rationi videtur nimium conſentaneum, ut qui auctoritate, dignitate, atque honore ceteros omnes plurimum exuperat, duabus his, ut ceteras taceam, excellentiſſimis virtutibus plurimum polleat: quarum Petrus non verbis modo, ut attigimus, ſed re quoque ipſa inſigne orbi terra-

ANNO CHRISTI 1562.

terrarum reliquit exemplum, atque ſpecimen præbuit: dum abominandam illam Simonis magi hæreſim detegeret, convinceret oratione, & virtute cœleſti diſſiparet, & lumen verbi Dei prædicatione ſua latiſſime propagaret, rebuſque omnibus, quæ ad eccleſiam, quam moderabatur, pertinerent, præclariſſime compoſitis a carnificibus ſævis, immaniſſimiſque tyrannis, tandem impetravit, ut capite in terram verſo crucifigeretur, quod ſe indignum putaret, ac diceret qui eodem prorſus mortis genere cum vitæ magiſtro & ſervatore interimeretur.

Tales in eccleſia ſua Chriſtus pontifices requirit, qui fidem quam docendo præſtare debent, & ab hæreticis extorquere, firmiſſime teneant, qui cum caritate, quæ ad regendum magnopere neceſſaria eſt, incenſi ſint, & ſtudio pietatis inflammati, diligentia atque induſtria proſint plurimum. Tales etiam hactenus eccleſiæ Romanæ pontifices, & moderatores contigerunt, præſertim verò his temporibus, cum divino beneficio perturbatis & afflictis rebus, hæreticorum fraude atque dolis ſanctiſſimus Pius quartus datus eſt; pontifex vere pius: cujus egregia fides tam longe & late emicat: tam ſeſe ingerit omnibus ſponte ſua, ut nihil ardentius fugiat, aut vehementius, quam ſchiſmata, hæreſimque ſæviſſimam eccleſiæ peſtem deteſtetur: cujus radicitus evellendæ cauſa ſacram iſtam ſynodum indixit: quem zelus domus Dei uſque adeo mirabiliter comedit atque exedit, ut deformatam ætatis decurſu vivendi normam, & private bullis editis, & publice in concilio veſtro, ad priſtinum nitorem, quantum fieri poſſit, ſtudeat revocare, atque id tam magnis conatibus, tamque impotenti animo, ut neque ſumptibus ullis, neque labori, neque, ſi res poſtulet, ſaluti aut vitæ parcat, ut miſeræ & calamitatibus graviter oppreſſæ Chriſti ſponſæ opituletur. Caritas vero in eo tanta eſt, ut etiam epiſcoporum inopiam ſuis facultatibus liberaliter ſublevet, quo commodius Tridenti ſumptus tolerare queant: tolerantia vero uſque adeo ingens, ad convitia præſertim perferenda, quæ a ſceleratis atque impiis hominibus in eum paſſim jactantur, quantam vix quiſpiam poſſit cogitare, & quod in eo omnes mirari maxime ſolent, atque ego eximia quadam laude dignum puto, rebus atque verbis paſſim oſtendit, nihil eſſe ſibi luce veritatis antiquius, quam ex profundis tenebris, quibus illa ſepulta jacet, in aſpectum hominum producere, ac revocare ſtrenuiſſime laborat.

Ad hujus vigilantiſſimi atque admodum ſtrenui paſtoris exemplum, æquum eſt, ut paſtores gregis domini, quotquot ſunt, vitam inſtituant & componant ſuam: hunc pergant exprimere agendo, ſi ſibi ipſis, ſi gregi ſibi commiſſo, ſi muneri denique atque officio ſuo bene conſultum volunt: habent in eo quod laudare jure queant atque imitari ſi velint: tam diu autem velle debent, quam diu eoſdem hac in re profeciſſe non pœnitebit. Quamquam autem perpetuo vobis patres enitendum ſit, ne quid uſpiam detrimenti reſpublica Chriſti, ne quid detrimenti patiantur ejus oves, veſtræ curæ atque induſtriæ commiſſæ a ſummo paſtore, & Chriſti vicario in terris pontifice Romano: nunc profecto laborandum eſt maxime, cum pro incolumitate, atque ſalute eccleſiæ totius ſacros conventus celebratis, ut vetus diſciplina ſtabiliatur: ut contractæ in eccleſia ſordes abluantur, ut ſplendor quarundam legum, quas noſtra flagitia offuſca-

ANNO CHRISTI 1562.

verunt, orbi Chriſtiano reſtituatur: ut perverſa his temporibus dogmata ab impiis ſparſa procul ablegentur, denique ut qui ſenſim in eccleſiam ſanctam abuſus irrepſerunt, ſalvis ſemper rebus, de medio tollantur; id niſi præſtiteritis, patres ſanctiſſimi, fruſtra eccleſias veſtras deſeruiſtis, fruſtra tam longa itinera, & terra marique periculoſa ſuſcepiſtis: fruſtra tot ſumptus facitis, fruſtra denique vos curis & ſolicitudinibus Tridenti conficitis.

Ceterum in ea re præſtanda: quod dicam cum bona veſtra venia, patres, non tam vobis inſpiciendum eſt, quid expediat in reipublicæ Chriſtianæ gratiam ſacroſanctis comitiis veſtris ſtatui, quam quid illa commode ferre valeat, quid ferre recuſet: cum enim in eccleſia Chriſti, perinde atque in quavis alia republica, varia variis temporibus conveniant, & accommodata ſint, unde in conciliis ſæpenumero orta varietas, & decretorum atque legum tam varia extitit copia, magnopere temporis ratio in novis legibus ferendis, aut antiquis & obſoletis in uſum revocandis, habenda eſt, decrepitam aut potius ſenio confectam cernitis eccleſiam: nos enim procul dubio ſumus in quos fines ſæculorum devenerunt, conſulite eccleſiæ ut ſeni, conſulite ut decrepitæ, quæ neque laborem juventutis ferre poſſit, neque cibum perinde ſumere, conficereque, ut cum ætate atque viribus præſtabat: ſenem non decet quivis color, non quivis ornatus decet, morbo pene abſumpta eſt, proinde caute atque prudenter illam curate, perniciosis humoribus redundat, cordate illi medeamini oportet, nedum purgare pergitis, humores plus juſto redundantes, potentiori pharmaco excitati, eccleſiam, quantum in ſe eſt, obruant, peſſundent, atque conficiant: ſenſim, & longo tempore contractus morbus, ſenſim & longo tempore pelli debet. 1. Cor. 10.

Ne igitur tam ſolliciti ſitis, quo pacto pene amiſſa jam recuperari poſſit, atque in priſtinum ſtatum reſtitui, quam ut præſentem quæ tota præceps ruere quotidie videtur, ſervetis. Satius eſt enim eſſe ubi nunc reſpublica Chriſtiana eſt, quod de ſua quondam Cicero ajebat, quam ut dum illam veterem ſequimur, ſimus in nulla: ſemper autem vobis, patres, cavendum eſt, quod cavetis diligenter, ne præter modum exaggeratis peccatis, prodi eccleſia hoſtibus ſuis, atque ejus princeps, & communis omnium noſtrum parens traduci aut infamari videatur: hunc ipſum curſum rerum ſi tenere in negotiis tractandis & ſervare volueritis, plurimum ſane proficietis: Deus autem omnis gratiæ, qui vocavit nos in æternam ſuam gloriam, ipſe conatus veſtros perficiet, confirmabit, ſolidabitque: ipſi gloria & imperium in ſæcula ſæcclorum. Amen.

XCVII.

SERMO HABITUS TRIDENTI, dominica quarta poſt pentecoſtem, auctore Petro Morcato presbytero, epiſcopi Vicienſis theologo.

DIVO Luca referente (ſancta eccleſia catholica) poſt ſuperatam tentationem, ſcimus redemptorem noſtrum applicuiſſe Nazareth, ubi nutritus erat, ac pro illius ſancta & laudabili conſuetudine intraſſe ſynagogam: ubi, ait evangeli-

ANNO CHRISTI 1562.

ſta, ſurgit, ut legeret. Traditus eſt ei liber Iſajæ prophetæ, quem ubi revolvit, invenit locum in quo ſcriptum erat: *Spiritus domini ſuper me, propter quod unxit me: evangelizare pauperibus miſit me, ſanare contritos corde, prædicare captivis remiſſionem, & cæcis viſum*, &c. Hoc Chriſti facto qui eccleſiam Dei intramus, præterea ut alios doceamus, ſurgimus: hoc eſt; hunc ſanctum locum aſcendimus, edocemur, ne aliunde nobis parauram ut habeamus orationem pro libito eligamus, quam ex eccleſiæ præſcripto. Hæc enim unoquoque die ſtatutum habet evangelium, deſignatas etiam epiſtolas, tum ex literis apoſtolicis deſumptas, tum ex veteri inſtrumento: quibus habiturus orationem neceſſum eſt ligetur. Habet igitur ſic evangelium hodiernum: *Factum eſt autem cum turbæ irruerent in eum, ut audirent verbum Dei, & ipſe ſtabat ſecus ſtagnum Genezareth. Et vidit duas naves ſtantes ſecus ſtagnum: piſcatores autem deſcenderant, & lavabant retia. Aſcendens autem in unam navim*, quæ erat *Simonis, rogavit eum a terra reducere puſillum. Et ſedens docebat de naviculæ turbas.* Finem hic faciamus, ſatis enim erit ſi huic parti evangelii legitimum præſtiterimus terminum. Inquit evangeliſta, cum plicuiſſet dominus librum, reddidit miniſtro & ſedit, & omnium in ſynagoga oculi erant intendentes in eum. Ad hoc exemplum oratos vos volo patres ſanctiſſimos, tum propter dignitatem ſummam, quam in eccleſia Dei hodie tenetis: tum propter veſtram humanitatem, qua alios hoc in loco complecti ſoletis, me animo benigno, & attento audiatis.

Luc. 5.

Luc. 4.

Cœpit autem dicere ad illos; *Quia hodie impleta eſt hæc ſcriptura in auribus veſtris*. Et hinc ego ordior orationem meam: quia hodie implenda eſt a vobis & perficienda (patres) hiſtoria evangelii, quam auribus veſtris audiviſtis: ſin ſecus, actum eſt de nobis, actum eſt de fide, deque religione, de pace, ſine qua nemo videbit Deum. Præſtabilius enim foret nos qui hic adſumus, nunquam natos fuiſſe, aut quod matres noſtræ, priuſquam in earum utero animaremur, de nobis aborſum feciſſent. Verum enimvero ne quiſpiam putet me his fallere quempiam, pedetentim literam evangelii tentemus: fiet enim tunc intelligat me vera pronunciare. (*Factum eſt autem dum turbæ irruerent in eum*) Cum ſynagoga ſuos habuerit prophetas, ſuos ſcribas, ſuos etiam ſacerdotes, quorum munus erat docere: quid rei factum eſt, ut populus Judæorum relictis illis Chriſtum adiret? quod factum evangeliſta nobis ſic narrat: *Factum eſt autem cum turbæ irruerent in eum* (emphaſim enim hæc verba habent) Præmiſit evangeliſta cauſam; *ſtupebant* (inquit) *in doctrina ejus, quia ſermo in poteſtate ejus erat*. Denique ob mirabiliorem doctrinam Chriſti, præ Phariſæorum doctrina factum iri evangeliſta ait, cujus cauſam ſubdit: *quia in poteſtate erat ſermo ipſius*: vel ut alius evangeliſta dicit, *erat docens ſicut poteſtatem habens, & non ſicut ſcribæ & Phariſæi*. Docebant enim Phariſæi principibus adulantes, aut poteſtatibus ſæcularibus inſervientes, aut propriæ cupiditati. Hæc enim eſt ſumma poteſtas quæ regnat, & nos vincit: quam apoſtolus dicit radicem eſſe omnium malorum, eam enim quidam appetentes erraverunt a fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis, ſupra quam dici poſſit. Chriſtus autem nemini adulabatur, nec inſerviebat alicui cupiditati malignæ, quam non habebat: ſi quidem peccatum non fecerat, ſed negotium patris, ad quod miſſus erat, poſthabitis omnibus curabat.

Luc. 4.

Matth. 7.

1. Tim. 6.

1. Petri 2.

ANNO CHRISTI 1462.

Rogate igitur Deum, patres, pro me, ſiquidem hodie vicarius ſum Chriſti, & quamvis indignus munere doctoris fungar, ut doceam non ſicut ſcribæ & Phariſæi, hoc eſt, addictus alicui principi, aut poteſtati, aut terrenæ cupiditati: ſed *ſicut poteſtatem habens*, hoc eſt, negotium Chriſti ſolum agens: quod totis viribus facere enitar, ſed interim veſtris ſanctis orationibus adjuvate me.

1. Petri 2.

Erat Petrus in carcere, inquit hiſtoria ſacra, *& oratio fiebat ab eccleſia ſine intermiſſione ad Deum pro eo*. Itaque & vos, patres, Petrus eſtis, negotium Petri agitis, parum dixi, imo negotium Chriſti: curate igitur ne in carcere ſitis, hoc eſt, addicti alicui regi, aut poteſtati ſæculari: aut propriæ cupiditati, ſiquidem univerſa eccleſia orat pro vobis. Non extra rem in hac cauſa dicam, quod apoſtolus ad Romanos ſcribens, eos ad ſalubrem pacem deducere cupiens, ait. *Et omnis creatura ingemiſcit & parturit uſque adhuc, expectans redemptionem corporis noſtri*: ad eumdem modum univerſus orbis ingemiſcit & parturit, expectans ab hac ſancta ſynodo redemptionem, ac pacem totius corporis noſtri, hoc eſt, eccleſiæ Dei. Nolite igitur, patres, ſuſpiriis & orationibus univerſi orbis reſiſtere, quinimo quod veſtri ſancti officii eſt, hoc tantum negotium Chriſti agere curate: ſic enim fiet, ut non ſcribas & Phariſæos ſequamini, ſed Chriſtum: apud quem (ut dixi) ſumma erat poteſtas. Eamdem enim ſummam habetis vos, ſiquidem integram pontificis ſummi voluntatem tenetis: quod ſi ſecus, fruſtra laboramus. Ad hæc propitias etiam habetis omnes ſæculi poteſtates, quæ pollicitæ ſunt, ſeſe huic ſanctæ ſynodo omnem operam & favorem præſtaturas.

Act. 18.

Rom. 8.

Sat crebro apoſtolus Paulus rogabat eos ad quos ſcribebat, ut Deum pro ſe orarent, quo negotium Chriſti, cujus apoſtolus erat, libere tractaret. Ait enim ad Epheſios ſcribens: *Orate pro omnibus ſanctis & pro me, ut detur mihi ſermo in apertione oris mei, cum fiducia, notum facere myſterium evangelii, pro quo legatione fungor in catena, ita ut in ipſo audeam*. Vel ut Græcus ſermo habet: *Ἵνα ἐν αὐτῷ παῤῥησιάσωμαι*, id eſt, ut in eo libere agam, prout oportet me loqui. Sentiebat itaque apoſtolus maxime oportere ſe myſterium Chriſti, pro quo legatione fungebatur, libere ac cum omni fiducia tractare. At idem eſt quod Theſſalonicenſi eccleſiæ ſcribit: *Creditum nobis evangelium ita loquimur, non quaſi hominibus placentes, ſed Deo, qui probat corda noſtra. Neque enim aliquando fuimus in ſermone adulationis ſicut ſcitis, neque in occaſione avaritiæ, Deus teſtis eſt*: quam recte ſanctus apoſtolus ait, non ſe ſicut ſcribam & Phariſæum docuiſſe, ſed ſicut poteſtatem habens: Ait enim: *creditum nobis evangelium ita loquimur, non quaſi hominibus placentes*: etenim hi confuſione ſubjecti ſunt, & quod magis eſt, Deus ſpernet eos, qui omnium hominum corda probat. Neque vero dicit ſe fuiſſe aliquando in ſermone adulatorem, quales erant ſcribæ, cujus rei eos ad quos ſcribit teſtes citat: neque ait, ſe in occaſione avaritiæ fuiſſe, ac ſi dixiſſet: tantum abeſt ut avaritiæ ſtuduerim, quin nec alii quod de me id putarint occaſionem præbui, cujus facti Deum in teſtem vocat. Supereſt igitur, patres, tantum apoſtolum hodie imitandum vobis proponatis.

Eph. 6.

1. Theſſ. 2.

1. Theſſ. 2. Pſal. 52.

Ad

ANNO CHRISTI 1562.

Ad idem argumentum facit, quod in alia dicebat: *De cætero fratres orate pro nobis, ut sermo Dei currat, & clarificetur, & ut liberemur ab importunis & malis hominibus: non enim omnium est fides*: & nos etiam oramus pro vobis, ut sermo vester currat, id est, libere agatur, quo Deus clarificetur, & ut liberemini ab importunis hominibus, quos scimus hoc nostro sæculo non deesse. Non omnium esse fidem dixit apostolus, & non solum illius temporibus (verum est) sed & nostris, quod maxime dolemus. Consolamur tamen eo Salomonis dicto, qui ait: *Quid est quod fuit, id quod est, & id quod est, erit*. Titum etiam, quem in ecclesiastico ministerio erudierat, apostolus ita alloquitur. *Hæc loquere, & exhortare, & argue, cum omni imperio: nemo te contemnat*. Et vos fratres sat fideliter in ecclesiastico negotio eruditi estis: loquimini igitur & objurgate cum omni imperio: ita enim fiet, ut nemo vos contemnat. Animadversione dignum est, quod apostolus illis verbis subjecit (*nemo te contemnat*) præviderat enim secundum spiritum datum sibi futurum fore, ut si Titus ecclesiastica ministeria cum timore tractaret, facile se subjectum fore vilipendio hominum & contemptui: atque ideo eum admonuit de illa libertate apostolica.

Hunc igitur operæ pretium est hæc sancta synodus imitetur, ne illius statuta sancta & decreta vilipendio ac neglectui pateant. Audio sæpe plerosque ex vobis conqueri, & conturbari, quod principes & reges per injuriam occupent ecclesiam Dei, hoc est, census sacerdotibus ministerium exhibentibus debitos, & egenis, cujus mali vos per omnia culpatos esse pronuntio: siquidem expectantes beneficium, gratiam ac laborem ab eisdem, negotium Dei postponitis: atque ita fit, ut huic cupiditati addicti, non libere negotium ecclesiæ, sicut edocti estis a Christo & Paulo, tractetis: proinde factum est, ut & vos & sancta statuta vestra contemnant. Qui enim in negotio ecclesiæ nihil agunt, præterquam id quod reges, quos ipsi consulunt, præscribunt, quasi fides nostra e placitis regum pendeat: cum sciamus probandas esse personas e fide, non vero fidem e personis: nam quid obsecro aliud hoc facto docent, quam quod propriæ cupiditati inserviant, neque negotium Christi libere, ut par est, tractent? Conqueritur Deus, dicens: *Numquid non erat Deus in Israel quem consuleretis*? Habetis itaque patres scripturam sacram, ubi aperte voluntas Dei resplendescit. Habetis etiam concilia generalia: ad hæc historias ecclesiæ, & sanctos doctores ecclesiæ lumina. Hæc omnia reges sunt, quos in ecclesiæ causa necessum est consulatis. Num quod attinet ad præsens argumentum, est aliquod consilium firmius & salubrius, consilio & facto hujus sanctæ synodi? quod si secus putamus, reperti sumus in fide fluctuantes. Non enim Christus dixit: *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*, principibus aut regibus: sed sacrato illius comitatui, cujus vos successores estis. Quod si regum consultatio pro votis non successerit, resistite illis: vestra enim interest hæc fidelissime tractare. Audistis igitur quamobrem Judæorum populus neglectis synagogæ sacerdotibus ad Chtistum confugerit.

Est & alia causa quam evangelista non tacet, quamobrem ad Christum confugerint (nempe ut audirent verbum Dei.) Argumento est igitur synagogæ sacerdotes non docuisse verbum Dei, sed leges suas humanas, quod factum esse ita indicat evangelista Matthæus: *Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram*? quamquam hoc loci non simpliciter leges Pharisæorum humanas condemnat, sed eas quæ legi Dei repugnabant. Quod facile cognoscimus ex evangelistæ discursu: & clarius ex Marco, vel eas leges quæ nullius utilitatis & frugis erant improbat, ad quod alludit apostolus scribens ad Philippenses his verbis: *Propter quod multam fiduciam habens*: vel ut Græcus habet (διὸ πολλὴν ἐν Χριστῷ παῤῥησίαν ἔχων) id est, multam habens in Christo libertatem imperandi tibi quod ad rem pertinet (τὸ ἀνῆκον) id est, quod decens est, quod conveniens est. Sentiebat itaque apostolus se non debere mandare Philemoni quæ levia & nullius frugis erant, sed id quod expediens fore videbat.

Non semel olim Deus prophetarum synagogæ conquerebatur, quod somnia sua & commenta humana inculcarent, interim neglecto illius verbo: Sic enim dicit apud Hieremiam: *qui volunt facere ut obliviscatur populus meus nominis mei, propter somnia eorum quæ narrat unusquisque ad proximum suum, sicut obliti sunt patres eorum nominis mei propter Baal. Propheta qui habet somnium narret somnium, & qui habet sermonem meum, loquatur sermonem meum vere. Quid paleis ad triticum, dicit dominus*? comparat igitur prophetarum somnia paleis, quæ præter illam exterioritatem & mollitiem lenem nihil habent, quinimo medullæ & fructus intus vacua sunt. Contra vero sermo Dei triticum est, qui quamvis exterius aliquo modo asper videatur, sed intus plenus est medulla, & dulcedine, quibus incrassabuntur illius fideles observatores. Non sine damno etiam ingenti ecclesiæ Dei factum est, ut ejus legis interpretes populo etiam inculcarent sua somnia & commenta, interdum comminiscentes falsa miracula, sermone Dei neglecto: qui non ex una civitate a vobis, sed ut ille dixit, ex universo orbe exsibilandi sunt: sunt enim muscæ fœtidissimæ, quæ perdunt suavitatem unguenti, hoc est, dulcedinem verbi Dei. Curate igitur, patres, huic tanto malo, ne scandala in ecclesia Dei amplius augescant, occurrere.

Est & alia causa, quam subodorari licet ex evangelii historia, quamobrem Judæorum populus suis neglectis sacerdotibus ad Christum confugerent. Ea enim est, quod Christus gratis doceret: contra vero illi, non nisi conducti mercede. Neque egemus testimoniis ut probemus illorum sacerdotum avaritiam: nihil enim aliud clamant fere prophetarum voces, & Christi apud evangelistas sermones. Quod enim Christus gratis docuisset, scriptum est: *Gratis accepistis, gratis date*: non utique gratis accepissent, nisi Christus gratis dedisset: summum enim ecclesiæ malum est, non aliter docere, nisi mercede conducamur. Neque vero quispiam putet hac de causa me velle dicere non deberi mercedem pastori: absit ut Paulo repugnem, per quem Christus loquebatur: is enim dicebat, *Nemo militat suis stipendiis unquam*. Et illud: *Non alligabis os bovi trituranti*. Et illud: *Si seminamus vobis spiritualia, mirum est quod vestra carnalia metamus*? absit etiam ut Christo resistam, dicenti: *Dignus est mercenarius cibo suo*: sed quod dico istud est: indignos nempe esse doctoris munere, qui non aliter nisi pretio appretiati docturi sunt. Vulgatissimum est enim illud Gregorii dictum: facile doctrina pastoris despicitur, cum vita illius non approbatur secundum spiritum datum sibi.

Ecclesi. 1.
Tit. 2.
Tertul. lib. de præscr. hæreti.
2. Reg. 1.
Matth. 18.
Matth. 15.
Marc. 7.
Jerem. 23.
Ecclesi. 8.
1. Cor. 9.
2. Tim. 5.
1. Cor. 9.
Matth. 10.
Gregor.

ANNO CHRISTI 1562.

Reverendiſſimus Coimbricenſis volens extra A ecclesiam Dei exeludere abuſus (ii enim potiſſimum argumentum hæreticorum ſunt adverſus nos, neque alio ſimplicem plebem decipiunt) dixit facile factum iri, ſi hæc duo verba (non obſtantibus) ab eccleſia Dei pellerentur. Fieri enim non poteſt, patres, quin in eccleſia Dei habeamus pontificem, qui compatiatur infirmitatibus noſtris: fieri etiam non poteſt, quin habeamus paſtorem qui paſcat nos, qui oblatis indulgentiis, eiſdemque conceſſis, alliciat nos ad orationem, ad jejunium, ad eleemoſynarum largitionem, & ad confeſſionem ſacramentalem, per quam Deo reconciliamur & proximo. Verum enimvero ſanctus epiſcopus noluit ea tolli ex eccleſia Dei: ſed animadvertens ſuperfluitatem diſpenſationum, B interim vel inconſulto pontifice, vel in informatione decepto, dixit: alludens ad id quod dulcis

Bernar. Bernardus dixit: non prohibeo diſpenſare, ſed diſſipare. Ego vero certius conſultum iri puto eccleſiæ Dei, ſi duo verba quæ non humana ſunt ſed divina, ſumma obſervatione & ampiectantur, & teneantur; hæc enim ſunt, *gratis dare*, quæ juris divini ſunt, oratio eſt enim præceptiva imperativi modi, duobus tantum verbis contenta: ne, ſi plura eſſent, obſcuritatem prætenderent, ucut & in aliis multis interdum fieri ſolet. His enim ſua brevitas profuit, quo evaderent falſarias linguas hominum corruptorum. Satis enim, hoc iſtud indicat locus ubi ſedent: nam poſt hæc verba, infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, dæmones ejicite: adjecta ſunt hæc: C *gratis accepiſtis, gratis date.*

jam illud quale eſt, patres, quod plerique epiſcoporum, ex ſumma illa eccleſiæ cenſura aurifodinam fecerunt: non enim eſt mors neque

Matth. 10. gladius gravior excommunicationis cenſura, & tamen hæc occaſione cujuſdam ceræ, ſigilli, calami, papyri, inique vibratur. Cum ſciamus a-

1. Cor. 5. 1. Tim. 1. 2. Theſſ. 3. poſtolum, illum fornicarium Corinthium, & quoſdam alios blaſphemos, ac quoſdam non obtemperantes verbo Dei, anathemate feriiſſe: at nunc eccleſia Dei plena eſt fornicariis, blaſphemis & repugnatoribus verbi Dei: & ii vitam in maxima quiete ducunt: ſolis enim pauperibus, qui propter certam pecuniæ quantitatem, eam- D que non multam, cum non ſint ſolvendo, inſervit. Quid, quod ſæpe propter canem furto ſublatum, & manicas & veſtes traduntur? Indignum eſt, patres, ob iſtiuſmodi viles cauſas, hanc cenſuram tradi, cujus in cauſa ſunt aurum & argentum, quod occaſione ceræ & ſigilli trahitur: licita enim fuerunt hæc hactenus, ſed nunc cum videamus in tanto eccleſiæ ſcandalo epiſcopos abuti ea, neceſſum eſt animum advertatis, huic tanto aſpero nodo quo cuneo occurrendum ſit. Quid illud erit, quod interdum epiſcopo inconſulto & ejus vicario, a ſcribis qui perpetuo avari

Matth. 8. Matth. 18. ſunt traduntur? cum Chriſtus advocari duos aut tres ait, *ut in ore duorum aut trium ſtet omne verbum*, & Paulus ait: *Congregatis vobis, & ſpiritui* E *meo, tradidi hujuſmodi hominem ſatanæ*: non quod

1. Cor. 5. non feriant dico, ſi ita emittantur; quinimo ideo quia ita nocent non debent tradi, quin prius conſilio prudentum ac piorum hominum res examinata fuerit: ad mortem corporis, ad flagella, ad exilium nemo damnatur, quin prius a multis probis viris ſtatus cauſæ examinetur: in ſola vero excommunicatione, omni genere pœnæ graviore, hæc religio deeſt: antequam hoc emporjum a nobis ſacerdotibus in eccleſia Dei inventum eſſet, omnia ſilentium tenebant.

ANNO CHRISTI 1562.

Erant utique ante hoc tempus tumultus in eccleſia & hæreſes, ſed adverſus ſanctiſſimam Trinitatem, hæ occupabant homines ſolum doctos (ſi ita dicere licet) a quibus facillimo negotio extirpari poterant: at nunc ſunt tumultus adverſus fidem, hærentes carni & ſanguini, qui irretierunt indoctam plebem, quam difficillime veritas ſuperat: ideoque non cunctandum eſt, patres, aream domini purgare, periculum enim in mora eſt, dicebat Deus per Aggæum prophetam: *Reſpexiſtis ad amplius, & ecce inventum eſt minus; inculiſtis in domum, & exſufflavi illud*; Interim quod ad ampliora reſpeximus, hoc eſt, quod magnificardomos extrueremus, & ſupellectilem augeremus, & ut marſupium impleremus, minus habet eccleſia Dei. Quid, quod occaſione hujus argenti falſo conglomerati factum eſt, ut qui numquam latro, numquam homicida futurus alias erat, in utrumque incidit? Cum enim vident ſacerdotem aut epiſcopum morti vicinum, antequam camera apoſtolica veniat, ut quod ſui juris eſt arripiat, utique ad diſpenſandum egenis, conſanguinei, famuli, & plerique alii interdum duces, comites, nobiles, proſapia illuſtres & clari, alias numquam, ut dixi, latrones futuri, inveniuntur furari æs. Vos, patres, decet hæc ſollicite curare.

Exemplum illuſtre præbuit vobis ſummus eccleſiæ paſtor Pius IV. qui ex illa ſua pœnitentiaria reſecavit jam quamplurima vitia, reſecaturus & alia quæ ſuperſunt; nam qui incipit, dimidium facti habet, & perficiet procul dubio: neque aliud, quantum audio, mente tenet, quam eccleſiam purgandam curare. Prævenit igitur vos ſua illa ſancta benignitate, ut quod ille fecit in illa eccleſia capitali in qua reſidet, vos tantumdem in eccleſia catholica faciatis: ſequutus utique hoc facto Chriſtum, qui accepto flagello ementes & vendentes ejecit de templo. Habetis igitur, patres, quem imitemini Pium Petri vicarium, & quod magis eſt, Chriſtum redemptorem. Igitur eo unde digreſſi ſumus, revertamur.

Curate, patres, ut miniſteria Chriſti, & ſacramenta eccleſiaſtica gratis dentur: curate ut Dei verbum doceatur: tandem curate ut libere negotium Chriſti tractetis, non ſicut ſcribæ & phariſæi, ſed ſicut habentes poteſtatem ſummam: ita fiet, ut miſera plebs ludificata ab his nebulonibus & pſeudo evangeliſtis, neglectis illis ad vos revertatur, & eccleſiam Dei, extra quam nullus ſalvus eſt, amplectatur, ac ſub illius protectione agat. Ignoſcite mihi, patres, quod tam palam loquutus fuerim: imo nolite ignoſcere, ſiquidem inflammatus zelo religionis Dei, non poſſum non ita loqui: præterea preſſus ſanctis veſtris orationibus quibus me adjuraſtis, coactus ſum ita effari. *Aſcendens autem in unam navim quæ erat Simonis, rogavit eum a terra reducere puſillum, & ſedens docebat de navicula turbas.* Hiſtoriæ ordo non eſt negligendus, imo ſumma cum attentione obſervandus: non enim prius ſedens docet, & poſtea rogat, navim a terra ſubduci: ſed quod diximus. Qua in re noſcamus oportet doctrinam in eccleſia nihili eſſe, niſi ea a terrenis hominibus, qui eam occupant, liberetur.

Rogat Chriſtus Simonem de reductione navis: & vos, patres, Simon eſtis. Rogat vos Chriſtus quo eccleſiam a malis hominibus liberetis, quos non tantum hæreticos dicit, ſed & indoctos, ac vitæ facinoroſos: cum poſſet experte jubere, non id agit, ſed rogat. Si aliquis vel rex, vel princeps quod in illius gratiam aliquid face-

retis

ANNO CHRISTI 1562.

retis vos rogaret, non tantum bona extrema in illius gratiam dilapidaretis, ac vitam cum ingenti periculo poneretis: atque hoc ipsum summo beneficio duceretis: nunc vero rex regum, & dominus dominantium id rogat: quo modo non satisfacere illi poteritis? Neque enim propter se, sed propter utilitatem nostram id rogat, Deus enim non nostri indiget, quod & poeta luculenter dixit:

Lucret. lib. 1. *Ipsa suis opibus pollens, nihil indiga nostri,*
Nec bene promeritis capitur, nec tangitur ira.

Præsentis diei calamitas sufficiens argumentum est, quo istud facere cunctis viribus enitimini.

Insigne exemplum vobis præbuit ille non minus nobilis, quam extremus dux Judaici exercitus Judas Machabæus, qui cum videret templum profanatum, atque conspurcatum: occupaverat enim illud Antiochus ille (ut ait infallibilis historia sacra) *radix peccati*: quod ita perdiderat, ut in atriis virgulta nata essent asperiora, ultra quam in saltibus & montibus inviis nasci solent. Id cum videret factum, elegit sacerdotes, habentes voluntatem legis Dei, ut coacti id mundarent, atque ita factum est: quotannis etiam designato die solennitatem encœniorum summo cum honore agebant: quam Christus sua præsentia decoravit, quemadmodum in evangelio sancti Joannis reconditum habemus. Neque abs re erit, si observaverimus id quod ait, se sacerdotes habentes voluntatem legis Dei ad id munus exequendum elegisse: non autem scientes dixit: parum enim sacerdoti prodest, si onustus fuerit literis, cum zelo careat Dei: utrumque enim ad restaurationem templi conducibile est, at secundum per omnem modum necessarium: & vos illustrissimi legati hujus sancti exercitus duces estis: habetis etiam hic milites non quoscumque, sed aprime industrios in bello ecclesiastico, qui non solum scientiam legis Dei habent, sed ejusdem amore ac zelo inflammantur. Utimini igitur eorum opera ac industria. Properate omnes una ad templum Dei repurgandum: atque hæc virgulta asperrima, hoc est, sacerdotes inutiles, quos Judas apostolus arbores autumnales, infructuosas appellavit, eradicate. Ut quid enim hi ecclesiam Dei occupant? quod si id feceritis, ut de vobis speramus, fiet ut Christus Jesus sua præsentia nobile factum vestrum honestet: at idem est quod Oseas propheta ait: *Lappa & tribulus ascendet super aras eorum*: herbæ enim sunt hæ nullius fructus, nec adhuc umbræ aptæ, ubi defessi iter agentes caput reclinare valeant: sed eo solum quo animalia venenata calcaneis hominum insidiantia occultentur: ad eumdem modum aras nostras id est, ecclesiæ dignitates, occuparunt lappa & carduus, sacerdotes nullius doctrinæ nec utilitatis, nec ut solatio sint alicui egeno, sed tantum apud se, homicidas & fornicarios homines, quorum vitia officium linguæ vincunt, teneant: hæc velut animalia immunda, sunt a vobis ex aris Dei explodenda. Arcete igitur, patres, a præsepibus ecclesiæ hos fucos, ignavum pecus: disturbant enim & distentant suavitatem hujus ædificii sancti, hoc est, ecclesiæ Dei: consideremus etiam quid propheta his verbis adjecerit: ait enim, *tunc dicent montibus, operite nos: & collibus, cadite super nos*, quod Christus ad diem illum judicii transtulit. Vereor ne præter spem hoc nobis contingat, cum hæc verba illud, quod ego ad præsentem ecclesiæ statum referebam, consequantur.

Totus etiam Aggæus propheta in reædificanda domo Dei pervigilat: ait enim ad Zorobabel, & ad Jesum filium Josedec, & ad reliquos sacerdotes: *Hæc dicit dominus exercituum: Populus iste dicit, nondum venit tempus domus domini ædificandæ*: cum ad sacerdotes sermonem fecerit, quid est quod ait, populus iste dicit: sacerdotes enim a populo segregati erant, quod hi qui domus Dei impediunt ædificium, quamvis sacerdotes sint, populares sunt, nec de summo ordine eorum, sed de vilissimo, ac si diceret: hi non facto sacerdotes sunt, sed nomine tenus, siquidem restaurationem templi quæ ad se attinet perturbant. Addit ultra: *numquid vobis tempus est, ut habitetis in domibus laqueatis, & domus ista deserta sit? ponite corda vestra super vias vestras: seminastis multum, & intulistis parum: comedistis, & non estis satiati*, &c. Perpendite, igitur patres: seminarunt multum patres illi antiqui, tantumdem etiam & vos facitis: hoc est, sancta indicitis decreta: ad hæc plerique vestrum contra ecclesiæ hostes, docte chartas doctrina fideli implevistis. Quid horum quæ seminastis intulistis? nihil fere. Hostes ecclesiæ crescunt, nos autem diminuimur: illi florescunt (si ita loqui liceat) nos arescimus: illi hodie occupant ecclesiam, cras urbem, sequenti vero die provinciam. Quid sub hoc argumento dicam? bona pars Germaniæ præscripsit adversus fidem. Franci homines nunc in perpetuo sunt dissidio. Hispani incœpimus jam infatuari: quid de aliis regionibus dicam? quantum audio, ubique locorum hæc pestis grassata est, ita ut ad Afros usque pervenerit: unde igitur hæc? *quia domus Dei deserta est, dicit dominus*. Quid enim prodest augere statuta & decreta, quantumvis sancta, sicut sunt, si ecclesia Dei sacerdotibus qui ea populo & doceant & repetant, frustrata sit? *Ascendite* (inquit) *montem, portate ligna, & ædificate domum, & acceptabilis mihi erit, & glorificabor*. Et vos, patres sancti, montem hunc ascendistis, hoc est sanctum concilium, quo nihil in cuncto orbe altius: Reædificate igitur domum, & dominus in ea glorificabitur. Nihil clarius ad præsens argumentum dici potuit.

Cum pressus angustia esset populus Israeliticus, dicit Deus per Oseam prophetam: *Ululabant in cubiculis suis, sed super triticum & vinum ruminabant*: suspiria illorum, ruminationes dixit: quasi dicat, non homines sed jumenta sunt, qui cernunt ærumnam instare, & qui debuissent propriam vitam deplorare: ruminabant, inquit, super frumento & vino. Quotus quisque nostrum est, qui non deploret in ecclesia Dei tantam luem? nullus, imo sæpenumero ad lacrymas usque prorumpimus: sed vereor ne suspiria hæc nostra, super auro & argento ruminationes sint: nihil amplius dicam. Dicit igitur dominus sub nomine Zorobabel & sociis: *Confortamini, & facite*, hoc est, domum Dei reædificate, *quia ego vobiscum sum, dicit dominus, & Spiritus meus in medio vestri est, nolite timere*. Et ad vos nunc (sancta synodus) hæc verba dicta sunt: enitere igitur totis viribus, ut templum Dei profanatum emundetur: ad hæc virgulta nata, hoc est, impuri sacerdotes ab eo eradicentur. Dominus enim vobiscum aderit, & spiritus ejus in medio vestri erit, firmus & stabilis est dominus in omnibus promissis: atque ita fiet ut obtemperetis domino supplicanti: ut a terra navim pusillum reducatis.

Et sedens docebat de navicula turbas. Locus

ANNO CHRISTI 1562.

hic nos admonet, ut aliquid de residentia dicamus: verum nos hanc disputationem, potissimum temporis, & loco, aliis relinquimus: siquidem ad manus nostras perventura est. Hoc unum tamen brevi dicam: In Exodo mandabat Deus Moysi, ut arcam deauratam foris & intus faceret: & super eam propitiatorium, sive cœlum, quod eam tegeret de auro mundissimo, ad cujus latus dextrum sit cherub unus, ad sinistrum autem cherub alius, recta oculorum acie in id tendentes: tu autem supra propitiatorium eris, inde te alloquar, & præcipiam quæcumque mandabo per te filiis Israel. Præscribit igitur Moysi locum, quasi non aliter eum alloquuturus sit, nisi medius inter duos cherubinos sederit. Propitiatorium hoc, supra quod Moyses sedet, ecclesiam designat, extra quam neque salus, neque remissio, neque propitiatio peccatorum est. Duo illi cherubini, duo sunt testamenta, hanc ecclesiam respicientia rectam: non enim sibi repugnant. Sedeat igitur in ecclesia pastor, cujus actum Moyses indicat: is enim locus illi ex domini mandato præscriptus est, non aliter ei domino sermonem facturo. Quid igitur veritati tam clare adumbratæ contraimus? quod si quis humana ignorantia laberetur, utcumque ferendum esset: quamquam manifestis scripturæ sensibus contravenire, humana ignorantia non est, sed superba arrogantia, unde judicio meo schismata, & hæreses profluunt. Ceterum, ut dixi, ferendus est error humanus, sed quod ob sæculi hujus lucrum illi repugnetur, summa impudentia est, *tantæne animis cœlestibus iræ?* nos enim sacerdotes animæ spiritales patres dicimur: uno verbo dicam, dii appellati sumus in sacro eloquio, neque aliquid magis dici potuit, confitmante id Christo in evangelio, ita enim habet Joannes: tam igitur acri ira huic rei resistimus? tanta-ne philautia in nobis valet? hodie igitur implenda est a vobis patres evangelica scriptura, quam auribus vestris audivistis: sin minus, actum est de ecclesia, cujus vos reges estis.

Exod. 5. *Ruperti super Isa.* *Aug. contra Jul. Pelag. lib. 5. c. 2.* *Psal. 81.* *Joan. 10.* *Joan. 10.* *Epilogus.*

Toto igitur pectore laborate, ut hæc navis a terra reducatur: ad exemplum illius nobilissimi ducis Judæorum, templum profanatum ac conspurcatum ab hæresibus emundate, sub hæc virgulta illa infructuosa, id est, sacerdotes nullius fructus, hi enim aras nostras occuparunt, eradicate: fiet enim ut tunc Deus in ea glorificetur: ad hæc curate sacramenta ecclesiæ, & ejusdem quæcumque alia gratis ministrentur: curate etiam de verbo Dei docendo: denique Christi negotium libere tractetis, non sicut scribæ & pharisæi, sed tanquam summam habentes potestatem. Exemplo vobis sit rex ille David, qui fugam arripere coactus est, cum a proprio filio persecutionem pateretur. Quid enim, si Davidis magnifica enumerem? si ejus opes attendamus: nemo locupletior, si prosapiam: nemo nobilior, semel dicam, omni mundo major, verumtamen instante necessitate fugæ meminit: neque absterit, si fugæ ordinem consideraverimus, ille & pedites sexcenti, qui cum eo erant, pedes egressi sunt: uxores decem, quas apud se habebat, domi reliquit. Ascendebat igitur clivum olivarum, scandens & flens, nudis pedibus incedebat, operto tamen capite: sexcenti etiam qui cum eo erant, & in lacrymis, & suspiriis, & in aliis regem comitabantur, proinde ita factum est, ut Absalon patris iniquus persecutor infideus mulo subter condensam quercum suspensus perierit: & pater in primam restitueretur dignitatem. Qui nunc vos persequimtur Absalon sunt, filii enim vestri sunt: nam de ecclesia sunt, quamvis in ecclesia non sint.

1. Reg. 15. *2. Reg. 18.*

ANNO CHRISTI 1562.

Vos igitur qui David estis, non solum ob claritatem natalium nobilissimi, sed ob dignitatem prorsus divinam quam tenetis altissimi: majores enim estis omni mundo. Igitur cum scanderetis hunc olivarum locum altum, hoc est sanctum concilium, mulieres quas vobiscum tenetis (scio enim vos maritos esse, nam cupiditas est quæ tenacissime omni mundo nupsit) relinquite domi, ita fiet ut expeditiores ad pacem ecclesiæ tractandam sitis: lacrymis etiam ac gemitibus hoc malum redimite: nudate pedes, hoc est, bona externa, ob quæ bello fatigamur contemnite, si expedire videritis: sed summa cum diligentia caput operite: caput nostrum Christus est, quodvis malum in corpore vestro patimini, capite tamen, hoc est, Christo Jesu observato, ne injuria aliqua illi fiat, imitantes serpentis prudentiam, quam velut doctricem Christus posuit, dicens: *Estote prudentes sicut serpentes*: serpens enim ubi persequentem se fugit, modo caput absconderit, quo a quocumque ictu tutum sit, in corporis reliqua parte, vulnus quodlibet patitur ad mortem usque: tutandum caput, hoc est, Christum procurate: in bonis externis, quæ neque apud barbaros interdum in tanto honore habita sunt, & in proprio corpore quodvis malum ferte: ita enim fiet ut Absalonitæ mulo insidentes, hoc est hæreses (in mulo utique sedent, id est, in sterilitate & falsitate) suspensæ & suffocatæ remaneant. Longe multo majora ad præsentem causam, patres sanctissimi, ex hoc evangelio dici poterant, sed quoniam hora nos vocat, libenter supersedeo. *Pax Dei quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras in Christo Jesu domino nostro.*

5. Cor. 11. *Matth. 10.* *Augusti. li. 2. de doctrin. Chri. c. 16.* *Phili. 4.*

XCVIII.

CONCIO DOCTORIS PETRI Fontidonii Hispani, Segobiensis theologi, illustrissimi ac reverendissimi D. Petri Goncalez de Mendoza, episcopi Salmantini, habita ad sacrosanctam Synodum Tridentinam, die beati Hieronymi, XXX. *mensis Septembris,* MDLXII.

Vos estis lux mundi, Matth. 5.

QUEMADMODUM cœlum hoc splendidissimum, multis syderibus tanquam luminibus quibusdam, & ad utilitatem, salutemque rerum necessariis, & ad speciem, aspectumque pulcherrimis divina sapientia & bonitas exornavit: neque omnia vim eamdem virtutemque sortiuntur, neque semper omnia nostris oculis patent, sed aliis exorientibus alia occidunt, & occumbunt; ut cursu, splendore, atque virtute veluti jucunda quadam ac necessaria vicissitudine volverentur: sic Christus optimus maximus ecclesiam Christianam, quæ regnum cœlorum appellatur, in qua teste propheta fulgent justi sicuti luminaria cœli, sanctissimis & sapientissimis hominibus tanquam incensis facibus splendere, variis illos atque diversis virtutibus eminere, aliis atque aliis temporibus & sæculis florere voluit, ut haberet cæcitas mortalium lumen quod intueri, & exempla quæ referre & imitari potuisset. Et quoniam illi dum

Sap. 3.

in ter-

ANNO CHRISTI 1562.

in terris inter mortales versarentur, & lucem tenebris intulerunt, & hominum pectora amore virtutis inflammarunt, ne illorum exemplum interiret, ad excitandam socordiam nostram, & illorum gloriam atque nomen illustrandum, decrevit ecclesia, illorum vitam, facta, virtutes, laudes denique omnes in populi Christiani conspectu certis statisque diebus celebrari. Ut eos quos naturæ conditio, quæ neminem hic immortalem esse patitur, nobis subduxit, viva & immortalis eorum memoria in Christianorum mentibus conservaret. Hodiernum itaque diem clarissimo illi & fulgentissimo sideri, sanctissimo inquam Hieronymo consecravit, cujus splendore & nostræ mentis acies perstringitur, & tantarum virtutum atque laudum pondere orationis & ingenii nostri vires obruuntur, nisi divino præsidio subleventur. Ut igitur dignam tanto ecclesiæ principe orationem habere possimus, ut ea quæ a nobis dicentur, purioribus animis, & sincerioribus auribus excipiantur, ut omnia cedant in Dei optimi maximi gloriam, & in divi Hieronymi laudem, divinam imprimis gratiam atque favorem imploremus, atque ad eam obtinendam sanctissimæ virginis Mariæ patrocinium exiguo illo, sed tamen sibi gratissimo angelicæ salutationis sacrificio nobis promereamur, dicentes: Ave Maria.

Vos estis lux mundi. Ex evangelio Matthæi capite 5.

CUM multa atque magna Christi optimi maximi, in genus humanum collata extiterint beneficia, illustrissimi legati, patres reverendissimi, qui tot tantisque suis laboribus, ærumnis, opprobriis, contumeliis & morte demum acerbissima, vitam nobis, salutem, libertatem, veram sapientiam, atque religionem fuerit adeptus: unde triumphum etiam ipse sibi glorioſissimum, & præclaros illos, illustresque titulos reportaverit: ut & totius orbis servator, doctor, pax, vita, otium, veritas, pastor, vita, salus, felicitasque mortalium jure optimo diceretur: nullus tamen inter hos titulos clarior mihi, illustriorque videri solet illo, quo & lumen, & splendor Patris, & sol multis prophetarum vaticiniis, & aperta apostolorum atque totius ecclesiæ prædicatione appellari consuevit. Quid enim de Christo Jesu vitæ magistro aut sapientius excogitari, aut aptius & convenientius dici umquam potuisset, quam illum Solem nuncupare, qui primus miseris mortalibus, qui densissimis in tenebris, nullo duce, qui iter ostenderet, nullo etiam lumine, quo illud intuerentur, adhibito: incertis cursibus, & incredibili cæcitate vagabantur, veræ virtutis atque sapientiæ viam verus ipse Mercurius veluti intento digito commonstraverit? Atque hunc quidem exorientem splendidissimum Solem cum acerrimus ille concionator, vatesque divinus Isajas aliquando prophetica mente contemplaretur, mortales omnes spes hujus tantæ futuræ felicitatis illis verbis erigebat. *Isai. 60.* Non tibi amplius Sol diurnam lucem diffundet, nec Lunæ splendor lucem subinde ministrabit; sed erit tibi dominus lux sempiterna, & Deus claritas tua. Hoc etiam eodem nomine justos & pios homines Malachias consolabatur: *Malach. 4.* Vobis, inquiens, qui nomen meum reformidatis, Sol exorietur justitiæ, cujus radiis vestra salus continebitur. Sed quamquam Sol iste beatissimus, veteribus antiquæ legis & prophetarum umbris, cœlesti sapientia lucem jam aliquam attulisset: licet ipse propulsatis magna ex parte scelerum & ignorantiæ tenebris, divina prædicatione, & exemplo innocentissimæ vitæ, tanquam splendidissimis virtutis & sapientiæ radiis hominum mentes illustrasset: cum jam sibi infestis, atque inimicis Pharisæorum animis crudele exitium comparari animadverteret: priusquam funestissima crucis nocte contectus sese abderet & occumberet, & densissima illa crudelissimæ mortis involutus caligine se mortalium oculis subduceret: lumina duodecim decrevit accendere, quasi fulgentia sidera, quæ, ipso occidente Sole, totum reliquum orbem eodem evangelii splendore complerent. Ut quemadmodum astra Solis lumine percussa sic lucent, splendent, ut in illis intuentium oculi lucem candidissimam Solis, illiusque vim admirabilem deprehendant: sic in apostolorum sermonibus, & operibus Christi splendore collustratis, divinitatis ejus apertissimam significationem, & expressissima vestigia mortales omnes contemplarentur.

ANNO CHRISTI 1562.

Hos igitur sanctissimos, innocentissimosque homines, quos ad tantam Christus evehebat dignitatem, ut eos veluti clarissima quædam lumina, totius orbis tenebris vellet inferre, non illos quidem claros, & illustres ex aulis principum, sed obscuros & ignobiles ex retibus ad evangelia vocavit, hos selegit ex infinita hominum multitudine, quos in collegium illud sanctissimum cooptaret: quos in illa sua consilia plena divinitatis admitteret: quibus arcana divina & cœlestis sapientiæ fontes aperiret: quos sibi suæ prædicationis socios, laborum comites, miraculorum testes adhiberet: & primos esse vellet suæ bonitatis, clementiæ atque mansuetudinis imitatores: & duces exercitus Christiani, qui sublato crucis vexillo totum orbem evangelicis legibus subjugarent: quos cum recte sentiendi magistros & exempla bene vivendi, veluti quasdam ardentes lampadas accenderet, quibus omnem posteritatem Christiani nominis amore, & studio virtutis inflammaret: merito illos hodierno die & terræ salem, & mundi lucem appellavit. Quid enim potuit cœlestis magister cæcis ignorantiæ tenebris opponere luce præstantius? Quid terræ, tot vitiis & sceleribus contaminatæ, & infectæ, sale convenientius? Quibus obsecro aliis significantioribus verbis, quam iis duobus salis & lucis, & terræ vulnera, & apostolorum officia evidentius exprimere potuisset? De quibus nobis hodierna die sanctissimi patres dicendum est.

Nam primo quanta cum ratione Christus lux fuerit appellatus, & apostoli, atque apostolorum successores, explicabimus: deinde vero de officio eorum qui hanc honorificam compellationem adepti sunt, disseremus: postremo vero loco, de splendidissimo hoc & clarissimo lumine, de sanctissimo, inquam, Hieronymo, quem nobis hodie ecclesia celebrandum imitandumque proponit, pauca dicemus. Attendite obsecro, clarissimi viri, ad vos etenim solos tota nostra pertinebit oratio, quos divina virtus & excellens doctrina, in tam excelso dignitatis gradu collocavit, ut successores apostolorum, pastores dominici gregis, evangelii præcones, & mundi lumina appellemini; & quantum onus, quam laboriosa provincia iis tam præclaris titulis contineatur, tacita vestrorum animorum cogitatione perpendite. O utinam fieri potuisset ut vel aliquis ex vestro ordine hanc tantam causam suscepisset, vel mihi sapientia vestra, oratio & auctoritas contigisset, ut hodierno die in hac orbis gentium clarissima

ANNO CHRISTI 1562.

rissima corona divina Christi verba, apostolorum dignitatem, Hieronymi sanctissimam vitam, statum veteris ecclesiæ, luctuosam & miserabilem nostrorum temporum faciem exprimere dicendo potuissem; efficerem sane, ut cum illius temporis sanctissimos viros, cum hominibus nostris, cum aurea illa sæcula, cum ferrea hac ætate nostra collata, contemplaremini; & tempora a temporibus, & homines ab hominibus turpiter degeneraſſe lugeretis. Sed quando id fieri non potest, conabor ego, rem hanc tantam, (etsi non pro dignitate) ita tamen explicare: ut si minus expressisse, adumbrasse tamen illius imaginem videamur.

Atque ut causas primum atque rationes, ob quas Christus servator noster Sol diceretur, aperiamus: lustremus primum animo & cogitatione totum illud tempus ante adventum ejus felicissimum. Quid aliud obsecro nobis cogitantibus, & omni mentis acie caliginosam illam vetustatem contemplantibus sese offert, præter obscurissimas quasdam & densissimas tenebras? Nam ut interim populum Israeliticum prætermittamus, cujus leges, instituta, sacra, cæremonias, animantium sanguine cruentas aras, totamque illam pecudum carnificinam, omnia denique sacrificia, noctem Paulus appellavit, quod nihil aliud fuisse viderentur, quam quædam tegumenta, quibus (vtuti obscura quadam nube) Sol hic splendidissimus Christus contegeretur. Quis gentium errores? quis barbaros mores? quis instituta vivendi? quis miseram, confusam, teterrimamque illam temporum faciem posset explicare dicendo? Quis multiplices illos delusæ atque perditæ gentilitatis sinus explicare? quis errorum causas, progressus, eventusque recensere? Principio quidem omnium insanarum cupiditatum semina jam inde a primo illo malorum fonte derivata cum pueris nascebantur, illorum visceribus inhærentia: tum vero ipsamet stultitia cum infantis corde (ut dixit Salomon) colligata, prodibat in lucem: accedebat ad hæc naturæ vulnera, pernicioſa disciplina: philosophis enim informandi atque instituendi pueri tradebantur, qui cum morum censores, veritatis magistri esse debuissent: non sapientiæ doctores, sed ignorantiæ duces: non flagitiorum hostes, sed scelerum satellites: non morum magistri, sed ministri cupiditatum omnium extitere. Hinc cum in ipsis errorum gymnasiis, depravata natura, & pernicioſa institutione, juvenes erudirentur, in omne genus errorum teneræ illorum mentes præcipites ferebantur. Et cum quæ esset vera laus, atque dignitas, ignorarent: personata quadam felicitate decepti, sæpe pro virtutibus vitia, pro dignitate infamiam, pro felicitate miseriam sectabantur. Et quemadmodum qui noctu iter ingrediuntur, per invia loca interrupta voraginibus, latrociniis infesta, referta periculis, infortunia vitare non possunt: sic illi divino splendore destituti, atque tot undique animorum hostibus circumsepti, in illas ignorantiæ & flagitiorum insidias passim incidebant.

Rom. 13.

Prov. 22.

Omnes itaque mundi nationes caligine circumfusæ, non rationem, sed impotentes affectus sequebantur. Conflagrabat libidine Asia: Ægyptus animantibus atque lapidibus divinos honores deferebat: mendaciſſima Græcia poetarum fabulis & importunissimis philosophorum clamoribus personabat: Italia bellico furore & gloriæ cupiditate fremebat: reliquæ orbis provinciæ eisdem morbis & perturbationibus æstuabant. In ea denique scelerum sentina, & rerum ignorantia mortales omnes versabantur, ut non errare, sed insanire: non labi aut decipi, sed cum lacte errorem suxisse: & quod Cebes Thebanus ille philosophus sapienter meo judicio, dicebat: errorem omnes bibisse viderentur. Qui ergo in tam confusa rerum perturbatione, virtutis atque sapientiæ cœlestis illato lumine, densissimas ignorantiæ, & improbitatis tenebras dissipavit: qui iter ad felicitatem (nostris sceleribus interclusum) aperuit: qui viam mortalibus ad immortalitatem patefecit: nonne jure optimo lux & Sol erit appellandus? O divina bonitas & incredibilis sapientia Christi Jesu, qui hodierna die e summo illo montis vertice, tanquam ex aliquo suggesto, ad circumfusam multitudinem concionatus, visus est veluti Sol exoriens, candidissimo splendore exornatus, tristissimas ignorantiæ tenebras lætissimæ divinæ sapientiæ luce fugasse. Cui si non salutem, si non libertatem, si non vitam, si non denique cœlum ipsum deberemus: sed hodiernam solum ejus concionem, quas novas leges ex illo supercilio montis omnibus mortalibus, sicut Moses veteres ex Sina monte populo Israelitico, promulgavit: qua stultam fecit sapientiam hujus mundi, qua novam & inauditam bene vivendi formam, rationemque præscripsit: quis non illum & Deum agnosceret, & divinis honoribus prosequeretur? Quis non hunc perexiguum Christi sermonem, innumerabilibus Lycurgi, Solonis, Mercurii, Rhadamanthi legibus, omnibus etiam bibliothecis philosophorum anteferret?

Levit. 7. 1. Cor. 1.

Quod si diviniores quasdam sententias, quod eas nec sapientissimos homines excogitare potuisse arbitrabantur, Apollini Pythio acceptas antiquitas referebat, & eas templi valvis affixas, tanquam sapientiæ primitias illis consecrabat: quis non videat, non unam aut alteram sententiam, sed totam humanam vitæ institutionem pauciſſimis iis Christi verbis comprehensam, quam nullus unquam mortalium non modo cogitare, sed neque suspicari quidem potuisset, non ab humana, sed a divina solum sapientia promanasse? Quid porro tam novum, tam inauditum, tam longe positum ab humana cogitatione, quam nostram felicitatem, paupertate spiritus, luctu & lacrymis delitescere? Quis Xerxi, Hannibali, Cæsari, Alexandro, quibus totus orbis tenue & angustum suæ laudis domicilium videbatur, qui tot regna, nationes, imperia, quot terra marique continentur, sterilem suæ gloriæ segetem arbitrabantur, dicere auderet: amplitudinem veræ laudis & gloriæ angustiis quibusdam, & quasi carceribus spiritus contineri? Quis reliquis imperatoribus persuadere potuisset, totius orbis possessiones, mansuetudini animi, & non bellico furori, & armatæ audaciæ esse tribuendas? Quis Epicuro, & Cyrenaicis hominibus luxu diffluentibus, in squalore & lacrymis sempiternam lætitiam sitam esse probaret? Quis reliquis philosophis, elatis humana sapientia, & hominibus illis, quos claritas generis, divitiarum affluentia, dignitas & potentia arrogantes atque insolentes efficiebat, persuaderet: in stultitia sapientiam: in humilitate majestatem: in ignominia gloriam: in contumeliis honorem: in opprobriis dignitatem: in indigentia divitias: in calamitatibus & infortuniis æternam beatitudinem esse collocatam! Nullus plane præter Deum id efficere potuisset. Qui cum quondam Moysi per angelos, populo Israelitico per

Matth. 6.

pro phe-

ANNO CHRISTI 1562.

prophetas loqueretur: noviſſimis temporibus per filium unicum, ſuam nobis voluntatem æternis evangelii monumentis, & illius ſanguine conſignatam conteſtatamque reliquit.

Quis ergo jam eſt, cui non & veteres tenebras conſideranti, & iſtam evangelicæ doctrinæ lucem intuenti, Chriſtus non ſolum, ut Sol eſſet, natus fuiſſe videatur? *Hebr. 1.* Quis eſt, qui non intelligat apoſtolos, qui totum orbem eodem evangelii lumine illuſtrarunt, lumina etiam appellari debuiſſe? Sed cum Chriſtus Jeſus hanc honorificam Solis compellationem, tantis ſibi opprobriis & contumeliis conſtitiſſe recordaretur, cum noſſet hanc ſuam evangelicam philoſophiam odio & invidia plenam eſſe futuram, utpote quæ deorum aris, templis, altaribus, nefandis ſacrificiis, & cæremoniis, omnibus ſchoIis, gymnaſiiſque philoſophorum bellum eſſet cruentum illatura; quæ veteres religiones, & ſapientiam abolere: quæ ſceleratorum hominum audaciam frangere: quæ principum furori, & non factis modo, ſed improbis etiam cogitationibus obviam ire debuiſſet: cum noſſet, lucem caligantibus oculis, & ſalem vulneribus acerbiſſimum eſſe futurum: & hinc bellum acerrimum ſuis cariſſimis apoſtolis imminere: & eo acerbius atque luctuoſius erat futurum, quod incruenta illa pugna, cum potentiſſimis adverſariis, diſcipulos ſuos, non armatos, ſed inermes & nudos: non ſapientia, ſed ſtultitia crucis: non potentia, ſed ſapientia: non ferro, ſed evangelio congreſſuros eſſe videret. Prius ergo quam illos lucem appellaviſſet, ad tantum bellum ſpe beatitudinis & exemplo prophetarum armavit. *Matth. 5.* *Beati, inquit, eſtis cum maledixerint vobis homines, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adverſum vos, mentientes propter me: gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis: ſic enim perſequuti ſunt prophetas, qui fuerunt ante vos.* Et quoniam homines duci ſtudio laudis intelligebat, nihilque eos magis optare, quam ut ſuum nomen toti orbi clarum & celebre redderetur, & inde Græcis hominem τὸ φῶς, lumen, inquam, appellari: quibus in rebus Chriſtianos homines elucere oporteat, illis verbis indicavit: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt*, ut intelligeret, omnia in Dei laudem atque gloriam eſſe referenda. Deinde vero ſummam eorum dignitatem, & quales illos eſſe vellet, quibus hoc tantum evangelicæ prædicationis munus committebat, duobus hodierni evangelii verbis explicavit, cum illos & terræ ſalem & mundi lucem appellavit.

Sed quoniam ſatis multa de ipſa lucis compellatione dixiſſe videmur, de officio ipſo paſtorum atque munere dicamus. Quapropter vos obſecro, ſanctiſſimi patres, ut eas quas hactenus, dicenti benevolas & attentas aures accommodetis. Remigare paululum imprimis nobis neceſſe eſt, dum explicamus, qua ratione Chriſtus ſalis & lucis nomine apoſtolos officii ſui commonefecerit: deinde vero vela pandemus orationi, & per hoc immenſum cœleſtis doctrinæ pelagus, citatis remis, veliſque feremur. Mihi quidem ſæpenumero atque diligenter hæc Chriſti verba conſideranti, nihil ſapientius excogitari potuiſſe videri ſolet, ad exprimendam imaginem illorum hominum, qui rerum publicarum, & animorum potiſſimum, frena moderantur: quam illos & ſalem & lumen appellaviſſe: ut qui ſalis ingenium, qui luminis naturam perſpectum habuerit & exploratam, apoſtolicam antiſtitum dignitatem, & illorum officia atque munera facile deprehendat. Samius Pythagoras, patres graviſſimi, qui ſignis quibuſdam totam ſuam incluſit, philoſophiam, ſalem juſtitiæ & æquitatis ſymbolum fecit: Moyſes vero ſanctiſſimus, qui legem evangelicam dictis & factis adumbrabat, nunc æternitatis ſymbolum faciebat, cum aliquando pactum ſalis, fœdus ſempiternum appellabat: nunc judicii atque delectus, cum illum omnibus ſacrificiis permiſceri jubebat: Chriſtus vero cœleſtis philoſophus, qui veritatem ex ipſis philoſophorum latebris, & Moſaicæ legis umbris in lucem extrahebat, muneris apoſtolici ſignum & quaſi teſſeram eſſe voluit: ut quemadmodum Moſes, & antiqui patres, rebus corporeis addicti atque conſecrati, illa ſacrificia grata Deo eſſe credebant, quæ ſale conſperſa ad aras deferebantur: ſic hoc evangelicæ legis tempore, quo tota illa cura atque ſolicitudo religionis a corporibus abſtracta ad mentem potiſſimum & ſpiritum devoluta eſt, ſignificavit Chriſtus jam iſtas animorum hoſtias non eſſe ſine ſale offerendas, ne illis inſipidis & inſulſis, Deo ſtomachum nauſeamque moveremus. Et ſicut ſal rebus jam prope deſperatis & emortuis, veluti quemdam animum, vitamque reſtituit, inſectis vero atque contaminatis tribuit quamdam immortalitatem: ſic apoſtoli ut mortalium animos ab æternæ mortis faucibus eriperent, & evangelii beneficio, gloriæ immortalitate donarent, & veluti præſente lumine tenebræ fugiunt, atque diſſipantur: ſic conſpecta apoſtolorum innocentiſſima vita, & audita cœleſti doctrina, veluti duabus facibus adhibitis, omnium animorum caligines ex humanis mentibus pellerentur.

Quid enim eſt aliud ſalis & lucis officio fungi, quam cum duo ſint animorum tyranni, quibus homines oppugnantur & opprimuntur, cæcitas nempe mentis, & perverſitas voluntatis, ita vitam componere, & ſermonem temperare, ut ſplendore evangelicæ doctrinæ cæcitatem animorum propulſemus, & innocenti vita aliorum voluntates exemplo virtutis incendamus? Attendant jam ergo diligenter qui apoſtolica dignitate gloriantur, & quantum cum illa oneris atque negotii ſuſcipiant, ſecum aliquando taciti perpendant atque meditentur. Nam cum illos & terræ ſalem, & mundi lucem Chriſtus appellavit: dignitatis quidem amplitudinem, ſed magnitudinem etiam laboris: honoris præſtantiam, ſed oneris etiam difficultatem indicavit. Quid eſt per Deum immortalem magis laborioſum, quam Chriſti perſonam ſuſtinere? quid magis arduum, quam non modo ſeipſum, ſed alios ab omni contagione labeque vitiorum immunes conſervare, & in officio retinere? Etenim ad virtutem impellere, a vitiis revocare, nunc ſuppliciorum metu nefarios homines deterrere, nunc ſpe præmiorum erigere & inflammare, avaris libertatem, libidinoſis caſtitatem & temperantiam: timidis conſtantiam: omnibus frugalitatem perſuadere: ex crudeli miſericordem: ex impio juſtum: humilem ex ſuperbo: ex improbo innocentem facere: extirpare vitiorum radices, extorquere pravas cogitationes, & quaſi quoddam imperium in hominum mentes exercere, majus eſt quam ut cujuſque oratione explicari poſſit. Quid enim poteſt fingi aut excogitari difficilius, quam non ſolum turpiter facta, & petulanter dicta, ſed internos ipſos pravos animi ſenſus, cogitationeſque corrigere? Parricidam,

ANNO CHRISTI 1562.

Num. 27. Levit. 2.

ANNO CHRISTI 1562.

ricidam, ne alterum occidat: latronem, ne furetur: adulterum, ne violet cujusquam pudicitiam, efficere licet sit difficillimum: fieri tamen potest, si illius manibus catenas, pedibus compedes injicias, & in carcerem detrudas, sed ut furari nolit, ut neminem odio prosequatur, ut interno non flagret libidinis incendio, præstare ita magnum est, ut vix cuiquam mortalium concessum esse videatur. Est enim illud non corporis, sed dominæ voluntatis esse censores, quæ nullis catenis constringi, nulla vi invita cogi aut coerceri potest.

Jam vero jacentes sublevare, consolari calamitosos, labantes confirmare, hæresibus occurrere, manum præcipitantibus porrigere, pauperum indigentiis subvenire, omnium miseriis commoveri: omnia (ut fecit Paulus) omnibus fieri, & more velocissimi sideris undecumque advocatum, veluti numen aliquod adesse, omnia invisere, omnia collustrare, omnia videre & audire, sibi & aliorum saluti consulere, & quasi in puppi sedentem, rectum clavum tenere, cujus obsecro tanti laboris & tam inauditæ virtutis est? Merito divus Gregorius nullam artem, nullamque disciplinam difficiliorem esse dicebat, quam animorum regimen & moderationem.

1. Cor. 9.

Hæc sunt, sanctissimi patres, pastorum munera, existimare debet qui se lucem appellari gaudet, sibi fidem, religionem, evangelicas leges, animorum salutem, Christi gloriam, & quasi ecclesiæ navim esse commissam, oportere se vigilantem & circumspectum nautam de aliorum salute solicitum exhibere: periculosæ hujus navigationis monstra, dæmonis & hæreticorum insidias ostendere, & quasi digito monstrare: hic Scyllam, ibi Charybdim: illic cautes & scopulos delitescere, qui navigantibus insidientur, omni contentione fugiendos: consideret se ducem etiam esse & imperatorem exercitus Christiani, sibi secum & cum aliis bellum esse susceptum, eum populi vitiis atque sceleribus esse pugnandum, nunc militum timiditatem animandam, nunc audaciam comprimendam, nunc impellendos & cohortandos ad pugnam milites, nunc vero revocandos & retinendos, sæpe classicum, sæpe etiam & receptui esse canendum. Scipionem cum Marcus Catone Romani conferentes, ut Catonis laudan amplificarent, Scipionem foris cum hostibus armatum, Catonem domi cum vitiis togatum, bellum gessisse dicebant: majoremque gloriam, domesticis vitiis profligatis, Catonem fuisse consequutum, quam Scipionem tot superatis hostibus, & latissime imperio propagato, quod multo esset illustrius, vitia, quam homines superare. Quod si vir ille non admonitus de cœlo, sed vestigia solum naturæ sequutus, ad officium suum pertinere arbitrabatur, extirpandis vitiis totam suam operam & studium collocare: quid ecclesiæ pastoribus faciendum esse putabimus, quos ipsa divina sapientia hujus belli quod cum animorum hostibus gerimus, voluit esse primipilos & antesignanos?

O fides sanctorum apostolorum inaudita, o virtus & ardor ille animorum incredibilis, qui hodiernis Christi verbis, non persuasi modo, sed inflammati & incensi, cum se Christi legatos & mundi lucem agnovissent, non illam delitescere passi sunt, sed in eo loco collocaverunt, unde in omnium mortalium oculos incedere potuisset. Quam ardenti studio illa legatione fungebantur! quanta celeritate latissimas provincias, longeque disjunctas regiones peragrarunt! Bartholomæus & Thomas utramque Indiam, ultra citraque Gangem fluvium: Andreas Syriam: Matthæus Æthiopiam: Jacobus Hispaniam: Philippus Scythiam non modo viderunt, sed in tenebris & in umbra mortis positas luce evangelicæ prædicationis illustrarunt. Et duodecim homines ignobiles & indocti, cum totum pene orbem Christi nomine & evangelio complevissent, de tyrannis, de dæmonibus, de statuis deorum, de philosophis parta victoria, cum omnia ferme mundi propugnacula & arces occupavissent, in illis crucis vexillum sustulerunt. Et ut interim reliquas omnes gentes atque nationes prætermittamus, quarum cervicibus apostoli Christi jugum imposuerunt: quod potuit esse præclarius atque illustrius apostolicæ gloriæ monumentum, quam gentem illam togatam, ad gloriam natam sempiternam, Romanos, inquam, rerum dominos, qui triumphis clari, victoriis elati, gloria rerum gestarum illustres, suos imperatores & aris, & templis, & divinis honoribus dignos arbitrabantur: qui nihil nisi magnum, excelsum, glorioſumque redolebant: quibus quicquid immortalitatem non spirabat, vile & abjectum videbatur: in eam sententiam adduxisse, ut crederent in Christo fabri filio, ignobili, contempto, ex invidiosa gente nato, affecto mille contumeliis, & opprobriis, & demum tanquam scelerato, & improbo, inter duos latrones pendente, veram gloriam & laudem sitam esse: & jam Saturni, Jovis, Martis, ceterorumque deorum statuas, quibus illi suas victorias acceptas referebant, evertendas esse atque dissipandas: & illarum loco, crucem, quam veluti rem turpissimam aversabantur, tanquam signum salutis, & vexillum felicitatis esse collocandam?

Quid referam illorum in propaganda Christi gloria solicitudinem? Petrus circumcisionis magister: Paulus Gentium doctor, omnes circuibant ecclesias, fratres invisebant, afflictos consolabantur, omnium saluti prospiciebant, cum philosophis congrediebantur, alios in Christi fidem pertrahebant, illos confirmabant, absentes epistolis, præsentes concionibus adhortabantur. Paulus omnium ecclesiarum solicitudme premebatur, in Petri humeros moles totius Christiani orbis immensa inclinata recidebat, & eo Christi amore conflagrabat, ut leve hoc tantum illi pondus videretur. Omnes denique apostoli egentes, afflicti, calamitosi, expositi omnium malorum reliis, quasi fortunæ ludibria, cæsi, verberati, contusi, indicta causa condemnati, bestiis objecti, dilacerati, in ipsa tamen positi tyrannicæ crudelitatis carnificina & vitia acriter increpabant, Christum prædicabant confidenter, & ipsolmet carnifices sæpe etiam in Christi leges pertrahebant, & non modo illatas contumelias alacri & infracto animo perferebant, sed etiam ultro se ipsos injuriis objiciebant, quod in illis Christi gloriam latere arbitrarentur: ut mihi quidem apostoli non modo inferendis pro Christo contumeliis, sed in exoptandis ambitiosi fuisse videantur.

2. Cor. 11.

O vere pontifices Christiani, o vera & clarissima mundi lumina, hoc est esse lucem, sanctissimi patres, non perpeti errorum tenebris mentes hominum occupari: illud est esse salem, vulnera etiam cum aliquo doloris sensu sanare: est enim salis proprium, acerbitatem quamdam, & veluti morsum doloris vulneribus inferre, hoc est, symbolum evangelicæ & apostolicæ libertatis, qua una virtute nihil est in ecclesiasticis pastoribus illu-

ANNO CHRISTI 1562.

illustrius, nihil magis necessarium. Sic enim affectos & animatos esse oportet Christi ministros, ut etiam si principum gratiam exulcerandam, etiam si potentissimorum hominum animos exacerbandos, & illorum contra se potentiam concitandam & armandam, etiam si districtos atque fulgentes tyrannorum gladios suis cervicibus imminere conspexerint: quod ratio jubet, quod dictat evangelium, quod præcipit Christus, quod illorum salus & ecclesiæ dignitas postulat, sine metu & spe libere, audacterque loquantur: & medicorum peritissimos imitentur, qui dum ægri saluti prospiciunt, non modo acerbam aliquam medicinam vulneribus adhibere, sed ipsa etiam membra abscindere, urere & resecare soleant, ne dum in membra sunt nimium misericordes, in vitam ipsam crudeles fuisse videantur.

Sed proh dolor, ignoscite patres, si quid liberius dixero, quam tanta hujus amplissimi loci & ordinis patiatur auctoritas, rigidam illam censoriamque virtutem, acerrimam peccatorum vindicem, fractam atque debilitatam: sanctissimum severitatis magisterium magna ex parte sublatum: ardorem illum apostolicum animorum si non penitus extinctum esse, magnopere tamen deserbuisse videmus: cum homines assentari vitiis, & honori suo servire decreverunt. Ferunt philosophum nescio quem, filio persuadere solitum, ne ad populum concionaretur: nam si vera dixeris (ajebat) populum hostem & inimicum es habiturus: si falsa, Deum. Quoties hæc unica ratio multos egit transversos, & ad has cautes & scopulos misere illorum constantiam allisit? Dicite mihi obsecro, patres sanctissimi, per Deum immortalem, si quispiam esset (fingamus enim esse ut melius rei indignitatem concipiamus) si esset aliquis tam demens, qui clamante Paulo, *si hominibus placerem, Christi servus non essem*, ipse totum suum studium ad conciliandam hominum gratiam benevolentiamque conferret: tam ambitiosus, qui dicente propheta, *Deus dissipat ossa eorum qui hominibus placent*: docente apostolo, *ne ad oculum serviamus*: ipse redditus assentator improbitatis, dignitatis aut gloriæ cupiditate vellet in maximis hominum sceleribus connivere, sine voce, sine mente, sine libertate: qui denique abjecta omni cura rerum cœlestium, oculos in terram flectere, assentari vitiis, hominibus quam Deo, ambitioni quam Christo servire maluisset: nonne & salis & lucis nomine indignum, & omni supplicio digniſſimum judicaretis? O fallaces & inaniſſimas spes eorum hominum, qui sibi potius quam ecclesiæ, honori suo quam Christi gloriæ, suis potius rebus quam Christiani populi saluti consulere conantur: neque illas irati judicis voces exhorrescunt, quibus illos Christus in die illo judicii miserabili alloquetur. Si pastor & sponsus eras ecclesiæ, cur oves errare, cur sponsam misere ab hostibus vexari permittebas? Si lux eras, cur latebras quæsisti? Si delitescere cupiebas, cur lumen esse voluisti? Si salis officio fungebaris, cur patiebaris terram putrescere? Si te huic oneri imparem intelligebas, cur tam ambitiosus? Si parem, cur tam negligens? nihil te nostræ leges, nihil pietas, nihil ecclesiæ ruinæ, nihil nostrorum apostolorum exempla, nihil hic dies formidabilis, nihil præmia, nihil supplicia pœnaque moverunt? O voces luctuosas & formidabiles, quid alii sentiant nescio, sed ego cum hæc cogito, & animo exhorresco, & corpore contremisco.

Galat. 1.

Psal. 52. Ephes. 2.

Constantem ergo, erectum & libertate Spiritus armatum esse oportet ecclesiæ pastorem, hoc potissimum tempore quo nefarii & improbissimi homines evangelicam libertatem in occasionem carnis (reclamante Paulo) traduxerunt. Hac armati apostoli, nullis laboribus, neque tormentorum generibus parcendum duxerunt, ne ipsi aliorum sceleribus parcere viderentur. Hac etiam muniti martyres, liberas illas voces emittebant, quas nulla supplicia, nulli cruciatus interciudere aut cohibere potuerunt. Hac ceteri vestri ordinis sanctissimi homines se fortiter tyrannorum crudelitari opposuerunt, Athanasius, Augustinus, Chrysostomus: Ambrosius ille, qui Theodosium post editam miserrimam Thessalonicensium stragem, & cruentas innocenti sanguine manus, templum ingredi volentem manu apprehensum continuit, & illis verbis voceque repressit: Tunc iis consceleratis manibus sanctissimum Christi corpus contrectabis? tune illum nefando isto & sacrilego ore excipies? non patiar, non feram. Itaque non perterritus Ambrosius tanta illa Romani imperii majestate, non potentiam totius orbis finibus terminatam perhorrescens, non superbas illas aquilas, non lictores, non laureatos fasces reformidans, potentissimum imperatorem ad publicas lacrymas & pœnitentiam adegit. O vere pontifex Christianus, cui Christi gloria, salute & vita carior fuit. O Hieronyme sanctissime, te enim appellare jam libet, unicum evangelicæ libertatis exemplar, & in hujus tantæ apostolicæ gloriæ vocare societatem: qui ex illo Bethleemitico diversorio, hominum sceleribus & hæreticorum audaciæ acerrimum bellum intulisti: quem neque mortis metus, neque vitæ cupiditas, neque spes aliqua potuit coercere, quominus illa tua fulmina orationis a pectore illo amoris divini flammis incenso profecta, in omne genus improbitatis liberrime contorqueres. Sed quorsum hæc? numquid vos hæc ignorare putamus, quorum est incredibilis sapientia? Numquid non hæc vos officia ecclesiæ præstitisse censemus, qui tanto studio & ardore in ejus salutem incumbatis, usque adeo, ut mihi quidem curas, solicitudines, summosque vestros labores consideranti, & huic vestræ dignitati & illi purpuræ miserendum potius quam invidendum esse videatur? Numquid mentes vestras sapientissimas informandas, aut sanctissimas voluntates impellendas & animandas esse putamus?

ANNO CHRISTI 1562.

Galat. 5.

Ambr.

Non sum tam demens, sanctissimi patres, ut hæc non modo dicere, sed neque cogitare audeam: sed eo consilio a me factum est, ut cum vobis apostolici vestri muneris memoriam refricassem, & miserrimas ecclesiæ plagas vestris oculis subjecissem, illius miseriis & lacrymis ita commoveremini: ut potius mortem sustinendam, quam afflictam & calamitosam matrem, in tantis ærumnis, sine spe salutis deserendam arbitraremini. Nunc lucis splendore & salis acrimonia opus est, ut errorum tenebris & ecclesiæ vulneribus medeamini: & quando vos non aliam ob causam divina bonitas, & sanctissimi pontificis voluntas & industria in hunc sacrosanctum locum coegit, quam ut ex hac specula tanquam ex altissimo Olympi montis vertice, perditas & profligatas Christianorum regiones contemplaremini, & illis remedium aliquod adhiberetis.

Convertite per Deum immortalem oculos, non dico jam in Asiam, quæ quondam apostolorum prædi-

ANNO CHRISTI 1562.

prædicatione, & sanctissimorum hominum illustrata frequentia, nunc non modo tenebris sepulta jacet, sed omnem luci aditum occlusit. Non in Africam tot martyrum & doctissimorum quondam virorum, nunc vero Sarracenorum multitudine refertam. Non in Græciam, lumen olim Christianæ religionis clarissimum, nunc vero in miseram Turcarum servitutem redactam. Non in illam beatissimam regionem Hierosolymitanam, evangelii parentem, quam Christus Jesus sanctissimis suis pedibus trivit, & innocentissimo sanguine cruentavit, nunc vero proh dolor! improbissimorum Turcarum sordidissimis pedibus conculcatam. Non denique in ceteras provincias jam diu ab hostibus occupatas, in quibus vix antiquæ religionis obscura vestigia, divinæ vero indignationis atque vindictæ expressissima conspiciuntur: omittamus antiquas ecclesiæ plagas, & obductas jam longo tempore cicatrices, quæ curari nequeunt: nolo vulnerari vestros animos veterum calamitatum recordatione: hæc solum recentia vulnera, quæ calidum adhuc sanguinem spirant, & sanari possunt, intuemini: in has (inquam) circumjacentes provincias oculos convertite, & hoc quod reliquum est afflictæ Christianæ religionis (quod est sane perexiguum) consilio atque sapientia vestra conservate: vel si id fieri jam non potest, nostris exigentibus peccatis, evangelicam puritatem toto pene jam orbe fugientem, & istud miserabile ecclesiæ funus, luctu saltem & lacrymis prosequamur. Nulla etenim natio, nulla gens, nulla provincia, nullum tam parvum & exiguum oppidum, nulla jam ferme domus est, in quam non se pestis hæc insinuaverit. Non modo in Germaniam (quæ semper hæresum parens esse voluit) sed his superatis Alpibus, obscure serpens in Italiam, aperte vero in Galliam, Angliamque manavit. Et nisi extremus ille orbis angulus Hispania, Pyrenæis montibus ita natura munitus, ut in eum sicuti hostium arma, sic etiam hæreticorum dogmata ægre unquam hactenus penetrarunt: nisi, inquam, catholici & invictissimi regis Philippi studio, & incredibili censorum fidei diligentia septus fuisset atque firmatus, haud dubie communi jam totius Christiani orbis incendio conflagrasset.

Ubique oppugnatur religio, & loco pellitur, non jam obscure serpit cancer, sed aperte grassatur, cum lacte suguntur hæreses, majores in dies sumit vires incendium, longius quotidie progreditur: gemit ecclesia, suspirant ejus filii, & tyrannide hæresum oppressi lugent: hostes triumphant, & non modo libere sed impune vagantur, & quod est acerbius, in nostras jam miserias insultant: non unus furit Hercules, sed Arios, Macedonios, Nestorios*, Lusianos, furias denique omnes Cerberus videtur evomuisse, qui Christianam religionem misere vastent, incendant & populentur. Et in tantis malis flere possumus, subvenire non possumus, & unicum remedium lacrymarum, non sanandis, sed abluendis, aut potius exulcerandis ecclesiæ vulneribus adhibere. O sæculum luctuosum, & infelicissimum!

* Eutychianos.

Querebatur quondam divus Hieronymus, Arium pravam scintillam, quia principio non fuisset extincta, totum postea ferme orbem fuisse depopulatam: quid si nunc omnia funestis flammis ardere atque vastari videret? quid si augustissima templa in cinerem versa, dirutas aras, delubra tabulis, signis, & simulacris omnibus nudata, pontificum, conciliorum, & ipsius naturæ jura rescissa, violatas pudicitiæ leges, ad omnem iniquitatem fenestram patefactam? Quid si multitudinem immensam duci captivam, & Christi sanguine expiatam turpissimo hæresum cœno volutari? quid si ecclesiam jactatam injuriis, spoliatam dignitate, orbatam liberis, oppressam acerrimo bello: quid denique, si ipsos jam hæreticorum gladios, filiorum sanguine stillantes videret? quid sentiret? quid diceret? quo animo & quibus oculis hanc tantam ecclesiæ cladem aspiceret? Quid si nosset ex altera scintilla, ex homine inquam improbissimo, quem humilitas fortunæ, vitæ institutum, contemptibilem potius quam formidabilem efficiebant, hanc tantam flammam exarsisse? Quid si ab hoc homine improbissimo, sanctissimum Christi vicarium, cujus ille acerrimus assertor extitisset, contumeliis dilaceratum videret? & tanto illum apostolicæ sedis odio conflagrasse, ut aperte diceret, se optare Christum e nostris altaribus delere, ut pontificis auctoritatem vel infringeret, vel debilitaret, qui sæpe & sacerdos ipse & monachus circumstantes filios digito amicis ostendens, sed illos leunculos adversum Romanum pontificem armare diceret: qui denique illud intestinum odium ad extremum usque halitum & spiritum reservavit, & se pestem (dum viveret) pontificis, mortuum vero, mortem futurum, nefario illo & sacrilego ore clamaret? O impiam, sceleratam, & sacrilegam vocem, & illo dignam pectore, quod multo jam antea dæmon occupaverat. Utinam prius eo fulmine ictus, quo fuit aliquando perterritus, concidisset: utinam prius sacrilegam animam, quam illam sceleratam vocem: nefarium illum prius spiritum, quam teterrimam hanc nobis hæresum sentinam, exhalasset.

Quid si nosset hominem illum (si homo, & non potius monstrum est appellandus) qui tantum malorum hominibus invexit, nefarios illos spiritus sacramentarios, & anabaptistas eructasse, qui more regis Achab veritatem e medio tollere, & omnia turpissimis erroribus & libidinibus implere conarentur. Erinnyes præterea, quæ pacem ecclesiæ turbarent, quæ quasi furiarum ardentibus tædis, hominum pectora in mutuum odium & cædes inflammarent: & illa dissidia ferrent, quæ parentes & liberos, fratres & sorores, una jam domo, communibus parietibus & laribus, non modo frui pacifice, sed neque contineri paterentur? Quid cogitaret? quid faceret? exclamasset utique meo judicio! o mores! o tempora! o miseram ecclesiam Christianam! & illud sanctissimum Hieronymi pectus exarsisset primum ira & stomacho: stylum deinde arripuisset, quo tot quondam hæreticos prostravit, & in adversarios vibrantem illum & ardentem contorsisset. 3. Reg. 22.

Sed cum se nihili hac via aut parum proficere videret, agnoscens divinam hanc esse animadversionem, & supplicium nostris peccatis debitum, supplex ad divinam misericordiam clementiamque confugeret: & suas etiam cum nostris lacrymas permisceret: in quibus sane omnem nostram spem, sicuti aliquando hoc in loco dicebam, imprimis video esse collocandam: quas ego, cum præsentem statum ecclesiæ considero, continere non possum: & sæpe mihi Hieremiæ venit in mentem, quem nunc videre videor, sordidatum, cinere conspersum, mœrore confectum, lacrymis perfusum, non jam in antiquam illam Hierosolymam, sed in nostram ecclesiam defixis atque intentis propheticæ mentis oculis, lugubri & mœsta voce, ejus excidium, oroitatemque lugere. Thren. 1.

ANNO CHRISTI 1562.

ANNO CHRISTI 1562.

gere. Usque adeo, ut mihi quidem ejus luctuosa carmina legenti, non tam ille direptam Hierosolymam, quam vastatam ecclesiam: non tam eversos lapides sanctuarii, quam prostratas Christianas aras: non tam virgines & juvenes, quam Christianorum animos captivos abduci: non denique veteris Sion, sed ecclesiæ nostræ vulnera: non illius, sed hujus sæculi miserias fuisse lamentatum: illasque suas acerbissimas lacrymas non sui, sed nostris miserrimis temporibus impendi videatur. O conditionem nostri sæculi calamitosam, quod tantum scelus admisit populus Christianus, pater cœlestis, ut tam severam fuerit expertus animadversionem. Quæ tanta peccatorum nostrorum colluvies divinos tuos oculos potuit offendere, ut in tam deploratam & miserrimam sortem fuerit præcipitatus. Non satis erat tuam ecclesiam Turcarum armis misere vexari, & affligi, nisi etiam ex illius visceribus filii essent exorti, qui afflictam & miseram matrem, novis ipsi ærumnis calamitatibusque vexarent? Non satis erat illam antiquis suis sedibus ab hostibus pulsam misere fuisse, nisi hic etiam exiguus qui restabat angulus, crudeliter eriperetur? Nunquid domine vineam, quam de

Psal. 79. Ægypto transtulisti, cujus dux itineris fuisti, & plantasti radices ejus, quæ terram implebat, quæ opacis & virentibus ramis operuit montes umbra, & arbusta ejus cedros Dei, quæ extendebat palmites suos usque ad mare, & usque ad flumina propagines, nunc ab apro sylvestri & crudelissima fera vastari, templum ejus sanctissimum

Psal. 78. pollui, filiorum sanguinem, tanquam aquam, circa Hierusalem effundi patieris? Quousque domine excandescet furor tuus in populum istum? Quousque irasceris, & accendetur velut ignis indignatio tua? *Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, convertere, & respice de cœlo, & visita vineam istam, & perfice eam, quam plantavit dextera tua.* Vide afflictionem sponsæ, quam non est qui consoletur nisi tu Deus noster. Ignosce domine, & parce populo Christiano, cujus causa neque filio tuo carissimo pepercisti. Miserere ruentis ecclesiæ, cui tua solum bonitas & sapientia opitulari potest.

Sed complicemus jam orationis vela, quæ dum sublata doloris aura, per hoc immensum lacrymarum pelagus excurrit, nullum jam prope locum divi Hieronymi laudibus videtur reliquisse: ut aut illæ silentio prætermittendæ, aut patientia & bonitate vestra abutendum nobis esse videatur. Ignosce Hieronyme sanctissime si dum ecclesiæ acerbissimas refero calamitates, & tui oblitus fuisse videar, & hujus diei lætitiam illarum luctu & lamentatione turbasse. Doleo sane, te in hac luctuosa tempora incidisse, & immensam illam tuarum virtutum sylvam, quam nulla ingenii & eloquentiæ vis (præter tuam) non modo exornare, sed neque recensere possit, in tantas ingenii orationisque nostræ, & breviſſimi temporis angustias esse conjectam. Sed quid ego doleam, cum tu in ipso Dei gremio & veræ gloriæ sinu extra omnem invidiæ aleam positus, securus & immortalis conquiescas? qui mortalium laudibus non indigeas? quas nobis tacentibus tuæ virtutis atque sapientiæ clarissima monimenta, cœlum & terra, homines & angeli, præterita denique sæcula celebrabunt, & futura admirabuntur. Te enim finxit natura, ut esses omnibus sæculis & exemplo & admirationi: te divina bonitas, quæ Abrahamum fide, Enoch vitæ puritate, mansuetudine Mosem, sapientia Salomonem, intelligentia Danielem, Heliam zelo, pietate Davidem exornavit: te inquam, quem & sibi gloriæ, & ecclesiæ Christianæ præsidio & ornamento esse voluit, iis omnibus virtutibus cumulavit.

ANNO CHRISTI 1562.

Neque vero mirandum est, sanctissimi patres, in vastissimum illud & capacissimum Hieronymi pectus, in quo tot disciplinarum cognitio, linguarum notitia, sanctarum scripturarum scientia, hæreticorum pernicies, ecclesiæ salus, Christus denique ipse totus continebatur, chorum etiam virtutum omnium confluxisse: ut mihi quidem, quem omnium vitiorum acerrimum hostem divina sapientia fingebat, illum etiam robore, & maximarum virtutum præsidio armasse videatur. Hunc veluti facem ardentem in ecclesiæ monte collocavit, quæ tenebras dissiparet errorum, & studio virtutis Christianorum animos incenderet. Hic docuit, sanctissimi patres, honores, dignitates, insidias, inimicitias hominum, pro ecclesiæ salute, & Christi gloria esse contemnendas. Hic docuit, sæculi blanditias, tanquam Sirenum cantus esse fugiendas, & per summos labores, per exilia, & solitudines, cœlum esse quærendum. Testes sunt illa saxa, & scopuli Mesopotamiæ, quos ille sæpe lacrymis dolore peccatorum expressis implevit. Testes sunt antra & exesæ rupes, quæ deformatis, defessis, & defatigatis illius membris, durum cubile & asperum exhibuerunt. Testes sunt feræ ipsæ, quæ sæpe illius gemitibus & suspiriis misericordia motæ fremuerunt. Testes sunt cilicia, verbera, jejunia, lacrymæ, quæ non modo illius membra pallida atque deformia, sed emortua prope rediderunt. Testis est ille secessus & solitudo, quæ inter Syros & Agarenos vastum limitem ducit, in qua secum congressus, & diu cum suis cupiditatibus luctatus clarissimam de se victoriam reportavit: in qua solus cum Christo solo vivere assuevit, & ante illius tribunal sæpe prostratus, se reum agnoscebat, & suorum se scelerum vindicem actoremque præstabat. Testis est illa ingens hominum & fœminarum multitudo, quam ille & exemplo suo, & literis ad pœnitentiam agendam provocavit. Incredibilis vero & inauditæ sapientiæ testes sunt illa Romana gymnasia, quæ prima illi disciplinarum incunabula cum summa ejus ingenii admiratione tribuerunt. Testis est Gallia, Germania, Dalmatia, Ægyptus, Arabia, Chaldæa, & reliquæ provinciæ, quas ille perdiscendi gratia (Pythagoram & Platonem imitatus) peragravit. Testis est ipsa Græcia, quæ cum præ se cæteras nationes tanquam barbaras contemneret & aspernaretur, illius divinam eloquentiam admirata, ejus libros in maternam linguam vertendos curavit, ne tanti hominis monumentis carere videretur. Itaque Græciam Latinis literis, Latium Græcis, Hebræis, atque Chaldæis Hieronymus illustravit. Testis demum est illustris ille labor, quo ecclesiam Christianam, variis atque diversis sanctarum scripturarum translationibus scissam atque dissipatam, ad unitatem atque concordiam revocavit: ut ipso Augustino teste, Hieronymus ecclesiam ædificasse iterum diceretur.

Extremus denique istarum maximarum virtutum & gloriæ testis locupletissimus est, illud Bethleemiticum præsepe, quod ille (cum jam ejus os sanctissimum & sapientia & eloquentia canesceret) ultimo vitæ tempori, & quasi extremæ senectuti consecravit: unde clarissimam ille lucem in totum orbem diffundebat: unde hæreticos vehementer

ANNO CHRISTI 1562.

menter exagitabat: unde ecclesiam tuebatur, in quem locum ex omnibus provinciis atque nationibus, tanquam ad Christianum oraculum, homines confluebant, ut sanctissimi hominis conspectu, & sapientia, & extrema illa atque cygnea divini pastoris voce fruerentur. O vir sanctissime, sydus ecclesiæ clarissimum, apostolorum imitator, salis & lucis nomine, cœlo, & immortali gloria dignissime. Felix & beata ecclesia Christiana, quæ tantum in terra patronum, advocatum in cœlo fuerit adepta. Felix Bethleemiticum domicilium, quod & Christiani natali die, & Hieronymi sepulcro gloriari potest: quod Christum nascentem mundo, & Hieronymum cœlo conspexisti. Ut unde exoriens Sol ille justitiæ in mortalium processit conspectum, inde Hieronymus occidens, ex iis tenebris in illam sempiternam lucem, in beatorum consortium & felicitatem evolaret.

Hunc nobis hodierno die non modo celebrandum, sed imitandum proponit: quo nullum nobis aliud vel illustrius exemplum, vel iis temporibus magis accommodatum exhibere potuisset: cujus vestigia, qui nunc ecclesiam salvam & incolumem esse cupimus, sequi debeamus: Nam qui eam alia ratione quam fusis precibus & supplicationibus juvare non possumus, & nullum illi aliud quam lacrymarum patrocinium exhibere, hujus viri sanctissimi lacrymas illas acerbas, & e cœlo semper pendentem animum ante oculos proponamus. Illi vero quibus ingenium, eruditionem, sanctarum scripturarum intelligentiam, disciplinarum & antiquitatis notitiam, stylum, copiam, & facultatem ad scribendum aptam divina bonitas largita est; hunc ducem sequantur, qui tanquam fax quædam & fulmen hæreticorum, veluti quondam Jupiter gigantes, sic ille hæreticos eloquentiæ divinæ fulminibus percussit, extinxit, atque prostravit. Quos ego & oro, & hortor, & obtestor, ut hæc cœlestia munera sibi ad salutem, & ornamentum ecclesiæ tributa ad arcendos & propulsandos illius hostes, ad tuendam ejus dignitatem conferant, quod eo ardentius & confidentius illis faciendum est, quod doctissimorum hominum sapientissimis scriptis effectum esse videamus, ut plerique adversariorum nostrorum victi atque superati, & sanctissimas Christiani jejunii leges, & pietatis opera, ad obtinendam innocentiam necessaria, & patrum traditiones, & conciliorum auctoritatem, vel inviti atque reluctantes agnoscant.

Nunc vero duo sunt, quæ ab illis acerrime oppugnantur, sacrosanctum videlicet missæ sacrificium, divini erga nos amoris pignus, salutis pretium, hostia incruenta, mortuorum præsidium, vivorum felicitas, uberrimus bonorum omnium fons, a Christo institutum, ab apostolis celebratum, a patribus, conciliis, ab universo Christi toto orbe, tam longa seculorum serie receptum, & nuper a vobis, gravissimi patres, sanctissimis decretis confirmatum. Tum vero sedes illa apostolica Romana, quam vel ipsi antiqui ecclesiæ hostes summa veneratione jam inde ab ipso apostolorum principe Petro continua pontificum successione deductam, tanquam ceterarum omnium ecclesiarum principem & moderatricem prosequebantur: in hanc igitur unam curam & cogitationem de conservando divino sacrificio, quod illi extirpare: de asserenda sede Romana, quam illi evertere & funditus delere conantur, incumbite: ad sustentandam unicam illam & firmissimam ecclesiæ columnam, omnes ingenii vires adhibete: quam qui erectam & firmam esse cupit, salvam esse cupit ecclesiam: illa etenim collapsa, ruet totum ecclesiasticum ædificium: illa extincta splendidissima face, omnia hæresum & errorum tenebris occupabuntur: quæ non aliunde natæ sunt, quam quod sacerdoti Dei (ut dixit Cyprianus) non obtemperatur: illa occidente, occumbet simul Christiana religio, adeo ut mihi quidem cum illius funere miserabile etiam ecclesiæ funus convectum esse videatur. Nihil est quod adversarii majori odio prosequantur, & majori rabie insectentur: sed nihil mirum, nefarium illum & improbissimum magistrum atque ducem imitantur: quo majori studio & animi contentione elaborandum est, ut quod illi ad affligendam magnopere religionem e medio tollere conantur, nos illud unum ad eam firmandam stabiliendamque tulciamus.

Vos vero, sanctissimi patres, acerrimum hunc ecclesiæ patronum, clarissimum ecclesiæ lumen, firmissimum fidei religionisque præsidium, pestem & exitium hæreticorum ante oculos proponite, & non modo factorum, sed vestrarum etiam cogitationum & advocatum invocate, & consultorem adhibete, si modo labefactatæ & afflictæ religioni optatis remedium aliquod adhibere. Quod sane non jam ego, sed ipsa mœsta atque lugubris ecclesia vestris genibus provoluta, per suas quas fundit lacrymas, per vestram fidem, per Christi crucem & sanguinem obtestatur, ut ejus ruinis & miseriis commoveamini, ne miseram deseratis, ne quam nunc exiguam & afflictam habetis, auxilio vestro destitutam nullam deinceps habeatis, ut si minus amissam omnem dignitatem non possit recuperare, habeat saltem vestro beneficio munitam aliquam sedem & domicilium, in quo emergens e tantis ærumnis, sine metu hostium libera respirare, & secura possit conquiescere. Nam nunc quo se recipiet, ubi non hostium insidias pertimescat? Num in Germaniam, unde sæpe cum dedecore pulsa est? Nunquid in Angliam, ubi oppressa tyrannide, in publicum prodire non audeat? Nunquid in Galliam, ubi filios suos se mutuis vulneribus conficientes videat? Nunquid in reliquas provincias, in quibus & occultos domesticos hostes, & externos etiam reformidet? Omnia illi suspecta, omnia misera, omnia calamitosa & acerba sunt, nisi per vos, sanctissimi patres, pace composita lux tenebris, fides populis, Christo gloria, ecclesiæ dignitas & tranquillitas restituatur.

Nisi rem felicissime cœptam ad felicem etiam exitum perducatis, magna sunt quæ hactenus præstitistis, sed longe majora restant: nunc sordes abluendæ, nunc omnis turpitudo removenda, nunc facies illi pristina revocanda, nunc pulchritudo restituenda, nunc notandi hostes, & extrema rebus omnibus manus imponenda est. Ultimus restat hujus concilii actus, in quo declarabitis, sanctissimi patres, nunquid finetis miseram & afflictam sponsam (quod Deus avertat) perpetuo lugere, aut potius sapientia & virtute vestra recreatam, quod futurum spero, ex hoc loco præteritæ calamitatis solatium, & spem futuræ salutis certissimam reportare? Spiritus ille cœlestis, hujus sanctissimi loci custos & moderator, qui mentes vestras sanctissimas & sapientissimas splendore divini luminis illustrat, bonitate fovet, sapientia regit & moderatur, efficiat ut sapientia,

ANNO CHRISTI 1562.

ANNO CHRISTI 1562.

pientia, consilio, & virtute vestra divina, curatis ecclesiæ vulneribus, absterſis illius & sordibus & lacrymis, restituta veteri disciplina, hostibus ad suavissimum Christi & Romanæ sedis jugum adductis, revocata denique pristina concordia & unitate, læti omnes dulcissimum illud Pæana (Ecce quam bonum & quam jucundum, habitare fratres in unum) in Christi gloriam, laudemque canamus. Cui sit laus, honor, gloriaque sempiterna. Amen.

XCIX.

ORATIO HABITA AD OECUMENICAM Synodum Tridentinam, a reverendo patre, fratre Francisco Orantio, Hispano, Minoritanæ familiæ, sacræ theologiæ lectore Vallisoletano, in eodem concilio apud patres substituto vicario pro reverendissimo D. I. Christophoro Valtodano, Valentinæ ecclesiæ præfecto, ac sanctæ generalis inquisitionis in tota Hispania censore, die celeberrimo sanctorum omnium Kal. Nov. anno MDLXII.

Sacerdotes tui domine, induantur justitiam, & sancti tui exultent. Psal. 131. *Beati, qui esuriunt, & sitiunt justitiam.* Matth. cap. 5.

FATEOR equidem, illustrissimi cardinales, qui domini nostri Pii quarti, patris omnium, locum tenetis, & personam sustinetis, oratores maximi, vos qui imperii majestatem, celsitudinemque regiam nobis præsentia refertis, generis splendore, ac rebus per vos bene gestis & ipsi clarissimi, antistites literatissimi, qui ad orbis totius Christiani clavum & gubernacula lectissimi sedetis: magistri doctissimi, fateor ad dicendum de cœlesti hac, & pene divina justitia diem hunc Deo, justisque omnibus sacrum, satis nobis contigisse opportunum. Mire sane oraculum Davidicum de sacerdotum justitia, & sanctorum exultatione ad rectitudinem evangelicis mentibus asservatam quadrat, quamdiu mortales vixerunt, & ad supremam illam suam felicitatem, quam ipsis incredibili lætitia, ingentique animorum exultatione non Christianus orbis tantum, sed & angelicæ mentes voce dulcisona alternis dicentes, hodierno die jucundissime gratulantur. Hos cum audit ecclesia mater cœlestes suos dedisse cantus, non potest (angustiis quamlibet undique pressa) non illis congaudere: imo vero incredibili correpta gaudio, apostrophe pulchra usa, nunc nos filios suos, nunc ipsos alloquitur beatos. O filii, vita hæc nostra, quam a dulci patria exules nos vivimus, vere lacrymis & suspiriis debetur tota. At postquam dies hic sanctorum clarus gloria, ipsis etiam supremis ordinibus festivior habetur, tantam nos eorum lætitiam congratulatione nostra expectatissima illis sane cumulemus. Quare o *justi exultate in domino*, quibus & sors cecidit in præclaris, & hæreditas præclara est vobis. Speſque eadem & nobis, qui miseræ nostræ peregrinationis pertæsi ingemiscimus, interim dum nostra jacitur nobis alea, multos facit animos, ut in istam dignitatem suspiremus, & festinemus in istam requiem ingredi. Convenit etiam Davidicus psalmus summe & cum esurie, & siti justitiæ evangelicæ.

Psal. 15.

Hebr. 4.

Novi siquidem testamenti mediator, quemadmodum vel Matthæo referente didicimus, cum videret turbam in dies magis ac magis increbre-

Matt. 5.

scere, montem subiit, non legem accepturus, sed cœlestes ipse magis explicaturus Sienos, quos nunquam hominum oculus viderat. Monte igitur conscenso, cœlestis philosophiæ doctorem agere cœpit: ipsa loci celsitudine declarans, se nihil plebejum traditurum & humile, sed ardua, cœlestiaque omnia, & quæ attentum auditorem requirerent. Aderant proximi sancti apostolii, in pulcherrimæ coronæ modum circumcingentes magistrum, paulo mox legati a latere creandi, & qui novas has mercedes in orbem universum inveherent, & evangelicæ doctrinæ nondum audita dogmata nobis depromerent, plurimum abhorrentia ab opinione eorum, qui mundo videntur admodum sapere. Aperuit os suum, stultam faciens, & inefficacem convincens mundi hujus sapientiam, ut quæ verbum hoc beatitudinis nostræ vel olfeciſſe non potuerit. Certe vel hic unus Matthæi locus, ubi Christiana justitia nobis explicatur, persuadere potest, multa cœlestem legislatorem nostrum orbi ostendisse, quæ omnino nova, & supra hominum opinionem dicta esse videantur.

1. ad Cor. 2.

Initium a beatitudine orationi suæ dedit: noverat porro ille qui finxit sigillatim corda nostra, & qui intelligit omnia opera nostra, nulla re hominum mentes præ beatitudine affici. Huc omnium vota tendunt, huic nostra omnia nuncupamus. In beatitudinem demum nimia cupiditate propendemus. *Beati*, inquit, *pauperes, beati qui lugent, beati qui esuriunt*. O rem miram, patres amplissimi! Qui sibi ista cohærent? Quid illi beatæ vitæ omnibus divitiis absolutæ commune & miseriæ ac paupertati? Quid illi exultationi, quæ sic beatorum animos felicissime complebit, & oculorum lacrymis? Quid illi perfectæ felicitati, & luctui? Quid habet commune sanctorum illa satietas, apparente Dei gloria, cum esurie, & siti? Demum nihil minus videbitur beatitudo, si superficiem attendas, quam quæ a Christo hic describitur nisi quod studuit mirabilia hic in legislatoribus, fidei nostræ auctor & consummator, omnes naturæ nostræ cupiditates, inania, vanaque hominum commenta, hac sua oratione evertere: dum docet his, quæ mundus vel nominare horret mercedis subesse plurimum, nimiumque pretii in eis delitescere: ut quæ in sanctorum exultationem, justorum operibus ex fide & gratia procedentibus, æterno Dei fœdere debitam, certissimæ viæ sint.

Psal. 3.

Psal. 16.

Est porro hæc ipsa loquendi phrasis Dei filio non semel aut iterum, sed sæpe familiaris: *hæc*, inquit (alibi patrem alloquens) *est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti, Jesum Christum filium tuum*: quæ sane verba non modo claræ illi visioni, quæ sanctos Dei manet, quando videbunt eum sicuti est, congrue quis accommodaverit: verum, si ad fidei cognitionem evangelica prædicatione expressam de Deo & Christo ejus referre velit, ut quod hæc in illam certa sit via, Paulum sanctissimum videbitur imitatus, qui ait: *Nos vero omnes revelata facie, gloriam domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tanquam a domini spiritu*. Sunt igitur beatitudines evangelicæ istæ, non quod hic status, absit, sed quibus finis acquiritur. Paulus etiam universo Christiano negotio in spem concluso, sanctorum pressuras, quas evangelicus sermo felicissimo nomine hic donat, non immortales spes, non perpetuas afflictiones, non sine fine mala vel suspi-

Joan. 17.

1. Joan. 3.

2. ad Cor. 3

2. ad Cor. 4.

ANNO CHRISTI 1562.

cari nes finit: sed contra leves & momentaneas, A & quæ secundum excellentiam æternum gloriæ pondus operantur in nobis. Ut vel hac ratione beatitudo sit ea, quæ vel uno momento suprema felicitate complebitur. Quod enim parum distat, pro minimo reputatur. Novæ igitur & cœlestis structuræ divinus hic architectus, qui pro ecclesiæ suæ construenda fabrica, noctem tanquam diem transigebat, sublimi ædificationi, quæ cœlos pertingeret, humilitatem, modestiam, animi prosternationem, & spiritus paupertatem, convenientissimum fundamentum jecit.

Primus ille terræ filius Adam, cum Dei beneficentia summis ornamentis esset insignitus, cum in summum honoris fastigium evectus esset, denique cum divitiis divinæ gratiæ affluret, manere poterat in suo gradu: siquidem hominem altius quam licebat, & quam fas erat, non extulisset ambitio. At satanæ illecebris captus, contempta veritate, miser ad mendacium deflexit. Et qui spiritu pauper esse noluit, ob superbiam, quam omnium malorum initium vocat Augustinus, ab eximia gloria, in extremam ignominiam
2. ad Tim. 3. deturbatus est. Paulus etiam sanctissimus, cum malorum chiliadem enumerare vellet, amorem sui atque elationem vitia cum spiritus paupertate ex diametro bellantia, ante omnia præmisit. Hic inanis illa hæreticorum hominum orta est gloriæ cupiditas. Hinc ipsorum temeritas, eo iniquitatis progressa, ut non regiæ viæ & antiquæ pertæsi tantum, quærant deviam; verum etiam C ore plusquam sacrilego cœlum attingentes, ipsas scripturas sacras, si semel intellexerint, ob clarissimum ipsarum testimonium nullam pati adulterinam expositionem, mox pervertunt, deturpant, luxant, radunt, & in frusta immanissime secant. Et (ut semel omnia dicam) spiritus elatio, auctore Augustino, non nisi Dei contemptu terminatur. Totius ergo boni initium, sanctissimi domini, humilitas est: & totius mali, superbia. Denique & perditionis initium a superbia exit per diabolum: at salutis initium ab humilitate per Christum. Propterea convenienter & omnium beatitudinum humilitatem constituit principium quo loco diligenti consideratione observemus non dictum, Beati humiles spiritu, sed pauperes D egeni & mendici: ut semper Dei adjutorium mendicent. Unde in Græco, Beati egeni, vel beati
Chryf. super Matt. cap. 5. mendici: nam pauper quidem est, qui angustiam habet, non autem tantam, ut mendicare cogatur. At vero hic: beati, inquit, mendici spiritu, ut in multa necessitate humiles ostendat. Si ergo dixisset, beati humiles spiritu, nihil amplius significasset, quam humiles: nunc autem & pauperes, & secundum spiritum pauperes, intelligentes per fidem, unde sit, ac dimanet adjutorium hominis. Vides ergo, non quamcumque humilitatem, evangelicam beatitudinem esse, sed eam, quæ ex humilitate nascitur, spiritus paupertatem, & indigentiam. Qui enim juxta evangelii fidem humiles sunt spiritu, pauperes, & mendici, non ex E natura, sed ex fide pauperes, dum nimis timent de se, adjutorium Dei pulsare non cessant.

Beati qui lugent: hæc vestra beatitudo est, pastores observandissimi, qui doctores estis, qui & supra montem estis: qui enim sua peccata lugent, beati illi sane, sed mediocres beati: beatiores vero qui aliena lugent peccata: tales vos esse convenit. Nam cum sitis omnes populi Christiani patres, quomodo lugere non poteritis? cum quotidie Christianorum animas usque ad infernum cadentes, e vestris manibus elapsas videatis? Angelis porro, quibus ut signent Dei servos demandatur cura, dictum legimus: *Ite per Hierusalem, & signate omnes qui lugent super iniquitates, quæ fiunt in medio Hierusalem*. Ea sane vera est ecclesia Christi, cujus fundamenta sunt in montibus sanctis. *Beati mites*: & mansueti, adversum quos neque prævalere potest peccatum, neque adversus alterum aliquando ex illis peccandi occasio nascetur: sed student magis injuriam pati quam facere. *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam*: qui nihil aliud quærunt, quam ut a culpa purgati, tam ipsi quam alii crescant in gratia: & plus patriæ quotidie appropinquent per desideria fervida: desiderantes secundum Dei justitiam conversari. *Beati misericordes*: qui non pauperi aut pupillo miserentur tantum, verum inimico proprio, benefacientes ei: hic enim beatus fiducialiter adjiciet, dimitte mihi debita mea domine, sicut & ego dimitto debitoribus meis. *Beati mundo corde*: qui non solum non faciunt malum, nec cogitant: sed adhuc etiam qui Matth. 6. omne bonum & faciunt semper & cogitant. *Beati pacifici*. Pax est unigenitus Deus, de quo dicit apostolus: *Ipse enim est pax nostra*, qui ergo pa- ad Eph. 2. cem diligunt, filii sunt pacis. In hanc beatitudinem hortatur nos propheta regius, inquiens: *Cohibe linguam tuam a malo, & labia tua ne loquantur dolum: inquire pacem, & persequere* Pſal. 33. *eam*. Demum octava evangelica beatitudo veræ circumcisionis martyrio (ut eleganter exprimit Hieronymus) terminatur. *Beati, inquit, qui perse-* Hieron. in Matt. cap. 5. *cutionem patiuntur propter justitiam. Beati vos, cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos: mentientes propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces vestra multa est in cœlis.*

Cui non hic libebit cum gentium magistro Paulo exclamare opportune? Ubi sapientes gen- 1. ad Cor. 1 tium philosophi, apud quos summa erat sapientiæ auctoritas? Ubi scriba Judæorum doctor, & (ut egregie interpretatur Cyrillus) grammatistes, Cyril. in Paulum. grammaticæ professor, poetarum prælector & interpres? Ubi sæculi hujus inquisitor, altercansque disputator, qui suis rationibus & argutiis se omnia assecuturum credit, universaque opinionibus quibusdam permittit, & profundissima quæque naturalibus investigationibus metitur? Ubi Plato alioqui doctissimus? Ubi Aristoteles sui sæculi & anima & princeps? quotus quisque nobis beatitudinem annunciavit? quotusquisque erroribus miseros nos complicatos in lucem potuit asserere, cœlesti libertate donare, docere veritatem, vanas solvere præstigias, quibus illusi tenemur? quotusquisque oculorum lacrymas, paupertatem spiritus, & id genus cetera, æternis delitiis, summaque & infinita tranquillitate consolatus est aliquando?

Agnoscat igitur, agnoscat cæca hominum libido, neque opibus, neque luxu, neque voluptate, sed magis his omnino contrariis, siti, esurie, suspiriis & lacrymis, in cœleste illud capitolium, beatissimumque senatorum conventum, ubi sit futura sanctis æterna quies, ac gloria cum Deo perennis, tanto facilius ferri nos, quanto prioris generis rebus magis opprimimur. Dei nihilominus donum agnoscamus, qui & magnifice se nobis apparere fecit, & qua iremus ad ipsum, per prophetas olim, novissime per filium, qui inde venerat, quotidie prænonstrat. Ecce mundi excrementum & impiorum rejectamentum, abjecti & despicabiles homines, jure hæreditario capient regnum, longe magnificentius omni regno mundi.

Ipsorum,

ANNO CHRISTI 1562.

Ipsorum, inquit, *est regnum cœlorum*, ipsi possidebunt terram, consolabuntur, filii Dei vocabuntur, misericordiam consequentur, Deum videbunt: denique mercedem habebunt repositam in cœlis.

O vere beatos, & reges, quorum & nunc etiam magnificum regnum est nulli servire vitio, nullis obnoxium esse cupiditatibus, satanicas copias conculcare, mundum viciſſe cum illis omnibus, quæ nos terrent, vel illectant. O vere beatos, qui visuros se domini bona in terra viventium credunt, & sperant, & quorum lacrymæ divinis abstergentur manibus, nimia post lacrymationem & fletum exultatione perfundendos, quos & implebit altissimus lætitia cum vultu suo. Quid jam miramur, sanctos Dei homines curis vacuos, atque liberos, fretos Deo, fretos innocentia sua, fretos præmiis futuri sæculi, tranquillo pectore contemnere ea, quæ nos maxime & suspicimus & amamus? Nonne regnum sperant obtinere longe pulchrius, ac longe isto magnificentius?

Verbum hoc Christi, sanctissimi domini, *Merces vestra multa est in cœlis*, quantos animos (immortalem Deum) evangelicis mentibus fecit! Verum quoniam si de his per singula dicere vellem, longum esset mihi ad omnia futurum iter, nimiumque oratio nostra erraret: Venio jam ad eam partem Davidici psalmi, & evangelii, quæ de justitia esurienda & sitienda sacerdotibus sanctis est. Ad quam ut diligenter attendatis, etiam atque etiam a vobis, illustrissimi & reverendissimi domini, contendimus: est porro ea res huic loco, & his temporibus magnopere accommodata. Et o utinam pro justitia dicturo mihi coram amplissima œcumenica patrum corona, divinus ille spiritus assideat, quem scimus e citharœdo puero psalmographum, quo nemo dixit divinius, repente inspirasse: e simplici & rudi pastore, qui nihil præter sycomoros vellere didicisset, prophetam egregium creavisse: ex tenero vix puero, acerrimum senum censorem, admirandaque præditum prudentia judicem constituisse: ex egeno & paupere piscatore, ecclesiæ suæ pastorem, & qui nunquam deficeret magistrum præfeciſſe: e rapace lupo mane rapiente escas immanissime, ad vesperum agnum pacatissimum (quod & nos omnes miramur) magnifice dividentem spolia, & qui spiritus hujus divini primitias haberet, insperato erexisse. Et ne infinita persequar, publicanum, qui nihil minus quam literas didicisset, vel hoc supercelesti spiritu auctore, evangelistæ gloriam assequutum. Tantus ergo ac talis Spiritus nostris cœptis aspiret, ut justitiam quæ terris pene relictis (semper reliquias cum Paulo excipio, quæ secundum electionem gratiæ, salvæ factæ in Christi ecclesia nunquam deerunt) cœlum unde fuisset semel exorta, regnatum perenniter cum sanctis videri posset conscendisse; eam vos, patres sanctissimi, vestra diligentia atque studio rursum inde ad nos homines revocetis.

Dan. 13. Joan. 21. 2. Reg. 11. Amos. 1. Act. 9. Matth. 8. ad Ro. 11.

Matth. 5.

Mira res est justitia, quam non qui possidet tantum, sed qui esurit, felix vel Dei testimonio habetur, næ supra hominum æstimationem est: qua non qui fruitur solum, post pulverem & sanguinem, sed qui eam adhuc sitit beatus. Est ea multiplex, sublimis, una, innata, undique perfecta, absoluta numeris infinitis, ut quæ divina, hanc esurire, aut sitire præter eum, qui ipsam induit ab æterno, cunctis religio, sed tantam mirari, adorare, veneraque datur. Est huic proxima altera non innata, aut sublimis quemadmodum prima illa: pura tamen & perfecta sanctorum, qui Deo fruuntur, rectitudo, nunquamque intermoritura justitia: quam esurimus, & sitimus dum dissolvi, & esse cum Christo cupimus. Est tandem tertia non pura, nec perfecta, vera tamen & recta justitia, quæ nostra est, hæc theologicas amplexa virtutes, fidem, spem, & caritatem, vires animi universas Deo divinisque mandatis hærere facit: quas naturæ divinæ participes, ac Deiformes reddit. Quæ omnia & si vera sunt, una tamen justitia est, quam esurire & sitire induendam sacerdotibus his qui primates habentur ecclesiæ, longe beatissimum glorioſissimumque fuerit. Est ea ejusdem ecclesiæ pax, religio, justitia, sanctitudo, quæ Dei domum decet maxime. In ea enim consistit hujus actionis, ac proinde hujus negotii prora, puppisque, ut dicitur: & totius Christianæ religionis causa status & cardo vertitur. Et ut in amussim delignatam intendamus, libet, patres beatissimi, si per lacrymas licet, ad eam nos ecclesiam convertere, quam a Christo capite, & ab apostolis omni justitia & pulchritudine ornatam accepimus.

ANNO CHRISTI 1462.

Philip. 1.

Psal. 92.

Principio, ipsa animorum & judiciorum æqualitas, firmitate atque stabilitate sua, virtutem sequuta, huic ornatus plurimum & gratiæ conferebat, nihil eam deformabat: cujus singulæ partes sic in officio retinebantur, ut nihil de cœlesti forma dejicerent. Deinde, divinis hæc erat munita legibus, quarum amore dum homines flagrant, magistratuum pedibus, apostolorum scilicet advoluti, se suaque omnia ipsis asservanda sacrant: firmissima fide statuentes apud se, futurum aliquando, ut redeat de cœlis judex, qui suarum legum rationem exactissimam ducat. Cujus illi adventum conscientia bona, fide integra, intentissimisque animis expectabant assidue, dies, noctesque Dei sui sitientes justitiam, majoribus observantiam, minoribus disciplinam, omnibus demum fraternam dilectionem præstabant. Denique domus tanta vel proletariis hominibus, & ex lapide (quemadmodum vulgo dici solet) emptis pervia pateret, portæ duæ pro sacerdotibus illeſæ stabant: vitæ scilicet sine labe transactæ puritas, & mysteriorum fidei nostræ cognitio certa, & clara, quæ sese in gregem dominicum diffunderet copiosissime. Et ne nimius sim dum ex literis arcanis minutissima quæq; colligo, post principem pastorum & coronam Jesum, uno aut item altero exemplo divinæ scripturæ contentus, præteribo.

Actor. 2.

Oportebat testem creari unum resurrectionis Christi, quemadmodum Petro sanctissimo sacer Dei spiritus suggessit: eliguntur duo, quos non vitæ sanctitas secernit, ut qui justi ambo, non alterum notat scientia (claruit siquidem cœlesti cognitione uterque) sorte divina dispares solum, digni ambo episcopatu. Rursum credentium numerus in dies horasque augebatur magis, dux & ecclesiæ princeps Petrus cum undecim, diaconos septem creat, sed quos? Audite. Considerate ex vobis viri fratres (vox sonuit apostolorum) viros boni testimonii septem: non libet neque licet apicem unum præterire. Ecce portam unam, conscientiam bonam: plenos Spiritu sancto & sapientia, en alteram, ac tum commodissime sequitur: quos constituamus super hoc opus. Quid vos moror? Nullibi sanctissima Pauli anima morosior habebitur, quam cum sacerdotem & episcopum suis dotibus ornat. Et ne videretur tantus apostolus talem descripsisse pastorem, qualem Christi ecclesia tunc non haberet, neque spes erat ulla aliquando habituram: quemad-

Act. 1.

Act. 6.

ANNO CHRISTI 1562. *Act.* 20.

modum fecere plerique, perfecti oratorſs ideam A finientes ſolum; morti prope vicinus, ſe ipſum Aſianis epiſcopis exemplum omnino ſequendum objecit, atque ad imitandum propoſuit. Vos ſcitis a prima die, qua ingreſſus ſum in Aſiam (hanc vocem primam orationis Paulinæ in epiſcoporum conſeſsu novit multo melius plurima veſtra lectio, patres literatiſſimi) qualiter vobiſcum per omne tempus fuerim, ſerviens Deo in humilitate, & lacrymis, & tribulationibus, quæ mihi acciderunt ex inſidiis Judæorum. Et ecce ego alligatus quidem ſpiritu vado in Hieruſalem: quæ mihi ibidem eventura ſunt, ignorans; ſed tantum Spiritus ſanctus proteſtatur per omnes civitates dicens mihi: Quoniam tribulationes, & vincula me Hieroſolymis manent: B ſed nihil horum vereor, neque facio animam meam pretioſiorem quam me: dummodo conſummem curſum meum, & miniſterium verbi, quod accepi a domino Jeſu, teſtificari evangelium Dei. Et ecce omnes vos mihi teſtes eſtis, quoniam nullius veſtrum aurum, argentum, aut veſtem concupiverim, ſed ad ea quæ mihi opus erant, & iis qui mecum ſunt, manus iſtæ miniſtraverunt.

Miramini ſatis video, ſanctiſſimi patres, ducis hujus Chriſtiani exercitus nobiliſſimi plus quam beatam animam, pectus omnino evangelicum, mentem vere apoſtolicam, ab omnium cupiditate liberam prorſus: at conſideratione pari precor obſervari quæ de doctrina, porta altera ſtructuræ C hujus cœleſtis, ibidem legimus. *Ego ſcio*, inquit, *quod poſt diſceſſionem meam intrabunt in vos lupi rapaces, non parcentes gregi, & ex vobis ipſis conſurgent viri loquentes perverſa. Quare vigilate memoria retinentes ſemper, quoniam per triennium die ac nocte non ceſſavi cum lacrymis monere quemquam veſtrum.* O paſtorem eximium, quem non præſentium tantum, ſed & futurorum malorum in gregem dominicum cura premebat. O vigilantem doctorem, quem neque dies, neque nox a doctrina repulit unquam. O divinum docendi genus quod lacrymæ exornant: hos habebat eccleſia ſacerdotes ſuos ad bella doctiſſimos, quorum doctrina, non ſcientia innixa ſolum, ſed carnis mortificatione & cruce, mundum po- D tuit Chriſto principi ſubjugare quaqua patet. Quo loco, obteſtor vos, exercitus noſtri nobiliſſimi duces, docete me, ſi quando in principum annalibus, aut in magnorum regum hiſtoriis (quas etſi ſuus cuique ſelectus congerat auctor, nihil me premit) legeritis unquam, quod oves evicerint lupos? quod hi, qui circumibant, in melotis, in pellibus caprinis, af- *Hebræ.* 11. flicti, pannoſi, at apoſtolica celſitudine maximi, hi inquam ſic gentium caſtra everterint, ſic philoſophorum potentiſſimorum ora obturarint? Amens ſim, ſi tu aliquando vidiſti paſtorem alioqui prudentiſſimum, oves ſuas, quas unice amet, in ipſam luporum carnificinam mediam conjeciſſe; ut ne fuga quidem ſalutem conſe- E querentur?

Dices: quis paſtor hoc fecit? Reſpondeo, *Matt.* 10. Chriſtus ſane. *Ecce ego mitto vos* (inquit) *ſicut oves in medio luporum*. Quemadmodum & ſcriptum legimus: *Propter te mortificamur tota die: æſtimati ſumus ſicut oves occiſionis*; *ſed in his omnibus ſuperamus* (victrix exultat Pauli anima) *Rom.* 8. *propter eum qui dilexit nos*: omnes nos, ecce domine, habiti ſumus propter te, veluti oves deſtinatæ mactationi, omnibus objecti & expoſiti, ſed *Pſal.* 84. tamen contra tot tantaque pericula, contra novas haſce tragœdias, hæc una ſufficiens, imo vero abundantior multo conſolatio ſuccurrit, neque enim propter homines, aut aliud fluxum quidpiam id patimur, ſed propter te univerſarum rerum dominum. Fateor enim minime fieri poſſe, ut qui homines eſſent, ii infinitas mortes tolerarent. Verum vide ne hac quidem ratione apoſtolicis animis præmia eſſe imminuta, *Mortificamur*, inquit, *tota die*: nam ut natura ſortiti id ſimus, ſemel tantum ut moriamur: tamen voluntate id quotidie perpeti, ſi id in animum induxerimus, dedit Deus. Unde liquet, ut cum tot hinc diſceſſerint coronis, quot dies vixerint: immo vero multo pluribus. Sane poſt cœlum ipſum promiſſum, poſt regnum ſupernum, poſt arcana bona: molles adhuc, & ſegnes effici viros apoſtolicos, rem turpem arbitrabatur hic Paulus, facta eleganti collatione ad patres, qui ſub prioribus repromiſſionibus vixere, terram laborum ſuorum præmium habentes, ii ſane uſque adeo tum vitam præſentem, tum tentationes & pericula deſpexerunt: quemadmodum ex introducto verbo prophetæ colligimus, ut nullam nos veniam ſimus habituri, qui ſub melioribus promiſſionibus vivimus, ſi ne ad parem quidem cum illis virtutibus menſuram accedamus.

Vide etiam ut rurſus ſanctiſſimus hic apoſtolus auditorem excitet, ſublimemque ac animoſum efficiat. *Sed in his omnibus pluſquam ſuperamus, per eum qui nos dilexit*. Quod enim mirabile eſt, hoc eſt, quod non ſuperamus ſolum, ſed per ea ipſa ſuperamus, per quæ inſidias patimur: nec ſimiliter ſuperamus, ſed pluſquam ſuperamus, hoc eſt, omni cum facilitate, citra ſudores, ac labores. Non enim moleſtias tolerantes, ſed animum modo præparantes, ſic ubique trophæa contra hoſtes ſtatuimus. Et id juſta de cauſa. Deus eſt enim qui nobiſcum decertat. Ne igitur diffidas. Si qui flagellamur, flagellantes ſuperamus: ſi qui, exigimur, perſequentes vincimus: ſi qui morimur, viventes in fugam vertimus. Sicque ut facile intelligant omnes, non eſſe inſidiatoribus noſtris bellum contra homines ſuſceptum, ſed contra inexpugnabilem illam potentiam, quæ victoriam noſtram, quin ſupra omnem modum eluceat, nullo inimicorum commento prohiberi ſinit. Inſpiciamus Judæos, ſi placet, qui cum apoſtolos duces noſtros in manu ſua haberent, addubitantes tamen dicebant: quid his faciemus hominibus? O *Act.* 3. ſtupendum miraculum Chriſti fortitudine dignum, carceribus detinentur, magnorum criminum rei aguntur, vinciuntur, & cæduntur: & tamen qui detinebant, judicabant, cædebant, mentis conſiliique inopes hæſitabant adhuc, per hæc ipſa manus dantes, ac victos ſeſe agnoſcentes, per quæ tamen victorias ſe reportaturos ſperabant. Parum eſt quod dixi, neque tyrannus, neque carnifices, neque dæmonum phalanges, neque ipſe diabolus mundi princeps ſuperare illos valebat: ſed longe exuperabantur omnes, conſiderantes aperte, quas in eos artes intendebant, eas omnes illis iiſdem auxilio cedere. Propterea dixit Paulus. *Pluſquam ſuperamus*. Nova enim victoriæ lex hæc erat, per ipſa eadem demum adverſantia ſuperare, ac nunquam ſuperari, ſed illos ipſos ita ad certamina deſcendere, quaſi exercitus domini jam eſſent. Et id quidem *propter eum qui dilexit nos*, & qui tantum nobis impendit, quemadmodum legit ſacer Ambroſius. Sanctus vero Auguſtinus, per eum legit, ut ſit ſenſus, in his malis omnibus ſuperamus non noſtra, ſed Chriſti virtute, qui dilexit nos.

ANNO CHRISTI 1562.

Enim-

ANNO CHRISTI 1562.

Enimvero, patres ſanctiſſimi, quantum antiqui illi primates noſtri conſolationis in preſſuris, & tribulationibus, carceribus ac vinculis, quantum non ſpei ſolum, ſed & virtutis ac roboris inter medios ipſos cruciatus experirentur, vel una illa ſanctiſſimi Pauli pene cœleſtis gradatio, quæ in epiſtola ad Romanos habetur, nobis clare oſtendit: *Gloriamur*, inquit, *in ſpe gloriæ filiorum Dei*. Mire ſane nos conſolatur ſpes illa æternæ hæreditatis, quæ Dei filiis parata eſt: neque hac ſolum afficimur, ſed & gloriamur in tribulationibus, ſcientes quod tribulatio patientiam operatur, ut quæ occaſio ſit patientiæ exercendæ, rurſum patientia probationem: reddit ſiquidem eum, qui affligitur, probatum: probatio ipſa ſpem, volo dicere, ſpei vigorem operatur. Qui enim jam experientia didicit, quod ob nulla adverſa dimoveri valeat a ſtudio virtutis, vehementer erigitur in ſpem vitæ cœleſtis. Tandem ſpes hujuſmodi afflictionibus roborata, & vegetata, non confundit: quia Dei caritas, qua nos facit dilectores ſuos, communicata nobis eſt, ac diffuſa per ſanctum Dei Spiritum, ceu pignus hæreditatis, quatenus teſtaretur palam ſe bene cupere nobis, & præſtitutum nobis quod promiſit. O vere felicia tempora! o ætatem pluſquam auream, quando e cavernis terræ, in quibus vix tuti manebant: e ſolitudinibus, in quibus errabant: e ſpeluncis, quibus pro domibus utebantur, ſacerdotes ſuos magiſtros atque paſtores, non læta minus quam de cœlo angelos accipiebat eccleſia: quæ tot habuit, quot cœlum ſydera.

2 Ro. 5.

Horum veſtigiis ſimplex credentium multitudo preſſius hærens, ſuorum ſacerdotum ſanguine accenſa, nil præter Chriſtum ſitiens, pro juſtitia & religione, jugulum obtuliſſe mucroni, ingentem de tyranno hoſte triumphum arbitrabatur. Fiebat inde, quemadmodum doctiſſimi quique obſervarunt, ut Chriſti ſponſa inter funeſtos faſces, incenſos ignes, nudos gladios, enſes exertos, & fulgentes oppreſſa, magis floreret, contempta creſceret, læſa vinceret, ac tum demum glorioſior appareret, dum videretur ſuperari. Omnia uſque adeo recta ibant, ordineque ſuo, juxta apoſtolicum præceptum, cuncta currebant, ut difficile non fuerit neque operoſum, ſanctiſſimo Chriſti martyri Dionyſio vel ab invito extorquere Gentili aut Judæo. Quoniam hæc noſtra Hierarchia, quam ipſe inter primas vagientis faſcias, teneraque incunabula attigit, ad cœleſtis illius ſimilitudinem, quæ corporis oculis minime cerneretur in cœlis, viſibilis in terris ordinata eſt, quam voluit conditor Deus cœleſtem imitari: quemadmodum & illa divinam refert. Vultis finiam? Hæc ſane eſt, quam totam miratur pulchram ſponſus: cui dum epithalamium ludit dulciſſime, vix a laude ſe temperat. O quam mihi pulchra videris & formoſa, amica mea. Ingeminat rurſum. Quam pulchra es. Oculi tui columbarum, ut nihil attingam eorum, quæ humanos oculos fugiunt. Pulchram refert, pulchram ſponſam ſubinde replicat, ut duplicem hujus pulchritudinem inſinuet: Alteram, in qua nunc quidem cernitur Chriſti eccleſia, ſpiritu pauper & humilis, corde mitis & munda; exilii ſui ab ſponſo lacrymas comites habens: & cum hoc alienis miſeriis blandiens, divinam legem eſuriens ſemper & ſitiens (quæ vera juſtitia eſt) & mille propter eam incommodis laceſſita: at Chriſto ſuo nimium honorata. Alteram habet pulchritudinem in ſpe præmiorum, quam facto aſſequetur: cum filiorum expleto numero, per conditorem ſuum in cœleſtem ſpeciem & admirandam æternitatem ſublevabitur. Patent illa dum a domo & regno ſponſi exulat: latent hæc, quoniam merces ipſius multa eſt in cœlis. O divinæ philoſophiæ literarium ludum, cœleſtis ethices officinam mirabilem, palæſtram, ubi tot martyres glorioſiſſime decertarunt ampliſſimam, ſponſi viridarium, tot animis virginea pudicitia virentibus & florentibus refertiſſimum: Denique lapidicinam, unde præciſi tot lapides, qui ſupernæ illius Hieruſalem muros compleant auguſtiſſimam.

Cant. 4.

ANNO CHRISTI 1562.

Proh dolor quo abiit ſancta noſtra? quo pulchritudo antiqua noſtra evanuit ſubito? quo immaculata noſtra illa, vigilantiſſimi cuſtodes, profuga ceſſit? Heu jacent cuncta: nihil moderati & penſi in nobis: divina mandata temerantur paſſim: ſanctis obſervationibus vel a minimo quoque illuditur turpiſſime. Vera falſis inordinate permiſta, divina & humana habentur promiſcua. Denique, profunda caligine obtecta cuncta, conſepulta dormiunt. Heu quam deflexum ab officii religione! quam declinatum nobis omnibus a recto vitæ curriculo! Aureum illud altare, hoſtiis divinis ſacrum, ſupra quod ſaginatum ponimus vitulum igni aſſum, unum novi & æterni teſtamenti ſacrificium, & evangelicæ legis victimam ſingularem, ecce omnibus pervium: quod & mille modis prophani iſti violant, atque commaculant homines ſine Deo, ſine lege, & abſque ſacrificio. Quo loco, quod mihi pene memoria exciderat, non ſilebo. Mirus ſane inter patres, multis iſtis retro ſæculis, de hoc divino ſacramento fuit conſenſus: neque inter eos vel minimum quidem opinionis ſiniſtræ emerſit, quod de euchariſtia aut ſenſerint, aut pronunciarint: quos ſcimus ipſam ſacratiſſimam liturgiam ad uſque vitæ extremum ſummo cultu celebraviſſe, fuerint illi Græci, ſive Latini. At umbratiles delineatores, fictoreſque iſti, numquam non calumniantur impudenter, pſeudographe colligentes ſemper. Quibus mos eſt, quemadmodum Tertullianus diligentiſſime obſervat, e ſanctorum hortis amœniſſimis, & e ſanctarum ſcripturarum promptuario virgulta quædam decerpere: ut vel ſic ſacroſanctam eorum majeſtatem quoquo pacto quaſi arrodendo imminuant, atque evertant. Sed & antiquas illas cœleſtis ſtructuræ portas voraciſſima flamma, immaniſſimuſque ignis abſumpſit, cœperuntque Chriſti ſacerdotes, alio ſanctum Dei intrare, a quo ſane tempore non recti greſſus, ſed regreſſus in Chriſti eccleſia apparere viſi ſunt: inde exortæ hæreſes, agreſteſque enati mores, quos nuda ratio, non evangelica lux tantum condemnet. Quod ſi contingat, eum qui præeſt corruptis eſſe moribus, quo pacto (docete me patres beatiſſimi) miſeris ovibus licebit eſſe bonis, & juſtis? Qui fiet, rogo, ſanet ægrotum, fractum ſolidet, firmet nutantem, plagam tumentem oleo foveat, ac tandem quod perierat, requirat is, qui nihil minus quam quæ Chriſti ſunt curat? Imo vero, ſi coram tanto conſpectu vera tacuiſſe eum qui pro juſtitia dicit, immaniſſimum fuerit ſcelus.

Ezech. 34.

Haud dubium, ſanctiſſimi patres, ni tanto malo graſſanti peſſime, quod & creſcit in horas, veſtra prudentia ſe opponat, recte vivendi rationem omnem in contrarium ceſſuram: patrum inſtituta omnia in fundum itura. Chriſti jugum modis omnibus leve preſſum premendum, ſed & ipſum naturæ

ANNO CHRISTI 1562.

turæ lumen nobis consignatum brevi perditum iri. Horret siquidem animus temporum nostrorum ruinas persequi. Multi, proh dolor! fluxere anni, quibus Romana sedes oppetitur, tentant vastare, rapere, trahere. Quod si non eam, ut quæ supra firmam sit ædificata petram: at quot vincti sacerdotes, quot episcopi iis belluis fuere ludibrio, dum mendacio minime cedunt? Quot subversæ ecclesiæ: & ad Christi altare (pudet dicere, sed quid facias? sic fors nostra tulit, sic meritum est nostrum) ad Christi, inquam altare, quem locum fides est sancti Dei angelos latria pari venerari atque cœli aram, miserabile dictu (non paradoxa refero) vidistis patres, vidistis (istos oculos testes appello) dirutis sacris, ecclesiastico fundo per vim oppresso, sacrificii vasis sacrilegio ablatis, Christi cruce comminuta, sanctissimæ Dei matris, sanctorumque omnium imaginibus pessime conspurcatis, & turpissime fœdatis: ad ipsam etiam divinam aram stabulatos equos. O tempora nostra, o mores! non parcitur cœlo, non aeri. Quid quod neque miserrimæ ipsi terræ parcitur? in cujus viscera itum est, confossaque dedit ipsa sanctorum ossa, quæ sibi pro arrabone asservarat: cœlestis illius regenerationis & renovationis, quam creatura omnis ingemiscens (ut dicebat Paulus) expectat. Quid plura? Martyrum sunt erutæ reliquiæ, ut neque post mortem justis altera desit martyri palma. Ubique luctus, ubique gemitus, & plurima mortis imago.

Rom. 13.

Verum non ego historiam in præsentia dictare intendo, pro qua merito explicanda & Thucydides, & Salustius muti sint, sed quod initio statui, vestris subjicere oculis, quæ nos propter amissam sacerdotibus nostris justitiam, & pessime a nobis læsam sanctificationem nostram, undique male habent, angustias. Vestra siquidem interest, sanctificationem desertam, prophanatum illud altare, portas quæ exustæ sunt: demum antiqua illa omnia, quæ suo tempore ecclesiæ ornatus & splendoris plurimum conferebant, hoc nostro sæculo amissa esurire, & sitire: e re vestra est, fugientem justitiam nostram retinere, oppressam juvare, prope jam jam labentem manu sublevare, & jacentem erigere. *Sacerdotes ergo tui domine induantur justitiam*, robur, & fortitudinem: quorum labia jubentur custodire scientiam, & de quorum ore leges sanctissimas quæ nos in officio contineant, quemadmodum tu præcepisti, ecce omnes nunc requirimus: dum autem hæc explicatius dicere laboro, & ad sanctissimæ Dei matris Mariæ, sanctorumque omnium aram religiosissimam supplex confugio, me spiritus deficit, permissu vestro (qua humanitate estis) paulum respirabo, mox virium copiis quasi collectis, brevi mihi ventis spero secundis, quæretur portus, in quem prope fatiscens se recipiat oratio.

Psal. 131.

Malac. 2.

Nemo ignorat longe diversam vos hodierno die iniisse rationem, patres sanctissimi, ab antiquis illis patribus, qui vos præcesserunt: quod illis quidem adversum hæreses singulas, quas habuit sæculum omnes proprias, pro tempore ac ætatibus certatum est legitime. Nicæni siquidem concilii gladio periit Arius: Sabellium Constantinopolitana synodus confudit: impietatem Nestorianam Ephesinum concilium deprehendit: Eutychetis blasphemiam cum suo Dioscoro Chalcedonense anathemate percussit: Priscillianistæ (si bene memini) in Bracarensi succubuere. Florentina synodus rebellem Græciam, positis utrimque armis, antiquæ Romæ gloriosissime subegit. At diebus his, quibus ex tot malorum chiliadibus sublevandam se vobis credidit ecclesia, universæ, & quæ jam obdormivissent consepultæ, eam agmine certo evi-

A

B

C

D

E

ANNO CHRISTI 1562.

scerandam petunt. Ceciderat jam Arius, abierat Manichæus, corruerat Jovinianus, dormierat Vigilantius, perierat Felix infelicissimus, Eutyches confusus decesserat: non sic crebro audiebantur voces illæ, quæ sponsam e dulci somno deturbarent, *Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea*: neque filii Memphæos & Taphnes adjiciebant, matrem nostram, alioqui virginem castam, usque ad verticem constuprare. Summa Hierico muros lolo æquatos, prope omnes, sanctissima hæc Christi sponsa, ingenti perfusa lætitia prospectabat: at sæculo isto ex omnium cineribus natus homo est (si culpa non est, hominem dixisse eum, qui vel naturæ lumini renunciarit aperte) de filiis Belial unus, vertiginosum caput ad amussim designatam numquam intendens: cui in ista tam præclara studia incumbenti id semper curæ fuit, Christi ecclesiam ab occidente, ubi tunc pace florebat, (quemadmodum ab oriente acceperat) ultra Sauromatas & in longe remotissimas orbis partes profugam, extorrem, domibusque ejectam suis relegare. Quantam ille profecerit (quoniam malum crescit in horas) ut quæ nescimus loca, missa faciamus: Germaniam, nobisque finitimas provincias, testes profero.

Psal. 136. Hierem. 2.

Isa. 6.

Adversus spurium istum de castris Philistinorum, vigesimus ferme agitur annus, ex quo quidem tempore, Christi acies Tridenti ordinata, non sine magna gloria, & ingenti triumpho decertat, verum (ut dicit quidam) ingenui animi est, cui multum debeas, velle te eidem debere plurimum. Quare & si universam fidei nostræ confessionem, sacramentorum maxime, patribus œcumenicæ synodi, post Deum absolutam, & puram feramus acceptam, præter id, mandari sancta nostra & revocari, antiquis justitiam restitui natalibus, ecclesiæ pulchritudinem resarciri, in hæc omnia tam præclara summique ponderis, orbis totus, qui Christo nomen dedit, divinis aris religiosissime incumbens, sua nuncupat vota: & egregie illi sane. Nam quid cedo æque pulchrum, quam si quod multorum peccatis amisimus, multorum nihilominus vitæ integritate restituatur? Vosque, patres vigilantissimi, nos omnes in officio continebitis, nosque non cum mediocri usura & amissa habebimus, & parta tuebimur. Hæc vobis relicta via est, & (ut ego conjicio) sola revocandi iterato eos, qui a vobis ad Lutheri castra transfugæ descivere: ut (si quemadmodum sanctissimus Petrus nos monet) conversationem nostram, quæ nimium ab antiqua illa degeneravit, in medio generationis hujus pravæ & perversæ habeamus bonam: ut in quo nobis, tanquam de malefactoribus, oblatrant, ex bonis operibus nos considerantes, glorificent communem Deum nobiscum. Nemo sibi fidat. Omnis principatus vita brevis: peccatorum vero maxime constrictissimus & angustissimus. Meminerint duces nostri, vel cum sanctissimo sene Hieronymo, quo pacto (libet dicere) a Christo passo, nunc vero potissimum, Romana fides quæritur, quæ stetit semper, stabitque perpetuo: & tamen cervix nostra erecta non flectitur.

1. Petri 2.

Olim offensum sentimus neque placamus Deum. Vultis audire? nostris peccatis hæretici fortes sunt. O nos infelices & miseros, qui tantum displicemus Deo, ut per istorum immoderatam rabiem, illius in nos ira desæviat. Haud dubium, sanctissimi Christianæ vitæ instauratores, morbi causis amputatis, morbus ipse cederet ablatus, statim cernamus quemadmodum elegantissime de more sanctus Hieronymus de apparatu & exercitu Romano locutus ait, *Sagittas pilis, tiaras galeis,*

ANNO CHRISTI 1562

galeis, caballos equis cedere. Potuit Moyles pro cadente populo erectus, divini furoris impetum, mortis suæ oblatione extinguere: at hoc, postquam Israeliticæ gentis inclyti ducis imperio, multo populi sanguine fuso, divina offensa expiari cœpit. Potuit Aaron animadversionis flammam incensi fumo temperare: sed postquam inter viventes & mortuos medius thuribulum versat, Potuit & sanctissimus David & ante præfinitum tempus cœlestis placationis gratiam invenisse: sed hoc, postquam multam illam cædem, lateque patentem stragem, ex suo ipsius peccato profectam ingemuit & doluit: sed & acerbe & dure sævienti angelo, seipsum trucidandum obtulit. Potuit Helias longo tempore siccitatibus squalente terra, pluvias vel verbo solo revocare. Potuit & Ezechias rex, una nocte & ab uno angelo, mirabile dictu, centum octoginta millia Assyriorum prostrata videre: verum hoc, cum ipse prius stultas & importunas Sennacherib in Deum cœli blasphemias, capite conspersо cinere, perfusus lacrymis, consciissis vestibus, nudis pedibus, meliori demum sua vita correxit. Potuit Phinees indignationi Dei zelum suum opponere, divinumque ignem suo gladio compescere: sed hoc, postquam luxuriantes cum alienigenis, in ipso coitu trucidat. Denique nulli vincere difficile est, quem pœnitet sic vixisse: ut qui superari & vinci dignus haberetur.

Exod. 31. Num. 16. 1. Reg. 24. 3. Reg. 17. 4. Reg. 19. Num. 25.

Quod si tantopere, literatissimi domini, antiqua & vetera illa nos delectant, ducis ego cujusdam fortissimi, ejusdemque religiosissimi Israelitici populi, nulla oblivione periturum factum ob oculos in præsentia statuam. Judas siquidem Machabæus Gorgia, atque Lysia, qui fuerant Dei populo hostes acerrimi, glorioſissime devictis, cum populus, gensque universa, pace aliquantula recrearetur, eos, quibus præerat, in hunc modum fertur allocutus: Ecce contriti sunt inimici nostri (corruerant sane multi de exercitu Lysiæ, quemadmodum sacra Macchabæorum historia refert) quid ergo, ociandum ne nobis? minime gentium. Imo vero en se mihi offerunt viri fratres, quæ canamus epinicia Deo nostro pro victoria parta. Quare, nec mora, ascendamus mundare & renovare sancta. Omnia illi feramus accepta, qui manus nostras docuit ad bellum, erexit ad prælium digitos, & posuit æreum brachium nostrum: ascendamus mundare & renovare sancta, continuo exercitus cunctus præsto est, quem dux strenuus post sese humanissime rapit. O quam pulchrum videre quemadmodum præeuntis pastoris vestigiis ovile simplex hæret! Quid plura? Dei montem ascendunt omnes, viderunt sanctificationem desertam, altare prophanatum, portas exustas. Deum immortalem, cujus vel ferreum pectus mala hæc non emollirent, atque commoverent? neque hic finis, virgulta vident nata in atriis domus Domini haud secus quam consueverunt in montibus hominum, gressibus minime pressis enasci. Insuper quo nihil templi illius, inter gentes exterasque nationes nominis plurimi, inimicorum prophana temeritas integrum reliquisset, pastophoria dirupit. Ea sane loca erant, in quibus ex Dei mandato Levitæ sacris ministraturi morabantur. Pius intuentium animus vix se continuit: & quos non ab hoste sanguis effusus fortunæ melioris spem abjicere, neque fractum etsi labore animum despondere fecit: pietas & religio in lacrymis dedere: gemitum extorsit non ulcerum dolor, non parentum vel propinquorum, quibus cum vixissent carissimi, mors crudelis, vi-

1. Macch. 4.

A B C D E

saque ultro citroque cruenta spectacula multa: sed sanctificatio deserta, violatusque cultus majestatis æternæ.

ANNO CHRISTI 1562.

Mendax sim ego, beatissimi patres, ni quæ vos sæpe legistis ego narro, quæ pro pace induerant vestimenta concidunt, caput redimitum nuper coronis, ipsis positis, cinere conspergunt. Vix hujusmodi voces querulæ immistæ lacrymis expiabantur. Quo nobis adhuc vivere? quid nos patres nostri genuere, & matres nostræ lucis hujus usura donarunt? Scilicet, videre contritionem populi nostri, & pariter templi: quod jacere videmus in modum hominis ignobilis absque nomine & sine honore, cujus compositio ablata est? Quis ferat sanctam nostram pulchritudinem, claritatem nostram desolatam? Quo igitur nobis vivere adhuc? Dum ergo antiquæ matri parentalia celebrant, justaque de more solvunt, non illis pro rei dignitate, hominis lingua par est, neque semiarticulata præ lacrymis vox dolorem æquat. Quare itum est ad tubas: tubis signorum inclamatum est miserrime, ut æther ipse gemitibus quateretur. Hucusque lacrymas, hucusque singultus. Jam audi ducis studium, jam accipe populi ardorem, jam vide unumquemque manum suam ad fortia immittentem, ut quod de religione perierat, non sine mirabili & meliori ratione recrearetur. Tunc ordinavit Judas viros ut pugnarent adversus eos qui erant in arce, donec mundarent sancta: elegit sacerdotes sine macula, voluntatem habentes in lege Dei, & mundaverunt, & ejecerunt lapides immundos.

Hic jam ego, o ecclesiæ Christi principes, libeat audire quæ dicere vix fert animus, doloris impatiens. Quod si domus una, quæ lapide, luto, lignoque constabat, vix suos capiens, cui in summa materiam terra, formam vero homo præstabat: hæc inquam, incommodis, ærumnisque calamitosa suis, sic Hebræorum animos perculsit, quid credo futurum arbitramini, vere pio, sincereque Christiano pectori, dum stragem patentem late veri illius tabernaculi, quod fixit Deus & non homo ad justam libram æquis (ut dicitur) ponderibus pensat? Hæc Christi innocentissima sponsa pressuris atque flagellis vel ab ingratissimo partu immanissime cæsa, & eviscerata: verum illud sui sponsi corpus quinque confossum vulneribus verberibusque innumeris dilaceratum apprime refert nobis, & repræsentant. Flent & dolent qui sedent ad umbras, cum neque ipsas haberent rerum imagines, sed cæremoniis, & velaminibus (ut dicebat Paulus) morosi suis intra involucra quædam sese continebant: & custodibus ecclesiæ Christi, post velum scissum, post tot dona collata, post suæ fidei commissam ecclesiam, quæ Dei sanguine stetit, nulli curæ erit: captiva vasa nostra ferat quivis: fuerint illa aurea aut argentea? Vos domini castra ascendistis, mundaturi & renovaturi sancta: duces vestri, secundum Christum apostoli (sic enim vocat eos non semel sanctus Dionysius in de ecclesiastica hierarchia) scripturæ sanctæ pro vobis suos gladios vibrant. Patrum commentarii sacri in hac vestra acie stant: canones & concilia a vobis dimicant ornatissime: traditiones apostolicæ decertant aperte, ecclesiæ non heri aut nudiustertius nata, sed quæ jam olim invaluit consuetudo, ingens pro veritate argumentum, patrocinatur mire.

Sed & a vobis, pastores optimi, multos obsides habet Christiana respublica, qui nos bene sperare satis jubent de vobis, quos ut & incolumes conservare, tueri, confirmare, ac recuperare possitis, omni

ratione

ANNO CHRISTI 1562.

ratione erit vobis dimicandum: habet honorem, quem illibatum ad ordinem iſtum ſemper detulit. Habet ſpem, quam firmam de veſtro integro judicio ſibi cuſtodit. Habet exiſtimationem multo ſudore, labore, vigiliiſque collectam, ut ſi in hac juſtitiæ cauſa, quæ Chriſtiani totius populi ſine dubio eſt, veſtrum officium & diligentiam probaveritis, hæc quæ dixi, retinere per nos incolumia, ac ſalva poſſitis. Si vero tantulum offenſum titubatumque ſit, ut ea quæ ſingulatim ac diu collecta ſunt, uno tempore univerſa perdatis, hoc unum ad invidiam veſtri ordinis, infamiamque noſtram ſedandam maxime pertinet. Quod & non humano conſilio, ſed prope divinitus datum atque oblatum vobis ſummo reipublicæ Chriſtianæ tempore videtur. De quo negotio, ſi vos ſevere religioſeque judicaveritis, auctoritas ea, quæ in vobis remanere debet, hærebit omnino: ſin minus, reconciliare exiſtimatione judiciorum veſtrorum apud hæc ſatanæ membra amiſſam prorſus, Chriſtiani populi gratiam retinere, quam apud eum ſemper habuiſtis, ſatisfacere exteris nationibus quo pacto poſſitis, non facile occurrit excogitare.

Eximium eſt, fateor, vel iſta parte vos eccleſiæ ſpem æquare tantum, ne dicam vincere: at ea res non parum vos commonere debet, quod quamvis quæ diximus omnia, magni ponderis, graviaque ſint, tanta ſibi fide ea de vobis promittat eccleſia, de quibus & nobis ipſis ſolemus polliceri: quod non veſtram voluntatem a Dei lege, in quam firmam omnis deſiderii anchoram ſacerdotes ſuos habere oportet, gloriæ cito morituræ ſtudium dimovebit: probe enim noſtis quoniam omnis gloria (ſi illam, quæ Dei noſtri eſt nullo ſæculo morituram excipias) tanquam flos fœni æſtimabitur. *Exaruit fœnum, & flos ejus decidit.* Non rerum, quæ tranſeunt cum ſuo ſæculo, cupiditas verſabit animum. Scitis namque quoniam filii divitiarum dormierunt ſomnum ſuum, & nihil poſt invenerunt in manibus. A quibus, juxta evangelicam hiſtoriam, nocte illa dæmones & animam repetent. Nihil tandem, nihil (certi ſumus) ab officio publico diſcedere faciet eos, quos ſcimus numeros omnes juſtitiæ continere. Num mortis metus terrebit eos, quibus pro Chriſto, & regno ejus, quæ eſt eccleſia, dediſſe animas in mortem, viciſſe eſt? moriendum eſt enim nobis omnibus, futurumque, ut dicamus putredini, quamlibet nunc eam exoſam averſemur: tu mihi pater es, voſque o vermes ſoror & mater. Ecce enim, patientiſſimus Job dicebat, Breves anni noſtri tranſeunt, & ſemitam per quam nunquam revertemur, ambulamus mortales nos. Pauciſſimi ergo dies, & ſine honore tranſacti, quid facient ad illam æternitatem, quæ nos manet?

Pſal. 36. Pſal. 91. Pſal. 102. Iſai. 48.

Job. 17.

Oſtendam vero nunc quid ſacerdotibus principibuſque noſtris illuſtriſſimis eccleſiæ ducibus timendum ſit magnopere: quod vos, patres ſanctiſſimi, nocturna verſate memoria, verſate diurna. Congregarat profelytos omnes de terra Iſrael rex ſanctiſſimus David, conſtituerat ex eis innumeros lapicidas & latomos, qui cædendis ac poliendis lapidibus ſtuderent, ferrum quoque ad clavos januarum, & ad commiſſuras habebat plurimum, æris innumerabile pondus: ſed & ligna cedrina æſtimari non poterant quæ Sidonii & Tyrii deportaverant ad David, ut Dei domus conſtrueretur: talibus intentum, & qui plura deſignaret, divinum intercipit oraculum. Multum ſanguinem effudiſti, o rex David (objectat illi vel Hieronymo teſte, peſſime interfectum Uriam) plurima bella bellaſti, non poteris ædificare domum nomini meo, tanto effuſo ſanguine coram me. Audi jam quem mihi ædificatorem elegerim, naſcetur tibi filius, qui vir quietiſſimus erit, cujus & ſolium firmabo ego in æternum, & me patrem habebit, & item ego ipſum filium: hic ædificabit domum nomini meo poſt te.

2. Paralipo. 21.

ANNO CHRISTI 1562.

O patres & paſtores excellentiſſimi, *cum ſi is ipſi ſapientes, libenter ſuffertis inſipientes: ſuffertis ſiquidem, ſi quis devorat, ſi quis accipit, ſi quis exſollitur, ſi quis in faciem vos cadit.* Ego vero ſupplex precabor intentiſſima mente id expendere vos ſolum, ne poſt omnium hominum & angelorum oculos in vos conjectos tantum laudis e veſtris manibus eximat altiſſimus, quam in multo gratiorem ſibi futuram ſervet generationem. Eo certe laboris Chriſtiana reſpublica devenit jam, ad eam miſeriam jam proceſſimus patres, ut non ſatis fuerit vobis prudentia veſtra, quæ plurima eſt, eccleſiaſticæ cauſæ faviſſe, niſi etiam opportunis lacrymis novum per vos accendatur quærendi divini favoris ſtudium: in quo nos omnes ea bona recuperemus, quibus prorſus ſcelerum noſtrorum cauſa deſtituti eſſe deprehendimur. Non enim legitimos judices ſuos ſolum Chriſtianus orbis vos appellat nunc: ſed ſummum etiam ſuis fortunis omnibus præſidium in veſtris piis precibus, lacrymiſque ſacerdotum & ſuſpiriis conſtitutum eſſe arbitrantur omnes. Eſt ſiquidem divinæ providentiæ, ac ſapientiæ ſolemne (quemadmodum ab eruditiſſimo quodam viro vere pio ſincereque Chriſtiano elegantiſſime obſervatum legimus) nonnumquam etiam piorum bona conſilia impediri, cum cœperint niti ſuis conſiliis ſine Dei verbo. Sic Adam & Eva cum nato Caim dicerent, poſſedi hominem per Deum, fruſtrati ſunt: Quia humana erat cogitatio ſine Deo, magnificam in ſpem erant adducti fore ſemen illud mulieris promiſſum, ſed fallebantur. Sic Iſaac fallitur in primogenito ſuo Eſau: ſic Jacob in Rachel & ex ea natis filiis: ſic David ſanctus haudquaquam efficere potuit, ut filii ſui pacifice & obedienter viverent: ſic Salomon omnes edocturus ſapientiam, in proprio filio ſuo Roboam fallitur. Sic, inquit, adhuc multi bona intentione conati ſunt reſtituere eccleſiam lapſam, ſed fruſtra. Cur hoc, quærit: permittit Deus (reſpondet) ut nos ipſos agnoſcamus, nec fidamus noſtræ ſapientiæ ſolum, ſed ea, ut propriis fidit conſiliis, deſperantes, committamus nos Deo, ipſius auxilium invocantes.

Sed & illud movere vos magnopere debet, patres, quod ſemel læſa divina juſtitia, in eum, qui lœdoriam intulit, aut certe, in eum, qui cum propulſare poſſet & deberet, non coercuit: aut Deum, aut hominem vindicem habitura eſt. Solet etiam animus ipſe divinus mitiſſimus ſane, in iram atque furorem accendi, ſæpe in flammas, & in ignem irritari: ſolent & divinæ manus, alioqui largiſſimæ, judicium nulli non timendum arripere, & quod in tempus ſerum rejecerat ſupplicium, celeriter maturare: ut quam pulchrum ſit Dei morientis in cruce pro nobis, manus clavis fixas nunc tenere comprehenſas, quarum beneficio cuncta nobis adverſa ſilent, proſpera omnia & amica vigent: tam horrendum fuerit, vel Paulo ſanctiſſimo teſte, in manus Dei viventis miſeros nos incidiſſe, quæ nullo prorſus negotio poſſint in nos cœlum & terram armare, & divini furoris ſui virgam ſuper populum ſæviſſime exercere.

Hebr. 16.

Sed o infinitæ majeſtatis, optime & maxime Deus, e cujus aſpectu & fruitione, ſanctorum gloria pendet, cujus incredibilis affectus jam ante conditum mundum, in eos, qui tecum in æterni-

tate

ANNO CHRISTI 1562.

tate essent, perenni beatitudine sanctos, mirifice A ferebatur, respice precamur in eum, quem unigenitum tuum carnem factum tenera atque illibata virgo dedit: non nos homines quamlibet sceleratos, quamlibet flagitiosos, quamlibet sceleribus obrutos: non nos jam despicatui habere poteris, quando frequens Dei hominis occurret imago: frater etenim noster, & caro nostra est, ut condolere possit iis qui peccant & errant. Quare noxas nostras, quarum apud te rei agimur, remitte illi & condona: sacerdotesque tuos, pastores nostros, o exultatio sanctorum, indue salutari: tuque beatorum omnium princeps & gloria Jesu, justorum antesignane cœlestis, noli sponsam postponere, quæ tuis advoluta pedibus, passis crinibus, quos tu ali-

Cant. 4. quando magnifice commendasti, lacrymis perfusa, B memineris precatur, quod cum natura Deus esses (quod & factis palam ostendisti, dum vel verbo tuo animas corporibus admirando postliminio restitueres, rerum elementa verteres, tempestates sedares, morbos quoslibet propulsares, dæmonibus imperares) tantus ac talis cum esses, summus ipse rerum omnium & auctor & moderator sic te abjecisti, ut non inter homines inedia solum, siti, frigore, æstu, defatigatione mirum in modum angereris, essesque injuriis omnibus opportunus: verum rex tu mentis angelicæ, servi, qui alligandas manus, terga cædenda ultro præberet, & crucis insons non devitaret supplicium, induisti personam. Ad hæc omnia perferenda vehemens ille amor, quo in eam flagra- C bas, te impulit. Imo vero sanctissimi illi anni tui, quos a virginali partu cum ea innocentissime transegisti, & martyrio immanissimo complevisti, paucissimi tibi videbantur, proposito gaudio, quod esses in ejus amplexus dulcissimos, formosus præ filiis hominum, aliquando iturus: cumque omnem haberes in cœlo, & in terra potestatem, stipulatione certa te illi astrinxisti, neminem, te in cœlestem illum senatum, supremumque conventum assumpturum, quem non hæc carissima tibi sponsa genuisset, sinu fovisset, lacte enutrivisset, legibus & moribus instituisset. Neque tibi libuit cœlos, unde eras illi ingentia dona effusurus, conscendere, ni prius verbo tuo divino, quo omnia portas, virtute & veritate D tua id illi ratum reliquisses, quod esses cum ea us-

Matth. 28. que in sæculi consummationem mansurus. Per hæc ergo omnia illa te orat, & obtestatur, ne inter tot mala, tot errorum caligines, densissimasque hæresum tenebras, post tot amissos filios, quorum casum affectus maternus ferre nequit: dum cogitat cum filio prodigo epulari, majoremque in modum aliquando lætari, orat ne tu ei defuisse velis.

Vos beatissimæ mentes, quæ divinis insertæ principatibus, choriscque junctæ cœlestibus, splendorem eisdem confertis amplissimum: quibus eadem pientissima mater dedit hic gravida ubera sugere, brachia occupare, humeris colloque pendere permisit: vos compellat, hæc accepta referri E sibi, beneficium beneficio rependi. Hæc enim per patientiam currere ad propositum vobis certamen sæpe hortata est. Eadem, ne cui vestrum tyrannidi cedere contigisset, futura vestro martyrio felix, aspicere in auctorem & consummatorem fidei vestræ subinde vos monebat. Hæc ipsa, postquam vos filios suos cœlesti illi civitati domesticos dedit, e vestris corporibus, quas habere potest reliquias, sanctissime honorat, basilicas vestris nominibus (quæ carissima habet) appellatas, velut loca sancta divino cultui manci-

pata, affectu piissimo, & devotione fidelissima adit. Vos denique honorat, colit, defensoresque suos & patronos assiduis precibus sollicitat. Occurrite itaque vos domino exercituum, ne quæ supersunt sacra, in Christi ecclesia, communi nostra parente, prosterni, & misere devastari patiatur. Neque vos domicilia, quæ vestro sanguine sacrastis, doctrina illustrastis, orationibus munivistis, tandem vita innocentissima vestra in meliorem spem erexistis, a spiritu erroris detineri, fœdarique feratis: ne ille inde tot hominum millia in tartarum abripiat: unde multos habet cœlum domesticos cives. Ne sit terra vestra maledicto proxima, quæ tot filios benedictionis protulit.

ANNO CHRISTI 1562.

Sed & vos Christi sacerdotes, ecclesiæ patres & sponsi (ad quos filii ecclesiæ undique collecti nunc populati, & innumeris vexati malis publice confluunt) cogitate per generationes singulas, *1. Mach. 2.* quoniam qui justitiam induunt, non infirmantur. Joseph dum eam custodit, inter tetterrimos carceres, angustosque compedes creatus est terræ princeps. Phinees cum hanc zelat, accepit testamentum sacerdotii æterni: hujus justitiæ dum amore re incenditur Elias, raptus est in cœlum. Qui justitiam sitit saturabitur: qui propter eam adversa sustinet, copiosam in cœlis habet & multam repositam mercedem. Vos populi prophetæ, principes nostri, & duces, Dei sequestri & arbitri, divini verbi vasa & receptacula prima, prædicatores, & cognitores scripturarum, Dei voces, testes voluntatis divinæ, vos habet sanctissimi domini Christi sponsa veros, ac legitimos pastores: vos sacratiori ordinatione supra reliquos sacerdotes jam a primis ipsis apostolorum temporibus, Deo sacrati estis. Quorum imaginem, si Dei sacerdotes expressam reddiderint, sicut & apostolorum iplorum sustinent personam, mox conventus ille felicissimus, supremique capitolii senatores, quemadmodum & solent super uno peccatore pœnitentiam agente gaudere: sic super universa Christi ecclesia diem festum illi agent in condensis suis, postquam viderint sceptrum tenere in ea justitiam, divinas regnare leges, antiqua dogmata vigere, Christianis moribus suum locum assignari: nimiumque exultabunt. Ut verum sit omnino quod in psalmo legimus: *Sacerdotes tui domine induantur justitiam, & sancti tui exultent.* *Psal. 131.* Tantum exultationis & lætitiæ accrescat iis, quantum illis sanctificationis & justitiæ. Sed & vos sacerdotes sanctissimi, vestræ peregrinationis a Christo exilio consummato, justitiam induti, beati & sancti exultabitis mercede magna nimis, accipientes gloriam ingentem, & nomen æternum.

DIXI.

C.

CONCIO DE DUPLICI MYSTERIO, *abominationis uno, desolationis altero, habita a F. Francisco Vicedomino, Ferrariensi, theologo, ex ordine Minorum conventualium, ad sacrosanctam synodum Tridentinam dominica* XXIV. *post pentecosten. Quæ fuit* XXII. *Novembris, anno domini* MDLXII.

Super textu sancti evangelii, quod ex divo Matthæo legitur dominica XXIV. *post pentecosten.*

IN tali statu, in tanta confusione, dicam & oppressione spiritus, jacet misera hæc vetula, quin

ANNO CHRISTI 1562.

quin & decrepita noſtra Hieruſalem, illuſtriſſimi ac reverendiſſimi domini, clariſſimi & præſtantiſſimi oratores, ampliſſimi ac religioſiſſimi patres, univerſalis & ſacroſancta ſynode: Tot ſunt ac talia ſigna, & prodigia: quæ huic dilectæ Dei primogenitæ, & Chriſti ſponſæ minantur interitum: tot in dies pericula & damna cumulantur, dum mala beſtia cornuta capita multiplicat, ac pejora prioribus ex inferis educit: ſuntque capita coronata, tituli inſignes, uſque ad regalia ſceptra, quæ populo Dei, & domui Juda negotium faciunt. Ut mihi hæc omnia attente conſideranti clamare jam & ſaxa ipſa videantur: *Videte ne ſeducamini: videte ne turbemini*. Errores imminent, & graviſſimi. *Videte* obſecro *ne ſeducamini*, damna ingruunt acerbiſſima, & judicia ferme inevitabilia. *Videte ne terreamini*. Et quoniam caſus undique habet myſterium: ex latere uno myſterium (ut vocat apoſtolus Paulus) iniquitatis, ubi immittitur ſpiritus erroris, in omni ſeductione iis qui pereunt, ut credant mendacio, quouſque dominetur abominatio, in cujus fronte ſcriptum eſt nomen, myſterium. Ex alio myſterium iræ, & furoris obtecti uſque ad deſolationem: Calix de manu irati domini, qui bibitur, & ignoratur, ubi finis belli vaſtitas, & poſt finem belli ſtatuta deſolatio. Propterea ad penetranda myſteria ſimul hortantur Chriſtus dominus noſter & Joannes. *Qui legit intelligat*. Et ſubjicit Daniel. *Si quis habet aurem audiat*. Et addit genus & cauſam difficultatum. *Impii inique agent, & non intelligent. Docti intelligent, & obſervabunt numerum beſtiæ*. Hic ſapientia eſt. Qui hanc ignorat, facile ſcandalizatur.

Apoc. 13. Matth. 24. 2. Theſſ. 2. Apoc. 17. Iſai. 51. Jere 25. Dan. 9. Matth. 24. Dan. 12. Apoc. 13. 1. Joan. 5. 1. Tim. 2. Matthi 24. Apoc. 13.

Myſterium eſt iniquitatis, ubi *totus* imprimis *mundus in maligno poſitus eſt*: aſcenditque malitia quaſi ad ſummum, uſque ad abominationem, & quidem cum myſterio, ſæpe ſub imagine boni, dum hypocritæ fictis verbis negotiantur, dum ſub ſpecie pietatis qualiſcumque exercetur impietas: ſub titulo publicæ utilitatis, privata quæritur: denique tanta cum animi fraude & perfidia peccatur, ut ex profeſſo, & toto animi conatu fiat: adduntur verba ſacra, verbis ſanctimoniæ genera: deſerta penetralia, utinam non & ſigna, non & prodigia, quibus ferme dejiciuntur electi: tanta ſunt iniquitatis myſteria ad fallendum parata: quare & innumeros decipit beſtia, & ſunt qui adorant eam, dicentes. *Quis ſimilis beſtiæ, & quis poterit pugnare adverſus eam*? Et (quod eheu nimis lamentabile eſt) datum illi eſt bellum facere cum ſanctis, & vincere eos: tam potens eſt abominationis myſterium.

Apoc. 13.

Hoc vero procul dubio ſequitur myſterium aliud, nempe judicii, & furoris domini, quod quidem præterire nequit, quod injuſtus eſſe nequit. Juſtitia vero ſic mundum juſtificat, quod culpam regulat per pœnam, malitiamque illam myſteriosam, judicio quodam mirabili & myſterioſo proſequitur: ut quemadmodum culpa prodit a voluntate pertinaci, atque ideo ſua ſponte invertibili, quando enim corrigi poterit, qui volens peccat, qui ſine fine peccat? ita ira & judicium prodeat a voluntate, & propoſito fixo & immutabili, quod ſecum trahit excidia irrecuperabilia pœnarum temporalium & æternarum, quas ampla & terrifica quadam voce Spiritus ſanctus vocat, deſolationes.

Dan. 22.

De tremendis hiſce myſteriis acturus ego hodie ſum apud vos, patres ampliſſimi, quod huc, tota in ſumma reſpiciat narratio ſancti evangelii quod ex Matthæo legitur: quod ſi etiam nos alio evangelium provocaret, ad vos, hoc loco, hoc tempore, in tanta hac rerum difficultate, ubi jam conclamata ſunt omnia, vixque ulli ſpei contra ſpem remanet locus: de qua re poteſt opportunius haberi ſermo, quam de his, quæ & cauſas malorum explicabunt, & futura exempla, ne dicam exitia, ob oculos ponent: niſi tandem vos, in quorum pectore & manu, ſicubi ſunt, jacent remedia, inſtantibus malis veſtra diligentia, pietate, fide, & caritate occurritis? In ea incidimus tempora, ut nullibi de re alia tractare liceat, dum omnes admonentur ſibi cavere, privata conſilia declinare, veſtra hæc œcumenica præſtolari, orationibus rem veſtram, imo noſtram juvare. Quanto magis hoc loco, in foro proprio, unde ſi quæ ſperantur, capienda ſunt dolorum ſolatia, non tam æquum, quam neceſſe eſt hæc libere & ingenue perorari? Dicam igitur de his, quæ ut graviſſima, & maximi momenti ſunt, ita veſtram omnem animi pietatem, æquitatem, & patientiam requirunt, ac reverenter implorant. Hic enim eſt ſapientia. *Qui legit intelligat. Si quis habet aurem, audiat.*

Ut eſt divina majeſtas in miſericordiam prona, cujus natura optima, ipſaque bonitas fontalis, & radicalis eſt, cujus viſcera pietatis ac miſericordiæ paternæ ſunt: ſic ſemper incipit judicia ſua a benignitate, & benedictione, quouſque hominis ingratitudo venas pietatis exſiccare faciat, ſitque in hac animi duritie confirmatus, ut nulla ſit ſpes ea beneficentiæ via revocandi ad ſanam mentem. Tum vero mutantur judicia: tum & immutabilis ipſe Deus pœnitentiam agit ſuper bono, quod præſtiturus erat: tum & debitas pœnas cuivis accommodat, ut quoquo modo glorificetur. Ita ſuis his regulis progreſſus eſt a ſæculo in ſæculum, ut arguit divus Petrus a mundo originali ad ſua uſque tempora, & nos ad noſtra dubio procul poſſumus accommodare. Ita in diebus Noe, & Loth, Moſis, & prophetarum, mundum replet bonis innumerabilibus: quam primum vero in carnem reſolvitur, dolet quidem impatibilis pater creaturam ſuam corruptam eſſe, tactuſque dolore cordis intrinſecus, exclamat: *Pœnitet me feciſſe hominem*: atque illico addit judicium, quo malitiam mundi vult vindicare. *Delebo*, inquit, *hominem de terra*: Et ecce ſuo tempore, pauculis quibuſdam ſervatis in arca, repentinus venit interitus. Ita judicata eſt Sodoma, in ſaturitate panis ſibi male proſpiciens: inſtat Loth, docet judicia domini impendere, numquam non forte repetens: *Videte ne ſeducamini*. Et ecce inopinatus ignis, & ſulphur extinguit incredulos. In ſimili mentis perfidia perit Pharao cum univerſo robore ſuo. Sic & ſuo ſæculo prophetæ monent, imminere ſuper hypocriſi, & nequitia Judæorum gravia Dei vindicis judicia. Ezechiel eo deſcendit, ut obſidionem civitatis Hieruſalem per Chaldæos mox inducendam pictam in tabella objiceret oculis. Jeremias nil frequentius: illi vero ſua ſpe ſeducti, nihil minus credere, quin minas irridere, dicentes: *Ubi eſt verbum domini*? Cuncta manent ut ab initio: non fiet: imo nec obſeſſa civitate credebant: quin capitale erat de his loqui: quod Jeremiæ contigit, de

Luc. 2. Bernard. Jere. 18. 2. Pet. 3. Gen. 6. Gen. 7. Gen. 19. Exod. 14. Ezech. 4. Jerem. 17. 2. Pet. 3.

quo

ANNO CHRISTI 1562.

ANNO CHRISTI 1562.

quo dicebant: *Judicium mortis est viro huic*: cur? *locutus est contra civitatem sanctam*. Prophetæ vero tanto magis urgebant, quasi dicerent: *Videte ne seducamini*. Et ecce non credentibus, judicium & desolatio. *Jerem. 26.*

Temporibus itidem domini nostri Jesu, ad hæc ipsa vaticinia ob duritiem Judaicam mansuetissimus ille agnus pertractus est, ut quando agnitam veritatem impugnabant, hæredem satis notum e vinea sua pellebant: Prophetas, sapientes, scribas jam ex odio concepto lapidabant, oblatamque pacem modis omnibus spernebant, judicium finalis exterminii & desolationis incurrerent: adhibitis ergo verbis clarissimis, parabolis etiam quasi sigillis, sententiam gravissimam, ab immutabili voluntate sic Judaicam perfidiam & abominationem vindicante manantem pronunciat: *Relinquetur domus vestra deserta*. Hoc vero initium dolorum, sic relinqui, sic deseri, quum Deus scilicet gratiæ suæ munus ad se retrahit, aufert maceriem a vinea, & creaturam destituit. Tunc ascendunt super eam vepres, vastitas, & desolatio: tunc mala omnia ingruunt, usque ad interitum: Hoc est reprobari, indurari, hinc diluvia, & incendia malorum omnium, qualia instare Judæis prædicit Christus, cum rerum omnium, & civitatis, templi etiam, & sanctuarii demolitione. His dictis, *Egressus*, inquit Matthæus, *de templo, ibat*: perinde ac non rediturus: nisi judex, & desolator: sic jam incipit terga vertere, sesequе a synagoga separat, quasi anima a corpore mox morituro, quin ex hoc ipso recessu funditus corruente: est enim Christus anima testamenti, & finis legis, portans omnia verbo virtutis suæ: quo uno sublato, perire omnia necessum est. *Matth. 23. Matth. 23. Matthi 23. Isai. 5. Matth. 24.*

Discipulis vero mira videtur domini sui Jesu sententia de Judaica desolatione, potissimum autem templi: tum quia hæc sunt opera sumptuosa, stupendæ cujusdam molis & amplitudinis, quæ videntur ex ipsa structura æternitatem præferre: quare ostenso templo dicunt. *Magister, vide quales lapides, & quales structuræ*: tum quia hæc sunt omnia verbo & præcepto domini fabrefacta: hoc illud tabernaculum: hæc illa domus domini, in qua pollicitus est se perpetuo mansurum, votaque exauditurum: hoc pignus amoris domini: Sed & hoc præsertim tempore firmari, stabilirique debent Judaicæ politiæ, quin & restitui in veterem gloriam, quando Messias venit, cujus sunt tempora refrigerii, ad quem respirant omnium corda, ut ad liberatorem. Quod si Christus Messias est (ut credunt, eumque hac una spe dimissis omnibus secuti sunt) quomodo igitur nunc populo suo comminatur excidia, & desolationes? Sic sibi complacet caro in externa specie, sic pleni sunt lumbi illusionibus, sic palpamus, & inungimus vulnera nostra, fovemusque mala ut Deum putemus larvis & picturis externis vel pascere, vel certe fallere. Ita olim tempore prophetarum, suos adamabant lapides, minisque omnibus superbas objiciebant structuras, stolide clamantes: *Templum domini: Templum domini*. Ita trahimus quasi plaustrum in funiculis vanitatum: ita nostra impœnitentia thesaurizamus nobis iram, & judicium justi exactoris. *Rom. 10. Heb. 1. 2. Reg. 7. 2. Par. 7. Act. 3. Tsal. 37. Jer. 7. Isai. 3.*

Quare ut hanc fallaciam retegat: simul & damnet Christus, respondet apostolis, & quidem excelso quodam animo, atque irato vultu. *Videtis hæc omnia? Non remanebit lapis super lapidem qui non destruatur*. Et quoniam pleAna res est mysterio, duplicique (ut diximus) mysterio, subjicit: *Videte ne seducamini*: Olim hæc ipsa judicia prænoscens, & versans animo flevit super Hierusalem, quasi pereunti patriæ compatiens, ceteris etiam lætis, & præ lætitia clamantibus: *Osanna, Osanna*: Qui enim fieri potest, ut pater super filiorum ruina non doleat? diximus dolores cordis intrinsecos, a Spiritu sancto sic humana voce divinos affectus a principio mundi nobis explicitos: suspiria ejusdem super vinea mox devastanda narrat Isajas: divitias bonitatis, & longanimitatis appellat Paulus: qui lacrymas Christi agnoscit, & gemitus domini sui non spernit, quod fecit Ninive ad minas Jonæ, facile occurrit judicio utcumque parato, facile manus irati cohibet, facile sua pœnitentia ad pœnitentiam exigit, ac revocat judicem: at qui parvi facit, thesaurizat iram. *Luc. 10. Gen. 6. Isai. 5. Rom. 2. Jon. 3.*

Hoc suo magno malo, & nostro exemplo fecit Judaica synagoga, quare & prædicitur magnis, solidisque illis lapidibus, & structuris nihil timentibus, æternam potius quamdam felicitatem sibi male promittentibus, quod *non remanebit lapis super lapidem*. Et suo loco infinita illius gentis strage, extremaque rerum omnium eversione, etiam templi, & sanctuarii desolatione factum est. Neque inaniter, aut sine fructu: sic enim erepta est vinea de manibus impiorum, & hypocritarum, qui vix labruscas acerbas domino tribuebant: sic etiam sepulta est synagoga, terrestris illa, & serva Hierusalem, cum suis cæremoniis, quæ infirma & egena fuerant elementa, quibusque adhibita veritate nullus jam supererat locus coram Deo, qui solas nudasque cæremonias verborum, aut operum, subtracto spiritu, non tam respicit, quam subsanat, ac rejicit, utcumque coram oculis mundi sint illustres, aut speciosæ: sic etiam liberata est parvulorum Christianorum mens, ut cessarent a Judaismo, atque a ritu sacrificiorum sublato templo vel inviti revocarentur: nunquam enim vere cessatum est a querelis judaizantium, quousque amplæ illæ structuræ sunt oculis objectæ: iis vero excisis tum pater, qui spiritus est, cœpit vere in spiritu coli, talesque habere adoratores, qualis ipse est: tum quoque retectum, agnitumque est verum Dei templum, & propitiatorium, in quo vere exaudiuntur vota, in quo Deus inhabitat corporaliter (ut Paulus ad Colossen.) quod Christus est, ut egregie divus Stephanus longe petita oratione probavit. Tot tandem commoda ex Judæorum casu, totque divitias ex eorum diminutione nobis divina misericordia peperit. *Matth. 21. Isai. 5. Gal. 4. Isai. 5. Chrys. Act. 15. Joan. 4. Col. 2. Act. 7.*

Hoc idem evenit ecclesiæ orientali parenti nostræ. Quoties Romana sedes amantissime prævaricantem admonuit? Quoties universæ occidentis, quarum nomine huc conveniistis, sunt protestatæ ut resipisceret, ut damnata dogmata, impietatisque fomenta dimitteret, ut patribus consentiret? Quoties & summi ipsi nostri pontifices marium discriminibus se commiserunt, ut ecclesias illas ab avita pietate degeneres, saltem coram ad communem orthodoxorum fidem revocarent; tantum ab imminenti judicio liberarent? Sed frustra tentata sunt omnia. Illi in pulchra ecclesiarum specie, & lapidum structura, in titulis primogenituræ sibi mirifice complacebant: & ecce dolendum prorsus, & sine fine deflendum, non remansit lapis super lapidem, facti sunt primi novissimi: evenit quod non timebant: *Rom. 2.*

ANNO CHRISTI 1562.

utinam non. Quam pulchrum, & glorioſum nunc eſſet, optimi patres, cernere hic in capite Romanam eccleſiam, matricem, & magiſtram eccleſiarum ſuo loco ſtare, & præſidere, a latere uno occidentalem hanc tantorum patrum coronam, eruditione, pietate, ſuorum principum favore pro Chriſti gloria audentem omnia, ſperantem omnia: ab alio orientalem conſedere, & circulum Chriſtianæ amplitudinis complere, magno illo titulorum ſplendore, patriarchalium, metropolitanarum, pontificalium ſedium, numero, ut in antiquiorum conciliorum catalogis abſque lacrymis perlegi nequeant. Et ecce dimidium veſtis Chriſti conſciſſum eſt, dimidium animæ & ſpiritus extinctum: dimidium ſanguinis vane effuſum, dimidium hæreditatis, B eheu pluſquam dimidium tranſiit ad alienos, tantum quod vana ſpe ſeducti Græci lapidum & ſtructurarum eccleſiarum ab origine Chriſti nati ſplendore illuſi, divinæ ultioni occurrere noluerunt, aut faſcinati præteritarum felicitatum magnitudine neſciverunt. En modo quas pœnas adamatæ caliginis luunt. Et nondum finis, hæc initia dolorum: ſic ſemper culpas juſtitia corrigit, ſic vane ab impœnitentibus de domini longanimitate præſumitur.

Et tamen hæc non ſufficiunt nobis ad doctrinam, adhuc ſtertimus in lectulis delitiarum noſtrarum, adhuc in pulchros lapides & ſtructuras reſpicimus: mundus ruit, Chriſtiana reſpublica perit, cadunt lapides, ſcinduntur ſtruC cturæ: & qui amabo pereunt vobis lapides? integræ civitates, provinciæ, regna, imperii robora: quid amplius? defenſores eccleſiæ facti ſunt hoſtes: qui nobis muri & antemuralia fuerant, jam texunt nobis inſidias, & pericula moliuntur: qui propugnabant, impugnant: vah quot mala beſtia ſeduxit, quot capita po-
Apoc 17. pulorum, dimiſſa Roma, quam velint nolint agnoſcunt matrem, ad veneficam meretricem calice proſtitutionis ſuæ fœdantem omnia ſe converterunt. *Videte* quæſo *ne ſeducamini*, facile eſt ex his futura exitia divinare: quod ſi præterita non ſufficiunt, addi poſſunt & alia ex præſentibus argumenta, quæ & plus quam ſatis eamdem adferunt doctrinam. *Qui legit, intelligat: ſi quis habet aurem audiat*: Hic eſt ſapientia, & magna quidem, maxima furoris domini judicia concludens.

Narrant evangeliſtæ Matthæus, Marcus, & Lucas, quod dominus noſter Jeſus ea quaſi prolata ſententia, recta contenderit in montem Oliveti, ibique ſederit contra Hieruſalem, quaſi rem animo volvens, ut gravem, ut genti ſuæ
Rom. 9. maxime incommodam: quam & teſtatus eſt Paulus cordi ſuo triſtitiam, & dolorem continuum inflixiſſe. Tum adſunt apoſtoli, præcipue quatuor ex Marco, Petrus, Andreas, Jacobus, & Joannes, ſeſe approximant, ac magiſtrum compellant ſecreto: res enim eſt odioſa, de qua publice fari non licet, ob hoc & ipſe dominus poE tiſſimum eſt cruci affixus, cui pendenti ſubſannatores illudebant, dicentes: *Vah qui deſtruis templum Dei*: ob hoc & Stephanus lapidatus:
Mar. 15. Act. 6. *Hic homo*, inquiunt, *non ceſſat loqui adverſus locum ſanctum*, &c. Sed obſecro vos, o pii patres, o viri apoſtolorum ſucceſſores, ſi publica de his periculis & damnis noſtris inſtantibus colloquia inſtitui non poſſunt, ſi curiæ, fori, plateæ, palatia excipere amaras & funeſtas has cantilenas, pro ſtomachi debilitate nequeunt, an ſaltem ſecreto inter vos, qui hæc juſte perpenditis, qui rem oculo ſimplici & puro, ab omni proprietate libero dijudicatis, qui ſolo Dei & veritatis amore ducimini, qui vere & ex conſcientia cauſam Chriſti & catholicæ eccleſiæ tractatis, dici, repeti, inculcari nequeunt? an non Chriſto in aure ingeri & explicari poſſunt, ſi non ſatrapis hujus ſæculi? an non inter vos ipſos, quibus datum eſt noſſe myſteria regni, meditari & expendere poteſtis mala, quæ omnibus jam, modo cupiditas aut amor proprius non obnubilet, ſunt patentiſſima? Agite obſecro, appropinquate, ſunt ſigna, ſunt prodigia, quæ aperire myſterium poſſunt. Petunt apoſtoli quaſi rem incredibilem audientes. *Quando hæc erunt? Quod ſignum,* *Matth. 24.*
cum hæc fieri incipient? Quod ſignum adventus tui *Luc. 21.*
& conſummationis ſæculi? Ita perire noſtra non putamus, niſi cum totius mundi conflagratione: quare de ceteris ſolliciti, finem quærendi aliena utcumque ardua & occulta non facimus, de communibus ſubtiliter diſputantes: de his vero, quæ ad nos attinent, ne verbum quidem: & tamen fert patienter Chriſtus, tantum ut paulatim doceat.

Ad primam ſiquidem quæſtionem ſatis alibi reſponſum eſt, quod temporum momenta ſolus pater in ſua retinuit poteſtate, dum in centro æ- *Act. 1.*
ternitatis ſuæ univerſam temporis circumferentiam infallibiliter judicat: quamobrem inique agit creatura dum hæc inquirit, cui potius utile eſt ea neſcire, e quorum ignorantia ad perpetuo vigilandum, ſibique conſulendum excitatur. Signa vero prognoſtica, quæ de vicina deſolatione teſtentur, per Dei optimi patris miſericordiam, nolentem perire aliquos, non deſunt, quibus *2. Pet. 3.*
quaſi ultimis vocibus moniti jamjam cervicibus incumbentem gladium deflectamus. Sic Eſdræ *4. Eſdr. 5.*
olim prædicta lunt ſigna & prodigia Babylonicum excidium præceſſura: & ſua dat Chriſtus ſigna ſuper Hieruſalem interitura, tum illa carnali & Judaica, tum noſtra ſequentium ſæculorum ſpirituali & Chriſtiana: ſic tamen quod mixta ſunt ſigna, modo ad hanc, modo ad illam deſolationem ſpectantia. Unde & nulla eſt in tota hiſtoria evangelica difficilior textura aut diſtributio, quam hæc ſignorum, in quibus & numerandis & exD ponendis, tanta patribus innata eſt difficultas, ut vix duo conſentiant. Quod quidem, patres, non eſt ſine myſterio permiſſum, ut ex hac ſacra ſignorum confuſione intelligamus, nulla eſſe primo Judæorum excidio ſic propria, quin eadem poſſint, vel ſimilia rebus noſtris, noſtræque Hieruſalem adaptari. Quod jam verificatum eſt in eccleſia orientali, facileque ex his traduci poſſunt ad noſtra tempora: certe enim illa præterire, nec de Judaica vel Græca Hieruſalem nobis ulla habenda eſt cura, niſi ut earum exemplo & repetitione, divinare & augurari poſſumus, quæ de nobis conſimili morbo laborantibus decerni poſſunt. *Qui legit, intelligat.* Hic eſt ſapientia.

Tria potiſſimum ſigna deſcribit dominus noE ſter Jeſus Chriſtus, quibus futura excidia inſtare ſignificantur. Et quidem de primo inquit: *Ante* *Luc. 21.*
omnia injicient vobis manus; trademini a parentibus, fratribus, amicis & cognatis, eritis odio omnibus propter nomen meum. Hic vero imprimis obſervandum, quam facile condemnet Chriſtus curioſitatem noſtram, qua ſubtiliſſime de communibus diſputamus, philoſophamur, inquirimus, de noſtris autem nihil minus. Quid futurum ſit de Anglis, Scotis, Gallis, Germanis, de Romana etiam & catholica eccleſia, quotidie dubitamus: de caſibus & fortunis Hieruſalem, templi, totius

etiam

ANNO CHRISTI 1562.

etiam mundi diligenter inſiſtimus: quo loco autem res noſtræ ſint, quid interim nos agamus, quam rationem de rebus noſtris reddere poſſimus, quomodo ab ingruentibus periculis nobis proſpiciamus, quæ ſigna feramus noſtræ ſalutis, hæc unicuique ſuperflua & tædioſa. Et tamen hic incipit Chriſtus ſuam de ſignis & prodigiis prognoſticam philoſophiam: ut ſtatuere diſcant apoſtoli, quid de ſeipſis deliberent, ne in tanta rerum turba ſcandalizentur. Prima itaque pericula intelligant ſua, qui tamen de ſe nil cogitant, alienorum periculorum ſeduli exploratores. Et primum ſignum Judaici excidii, fuit apoſtolorum & hominum Chriſti adflictio, quale ſignum etiam præceſſit ruinam Sodomæ in familia Loth: Ægypti non minus in anguſtiis populi Dei, ejuſdem quoque Hieruſalem ante primam deſolationem in paſſionibus prophetarum, quod merito objecit ſuis contemporaneis, quaſi ſerpentum & carnificum filiis Levitæ Stephanus: Vah quam facile decipitur humana mens, dum judicia domini ſuo ſenſu interpretatur. Expectabant apoſtoli ex Chriſti ſequela dextras & ſiniſtras in regno, qua ſpe fortaſſis & Judaicæ vaſtitati conſentiebant. Et ecce primum ſignum comminatur illis perſecutiones, raptus, traditiones, tanto acerbiores, quod ab ipſis parentibus & fratribus patiantur, quod & nullus erit refugii locus, quando incurrent odia generalia totius mundi.

Geneſ. 19. Exod. 1. *Act. 7.* *Matth. 20.*

Sed bene res habet, quod cauſam bonam habent, nempe ſanctiſſimum Chriſti nomen, quo uno concitant adverſum ſe omnium rabies. Hac etenim querela una Stephanus eſt lapidatus, Jacobus percuſſus gladio, Petrus crucifixus, Paulus decollatus, Joannes relegatus, &c. Habet & fructum bonum, exitumque feliciſſimum tum ex parte miniſtrorum: *Capillus*, inquit, *de capite veſtro non peribit*: nullus labor vanus, ne minimum verbulum pro Chriſti nomine prolatum ſua fraudabitur mercede. Tum ex parte miniſterii: *Prædicabitur enim evangelium*, hoc eſt *regni* (tantum abeſt ut impediant) *in univerſo mundo*. Regnum verbi eſt, ſat eſt ſi prædicetur, ſolo verbo promovetur. Verbum regni eſt, ſupprimi nequit, ſervire neſcit, dilatabitur ergo, & dominabitur ab ortu Solis uſque ad occaſum. Et hoc eſt maximum ſignorum Chriſtianæ majeſtatis, quod verbum hoc regni, regni autem a ceteris regnis longe diſtantis, verbum crucis, patientiæ, cui nulla eſt cum carne conjunctio, nulla ſenſuum titillatio, cujus prima vox eſt, ſuimet abnegatio, tam feliciter prædicatur, auditur, ſuſcipitur, ſanguine etiam, cum opus eſt, roboratur, manifeſtiſſimum ſignum perfidiæ Judaicæ verbum hoc regni ſpernentis, mox judicandæ. *Et tunc*, inquit, *venit conſummatio*. Ita delictum eorum divitiæ ſunt mundi: Ita & tranſlatio, quin & glorioſa dilatatio Chriſtianæ religionis in occidente, ſignum fuit orientalis defectionis. Quid vero de nobis divinare poſſumus, qui verbum regni ætate noſtra tranſfretaſſe cernimus ad Antipodas, tanta cum ſpecie & pulchritudine, tanto cum fidei augmento novos repleſſe mundos, totam jam terræ longitudinem perluſtraſſe, latitudinem etiam totam ſub arctico, reliquias quaſdam adhuc ignotas vix ignorare ſub antarctico? Et nos nihilominus ſuper hac tanta evangelii apud extrema mundi limina divulgatione: dicam & apud noſtra domeſtica, reſtrictione aut ſaltem confuſione ſtertimus & ſigna non cogitamus, in noſtriſque pauculis lapidibus, & ſtructurarum reliquiis

Luc. 21. *Matth. 24.* *Lactan.* *Luc. 9.* *Rom. 11.* *Pſal. 44.*

ſine ſenſu deliciamur, quouſque nos repentina obruat conſummatio. Neque enim Chriſtus, nobis ſublatis, ſine populo erit, cum ſibi jam tanta mundi acceſſione de novo prodiderit, & de lapidibus, mutis, mortuis, hominibus abſque ulla humanitate, aut ratione viventibus ſuſcitarit Abrahæ filios, id eſt credentes. *Videte, videte ne ſeducamini*.

Luc. 3.

Occaſionem autem hanc dum evangelium regni dilatatur, ac verbo rem agit Chriſtus Dei patris verbum, non omittit ſatan malæ beſtiæ doctor, quin & ipſe verbum verbo opponit, & quando per occiſiones prophetatum non obſcurat Chriſti gloriam, quin potius illuſtrat: nam ſemen Chriſtianorum eſt ſanguis, prædicatores & ipſe ſuos, ac tractatores verbi expedit, quod quidem ut alterum deſolationis ſignum ſubjicit Chriſtus, dicens: *Multi* venient, quin potius ſuo ſpiritu, non miſſi, temere *ſurgent pſeudochriſti, & pſeudoprophetæ*: certe multi, quorum nullus eſt finis, nullus eſt numerus, creſcente in dies capitum & antichriſtorum numero, qui novas ſubinde ex abyſſis educunt peſtes ad ſeducendas ſimplicium, aut ſi mavis infidelium, mentes. Hic vero maxime exclamat, & monet pientiſſimus Jeſus, a facie colubrorum, & baſiliſcorum, videte ne ſeducamini. Miras habent artes ad fallendum, mille verborum lenocinia, rethoriſmos, græciſmos, hebraiſmos, tranſlationes, commentarios, quibus imponunt, ac verba domini ſub prætextu reſtitutionis, correctionis, latinitatis, & puræ locutionis depravant. Habent expreſſa mendacia ſub imagine veritatis, dicentes: Ecce hic eſt Chriſtus, ſic profitentur omnes utcumque impuri, & perditi, ſe Chriſti eſſe, ſecum eſſe verum ſcripturarum ſenſum, ſe ſolos recte interpretari, damnantes ceteros quacumque ſanctitate, eruditione, antiquitate conſpicuos.

Tertul. *Athan.*

Addunt doctrinæ ſanctimoniam vitæ, dicentes: *Ecce in deſerto eſt*: ſic tandem Deo ſervitur, hæc vera eſt Chriſti religio: quod quidem maximum eſt periculum in ſingularitate, & ſuperſtitione: quodque negotium non modicum diebus noſtris ingeſſit Chriſtianæ puritati & ſimplicitati, antiquæ potiſſimum & priſcæ religioni, ſub ſpecie ſanctitatis, reformationis, obſervantiæ, & ſeveriſſimarum a communi vivendi uſu ſequeſtrationum, quibus damnare inſtituta priora ſolent. Et tamen in his quoque frequenter triumphat mala beſtia, magnas de ſimplici turba victorias reportans: ſic ſic imitari, quin & ſuſpectos atque adeo infames reddere novit ſatan pleroſque Dei ſervos, qui in veritate ambulant, reformant mores, inſtituunt ſimplices, ſacramenta ſæpius repetunt: quæ damnari nec debent, nec poſſunt, niſi ut malo animo, & negotio perambulante in tenebris a pſeudochriſtis ad fallendum aſſumuntur. Ad quos inquit Chriſtus, *nolite exire*, vias patrum ſequimini, nova hominum dogmata ne recipite, ſtate in arca, extra quam quicquid eſt, diluvium, & certa mors eſt: ſimplicitatem ſervate, deſerta nolite quærere: quid Chriſtus ſentiat, quid eccleſia, quærite, non quid humana ſibi confingant ingenia. Quod ſi addant penetralia, atque ad ea vos vocent, quaſi ad ſecreta rimanda, ad myſteria reſeranda, quicumque paternam, & eccleſiaſticam regulam non dignantur, nolite credere. Sunt qui ad angulum unum redigunt Chriſti eccleſiam, ad revelationem ſpiritus, ad ſtatum inviſibilem, ad numerum quemdam occultorum prædeſtinatorum: *nolite, nolite credere. Ecce enim ſicut fulgur*

Pſal. 90. *Gen. 7.* *Anab.* *Luc. 17.* *Matth. 24.*

ANNO CHRISTI 1562.

exit a cœlo coruſcans, & perſtrepens ab oriente A in occidentem, *ita adventus filii hominis*: res patens eſt, omnium ſæculorum votis comprobata, omnibus locis & temporibus ſibi conſentiens: ab oriente, in occidentem perpetuo eccleſiarum conſenſu deducta Chriſtiana veritas, tantum ut bono animo, & ſincero corde petatur.

Quod ſi tandem verbis, artibus, & præclaris vivendi modis adjiciant ſigna, & prodigia: ut ſatanas paratus eſt ad omnia adulteranda non modo verba, & ſcripturas, ſed & ſigilla, quæ ſunt miracula, quod futurum omnino in pſeudoprophetis, & antichriſtis teſtantur Chriſtus, & divus Paulus, præcipue *cum revelatus fuerit iniquus ille homo peccati ſecundum operationem ſatanæ; in omni virtute, ſignis, & prodigiis, ita ut etiam* B (quod ſpecificat apocalypſis) *ignem e cœlo trahat*: tum vero maxima inſtant pericula, ut ſeducantur, & ſcandalum patiantur innumeri, adorentque beſtiam tribus & populi, ita quod *niſi abbrevientur dies, non fiet ſalva omnis caro*.

Quale autem ſpectaculum revera futurum eſt, dum ſanctus Dei ſervus, veritatis doctor, vel auditor tormenta ab impiis pro veritate & juſtitia patietur: tortor autem, & carnifex interim ſanguinaria & ſcelerata manu ſigna & miracula faciet? Sanguinem juſtorum fundet, & interim cœcos illuminabit, mortuos ſuſcitabit? Vere ardua hæc erit tentatio. Noſtri corruptores dum magno illi antichriſto præcurrunt, vix adhibent verba ſplendore quodam latinitatis & fi- C ctæ pietatis, zelo verbi Dei reformandæ eccleſiæ, gratiæ extollendæ condita, nullam addunt morum diſciplinam, quin ut ſunt intemperati, aperiunt clauſtra, ſolvunt vota, tollunt jejunia, regulas ſanctorum polluunt, caſtimonias luxuriis & crapulis fœdant, nulla adhibent ſigna niſi corruptionis, impudicitiæ, apoſtaſiæ, & tamen, proh dolor, quot animos, quot præclara ingenia, quot civitates, provincias, regna ad cultum beſtiæ pertraxerunt! quid ſi verbis addant miracula? quid ſi artibus & ſtrophis dicendi addant virtutem operandi? Deus, o bone Deus reſpice de cœlo, viſita, corrige, retine vineam, quam plantavit dextera tua. Vos vero *videte ne ſeducamini*: *Ecce*, inquit, D *prædixi vobis*, quantumvis magna mirabilia, naturæ & artis vim excedentia: prædicta tamen ſunt, ne cito moveamini. Signum hoc eſt proximæ deſolationis, imo ipſa eſt magna deſolationis pars. Falſam vero doctrinam quid tandem ſequitur?

Poſtremum ſignorum eſt, omnibus ſæculis confirmatum: ſequuntur bella, ſeditiones, gens contra gentem, & regnum adverſus regnum, quouſque (quod addit Lucas) Hieruſalem circumdetur ab exercitibus. Hic tandem fructus eſt impietatis, hoc pariunt hæreſes, didicit ſuo exterminio Judaica politia, quæ ſub ipſa obſidione plures in religione patiebatur ſectas: didicit orientis eccleſia, quæ tandem ſedes, & imperia E hoc uno crimine perdidit. Conſtat jam & noſtris temporibus quo ſpectent fidei turbatores, nempe ad ſtatuum everſiones, ad occupanda regna, ad excutienda principum juga, quo loco pugnat non modo gens contra gentem, & regnum adverſus regnum: ſed in eodem regno, eadem gente, quod miſerabile dictu eſt, ſocer contra generum, frater in fratrem, ſanguis in ſeipſum ſævit. Hic eſt ſapientia, o clariſſimi oratores, qui in hac ſacroſancta ſynodo tot potentiſſimas majeſtates refertis. Hic eſt ſapientia, qui legit, intelligat. Hic ſtatibus & regnis A N N O CHRISTI 1562. eſt conſulendum, ne minarum & cuniculorum auctores recipiantur, ne locus ſit impietati, quam mox certa ſequitur ſeditio populorum, dominiorum everſio, rerum omnium confuſio: terribilis eſt beſtia, cui datum eſt nocere, quæ & jam maria ſanguinis effudit: monſtruoſum eſt animal corpus habens pardi, pedes urſi, ora leonis, habet & iram magnam cum poteſtate conjunctam, ſciens quod modicum tempus habet. Quod ſi, o mundi vertices, manet animus hæc diutius tolerandi, ſi ad tantam malorum colluviem adhuc ſuſpicitur, ecce nobis ob oculos deſolatio, quam prædixit Daniel: Ecce omnia direpta: ecce in januis abominatio jacens ubi non debet, in loco ſancto, quæ ſecum trahit rerum omnium perniciem & interitum.

Tunc *qui in Judæa ſunt*, confitentes domino, veritatem agnoſcentes, *fugiant e Babylone*, ne participes ſint plagarum ejus. Si cauſam publicam, ut cuperent, juvare, ſervareque nequeunt, ſibi conſulant, & fuga conſulant: nequaquam autem conſentiant carni & ſanguini, quæ ſunt malæ beſtiæ inſtrumenta: ſed fugiant ad montes, ad patrum conſilia, ad ſanctorum exempla, ad pietatis exercitia, ad ſacramentorum frequentiam, ad meritorum cumulum, ut ex incipientibus fiant proficientes. *Ne fiat* autem *fuga hyeme, vel ſabbato*, animo lento, aut frigido, ſine amoris ſtimulis: neve cum iter expediri non poteſt ex habitu peccandi contracto, ut dimittere culpam velimus, & ferme non poſſimus, quas difficultates ſera patitur pœnitentia. *Væ prægnantibus & nutrientibus*: Væ iis, qui conceptos morbos in ſinu fovent, pravas opiniones enutriunt, ſarcinas peſtilentes in dorſo ferunt, unde incurvantur, ut libidinibus, & ſæculi hujus concupiſcentiis obſequantur. Contra beati qui his ſcrupulis & laqueis expediti fuga ſibi proſpiciunt. Qui vero in tecto ſunt, jam ſatis exercitati, in culmine pietatis, & profectus poſiti, qui cœleſtia libere meditantur, quorum ſurſum ſunt corda, qui paſcuntur apud ſponſum in meridie inter lilia: qui mundo terga verterunt, pergant ad meliora, & ne deſcendant, ne corde graventur, ne ad viliora declinent. Quin perſeverent, atque ad meliora ſemper contendant. Sacri ſunt, Deo obſtructi ſunt, a curis ſæculi ſejuncti ſunt, nunquid ad matrimonia, ad alendas familias, ad promovendas filiorum turbas, ad exercenda mercimonia trahi ſe patientur? Eo ne bone Jeſu deſcendam ego, etſi totus deſcendat mundus? Non equidem, niſi tu me deſtituis, ſed ego noviſſimus omnium qui in tecto ſunt, & eſſe, & vivere, & mori volunt, utinam ſat ſciam ſtantes æmulari.

Qui vero in agro laborat, factus jam ex virtute miles, & operarius in vinea, ſibi perfectus, & ad vocandos alios miſſus, circa domini talenta & negotia præpeditus: ne redeat domum tollere tunicam: ſic nudus nos præceſſit Chriſtus, ut pudere nos debeat, dum in ejus agone detenti, curam agentes animarum, cauſam tractantes univerſalem, unde totius pendet mundi ſalus, adhuc infirmi reminiſcimur tunicarum, commodorum, & proprietatum noſtrarum: quæ tamen nihil ſunt præ magnitudine rerum, quas molimur in agro, in hac ſynodali & œcumenica domini vinea: ad quam colendam dimiſſis propriis ſedibus, & gregibus anima carioribus vocati ſumus. Etenim Chriſtus in cauſa noſtra coram patre tractanda non ſibi placuit, nullam quæſivit tunicam, nullis commodis inhiavit, quin ſemetipſum exinanivit

uſque

Matth. 24. 2. Theſſ. 2.

Apoc. 13.

Matth. 24.

Gregor.

Pſal. 79. Marc. 13.

2. Theſſ. 2.

Luc. 21.

Hieron.

Apoc. 13. Apoc. 12.

Can. 2.

Apoc. 18.

Can. 5.

ANNO CHRISTI 1562. 2. Par. 19.

ANNO CHRISTI 1502. Rom. 15. Phili. 2.

usque in nihilum. Væ parvulis illis hominum cordibus, qui in tanta graviſſimarum rerum mole adhuc tunicas verſant in animo, adhuc redolent propria commoda, adhuc ad ſua ipſorum conſilia reſpirant. Hic enim agitur de extrema mundi aut reſtitutione, aut deſtitutione: Ecquid tandem es tu homuncule tunicarum meditator intempeſtive, ſi te ad univerſum comparas, ut commodum tuum qualecumque ſit pluris facere debeas, quam ſalutem innumerabilium animarum, pacem eccleſiæ, gloriam Chriſti? Pergite, obſecro, o valentes, o robuſti Jeſu coloni, in agro eſſis, & quidem ampliſſimo in theatro omnium magnificentiſſimo, laborate fideliter & patienter, ne velitis domum redire ſine opere exacte præſtito. Quod ſi ardua ſunt negotia, ſi ſe opponunt potentes, ſi mala multa pro Chriſti nomine ſunt ſubeunda, videte ne terreamini. *Qui perſeveraverit, hic ſalvus erit*: ne cœpta domini conſilia diſſipate: ne ſpiritum implere conantem omnia leprimite: Nolite terreri. Vos in hac palæſtra amittere aliquid non poteſtis: ſi cadent regna, ſi corruent populi, ſi mundi iniquitas judicabitur, ſi abominationem juſta ſequetur deſolatio, vos tamen non confundemini.

Matth. 2.

Ubi corpus, ibi & aquilæ congregabuntur. At corpus vocat ad unionem, ut ſibi incorporentur generoſæ aquilæ in lucem Solis fixæ, & immobiliter reſpicientes: Sapit hiſce aquilis Chriſti corpus, ſacrum illud cadaver, quo pii toties in via paſti & recreati ſunt, quare occurrunt læti mox ubi ſentiunt. Et hic inter vos, patres ampliſſimi, habet Chriſtus auguſtiſſimum corpus, ad quod ſuas aquilas advolare cupit. Quid enim eſt ſacrum hoc concilium niſi magnum, & univerſale Chriſti Jeſu corpus, ubi prælucet, præeminetque caput Romanæ eccleſiæ per ſummos hos mundi cardines mira cum venuſtate, & majeſtate repræſentatum. Adſpiciunt, & obſervant omnia ſplendidiſſimi oculi tot patrum ſuperintendentium, quaſi exploratorum tota die, & nocte pro domini gloria vigilantium. Manus inclytæ ſubminiſtrant robora inſuperabilia, imperium, reges, reſpublicæ, principes totius fere Chriſtiani nominis, tantum ut aquilas ad corpus hoc convocent: & veſtræ dignitatis ac voluntatis pii ſeduliique executores corda filiorum in patres convertant.

Quid enim ſpiritus aut favoris non præbeat Cæſar, aquila iſta noſtra occidentalis: ſi noſtra eſt, ſi ex nobis prodiit; ſi fidem ſuam perpetuo catholicæ eccleſiæ patrocinio nobis obſtrinxit? Ita ſint illi clara, felicia, glorioſa omnia, ut de illius egregia pietate propitia omnia Chriſti cauſæ promittimus. Quid vero non præſtabit ſereniſſimus, clementiſſimus & vere catholicus ille noſter Joſias, ſervator, defenſor, ac propugnator, qui hoc unum ſemper eſt meditatus, ut Chriſti gloriam terra marique promoveat, ut pacem eccleſiæ reſtituat, ut pientiſſima æterna memoria recolenda, invictiſſimi patris cœpta perficiat? Vivat hic, vincat hic, nam quæcumque illius ſunt, nobis Chriſtique hominibus patrocinantur. Neque aberit a tutela, Chriſtianiſſimus ſimul & religioſiſſimus ille magni animi puer, vix e gremio matris, ſanctæ illius & pientiſſimæ matris ſublatus, & ecce in caſtris dimicat armatus adverſus Chriſti & eccleſiæ catholicæ hoſtes: quando hic cauſam Chriſti deſeret, qui ſic a teneris pro Chriſto pugnare didicit?

Luc. 1.

Vos interim, optimi patres, agnoſcite locum veſtrum, judicium Dei non hominum exercetis: Magnus, integerque adhibendus eſt animus: *Videte ne turbemini*. Pura mens, & ſerena conſcientia requiritur: *Videte ne ſeducamini*. Inſtant procellæ, ingruunt tempeſtates, utinam non ſint dies ultionis: non erunt, modo velitis: in manu veſtra eſt mundi ſalus: hinc certe abire non poteſtis, niſi aut curatores, aut corruptores. Sed patres, ſed paſtores, ſed ſalvatores eſtis, huc in Spiritu ſancto, in ſpiritu ſalvatoris congregati, date malis remedia: hoc poſcunt greges veſtri ab ore, ab anima veſtra pendentes, hoc univerſa precatur eccleſia, huc reſpiciunt omnium vota: Circumſtant malæ beſtiæ fraudes & inſidiæ. Videte ne ſeducamini: circumſtant malorum principum minæ, vireſque coadunatæ adverſus Chriſti ſponſam, ſanctamque Hieruſalem. Videte, ne turbemini. Rem agite magno ſpiritu, ſpiritu ſcilicet domini: myſterium hactenus proceſſit iniquitatis, jam retectum eſt, jam nequit diſſimulari: myſterium imminet furoris & iræ domini, abominationes noſtras juſta deſolatione compenſans. Jam & hoc divinamus tum ex regulis mundi originalis, tum ex ſignis, ac prodigiis numeratis. Occurrere tamen adhuc poſſumus, placare poſſumus, avertere poſſumus. *Hic eſt ſapientia: qui legit intelligat, qui habet aures audiendi, audiat.* Amen.

CI.

DE CHRISTO JUDICE latis animis expectando, oratio reverendiſſimi patris Seraphini Caballi, Brixienſis Dominicani, ſacræ theologiæ doctoris, atque provinciæ terræ ſanctæ provincialis, in dominica prima adventus. MDLXII. *Ad ſacrum œcumenicum Tridentinum concilium.*

SUMMA admiratione digniſſimum ſemper mihi viſum eſt, ſereniſſimi patres, oratores clariſſimi, quod Chriſtus dominus, ſecundum eam, qua unum eſt cum patre, divinam naturam, infinita bonitas cum ſit atque hominum creator, proque ſalute hominum factus homo, ſanguinem & vitam cum dedecore tradiderit: verumtamen illum ipſum, aliis in ſalutem, aliis in perniciem fore, experientia ipſa comprobemus: Nilque verius eſſe percipiamus, quam quod Simeon ille feliciſſimus ſenex, inter amplexus & oſcula, infantem Chriſtum veneratus, divinoque inſtructus oraculo, ad virginem ipſius matrem dixit: *Ecce hic poſitus eſt in ruinam, & in reſurrectionem multorum in Iſrael*. Quidnam præſtantius, excellentius inter tot & tanta, quæ propter nos egit & paſſus eſt Chriſtus, quam turpiſſimum noſtræ ſalutis gratia ipſius in cruce ſupplicium? Nihilominus dum agit animam, dum pro inimicis patrem deprecatur, dum humani generis cum Deo reconciliationem abſolvit: uni tantum dicitur: *Hodie mecum eris in paradiſo*. Idem ipſe Chriſtus qui mediator Dei & hominum, qui hominum ſalvator & redemptor ad ſalutem, hominum judex ad condemnationem, eſt a Deo conſtitutus: ſe ad jucandum orbem aliquando venturum, in evangelio jam jam perfecto teſtatur: aliis quidem ſiniſtram ſuam, mortem nimirum & gehennam redditurus comminatur: aliis vero exultare præcipit, dicens: *Suſcipite & levate capita veſtra, quoniam appropinquat redemptio veſtra*. E Chriſti igitur judicio cum rerum noſtrarum ſumma pendeat, vel perpetua ipſa felicitas, aut certe æterna ipſa damnatio: nil cordi noſtro antiquius, nil

Luc. 2.

Luc. 23.

ANNO CHRISTI 1562.

nil perseverantius, nil importunius esse deberet, quam ut in tam ancipiti, incertoque rerum nostrarum eventu, parati & instructi inveniri, diligentius & accuratius studeremus. Quamobrem Christus dominus nostræ salutis amantissimus ac studiosissimus, toties nos hortatur, dicens: *Vigilate itaque, omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere omnia ista quæ ventura sunt, & stare ante filium hominis.* Si perditionem, si miserrimum illum interitum timendo perhorrescimus, quo diffugiemus? ubi delitescere poterimus? Si vero perpetuam illam (quod præstat magis) cum Deo societatem concupiscimus, peroptamus, desideramus, quid nobis agendum patres? cujus fidem & patrocinium interpellabimus, ut tantam assequamur beatitudinem? En adest mater nostra ecclesia, unico, eoque divinissimo, ac saluberrimo consilio, per apostolicam doctrinam, commonefaciens nos, & dicens: *Induimini dominum Jesum Christum*, ut illum induti, nedum ipsius sinistram subterfugere valeatis, verum & ab ejus dextera regnum obtineatis æternum. Facturum igitur me satis existimavi, non quidem tantæ rei splendori & majestati, neque gravissimo huic, atque in tota Christiana republica religiosissimo consessui, sed imbecillitati meæ (qua servum coram tot dominis suis, majorum jussu, verba facere decet) siquid nam referat, Christum nos induere (quo nil divinius, nilque nobis utilius contingere potest) & quanam ratione id fieri possit, plana & aperta oratione ad vestri memoriam revocavero.

Luc. 21. Rom. 13.

Quum Deus pater, secundum consilium, & suæ voluntatis beneplacitum ab æterno decreverit, neminem ex filiis Adam sui regni in perpetua illa felicitate consortem admittere, nisi qui dilecto filio suo, Christo Jesu, domino nostro similes essent, atque conformes (divo apostolo dicente: *Nam quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus*) Christi imaginem & speciem geramus, & induamus oportet, si nostræ saluti consultum iri cupimus. Cujus rei magnitudo atque præstantia cum humanum consilium excederet & vires, Dei clementia factum est, ut hominum genus tanto munere dignaretur atque illustraretur, ut filii Adam, filii constituerentur Dei, prioris ac terreni Adam imaginem deponentes, ipsius Christi effigiem & similitudinem pulchriorem induerent ac digniorem. Quod ut magnificentius perficeretur, idem per naturam filius, Christus dominus, per omnia fratribus prius assimilari voluit, *formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, atque habitu inventus ut homo*: sicque mortalitatis nostræ imbecillitates, conditiones, atque languores assumens, humanam vere induit naturam, ut *quoniam pueri communicaverunt carni & sanguini, & ipse communicavit eisdem, tentatus per omnia, absque peccato*: ut de plenitudine ipsius accipientes, jure optimo, per illius in nos adoptionis spiritum, & inhabitantem gratiam, sibi conformes & persimiles effecti, præclaras ejus virtutes, illustres conditiones, divinasque proprietates indueremus, assumeremus, nobisque ipsis vindicaremus: ut quemadmodum ipse ab æterno, per naturam Dei filius est & hæres, atque unum cum patre: ita & nos splendorem illius communicantes, per adoptionem filii, hæredes Dei patris, in tempore constitueremur: atque ita, adhærentes Deo unus spiritus cum eo efficeremur: Christum per omnia induti, naturalem Dei filium in fratrem adepti, cum ipsoque Deum communem in patrem assequuti, sic ut suavitatem, spiritusque dulcedinem nacti, ad invicem gratulantes dicere possimus: *Videte qualem caritatem dedit nobis Deus Pater, ut Filii Dei nominemur & simus: & si nondum apparuerit quid erimus, scimus quoniam cum venerit ipse, similes ei erimus, & videbimus eum, sicuti est.*

Phil. 2. Hebr. 2. Joan. 3. 2. Cor. 6.

Hæc igitur firma anchora est de cœlis ad nos demissa, amplissimi patres: hoc unicum perfugium, solumque præsidium e superis datum: in quo, & non per aliud, oportet nos in novissimo die evadere, & Christo judici lætis animis occurrere. Quod nam? ad naturalem, inquam, Dei Filium conformatio: ad salvatorem nostrum similitudo: ad Christum nostrum imitatio: ut in illum mutati, perque Dei clementiam conversi, atque illum induti, nobis aliquando dici experiamur: *Suscipite, & levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.* Quod quonam pacto assequi possimus, paulo altius petendum est. *Impossibile cum sit sine fide placere Deo, accedentemque ad Deum credere oportet*, Christus autem verus existat Deus & homo; nequaquam fieri potest, ut illum sicut decet induamus, si qualis quantusque sit ignoraverimus. Ad hæc, cum vires ex natura nobis minime suppetant, quibus illum induere & imitari valeamus: ad illumque accedat nemo, nisi quem pater traxerit, qui misit illum; sperandum in Christo est, quod pro sua bona voluntate, seipsum nobis haud quaquam denegaturus sit. Postremo caritas cum sit Deus, quonam jure, Christo, vero Deo, & domino nostro, similes & conformes evadere poterimus, si caritate (in qua manentes, in Deo manemus, & Deus in nobis) destituti fuerimus? Divinissimum igitur hoc negotium, fide, spe, & caritate ineffabili quodammodo in nobis perficitur & absolvitur: quibus veterem hominem, cum actibus suis expoliantes nos, novum (Christum scilicet) *qui secundum Deum creatus est in justitia, & sanctitate veritatis, qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem ejus, qui creavit illum*, induimus. Sicque secundum unam atque alteram naturam, ipsum Dei filium nobis ipsi vendicantes, vere primogenitum, fratrem, Christum dominum induti, ejus imaginem, effigiemque sacram animis, corporibus, actibusque nostris undique circumferamus. Sed vestri gratia liceat, patres, luculentius & apertius tantum explicare mysterium.

Luc. 21. Hebr. 11. Joan. 6. 1. Joan. 4. Ephes. 4. Col. 3. 2. Cor. 4.

De necessitate fidei in Christum, qua verum Deum, verumque hominem, si salutem assequi cupimus fateamur oportet, nemo fidelium ambigit: cum æterna ipsa salus, in Dei patris, Christique ipsius filii notitia recondita sit: *Hæc est* enim *vita æterna*, inquit ipse, *ut cognoscant te solum verum Deum patrem, & quem misisti, Jesum Christum*: quem idem pater, unicum destinavit, nobisque dedit propitiatorem, per fidem, in sanguine ipsius, ut per suam mortem reconciliaret, quæ in cœlis, & quæ in terris, in ipso: ut quisquis in illum crederet, non periret, sed vitam nanciscereturæternam. Hanc fidem, in generationibus ab Adam universis, veri Dei cultores, diversis, semper tamen venerandis sacrificiis, variisque ac religiosis ritibus professi sunt. Christum igitur per fidem, in quantum Deus est, ut oportet nos induimus, si recte & firmiter de illo credimus, quæ de Deo filio credenda sancta tradit mater ecclesia catholica: nempe eamdem sibi esse cum patre naturam,

Joan. 17. Rom. 3. Joan. 3.

ANNO CHRISTI 1562.

naturam, subſtantiam, gloriam, ipſiſſimamque qualitatem: Quod *verbum, ſplendor, & figura, atque imago paternæ gloriæ ſit: portans omnia verbo virtutis ſuæ.* Chriſtum autem, quoad humanam naturam, nobis ipſis, veluti amictum circumdamus, & per fidem aptamus, ſi verum hominem, per omnia nobis ſimilem (abſque peccato tamen, quoniam nullum fecit, *nec dolus inventus eſt in ore ejus*) quodque propter nos factus ſit homo, & cum adhuc inimici eſſemus, noſtri cauſa mortuus ſit per proprium ſanguinem, purgationem faciens peccatorum, atque in illum pater exiſtens, mundum ſibi reconciliavit, generoſa fide crediderimus,

2. Cor. 4. Coloſ. 1. Hebr. 1. 1. Petr. 2. Rom. 5. Hebr. 5. 1. Cor. 5.

Si dilectam, & proprio cruore partam ſibi eccleſiam, quibuſcumque ſacroſanctis remediis, atque ad ſalutem opportunis ſacramentis, locupletaſſe & ornaſſe, atque eidem de ſummo paſtore & capite, cum pleniſſima, atque ad ædificationem ſui corporis (quod eſt eccleſia) neceſſaria auctoritate, in Romano pontifice omnium maximo, conſuluiſſe, proſpexiſſe, & providiſſe, haudquaquam dubitaverimus,

Per hanc fidem Chriſtum nos induimus, Chriſtoque tanquam ſacro velamine circumtegimur. *Qui* enim *in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis*, inquit apoſtolus, cum fidei ſacramentum baptiſma eſſe, non ambigimus. Qui fidem hanc non habent jam judicati ſunt, jam a regno Chriſti excluſi: quoniam non credunt in nomine unigeniti filii Dei. Dicat hoc Arius, fateatur Sabellius, ſubſcribat Apollinaris, Photinus, Neſtorius, ſimiliumque hominum colluvies, atque totius impietatis duces, qui in una vel in altera natura verum Chriſtum negantes primam fidem irritam fecerunt, & ſuperbiæ ſpiritu inflati, alium a vero ſibi Chriſtum fingentes, ab utero ſanctæ matris eccleſiæ erraverunt, atque impura dogmata tradiderunt, & ſolventes Jeſum, ejus fide ſe ſe exuerunt.

Coloſ. 3. *2. Joan. 4.*

Horum nefariæ ſocietati jure & merito ſeſe aggreget Lutherus, & univerſi ipſius aſſeclæ, divini cultus, ac totius eccleſiaſticæ politiæ (quin potius ipſius Chriſti in ſuo corpore, quod eſt eccleſia) adverſarii, obtrectatores, deſertores, importuniſſimique hoſtes, qui perditiſſimo conatu ipſam Chriſti eccleſiam, Chriſti corpus, membra, Chriſti ſponſam, & amantiſſimas oves, paſtore & capite deſtituere, poteſtate privare, ſacramentis gratiæ atque inſtrumentis ſpoliare, ab eademque tremendum altaris veriſſimum ſacramentum diviniſſimumque auferre, Spiritus ſancti aſſiſtentiam non habere, obloquuntur, inaniter contendunt, & impudenter clamant. Atque adeo his incumbunt, ac ſi poſſibile eſſet Chriſtum mentiri, ſeipſum negare poſſe, & ſuis promiſſis non ſtetiſſe: vel certe eccleſiæ ſponſam corpuſque ſuum oblivioni tradidiſſe. Num infidelis, num imbecillis, num immemor effectus eſt Chriſtus: ut eccleſiam ſuam proprio ſanguine acquiſitam, corpus ſuum, os ex oſſibus ſuis, carnem de carne ſua, gregem, oves, ſponſam, fratreſque ſuos, & cohæredes non diligat, non amet, non curet: ſed errorum fœditate depravari, peregrinis variiſque doctrinis abduci, nefario cultu contaminari permittat? Quid impium magis? Quid de Chriſto indignius, deque ipſius in nos eximia caritate turpius excogitari & commemorari poteſt?

Epheſ. 5.

Catholicorum autem de Chriſto fides univerſæ hæreticorum perfidiæ adverſatur, & pie recteque de Chriſto Deo: fideliter de Chriſto homine: recte & firmiter de Chriſto eccleſiæ capite & ſponſo credit, profitetur & docet. Novit namque Chriſtum eccleſiam ſuam deſeruiſſe numquam, nec ut aliquando deſerat fieri poſſe: cum pollicitus ſit, ſe *uſque ad ſæculi conſummationem* nobiſcum futurum eſſe, minuſve Spiritum veritatis a Chriſti ſponſa receſſurum aliquando, ſuſpicari poteſt, recolens dominum promiſiſſe: *Mittam vobis Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ut maneat vobiſcum in æternum.* Pro comperto quoque habet, a Chriſti eccleſia, quamdiu in hac peregrinatione verſatur, neque externum divinum cultum, neque ſacramentorum ſalutarem uſum, neque Romanum pontificem, omniumque maximum, certiſſimum Chriſti vicarium, Petri ſucceſſorem tollendum, dejiciendum, abrogandum: Non ignorans, Chriſtum (in gratiam & commodum eccleſiæ ſuæ) pro fide Petri, ſucceſſorumque ejus Romanorum pontificum rogaſſe, ne deficeret: ut ipſius eccleſiæ generationes, atque ſucceſſiones univerſæ haberent, per quem in fide confirmarentur, continerentur: hac fide vere Chriſtum induimus: & Chriſtum induti, non timebimus judicem, ſed expectabimus redemptorem: ſi tamen ſpes caritaſque non defuerit.

Joan. 14. *Luc. 22.*

Quum primum interior homo noſter per fidei lumen, divinumque ſplendorem Chriſtum vere indutus fuerit, ineffabili divinæ pietati, diviniſſimiſque Chriſti meritis toto pectore inhærentes, in fiduciam quamdam erigimur: ſpeque illa quæ non confundit, quaque (teſtante apoſtolo) *ſalvi facti ſumus*: diverſa quadam, aliaque divina ratione, ſecundum unam atque alteram naturam, Chriſtum induimus: atque inter gemitus inenarrabiles, frequentiaque cordis noſtri in cœlum ſuſpiria: per patientiam & longanimitatem, revelationem gloriæ filiorum Dei expectamus, corporis mortis hujus redemptionem. In viventem igitur ſpem hanc per reſurrectionem Jeſu Chriſti ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilem regenerati, ipſum Dei filium, ſicuti Deus eſt, per ſpem induimus, cum de immenſa ipſius miſericordia, atque clementia, numquam diffidimus, & execrantes, Caim, Judamque proditorem, & reliquos omnes, qui deſperantes ſemetipſos tradiderunt in operationem omnis iniquitatis, peccatis noſtris, quamvis graviſſimis & turpiſſimis, in immenſum Chriſti pietatem majorem eſſe & ampliorem non dubitamus: non ponentes carnem brachium noſtrum, neque de infinita ejus bonitate nimium præſumentes, ut ſecundum carnem vivamus. Si una cum Patre, & Spiritu ſancto, Chriſtum mortem noſtram, & perditionem minime velle, ſed potius, ut in gratiam ipſius reſtituti, in finem uſque perſeveremus, magnopere deſiderare talem, tantumque fore, qui poſſit, & velit depoſitum noſtrum ſervare in illum diem, indubie ſperaverimus: Chriſtum ſecundum deitatem, per ſpem profecto induemus.

Rom. 7. Idem. 8. Id. ibid. 2. Pet. 2.

Ornamur enim Chriſto, & ſecundum ipſius humanitatem illum per ſpem induimus, ſi haudquaquam diffidimus meritorum, ſanguinisque ſui, atque divinæ gratiæ nos comparticipes velle. Et ſi cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam talem in ipſum habeamus, illum nobis minime defuturum, ſed advocatum, & interpellatorem pro nobis agere, vultui Dei aſſiſtere, ut Deo patri ejus, ope reconciliari, cum ipſo, & in ipſo, in perpetuum ſimus, regnemus, conſiſtamuſque. In hoc igitur mari magno, tot tentationum,

1. Tim. 1. *2. Joan. 3. & 2. Hebr. 7. Rom. 8.*

ANNO CHRISTI 1562.

num, atque discriminum fluctibus & procellis agitati, fortissimum solatium habemus, confugientes ad propositam nobis spem, quasi anchoram firmam & tutam, non humanæ sapientiæ vel virtuti innitentem, *sed usque ad interiora velaminis incedentem & penetrantem, ubi præcursor noster pro nobis introivit Jesus*. O divinæ in nos pietatis clementiam! o immensam Dei Patris in filios adoptionis benignitatem qui ut in illum sperantes non confunderemur: in illum confidentes non infirmaremur. in illum spem nostram cogitatusque nostros reponentes, non deficeremus, abundantius voluit, pollicitationes suas in Christo, nobis hæredibus suis ostendere, palamque facere consilii sui immobilitatem, jurejurando interposito, ut per duas res, quibus impossibile est mentiri Deum, speraremus, *Quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt*, nisi tantam neglexerimus salutem.

Hebr. 6.

Psal. 64. 1. Cor. 2.

Spes igitur in Christo, cum certos non reddat, alio in sæculo feliciorem esse, quam Christus nobis potius quam sibi proprio sanguine acquisivit, totis animis ardentique desiderio ad illam tendamus, patres, & per evangelii præceptorumque ejus obtemperationem, certam nostram vocationem facientes, ad illam festinemus: profitentes nos cum Abraham, Isaac, Jacob, Dei amicis, peregrinos esse super terram, non habentes hic civitatem manentem, sed futuram inquiramus: salutemus a longe æternas delicias, beatamque illam Dei viventis civitatem & patriam, cujus cives effecti sumus, & divina sorte conscripti, quæ pulchra, quæ decora, quæ suavia apud filios hujus sæculi habentur & existimantur, contemnamus, affligi potius eligentes cum populo Dei, & Christi improperium portare, una cum Moyse, qui se negavit filium esse filiæ Pharaonis, quam temporalis peccati habere jucunditatem, quam a Christo separari. Conqueramur cum David, incolatum nostrum prolongari: cum Paulo dissolvi cupientes, ut cum Christo nostro regnemus. Christum igitur per spem induentes, confidentius expectabimus præmiatorem, quam metuemus ultorem.

Hebr. 7.

Psal. 129.

Psal. 1.

Sed omnium maxima & nobilissima caritas jam nos invitat, ut de illa (si non uberius saltem libentius) dicamus, quonam jure, per illam Christum induere possimus: cum si illa defuerit, factum sit nihil, etiam si fides tanta sit, ut montes transferat. Et spes quæcumque ardua & difficillima sibi persuadeat. Quidnam obsecro, patres, quid commodi, quid utilitatis, quid solatii nobis relinquitur, si tantum credimus de Christo, speramus de Christo, quæ credenda, quæque speranda sunt. Nisi illum etiam dilexerimus, sinceroque affectu prosequuti fuerimus. Caritas ista, inquam, est quæ perfectionis vinculum & finis præcepti, mandatique universi nuncupatur atque existit: qua lex omnis impletur, perficitur, & servatur: quoniam *qui proximum diligit, legem implevit*. Hæc de corde puro sinceraque de Deo notitia proficiscitur, siquidem quanto purius Deum cognoscimus, tanto ardentius & propensius amamus. Ista in Christo benevolentia, conscientiam rectam comitem habet, quæ spem auget: namque confidentius de Christo speramus, quanto meliori, magisque integra conscientia præditi sumus. Fidem quoque non fictam amat hæc caritas, sociamque individuam possidet, non otiosam, non fragilem, non simulatam, nec inter prospera amicam tantum, sed inter adversa quoque constantem & perseverantem.

1. Cor. 13.

1. Tim. 2. Rom. 3.

Christum igitur, prout Deus est, per caritatem nos induimus, si delectat nos, si gratum nobis sit, quod verus existat Deus omnipotens, omnium creator, Patri per omnia æqualis: quod eadem potentia, gloria, & majestate fruatur, qua & Pater: sitque seipso beatus, bonorum nostrorum non indigens: si nomen ejus ab hominibus universis, multo amplius majori cum veneratione, cultu, & observantia tractari, coli, & haberi cupimus. Quatenus Christus homo est, per caritatem illum induimus, si rectissima corporis nostri dilectione, de hypostatica unione illius cum Verbo gaudemus, si de gloria & nomine omnium maximo, per mortem crucis sibi parato: quod per suum sanguinem, humanum genus a peccatis, & a diabolica servitute redemerit: in fratres adoptione nos elegerit: patri reconciliaverit: principem mundi hujus, antiquum nostræ salutis hostem devicerit, ejecerit, deturbarit, atque de illo triumphum angustissimum deportaverit: quod redemptoris mundi titulum sibi vindicaverit, sui supplicii patibulo orbem subegerit: iter ad cœlum nobis præparaverit: locum beatasque mansiones in regno suo nobis decreverit, statuerit summa cum voluptate, & animi lætitia acceperimus, sibique gratulabimur.

Joan. 12. Idem 4.

Hac caritate Christum, secundum unam aut alteram naturam, nos indutos, argumentis clarissimis ostendimus, si summas ex cordis nostri penetralibus sibi gratias habemus: quod tot tantisque beneficiis, ab æterno, electione & prædestinatione, in tempore, vocatione & justificatione, demumque futura glorificatione dignos nos effecerit, si mandata ejus quæ gravia non sunt, servamus: si diligitis me, inquit ipse, mandata mea servate: si honoris, gloriæ, & laudis ejus studiosi & cupidi sumus, horumque zelatores amamus. Demum, patres, si perjucundum, si gratum nobis sit, quidquid in Christi laudem & gloriam cedit, Christum per dilectionem nos indutos esse manifestum facimus. Quod vero omni acceptione dignum ingens illud redemptionis beneficium nobis præstitum ab hominibus, (maxime qui nomen sibi dederunt) parum amanter & studiose æstimetur, & ipsius ecclesia mater nostra tot perturbationibus tantisque procellis agitetur, quod passim homines, urbes, provinciæ, & regna a Christo deficiant, atque ad hæreticos transeant. Et si quid aliud est, quod in Christi dedecus, divinissimique sanguinis ipsius, atque nominis sanctissimi contumeliam & ignominiam fieri videmus: mente turbata ac tristi ferimus, dolemus, indignamur, detestamur, & execramur. Hoc sancto amore, operit multitudinem peccatorum, hac veste nuptiali, Christique tunica inconsutili, quoniam numquam excidit caritas, decenter obvoluti, similes erimus hominibus expectantibus dominum suum quando revertatur a nuptiis, & cum sapientibus virginibus exibimus obviam sponso & sponsæ, ad agnique nuptias ingrediemur. Ita Christum induti, Christo judici securius astare poterimus.

2. Joan. 5. Idem 24.

1. Petr. 4. 1. Cor. 13. Luc. 12. Matthæi 22. & 25. Apoc. 19.

Ad hoc admonet nos sancta mater ecclesia per apostolum sicut aliquando Rebecca Jacob minorem filium optimo induxit consilio, ut quæ proprio jure paternam hæreditatem, cum minime obtinere posset, pia fraude majorem fratrem simulando ejus nomen & vestes sibi assumens, patrem elusit, primogenitoque fratri benedictionem surripuit.

Genes. 27.

ANNO CHRISTI 1562.

ripuit. Sic, inquam, nobiſcum agit mater eccleſia, dicens; Conſiliis meis acquieſcite filioli: *Induimini dominum Jeſum Chriſtum*, ut ejus gratia & morum imitatione, ſolidaque imagine atque effigie ornati, divino poſſitis apparere conſpectui, & in gratiam primogeniti, & per naturam filii jure adoptionis ac morum ſimilitudinis, felicitatis æternitatem conſequamini. Ita, patres, nobis ipſis conſulemus: ita propriæ ſaluti proſpiciemus, & per fidem, ſpem, & caritatem Chriſtum induti, ſacris ipſius exuviis, pulcherrimiſque notis inſigniti & illuſtrati veluti commilitones imperatorem ſuum, oves paſtorem, ſponſa ſponſum, minores & per adoptionem fratres, per naturam & primogenitum fratrem, jucundis animis, lætaque fronte, & ovantes Chriſtum ad judicium properantem præſtolabimur, non dubii, quin verſa vice, incredibili & ipſe affectus gaudio, nos accepturus ſit, ad dexteram ſuam collocaturus: cum armis ſuis, ſuiſque inſignibus munitos, ſua dilectione ornatos, ſuos amore præditos, nos eſſe conſpexerit: placidiſſimoque vultu, leniſſimis atque amantiſſimis verbis conſolabitur nos, & veluti alter Joſeph nos fratres ſuos, aliquando ſibi infenſos, tunc vero ipſius gratia, Deo patri & ſibi reconciliatos amplexabitur, dicens: *Venite benedicti Patris mei: percipite regnum vobis paratum, ante conſtitutionem mundi*: ſicque per omnia ſimiles ei effecti, ſemper cum domino erimus.

Matth. 25. *1. Theſſ. 4.*

Sed veniam date, obſecro, patres, nec indignemini, vos nedum tanquam Dei electos, Chriſti cohæredes, fratres, verum ſicut domus Dei præpoſitos, eccleſiarum paſtores & magiſtros, orbis doctores, & verbi Dei, Chriſtique myſteriorum fideles diſpenſatores, paucisſimis verbis, maxima cum reverentia, alloqui auſus fuero. Illius enim veſtigia, eum imitemini, cujus locum & auctoritatem geritis, omnia ſuſtineatis propter electos vobis creditos, ut & ipſi ſalutem conſequantur: ut & ipſi veſtra diligentia, veſtro ſtudio Chriſtum induti, extremi judicii terrorem & diſcrimen evadere, Chriſtique regnum promereri valeant. Si qui in Chriſti eccleſia epiſcopi ſunt, qui honore duplici digni exiſtimari velint, gregis ſui ſalutem curent: ut fide integra conſtantique fiducia & ſpe atque caritate non ficta, Chriſtum induant. Præſtabunt autem hoc, ſi in fide catholica per puram, ſanam, ſinceramque doctrinam, fideles, populoſque ſuos erudierint, docuerint, continuerint. Quod ut felicius vobis ſuccederet, patres, pro totius orbis Chriſtiani utilitate, diſponente Deo, conſilio & juſſu Pii IV. pontificis maximi Chriſti vicarii, huc acceſſiſtis, incommoda, quamvis magna, quamvis graviſſima, nihili facientes, ut quid de dogmatum controverſiis credendum eſſet, præſcriberetis, definiretis, ſtatueretis: quod hactenus glorioſe feciſtis, ſperoque in poſterum feliciter, proque ſententia ſucceſſum iri.

Joan. 3. *2. Tim. 2.* *2. Tim. 3.*

Paſtores illi, ut eorum oves Chriſtum induant, operam dabunt: qui ad proprias ſedes reverſi, forma gregis facti, verbo & exemplo, mundi hujus vanitates, & illecebras, faſtum, avaritiam, cupiditatem, malamque concupiſcentiam, devitantes, melioris vitæ ſe ſtudioſos eſſe & amantes, morum honeſtate atque integritate declarabunt, qui præſules vere illi, qui per caritatem populos ſuos, ut Chriſtum induant, perſuadent: qui pia ſollicitudine vigilantique ſtudio arguendo, increpando, obſecrando, eorum ſalutem curabunt: qui Dei gloriam & laudem augere, divinum cultum puriorem ac digniorem reddere, bonos fovere, errantes revocare, hæreticos & improbos coercere, & emendare: pauperes recreare, lapſos erigere, orationibus, vitæ inſtituto atque doctrina ovilis ſui curam gerere, omni eorum conatu ſtuduerint. Antiſtites illi, qui coram Deo & gregibus ſuis tales ſe præſtiterint, pie ſancteque Chriſtum verum Deum, verum hominem, verum bonumque eccleſiæ paſtorem, ſeſe indutos eſſe manifeſtum facient.

2. Tim. 3.

His conſiliis muniti, patres, afflictam & proſtratam tot adverſis Chriſtianam rempublicam reſtituetis, ſecundum priſtinum decorem, venuſtatem, antiquamque pulchritudinem, Chriſti ſponſam renovabitis, inſtaurabitis. His armis inſtructi, hoſtes eccleſiæ proſternetis, fundetis, ad ſanitatem revocabitis: atque de illis trophæum inſigne, religioſumque triumphum vobis ipſis ſtatuetis, deportabitis. Hi præſidiis circumſepti & vallati, Petri naviculam e mediis fluctibus ingruentibuſque procellis, atque manifeſto naufragio (Chriſto ventis imperante) veſtro ſtudio, veſtra diligentia eripietis, liberabitis, atque ad portum incolumem reducetis.

Tandem, patres, reſtitutis, inſtauratis, emendatis, correptis, auctiſque omnibus quæ ad pietatem attinent, cum princeps paſtorum vos judicaturus advenerit, comitantibus gregibus veſtris, præcedenteque vos Pio IV. pontifice maximo Chriſti vicario, una ſimul Chriſtum induti, exultantes, & læti, Chriſto judici occurretis, æternam mercedis coronam atque retributionem accepturi, quod noſtri ſæculi, & ſuperioris ætatis eccleſiæ maculas, & rugas ſuæ beatitudinis ſtudio, ac pietate, veſtris precibus, laboribus, ac ſudoribus abluerit Deus: Poſtremo audituri, ſuſcipite, & levate capita veſtra, quoniam appropinquat redemptio veſtra.

CIII.

ORATIO BARTHOLOMÆI BAPHII Luciniauenſis ordinis ſancti Franciſci, habita in œcumenico concilio Tridentino ad reipublicæ Chriſtianæ patres, ſecunda dominica adventus domini, anno MDLXII.

Super evang. Matthæi xj. Cum audiſſet Joannes in vinculis opera Chriſti.

SI ſacroſancta religio, patres ampliſſimi, Chriſtiani gregis paſtores vigilantiſſimi, & qui adeſtis, viri graviſſimi, divinos duces & auctores, qui ad bene beateque vivendum animos hominum invitarent, & recta ad veritatem perducerent, unquam exoptavit, in his miſeris temporibus, ac perditis moribus quam aviditſime expectat: cum perculſa ac proſtrata omnia jaceant, cum mera omnium divinarum rerum perturbatio ſit, ut ſuæ quemque conditionis maxime pœniteat, nemoque ſit, qui Chriſtiani nominis vicem non doleat.

Quid enim poſt hominum memoriam magis deformatum, inquinatum, conturbatum, quam divinus cultus, quo nihil ſanctius, nihil auguſtius apud omnes gentes eſſe deberet, viſum eſt unquam? Perinde ac mortalium mentes ita anguſtæ, ita humiles, pravæ, oppletæ tenebris ac ſordibus, ita denique vecordes eſſent, ut aut cum ſuſpexerint in cœlum, Deum eſſe non ſenſerint: aut quæ tanta mente,

ANNO CHRISTI 1562.

te, tantoque consilio facta sunt, ut Deus elapsus de cœlo cœtus hominum adierit, versatus in terris, cum hominibus allocutus, pro eorum salute sanguinem profuderit, ea temere, & in casu fuisse existimaverint. Quamobrem in his Christianæ reipublicæ tenebris, cæcisque nubibus, & procellis, in quibus Christi senatus a gubernaculis dejicitur, & fidelis populus e Petri navi exturbatur, & ille deterrimus archipirata cum grege prædonum impurissimo plenissimis velis navigare, & secundissimis ventis cursum tenere videtur, & ad communem ovium Christi perniciem & interitum penitus incumbit, sanctissimi illius Joannis similibus viris, in quibus sit gratia, nobis maxime opus est, ut quemadmodum ille vir discipulos labentes ad Christum servatorem misit, sic hi ad eumdem tandem ad sacram anchoram confugiendos homines incitent, labentes excipiant, corruere non sinant, a desperatione ad spem, ab exitio ad salutem revocent.

Fuit quondam, patres, ita firma Christiana respublica, & valens, ut negligentiam patrum, vel etiam injurias hominum ferre posset, jam non potest. Robur fere nullum est, auctoritas patrum cecidit, consensus ordinum est divulsus, bonorum animus ad nutum pontificis maximi expeditus jam non videtur, miram hominum paucitatem, qui se pro reipublicæ salute opponant, reperietis: hunc tamen statum qui nunc est, qualiscumque est, nulla alia nisi sapientia vestra, & vigilantia, vestrisque consiliis retinere possumus. Nam, ut meliore simus loco, optandum quidem est; deteriore autem statu ut simus, unus est inferior gradus, aut interitus, aut servitutis, quo ne trudamur Deus optimus maximus (quoniam jampridem humana consilia ceciderunt) admonet, sæpiusque admonuit: qui quidem vos salem terræ, & lucernas ardentes, quæ jacentes in tenebris illustrare debent, pont. max. ovium sibi creditarum salutis perstudiosi auctoritate, optimi Ferdinandi imperatoris suasione, Gallorum regis collacrymantis precibus, invictissimi illius catholici regis Philippi hortatu, & bonorum omnium principum consensu: qui, inquam, vos pater patratus senatores & opimates, qui quondam illius regii senatus speciem ac dignitatem repræsentare videmini, in eam mentem impulit, eam mentem vobis injecit, ut in hunc sacrum locum conveniretis, & in vincula quodammodo vos ipsos deviarum ovium salute conjiceretis, ut quemadmodum Joannes discipulis suis prospexit, & eo consilio ad mundi lucem misit, ut illustrarentur, & eum tanquam lucem optimam sequerentur: sic vos, qui clavum tam sancti, tamque augusti imperii, & gubernacula Christianæ familiæ in maximis fluctibus tenetis, homines in profundo demersos & tenebris circumfusos e malis omnibus extraheretis, & in viam salutis deduceretis. Vestrum enim munus est, vestræ sunt partes, laborantem ecclesiam defendere, jacentem quidem protegere, & vulnera illi insita circumspicere & sanare. Vestri consilii est ei in posterum quam longissime providere: idcirco electi estis de mundo, ut fructum afferatis, & fructus vester maneat: & in hac custodia tanquam in specula collocati estis, ut evigiletis & tota mente omnique animi impetu in curam Christiani gregis incumbatis. Hoc præcepit servator noster Petro, cui ter inquit: *Pasce oves meas*, pro quibus mortem oppetere non dubitavit: hoc idem posteris de manu (ut ajunt) in manum tradidit, ad hoc etiam vos evangelicus præco hodie mane exhortatus, Joannem ante oculos proponens, ut in eum tanquam in speculum inspicientes ad

Joan. 22.

vestrum munus pensumque vos ipsos revocetis. Hac quidem de re statui, & ipse omnium minimus quando pauperibus etiam evangelizari datum est, ut sim majoribus meis dicto audiens, in tantis malis, & quasi parietinis Christianæ religionis apud vos verba facere: si quidem vel summi gubernatores in magnis tempestatibus a vectoribus gregariis admoneri solent. Sed utinam aliquid in me ingenii esset, aliqua dicendi exercitatio: quam enim libenter, quam studiose omnes animi mei atque ingenii vires profunderem, non ut vos instituerem patres (neque enim prudentia vestra cujusque præcepta desiderat) nec ut dormientes excitarem, sed potius ut currentes incitarem. Verum, ut potero, quando, ut vellem non licet, & quam brevissime vobiscum agam.

Primo igitur aspectu duo nobis hodie potissimum proponuntur. Alterum est tanto pietatis & fidei studio majores nostros non modo conservandæ, sed etiam propagandæ religionis fuisse elatos, ut nullis tyrannorum minis, nullis supplициis ab instituto dimoveri potuerint? Alterum quidem nihil aliud noctes dieisque egisse, nihil curasse, nisi ut ii, quorum curam gerebant, salvi beatique essent: cujus quidem rei innumera possent exempla adduci: quæ quoniam vos non fugiunt, consulto silentio prætereo: dominus autem sit nobis hoc tempore pro centum millibus, qui simul religionis & veritatis vinculis devinctus, & constrictus tenebatur, & animarum incolumitatis desiderio ardens proximam & compendiariam viam ad salutem suis monstrabat. Id quod, patres optimi, vestri vos officii admonet; nam cum uniuscujusque vestrum sit, quoad ejus fieri potest, Christianæ familiæ navem gubernare, salvamque in portu collocare, prospiciendæ vobis sunt omnino procellæ, impendentibus non cedendum tempestatibus, & cum ejus salus & dignitas agitur, nullum vitæ discrimen vobis pro ea recusandum est, proponendaque sunt vobis alienorum etiam exempla, qui pro republica omnes cruciatus corporis, omnia pericula mortis parvi duxerunt: Nam Codrus in medios se immisit hostes famulari veste, ne posset agnosci, si esset ornatu regio, quod erat oraculum datum, si rex interfectus esset, victrices Athenas fore. Lacedæmonius Leonidas, Thebanus Epaminondas, vigent, quod pro suis mortem adire non dubitarunt. Huc spectat M. Bruti & Caii Cassii constantia, Fabritii continentia, Curii paupertas, Camilli celeritas, huc ingens ille virtutum comitatus, quarum aliæ in aliis fuerunt, quibus parta & aucta sunt imperia. Quod si ejusmodi viri hæc omnia adierunt, ut fragilia atque caduca corona donarentur, quid vobis agendum, quot pericula, si sit opus, adeunda, quot incommoda sustinenda, ut stabili ac firma corona donemini & solidam veramque gloriam adipiscamini? quam quidem majores vestri consecuti sunt, numquam non beati sempiterno ævo fruuntur: propterea quod parentem ecclesiam suis laboribus, periculis, ærumnis, peregrinationibus, sanguine denique ipso ex parva magnam fecerunt, & vita integerrima, sanctissimisque moribus in optimum statum deduxerunt.

Hæc, patres, considerate cum vestris animis, & ne a majorum disciplina, ne ab illa perenni, contestataque virtute degenereris, sed pro officii vestri ratione huic sanctæ religioni consulatis, & oves, quas vestræ fidei potestatique Deus immortalis commisit & credidit, tueamini, & quam beatissimas reddatis: duo vobis potissimum in

medium

ANNO CHRISTI 1562.

medium etiam afferenda, scientia sacrarum literarum & optima vivendi ratio. Quotus enim quisque est, qui possit Christi gregem pascere, nisi doctrina & sapientia polleat? Ecquis unquam rectam viam quæ ad Christum ducat docere poterit, si is eam ignorabit, & quæ ineunda sit ratio, in dubio erit? Quibusnam armis quis gregem defendet, & injurias adversariorum propulsabit, nisi gladium, quod est verbum Dei, assumpserit? Nonne si ea quæ ad salutem ovium pertinent ad mercenarium deferentur, vel mercenarius in multis connivebit, vel aliquando fugiet? Nonne lupus ille rapax, cum oves destitutas primum senserit, repente tanquam serpens e latibulis, oculis eminentibus, inflato collo, tumidis cervicibus in eas impetum atque impressionem faciet? Quapropter merito ille princeps ingenii & doctrinæ Plato, tum denique beatas respublicas putavit; si aut docti & sapientes homines eas regere cœpisset: aut qui regerent, omne suum studium in doctrina & sapientia collocassent. Hæc Joannes & si non humanitus, divinitus tamen ornatus discipulos erudivit, & ad Christum adduxit, ut a doctore omnium maximo instituerentur: hanc profecto in quovis pastore inesse oportet, ut salutarem cibum ovibus præbere queat, neve vates ille divinus Isaias in eum vaticinatus sit: Ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam.

At non solum divinarum literarum scientia moderanda Christiana civitas est, hominesque ad Christum deducendi, sed optima vivendi ratione, qua maxime omnium floruit Joannes, qua etiam quivis pastor vigere plurimum debet: quanta enim vitæ innocentia, quanta integritate, quanta in rebus omnibus temperantia esse debent pastores? Cum enim proxime ad Deum accedant, & ejus munia in terris sustineant, an pudor, an religio in iis requirenda est? quos provinciæ ac populi in fidem & clientelam illis traditi, quos exteræ gentes, quos denique Christiana respublica iis castiores, moderatiores, sanctiores, non modo videre debet, sed sperando quidem aut optando cogitare? Nam cum eorum sint partes alios in vitiis reprehendere, iis se maxime abstinere debent: furem aliquem, aut rapacem accusant, vitanda illis semper erit omnis avaritiæ suspicio: maleficum quempiam adducunt, aut crudelem: cavendum erit semper, ne qua in re asperiores aut inhumaniores fuisse videantur, corruptorem, adulterum, providendum diligenter, ne quod in vita vestigium libidinis appareat: omnia postremo quæ in altero vindicaverint, sibi ipsis fugienda sunt. Etenim non modo accusator, sed ne objurgator ferendus est is, qui quod in altero vitium reprehendit, in eo ipso deprehenditur. Accedit etiam quod cum pastorum malos mores videant inferiores, aggrediantur & ipsi ad deterrima quæque facinora facienda. Nam quod exemplo fit, id etiam quodammodo impune fieri arbitrantur; & aliquid atque adeo multa addunt, & afferunt de suo.

Eluceat igitur quasi lumen aliquod sanctitas, integritas, & religio pastorum, ut ab iis alii sibi vivendi exemplum sumant. Animadvertenda enim sunt, quæ sunt apud Platonem scripta, quales in republica principes essent, tales reliquos solere esse cives. Quid autem, patres, reperiri tam eximium, aut tam expetendum potest, quam istas virtutes, doctrinam, religionem, integritatem, moderationem animi non latere in tenebris, neque esse abditas, sed in luce Europæ, in oculis Christianæ reipublicæ atque in auribus omnium gentium ac nationum esse positas? has autem consequi sit magnum & difficile ceteris, vobis facillimum revera esse debet, quorum nostra talis est, ut etiam sine doctrina videatur religiosa, integra, & moderata esse potuisse: ea autem adhibita doctrina est, quæ vel vitiosissimam naturam excolere potest. Date igitur operam, ut his duobus potissimum, scientia scilicet, & vitæ probitate in commune consulatis, & vulneribus sanctæ matris ecclesiæ medeamini. Quid enim potest vobis ex omnibus rebus humanis præclarius, aut præstantius esse, quam de ea bene mereri? Quid est, quod majori fructui gloriæque esse possit, quam omne vestrum consilium & studium ad commune commodum, utilitatem ac dignitatem sic referre, ut maximo præsidio vos fuisse, & nunc sentiant homines, & in posterum memoria teneant? Mementote quamobrem ad congressum & colloquium hoc veneritis: quid vobis agendum, si relictis rebus omnibus, non vos, vel æstus, vel vis hyemis, non nives, non longitudo itineris, non asperitas viarum, non morbus interdum ingravescens retardavit: An non ut prospiciatis vestris fratribus, vestris sororibus, vestris filiis, miseræ ac perditæ Christi familiæ? an non dies noctesque de ejus salute cogitetis? Quid enim non debetis Christo, ut pro ejus sponsa non sit vobis insudandum? An ingrati estis!

Quo circa, patres consilio quantum potestis, labore plus pene quam potestis, excubate, vigilate pro ecclesia Dei. Etenim, quis est tam durus, ac ferreus, & inhumanus, quem non commoveant, & in fletum maximum adducant, quem ad ejus auxilium accedendum non inflamment tam gravia, & fere insanabilia vulnera illi inflicta? infinitaque mala, quæ ad hanc diem latius opinione disseminata sunt? quæ utinam non serpant, manentque multo in dies latius, & ita corroborentur, ut nobis diffidendum sit. Videtis enim lugere omnes bonos; mœrere omnes ordines, squalere urbes, afflictari provincias, totam Christianam rempublicam confectam senio esse: cum locus intra oceanum jam nullius sit, neque tam longinquus, neque tam reconditus, quo non morbus profanarum hæresum pervaserit, non nefanda hæc pestis attigerit. Mitto Græciam, quæ olim fuit ornata sanctissimis ac religiosissimis viris, veluti syderibus cœlum; nunc autem, heu nos infelices! nobis tacentibus, atque adeo prope tradentibus immanissimæ gentes oppressam detinent. Christianorumque reliquiæ a sancta matre ecclesia sejunctæ atque alienatæ esse videntur. Mitto Germaniam, cujus imperatores pro Christiana religione omnia pericula adibant, nunc autem prostrata ac diruta ante oculos jacet. Mitto Britanniam, quæ sanctis viris semper floruit, cujus reges ecclesiæ amantissimi esse videbantur, nunc quam ab eadem aversa sit, exploratum omnibus est. Mitto multas alias regiones satis superque deploratas.

Sed quid dicam de nobili illa Gallia? Quæ præsidium & dulce decus ecclesiæ Romanæ semper extitit? in cujus quidem amore atque pietate pontifices maximi conquiescebant, nunc vero (o funestum atque acerbum casum) quam misere de gradu dejecta est? hujus a commemoratione animus luctu & doloris magnitudine refugit, hujus calamitas lapides mehercule lamentari cogeret. Quomodo enim facta es meretrix

civitas

ANNO CHRISTI 1562.

civitas fidelis Sion? Quis nam ad hanc inſaniam te adegit? Quis nam de mente deturbavit? ut neſcias, vel cui eredas, vel quod credas, perinde ac non latiſſime pateret veritas, & hæc non eſſet vera religio, quæ tot divinis ſapientiſſimorum patrum oraculis longe ante denunciata, ab ipſo æternitatis perauguſto fonte ad omnes defluxit, tum coram in terris a Chriſto rege noſtro inſtituta, tot candidatorum martyrum & innocentium ſanguine, & divinis rerum mirifice geſtarum ſignis editis coaluit, ut nulla antiquior, nulla ſanctior a quoquam excogitari poſſit. Verumtamen quaſi non eſſet altiſſimis defixa radicibus, ut inanis & futilis deſpicitur, & pro nihilo putatur. Nobis tamen ſummam ſpem, tam nobilis, tamque præſtantis regionis recuperandæ & ſanctæ religionis defendendæ affert illius Chriſtianiſſimi regis animus optimus, vires & copiæ & multarum Galliæ urbium ſincera & incorrupta religio, ſpemque noſtram mirum in modum auxit veſter jucundiſſimus ac lætiſſimus adventus, integerrimi, ac religioſiſſimi eccleſiæ paſtores, quo quidem adventu, quot, quantaque gaudia mentes pii populi occuparunt? Quam vera lætitia cuncti ordines ſunt elati? Quanta voluptate Chriſtiana religio geſtit? Sol medius fidius ipſe clarius lucere, ac muta tellus tam læto adventu ridere videtur, atque ubique omnia, quæ in his malis mœrent & ſqualent, quodammodo nitere, & nova quadam inauditaque voluptate exultare incipiunt.

Quamobrem, patres, quamquam hortatore non egetis, ipſi enim veſtra ſponte exarſiſtis ad patriæ veſtræ ſanandæ, & in priſtinam dignitatem vindicandæ cupiditatem: tamen eo majore ſtudio ſalutem patriæ veſtræ quærite, quo majora vobis a Deo optimo maximo propoſita ſunt præmia, quo lætiores beatiſſimæ majorum veſtrorum animæ erunt: quæ cum hoc tempore non jucundiſſimum de ſuis poſteris nuncium accipiant, quonam pacto affectas eſſe exiſtimandum eſt? cumque intelligant patriam illam, quam, vel vitæ ſanctitate, vel ſanguine ipſo decorarunt nunc varie affectam ac diſtractam, de ſanitate deturbatam, a ſancta matre eccleſia averſam, in eamque dementiam incidiſſe, ut aſſidue clamet: *Tu es, qui veniſti, an alium expectamus*? quomodo non miſerentur? Quomodo, ſi fieri poteſt, non patriam lugent! Quoniam igitur tanta eſt colluvies, tanta everſio Chriſtianæ religionis, tot opiniones ex ipſo Acheronte excitatæ, opem ac ſalutem patriæ veſtræ afferatis, & afflictos illos homines bene de religione ſentientes, aliqua conſolatione permulceatis, qui totos dies mediis fluctibus jactantur, qui aſſidue vident ſacerdotes ſpoliari ac virgis cædi, virgines ſacras violari, in paſtores eccleſiæ maledicta conjici, divum ſacra diſſipari, eorum ſimulacra fœde inflammari, ſacroſanctum euchariſtiæ ſacramentum contemni, divæ virginis cultum interdicere, ac omnium reginam in mortalium & noſtratium mulierum ordinem cogere: proh æternum dedecus! o tempora calamitoſa! o mores nefarios! o domus antiqua! heu, quam diſpari dominaris domino! Profecto niſi tu, ſalvator noſter, reliquiſſes nobis hos patres columen familiæ tuæ, in quos nulla poteſt cadere dubitatio (corda enim eorum in manu tua ſunt) de nobis ſane actum eſſet. Hi enim huc venerunt, non alicujus hæſitationis gratia, vel veritatis inquirendæ aut inveſtigandæ, quæ contra hominum ingenia, calliditatem, ſolertiam facile ſe per ſe ipſam defendit, quæque jam latiſſime patet: ſed Joannis inſtar, qui diſcipulos tantum, ut edocerentur ad Chriſtum miſit, ut eam ipſam veritatem iis apud quos in occulto latet planam perſpicuamque faciant, ut qui in maximas ſalebras inciderunt pedem referant, iiſque, qui in profundum ſe abjecerunt, dexteram porrigant, & hanc rempublicam fractam, magis debilitatam, ad aliquam ſpem priſtinæ dignitatis erigant, ut aliquando recreata caput extollat.

ANNO CHRISTI 1562.

Quod cum ita ſit, patres optimi, omnia vera ſtudia, omnem operam in Dei honore, fratrum ac filiorum ſalute figatis, & locetis, ſtatuatiſque in eo vos non officii ſolum fructum, ſed etiam pietatis laudem debere quærere. Quod ſi non poteſtis tantum veſtris ingeniis dare, ut tot res, tantas, tam varias, tam repentinas in hac turbulentiſſima tempeſtate deſpiciatis veſtra ſponte, divinus ille Spiritus, qui a patre filioque ducit originem, animos veſtros conſervandi gregis cupiditate incendet, vos a ceteris omnibus cogitationibus ad unam ſalutem reipublicæ conferet, & in tantis tenebris erroris & inſcientiæ mentibus veſtris clariſſimum lumen præferet. Vos autem quantum conniti animis poteſtis, quantum labore & vigilantia contendere, nihil prætermittatis, quod ad communem ſalutem pertinere arbitramini. Hac enim ſpe & fiducia tota in vos ſe convertit Chriſtiana familia, vos ſacerdotes, vos mares, vos fœminas intuentur, in vos bonorum regum ac principum, quibus nihil eſt longius, quam ut religionis res in optimum ſtatum deducantur, oculi ſunt conjecti: per vos qui in cæcitate mentis verſantur, quique divina ſunt luce privati, ſe colluſtratum iri ſperant; per vos ſurdi auditum recuperaturos ſe eſſe, claudi vero ſuis partibus rectos fore confidunt: per vos lepra inquinatos varias doctrinas profitentes erroris omni ſorde abſtergi deſiderant: per vos denique, patres, exanimati ad vitam revocari ſperant.

Hæc autem ſalutaria remedia non niſi a vobis adhiberi poſſunt. Etenim ſemper Chriſtianæ reipublicæ vulnera a ſacro concilio & ampliſſimorum patrum confeſſu obligata ſunt & ſanata. Nam cum olim ſerpens illa, quæ in Alexandria deliteſcebat, emerſiſſet, & venenatis dentibus ſe in eccleſiam conjeciſſet, nonne in concilio Nicæno compreſſa eſt atque illiſa? Symbolumque apoſtolicum defenſum, idemque etiam in concilio Epheſino, Conſtantinopolitano, Chalcedonenſi: divinarum vero ac ſacrarum literarum ubinam niſi in concilio Laodiceno & Carthaginenſi habitus eſt delectus? Nonne hæretici convicti ſunt, hæreſeſque damnatæ apud Antiochiam, apud Lateranum, apud Viennam, apud Conſtantiam habito? Mores autem tum ſacerdotum, tum principum ac populorum, quonam in loco emendati ſunt niſi in conciliis Gregorii VII. Alexandri III. Urbani V. ubinam animi nationum diſtracti in concordiam felicius ſunt redacti quam in concilio Lateranenſi & Florentino? Turca vero procella, ac tempeſtas rerum noſtrarum, quando unquam vim, virtutemque Chriſtianorum adeo ſenſit, atque in Lateranenſi concilio? ubi trecenta hominum millia ad recuperandam Jeroſolymam arma ceperunt. Sed ſchiſmata, alienationes, disjunctioneſque, quibus maxime violatur, & demergitur religio, quando unquam facilius, quam in concilio ſedantur? Quod quidem majorum exempla Symachi,

ANNO CHRISTI 1562.

chi, Benedicti, Gregorii indicant. Quid? nonne improborum omnium conventicula, cœtusque, & colloquia rescinduntur sacris ac legitimis conciliis? ut latrocinium Ephesinum secundum, Ariminense, Pisanum, Mediolanense. Quid? nonne principes, qui ecclesiæ manus afferre conati sunt cui se submittere debebant, sacris conciliis regno atque imperio sunt spoliati, & igni illis interdictum? ut Ladislao, Leoni III. Henrico III. Federico secundo, Constantino sexto?

O magna vis virtusque conciliorum, quam quidem si diligenter attendetis, patres, ad labores impigri, ad pericula fortes, ad usum ac disciplinam periti, ad consilia prudentes eritis. Splendor enim vester facit, divinus honor compellit, ut nihil contaminati, nihil perditi, nihil flagitiosi in religione esse sinatis, ne qua scintilla teterrimi morbi relinquatur, quo quidem videtis hoc tempore universam Christi familiam afflictam, infirmam, enervatam, ut Spiritu, ut ita dicam, vivat, re quidem infra omnes mortuos amandata esse videatur. Eheu quam diversa imperii vestri ratio, quam dissimilis reipublicæ imago, sine vultu, sine colore, sine voce, & brevi (quod Deus omne avertat) occasuræ, ac prorsus interituræ quam simillima: quod ne eveniat, imprimis vos fulgentissima Christiani senatus lumina, adeste, ferte opem, eripite, adhortamini crebris literis, nunciis, precibus reges ac principes & respublicas Christianas, ut ad sarciendam ac instaurandam Christi familiam omni studio ac labore se conferant, muniant ocyus communem arcem religionis, restituant pristinum mortalibus animorum statum ictum, & undequaque convulsum, revellant ex præcordiis indulgentissimæ matris sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ iniqua sceleratorum jacula, servate denique universi unam, in qua multi servantur, instaurate confractas divinarum rerum tabulas, pandite, recludite, atque lustrate, ut quondam Ezechias, pollutum Dei rursus templum, estote vos omnes vobis ipsis vicissim præsidio. Vobis enim vestrisque posteris oppugnatur religio, vobis uruntur diviorum simulacra, vobis uruntur legum monumenta, vobis vastatur Gallia, vobis tot provinciæ hæresibus premuntur.

Audite undique mœstissimas Christianarum ovium voces & gemitus. Aspicite rempublicam denique ipsam jam ægre in religionis suæ procreatricis complexu hærentem, vestraque ad genua tendentem supplices manus, orantem ne se, ne liberos, libertatemque vestram jam in mediis faucibus tam funesti fati collabentem deserere velitis, sed sartam tectamque conservetis.

Te vero humani generis conditor, te princeps ac servator publico omnium bonorum nomine supplex obtestor, qui, ut ob communem salutem ultro & volens in terras delapsus pro ecclesia tua sanguinem pretiosum profudisti, & cæcis visum, surdis auditum, claudis ambulandi facultatem, lepra inquinatis munditiam, ac mortuis denique vitam restituisti, sic velis turbulentissimo hoc tempore, illa eadem populo tuo erranti præstare, in viamque salutis revocare. Fatemur quidem omnes nos turpiter lapsos, sed ne velis, paucorum scelus ecclesiæ tuæ exitio esse: meremur id quidem, & agnoscimus omnia nobis abunde malæ mentis conscii: at deliquere, & patres nostri, atque ignovisti, rursus se se colligentibus ostendens incredibilem misericordiam tuam, quam eamdem, & nos imploramus, ut ignoscas perditis filiis tuis, ut lapsos erigas, depravatos emendes, ac omnes testamenti tui sincera & consentienti agnitione erudias, qua quidem deinceps, multo constantiores adversus impiæ disciplinæ illecebras simus futuri. Illustra tui luminis splendore hos patres tuo nomine congregatos, ut omni caligine propriarum utilitatum pulsa, dissensionumque tenebris dissipatis, atroci morbo, te adjuvante atque approbante medeantur, remediaque huic pesti adhibeant. Illustra principes Christianos, reges, respublicas, duces, tetrarchas, ut opem, ac salutem ecclesiæ tuæ ferant. Effunde denique lumen in affectos, & caligantes mortalium animos, ut tuum numen suspiremus, te unum semper pura, integra, incorrupta, & mente & voce venerentur, quo tandem in complexu tuo extremum vitæ spiritum reddamus, & in beatarum ovium gregem cœtumque recipiamur. Dixi.

ANNO CHRISTI 1562.

CIII.

CONCIO EVANGELICA JOANNIS Baptistæ Burgos, Augustiniani, Valentini, sacræ theologiæ & juris canonici doctoris ad patres concilii Tridentini habita dominica tertia adventus domini MDLXII.

De quatuor extirpandarum hæresum præcipuis remediis.

Conscius ipse mihi imbecillitatis meæ, illustrissimi atque amplissimi apostolicæ sedis legati atque cardinales, oratores clarissimi, & vos patres dominici gregis pastores ornatissimi: veritus etiam loci hujus præstantiam & sanctitatem, facile animum despondissem, nisi me vox illa Pauli, quam, & meis hodie, & omnium auribus inculcat ecclesia sacrosancta, magnopere recrearet. *Gaudete*, ait apostolus, *in domino semper, iterum dico gaudete, dominus enim prope est*. Quid enim obsecro gratius? quid jucundius? quodque mihi plus animorum & virium suppeditaret, audire possem, quam, dominus prope est? hanc vocem (ut verum fatear) quamprimum audio, videor mihi mox respirare, & conceptum de vestro conspectu, summaque doctrina, tantoque de me apud vos judicio metum sensim excutio. Sed quid ego hodie timeam? dominus prope est, cujus ope, quam mihi affuturam confido: vestraque fretus humanitate, quam esse eximiam satis scio, conabor honorificam illam ad Joannem Baptistam missam legationem, (cujus hodiernum alterius Joannis evangelium meminit) explicare: modo primum ab ejusdem Baptistæ prædicatione, quæ huic legationi occasionem præbuit, initium sumpsero. In his itaque explicandis dum totus versor, de quatuor etiam extirpandarum omnium hæresum præcipuis remediis (quod proprium erit nostræ hujus orationis argumentum) theologus potius, quam orator sum verba facturus. Spero autem vos pro summa vestra benignitate affuturos mihi animis, sicut adestis corporibus, & quam alias mihi sæpe apud vos de dogmatibus, articulisque propositis disputanti, præbuistis attentionem, eamdem hodie rem, non minus gravem tractanti, esse cumulatius præstaturos.

ANNO CHRISTI 1562.

Quæ de Joannis Baptistæ prædicatione Joannes ille evangelista compendio scripsit, hæc ipsa Matthæus eodem illo, quo & Joannes aflatus spiritu, protulit explicatius. *In diebus illis venit Joannes Baptista prædicans in deserto Judææ, & dicens. Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum*. Quo quidem in loco Matthæi, dignum plane id fuerit, quod examinemus de quibusnam diebus, quæ de Joannis adventu Matthæus profert, sint intelligenda. Namque cum expressisset prius Matthæus tempus, quo puer Jesus Ægypto rediens, habitavit Nazareth; mox quasi repente Joannis memor; adjunxit. *In diebus illis, &c.* Non est ergo cur ad præteritam narrationem quæ de Joanne dicuntur, qui post annos plusquam viginti visus est mundo, possint referri. At præterquam quod eum esse scripturarum morem, etiam Chrysostomo teste, satis sciam, ut loquantur sæpe, veluti continuato narrationis ductu, non solum cum ad præteritam narrationem aliud continuo tempus adjungitur, verum cum ea narrant, quæ post multorum annorum spatia, contigerint: aliud tamen quidpiam, quod ad Joannis etiam dignitatem maxime pertinet, ex verbis illis colligendum existimo. Cum enim ita nude, atque jejune Joannis negotium Matthæus aggreditur, dicens: In diebus illis, perinde est, mea quidem sententia, ac si diceret: Appetente jam tempore, quod æterni patris summa benignitas, agnoscendæ filii sui potentiæ, divulgandis miraculis, cogendis discipulis, publicandæ doctrinæ, ac demum, ut uno verbo dicam, nostræ salutis, absolvendis negotiis, jam ante præfixerat. Ecce jam mundo, ecce in diebus illis apparet Joannes. Cœpit ejus adventu cœlum albescere, veniente Sole justitiæ, venit præco ante judicem, dux ante regem; *venit Joannes*, Joannes, inquam, clarissimis ortus natalibus, qui nondum editus in lucem, quin potius adhuc intra materni uteri angustias delitescens, divinis illis muneribus, ac sacramentis fuerat institutus, & auctoratus: qui vitam agens plusquam humanam epulis, atque adeo ipso victu neglecto, vel ab ineunte quidem ætate hominum consortia fugiens, eremum incoluit, qui nova illa ex camelorum pilis contexta veste induebatur, qui demum zona illa cingebatur pellicea: Ille, inquam, tantus, magna cum omnium admiratione prodit in publicum. *Venit*, inquit, *Joannes prædicans in deserto Judææ*. O miram Dei sapientiam, ac majestatem. Non quærit statim initio Deus suo prophetæ frequentem ullam discipulorum scholam, non magnum admodum populorum concursum: *Prædicat in deserto*, ubi non multo ante qui reperiebantur, dabant seditionis pœnas ac trucidabantur, tanquam essent adhuc factionis & seditionis Theudæ illius, Judæque Galilæi participes, atque superstites. *Prædicat*, inquam, *in deserto*, non quidem vulgare aliquid & usitatum: non prælia, non victorias, non urbis excidium, aut id genus alia, quæ soliti erant Judæi audire, sed pœnitentiam, regnum cœlorum, peccatorumque confessionem, res certe mundo tunc recens auditas, ac plane novas. O mirum negotium, in tuam, o Deus, referenda sunt omnia, sapientiam ac providentiam. Brevi admodum fit, ut exiret ad Joannem omnis Judæa & Jerosolyma, omnisque regio circa Jordanem.

Perferuntur Hierosolymam tot rerum omnium novitates, & in eo tempore perferuntur, quo de messiæ adventu frequens admodum apud Judæorum peritos habebatur mentio, assiduaque disputatio. Atque adeo increbuerat fama, ut eum, aut jam omnino venisse, aut venturum quidem proxime, uno omnes ore confiterentur. Quid tum? Erat Hierosolyma civitas, ut alias ejus laudes omittam, scientiarum gloria celeberrima, ubi gymnasium publicum, ad quod tanquam ad mercatum scientiæ, legis, & propheiarum cupidi undique confluebant. Erant, & ibi professores insignes, discipuli provecti, eruditissimorum virorum exercitatio frequens, multitudoque copiosa. Qui quidem audita fama Joannis, rebusque ab eo gestis, *miserunt*, inquit evangelista, *Judæi ab Hierosolymis*, inclyta quidem civitate, non fæcem plebis, non homines infimæ sortis, sed omnium maximos, & præstantissimos, nimirum sacerdotes & levitas, nec ex quavis quidem illos secta delectos, sed ex ea, in qua Paulus gratulatur sibi vixisse, *Nam qui missi fuerant*, ait evangelista, *erant ex Pharisæis*. Sed, quid obsecro, erat illis negotii cum Joanne? *ut interrogarent*, inquit, *eum, tu quis es?* Multa quidem, ad investigandam Pharisæorum mentem hoc loco excogitari a doctoribus solent, ego autem, patres, in explorandis eorum animis, non morabor: neque enim sum cordium inspector, ac scrutator. Scio non desunt gravissimi quidem, & magni nominis viri, qui hanc partem, qui illam, Judæorum animos referant. Ego tamen, illa omissa investigatione, eorum factum considerans, tantum abest, ut improbem, ut etiam ejus esse rationis existimem, a quo ecclesia universa non aspernandam doctrinam, primumque extirpandarum omnium hæresum remedium petere possit.

Est autem illud, ut in explorandis & inquirendis initiis novitatum, quamprimum insurgunt, summa & prompta diligentia adhibeatur. Non est, patres, non est pastoribus ecclesiæ, non regibus, non magistratibus, non principibus segniter dormiendum: aliis enim cura, aliis vero protectio, & conservatio ecclesiæ sacrosanctæ committitur. Sed simul atque oriri vident dissidentium opinionum sectas, quæ tanquam procellæ horribiles, Petri naviculam, quæ non dabit unquam latus, aut submergetur, invadunt, tanquam gubernatores periti, ac vigiles explorare debent & inquirere, vocatis etiam ad eam rem, qui opem ferant, omni cura ac diligentia interrogare, quid hoc est rei? tu quis es? & qua fieri poterit celeritate, malorum initiis obviam ire. Notis illud divi Hieronymi, *Arius scintilla fuit*, &c. Scitis illud Pauli, de subintroductis falsis fratribus: *Quibus*, inquit, *nec ad horam cessimus subjectioni*, ut veritas evangelii permaneat apud vos. Clamat sponsa, clamat ecclesia: *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas*: parvulas, inquit, ne si succreverint, alligatis caudis, hoc est, viribus auctis, adultas segetes, id est, vel viros quidem, etiam magni nominis, & insignes perdant. Non est quod hoc loco, ubi compendio dicere cogor, veteres historias nimia prolixitate commemorem.

Etenim si a Lutheri pestilentissimis illis initiis ad nostra usque mœstissima & infelicissima tempora, omnium calamitatum, infortuniorum, injuriarum ac vulnerum, quæ afflictæ ecclesiæ contigerunt, ratio habeatur, inveniemus profecto tot, tantorumque malorum præcipuam causam fuisse, quod non fuerint, qui possent, cum id vehementer optarent, aut neglexerint quidem,

qui-

ANNO CHRISTI 1562.

Matth. 3. *Joan. 1.* *Act. 26. Joan 1.* *Galat. 2.* *Cant. 2. Judic. 21.*

ANNO CHRISTI 1562.

quibus erat auctoritas atque facultas, malorum initiis obviare: fuisset quidem Gallia felicissima, quam modo tot calamitatibus affectam non sine lacrymis audivimus, nisi mors præceps Henricum illum Christianissimum regem, & proprio regno, & ecclesiæ universæ commodis tam subdito rapuisset. Fuisset etiam non minus felix, si vel Franciscum quidem Henrici filium, religione & pietate patris hæredem, saltem usque ad maturam ætatem Caroli fratris, cui precamur omnia prospera, superstitem reliquisset. Fuisset, non dubitamus, tantorum virorum industria & diligentia a summis illis malis, quæ modo patitur, præservata.

Hoc uno remedio, nimirum diligentia, sedati sunt (Christo gratia) apud Hispaniam nostram de religione concitati tumultus, quod factiosi quidam hominum seductores apud Vallem Oleti, & Hispalim excitarant. Siquidem rex noster Philippus, Caroli illius imperatoris, invictissimi, Christianissimi, ac vere catholici filius, paternæque pietatis, & virtutum imitator, & hæres, post suum e Flandria in Hispaniam reditum, adversus grassantem jam illam hæresum pestem, tantum celeritatis & diligentiæ, quantum vel dici quidem potest, studuit adhiberi. Et ita factum est, ut brevi, qui apud inquisitionis tribunal rectissimum, admissæ ullius hæresis facti sunt rei, ii quidem, aut morte damnati, ignique traditi, aut publicatis eorum bonis, & aliis etiam pœnis affecti, propriæ darent improbitatis & impietatis meritas pœnas. Nec conquievit quidem tanti regis pietas, atque religio, quin potius regia auctoritate dignum putavit, quo primum die adversus Vallis Oleti hæreticos ferebatur sententia, gravissimum illud de religione judicium præsentia sua ornare, & illustrare. Atque adeo in conspectu omnium fere principum Hispanorum, totiusque regni, sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ perpetuum obsequium atque auxilium, etiam cum vitæ & rerum discrimine jurejurando promisit. Quod quidem vere regium, & Christianissimum factum ceteri principes, & regni magnates sunt & admirati & imitati. Jam vero ad Judæorum factum redeuntes, satis videtis, patres, non esse, cur ipsum omnino improbemus ac respuamus, sed dignum potius esse existimemus, quod ecclesiæ nostræ proceres imitentur. Quid autem Judæorum legatis esset mandatum, evangelista prænunciat: *Ut interrogarent eum, tu quis es?*

Utinam, patres amplissimi, hanc ipsam legationem, eorum quisque qui ad clavum & gubernacula ecclesiæ sedet, ad semetipsum subinde mitteret, ac interrogaret frequenter: *tu quis es?* non dubito, quin hac ratione præclare satis ecclesiæ commodis atque saluti consuleretur. Nosti scio, o pastor ecclesiæ (vestrum cuivis loquor, patres, non aliis) *tu quis es?* Responde, tu ipse, rogo, ut, ex proprio tuo ore discamus, quis sis. Is sum certe, dices, cui, & mei ipsius, & omnium ovium quas mihi Christus servandas commisit, & quas idem proprio sanguine comparavit, reddenda est ratio exactissima. O præclara confessio. Quid tum? Is sum, itidem dices, qui quanto in loco superiori sum constitutus, tanto in periculo versor majori, recte, sed perge, *quis es?* Is sum præterea adjungens, ad quem afflicta ecclesia, nisi ejus protectionem & causam suscepero, perpetuo clamat: *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique: tu vero homo unanimis, dux meus, & notus meus.* Nostis reliqua, siniamus tandem, obsecro: *tu quis es?* Is sum demum, inquiens, qui mihi videor audire summi Dei, qui me ad tantum dignitatis gradum evexit, horrendam commi-

Psal. 54.

nationem: *Væ tibi Corrozaim, & væ tibi Bethsaida.* Satis. Cura ergo, quisquis es, qui te intus, & in cute nosti, imo vero curate omnes, quotquot estis, ut ecclesiasticæ disciplinæ aliquot jam sæculis lapsæ restitutio, depravatorumque morum emendatio, quam reformationem dicimus, quamque diu satis in ore tantum versamus, prodeat tandem, atque in omnibus reipsa appareat.

ANNO CHRISTI 1562.

Matth. 22.

Hoc est enim eradicandarum hæresum, quibus ecclesia magnopere molestatur, remedium secundum, nec quidem vulgare, ex eadem interrogatione, deductum. Hanc petit, optat, atque expectat ecclesia universa: hanc ipsam vel hostes ecclesiæ instanter efflagitant. Neque enim vobis erit difficile admodum hac in re omnibus satisfacere, si hanc nostram ecclesiam sponsam, filiamque vestram ad veterum canonum normam effingere contenderitis. Non est necesse nova reformationis edere instituta, vetera restituite, quorum robur, vis, & observatio, quantum pedetentim languescere cœperit, & nos videmus, & vos probe nostis. Jam nunc, quid Joannes respondeat, audiamus: *Confessus est*, inquit, *& non negavit. Confessus est, quia non sum ego Christus: Es ne Elias? non sum Elias. Es ne propheta? non sum propheta:* Quorsum obsecro, negatio ista toties repetita? Considerate, precor, patres, atque hoc ex loco, deprehendite, quanto intervallo improbi a probis, & animales (ut Paulus ait) homines a spiritualibus distent. Siquidem illi cum de dignitate & gloria agitur, sibi plurimum arrogantes, pleni perpetuo sunt affirmationibus. At contra isti, minimum sibi numquam non tribuentes, negationibus. Observate, obsecro, quid primus ille superbiens angelus, affirmando cogitat. *In cælum conscendam, sedebo in lateribus Aquilonis, similis ero altissimo.* Quid item primis parentibus, affirmando persuaserit: *Eritis sicut dii, scientes bonum & malum. Aperientur oculi vestri.* Videte tandem quid elatus ille Pharisæus audeat affirmare: *Jejuno bis in sabbato, decimas do omnium quæ possideo*, omnibus antecello, quippe qui *non sum sicut ceteri homines, ac velut etiam hic publicanus.* At contra publicanus, jam quidem coram domino justus, stans a longe, percutiebat pectus, ac si diceret, non sum dignus, qui audeam vel oculos quidem ad cœlum levare. Quid Paulus, vas electionis? *Minimus sum apostolorum, qui non sum dignus vocari apostolus.* Quid ille centurio a Christo laudatus? *Non sum dignus, ut intres sub tectum meum.* O magnum Baptistam. *Non sum ego Christus*, magnam plane in re omnium præstantissima, confessionem. *Non sum Elias.* Cum jam ut angelus prædixerat, præiret Christum *in spiritu & virtute Eliæ.* Non sum propheta, cum esset Christi voce denunciatus *plusquam propheta.* In summa, tam sum apud me vilis, & parvi momenti, ut dignus non sim, qui ejus, qui medius vestrum stetit, & quem vos nescitis, solvam corrigiam calceamenti.

1. Cor. 2.

Psalm. 54.

Genes. 3.

Luc. 18.

2. Cor. 5.

Matth. 8.

Luc. 2.

Quis ergo es, o Joannes? *Ego vox clamantis in deserto, dirigite viam domini.* Satis superque nostis, patres, quidnam inter verbum, & vocem interest, ac proinde quam optima ratione sese Joannes vocem appellet, aut vocis fungatur officio, facile fuerit indagare. Sequor hoc loco Augustini parentis nostri interpretationem, esto sciam aliam esse apud nonnullos horum verborum constructionem. Principio, sicut verbum corde prius conceptum, vocis deinde adminiculo aliis explicatur: Sic etiam verbum illud æternum quod erat in principio apud Deum, nec adhuc hominibus notum,

ANNO CHRISTI 1562.

tum, digito simul & voce Joannis ostenditur mundo: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Deinde quamvis verbum cogitatione comprehensum, voce, qua exprimitur prius sit, atque præstantius, vocem tamen prius audimus, quam verbum præcipiamus. Audi, rogo, Joannem in evangelio: *Qui post me venturus est, ante me factus est.* Quam scripturæ phrasim idem evangelista protulit explicatius. *Prior me erat.* Vides Christum manifestatione, propria prædicatione, baptismi etiam proprii publicatione, Joanne posteriorem: Vides & eumdem Christum, verbum Patris, æternumque Filium, multo priorem, ac digniorem Joanne. Postremo, vox sine verbo res est mutilis. Ita sane si Joannem a Christo sejunxeris, nihil est prorsus Joannes. Rursus si a baptismo Joannis, Christi baptismum separaveris, nihil plane profuerit. Audi Joannem in evangelio. *Quid ergo baptizas, si tu non es Christus? Ego,* inquit, *baptizo vos aqua.* Et, ut alibi dixit, *ille vos baptizabit in Spiritu sancto, & igni.* Ego, *vox*, non, inquit, clamans, sed *clamantis*: ut vel hac ratione discamus, quantum honoris, quantumque reverentiæ evangelicæ prædicationi, catholicisque concionibus ab omnibus debeatur. Cum enim audis hoc ex loco concionatorem, etiam clamoribus raucum, non est quod existimes ejus esse vocem, qui loquitur, sed Dei. *Dabit,* inquit propheta, *Deus voci suæ*, hoc est concionatori clamanti, *vocem virtutis. Gratias ago Deo meo,* inquit Paulus, *quia cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud, non ut verbum hominum, sed, ut vere est, verbum Dei.* Vide quid in mentem venerit Augustino. Interrogo vos, inquit, fratres & sorores, dicite mihi, quid majus videtur vobis, corpus Christi, an verbum Christi? Si vultis vere respondere, hoc dicere debetis, quod non sit minus Dei verbum quam Christi corpus. Et tandem, ex his colligit, dicens: Non minus erit reus, qui verbum Dei negligenter audierit, quam qui Christi corpus negligentia sua in terram cadere permiserit.

Joan. 2. — Idem 1. — Matth. 21. — Psal. 67. — 1. Thes. 2. — L. 7. t. e. interrogo.

Hanc concionum frequentiam, patres, curandis Christianæ reipublicæ vulneribus utilissimam, tanquam tertium destruendarum omnium hæresum remedium, habendam putarem, modo ejus generis sint, quæ in publicam audientium utilitatem, non in vanam concionatoris gloriam, referantur. Duo sunt, patres, audite, rogo, vera loquar oportet, quæ me admodum torquent, & excruciant, quibusque moneo, rogo, ac per viscera Jesu Christi obtestor, remedium adhibeatis. Alterum quidem est, quod apud aliquas regiones, ne dixerim has vestras, sic parum sunt conciones frequentes, ut una tantum quadragesima excepta, atque utinam ea cum fructu peracta, vix, aut ne vix quidem, reliquo anni tempore conciones audiantur. *Rogate,* inquit Christus, *dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. Non enim est æquum,* dicebant apostoli, *nos derelinquere verbum Dei & ministrare mensis.* Paulus etiam ad Timotheum scribens, *Attende,* inquit, *lectioni, & exhortationi, & doctrinæ.* Et alio loco: *Tu vero vigila, & in omnibus labora, opus fac evangelistæ.* Alterum vero dolendum illud quidem maxime est, quod astutia satanæ tantum potuerit apud quosdam concionatores, ut his omissis quæ sunt ad salutem populi præstandam necessaria, in explicandis solum inutilibus quibusdam quæstionibus, scholis potius, quam huic loco accommodatis, omnes ingenii nervos perpetuo intendant, obliti

Marc. 9. — Act. 1. — 1. Tim. 2. — 2. Tim. 4.

A proprii muneris. Quod quale sit Deus optimus maximus apud Hieremiam his verbis aperte demonstrat: *Constitui te super gentes & regna, ut evellas, & destruas, ut ædifices, & plantes.* Quantum autem concionum frequentia Christianæ reipublicæ afferat, tum dignitatis tum utilitatis, ne id, quod adest, aliunde quæramus, ex Roma vestra sanctissima, omniumque civitatum longe præstantissima, vos ipsi colligite. Audio enim postea quam cœperunt esse apud eamdem, ut modo sunt, conciones frequentes, fuisse simul cum eisdem concionibus, & populi pietatem majorem & ad sacram eucharistiam accessum multo quam antea unquam fuerat, frequentiorem. Singulare profecto omni tempore, B adversus hæreses remedium, quo uno etiam, veluti quodam clypeo se se hactenus Hispania nostra protexit, quoniam, aut ab hæreticis, aut schismaticis lethale aliquod vulnus acceperit. His armis nimirum concionum, & prælectionum frequentia, adversarii nostri nos maxime oppugnant, tantaque id conantur efficere diligentia, ut ad extremas usque, & barbaras nationes, o nostram confusionem, suos miserint concionatores.

ANNO CHRISTI 1562. — Hierem. 1.

Quid autem sit in hujusmodi concionibus publice afferendum, ut omittam interim *quinque illa* Pauli apostoli *verba quæ optat*, ut idem ait, *suo sensu loqui*, nimirum quid credendum, quid agendum, quid vitandum, quid C sperandum, quid timendum. Quæ utinam plebis universæ auribus perpetuo inculcarentur. Ex solo tamen Joanne nostra illa hodie colligamus. *Ego,* inquit, *vox clamantis in deserto, dirigite viam domini, dixit Isaias propheta.* Consulamus igitur Isaiam prophetam; is enim docebit nos, quonam pacto viam domini dirigere debeamus. *Omnis vallis,* inquit Isaias, *exaltabitur, & omnis mons & collis humiliabitur, & erunt prava in directa, & aspera in vias planas.*

1. Cor. 14. — Isaiæ 40.

Ex his Isaiæ verbis, patres, dum docemur quemadmodum viam domini dirigamus, quartum quoque & ultimum evellendarum hæresum remedium, alioqui inter præcipua numerandum, recte colligimus. Id igitur esse existimo, providam & consideratam eorum qui digni sunt promotionem ad ecclesiastica sacerdotia. Quod quidem remedium, quia temporis angustia longiorem orationem non patitur, summis (quod ajunt) labiis attingere conabor. Etenim generis splendor, & nobilitas, opes, clientelæ, magnatum & principum gratia & benevolentia, præclara quædam sunt, & quæ mundus miratur, & suspicit: ad quæ quicumque pervenerint, putant se ad felicitatem, summumque fastigium proxime accessisse, ac velut montes quidem aliis supereminent. Ceterum nisi qui hæc omnia fuerint assecuti, probitatem quoque ac pietatem, literarumque sacrarum cognitionem cum his conjunctam habuerint indigni profecto sunt omni ecclesiastico sacerdotio ac dignitate, *Montes*, ii sunt *Gelboe, super quos nec ros nec pluvia unquam cecidit.* At contra valles, pingues quidem illæ, & quæ abundant frumento, viri illi sunt, qui eximia innocentia, insigni doctrina, magnis animi donis, ingeniique ornamentis pollent. Ii sunt, ii sunt, patres, qui omni cura exaltandi, montes vero illi Gelboe ut horum similes aliquando efficiantur, sunt humiliandi. Quod si fieret, essent profecto *prava in directa, & aspera in vias planas.*

D — E — 2. Reg. 2.

Hæc

ANNO CHRISTI 1562.

Hæc sunt, patres amplissimi, præcipua illa quatuor ex evangelica lectione desumpta remedia, brevi satis oratione nobis hactenus explicata. Quæ si per vos ecclesiæ morbis applicarentur, non dubito quin tot malis affecta ecclesia ab iis omnibus ad integram sanitatem, optatamque felicitatem brevi traduceretur. Si unquam autem hoc erat sperandum, nunc quidem temporis maximo quidem jure universa quidem ecclesia a vobis expectat: qui divino quodam Spiritu ducti eo huc convenistis, ut omni cura totoque conatu ejusdem morbis remedium afferatis. Efficite igitur, patres, efficite, qui nunc estis Tridenti, ut quorum nunc eruditionem & auctoritatem, magnamque frequentiam universus orbis magnopere admiratur, laudet posteritas judicium, prudentiam, ac pietatem. Vos enim pientissima illa, & communis omnium mater ecclesia gravissimis injuriis affecta appellat, vos rogat, vos obtestatur, vobis tanquam medicis & chirurgis ostendit non modo pulsum & faciem, sed & livores & plagas: *Magna est, o ecclesia, velut mare contritio tua, quis medebitur tibi?* vos soli, patres, vos, inquam, vos penes quos sunt certa hujus morbi, & explorata antidota: penes quos sunt præsentanea & parata tantorum malorum remedia: quæ si commode, opportune atque celeriter (est in mora periculum) adhibueritis, felicem quidem ecclesiam.

Thren. 2.

Si vero ab incœpto destiteritis, aut re infecta, quam felicissime cœpistis, in patriam (quod Deus avertat) redieritis, actum profecto erit de nobis. Nam præterquam quod adversariis nostris risum, vobisque ingentem ignominiam conciliaretis, clamaret etiam lugens ecclesia, justoque dolore compulsa, Deum adversum vos cum Isaia his verbis interpellaret. *Vulnus & livor & plaga tumens non est alligata medicamine, neque fota oleo*, eorum qui mihi succurrere poterant, negligentia.

Isaiæ 1.

Sed quid ego imprudens vereor? Quid rem etiam alioqui justissimam vobis nitor persuadere? quorum omnium summam, satis superque habeo exploratam? Et quos certo scio, suscepto per vos muneri non defuturos? Pergite igitur, alacri animo, eodemque studio quo cœpistis, nosque interim, qui laborum vestrorum participes fuimus, & sumus, Deum optimum maximum, qui est bonorum omnium parens & auctor, gemitibus, suspiriis, & continuis precibus interpellabimus, ut quæ per vos felicissime cœpit, per vos etiam non minus feliciter perficiat & absolvat. Et jam hoc ipsum, patres, cum ecclesia nostra hodierno die orante petamus, & finiamus, dicentes: *Aurem tuam quæsumus domine precibus nostris accommoda, & mentis nostræ tenebras gratia tuæ visitationis illustra. Qui vivis & regnas in sæcula sæculorum. Amen.*

LAUS DEO.

CIV.

GASPARIS FERRANTII, SUESSANI theologi, oratio ad patres concilii Tridentini, habita in festo divi Joannis apostoli & evangelistæ, anno a Christo nato MDLXII.

TANTA frequentia, tantaque alacritate in has sacras ædes festis hisce diebus con-

ANNO CHRISTI 1562.

veniistis, illustrissimi patres, atque reverendissimi antistites, ut hæc hyemis tristitia, visque frigorum, quam vix tectis ac pellibus sustinemus, in verni temporis suavitatem atque lætitiam versa esse videatur. Natalis enim domini, qui merito omnium festorum festum, & quasi metropolis a quibusdam patribus appellatur, & præclarum ac splendidum divi Stephani protomartyris trophæum quemvis quantumvis mœstum ac tristem exhilarare potuisset. Huc accessit felicissima anniversariæ illius diei recordatio, qua salutis nostræ auctor Christus sponsam suam ecclesiam vario, gravique ac diuturno morbo laborantem, multisque vulneribus sauciam summo pontifici animarum nostrarum medico vere Pio curandam tradidit. Ac paulo ante cum hodierni evangelii vocibus, quibus tum ad Christum simul cum Petro sequendum, tum ad beati Joannis apostoli Christo carissimi divinas æternasque laudes celebrandas invitati sumus, aures nostræ personarent, majorem in modum hæc lætitia crevit. Quis enim non vehementi afficiatur gaudio, cum tam amanter ac benigne a domino vocetur? quis porro non ingenti lætitia perfundatur, cum præclaris divinisque hominibus debiti honores ac justissimæ laudes tribuuntur, cum per illos, utpote servos Deo conjunctissimos honores domino deferunt? cum populus Christianus per egregiorum fratrum narrationem ad virtutis studium incitatur? hinc crebræ illæ, & consimiles sanctarum literarum voces: *Laudate dominum in sanctis ejus. In memoria æterna erit justus. Memoria justorum cum laudibus: Et sapientiam ipsorum narrant populi & laudem eorum nunciat ecclesia.*

Cbryſoſto. in ſerm. de S. Philogon.

Pſal. 150. Pſal. 111. Prov. 20. Eccleſ. 44.

Quod si omnium sanctorum memoria honore divino consecrata, piis hominibus est jucundissima: quanto nobis jucundior esse debet hujus viri sanctissimi, cujus nunc diem festum anniversarium agimus, celebris ac sempiterna memoria? quem præ cunctis apostolis Christus amavit, qui verba omni sapientia omnique intelligentia sublimiora est locutus, suaque doctrina & sanctitate ecclesiam veluti Sol clarissimus illustravit. De hujus igitur apostoli præconiis, qui omni laude, omnique oratione est superior, pauca inter innumerabilia & prope infinita dicturus vereor, ne eam imminuamus, & obscurem potius quam illustrem. Ac profecto multa me deterrebant, ne ex hoc loco, apud tantos talesque viros verba facerem. Nam si Daniel & Manuel Sampsonis pater angelorum aspectum non tulerunt, sed expaverunt, & tremuerunt, & proni in terram ceciderunt: quanto æquius erat me aditum hujus loci aspectumque vestrum vereri? Vos etenim orbem universum referentes & Dei vicem gerentes hic sedetis, non duodecim tribus Israel modo, sed angelos etiam pene ipsos judicaturi. Vos sicut civitas supra montem posita in oculis omnium ac veluti lux mundi super candelabrum positi estis: ut omnibus qui in domo, hoc est, in Christiana republica sunt, luceatis. Sed me eorum virorum jussa, quibus mihi necessario fuit parendum, ut rem tantam aggrederer, impulerunt. Quamobrem illius fretus auxilio, *qui infirma, & stulta mundi elegit, qui ora mutorum aperuit & implevit, rudes fecit disertos ac sapientes, & mysteria sua parvulis revelavit, qui ex ore infantium & lactentium perfecit laudem, &*

Danielis 1. & 10. Jud. 15.

Matth. 19. 1. Cor. 6. Matth. 5.

2. Cor. 12. Matth. 8. 11. & 15. & Marc. 7. Pſal. 80. Luc. 10. &

ANNO CHRISTI 1562.

nobis etiam cogitantibus dat quid loquamur: de hodierno evangelio, simulque de beato Joanne apostolo & evangelista nonnulla breviter dicam.

Matth. 11. Psal. 8. & 23. Matth. 21. & 10. & Matth. 16. Joan. 21. Matth. 26. Luc. 22.

In cœlum salvator noster ascensurus, agnos & oves suas Petro apostolorum principi cœlestis doctrinæ pabulo pascendas ter commendavit, aperte ostendens, quantum illas diligeret, ac Petrum ipsum cui soli antequam cruci pro nostra salute affigeretur, se claves regni cœlorum daturum & super illum ecclesiam suam ædificaturum promiserat: pro quo Patrem quoque oraverat, ne illius unquam fides deficeret: quo alios docere, & in vera religione confirmare posset, oibis universi magistrum ac pastorem proposuit. Et ab eo sublimi quadam sapientia ecclesiam suam unam, gregemque unum monstrari voluit ut omnis perturbatio & confusio ab ecclesia tolleretur, & ordo servaretur: Nosque cum capite nostro Romano pontifice, Christi vicario, Petrique successore quasi membra compacti Christi corpus in terris referremus. Eidem Petro mox genus mortis in conspectu domini speciose prædixit, qua Deum erat illustraturus, mirificum erga illum amorem & curam ostendens, hæc postquam Petro Christus significavit, subjunxit, *sequere me*: jubens illum sequi non tam humanis vestigiis, quam imitatione virtutis. Perinde enim est ac si dixisset: Datam mihi provinciam administra, rege ecclesiam, quam meo sanguine acquisivi: me tibi exemplum ad imitandum propone. Ego pro fratribus meis, ex quibus tanquam ex vivis lapidibus, ecclesiam construxi, vitam posui, quoquo amore majorem nemo indicare potest, debes & tu mea vestigia persequens, cruce tua suscepta: instar boni pastoris, animam tuam pro commissis tibi " omnibus dare. Ac videtur etiam dominus his verbis contentionem, quam cum Petro habuerat, illi in memoriam revocare: Repete, inquit, memoria me tibi olim dixisse; *Quo ego vado, non potes me modo sequi; sequeris autem postea*: nunc tempus illud advenit. *Sequere* ergo *me*, paratus posthac pro me & in carcerem conjici, & mortem oppetere. Quibus auditis, non reclamat Petrus, non murmurat, non obnititur, non fugam aut diverticulum quærit, sed statim domini sui paret mandatis. Ex quo monemur, ut Deum quocumque nos vocat sequamur, ne Spiritui sancto resistamus, neve illum contristemus. Non tarde autem, nec cum interpellatione Christum sequi jubemur, ne si ad aratrum manu semel admota retro aspexerimus, quod uxori Loth, nobis contingat? sed semper in pietate magis proficere studeamus, omnibusque rejectis, quæ nostrum in cœlum cursum impediunt, ad propositam nobis felicitatis metam festinemus. Præclare enim a sanctissimis quibusdam patribus dictum est, eum, qui in via salutis non progreditur, regredi: qui non proficit, deficere, qui non aliquid acquirit, perdere nonnihil. Ac Petrus ipse: *Melius*, inquit, *erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato*. Quapropter Jesum dominum usque ad extremum spiritum magno ac forti animo est secutus.

Ex Cyprian. in l. de unitate eccl. & in epist. ad Corn. papam alliis patrib. Ephes. 1. & 4. Colos. 1. & 2. 1. Cor. 12. Rom. 12. citatur a D. Th. & aliis simile quiddam ex Cyrillo Alexandr. Psal. 115. Acto 20. Joan. 13. 1. Petr. 2. Joan. 15. 1. Petr. 1. & Joan. 2. Matt. 10 16. & 22. Marc. 8. 4. Luc 9. & 14. Joan. 10. & Joan. 13.

" *f.* ovibus

Acto. 7. Ephes. 4. Luc. 9. & 17. Gen. 19. Philip. 3. Divi Greg. Bern. Leo papa &c. 1. Pet. 2. Act. 3. 4. & 8. Et hoc ipso Joann. ultimo, & Luc. 5.

Ceterum orbis terrarum cura susceptа, Joannem, cum quo tam arcte amicitiæ vinculo erat astrictus, ut vix ab eo divelli posset, socium & collegam optabat. Quare conversus cum illum in-

Inter quos Theophyl. Lasius.

A jussum sequi videret: *Domine*, ait, *hic autem quid?* quod ita divus Chrysostomus, & quidam alii doctores gravissimi interpretantur: Numquid eamdem viam aggredietur? non mecum gregi tuo præerit? non mecum simul constitutam a te rempublicam geret? Aliter tamen B. Cyrillo & B. Augustino, & aliis nonnullis videtur. Non enim censet Petrum quæsiisse, an Joannes secum esset orbi præficiendus, sed an martyrii palmam adepturus. Non abs re autem recubitus illius evangelista meminit, & quod discipulus ille præ ceteris a Christo dilectus, quis illum esset traditurus, interrogavit: sed ut Petri fiduciam post negationem ostendat, & ad quantum dignitatis gradum B ascendisset, ut etiam intelligamus, homines post patrata crimina, cum resipuerint, majorem a Deo gratiam consequi. Qui autem antequam Christum negaret, non est ausus ab eo quærere, quis illum esset proditurus: sed id muneris huic ipsi Joanni delegavit: nunc commissa sibi fratrum cura, ipse magistrum interrogat tacente Joanne: Et non modo alterum pro se non substituit, sed pro Joanne intercedit, & illi vicem reddit: arbitratus velle illum quidem, sed non audere de se scisciatari. Quid autem dominus noster respondet? *Sic eum volo manere*, vel, ut passim in Græcis codicibus legitur: *si eum volo manere donec veniam, quid ad te?* Retundit dominus nimium Petri fervorem. Ne arbitreris, ait, me eodem modo de vobis disposuisse: nec ad te scire id C pertinet: si eum hic, aut alio in loco volo manere, donec mihi placuerit illum ad me vocare, vel aliquid aliud de eo statuero: te vero orbi universo præesse: & si te multa pro me perpeti volo, ac demum mortem, & summum supplicium subire, hunc autem manere, donec iterum veniam orbem indicaturus, quid ad te? Quid tua refert? tu me sequere, munere tuo fungere, hoc age, id considera, & te magnis certaminibus para. Hac sententia quam omnium mentibus infixam esse cuperem, nos dominus admonet, ne aliorum facta indagemus, ne curiosi aliorum exploratores simus, ne in apostolicam illam reprehensionem incurramus: *Tu quis es, qui judicas proximum* D *tuum, & alienum servum?* Sed ut nobis ipsis, ut divinæ legis oracula jubent, attendamus. *Debemus quidem alter alterius onera portare*, & proximorum nostrorum curam habere: cum scriptura dicat: *unicuique mandavit Deus de proximo suo, &, caritas non quærit quæ sua sunt*: Et apostolus jubet nos quærere non quę nostra sunt, sed quæ aliorum. Non solicite tamen, nec curiose aliorum facta scrutanda sunt. Ac multo minus futuros rerum eventus quos sibi Deus reservavit, investigare debemus, ne illud merito nobis objiciatur, *Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ pater posuit in sua potestate*. Et illud: *Noli altum sapere, sed time*. Sed in omnibus divinæ voluntati acquiescendum est, & illius consilio obtemperandum, qui ait: *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris: sed quæcumque tibi præcepit Deus illa cogita, & in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus.*

Jacob. 4. Rom. 14. Deut. 4. 1. Tim. 4. Luc. 17. & Act. 20. Gal 6. Eccle. 17. 1. Cor. 13. 1. Cor. 10. Act. 10.

Act. 1. Rom. 1.

Eccl. 3.

Hoc igitur modo dominus Petrum objurgat. Quæ verba quia non recte discipuli ejus acceperant, existimantes Joannem non moriturum: leviter eorum suspicionem corrigit evangelista, tanquam quid ille dixerit, non intelligerent: vel certe tradit verbis dominum non expressisse quod illi suspicabantur. *Non dixit*, inquit, *Jesus, non moritur* (*Quis* enim *est homo, qui vivit, & non vide-*

Psal. 88. Heb. 9. 2. Reg. 14.

ANNO CHRISTI 1562.

Inter quos cardinales Cajetanus; divus Thomas utramque interpretationem admittit.

ANNO CHRISTI 1562.

videbit mortem: statutum quippe est omnibus hominibus semel mori: Et, omnes sicut aqua dilabimur) *sed sic eum volo manere donec veniam* &c. Ob quæ verba nemo suspicari debet, minus verum esse, quod salvator noster Joanni & Jacobo prædixerat, *calicem quidem meum bibetis*: nihil enim hoc loco de seipso evangelista asserit, neque negat. Et quamvis gladio non occubuerit, vere tamen calicem domini bibit, & cum juxta crucem domini stetit: & cum multa pro ejus nomine passus. Et injuria affectus gaudio exultabat: & cum Domitiano imperante, in dolium ferventis olei demersus fuit, ut auctor est Tertullianus in lib. de præscriptione adversus hæreses & postremo cum sub Antichristo, ut a multis creditur, pro Christi nomine occidetur. Sed his, & aliis hujusmodi, quæ de illius morte, ac tumulo, & de Petri, & Joannis comparatione, & quæ de actione & contemplatione dicuntur, quæ per duos apostolos, quæ etiam per Martham & Mariam, & per Rachelem & Liam significantur, consulto brevitatis causa prætermissis, ad ea, quæ restant, pergamus.

Matth. 20

Joan. 19.

Act. 5. Item divus Hieronymus in primo libro contra Jovinianum & Beda. Refert D. Thomas hâc opinionem, & alii.

Luc. 10. Gen. 29.

Hic est, inquit, *qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc, & scimus quia verum est testimonium ejus.* Hæc de seipso dicit, quoniam incredibili afficiebatur gaudio, quoties singularem erga se amorem, & maxima beneficia memoria evolvebat: & se ut gratum illi ostenderet, ac simul causam, qua est ad scribendum adductus, afferret. Divino enim instinctu, afflatuque concitatus, solam Dei gloriam, & utilitatem nostram respiciens, hæc scripsit. Namque ut accepimus, per annos plus minus sexaginta quinque a passione Christi sine scribendi adminiculo fidei nostræ mysteria prædicavit. Deinde vero epileoporum Asiæ rogatu hæc litetis mandavit, ut impiorum hæreticorum ora obstrueret, & perniciosos illorum errores profligaret: tum etiam ut adderet, quæ alii evangelistæ omiserant, & ut filiis suis quos per evangelium verbo veritatis genuerat & cœlestis doctrinæ cibo aluerat, aliquod munus aut pignus ab illis discessurus relinqueret. Et hæc quidem verba, quibus se tanquam verum & integrum testem evangelista commendat, Spiritus sancti instinctu protulit, totius ecclesiæ quæ hoc evangelium, ut alia in canonem sacrorum librorum retulit, personam suscipiens.

D. Aug. in præfatione. in Joan. & Beda ex Euseb. lib. 3. cap. 33. Hier. de viris illustr. & Epiph. lib. 2. hæresi 51. contra Alogos.

2. Cor. 10. Ex Simone Metaphraste.

Quis autem dubitet virum hunc sanctissimum & beatissimum, cujus hodie festum diem tanta animorum alacritate & lætitia celebramus, certissimum & locupletissimum esse testem atque dignissimum, cui fides de Christo loquenti habeatur? Cum non solum ut reliqui apostoli, res a Christo gestas oculis suis viderit, & ipsius verbi minister fuerit, & ab illo doctrinæ suæ testis delectus, quam multis maximisque miraculis, summaque vitæ sanctitate comprobavit: sed præcipuo ac singulari quodam modo de Christo, ac de rebus divinis testimonium dixit: idcirco de seipso alio loco dicit: *Significavit mittens per angelum suum servo suo Joanni, qui testimonium perhibuit verbo Dei, & testimonium Jesu Christi quæcumque vidit.* Et rursus: *Quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectarunt de verbo vitæ, testamur, & annunciamus vobis.*

Act. 2. 4. 5. & 10. Joan. 13. & Luc. 1.

Apoc. 7. Joan. 1.

Hic est ille Joannes, quem dominus ex nuptiarum occupatione & molestiis, velut ex turbulenta quadam tempestate vocavit, tanta cum eo benevolentia & familiaritate conjunctus, una cum fratre Jacobo, ut ipsorum mater ab illo petere non dubitaverit, ut cum esset in regno suo, alterum a dextris, alterum a sinistris collocaret. Hic cum Petro, & eodem Jacobo domini transfigurationi interfuit: eumque est comitatus, dum Jairi archisynagogi domum ad ipsius filiam a morte revocandam ingrederetur: hic cum Petro missus est, ut pascha pararet, & in montem olivarum, ubi Christus orabat, assumptus Jesum de proditoris nomine, ut dictum est, solus ausus est percontari: ipsum captum in atrium pontificis, cui notus erat, secutus fuit, & Petrum etiam introduxit: ad ipsius monumentum cum Petro cucurrit. Cumque sibi & Petro & quibusdam aliis apostolis in lacu Genezareth ad mare Tiberiadis navigantibus Christus, ubi revixit, apparuisset, ipsum solus agnovit. Hic est ille tonitrui filius, plenus spiritu sapientiæ & intellectus & gloriæ stola indutus, qui in medio ecclesiæ os suum aperuit, & ingenti doctrinæ sonitu universum orbem implevit. Hunc, Petrum & Jacobum domini fratrem, quod post Christi ad patrem ascensum, ecclesiam Dei supra ceteros regerent, ecclesiæ columnas, Paulus vocavit. Nam inter cetera ejus & Petri prædicatione, post claudum sanatum ad portam templi speciosam appellatam, quinque millia hominum uno die sunt ad fidem conversa. Idemque duo post Stephani martyrium in Samaria, quæ Philippo prædicante verbum Dei receperat, missi fuerunt, ut illam in fidem confirmarent, & per ipsorum orationem & manuum impositionem baptizati Spiritum sanctum acciperent, qui nondum in quemquam illorum venerat. Hic est ille Joannes, qui in extrema illa cœna in sinu domini, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi*, recubuit, unde veluti ex uberrimo omnium bonorum fonte aquam sapientiæ cœlestis & salutaris, affluentius quam ceteri, hausit: ut merito in figura quatuor animalium aquilæ volanti comparetur, quæ, & volatu volucres omnes antecellit, & oculis non connitentibus Solis radios intuetur. Hic denique ob insignem caritatem, qua cor ejus ardebat, quam in ore semper habebat, cujus commendatione scripta sua implevit, & ob magnam animi simplicitatem, mansuetudinem, humilitatemque, modestiam, & propter maximam cordis sinceritatem & puritatem a Deo a Christo dilectus fuit, ut solus ab eo diligi videretur. Discipulus ille, quem diligebat Jesus, cujus dilectionis quodnam majus argumentum esse poterit, quam quod Christus cum penderet in cruce, virginem matrem illi virgini, & illum vicissim matri commendavit.

Galat. 2. Act. 3. 4. & 8. &c.

Joan. 18. 21. & Coloss. 2.

Ezech. 7.

Ex. B. Hier. in 3. com. in epist ad Gal. cap. 6.

Joan. 19. 20. 21. non semel.

Idem 19.

Hunc itaque, patres amplissimi, tot divinis maximisque muneribus donatum, tot titulis illustrem, adeo carum Deo, ac tantæ apud illum auctoritatis & gratiæ, ut ab eo quicquid voluerit, unusquisque facile queat impetrare, summo studio veneremur: hunc invocemus; hunc patronum & advocatum, apud omnipotentem Deum habeamus. Cujus ope, si unquam, nunc, vel maxime indigemus, cum dies mali sunt, & totus fere *mundus in maligno positus est*; tot angustiis pressi, tot, tantisque malis pene fumus oppressi. Nam, vel omittam Turcarum tyrannum tot, tantisque triumphis tumidum de nostrorum cæde & calamitate deportatis, in nos in dies magis insultare, innumeros Christianos quotannis captos ducere, omnia deprædari, agros & oppida nostra vastare, exitium toti Europæ minari: vel Græciæ funestam & miseram ab apostolica ecclesia defe-

Ephes. 5. 1. Joan. 5.

Ex Hiero. 1. 1. contr. Jo-

ANNO CHRISTI 1562.

defectionem silentio præteream quando tot hæreses tam fœdæ, tam perniciosæ & execrandæ in ecclesia Dei invaluerunt? nunc enim hæretici Christi & ecclesiæ hostes omnis doli, omnis sceleris, omnis intemperantiæ pleni, non solum Christi tunicam scindere, sed in minutissimas partes conantur secare. Non Deo modo fonte aquæ vivæ relicto dissipatas sibi cisternas effoderunt, quæ aquas continere nequeunt, nisi furtivas & lutulentas, & non modo antiquos terminos a nostris patribus positos sunt transgressi: sed omnia recte constituta, sacros ritus, cæremonias, consuetudines, leges, jus salque sustulerunt: omnium propemodum sanctorum patrum decreta nobis a Christo & apostolis quasi per manus tradita sanctissimorum virorum doctrina & miraculis confirmata, multorum martyrum sanguine obsignata rescinderunt: tanquam lupi rapacissimi in Christi caulas irruerunt: venerandas Christi & sanctorum imagines, non solum nefariæ & petulantis linguæ maledictis incessere: sed, o invisam sceleratorum hominum audaciam! o spectaculum Christianis hominibus miserandum, & sola Christi hostium impietate dignum! omni dedecore & ignominia affecerunt, per plateas & vias publicas traxerunt, pedibus conculcarunt, ferro igneque vastarunt. Tremenda demum sacramenta, divinæ gratiæ, & misericordiæ vasa, tanquam muscæ illæ apud Ecclesiastem, quæ perdunt suavitatem unguenti, polluerunt, & corruperunt, & cœlestes animarum nostrarum thesauros cum ipsi abjecerunt, tum eos quantum in se est nobis conantur eripere. Nec exiguis terminis hæc detestabilis pestis continetur, sed per universam fere Germaniam & Britanniam grassata, modo Galliam quoque, cujus reges ob religionis observantiam & multa in ecclesiam, & Romanos pontifices beneficia hæreditario cognomine Christianissimi sunt appellati, mirum in modum invasit, non sine magno Italiæ, & aliarum provinciarum, quæ integram adhuc Christi fidem servant, periculo. In dies enim, ut cancer, magis magisque serpit, ac latius manat: & tanquam magnum aliquod incendium, nisi quamprimum extinguatur, finitima, & vicina comburit. Hæc autem justo Deus judicio super nos induxit, non solum ut boni exerceantur, & a malis dignoscantur: sed potissimum quia *peccavimus, inique egimus, recessimus a Deo, & præcepta ejus non audivimus, nec observavimus*. Propterea posuit nos Deus *in opprobrium vicinis nostris, subsannationem & derisum his, qui sunt in circuitu nostro*, & sicut per Malachiam minatus fuerat, *dedit nos humiles, & contemptibiles omnibus populis*.

Quæ cum ita sint, patres amplissimi, hujus sanctissimi apostoli, & evangelitæ patrocinio freti, prosternamus preces nostras ante faciem domini, *non in justificationibus nostris, sed in miserationibus ejus multis*. Oremus dominum, qui fecit nos, ne irascatur satis, ne ultra iniquitatum nostrarum meminerit, ne det hæreditatem suam in opprobrium, quia *ipse est dominus Deus noster, & nos populus pascuæ ejus, & oves manus ejus*. Ipse nos creavit, ipse pater, & redemptor noster est, ipse ut infirmitatibus nostris compati posset, factus est homo, cujus natalem diem secundum carnem proxime celebravimus. Carnem nostram suscepit, ut nobis divinitatis suæ divitias impartiret: ut nos ditaret, factus est inops: ut nos cœlestibus bonis impleret, seipsum evanuit. Cum peccatum non nosset, factus est pro nobis peccatum, ut nos in ipso justitia Dei efficeremur. Attritus & vulneratus est, ut suo nos livore sanaret, & peccatorum nostrorum sordes ablueret. Suo denique sanguine nos emit, & pro nobis mortuus mortem destruxit, ut nos in vitam revocaret, in pristinum bonorum statum restitueret, tyranni qui nos deceperat & vicerat, victores declararet, Dei templum, & filios efficeret: viamque nobis, qua ad res divinas & admirandas perduceremur, ostenderet, & innumerabilibus beneficiis naturam nostram afficeret. Qui ergo tantum nos diligit, ut seipsum, ac secum omnia nobis donarit, quicquam nobis negabit? Qui omnibus dat affluenter, ac nobis quæcumque ab illo peteremus se concessurum, nos orphanos non relicturum, sed usque ad consummationem sæculi nobiscum mansurum & Spiritum sanctum advocatum nobis, doctorem & consolatorem daturum promisit: Quando nos despicere poterit? quomodo nos non exaudiet, præsertim justa & necessaria postulantes, & quæ non minus ad ejus gloriam, quam ad nostram salutem, & totius ecclesiæ tranquillitatem & pacem pertineant? Multo minus oblivisci nos poterit, quam mulier infantem uteri sui, si modo cum Petro & Joanne illum sequamur; si veterem hominem exuentes, & novum induentes spiritu mentis nostræ renovemur: vitia fugiamus, virtutem amplectamur, sobrie, & pie, & juste vivamus in hoc sæculo: abjiciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis, & sic, ut in die, honeste ambulemus: & præsentibus rebus contemptis, cœlum tantummodo cogitemus. Ubi enim sunt duo vel tres in nomine domini congregati, ibi Deus est: ubi tot patres sunt, quis dubitet esse præsentem, qui non solum gentem multiplicet, sed etiam magnificet lætitiam?

Equidem ut finem dicendi faciam, patres amplissimi, tantam spem de benignitate Dei, ac de virtute, pietate ac sapientia vestra concepi, ut ea domini nostri verba audeam usurpare: *Nunc judicium est mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras*. Erit profecto judicium mundi, non illud solum quo boni a malis, ecclesiæ catholicæ filii ab hostibus secernantur: sed quo turpe ab honesto, justum ab injusto, zizania a tritico, ac demum pravæ consuetudines, ac scandala, & offendicula a rectis rerum usibus, officiis, & recte factis separarentur. Princeps autem mundi hujus satan, qui magnam Christiani orbis partem erroribus, & multo majorem corruptis moribus infecit, & occupavit, a Dei virtute, & ministerio vestro superatus foras ejicietur. Ita tandem Deo duce, qui vires vestris mentibus addet, & felicibus auspiciis ut optandum & sperandum est, secunda reddet omnia; & Pii pontificis maximi paterna cura, & diligentia, ac vestra opera & consilio fiet, ut moribus emendatis, & erroribus depulsis contentiones, & dissensiones deponantur: nec amplius hæretici qui maximum & miserrimum circa fidem naufragium fecerunt profanas vocum novitates exquirant; ac tanquam parvuli fluctuantes omni vento doctrinæ circumferantur, nec sint inter nos schismata, sed omnes omnibus in locis idem dicant, & sentiant: omnes depositum fidei servent. Sic proprium decus & pulchritudinem ecclesia recipiet, sacerdotii dignitas nunc pene amissa recuperabitur, optimos, uberrimos, ac jucundissimos fructus Christi vinea feret. Nos autem in domo Dei a Christo super fundamentum apostolorum & prophetarum

ANNO CHRISTI 1562.

Joan. 18. Matth. 27. Mar. 15. Hierem. 9. Proverb. 9.

Matt. 7. Act. 20.

Cap. 10.

Ex Epiphanio lib. 1. κατὰ αἱρέσεων ὀκτὼ.

1. Tim. 1. Ex Clemente Romano initio, τῶν διαταξεων καὶ διδασκαλιῶν ἀποστολικῶν.

Dan. 3. & 9. Psal. 105. Psal. 43. & 78. Malach. 2.

Daniel 9. Isaiæ 64. Psal. 78. Joel 2. Psal. 94. & 78. Et Græcb. 27 Heb. 4. 2. Cor. 8. Philip. 2. 2. Cor. 5. Isai. 53. & 1. Petr. 2. Apocal. 1. 1. Joan. 1.

1. Petr. 1.

Joan. 12. 14. Deut. 6. 2. Cor. 3. & 6. Eph. 2. Joan. 14. & Apoc. 3. Joan. 1. 2. Joan. 3. Rom. 8. 2. Cor. 6. Ephes. 2. Thessal. 5. Matth. 5. & Luc. 6. Rom. 8. Luc. 1. Matt. 7. & 18. Marc. 12. Luc. 12. & Joan. 13. 15. & 16. Joan. 24. & 16. Isa. 49. Matt. 28. Coloss. 3. Ephes. 4. Ad Tit. 2. Rom. 13. Matt. 18. Isai. 9. Joan. 12.

1. Tim. 2. 1. Tim. 6. Ephes. 4. 1. Cor. 1. Philip. 1. Rom. 12. 1. Tim. 6. Joan. 25. Isai. 5. Matt. 16. Eph. 2. 1. Cor. 3. 1. Tim. 3. Matt. 26. Cypr. epist. 11. Lib. 1. & alii patres.

ANNO CHRISTI 1563.

rum ædificata permanentes, in catholica, inquam, orthodoxa, & apostolica Romana ecclesia, *quæ est columna & firmamentum veritatis*, adversus quam, ne portæ quidem inferi prævalebunt; extra quam, veluti extra arcam Noe, nulli salus potest contingere, & Deo sub jugo uno (ut ait propheta) servientes, unam fidem, unum baptismum, unum ovile Petro a domino commendatum, unum supernum pastorem in terris, unum dominum Jesum Christum agnoscamus in cœlis, cujus gratia & benignitas beati Joannis apostoli & evangelistæ precibus ac meritis, ex vitæ hujus procellis & scopulis ereptos salva nave ac mercibus ad æternæ felicitatis portum nos perducat.

Sophoniæ 3. Ephes. 4. Jo. 20. & 21. Ezech. 34. & 37. Matth. 14. & Ephes. 4.

DIXI.

CV.

DE CHRISTO PUERO CIRCUMCISO, & Jesu vocato, concio Tridenti habita Calendis Januarii MDLXIII, *in amplissimo sanctæ synodi, cardinalium patrum, atque oratorum consessu, a domino Roberto Furniero, Gallo, doctore theologo, Ambianensi canonico, auctore.*

Postquam consummati sunt dies octo, ut circumideretur puer, vocatum est nomen ejus Jesus, quod vocatum est ab angelo, priusquam in utero conciperetur. Lucæ 2.

Ex Ambrosio in apologia Davidis c. 5. Luc. 2.

PRETIOSUM certe & præsentibus consiliis vestris perneccessarium munus, solemnis & pridem usitatus Christiani sacerdotii ritus vobis hodierno die exhibet, illustrissimi & reverendissimi domini cardinales, clarissimi oratores, & sanctissimi patres, Christum Jesum, bonorum omnium fontem exundantissimum, infantulum quidem ipsum, & nuper inter crates, ut ita dicam, ac præsepia nascentem, sed alta jam spirantem tamen, & pro sua sponsa ecclesia imperatæ sibi a Deo patre militiæ præclarum ac illustre tyrocinium edentem, primosque laudis ac nominis sui honores ac titulos fuso primum sanguine emerentem simul & suscipientem. Hoc nobis margaritum nobile, & quod rerum suarum solida commutatione redimere cautus institor non recusset, hodiernum evangelium attulit: & angusto historiæ compendio, velut concinno quodam scriniolo conclusum, sinceris purgatisque præcordiis sumendum, habendum, fovendumque dedit. Suscipiamus ergo, sanctissimi patres, non illotis manibus tam opportunum, tamque optabile donum, cui utque par est, gratiarum evangelia rependamus, ipsam illam qua clauditur evangelii arculam impetrata cœlestis agni clave recludamus, ut amplius perfecta tanti muneris dignitate, certiore judicio meriti magnitudinem æstimantes, quantum ejus auctori debeamus propensiore studio & ore pleniore velimus confiteri.

Matt. 13.

Apoc. 3.

Enimvero, patres, cum tantum salutaris doctrinæ thesaurum tanta verborum brevitate compressum inspicio, succurrit animo, quod pridem est ab illo admirando scriptore Dionysio ex unius apostolorum Christi auctoritate semper annotatum, omne de Jesu evangelium & longum & breve esse, quod ut in gleba, quod ajunt, & re præsente experiamur, quid magnum tanto laconismo dici potest, quam quod nunc est evangelii voce recitatum? Filium Dei, puerum factum, octavo die circumcisum, cœlitus allato nomine Jesum esse appellatum? Atqui si hanc evangelicam scytalen evolvas, & intus latens pietatis sacramentum explices, non (quod quidam sine ratione magnopere mirati) in vacuæ nucis putamine conclusam Iliadem malorum, ut dicitur, reperies, sed inexhaustam salutarium bonorum θάλασσαν ipse tibi poteris oblatam gratulari. Hic tu conjunctam arcano ineffabili, cum summa humilitate summam comperies majestatem, in eodem illo æterno, atque octo dierum puero habiturus, quod & suppliciter adorare, & utiliter imitari possis. Hic tu perantiquum illud circumcisionis mysterium, quum attentius observaris, simul & divinæ sapientiæ profunda consilia mirabere, & quid abs re tanti sacramenti ratio requirat considerabis. Hic tu denique cum cœleste illud & salutare Jesu nomen Christo virginis filio inditum audieris, dignitatem ejus veneratus ipse nominis ac officii tui recordabere. Magna hæc sunt, patres, & homini Christiano ad omnem pietatis partem non mediocriter profutura, si setio attendantur.

ANNO CHRISTI 1563.

Gell. noct. Att. lib. 17. cap. 8. Plin. nat. hist. lib. 40. 7. cap. 22.

Quid enim (ut de primo illo exinanitæ majestatis beneficio primum dicamus) tum ad agnoscendam summi erga nos nominis φιλανθρωπίαν, tum ad nobis ingenerandum referendæ gratiæ studium potest esse valentius, quam tanta nostram mortalitatem dignatione ornatam atque auctam intueri, ut jam non homo sibi, quam Deus homini possit esse conjunctior, ac notior? Recordemur, sanctissimi patres, quanto se cruciatu miseri mortales jam inde ab illa primi hominum defectione (quæ tantis tenebris mentes nostras obscuravit) sese afflixerint, ac torserint, ut divinæ cognitionis scintillam aliquam saltem eminus prospicere possent. In quo tamen, tanto fere quisque a scopo aberravit longius, quanto feliciore ingenio, & præstantiore natura præditos videri voluit.

Eos omitto, qui, quam philosophici nominis supercilio magnam stultitiam tegerent, non dubitarunt vel omnem religionis ac numinis opinionem semel ex hominum animis tollere, vel deorum myriadas innumerabiles confingere, vel petita in dies longiorum comperendinationum venia respondendi cunctatione temeritatem suam confiteri. Modestiores illi, & quos alicujus sapientiæ animalia Tertullianus cognominabat, quum unam quidem primam, secundas vero ac tertias rerum creatrices σύνοιας philosophati sunt, ne dicam fabulati, quid aliud quam Valentini, Montanique discipulis prodigiosas & mendaces πλάνων προλολὰς suppeditarunt? Nimirum (ut apostolus ait) *evanuerunt in cogitationibus suis & obscuratum est insipiens cor eorum, ac dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt.* Fuit enim, patres, divinæ εὐνοίας ac benignitatis non humanæ temeritatis hoc beneficium: inclinare cœlos ac descendere, ut innotesceret, divinam celsitudinem oportuit, & (sicut contra Celsum Origenes scribit) prudentis & docti præceptoris instar ad discipulorum se humilitatem & captum demittere: nam argenteis iliis columbæ pennis, ut ait psaltes, destitutos ad eum penetrare qui ascendens super cherubim, & evolans super pennas ventorum, *tenebras posuit latibulum suum*, nihilo feliciore exitu conari quis potest, quam vel illi quondam Babelis architecti, vel qui in Aquilonem se se extollere conatus, in profundissimum æternæ caliginis baratrum præcipitavit. Noster est ergo, sanctissimi patres, tantæ majestatis descensus noster iste

Tert. in apologet. c. 10. Idem in lib. de patientia.

Rom. c. 1.

Psalm. 17. lib. 4. & idem Dion. in præfatio. lib. de divinis nominibus.

Psalm. 17. Genes. 22. ut & citatur ab Origene lib. 4. contra Celsum. Isai. 14. Dion. de divinis nominibus c. 3.

De Mystica, theol. cap. primo.

(sicut

ANNO CHRISTI 1563.

(sicut apud eumdem illum Dionysium est) e cœlo demissus quo sursum attollamur divinæ benevolentiæ funis: noster illius inaccessibilis lucis ad humanæ imbecillitatis oculos attemperatus fulgor, quum adorandus ille Dei filius, splendor gloriæ & figura substantiæ ejus, egressus a diebus æternitatis, cujus thronus in sæculum sæculi, paulo minus ab angelis nostri gratia minoratus atque extenuatus est & auctor salutis nostræ per passionem consummatus: nimirum, ut quomodo lutum nostrum (quod e nihilo crearat) divino quodam oris sui spiraculo, animavit, ita tandem nova, & inenarrabili Dei hominisque commixtione, non in unius naturæ confusionem, sed in unius personæ hypostasim (quo nullus arctior nexus esse potest) sibi conveniret; Quis non hæc præclara ac magnifica Christianæ religionis initia reputarit? Atqui, tanto magis id quisque dixerit, tanto plenius qui fuerint horum initiorum progressus animadverterit. *Ubi venit plenitudo temporis*, ait apostolus, *misit Deus filium suum, natum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant, redimeret*.

Hebr. 1. Mich. 5. Psal. 8. Bern. serm. 20. de nativitate domini. August. Epist. 3. quæ est ad Volusianum. Gal. 4.

Obtrectent usque, atque oblatrent licet Cherintus ac Manes, totumque Apollinaris, Praxeæ, Hermogenis, Eutychisque satellitium; primus hic quidem Christo fuit a patre mandatæ legationis gradus, ut ex illibata muliere vera virgine, vera matre nasceretur, filius hominis fieret, vere nostrum, vere humanum corpus induceret, *ut quia pueri communicaverunt carni & sanguini, & ipse pariter participaret eisdem*. Secundus vero, ut sub lege esset. Quid hic audimus, sanctissimi patres, reges terræ a quibus tributum accipiunt? a filiis suis an ab alienis? quod si ab alienis, ergo filii liberi sunt; ergo lege soluti. Quid ergo? an non hic est Dei, non dico σωθεὸς, sed ὁμοούσιος, filius perdilectus, in quo complacuit patri? an non hic est *omnipotens ille sermo, qui cum quietum silentium tenerent omnia, & nox in medio cursu suum iter haberet, a regalibus sedibus venit*? An non imperium ejus super humerum ejus? An non dedit ei pater omnia in manus, & pedibus ejus cuncta subjecit? An vero tantisper alienus, tantisper hæres parvulus, tantisper sub tutoribus atque actoribus positus, tantisper forma atque habitu servus, dum, ut apud Leonem est verbi majestate velata humanæ redemptionis impleretur dispensatio!

Heb. 10. Matt. 17. Epiphan. in Ancharato. Matth. 3. & 27. Sap. 18. Isai. 9. Joan 13. Psal. 8. Gal. 4. Epist. 83.

Videamus, patres, quam non arbitratus sit Christus esse rapinam, esse se æqualem Deo. Quod jure nostrum est, quod bona fide, quod sine ulla alienæ injuriæ conscientia possidemus, omnium usibus patere facillime ferimus: si quid furto abstulimus, si quid invasimus, si quid eripuimus, id omnibus viribus soli sic retinemus, ut inde nobis quicquam decedere gravissime patiamur. Hic ergo, quid puer iste, atque Emmanuel noster? num quum sit ipse auctor, sancitorque legis supra legem extare pertinaci studio contendit, quo sibi uni singularem dignitatis suæ celsitudinem asserat, ac vendicet? Num metuit, ne verbi potentiam involuta pannis infantia minuat? Num timet, ne præceps in Ægyptum fuga, magnificæ illi Magorum adorationi quicquam detrahat? Num a Joanne baptizari, aut agnus vocari renuit, ne quid audito de gloria sua paternæ vocis eulogio derogetur? Num vel cibum jejunus, vel somnum fatigatus aversatur, ne quid miraculorum gloriæ, tantæ servitutis officiat necessitas? Num ipse parentis utriusque sui conditor & servator, ut sibi potestatis in omnes plenitudinem sartam tectam tueatur, recusat esse subditus illis? Minime vero, patres, minime inquam, sed quamquam justissimus, prudentissimus, optimus; & numeris omnibus absolutissimus νομοθέτης & cui merito lex non fuisse posita videatur; legem tamen solvere non venit, sed adimplere. Digna vox, ait quidam, imo vero digna virtus majestate regnantis, legibus se alligatum principem gerere, nedum profiteri, suamque auctoritatem de earum auctoritate æstimare, & quum ad eamdem rempublicam, sicut caput ad corpus pertineat, pari jure cum membris degere, & ex eorum commodis præfecturæ suæ amplitudinem, ac dignitatem metiri. Hoc doctrinæ compendium, Christiani patres, si in ecclesia, atque adeo in hac sacra œcumenica synodo, valebit, beatos nos quibus leges vestræ non modo spectabiles & præclaræ, sed sacrosanctæ futuræ sunt, ac æternæ: vos vero longe beatiores, qui cum optimarum legum ipsi auctores sitis, solvi tamen etiam vestris legibus recusetis. Hoc demum est Christum legi subditum atque obsequentem imitari, hoc a divini legislatoris vestigiis non discedere, hoc vera pro Christo legatione fideliter fungi, hoc denique non Lesbias ac plumbeas regulas fundere, aut (quod Anacharsis dicebat) aranearum telas texere, sed vere catholicas, vere Christianas, vere conciliares sanctiones condere, quibus facile & veritatis hostibus os obstruatur, & intemperantium hominum ambitio, cupiditasque frænetur.

ANNO CHRISTI 1563. 1. Tim. 1. Matt. 5. Justin. imp. cod. de lege & constit. lege digna.

In hanc vos curam incumbere, sanctissimi patres, Christus ipse non tantum puer natus; sed multo magis circumcisus hortatur, & jubet. Quid enim bonæ rei fere amplius (ut hoc quoque loco circumcisionis dignitatem expendamus) Judæis ac eorum symmystis ὑπερφίλοις illa præputii sectio fuit, quam longius dilati beneficii, & diuturnæ servitutis nota? An non hoc apostolus apertissime significabat, quum diceret? *State, & nolite iterum jugo servitutis contineri: testificor enim omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universa legis faciendæ*. Quod non ob id (opinor) ab eo dictum est, quo sic circumcisionis pretium ac pondus elevaret, aut quod renovati cum illo primario credentium parente, exemplari, ac principe Abrahamo, Adamici fœderis sacramentum eam esse nesciret, sed quo, ex ipsius pacti, cui circumcisio serviebat, conditione & natura, etiam Deum ipsum omnium potentem & cujus voluntatem ac majestatem merito credimus esse debere liberrimam, ἀνυπεύθυνος tamen ac sponte legem quam condiderat subiisse judicaret. Quod si quis me roget, quænam ea sit pactio, cui se dominus omnium, tam admiranda fœderis hujus sanctione volens obstrinxit, equidem ex concepta ipsius stipulationis formula eam esse respondebo, qua se quidem Abrahamo & posteris ejus protectorem, mercedem, Deum denique ac servatorem fore spopondit: ab eodem vero, ut & ipse & soboles ejus, coram se ambularet, perfectus esset, ac benedictionis semen firma fide expectaret, stipulatus est: Quod quia Abrahamus cadens pronus in terram & adorans promittere atque assentiri visus est, pactum certe firmavit, quo etiam Deus ipse, tanquam ex oris sui syngrapha æternum vinctus, atque (ut sic dicam) indispensabiliter obligatus teneri voluit. Porro pactum hoc quoniam divina benignitas immotum, ac sempiternum esse volebat: jurisconsulti prudentis modo ipsum

Gal. 5. Gen. 3. Gen. 14. & 16.

tutissi-

ANNO CHRISTI 1563.

tutissimis utrinque cautionibus adversus omnes satanæ artes ac machinas armavit, ac munit. Nam hinc quidem ut consilii sui immobilitatem ostenderet, promissioni jusjurandum addidit, *ut per res duas, quibus impossibile est mentiri Deum, non modo spem, ac fiduciam certam, sed etiam firmum* (ut ait apostolus) *solatium haberemus*: illinc vero, ut interea, dum expectabatur benedictionis semen, constans perseveraret sponsionis vigor, omnibus iis qui pacti consortio tenebantur, obligationis memoriam ex hujus salutari sacramenti indelebili cicatrice assidue præsentem esse imperavit.

Heb. 6.

Itaque minime mirum est inter antiquas cæremonias, nihil circumcisione solemnius a patribus esse celebratum, quum ea nota gentem quidem B eam, unde proditurus erat Christus, a ceteris nationibus separaret, & ad spem venturi mediatoris perpetuo excitaret: reliquos vero populos novæ & insolitæ religionis admiratione, ad veri Dei cognitionem aliquam ac studium invitaret. Quorum etiam quidam externum Judæorum ritum imitati, non quidem Judæos se, aut proselytos, sed verpos tamen & recutitos effecerunt. Ut hic non taceam, quod in Israelis nepotibus, qui eo stigmate insignitus erat, tantum non cælo (ut ille idem Lucius pontifex ait) adscriptus videretur; eo vero qui carebat filiorum titulo abraderetur. Magno igitur merito tanti fuit Abrahæ filiis hujus sacramenti religio, donec adveniret vindex ac redemptor ille, qui temporibus ante omnia tempo- C ra definitis, assumpto citra necessitatem necessitatis hujus jugo & legum & sacrorum & totius antiquæ διαθήκης ac Mosaicæ παιδαγωγίας onus ab Israelis cervicibus removeret.

Auct. opusc. de oper. cardin. Christi inter scripta divi Cypriani: Herodotus in Euterpe, Strabo de situ orbis in lib. 17.

Hæc fuisse æterno isti puero nostro, patres, hodierni vulneris prima ac præcipua causa Paulo visa est, quum eum sub lege factum esse dixit, ut eos qui sub lege erant, redimeret. Aliæ vero, quas ad hunc locum plerique afferunt, nimirum Christum sic antiquam priscæ hujus religionis vim ac necessitatem approbasse, sic verum se hominem, verum Abrahæ filium demonstrasse, sic Judæorum animos præparasse, sic in similitudine carnis peccati de peccato peccatum damnasse, sic denique patri oblatis sanguinis sui primitiis præ- D clarum illud salvatoris nomen emeruisse: speciosæ quidem sunt, ac veræ, sed hoc fortasse loco minus attendendæ, quam quod ab illo illustrissimo scriptore ac pontifice Lucio ad capiendum hujus beneficii fructum longe uberrimum dictum est appositissime. Jussum est, inquit ille, quondam etiam pueri præputium amputari, ut omnes proprii sanguinis primitias offerrent ei, qui pro omnibus totum sanguinem suum ipse erat oblaturus: ubi vero Christus ipse adfuit, ac circumcisus est, jam non truncationem præputii, sed cordis circumcisionem evangelium imperat, omnemque affectionum petulantiam gladio spiritus jubet resecari.

Gal. 4.

In eodem illo serm. de circumcis. apud Cyprianum.

Utinam, sanctissimi patres, tam salubre consi- E lium ac mandatum incircumcisi, ac spurii ecclesiæ hostes pridem audiissent. Quamquam enim (ut scribit Leo) facile omnes satan in quævis flagitia impellit, quos in religione decepit: vera tamen est Cypriani sententia, qui hæresim homini impuræ & sceleratæ vitæ pœnam esse ait: non enim proclivius aut magis lubricum ullum est in errorem præcipitium, quam sua cujusque incircumcisa vel opum, vel voluptatum vel honorum cupiditas, ac libido. Et sicut ad fidem pia affectio, sic ad errorem nil ferme non potest corrupta morum

Serm. 4. de collect. Cypr. lib. 2. Epist. 8.

inclinatio, quum eam quisque hæresim facillime amplectatur, ac retineat, quam vel turpitudini, vel sceleri suo convenientissimam arbitratur. Explora, (nisi grave est) primos illos hæreticorum σπατηγὰς, Simonem ac Menandrum, eos certe comperies ab incircumcisa pecuniæ aviditate periisse: Excute genus hominum spurcissimum (nostris tamen quam simillimum) Gnosticos ac Manichæos, in tantam mentis cæcitatem, ex impurissimis moribus, & fœdissima carnis salacitate videbis esse prolapsos. Inspice Novatum, Arium, Meletium, & totam illam toties in grege domini renascentem φιλεπισκοπέτων hæreticorum scabiem, reipsa percipies miseros homines vana honorum ambitione deceptos in horrendos illos & phanaticos errores incidisse, tantum nobis, imo vero tantum catholicæ ecclesiæ & priscis illis sæculis & hoc nostro omnium deploratissimo, malorum afferre potuerunt illæ veneficæ, atque omnium hæreseon φαρμακεύτειαι, φιλαργυρίαι, φιλησύνιαι καὶ φιλοτιμίαι, quas tres harpyas (quibus nunc quoque omnia fœdantur) si sapientia & sinceritate vestra, sanctissimi patres, ab ecclesiæ rebus mature abegerit, Philisthinorum præputia, non jam dico centum (ut olim David) sed semel omnia una vestra plaga amputarit.

Ex Epiphanio.

Eadem.

1. Reg. 18.

Nihil hic addam de circumcidenda suæ cujusque conscientiæ pellicula, patres. Non enim ignoro ad eum me hominum ordinem verba facere, qui, ut Hesiodus de præstantissimis mortalium scripsit, ἀνὴρ πάντα νοῆσιν, & non est ejus morbi difficilis curatio, in quo sibi quisque optimus medicus esse potest, hoc tamen unum (si permittitis) patres, vestra bona venia dicam, tantum luxus, tantum fastus in apostolorum successoribus, in Christi vicariis, in Dei hominumque mediatoribus, equidem magnopere vereor, ut divinæ censuræ longanimitas, ac patientia incircumcisum diutius velit sustinere.

In libello cui nomen est & opera et dies.

Sed quoniam vos in eo totos esse Christianus orbis confidit, ut ecclesiam (cujus vos curandis nuptiis Spiritus sanctus paranymphos præfecit) sponso suo Christo omni macula purgatam, mundam, ac speciosam exhibeatis. Equidem existimo ad promovendum hujus instituti vestri successum, plurimum esse profuturum, si primum confessionis vestræ, apostolum & pontificem Christum, hodie demum cum circumcisus est, Jesum esse appellatum consideretis, fuerit licet in illa prima rerum naturæ constitutione magnus, fuerit in cataclysmo admirabilis, in patriarchis consiliarius, in Ægyptia liberatione Israelis ac Pharaonis Deus, in gentium Chananæarum expugnatione fortis, in Davidis ac Salomonis regno futuri sæculi melioris pater, in nativitate denique princeps pacis, non ante tamen quam in hodierna sanguinis effusione, isto omnium clarissimo, suavissimo, sanctissimo, & proprio suo nomine Jesus, est appellatus. Hæc nimirum octavæ diei prærogativa fuit, ut quoniam ad per- E fectum neque naturæ, neque Moseos lex adducebat (unde & octavo die utraque carebat) totis illis septem Mosaici sabbati diebus hoc tam venerabile nomen Dei populus non audiret, sed octavo demum die ipsum sibi proprium Dei filius sortiretur, & donec idem illud hodie cognominatur, perpetuum retineret. Nobis ergo, sanctissimi patres, id est, evangelicæ lucis filius, ad quos imprimis octavus ille, gratiæ dies pertinet, Dei filius Deus ac dominus noster vere Jesus est, id est, omnium salvator, omnium redemptor, omnium tutor, & bonis

Gen. 1. Gen. 7. Exod. 15. libi Josue, reg. 2. et 3. passim.

Christi enim vocabulum ait Tert. non magis proprium est quam vestitus. Heb. 7.

Heb. 4.

ANNO CHRISTI 1563.

bonis omnibus bonorum omne genus auctor, largitorque sempiternus. Qui non ut olim Joseph, aut Othoniel, aut Aod ille ambidexter, gentis unius temporariam, infirmam ac imperfectam pacem aut quietem procuret, sed qui mundi totius certam, integram, æternam, & bonorum omnium solida summa constantem salutem paret, perficiat, ac largiatur. Vnde & nomen ejus nomen novum, laudabile, excelsum, honorabile, magnum, admirabile, benedictum, horribile, æternum, immensum, omnipotens, ac salutare passim prædicatur: omni denique alio nomine majus, non solum quod nominatur in hoc sæculo, sed etiam in futuro, in hoc hominibus pœnitentiam, redemptionem, justitiam annunciari, in hoc Deum invocari, laudari, sanctificari, in hoc pacem omnis creaturæ evangelizari, Christus ipse edicto statuit sacrosancto.

Gen. 41. Jud. 3. Ibidem. Philip. 2.

His titulis atque officiis, patres, divini hujus nominis incomparabilem dignitatem æstimare longe satius esse arbitror, quam in expendendis vocabuli ipsius literis, ac punctis pene singulis, & ad τετράγραμμον, aut aliud Hebræum, Syriacumve Dei nomen exigendis etymologiam quidem subtiliter sequi, sed operam sedulo perdere. Quod qui diligentius & ad superstitionem usque scriptis etiam ea de re libris præstitere, equidem nihil aliud quam curiosa sectatos existimo, tametsi facile assentior in Christianis exorcismis ad nudum quoque vocis hujus sonum partes omnes adversas contremiscere atque exhorrescere vel invitas. Optima igitur & saluberrima exornandi nominis hujus ratio fuerit, non modo ut quoties auditur, cum aperta honoris significatione (ut passim ac pie fit) audiatur, sed etiam toties Christus universorum salvator cogitetur ac credatur.

Luc 24.

Quamquam vobis quidem, sanctissimi patres, quibus præ ceteris salutis hujus dispensatio credita est, longe attentior sit oportet condecorandi atque exornandi hujus nominis ratio. Quæs cum divinæ scripturarum voces Christi ministros ac legatos cognominarunt, quum civitatis Dei vigiles, custodes, gubernatores appellarunt, quum hominum pastores, Christianæ familiæ præfectos, ecclesiarum episcopos, sanctuarii lapides vivos, templi Dei angelos esse dixerunt, nominis quidem hujus exornatores atque encomiastas, salutis autem ipso nomine significatæ œconomos ac dispensatores præcipuos esse docuernnt oportere. Itaque quoniam nominis hujus fui tum illustrissimam gloriam Christus prædixit fore, & cum credentes, & credentium duces ejus virtute ac invicta δυνάμει dæmonia ejicerent, serpentes tollerent, venena illæsi biberent, ægrotos manuum impositione curarent, si & divinum istud nomen pro officio illustrare, & illos titulos vestros merito retinere constituistis, serio vobis conandum, ac viribus omnibus contendendum est, sanctissimi patres, ut primo quoque tempore meridiana nocturnaque dæmonia a populo Dei pellantur, & in ista, quæ piis omnium votis a vobis reposcitur & divinitus exigitur: ecclesiæ repurgatione ac reformatione non solum adversus carnem & sanguinem, id est, privatas cujusque animi corporisque illecebras strenue ineunda colluctatio est, sed etiam si opus erit, adversus principes & potestates, adversus quosvis hujus sæculi κοσμοκράτορας rectores tenebrarum harum in gladio & nomine isto, Davidis instar, fortissime dimicandum. Hæc enim prope una spes restat, hæc una compendiosissima via & ratio supereſt, qua pestiferæ doctrinæ viperas & serpentes tam diu electorum calcanco insidiantes ad Christianæ confessionis petram calcare, conterere & collidere possitis: hoc reliquum est antipharmacum atque alexicacon μῶλυ, quo præmuniti de nostris ipsorum vitiis fere collectum atque attemperatum errorum venenum & diluere, & illæsi absorbere valeatis.

Cor. 4. Cor. 5. Ezech. 3. & 33. 1. Pet. 5. Luc. 22. Act. 20. Petr. 2. Matth. 16. Ephes. 6.

Et quoniam non leve ægrotis afflictisque solatium promissum est eis, quibus in hoc sacro nomine forent impositæ sanctorum manus, Pergite obsecro atque obtestor vos, sanctissimi patres, afflictorum commiserari, ægrotisque salutares manus imponere, & eorum vitam ac salutem apud divinam clementiam qua soletis pietate adjuvare. Non enim ignoratis quam multas & quam insignes Christiani corporis partes contagiosa hæc falsorum dogmatum lues, & vere θεομάτος pestis invaserit, & in exitialem ægritudinem induxerit, facile animadvertitis hunc iræ & furoris Dei calicem esse, & jam diu ex hoc in hoc inclinari, necdum tamen fecem ejus esse exinanitam: sperandum nihilominus atque orandum semper, neque unquam deficiendum esse. Nam sicut qui repurgatos quidem olim naturales olivæ ramos voluit, obtruncatos tamen non voluit: sic hoc fortasse tempore excussos utique speciosos liliorum flores voluit, avulsos certe aut eradicatos non voluit. Ideoque & jam fecit ipse nobiscum signum in bonum, ut audiant mansueti ac lætentur: stetit enim cum electis Israel, qui præliatur prælia domini, Guysianus ille, Phinees noster, stetit inquam, & placavit, & ob id, spero propediem cessabit quassatio. Beati ergo, qui recte & pie intelligent super egenum, afflictum, & pauperem, & castigatos ac probatos a domino amicos ejus, ut quondam Job Davidem ac Tobiam, non despicient: sed hodierno Christi exemplo fratrum afflictorum sortem commiserati, eorum salutem ex animo mecum hac oratione domino Deo cummendabunt,

Divinitus illata pestis Esa. 51. & Hier. 25. & 48. Psal. 74. Luc. 18. Roma. 11. Job 2. & 10 & 30. Regum 16. Tob. 2.

TOBIÆ IV.

Benedictum est nomen tuum Deus patrum nostrorum, qui quum iratus fueris, misericordiam facies, & in tempore tribulationis iis qui te invocant peccata dimittes. Non est in hominis potestate consilium tuum, hoc tamen pro certo habet omnis qui te colit, quod si vita ejus in probatione fuerit, coronabitur: si in tribulatione fuerit, liberabitur: & si in corruptione fuerit, ad misericordiam tuam venire licebit. Sit nomen tuum Deus Israel benedictum in sæcula. Amen.

CVI.

DE NOMINE JESU ORATIO, *ad sacrosanctam Synodum Tridentinam, auctore Gaspare Cardillo Villalpandeo Hispano Segobiensi, doctore theologo* MDLXIII.

CHRISTUS servator hominum imbecillitatis nostræ atque miseriæ satis conscius, cum pro sua singulari benevolentia erga nos, & admirabili caritate qua dilexit mundum, cuperet nobis opitulari, hoc documento admodum salutari atque cœlesti nos instruit, ut cum re quapiam indigemus, cœlestem patrem adeamus, & eumdem in nomine suo, si voti compotes evadere velimus, nostris precibus solicitemus: fiet enim vobis, ait, qui fidelis est, & mentiri nequaquam potest, quicquid petieritis patrem in nomine meo: id si verum est, eum quibusvis aliis

necessita-

ANNO CHRISTI 1563.

necessitatibus laboramus, dubitari nulla ratione A
potest, quin sit ille nobis longe magis præsentaneam opem laturus, qui angustiis premimur inextricabilibus, dum sacrorum mysteriorum parum conscii, artis benedicendi ignari, omnium bonarum disciplinarum rudes, usus rerum inexpertes, denique præsidiis omnibus atque ornamentis animi destituti, in hoc celeberrimo & clarissimo orbis theatro, coram principibus in omni genere literarum, prudentiæ & pietatis viris, de re omnium gravissima difficillimaque, de nomine, inquam, Jesu orationem hodierno die sumus habituri: ac nisi hæc unica spes mihi reliqua facta fuisset, proculdubio ab incepto destitissem: illa tamen me recreat reficitque, illa mihi vires suggerit, atque animum facit ad B
dicendum amplissimum. Pulsemus igitur precibus eumdem, atque in nomine Jesu ab eodem enixe petamus, ut depulsis ignorantiæ tenebris, ita mentis nostræ penetralia divini luminis splendore collustret, ut dum vobis, sanctissimi patres, sicut decet, ac par est, hac in re morem gerimus, brevis a nobis de nomine Jesu oratio instituta, non sine ingenti fructu spirituali decurrat: eam rem magno compendio consequemur, si carissimam Christi matrem precibus allegaverimus: annuet illa, ut solet, piis votis, si legationem cœlestis paranymphi, qua mirifice affici consuevit, in memoriam ejus revocemus, dicentes: Ave Maria.

C

Postquam consummati sunt dies octo ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus Jesus, quod vocatum est ab angelo, priusquam in utero conciperetur. Luc. 2.

ILLUSTRISSIMI legati, oratores clarissimi, sanctissimi patres. Octavus hic agitur dies, ex quo Dei verbum e sinu patris processit, ut caro fieret, ecce hodie prodit ex materna domo, id est, admodum humili tuguriolo: ut nobis, pro quibus humanam carnem induerat, palam sese ostendat: & anni exortu prospera cuncta atque læta nobis reddat: cum sanguine fuso desideratam diu ardentibus votis pacem confirmat, quam ex æthereis sedibus in terras advexerat: & nomen sumit, ut D
eo agnosci atque invocari ab omnibus possit, qui paucis hactenus, ut scriptura refert, notus erat: hunc ego vobis annum, patres, faustum admodum atque lætum in Christo precor.

Evangelium, quod hodierno die sancta Romana ecclesia nobis explicandum præbet, pauciſſimis tantum, quæ retulimus, verbis constat: ac licet verborum apparatu admodum exiguum sit, copia, & mysteriorum magnitudine, non facile possit longiori cedere: quamquam enim omnes sacræ literæ illud peculiare contineant atque suum, contra quam prophana hominum scripta, ut plus habeant in recessu, quam fronte promittant: sit interdum, sic dispensante divina sapientia, ut brevi aliqua oratione sacratiora mysteria, & ma- E
jora sacra condantur, quam longa: quod accidit in præsentia, atque ut rem universam initio orationis meæ in summa dicam, duo sunt maxime, quæ paucis his verbis sacer evangelista Lucas nos docet. Primum narrat octavo die post ortum suum, humani generis redemptorem vindicemque, juxta præceptum Mosaicæ legis esse circumcisum. Deinde nomen ei positum fuisse, & appellatum esse Jesum, quod sane nomen non accepit ab homine communi more, sed a Spiritu potius cœlesti divinoque: neque cum in lucem editus esset, ut vulgo fit, sed priusquam in utero conciperetur, quod idem evangelista testatur, cum ait: trepidanti virgini angelum dixisse: *Ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Deum: ecce concipies, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jesum*: quam appellationem æternum patrem sublimi in solio residentem dilecto filio suo olim dedisse dono, Paulus testatur, cum ait: *Exaltavit illum Deus, & donavit illi nomen*. De utroque igitur mihi dicendum est hoc tempore, volente Deo, ea brevitate, quam res usque adeo gravis, difficilis atque impedita pati possit: eo etiam splendore, quem ingenii nostri mediocritas tulerit: modo vos, sanctissimi patres atque lumina orbis terrarum, vestra consuetudine, id est, intentis animis me quoque dicentem audiatis.

ANNO CHRISTI 1563. Luc. 1.

Quoniam circumcisio populo Israel ea potissimum causa præcepta est, ut haberet ad manus præsens aliquod efficacissimumque remedium adversus culpam illam, quæ a primo parente ducta, atque in universum genus hominum transfusa cum semine, in ipso nostro ortu natura contrahitur: Christus vero servator noster contagium mortis antiquæ prima sua nativitate non sensit, sed omni prorsus vitio caruit, videbitur fortasse cuipiam frustra tam atrocem cruciatum tenerrimus infans substinuisse: ceterum si rem altius inspiciamus, plane comperiemus, hanc ipsam, de qua loquimur, Christi circumcisionem, non modo utilem fuisse, sed præterea multis nominibus necessariam: ut enim libenter fateamur, sacramento circumcisionis vindicem atque assertorem libertatis humanæ minime indiguisse, dici non potest, quot & quantas salutis hominum atque vitæ utilitates attulerit: ut existimare debeamus, non sine admirabili quadam providentia, divinoque consilio, eumdem pro nobis circumcidi voluisse, quorum saluti plurimum studebat.

Ut enim hinc exordiar, nisi Christus Jesus sacramento circumcisionis fuisset initiatus, atque adscriptus populo Israel, difficile sane aditus patere posset ad persuadendum genti Hebræorum, quod efficere cupiebat maxime, se esse Abrahæ genus: cui circumcisio imperata est, atque insuper illum prophetam, quem Moses prædixerat Hebræis, ex eorum fratribus & familia excitandum esse a Deo: itaque nisi circumcisus esset, tanquam alienigena, a Judæis cum ratione rejici posset: neque ullam apud eos ejus oratio fidem inveniret. Deinde eo consilio factum putamus, ut genus hominum ab hujusmodi sanguinario sacramento eriperet, & cum eo veterem legem onustam cæremoniis, & præceptis gravem, nostris humeris depelleret: cum enim antiqua lex, Christi servatoris nostri umbra esset, necesse quidem erat, orto sole, umbram dissipari atque evanescere: pro cruenta vero circumcisione, placidum baptisma: pro molesta & gravi sarcina vetustæ legis, jugum quoddam suave, & onus admodum leve reliquit nobis: si, ut Paulus monet, spiritu gratis imbuti, in caritate non ficta ambulaverimus. Sanguinem præterea fudit, ut hominum salutem, quæ juxta æterni patris decretum ejus vita constare debuit, & quam ut procuraret, paulo ante naturam humanam cum divina conjunxerat: jam jam negotiari inciperet, atque eodem antiquis nostris vulneribus mederetur, quæ nondum obducta cicatrice, dirum adhuc atque pestilens virus evomebant: ad eam enim rem præstandam, neque commodius ullum, neque efficax magis opobalsamum inveniri, excogitarique poterat? O summum medendi artificem! O animorum curato-

ANNO CHRISTI 1563.

rem admodum peritum : neque peritum modo, sed mitem etiam atque benignum : ut & sciret, & vellet nostris infirmitatibus compati, easdemque sanaret !

Audite divini medici, patres, peritiam singularem, atque affectum erga nos, qui pene jam eramus deplorati : nulla nobis pharmaca propinat, non potionem amaram porrigit, non patitur nobis scindi venam, neque putrescentia membra nostra cauterio aduri, non adhibet externa fomenta, vulgaria omnia remedia consulto prætermittit : quæ cum affectis locis admoventur, gravem dolorem ægris adferre solent : ut enim nullum inferant alium, certe stomachum turbant, nauseam movent, & cum nusquam molesta non sint, sæpenumero sine ulla nostra utilitate sumuntur, ac nocent interdum. Christus pro nobis acerbos atque insuaves syrupos bibit : ille acetum & fel gustavit, & quæ vulnera sentire fomenta non poterant, curavit ferro : nam carnem suam lubens volensque hodierno die pro nobis gladio secandam præbuit, atque in tenerum corpus suum crudelissime adacto cultello, pestilens ex nostro, exitialeque venenum extraxit : ut verum sit, quod *Isaiæ 53.* de eodem Isajas narrat : *Vere languores nostros ipse portavit, & dolores nostros ipse tulit* : cui Petrus consonat, cum ait : *1. Petr. 2.* *ipse peccata nostra pertulit in corpore suo* : ejus enim inopia, nos divites facti sumus, ejus ignominia, nobiles : ejus imbecillitate, fortes atque robusti : ejus fletu, hilares, & jucundi : ejus sanguine, recreati : *ejus livore sanati sumus* : ejusdemque mors, immortalis atque æternæ vitæ causa fuit. Unum illud a nobis requirit, patres, *ut peccatis mortui, justitiæ* *Ibidem.* *vivamus* : nemo igitur sibi blandiri velit, existimans Christi circumcisionis se usquam participem esse, qui non prius summo studio, accurataque diligentia in eam rem incubuerit, ut anteactæ vitæ pertæsus, atque etiam contractas sordes abluerit pœnitentia : veterem hominem, qui corrumpitur, cum vitiis & concupiscentiis suis & exuerit, & abjecerit procul : atque insuper novum induerit, qui secundum Deum creatus est : hæc illa nova est, & perpetuo duratura circumcisio : ad hanc nos, vetere abrogata, suo exemplo Christus provocat : hanc sancta ecclesia Dei, sedulo revocata in memoriam nostram singulis annis Christi circumcisione, docere nos vult : hanc ille modo, qui se ita composuerit ut abnegata omni impietate, sobrie, caste, & pie vixerit, se feliciter imitaturum confidat, Pauli testimonio.

Insuper dum dissecata sanctissima carne sua, sanguinem pro nobis copiose, & liberaliter fundit, adactis stimulis, non solum Christus incitat nos, ut corda nostra scindamus, dolore, gemituque ex flagitiis & pravis facinoribus, quibus hactenus cooperti sumus, concepto, sed futuræ quoque necessitati providet, adhibetque remedium : sciebat enim is, cujus divinis oculis nuda atque aperta sunt omnia, consequentibus temporibus non defuturos homines, imo potius feras truculentas, luposque rapaces, qui ore impudenti, & sermone blasphemo prædicare non vererentur, Christum Jesum verum hominem minime fuisse : huic errori modo occurrit : hanc blasphemiam exagitat : hanc teterrimam heresim profligat, dum circumciditur, dum abscissa carne dolet, dum sanguinem fundit.

Erubesce igitur Cerdo insane, disce hinc sapere Marcio temerarie, mentem muta pestilens Manichæe, defere sensum tuum impie Priscilliane : agnoscite in Christo Jesu humanam naturam in unam hypostasim cum divina coalescentem atque conjunctam : neque enim id genus affectus in eum cadere possit, qui re vera homo non sit : tu quoque perfide Ari & veterator, dum ab angelo legis imperio Dei positum Christo nomen, & appellatum esse Jesum : cum nondum in utero matris conceptus esset, insanissimi erroris convictus fatearis necesse est, sub his teneræ carnis involucris divinam adesse naturam.

ANNO CHRISTI 1463.

Postremo veteri ecclesiæ, quæ circumcidi hominem jubebat, Christus obtemperat, & cum sub lege non esset, legi se subjici passus est : ut nos exemplo suo, ad obedientiam ecclesiæ, & mandatorum ejus observationem hortaretur : quæ tam est homini ad æternam vitam comparandam necessaria, quam ad hanc vitam quam vivimus, corporis alimentis indigemus. Huc spectat illa Christi vox apud Lucam evangelistam ad ecclesiam : *Qui vos audit, me audit :* *Luc. 10.* *& qui vos spernit, me spernit* : & quod inquit per Matthæum : *Qui ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus & publicanus* : *Matth. 18.* ut summa quadam ratione ad ejus studium sapiens nos inflammare conatus sit : cum enim legum ab æterno patre conditarum mentionem intulisset his verbis : *conserva fili mi præcepta patris tui*, ecclesiæ *Prov. 1.* quoque præcepta memorat, dicens : *& ne dimittas legem matris tuæ* : cujus strenuam culturam cupiens nobis maxime commendare, subjungit, *liga eam in corde tuo jugiter, & circumda gutturi tuo : cum ambulaveris, gradiatur tecum : cum dormieris, custodiat te : & evigilans loquere cum ea*, est enim paternum mandatum : quod ejusdem Salomonis divinis literis consignatum lucernæ instar est : ecclesiæ vero lex, atque doctrina, lux est. Quemadmodum autem lucerna sine luce prodesse nequit : ita quoque divina mandata, nisi ecclesiæ auctoritas accedat, & ab ea illustrentur, proficere homini nulla ratione valent. Est enim ecclesia, incorruptus judex, & fidelis interpres sanctarum scripturarum : illa nobis sacros libros dedit, eadem illos discrevit a prophanis, ejus admirabilis atque divina lux universas illas tenebras, quæ sacris olim libris continebantur, discussit, disjecit, depulitque : hæc omnem controversiam dirimit : & scrupulos eos, qui nos male habere solent, nostris animis eximit, dum obscura quæque & involuta interpretatur, ut magna ratione quicumque ab ea, cum de fide quæstio est, ad scripturam sacram provocat, fidei proditor atque desertor constituatur : qui vero se ab ejus disciplina quocumque modo conantur eximere, capitales imprimis inimicitias cum Christo gerunt : ut enim magnis auctoribus placet, non potest Deum habere patrem, qui ecclesiam non agnoscit matrem : non agnoscit autem ecclesiam, qui non illam studiose colit, qui sanctissimas ejus leges non reveretur, qui ritus omnes antiquos, qui statas cæremonias, qui vetustas traditiones non observat, qui auctoritatem, majestatemque universalis ecclesiæ pastoris non amplificat cum ratione, si possit : denique qui non universam Christianæ reipublicæ disciplinam alta mente reponit.

Duo sunt, sanctissimi patres, quod vos probe nostis, veluti lapides Lydii : unum est, si pontifici maximo libenter pareamus, & ejus dignitatem sartam tectam servemus, quem in ea ecclesia, quam sanguine atque vita fundavit sua, tanquam in suo regno Christus Jesus successorem reliquit : ut hanc, quam cernimus, universam reipublicæ

Christia-

ANNO CHRISTI 1563.

Christianæ moiem auctoritate atque prudentia A sua moderaretur: atque inde ceteris omnibus, qui sunt in eadem, veluti ex capite atque fonte gubernandi atque agendi vis & facultas omnis derivaretur & promanaret. Alterum est, si Christianæ reipubficæ disciplinam toto (quod ajunt) pectore amplectamur: quæ majorum probitate, doctorum consensu, & tot populis, totque sæculis probata recte vivendi consuetudine potissimum constare videatur: nam contempta illorum auctoritate, qui ecclesiæ præsunt, aut hujus politiæ ordine perturbato, subito corruat universa morum disciplina necesse est, atque omnes quo libido fert, tanquam vinculis soluti, aut potius furiis agitati in quodvis flagitii genus prolabantur: ergo qui alterutrum violat, proculdubio defe- B ctionis crimine aut perfidiæ vacare non potest: in quo vitio ætate nostra universam illam hæreticorum colluviem esse scimus, quo Martinus Lutherus suo magisterio dementavit, quantumvis illi se speciosis rationibus tueri velint: fatemur enim, neque sine incredibili animi dolore atque acerbitate, quod hæretici nobis objiciunt, atque ob eam rem vetere de medio sublata, novam in terris ecclesiam fingere & constituere moliuntur, in nostrorum hominum disciplina esse nonnulla, emendatione atque animadversione dignissima: non inficiamur aliquantulum nos ab optimorum parentum religione, pietate, ac sanctimonia defexisse: quod partim socordia nostra accidit: partim temporis injuria, quod omnia solet in pe- C jus mutare: denique vivendi licentia, quibus corrigendis sacrosancta ista comitia vestra, ecclesiasticique conventus cojerunt, sed nunquid continuo rerum ordinem propter abusus convellemus? nunquid œconomiam illam, quam Deus optimus maximus tanquam prudentissimus paterfamilias in sua domo esse voluit, perturbabimus? atque illum ordinem, quem Christus posuit in republica sua, prorsus de medio tollemus? aut quemadmodum Lycurgum ferunt, propter eos, qui ad temulentiam vino abutebantur, vites penitus excidisse, ita quoque nos propter quorumdam deformatos mores, non reformandam vivendi normam, sed radicitus extirpandam atque abrogandam existimabimus? D & quod pessimum omnium est, illam cum nova ex impurissimo, atque admodum insano cerebro Martini Lutheri orta, commutari patiemur?

Quis est, obsecro vos per Deum immortalem, patres, tam immemor beneficii accepti, tam paternæ caritatis oblitus, tam ab omni denique officio atque humanitate abhorrens, ut propter paucas rugas, & nonnulla corporis vitia, quæ cum ætate a nobis necessario contrahuntur, non modo matrem non agnoscat suam colatque, sed etiam cum dedecore a se quam longissime abjiciendam arbitretur? Ego vero ita mihi persuasi, qui ut ecclesiæ maculas abstergant, purgentque, perinde illam tractant, atque hæretici nostris E temporibus: persimiles esse iis, qui ut corrigant peccata, vel morbos adimant, homines ipsos de medio tollunt: aut qui se domum strenue purgasse censent, quod fuerint illam funditus demoliti: tollenda zizania non sunt, dum appetit tempus messis, quod Christus ait, ne simul cum his segetes evellamus: contentos vero sorte nostra, nisi per nos facile possint corrigi, de aliis *Matth. 4.* non oportet admodum esse solicitos: obedire tamen imprimis ecclesiæ debemus exemplo Christi, qui, ut nos salutari obedientiæ mancipa-

ret, nulla necessitate sua, legi se submisit. Jam vero de nomine Jesu, quod initio polliciti sumus, succincte, & sub quadam brevitate dicamus, quod ut commodius præstare possimus, iterum benevolentiam vestram atque attentionem animi patres imploro. ANNO CHRISTI 1563.

Mysteriorum, quæ in hoc nomine latent, de quo dicere instituo, patres sanctissimi, ponderesque facile obruemur, si omnia persequi vellemus scrupulose: ego vero recondita atque abstrusa nimis, relinquens illis, qui me magis ingenio valent, & sanctarum scripturarum peritia, ea tantum persequi curabo, quæ ad rem pertinere plurimum videbuntur, & negotii minimum facessent. Quid enim, obsecro vos, in eo nomine mysterii non insit, quod filio suo æternus indidit pater, & per angelum patefecit hominibus, cum nondum in utero matris formatus esset, quid non in eo nomine sacramenti contineri credimus, quod Paulus ait esse super omne nomen? Si verum est, quod graves in primis philosophi nobis tradiderunt; collocari nomina solere juxta naturas rerum, ego non video, cur debeat, aut possit cum hoc nomine ullum aliud de dignitate & præstantia certare. Jesus etenim (quod Lucas evangelista nos docet his verbis ad virginem: *Paries filium, & vocabis nomen ejus Jesum: ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum*) redemptorem servatoremque significat. Captivum quempiam in libertatem asserere, magna quidem res est: at populum, at gentem aliquam, & orbem terrarum universum, excellentissima quidem res est, aut potius divina, tum maxime, cum ii, qui tenentur captivi, nulla virtute sua, nullis facultatibus, nulla suorum ope usquam e vinculis eripi possunt. Christus vero servator noster, quod in se fuit, universum genus hominum gravi quadam tyrannide ac servitute oppressum, unde extricari vi sua nullo pacto valebat, non argento quidem, aurove, sed pretioso sanguine suo, aut potius vita ipsa divina in libertatem vindicavit. Hoc nos plane beatus Petrus docet, cum ait: *Non corruptibilibus quidem auro vel* 1. Pet. 2. *argento de vana vestra conversatione redempti estis: sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi incontaminatique empti estis pretio magno*. Paulus ait. 2. Cor. 6. Neque contentus ea re, insuper etiam, chirographum illud, quo nos debitores constituebamur satanæ, mundo, & carni, sanctissimæ cruci suæ sic affixit, ut amplius debitum repetere debitores non possint: ipsos etiam tyrannos tam misere debilitavit, affixit atque oppressit, ut in posterum cum homine, de quo tam esset Christus benemeritus, hostes acerrimi, humani sanguinis sitientissimi, sedulique aperto Marte congredi non auderent.

Merito igitur, ut dicebam, verbum divinum caro factum, nomen Jesu, hoc est, salvatoris accepit. Accepit autem hoc nomen in circumcisione, id est, cum antiquum sumit sacramentum, ut nos ipsos hoc cœlesti magisterio imbuat, eam viam tutissimam esse & compendiariam, maxime ad percipienda cœlestia beneficia, æternamque salutem, si ad ecclesiæ sacramenta confugiamus, per quæ tanquam per canales quosdam Christus statuit, ut ad nos divina gratia derivaretur: qua bonis operibus fœcundi, ejus amicitiæ arrhabonem & pignus admodum securum haberemus. Heu perditos ter quaterque, atque omni salutis præsidio destitutos hæreticos nostra tempestate, qui sacrosanctis sactamentis, id est, divinæ gratiæ bellum indixerunt: heu, heu miserandam, & ter quaterque dolendam eorum sortem, qui fontes aquæ vivæ,

ANNO CHRISTI 1563.

& salientis in æternam vitam non turbaverunt modo, sed omnino sibimetipsis extinxerunt, præcluseruntque.

Quamquam autem in nomine Jesu multæ atque maximæ virtutes insint, harum pleraſque, neque vulgares, ut opinor, magno compendio, pro sua sapientia singulari Salomon complexus est, cum Christi nomen oleo effuso compararet, dicens: *Oleum effusum nomen tuum*; magnam etenim cum oleo affinitatem habet hoc nomen, quod summa quadam brevitate monstrabo. Imprimis oleum symbolum esse scimus hilaritatis atque lætitiæ: hinc ethnici homines geniales dies celebraturi, quo tempore hilares atque læti videri cupiebant, unguentis delibuti ex oleo factis, in publico se conspiciendos præbebant. Vitæ quoque magister cum vellet a jejunio hypocrisim arcere, quæ tineæ instar egregie facta corrumpit atque consumit, hilares & jucundos nos esse jubet, dicens: *Tu autem cum jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava, ne videaris hominibus jejunans*: & cum docet pluris faciendam esse nobis reprehensionem acerbam viri boni, qui nos quibus hæremus peccatis revellere studet, quam improborum hominum assentationem, blandaque verba, quibus læti atque hilares effici solemus: hilaritatem animi oleo comparat, cum ait: *Oleum autem peccatoris non impinguet caput tuum*. Oleum præterea ad vires parandas, & retinendas in corpore plurimum valet: ob eam olim athletæ cum in pulverem descendebant, dimicaturi cum aliis, oleo se totos perungebant: ne pugnando, spiritibus transmissis per patentes corporis meatus, quos oleum obturat atque obducit, vires dissiparentur, atque ita minori negotio victi caderent. Leniendi etiam, atque emolliendi vim habet maximam, quod plane constat, quod si e capsula, vasculove quo continetur, extractum passim effundatur, mirabiliter fragrantia sua homines afficit, excitatque.

Cant. 17. Matth. 5. Psal. 140.

Tot igitur nominibus sapientissimus Salomon nomen Jesu oleo effuso simile esse ait; neque sine magna profecto ratione: primum enim mirabilem quamdam, etiam in mediis malis positis, nobis lætitiam & adfert hoc nomen: hinc illa Joannis vox priori epistola: Ejus nomen *consolatur nos in omni tribulatione nostra*: nam ejus memoria omnem nobis molestiam discutit, omnem mœrorem adimit, depellit animis omnem solicitudinem: est enim æneus ille serpens, ut idem Joannes in evangelio testatur, quem Moses exaltavit in deserto: ut in eum intuentes omni malorum genere liberarentur. Unde tantum ac tam profusum gaudium Christi discipulis adfuisse credamus, ut immaniter flagris cæsi, & fustibus contusi, læti tamen ac hilares abirent? non aliunde quidem quam ex nomine Jesu memoria repetito: quod acta apostolorum sic exprimunt: *gaudentes ibant discipuli a conspectu concilii: quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati*. Unde erupit illa vox gaudii atque lætitiæ plenissima: *nobis donatum est ut pro Christo pateremur*? proculdubio ex nomine Jesu.

1. Joan. Idem 3. Act. 5. Philip. 1.

Nomen ergo Jesu in animum admissum, & conditum intra præcordia inenarrabilem nobis lætitiam parit, emollit quoque animum, & turbulentos affectus componit, sedatque tumultus: nam ex quo tempore Christus in terris ortus est, diruta maceria est, inter Deum atque hominem pax coire cœpit: & inter ipsos homines concordia regnare visa est, dum eisdem beneficio Jesu data facultas est, diram libidinem coercendi, domandique appetitum: qui post primi parentis lapsum, non parere (cum natura servus sit) sed imperare potius reginæ rationi solebat; hæc est illa pax, quam cœlestis paranymphus generi hominum attulit e cœlis, & renunciavit, dicens: *in terra pax, in hominibus beneplacitum*: hanc eamdem: cum a nobis abiret Christus, his verbis confirmavit, *pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis*, eamdem esse exoriturum hoc tempore, inter ceteros vates sacer Isajas plane atque aperte prædixerat. Mirabile præterea nomen animos facit nobis, suppeditatque vires: quibus instructi atque armati, insuperabiles, ut ita dicam, hostes superemus, *neque enim est aliud nomen sub cælo*, ut scriptura refert, *in quo nos oporteat salvos fieri*, quando his, qui credimus in nomine ejus, Joanne referente, potestas datur, ut filii Dei efficiamur & simus: dum vita supereſt, quæ militia quædam est, vel Jobi testimonio, Christus nos ad pugnam hortatur: ac ne simus de victoria soliciti, gaudete, inquit, bono animo estote, forti atque constanti: audacter cum hoste confligite, reportabitis proculdubio victoriam: ego enim jam vobis mundum vici: ego fortem superavi, ejus ego arma diripui, comminui vires, debilitavique: hoc duce quis tam imbellis est, aut timidus natura, qui cum hoste suo non audeat in certamen descendere? hoc tam strenuo tutus imperatore, quis non confidenter pugnam capessat? *si consurgant adversum me castra*, ajebat David, *non timebo malum, quoniam tu mecum es: si exurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo*: si Christus pro nobis, quis contra nos?

Act. 4. 1. Joan. 1. Psal. 26.

Ubi vero diffundi cœpit hoc nomen olei instar, ubi non in Judæa modo, sed etiam inter gentes, coram regibus & principibus Christus prædicari cœpit, ejus nominis fragrantia tam mirifice omnium mentes ad pietatem excitavit, ut Paulus dicat in ejus nomine omnium genu flexum esse, ad ejus pedes omnia procubuisse, cœlestia, terrestria, atque inferna: ac postquam in æthereas sedes remeavit, unde acturus negotia nostra in terras venerat, traxit ad se: ergo nomen Jesu admodum accommodate, convenienterque sapientissimus Salomon oleo effuso comparavit: habet tandem idem nomen, quod attinet ad hanc rem, aliam quandam vim admirabilem atque divinam, quam Christi ipsius voce atque doctrina didicimus: ea est, ut quocumque loco, & tempore quocumque fuerimus congregati, & de aliquo super terram consenserimus, præsto sit Christus futurus, qui medium se inserat, neque errare eos sinat, qui in ejus nomine cojerunt: & sane non rationi modo consentaneum erat, sed etiam necessarium: ut qui ecclesiam in terris prædicatione sua, sanguine suo, vitaque sua erectam & fundatam relinquebat: modum quoque & rationem doceret eamdem, qua necessitatibus atque malis subinde nascentibus in perniciem ecclesiæ obviam ire posset. Promisit igitur se adfuturum, cum in suo nomine procerum ecclesiæ concilia cogerentur ad stabiliendam veterem disciplinam, ad tuendam Christianam fidem purgandamve, neque timor nos ullus solicitare debet: ne ille usquam ab hujusmodi sanctissimo cœtu absit, qui fidem suam ecclesiæ dedit, se permansurum cum eadem, atque id propria manu apud Joannem chirographo confecto, conceptisque verbis, cum ait: *non vos relinquam orphanos, veniam ad vos*: & planius, cum discipulis, inquit, qui ecclesiam repræsentabant: *ego vobiscum*

Matth. 28. Joan. 14.

ANNO CHRISTI 1563.

biscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi. Insuper etiam Spiritum sanctum suum e summo vertice cœli in terras venturum esse promittit: qui perpetuo haberet apud nos, & ecclesiam instruat monitis salutaribus, cum ait: *Ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis*, patronum inquam alium, monitoremque: *ut maneat*, inquit, *vobiscum in aeternum*: & paulo inferius: *Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia.* Christi igitur auspiciis, qui ecclesiæ suæ præsidet, omnia nobis prospera atque felicia contingent. Spiritus sancti magisterio, qui ecclesiam doctrina imbuit, omnis erroris caligo prorsus dissipabitur: patrocinio æterni parentis ecclesiæ munitæ quæ tanta vis ab hostibus veritatis & religionis inferri aut intentari possit, quæ non subito quam longissime repellatur?

Joan. 14.

Audent nihilominus, patres sanctissimi, hæretici hac tempestate conciliorum auctoritatem in dubium revocare: quid dico revocare? explodunt, & concuicant pedibus apostolicas sanctiones, atque universalis ecclesiæ decreta convitiis proscindunt. Quærat fortasse quispiam, quo argumento ducti, quave ratione persuasi id faciunt: illa nimirum, patres, fallaci admodum atque captiosa, quod in his ipsis comitiis vestris adsit interdum æmulatio, contentio, rixæ, partium studium, ambitio, rerum cujusque propriarum amor, publicarum rerum negligentia, atque contemptus: absit veritatis indagandæ & constituendæ cupiditas, fraterna caritas, pietasque quæ cœlestem spiritum consequuntur: at vero, si rem propius contemplemur, plane reperiemus ea potissimum causa insanos homines conciliis œcumenicis detrahere, ut hanc tutissimam viam, firmissimamque rationem, quam a Spiritu cœlesti edocti sumus ad hæreses confutandas, ad sublevandam morum disciplinam, & reprimendam temeritatem hominum mente perditorum nobis præcludant, si possint, ac se ita tueantur: hinc illæ lacrymæ, huic rei maxime timent, hæc illos male habet: & eorum conscientiam exagitat, neque immerito, mea quidem sententia: hæc enim sunt castra Dei hostibus ecclesiæ terribilia: hæ Spiritus sancti acies, ad superandos fidei desertores instructæ: hæc agmina cœlestium spirituum, qui nulli usquam cedere consueverunt: hæc denique robustissima illa manus David validissima petra communita, ad prosternendum immanissimum tyrannum Goliath, si quando populo Israelitico pergat maledicere, quamquam enim his sacrosanctis conciliis vestris cœlestem Spiritum ecclesiæ rectorem, patronumque, minime interesse crederemus: ipsa patrum, qui convenerunt in unum, sanctimonia, pietas, religio, usus rerum, doctrina insignis, rara eruditio, diligentia extrema, curaque, ipsa denique ratio atque forma tractandi singula: facile possint perditos istos nebulones mendacii atque blasphemiæ arguere, modo vero constitutissimum habeamus præsentem adesse his synodis, simul cum cœlesti paracleto Christum Jesum: dubitari sine infamiæ atque perfidiæ nota non potest, quin perinde atque oracula divina, rata, & firma habenda sint, quæcumque vos, patres sanctissimi, his ecclesiæ conventibus sacrosanctis decreveritis, modo id legitime fiat, id est, consensu auctoritateque summi pastoris, cui Christus dominus in Petro ecclesiæ suæ gubernacula commisit.

Extrema vero insania & perdita calumnia Martini Lutheri, Calvini, & ceterorum prorsus nihili facienda est, qui ut apparet, fastidio veteris disciplinæ rebus novis student: & ira potius & cupiditate, pessimis consultoribus pertracti, quam honesta ulla ratione ducti, ut erroribus suis patrocinentur: homines vitæ impurissimæ, frontis perfrictæ, & qui simul cum cuculla omnem pudorem abjecerunt, non solum sanctis synodis robur, atque auctoritatem conantur adimere, sed ecclesiæ quoque Christi detrahunt, in pontificem maximum, in vos ipsos patres, atque in universos sacerdotes, debacchantur: omnibus bonis viris sunt injurii: nullam antiquitati, nullam consensioni fidem habent: atque id tam impudenter, & animo usque adeo pertinaci, ut palam libris editis affirmare non vereantur, se minime unquam sententiam mutaturos.

ANNO CHRISTI 1563.

Vos autem, sanctissimi patres, quando quidem omnibus hominibus estis debitores, & in hoc sublimi monte positi, in hoc excelso dignitatis gradu estis collocati, unde facile ab omnibus conspici possitis: ita vos gerite, ut etiam hæreticorum ora obstruatis, *ut in eo, quod detrectant de vobis tanquam de malefactoribus*, quod Petrus ait: *ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum in die visitationis*: *Nolite*, quod vos Paulus monet, *contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis; omnis amaritudo, ira, indignatio, clamor auferatur a vobis, sicut decet sanctos*, si quis vos affectus proprius solicitat, circumcidite eumdem, & abscite procul, ut Christo, qui pro vobis est circumcisus, placeatis: in exstirpandis vero reipublicæ Christianæ abusibus, in sublevanda collapsa morum disciplina, in restituendo sponsæ Christi pristino nitore tam strenue laborate, quod facitis libenter, ut nullam imperatorum, nullam regum, nullam principum virorum, nullam denique vestri commodi rationem habeatis, nisi quatenus illud cum publico sit, id est, Christi atque ecclesiæ conjunctum: id si feceritis, ego non dubito, quin Deus optimus maximus, fidem resoluturus sit, quam apud Isajam prophetam carissimæ sponsæ suæ pignori dedit, cum ait: *Consolabor super hostibus meis, & convertam manum meam ad te, o Sion, atque excoquam ad purum scoriam tuam, & auferam omne stannum tuum, & restituam judices tuos ut fuerunt prius, & consiliarios tuos sicut antiquitus, & vocaberis civitas justi, urbs fidelis: conteram sceleſtos, & peccatores simul, & qui dereliquerunt dominum, consumentur.* Quod ut cernamus brevi, utinam concedat nobis Christus Jesus, cui est honor, & gloria in sæcula sæculorum.

1. Petr. 2.

Ephes. 4.

Isai. 1.

AMEN.

CVII.

FRANCISCI BELCARII PEGUILIONIS episcopi Metensis, oratio de victoria, qua Carolus nonus Galliarum rex Francisci Lotharingi Guisæ ducis, necnon & Annæ Mommorencii equitum magistri auspiciis rebelles causam religionis prætexentes, ingenti clade superavit: Habita est Tridenti in publico patrum qui ad concilium œcumenicum convenerunt, consessu, quarto idus Januarii MDLXIII.

SI quis vestrum forte quæret, patres amplissimi, cur ex hoc loco, ex quo divini verbi

ANNO CHRISTI 1563.

enarrationes, concioneſque audire conſueviſtis, A hiſtoriam vobis nunc explicandam ſuſcepimus: is profecto decurſu hujus noſtræ orationis intelliget, neque eam hoc tempore eſſe inutilem, neque ab his, quæ tractatis, negotiis alienam. Non ſolum enim verbo, ſcriptove divinam vim, mentemque excipere poſſumus; ſed facto plerumque ſenſibus noſtris eam magis imprimere ſolemus. Hic vero & regis impuberis, optimæque indolis & regni ampliſſimi ſalus continetur: atque de iis hoſtibus victoria, qui patriam expugnare, veſtrum ordinem delere, veram religionem prorſus evertere tentarunt. Qua quidem in re immenſa in primis Dei optimi maximi bonitas, præclaro relucet exemplo: qua ſuos nunquam oblata occaſione fruſtratur: ve- B rum ubi in præſidiis humanis aut nulla aut rara ſpes affulget, tum maxime præſenti ope conſervat, erigit inclinatos, de rebus ſuis etiam deſperantes, in optatiſſimæ portum ſalutis intrudit. Judæis graviſſima Pharaonis tyrannide oppreſſis, Ægyptiorum barbara immanitate afflictis, longa denique ſervitute pene attritis, Moſen libertatis aſſertorem excitavit. Bethulienſes Aſſyriorum armis prope debellatos, etiam de deditione cogitantes, Judith nobilis matrona divinitus liberavit. Qui de Debora, Barac, & Gedeone dicam? qui Iſraelitas in extremam rerum neceſſitatem redactam ope tam facile ab hoſtibus vindicarunt? Quid quod regum alienigenarum impietate, Romanorum potentia, novis C Phariſæorum, Eſſæorum, Sadducæorum, aliiſque ſectis, quum Judaicæ leges aut antiquatæ eſſent, aut contemptæ jacerent, ſacerdotium vænale proſtaret, adeoque univerſa religio prope abolita videretur, tum potiſſimum Deus pater toties promiſſum, propheticis oraculis, toties ſignificatum Meſſiam, Filium ſcilicet cariſſimum, religionis inſtauratorem, & ſempiternæ ſalutis e cœlo dimiſit auctorem?

Caſtigat ſuos clementiſſimus pater ille cœleſtis: quid deliquerint aliis atque aliis ſubinde flagellis admonet: graves etiam nonnumquam plagas infligit: ſed ita infligit, ut paternam ſeveritatem agnoſcamus, nimiam haud ſentiamus acerbitatem. Caſtigat nimirum, non ut D perdat, niſi qui ſe iri perditum volunt: ſed magis ut ſui oblitos ad ſe revocet, errantes in viam reducat, præſenti fœlicitate excœcatos, ad ſpem certioris, ac longe majoris invitet. *Revertimini ad me*, inquit, *& ego revertar ad vos*: revertimini, inquam, qui vos a meo conſpectu veſtris ſceleribus tam procul abduxiſtis: qui bella invicem miſcetis: qui veſtra pervicacia, tantam malorum Lernam vobis cumulatis. Externa commemorarem exempla, vetera in memoriam reducerem. Verumenimvero & recentibus, & domeſticis præſtat eſſe contentos; ea enim veluti adhuc calente memoria magis afficiunt: & quæ uni provinciæ Chriſtianæ acciderunt, ea ſua ac domeſtica Chriſtiani omnes inter- E pretari debent. Unum quippe in Chriſto omnes ſumus, etſi locis multum diſſiti, eamdem tamen patriam inquirimus, inquit Paulus, quid patriam? imo eamdem civitatem, cœleſtem illam, ſacroſanctam, æternum regnaturam Hieruſalem, non hominum manu factam, ſed vivis ex lapidibus ſtructam: Cui adſcripti cives ſumus, qua jam nunc etiam donati, ſiquidem ea, qua profitemur, religione, eo quod uſurpamus, nomine? ea quam ſperamus, ſacri evangelii promiſſione digni ſumus.

Quinta non ita pridem Gallia noſtra floruerit, ANNO CHRISTI 1563. vel belli gloria, vel rerum copia, vel in omni literarum genera præſtantia, omnes meminiſtis; quantis autem nunc populationibus vexata, quanta deſolatione vaſtata, quam multis cædibus fœdata ſit, plerique (mea quidem ſententia) cognoſcitis. Totis ſane quatuordecim ſuperioribus annis, quibus bella nobis cum finitimis continua fuerunt, non tot ex noſtris, quot poſtremis hiſce menſibus ſeptem amiſimus. Ac parum abfuit, quin hiſce diebus uno prælio, unoque momento rebus, copiiſque attritis, pii omnes vel de ſolo vertendo cogitarent, vel perpetuo exilio ſibi conſulendum putarent: quod ut facilius intelligatur, rem ipſam paulo altius repetita narratione explicabo.

Pace cum præſtantiſſimo principe, planeque catholico, Philippo Hiſpaniarum rege, atque etiam affinitate inita, quum ſibi bene conſultum noſtri homines exiſtimarent, ecce inopinata regis Henrici morte verſa ſtatim rerum tota facies? mutati animi novas belli rationes quærere cœperunt, qui pacem modo tanta contentione poſtularant, tantaque animorum alacritate ſuſceperant; ii mutuis primum diſſidiis clam ſeſe laceſſere, ſeditioſi vero occulta conſilia inire, conventus nocturnos facere, mox palam erumpentes, aperta conſpiratione Franciſcum regem hujus nominis ſecundum, atque ejus domeſticos, præſertim qui illi a conſiliis erant, invadere tentarunt. Conatu irrito, & Franciſci morte ſopiti tumultus aliquantulum conquieverunt, dum illi quæ ad factionem ſuam promovendam pertinebant, modis omnibus adornarent: & impiis ſuis cogitationibus cauſam religionis prætexentes, majora etiam quam antea, jam animo agitarent.

Vere primo nuper detecta conſilia regem Carolum impubem dolo excipere conati, ubi nihil profecerunt, ſuos ad arma vocare, civitates occupare, catholicos antevertere, omnia quæ ad comparandum bellum opportuna erant, procurare, Anglos etiam antiquos Galli nominis hoſtes ſolicitare, in Germania equitatum, peditatumque conſcribere cœperunt. Quum de pace interim ageretur, diſſimulare, differre, nunc aſſentiri, nunc novas cauſas prætexere, omnes æquas, imo vero & noſtris valde iniquas pacis conditiones rejicere, totam denique æſtatem magnis ubique miſcendis cædibus traducere, donec viribus in unum collectis de rerum ſumma uno prælio decernere decreverunt.

At vero Antonius Borbonius rex Navarræ, nec non Franciſcus Lotharingus Guiſæ dux, unaque equitum magiſter Annas Mommorencius, quamquam cauſa meliore freti quam antiquæ religionis, ac reipublicæ partes tuendas ſuſceperant, haud tamen in his, quæ ad tantum, tam grave, ac domeſticum bellum pertinebat comparandis atque procurandis ſegnes, urbes quæ in hoſtium poteſtate erant, alias deditione, alias vi irrumpentes recipere: quæ in fide permanſerant, confirmare, atque auxiliis juvare, diverſis regni regionibus diverſas peditum cohortes, equitumque turmas (ut quæque magis laborabant) collocare, ipſi cum delecto exercitu, quo tanti belli ratio vocabat, adeſſe: quum Rothomago expugnato, Germanus exercitus duce Andeloto adventare, & ut ſeſe cum Aurelianis conjungeret, feſtinare nunciatur. Igitur Guiſanus atque Mommorencius (nam in ea expugnatione Navarræ rex plumbeo globulo ictus res noſtras mirandum in modum intempeſti-

ANNO CHRISTI 1563.

tempestiva morte turbaverat) cum illis quas tum haud magnas habebant copiis Lutetiam proficiscuntur: quum ea sit regni totius metropolis, & velut quoddam ærarium, atque egregiam in hoc bello operam navarat: quam simul ac regionem finitimam hostes primum invasuros haud frustra sibi persuadebant: dispersas præterea toto regno copias quanta maxima fieri potuit celeritate cogere, præsertim vero Hispanos veteranos, ac Vascones quoque pedites, qui in Aquitania magnum utique suæ virtutis specimen nuper ediderant, equitatum etiam undique arcessere properant: ut justo exercitu, si res ita postularet, dimicarent: & causam Dei arbitrio (qui arcanis judiciis quibus vult victorias destinare solet) permitterent: nec tamen ullam interim quo res tota non bello committatur, sed æqua pace componatur, occasionem omittunt. Videbant enim (utrovis inclinaret victoria) non nisi magna totius regni clade sibi confligendum.

Huc vero illos regina regis mater, rara probitate, singularique prudentia fœmina sedulo impellebat, quæ hosce tumultus, tumultuumque graves exitus longe ante præviderat, & ab initio componere summo studio laborarat: ac quod religionis causa prætexeretur, Pisciacum eo nomine totius Galliæ episcopos convocandos curaverat. Quum ne sic quidem obstinatos utriusque factionis animos placare potuisset, omnia nihilominus tentabat, omnem, ut aiunt, lapidem movebat, inter medias etiam acies plerumque non muliebri, sed plane virili animo versabatur, ut utrosque invicem conciliaret, & publicæ quieti provideret. Nec unquam destitit huc illuc mittendo, colloquendo, monendo, ut antiquæ religionis, patriæ, communis salutis, regis denique impuberis rationem haberent, nec quicquam antequam ille adolesceret, sibi innovandum putarent: donec Aurelianis Lutetia castra moventibus, & in Normaniam festinantibus conclamata omnia, ac declarata prorsus esse perspexit, Tum publicam salutem, regisque filii teneram ætatem Deo optimo maximo commendans, Guisano ac Mommorencio rerum summam permisit: & ne quid respublica detrimenti caperet, ut viderent, imperavit. Nullas cum pacis æquas conditiones Aureliani reciperent, illi quod reliquum fuit, providerunt: & extrema omnia tentare decreverunt. O admiranda Dei judicia: quam homini imperscrutabilia! quam nostros excellunt sua sublimitate sensus! Aureliani quicquid nostri monerent, quicquid proponerent, quamquam etiam multum de suo jure decederent, haud quaquam tamen flectuntur, sed solita pervicacia inexorabiles perseverant. Diceres cor Pharaonis obstirmatum: vecordes, & sua contumacia jam jam mergendos Ægyptios cerneres, non Dei timor, non patriæ pietas, non cognatus exercitus adamantina aut plusquam ferrea pectora commoverunt.

Consederant utræque acies non longe a Druydis, antiquo Druydum, ut fama est, in Carnutum finibus oppido: Aurelii [v] Uram propinquum fluvium, qui paucis tum locis trajici vado poterat, superare properabant, ut liber aditus in Normaniam pateret, ut Anglis juncti, quos in Normaniam accersiverant, incertam belli aleam, communi periculo tentarent. Sed nostri horum consiliorum haud ignari, noctu sine tumultu fluvium trajiciunt: ac postridie (qui dies XVI. Calendas Januarii fuit) dum sub ortum Solis castra metantur, ecce Aureliani instructa acie adventare nunciantur. Nostri igitur, (quod in planissimis campis constiterant) primo agmine cui Guisanus, ac secundo cui Mommorencius præerat, non multum a se invicem distantibus, & æquato gradu ingredientibus, obviam illis procedunt. Illi primum agmen declinantes, in secundum totis viribus convertuntur, infestis advolant signis: primusque Germanus eques in nostros obliquus impetum facit: nec minore animorum alacritate nostri (quamvis hostem in latus accipientes, bombardarumque usu quæ in fronte collocatæ erant, frustrati) & religionis, & patriæ, & antiquæ virtutis memores, invadentes excipiunt: fit via vi, & regni amplissimi totis in lethum viribus itur.

O quantas duæ illæ conjunctæ acies potuerunt comparare victorias! quantos Christiani nominis facere progressus, quam longe, lateque Gallicam propagare ditionem! sane vel totam impii Turcæ tyrannidem evertere, captiva illa nostræ religionis primordia (Hierosolymam dico, atque omnem eam regionem quam sanctam appellant) recipere, amissum denique nostra inertia, seditionibusque orientis imperium recuperare potuerunt. Sed Deo aliter visum, qui utrasque pariter concurrere permisit, lustrandæque hoc tam horrendo piaculo Galliæ nostræ easdem destinavit. Primo igitur conflictu superiores Aureliani, nostros de statione procellunt: cædunt multos, & viciſſim cæduntur: tandem laxata paulatim acie equitum magistrum Annam Mommorencium, equo perfosso humi prostratum, vivum tamen intercipiunt: Aumallium quoque ducem, Guisani fratrem, tertio agmine laborantibus nostris subvenientem equo deturbant: ipsumque adeo agmen retro cedere compellunt. Et jam victoriam animo devorantes, juveniliter exultare cœperant: peditesque Helvetios acerrime resistentes perturbatis ter ordinibus, eodemque momento renovatis summa vi penetrabant; quum superveniens Guisanus toto equitatu & Gallico peditatu, atque auxiliaribus Hispanis, in medias hostium acies seu horrendum ac rapidum quoddam fulmen irrumpit. Hic vero & prælium instauratur atrocius, & major ubique editur strages, atque omnia equitum peditumque robora committuntur, unaque cum duce fortuna commutatur, vincuntur victores, ac passim trucidantur. Ludovicus quoque Borbonius, princeps Condæus vulgo dictus, cui hostium exercitus sacramento se obstrinxerat, vulneratus capitur. Nostri etiam qui primo prælio cesserant, Guisanis juncti communibus viribus in Aurelianos feruntur: illi undique circumventi strage procumbunt, ac prope universi, præsertim pedites internecione cæduntur. Excessere mature prælio circiter 800. Germani, mixtique aliquot Galli equites, Anna Mommorencio captivo abducto.

Te vero Guisane dux invictissime absentem coram celeberrima ista tot amplissimorum patrum frequentia compellabo: tuum enim illi nomen summa animorum alacritate audient, & memoriæ consecrabunt sempiternæ. Tu unus hoc nostro sæculo (ut egregia adolescentiæ tuæ rudimenta prætream, quibus non solum acris ducis, sed boni etiam militis officium sæpius implevisti) tu, inquam, Romam cum exercitu profectus integram atque illibatam summi pontificis auctoritatem conservasti: tu reditu tuo non cunctando,

[v] Auduram, sive Auturam.

ANNO CHRISTI 1563.

do, sed properando, acerrimeque confligendo Calesium nobis restituisti: tu Theodonis villam oppugnasti: tu primus religionis causam Francisco secundo in Galliis nostris rerum potiente susceptisti: tu semper propugnasti: tu bellum religionis ergo cum aliis quidem inchoasti, sed solus confecisti. Atque hunc egregiæ tuæ pietatis fructum, illustrem istam de impiis hostibus, insignemque victoriam tibi uni Deus optimus maximus reservavit. Vive ergo & tibi, & reipublicæ Christianæ, princeps invictissime, Deoque atque hominibus pariter gratissime, & æternum tua ista pietate, & pietate digna felicitate fruere, ac sempiternum coram gravissimo hoc patrum consessu gloriæ monumentum suscipe. Te autem solum intueor, in te hæreo, in te solo mea consistit oratio: non genus illustre, non ingentia proavorum facinora, non Hierosolymitanos, Siciliæque reges, unde originem ducis, arcessam: laudentur hæc in illis, qui ex suo quod laudetur non habent. Sed quo feror, patres amplissimi? ego vero argumenti suavitate captus, & jam Gallici conflictus immemor in amplissimo campo lasciviebam: redeundum tamen & lætitiæ miscendus luctus est.

Lugemus acerbam nostrorum hominum cladem: vicimus enim, sed non incruenta victoria: paucos illos quidem, sed egregios hoc prælio amisimus. Cecidit imprimis Jacobus Brossianus, alæ equestris ductor, & regiæ illius societatis (quam vulgo divi Michaelis appellant) eques, homo sicut provectæ jam ætatis, ita & antiquæ virtutis, & cui rei militaris scientia paucos nostra ætate comparare possemus. Hujus cum multis in bellis periculum fecerat: tum recens copiis regiis in Scotia præfectus, magnam quam de illo jam omnes conceperant opinionem vehementer auxerat. Nec longe ab illo Annibas ac Givrius cataphractorum quoque equitum præfecti, & ejusdem equites societatis. His accessit Mombro spectatæ indolis adolescens, Annæ Mommorencio patri forma simillimus, & paternæ jam virtutis certus æmulator: qui sane me admonet, ut te quoque constantissime, ac tot & tantis honoribus perfuncte senex, te, inquam, Anna Mommorencie, hoc loco appellem: quem ut extrema senectute captivum, filiique carissimi suavitate privatum dolo: sic tuorum, hoc est, sororis liberorum opera, ne dicam scelere, in hasce indignor incidisse calamitates. Quid enim illi potuerunt, quod tu non præstiteris? pupillos educasti: adolescentes primum Francisco regi, mox Henrico insinuasti, atque inter ejus familiares ascripsisti: Castilioni maris, Andeloto peditum præfecturam impetrasti: majorem etiam natu vix dum puberem cardinalitia dignitate ornandum procuraveras, & tot sacerdotiis auctum, tu summo apud suos gradu collocaras, ad quos ingratus honorumque fastigia, opulentas insuper ac nobiles, quas intulerunt, affinitates, nisi tua cognatione, & indulgentia freti, vix aspicere, ne dum aspirare poterant. Hæccine tantæ erga illos benevolentiæ præmia refers? Hoc vero venerandam istam solere senectute, quod patriam tuis consiliis semper auxisti, religionem acerrime propugnasti: & utraque conservanda, vergentem ætatem animi vigore superans, ac juvenili quodam ardore rem manu fortiter gerens, te veluti mactandum obtulisti, omniaque & summi imperatoris, & egregii militis officia impleviſti.

Captus est quoque, nec ita multo post crudelite, ac præter omne belli jus cæsus, & animi vir maximi, & bonarum semper partium, Mareschalius a sancto Andrea, qui sicut Henrico regi fuerat acceptissimus, ita & in ejus liberis ab impiorum hostium immanitate conservandis diligentissimus, & in propugnanda religione, patriaque tuenda bellator fortissimus ad extremum usque spiritum perseveravit: ea scilicet istorum est religio, is Dei timor, ea suorum, id est, Christianorum caritas, quam nonnulli etiam ipsorum concionatores (tanta est scriptorum impudentia, atque improbitas) vel libris editis commendare solent: ut quotquot egregios, aut aliquo titulo illustres viros interceperint, universos plusquam barbara feritate trucidarint. Multa enim insignia & dictu horrenda crudelitatis exempla insana hæc factio edidit: quæ tam a Christiana humanitate aliena sunt, quam Turcicam superant immanitatem: ut tantam in hominibus qui Christiano nomine gloriantur, vecordiam fuisse, omnis posteritas vel admiratura sit, vel omnino non creditura. At tu Deum illis ultorem, tibi propitium spera: neque enim illorum perfidiæ, neque pietatis oblivisci unquam potest.

Quid Bordium, Santeranum, Bellanum alæ equestris Guisanæ signiferum, fortissimos juvenes, ac ceteros ejusdem animi, alacritatis, virtutis enumerem? Sicut certe non temere Mars optimum quemque sibi pignerare dicitur, sic nos etiam florem Gallicæ nobilitatis (quamquam non multi cæsi fuerunt) hoc prælio amissum dicere jure possumus. Hos tali virtute, constantia, pietate nobis ereptos merito lugere debemus: illis parentare: Deum propitium imprecari: illorum memoriam sempiternis consecrare monumentis. Ceterum ut impios pœnas dedisse non ægre ferimus, ita pios victoriam retulisse lætamur: id enim & divinæ & humanæ justitiæ ratio exigere videtur. Qui vero lugere istos patriæ parricidas possum? Patriam impii spoliarunt: tot, tantasque suorum patrarunt cædes: tot pagos, tot insignia palatia incenderunt: tot sanctissima templa demoliti sunt: urbes etiam nonnullas hostibus prodiderunt, peregrinos immiserunt exercitus: sed nec sacris templis, nec majorum sepulcris perpercerunt: tandem scelerum suorum furiis agitati, se in apertam mortem quadam desperatione conjecerunt. Et nisi Guisani illius ducis incredibilis, ac pene divina virtus impiorum furori opportune sese opposuisset, universi profecto perieramus, & de Gallia nostra actum prorsus erat. Sic quondam Maxentium tyrannum Constantinus imperator, impium pius, sed feliciore victoria incruentaque superavit, sic tres Cosdroæ duces, e quo nullas pacis æquas conditiones impetrare potuerat, tribus diversis prælis victor fregit Heraclius.

Vos autem egregii milites, quamquam absentes alloquor, tamen coram iis alloquor, qui vivis prospera quæque imprecantur, mortuos etiam pia coram Deo optimo maximo fusa oratione, & digna veneratione prosequuntur. Vos, inquam, sive Galli, sive Hispani, sive Helvetii, ad piam causam defendendam consentientibus animis atque armis coistis: si estis mortui, beatos judico, qui caducam hanc, & tot, tantisque calamitatibus vitam obnoxiam, cum felicissima luce commutastis: qui sanguinem vestrum pro asserenda vera religione profudistis: qui scelera-

tissi-

ANNO CHRISTI 1563.

tissima satanæ monstra, omnem barbariem sua feritate superantia in domini sacraria ingredi, sanctasque quotidie polluere ædes vestris objectis corporibus prohibuistis: qui denique quod naturæ debuistis, patriæ & propugnandæ religioni exolvistis. Itaque non secus atque Machabæi illi Judæis, qui pro religione patriaque tuenda ceciderant, divinum numen propitium supplices invocarunt: sic publicas pro vobis preces, publicasque supplicationes senatus hic amplissimus in diem crastinum decrevit: ut quorum parem causam esse cognoscimus, eosdem iisdem officiis, eodemque grati animi affectu prosequamur. At vos, quos Deus non solum ex tanta clade servavit incolumes, sed & nobilissima insuper victoria ornavit, qua laudum commemoratione magis celebrabo? pietatisne, an fortitudinis? qui tantam facinorosorum hominum colluviem ingenti & animi & corporis vigore confecistis, ac manus vestras in sanguine impio consecrastis. Præcipua vobis præmia conferet Deus optimus maximus, cujus causam tuendam suscepistis, & ab impiis vindicastis. Nos singulare eximiæ vestræ virtutis elogium coram amplissimo hoc totius orbis Christiani conventu proponere possumus: utrorumque gloriam omnia profecto deinceps sæcula prædicabunt.

Quid (dicet aliquis) etiamne milites huc evocabis? An vero nobis isthæc victoria tanti fuit? fuit sane: nec magis nostræ Galliæ, quam totius orbis Christiani, quam piorum omnium quotquot veram religionem colunt, dicenda victoria est: videtis enim in quam arctos fines catholica concluſa sit ecclesia, quam angustis contineatur regionibus, quam paucis vigeat provinciis. Quod si impii illi superiores evasissent, Galliamque nostram prorsus occupassent, quam brevi quod sanum adhuc, & integrum reliquum erat, partim dolis, partim vi corrumpere potuissent? Communem ergo victoriam communis sequatur gratulatio, patres amplissimi, communis gratiarum actio, communes preces, communes coram Deo optimo maximo supplicationes. Quis enim felicior unquam illuxit dies? quod majus, aut manifestius de utraque religione judicium a Deo optimo maximo proficisci, quod constantius testimonium prodire potuit? Scimus quid Helvetiis eadem de causa, eodem inter se animorum ardore confligentibus acciderit: uti schismatici & numero multo plures, & lectiores milites uti sibi videbantur, internecione fuerint cæsi: quo etiam prælio seditionis princeps occubuit Zuinglius. Quid Caroli V. pii juxta, ac magnanimi imperatoris partas in Germania referam victorias? Quid rusticorum non longe a Rheno Lotharingæ familiæ auspiciis factam cædem? quo in conflictu Claudius Lotharingus Guisani hujus pater facile primas obtinebat: ut hæreditariam religionis propugnationem jam inde a Gottofredo illo Bulionio in omnem posteritatem transmissam in hac familia agnoscere possimus. An etiam adeo cæci sumus, ut præclara Dei judicia videre nequeamus? Igitur uno ore in Dei laudes prorumpamus, uno ore lætum canticum concinamus, & tanta beneficia grata animi significatione celebremus.

Atque utinam & hic, & in ceteris quæ ad religionem stabiliendam pertinent, rationibus, iisdem animis, eadem pietate, eadem alacritate convenire possimus: si ita sua benignitate Deus annuet, faciemus profecto & fructus uberrimos, & his, quæ nos quotidie vexant, vexaruntque malis radicem omnem succidemus. Nam si hujus quod vobis pro nostra mediocritate recitavimus, belli memorabilis, & multorum quæ nostra tempestate gesta sunt, causas penitus introspiciemus: si vere confiteri volemus, causas nimirum ipsas magna ex parte in nos regeremus: quum nos dico, totum ordinem ecclesiasticum intelligo. Quæ enim a religionis adversariis causa primum suæ discessionis objecta est, nisi quod pastores suis officiis deesse, suos greges verbo Dei numquam pascere, proventus ecclesiasticos dilapidare, totum vero ordinem malo impuræ vitæ exemplo simplicem plebem a vera pietate divellere, piis autem & cordatis hominibus etiam scrupulum movere jactarent? Huc illorum omnes conciones, huc privata colloquia tendebant. His illi argumentis imperitæ plebi ut ad se primum deficeret, persuaserunt: & seditionibus bellisque intestinis, quæ mox experti sumus, sementem sparserunt. Radicem itaque succidamus, pristinam ecclesiæ instauremus integritatem, causam profecto malis istis omnibus, prætextumque omnem pariter auferemus. Alioqui illis mederi nec hoc tempore, nec in posterum ullo modo possumus. Etenim non sublata causa, graviores sæpe recidivi morbi redire consueverunt. Si vero eamdem mentem induemus, si spiritu eodem feremur, si eodem reipublicæ Christianæ instaurandæ ardore flagrabimus: Spiritus nimirum ille sapientiæ, intellectus, consilii, & scientiæ, nostros suo splendore animos illustrabit: Christus sua (quæ in unione consistit) pace, sua incredibili nos caritate donabit. His vero tecti armis, securi prorsus esse possumus, & pacem hanc externam (ut loquuntur) hoc est a bellis, seditionibusque vacationem, nobis nostro jure pollicebimur. Nam cui bene cum Deo convenit, eidem ut cum aliis quoque conveniat, facillimum est.

Hinc certa, atque indubitata nimis irati erga nos Dei signa colligere possumus, patres amplissimi, quos quinquaginta fere hosce annos tot, tantisque bellis sibi mutuo serie quadam succedentibus, tot seditionibus vexatos tam misere afflixerit, ut Babylonica exilia, Judæorumque tantopere celebratas ærumnas facile superare videantur. Quot nostras impius Turca, Christiani nominis acerrimus hostis, invasit provincias? quot insulas occupavit? quot, si non occupavit, certe extrema internecione vastavit. Quantas Christiani nobis ipsi mutuo importavimus calamitates? Quod enim supererat malorum, nobis ipsi concivimus. At Turcicæ quidem illæ quamvis sævissimæ atque immanissimæ fuerint invasiones: tamen cum istis comparari nullo modo possunt. Nulla enim domesticis ac civilibus bella crudeliora esse constat. Sic nobis, ut inquit Paulus, *foris bella, intus timores*, aut etiam bella graviora semper fuere. Neque illa quæ civili aliqua ratione suscepta sunt, commemorabo: quamvis multa intercesserint: sed mitiora ea aliquanto (si quid mite in bello esse potest) fuerunt: nec tanto animorum ardore flagrarunt. Quæ vero religionis causa suscepta sunt, quam immania fuerint, quanta contentione, imo quanta rabie miscendis mutuis cædibus sævierint, vel hoc postremum in Gallis nostris tanta hominum strage profligatum bellum testimonio esse potest. 2. Cor. 4.

His omnibus causam præbuit antiquæ religionis desertor Martinus Lutherus: qui primum ut Saxones, mox ut bona Germaniæ pars, priscis

mori-

ANNO CHRISTI 1563.

moribus conculcatis, a fide catholica deficeret, procuravit. Ecce quantula scintilla quantum ignem accendit! sane Lutheranæ illæ conciones, veluti fulgur quoddam, Germaniam pene totam paucis annis prætervolarunt. Accessere paulatim Helvetiorum pagi complures, nova condita secta, discipulis a Luthero præceptore dissentientibus. Quid? fatalis ille ignis non ita multo interjecto tempore, per omnes fere orbis Christiani exarsit provincias: duas præcipue excipere possum, Italiam, atque Hispaniam: quæ integræ adhuc, & sua quodammodo se mole sustentant. Nam quid de Gallia nostra dicam? quo in statu res illius fuerint vidistis. Profecto ejus sine lacrymis meminisse non possum: flagravit, arsit, hoc igne pene tota vastata est. Quod si absumpta prorsus fuisset, duas illas reliquas mihi credite, sibi hinc inde finitimas, vel suis cineribus inflammasset, atque uno totum orbem Christianum consumpsisset incendio.

Quapropter vos appello, patres amplissimi, vos inquam appello, quotquot locum dicendæ sententiæ in hoc concilio obtinetis: subvenite labenti reipublicæ Christianæ, erigite cadentem, inclinatam vestris fulcite sententiis: si dignos hoc gradu geretis spiritus, soli hanc flammam compescere, imo vero prorsus restinguere potestis. Vicesimus sextus hic (ni fallor) agitur annus, ex quo primus illi mederi concilio huc indicto conatus est Paulus III. pontifex maximus: dilatum est: dissimulatum est variis factionibus tertatum est: donec Bononiam concilium translatum. Illic vero & majores moræ, & plures contentiones, & acriores factiones interceserunt. Itaque huc rursum revocarum est: tandemque bellis invalescentibus, re infecta patres se ad suos singuli receperunt. Ventum nunc ad supremum est, inquit ille, nullus amplius relinquitur dissimulationi locus. At hoc concilium totum orbem Christianum conciliabit: aut si re infecta discedetur, in certam atque imminentem præcipitabit ruinam. Quamobrem vobis in primis videndum est, patres amplissimi, ne quid præjudicati domo afferre, ne quid in gratiam dicere, ne quam rei privatæ rationem habere videamini. Publica religionis causa agenda est, in hanc totis animis incumbite, huic studete, in hanc solam, ut in præscriptum vobis a Christo scopum, collimate: si aliorsum avertetis oculos, actum de religione est: neque quod expectemus ultra, jam sperare possumus. A vobis solis pendet totus orbis Christianus: in vos oculos convertit: in vobis quietem suam & salutem collocat. Videte ne vestra socordia justam tot piorum hominum spem, ne vos spe inani fallatis: ne religionis hostes certa cœptorum conficiendorum spe, quam jam nimiam conceperunt, impleatis. Notantur uniuscujusque nostrum dicta, notantur sententiæ, notantur & si quæ interceserunt factiones: celari diu non poterunt: in vulgus efferentur: statim omnibus luce fient clariores. Si per vos stetisset quo minus publica pax constituatur, palam erit, profecto vos religionis ac publicæ quietis proditores, detestabiles, Deo hominibusque invisos, mortales omnes diris omnibus devovebunt. Quapropter ferte dignas hoc gradu in quo collocati estis, dignas ista frequentia, dignas concilio œcumenico sententias: nihil timide, nihil simulate, nihil in gratiam, nihil avare dictum a vobis prodeat.

Neque tamen istuc a me eo proferri quis interpretetur, patres amplissimi, ut de vestra vel integritate, vel pietate, vel præstanti eruditione dubitandum mihi fas esse existimem: quas cum mecum ipse considero, divina equidem providentia celeberrimum istud, frequentissimumque concilium in hæc usque tempora dilatum mihi persuadeo, ut sub pontifice vere pio, pacisque publicæ tantopere studioso, qui, ut vos huc coiretis, sua interposita auctoritate decrevit, consentientibus tot sanctissimorum atque eruditissimorum patrum sententiis vera religio in integrum restitueretur, & malis moribus, perversarumque opinionum exterminatis sectis pristinæ sinceritati redderetur.

Te enim, Pie pontifex maxime, ac sanctissime hæc manet corona: tibi hoc ingens de instaurata religione, ac nobile trophæum reservatur: Quod qua sapientia, animique sublimitate præstas, tuo tempore erigendum curabis: nec hanc gloriam elabi, aut ad eos qui tibi in hoc gradu succedent, tua negligentia transmitti sines. Neque vero egregiæ isti summi pontificis, amplissimorumque patrum voluntati deeris Ferdinande imperator potentissime, ae domine mi clementissime: Verum enim vero qua foris contra Turcas animi magnitudine pro amplificanda, conservandaque religione hactenus usus es: eadem (scio, ac vere confirmare possum) etiam domi in sedandis totius orbis Christiani seditionibus uteris, ae sempiternam ex hoc concilio tibi, filioque carissimo (qui hac singulari dignitate magno Germaniæ totius studio non ita pridem auctus est, memoriam consecrabis. Cujus sane laudis haud exiguam etiam portionem sibi vindicabit gener tuus Sigismundus augustus Poloniæ rex serenissimus, ac religionis natura sua majorum exemplo, & præclarius tuis monitis amantissimus, qui repurgando regno, ditionibusque suis schismaticorum istorum pestilentissima contagione labefactatis tam egregiam operam navavit, ut & se Deo optimo maximo carissimum, & affinitate tua dignissimum plane declararit. Atque ut filiam tuam Catharinam rarae pietatis pudicitiæque fœminam faustissimis auspiciis sibi alcivit uxorem, sic ceteros generos tuos principes nobilissimos, fortissimosque ad eamdem palmam capessendam vehementer incitabit. Perspectum enim habemus quam multis, quamque honoratis affinitatibus Austriacæ familiæ splendorem auxeris, quantam inde reipublicæ Christianæ propugnandæ potentiam compararis.

Quam sedulo per amplissimos viros, ac mira probitate singularique eruditione præditos Pragensem atque Quinqueccliensem episcopos, oratores tuos primum de instauranda ecclesiæ disciplina, deinde de componendis controversiis, tum de promovendo toto hoc concilio hic egeris: quam significationem egregiæ tuæ ac veræ augustæ voluntatis dederis: quam anxia hujus tanti negotii conficiundi cura te distineri ostenderis: qui vel hic una cum patribus adesse, si res ita postularet, spoponderis, quam sponsionem divino equidem instinctu oblatam interpretor, ut non minorem a Tridentino, quam ille a Nicæno, gloriam reportes. Si frequentiam spectemus, raro in ecclesia Latina, quamvis olim latissimis finibus explicata, nunc vero angustissimis conclusa terminis, tot patres coivere. Si rem expendemus, numquam plures, neque majoris momenti intercesserc contentiones: Quo magis de tanta victoria, hoc est de totius orbis Christiani conciliata voluntate, ac pace ubique constituta,

ANNO CHRISTI 1563.

ANNO CHRISTI 1563.

ſtituta, tua auguſta majeſtas ſuo jure poterit gloriari.

Sane quantum regina regis noſtri mater, mulier præſtantiſſima, hac in re laborarit, religionique componendæ ſtuduerit, quantum rex ipſe, licet impubes, ſtudium declararit, quam conſtanter per Henrici patris, religioſiſſimi principis veſtigia ingreſſus ſit, quanta alacritate prudentiſſimæ matris monita, ſapientiſſimorumque virorum, qui ſunt illi a conſiliis, ſuſceperit, Gallia noſtra ſatis ſuperque teſtari poteſt. Quam inſignem illius voluntatem, & majorum omnium exempla, & eximia quædam indoles, præſertim vero magni animi princeps, planeque catholicus Hiſpaniarum rex ejus frater confirmabit: qui tot præclara admirandæ ſuæ pietatis ac fortitudinis foris domique teſtimonia edidit: qui tam opportunis eumdem nuper juvit auxiliis: qui denique conſtantiæ laudem cum ceterarum innumerabilium virtutum laude cumulans, illibatam fere ſolus in ſuis ditionibus tam late patentibus, tam procul a ſe invicem disjunctis, veræ religionis conſervavit antiquitatem. Confirmabit & avunculi ducis Sabaudiæ cum aliis magnis virtutibus, tum belli gloria clariſſimi, ac fratris ducis Lotharingi magnæ expectationi principis in eadem protegenda religione conjuncta voluntas atque fortitudo.

Quid de ſereniſſimo rege Luſitaniæ dicam? de quo quamquam propter teneram adhuc ætatem certum judicium proferri non poteſt, tamen ut ex educatione tali principe digna, ex optima indole, majorum ſingulari virtute, & regni adminiſtratione lectis atque ſapientibus viris commiſſa conjicere licet, proavum Emanuelem, atque avum Joannem ejus nominis tertium (nam pater decimo ſexto ſuæ ætatis anno e vita deceſſit, ut magis quid poſteri de illo ſperare deberent, oſtenderit, quam certum imitationis exemplum relinquere potuerit) ſumma nimirum alacritate imitabitur. Quorum alter ab occidente ad orientem uſque oceano delatus, barbariſque nationibus ſubactis victor ditionem ſuam longe lateque propagavit: alter partum jam imperium non minore induſtria conſervans, ſæpe cum Turcicis, Africanorumque regulorum triremibus ſumma felicitate conflixit. Barbaros multis victoriis ſuperatos in fide confirmavit, eoſdem idolis conculcatis Chriſtianiſmo initiatos ad manſuetius & humanius vitæ genus traduxit, melioribuſque inſtitutis & moribus aſſuefecit, atque imperii ſui fines religionis propagatione ſtabilivit.

Aderit & regibus proxime adnumeranda, ac fortaſſe æquanda Venetorum reſpublica: quæ ſicuti inter omnes orbis Chriſtiani civitates, non ſecus atque ſplendidiſſimum aliquod ſydus, ſua elucet ſapientia, ita & ceteros totius Italiæ principes etſi per ſe ſatis promptos, ſuo tamen exemplo ad pulcherrimi facti gloriam pariter fruendam magis excitabit.

Hos cum veſtrorum decretorum fautores promptiſſimos habeatis, patres ampliſſimi, profecto ut vobis ipſi ſoli defuiſſe videamini, committere non debetis. Nec illud vos torqueat, quod huc nondum adverſarii noſtri acceſſerunt. Si enim ſolita pervicacia veſtrum conſpectum refugient, ſi in latebris ſuis conſcientia victi delitescent, ſi univerſæ eccleſiæ (cujus vos perſonam ſuſtinetis) judicium pertimeſcentes, veſtra ora ferre non poterunt: ſed ſicut rei de eluendis criminibus deſperantes, ſponte ſibi exilium indicent. Tum vos illis aqua & igni interdicetis, & totius eccleſiæ communitate privatos, malis diris, ſatanæque addicetis. Ac nihilo ſecius quæ controverſa ſunt definientes, antiquamque eccleſiæ diſciplinam renovantes, celeberrimum hunc conventum bona cum pace dimittetis. Hoc a vobis petimus, patres ampliſſimi, imo vero perit, inſtat, flagitat totus orbis Chriſtianus: cui vos aliter ſubvenire non poteſtis: faxit Deus optimus maximus, ut & veſtræ dignitati, & publicæ neceſſitati mature ſatisfacere poſſitis.

ANNO CHRISTI 1563.

DIXI.

CVIII.

COSMI PALMÆ FONTEII, Dertuſenſis diœceſis presbyteri, ſacræ theologiæ doctoris, oratio ad ſacroſancti œcumenici concilii patres Tridentum convocatos, habita feria quarta cinerum anno a Chriſto nato MDLXIII.

Nunquam ante editionem Lovanienſem anni MDLXVII. *in lucem edita.*

ETSI vereri merito debeo, cum eam, quæ hodierno evangelio continetur doctrinam, æterni patris lumen, ac ſplendor Chriſtus, non niſi idoneis auditoribus ſummo in monte communicandam, reliquam vero multitudinem ad imum uſque montem removendam exiſtimaverit. Næ ego, qui de eadem in auguſtiſſimo orbis terrarum concilio ad dicendum aggrediar, temerarius judicer: tamen in hac temporum viciſſitudine cum ſuperiorum dierum hilaritatem, ac epulas non majorum magis inſtituto, quam more, habituque naturæ hodiernæ lucis dolor comes, ac eſuriales menſæ conſequerentur, in quibus architriclini munus a graviſſimis viris datum mihi, commiſſumque ſit, cui vix aquæ, nedum vini, quod frequentes hominum morbi flagitant, ad apponendum copia ſuppetat, ante ejus genua, cujus precibus hydriæ illæ ſuaviſſimo vino redundarunt, ſupplex procumbam, & cœleſtis illius vini, ſi non quantum accumbentium amplitudo poſtulat, at certe quidem quantum tenui, parcoque prandio ſatis eſſe poſſit, angelicis ab ea vocibus implorabo. Ave Maria.

Cum jejunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ, triſtes. Matth. 6. cap.

CUM multa ſunt, legati, cardinales illuſtriſſimi, clariſſimi oratores, patres ſanctiſſimi, in quibus legis evangelicæ omnibus numeris abſoluta præſtantia longe omnibus aliis legibus antecellit, & ut ſola Deum ſibi auctorem vendicat, ita ſui cultores & viventes adhuc (quoad ejus fieri poteſt) & corporis vinculis ſolutos in deorum quodammodo ſortem, numerumque tranſcribit: tum duo imprimis, quorum eſt alterum, quod non verbis ſolum, quid cuique faciendum, cavendumne ſit, præſcribit: ſed eam eſt a ſuo conditore præter ceteras prærogativam conſecuta, ut divinum motum animis pulſionemque inſpiret: qua, quæ ab ſe præcepta ſunt

ii qui-

ANNO CHRISTI 1563.

ii quibus præcipiuntur, re ac factis præstare velint, & possint. Nam ut ex unius primi parentis peccato ea omnem posteritatem miseriarum moles oppreſſerat, ut incomparabilibus Dei donis gratuitis sublatis, naturalibus læsis, ac imminutis, & mens densissimis tenebris circumfusa de rerum cognitione humillime, & quiddam abjectum saperet: & cupiditas rationis imperio detrectato, sempiternum cum ea bellum & implacabile gereret: ita secundi hominis immortali beneficio factum est, ut qui hominem a Deo in unam hypostasim assumptum, & Christum Jesum terrarum orbi servatorem datum esse constanter, firmiterque crediderint, bonorum omnium suorum spem in eo collocarint, incensis caritatis facibus adamarint, tam admirabilem in seipsis rerum omnium commutationem comperiant. Ut mens divino quodam lumine illustrata altius diviniusque sapiat, quidque in rebus verum, quid falsum sit, longe aliter quam ante judicet: cupiditas vero veteri feritate, & acerbis cum mente inimicitiis depositis, ad tantam mansuetudinem & cum ratione concordiam traducatur, ut omnibus ejus imperiis lubentissime factis, in sempiternam cœlestis regni pacem in seipsa jam inchoatam, tandem aliquando cum beatis perfruendam ardentissimis votis incumbat. Alterum est ita novum atque ante Christianæ ecclesiæ ortum inauditum, ut quicumque illius expertes fuerint legislatores, adeo nihil de eo cogitarint, ut ex illis non postremi hoc decus ornamentumque nostrum Christum, quod se id effecturum profiteretur, omnibus irrisionibus subsannaverint, convitiis vexarint, odio denique capirali inflammati, adnitentibus tenebrarum potestatibus, verberibus, suppliciisque excruciatum crudelissima morte mulctarint.

Veteres superioris vitæ sordes, ac turpitudinem in fidem suam jurantium abluit Christus: & quos gravioribus flagitiis coopertos sibi ac suis legibus inimiciores videt, eos majoribus misericordiæ visceribus expetitos, omnibus eorum criminibus sempiterna oblivione deletis, in suam civitatem ascifcendos curat: contra quam aliarum rerum publicarum conditores facere solent, qui quos in aliena a suis legibus morum consuetudine diu multumque versatos, inveterata peccandi licentia obstinatos obduruisse vident, tantum abest ut in suam civitatem adscribant, ut ab ea, si cives facti sunt, quam longissime exterminatos velint: existimantque, si quamplurimi a suis rationibus abhorrentes, ac perditi homines in suam civitatem, tanquam in sentinam confluxerint, non illos a se ab amenti ac profligata ad saniorem, honestioremque vitam revocandos. Sed contra suis corruptissimis eorum moribus, tanquam pestifera tabe passim in civitate grassante, quod sanum adhuc integrumque duravit, ab illis corrumpendum, civitatis statum pessumdandum, ac miserabilem in eam vastitatem importandam. Non sic noster legislator, non sic, sed salvum facit quod perierat, ambulantes in tenebris & in umbra mortis, hoc est, altissimis vitiorum & ignorantiæ voraginibus abreptos, & in mediam Stygem demersos ad lumen cœli spirabile excitat, & inusitata quadam medendi arte non ille sanis, quod ridiculum esset, medicinam facit, sed male habentes, & omni salutis spe deplorata, a certo exitio ac peste ad salutem certam incolumitatemque reducit.

His igitur duobus legis evangelicæ incredibilibus ac plane divinis donis aucta atque exaggerata Christiani hominis sorte, non jam ut servus & advena, aut egestatis, inediæ, mortis suppliciis, aut commutabilibus caducorum bonorum præmiis propositis, in officio vix miserequc continetur. Sed in sanctam civitatem adscriptus atque in ejus civitatis regis regum ac domini dominantium divinam stirpem adoptatus, oculis in unum suæ felicitatis auctorem ac parentem Christum conjectis, in tanti beneficii commemoratione totus insistit ac commoratur, de ineffabilibus ejus laudibus nunquam conticescit: sua vero omnia consilia, dicta, facta ad ejus nutum voluntatemque moderatur, cui se, suaque omnia accepta referenda esse profitetur, ac præ se fert. O præclaros hoc nostro tempore, Christianæ libertatis assertores! o vindices! o egregios plane, ut ajunt, ovium custodes lupos! Tu mihi, cum habenas indomitæ atque efferenti sese licentiæ laxes: laxes dico, cum opportunitate, impunitateque proposita, incites, pungas, ac veluti flagellis quibusdam, calcaribusque aduras, laceres, confodias cœlestis illius Jerusalem speciem ac formam (ad quam mentis nostræ aciem, quantum terrena hæc moribundaque membra non hebetant, dirigere debemus) in universo ecclesiæ catholicæ ædificio imitari & adumbrare: in singulis vero hominibus imperium rationis fundare ac stabilire: aut malas cupiditates parituras unquam putas? Sed homines quamvis sexcentis scripturæ ac patrum testimoniis, sexcentis conciliorum decretis confixos, tamen nihil rectum, nisi quod ipsi somniant, usquequaque putantes omittamus: & ad ea, quæ ex superiori disputatione, tanquam a suo fonte dimanant, paulatim accedamus.

Et profecto ita se res habet, patres sanctissimi, ut hic nostræ mentis illustrator, cupiditatis domitor, culpæ condonator, libertatis assertor Christus, quorum animus ardentioribus caritatis flammis exarserat, non ille quidem eos graviore servitutis jugo premendos (quid enim liberatori indignius?) sed tanquaam parens optimus sanctiore filios familiares disciplina educandos, informandosque putarit, quod ut faceret in montem, hoc est, in paternæ majestatis celsitudinem evectus, in suo divinæ sapientiæ regno insistens, divina, non more loquitur humano, sed patris, & suo uno, eodemque spiritu fundit oracula. Ad quam interiorem tantæ doctrinæ subtilitatem, si gregaria, quæ eum sequebatur, multitudo admissa non est, non philosophorum more, fumi venditorum, suas illas nugas in eorum tantum aures, qui auro sibi eas appendissent, remotis arbitris instillantium, tantum cuiquam bonum invidit. Sed ut in rerum natura constantium ortu a parvis ac debilibus corporum initiis ad perfectam fit magnitudinem, firmitatemque progressio: ita quos communibus etiamdum virtutum officiis, tanquam lacte infantes alebat, exquisitis perfectæ honestatis institutis, & diviniorem sublimioremque vitam spirantibus: tanquam solidioribus cibis, & magnam, ut recte conficerentur, stomachi vim postulantibus non judicavit obruendos. De qua utraque divinæ doctrinæ parte, quantum ad hodierni evangelii lectionem attinet, dum pauca breviter dicimus, peto a vobis, patres sanctissimi, ut qua me benevolentia hactenus dicentem audistis, eadem ad exitum usque prosequamini.

Quanta sit temperantiæ in omnem humanæ vitæ partem vis, & utilitas, seu privatum corporis, animi, & familiæ cujusque bonum, seu optimum rerum publicarum statum spectemus, ex

eo

ANNO CHRISTI 1563.

eo facile intelligi potest. Primum quod medicorum princeps Hippocrates in suis illis brevibus, & certissimam veritatem continentibus sententiis, quas ille ἀφορισμοὺς vocat, bonæ etiam valetudinis μητέρα esse statuit: quo verbo illud significatum voluit medicus sapientissimus, ut parens filios non procreat modo, sed etiam alit: Sic cibi quoque ac potus moderatione non sanitatem modo in humanis effici, gignique corporibus, sed partam, & tanquam procreatam retineri ab eadem & conservari. Nec vero de naturalibus animi bonis quamdiu loquimur, Aristotelis auctoritas repudianda est, qui in iis, quos scribit de moribus libris continentissimorum hominum, majorum suorum prudentiam magnopere admiratur, quod temperantiam lingua sua σωφροσύνην, quasi σωζουσαν τὴν φρόνησιν appellandam existimaverint.

Fingamus enim aliquem tanta incitatum corporis voluptate, quanta percipi potest maxima, nemini dubium esse debet, quin tamdiu dum ita gaudeat, nihil agitare mente, nihil ratione, nihil cogitatione consequi possit, quocirca nihil tam pestiferum quam stimulans in hominibus qui se præstare student ceteris animantibus, veluti in pecoribus, quæ natura prona, & ventri obedientia finxit, agrestium libidinum appetitio. Siquidem ea, cum major sit, omne animi lumen extinguit. Contra, quid homini melius, quid homine dignius ea, quæ epulis, exstructisque mensis & frequentibus poculis facile caret frugalitate, caret vinolentia, crudelitate, & insomniis: caret voluptate omnium esca malorum, qua multo facilius homines, quam pisces homo capiuntur, caret turpissimarum libidinum agresti, ac furioso dominatu: iisque vinculis vitam relaxat, quibus quadrupedem constringi miserrimum est. Nam cum hominis excellentia in eo maxime cernatur, quo ipse ceteris animantibus antecellit: qui earum voluptatum fœtidissimo cœno se involverunt, quæ sunt brutis maxime propriæ, omnibus se suis maximis donis, ornamentisque spoliasse, omnem hominis nobilitatem ac præstantiam repudiasse, & in hominis figura importunam belluæ immanitatem adamasse videntur. Jam si homines ad vitæ communionem colendam, cujus causa tributa nobis est vox & oratio, nati, factique sumus, eaque ex singularum familiarum, quasi primo seminario, orta in urbem, regnorum, ac populorum magnitudinem excrescit, quale illud tandem futurum est imperium, aut patris in adolescentes liberos, quorum corpora propter sensuum vivacitatem ad omnes libidines propendentia, maximis animi perturbationibus, non secus ac commoto mari, saxa undis furentibus tunduntur: aut heri in servos, in quorum depravatis ingeniis tam infinita voluptatum appetitio ineat, ut ne pistrino quidem, ac loris, imis infixa sensibus avelli extrahique possit, nisi ex continentiæ, moderationis, ac temperantiæ legibus honesta in domo disciplina ducatur? Quid de civitatibus, populis, gentibus regendis dicam? potestne capitalior pestis aut eorum qui parent, aut eorum qui præsunt animos invadere, quam voluptatis avidæ libidines ad ea quæ potiunda concupiverunt, temere effrenateque incitatæ? Hinc patriæ proditiones, hinc rerumpublicarum eversiones: hinc cum hostibus clandestina colloquia nascuntur: nullum denique magnum facinus est, ad quod non libido voluptatis impellat.

Apud regem Pyrrhum, populi Romani hostem, esse quosdam, qui se sapientes profiterentur, docerentque omnia, quæ faceremus, ad voluptatem esse referenda, cum M. Curius & T. Coruncanus, continentissimi homines Romani audissent: optarunt ut id Samnitibus, ipsique Pyrrho persuaderetur, quo facilius vinci possent, cum se voluptatibus dedissent. Annibalem quidem certe, memoriæ proditum est, quamdiu se, suosque milites in militari labore, ac patientia continuit, maximis cladibus Romanos affeciisse, atque in tantum eos discrimen adduxisse, ut de imperio pro quo decertabatur, deque urbe deserenda cogitarent. Sed cum a vario hostium armorumque genere invictus plurimis victoriis elatus, Capuam se in hyberna contulisset, & in urbe omnibus deliciis affluente, apparatissimis hospitum mensis, & omnium voluptatum illecebris se, suosque milites enervasset, animi ac corporis vires fregisset, signis cum Marco Marcello collatis, fusum fugatumque turpissime intellexit, qui Alpium juga nivibus pruinisque obsita incredibili animi ac corporis robore superasset, Capuanorum instructissimis conviviis, vino, scortis, quasi venenatis poculis corruptus, jam de fuga potius, ac dedecore, quam de imperio & gloria sibi in posterum cogitandum. Sed quid ego externa commemoro, cum domesticis abundemus?

Numquam, ita me Deus amet, Christiani reges, qui domini bella, non sua bellabant, majorem victoriæ spem in gladiis quibus cingebantur, quam in jejuniis, quibus macerabantur & Christianæ vitæ austeritate collocandam putarunt. Theodosius imperator, castris cum Eugenio ad Alpium radices collatis, cum Joannis Ægyptii eremitæ divina prædictione certissimam spem victoriæ animi concepisset, postridieque cum hoste certare decrevisset, diem ac noctem, quæ intercessit, sine cibo, ac potu insomnem orando, divinaque meditando traduxit, qua singulari in Dei virtute fiducia collocata, aptissimoque religiosæ temperantiæ cultu declarata, Christianissimus imperator impetravit: ut eo ipso, quo acies infestis signis concurrebant, tempore, maxima tempestate subito coorta, tam vehemens ventus adversariorum ora verberabat, ut non modo tela suorum militum manibus admirabili procella erepta: sed quæ ab ipsismet Eugenianis jaciebantur, furentissimis turbinibus retorta in hostium corporibus defigerentur, tantamque stragem sine ullo suorum labore ederent, ut ad unum omnes tanquam facto, illabenteque cœlo strati, contusique sint. Quæ militaris disciplinæ & vitæ durissima parsimonia, postquam dilapsa dissolutaque est, luxu pro ea, omnique intemperantia in animis hominum grassante, deliciis colliquefacti, imperii magnitudinem tantam, ut ex ejus quamplurimis, & longissime inter se distantibus provinciis, plusquam sexcentos episcopos in Chalcedonense concilium convenisse legamus, non modo ita amisimus, ut Christianorum aliquando fuisse vix credamus. Sed his paucorum regnorum angustiis circumscripti, a Mahometanis, hæreticisque vexati, locum in quo pedem tuto ponamus, vix reliquum habeamus. Quod si Romanorum virtutibus, in quibus nulla hac ipsa, de qua loquimur, temperantia major fuit, orbis terrarum imperium præmio datum, tributumque esse Augustinus auctor est: jure plectimur, nostrisque maximis peccatis & Græciæ, Ungariæ, Pannoniæque provinciis non ita pridem expulsi sumus, & in Asiam, & Africam, in quibus olim latissime regnavimus, in miseram a Turcis servitutem abripimur.

ANNO CHRISTI 1563.

Hanc igitur, patres sanctissimi, virtutem tantam, qua barbaris Christiani terrori formidinique fuerunt, animi corporisque vires retinuerunt, ad omnes præclaras artes, omnemque honestatem incensi inflammatique sunt, non in ecclesiastico ordine, (qui cum sit ad montis mysteria, ad quæ mea festinat oratio, audienda admissus, & in altiorem sanctioris vitæ gradum evocatus, contra hæc communia virtutum officia peccare, ut credendum non est: ita si forte tantum scelus concipiat flagitiosum ac detestandum) sed in aliis, patres sanctissimi, Christianæ reipublicæ ordinibus, qui ad imum montem constiterunt, renovate regum, principum, populorum mores in miseram vitiorum colluviem præcipitantes, ac importunissimis tactus gustatusque sensibus omnia dantes, omnia indulgentes, corrigite: luxum, lasciviamque resecate, tollite, & quod per vos ipsos optime intelligitis, sic habetote, nec libidine dominante religioni locum esse omnino, nec in voluptatis regno pietatem posse consistere. Ex philosophis Zeno, qui & voluptatis titillatione respuenda, & doloris perpessione sumenda præter ceteros maxime excelluit, de Dei providentia, de immortalitate animorum, de præmiis post hanc vitam bonorum, malorum suppliciis, quantum quidem perexiguo depravatæ naturæ lumine consequi poterat, ea sensit, quæ correctione adhibita a nostris placitis non sint omnino aliena. Contra Epicurus, inventor veritatis, & architectus beatæ vitæ a suis impie nefarieque nominatus, qui testificatur ne intelligere quidem se posse ubi sit, aut quid sit summum bonum, præter illud quod aut cibo aut potu, aut obscœna voluptate capiatur, de religione quid sensit?

Humana ante oculos fœde cum vita jaceret
In terris oppressa gravi sub religione,
Quæ caput e cœli regionibus ostendebat
Horribili super aspectu mortalibus instans
Primum Grajus homo mortales tollere contra
Est oculos ausus, primusque obsistere contra.

Ergo quod gigantum more teterrimum religioni bellum indixisset, ab eo poeta, qui amatorio poculo in insaniam adactus scribitur, maximis in cœlum laudibus ponitur.

De hæreticis vero omnibus sic omnino statuo, nullum unquam jam inde a condita ecclesia adhuc extitisse, qui si non ipsamet voluptatis scabie, prurituque exarserit (qua ex scintilla pleræque omnes hæreses incendio conflagrarunt (insano certæ gloriæ appetitu, & fastu intolerabili, & exultante ex his ipsis nata lætitia, ac gesticante (in quorum moderatione modestia, mansuetudo, temperantia versantur) præceps ablatus sit. De fœda vero horum nostri temporis ingluvie, qui in mensas veniunt, qui crudi efferuntur, qui nunquam orientem solem, nunquam occidentem vident, quid loquar, patres sanctissimi, aut quid taceam, aut quo tantam morum turpitudinem erupturam existimem? an ut Baccho iterum ac Veneri ab illis templa dicentur, an ut iterum turpissima vota nuncupentur? an ut sacra repetantur? an ut fœdissima Bacchanalia, Thyrsi, Hybrides revocentur, an ut Bromium, Euyum, Bisgenitum, sacrati hi parietes resonent? Et profecto jam aderunt omnibus bacchantibus fœdiores lymphati Adamitæ, qui ut illi in Phrygia, sic hi in Batavia nati, satanæ furiis exagitati, attoniti, nudi, has ipsas aras, has, inquam, sanctissimas aras, indiscriminata, nefanda, detestabili libidine deturpent. O tempora! O mores Sed nos harum miseriarum solatia a Christi doctrina, quam hodie in monte docet, petamus.

ANNO CHRISTI 1563.

Longe altius, ac sublimius vitæ genus quam quod multitudini, hoc est hominum qua ex parte homines sunt, societati conveniret, supremi patris sapientia, Christus primus post homines conditos judicaturus, & inauditam animorum magis quam corporum communionem proditurus, montem cum apostolis conscendit, legem illam jam olim carissimo sui populi ductori, ac principi Mosi a seipso in Sina datam, non ut solveret, abrogaretve (qui enim id faceret is, in quem mutatio, aut vicissitudinis adumbratio nulla cadit?) sed hominum ignoratione, pravisque moribus collapsam, depravatamque ut compleret atque instauraret. Ne concupiscito, in duabus tabulis incisum cum esset, usque adeo ea lege mores hominum correcti non sunt, ut eorum natura in vetitum semper nitente, non aliter in omnes immoderatas appetitiones effrenati proruperint, quam emicant abruptis habenis, excussoque domitore, apertissimum nacti campum indomiti generosorum pecorum pulli. Earum radices tam alte in hominum animos demissas ut exscinderet, & vineam suam optimus agricola spinis, vepribusque deformatam ut perpurgaret, non illis tantum apostolis, quos oculis corporeis præsentes intuebatur, (qui ad primos paternæ mensæ accubitus brevi in cœlum evocandi cum forent, ecclesiæ suæ, quam in finem sæculorum duraturam condebat, præesse perpetuo non poterant) sed vobis quoque, patres sanctissimi, legitimis apostolorum successoribus (quos multo clarius æternis divinitatis, quam illos ipsos corporeis humanitatis oculis perspiciebat) cum alia divinæ sapientiæ mysteria, concupiscentiæ fibras ex animis hominum radicitus extirpantia, tum rectam jejunandi rationem apostolicis hominibus dignam, a Pharisaica omnino abhorrentem tradidit: Non sum sicut ceteri hominum, raptores, injusti, adulteri, jejuno bis in sabbato, jactat. Hypocrita, & fastu, supercilioque elatus, alios præ se omnes contemnens, quos despectui, ludibrioque habet, sui jejunii laudatores habere cupit. Quid hoc malum perversitatis, quid amentiæ, Pharisæe? bonis quam plurimis placere, laudari a laudatis, qui quicquam sapiunt student: tu cum omnes susque deque habes, tamen ex illorum vocibus, oculis, nutuque habeas? Videri te ab illis jejunantem tanti facias, ut faciei humanæ naturalem hilaritatem tetrica quadam severitate, & affectato pallore extermines, in eamque transformes, ut tanquam personatus quidam, neque tui, ut ego puto, neque aliorum, ut tu putas, similis, omnium in te oculos oraque convertas? omnium istæ tuæ nugæ digitis monstrentur? tam humili abjectoque animo sis, ut vilissimis dominis servire non recuses? & maximam tui jejunii mercedem in pravis hominum judiciis colloces? non auram aliquam appetas salutarem, quam oriens sol justitiæ splendidissimis oris sui radiis excitet, & voluntatis tuæ quasi arboris uberes fructus recreet ac foveat. Sed horribilis eos Aquilonis, a quo omne panditur malum, flatus verberet, verrat, excutiat, folia, ramos, ipsum denique stipitem in terram prosternat?

Sed video quo tandem Pharisæe evadas, domos, fortunasque viduarum omni studio ac cogitatione invasisti, earum bona, quas longa oratione circumventus solitudine ipsa fraudibus tuis maxime patere perspicis immanibus istis faucibus devorasti: nec intolerabilis te modo superbia, sed profunda quædam avaritia, duo

inter

ANNO CHRISTI 1563.

inter se maxime propugnantia mala vexant: Neque ego informius te fuisse monstrum in terris ullum puto, tam ex contrariis, diversisque & inter se pugnantibus studiis, cupiditatibus conflatum. Sed dealbate paries, nonne te nullis omnino fundamentis nixum, inclinatum, ad propendentem ruinam vides? nonne olentem istam animam cadaveroso isto ex corpore, quasi ex sepulcro exhalantem turpissimis flagitiis, impuritatibusque susceptis, teterrimum quiddam, quod circumfusum late aerem corrumpat, naresque gravissime offendat, fœtere sentis? Contra hanc Pharisæorum falsam, inanem, vanam, cum veram, solidam, expressam Christus nos jejunandi rationem doceret, statuit ut si fide, spe ac caritate adducti, sui jejunii memoriam recoleremus, & quam ipse post illos 40. dies femem propter nostram salutem pertulisset, ejus partem saltem aliquam pro nobis tolerare non dubitaremus: hæc ex eo cœlestia, divinaque bona perciperemus.

Primum ut cupiditatem nostram contra legem justissimam perpetuo rebellantem, ejusque imperatis parere recusantem, legis imperio assuefaceremus, erectasque ejus cervices suavissimo Christi jugo subderemus, & impotentissimum quo premimur voluptatum dominatum a corpore sensibusque nostris depelleremus: ac quemadmodum primus homo veteri humani nominis hoste, at animorum simul ac corporum nostrorum voracissimo helluone impulsore, in vetitum hortante, gula, cibum invasit, & momentaneam gustus delectationem cum perpetuo dolore & exilio commutavit: sic se auctore ac duce iisdem, quæ ipse prius alte impresserat, austeritatis vestigiis insistentes, & gravissimæ crucis suæ partem quamvis nimiam tollentes concessorum ciborum abstinentia quasi postliminio in cœlum rediremus. Denique ut blanda illa malorum omnium conciliatrice, voluptatis titillatione procul a nobis jejunio exterminata, corpore intermortuo, animi vero divina ac immortali natura exsuscitata mentem nostram ab objectarum rerum cura ac solicitudine liberam ad cœlestium contemplationem altius erigeremus, & in præparatis nobis præmiis consequendis, quæ neque oculus vidit, neque auris audivit, neque in cor hominis ascenderunt, omnem laborem, operam, industriam, cogitationem locaremus: & Danielem vatem imitati, qui ad divinas revelationes clarius perspiciendas jejuniis prius se, corpus, animumque perpurgavit: ipsi quoque quo plus de corporis gravitate detraxissemus, eo facilius in cœlestium amorem, & studia visionum raperemur. Postremo qui dimitti nobis peccata quotidie petimus, quorum frequentibus maculis aspergimur, jejuniis eas ut ablueremus: justitiæ enim ratio hoc postulare videtur, ut quam voluptatem in illis patrandis capimus, aliqua eam molestia compensaremus, quo nostræ obedientiæ cultu in Deum voluntario ad suprèmam illam Christi obedientiam qua se pro nobis morti obtulit, relato, crucis meritis nobis applicatis, pro maximis peccatis paululum modo supplicii clementissimo patri satisfaciat: & qui hortanti Joheli, ut sanctificaremus jejunium, cœtum vocaremus, paruimus, ab eodem audire mereamur: *Zelatus est dominus terram suam, & pepercit populo suo.* Joël. 2.

Hæc quum facimus, caput nostrum ungere, & faciem lavare jubemur, qua veterum hilaritatem suam declarantium consuetudine, cum hypocritarum ficta, simulataque tristitia ex adversa pugnante illud nobis mystice significatum gravissimi hujus loci interpretes docent, ut a Pharisaica ratione longissime disjuncti, tribus jejuniorum, quæ supra dixi, a Christo concessis donis, quasi suavissime olentibus unguentis, caput nostrum, qui Christus est, perfundamus, & servos nos inutiles non inficiantes, & quæ habemus ab eo nos accepisse omnia profitentes, divinam æterni patris approbationem, non inanes levissimorum hominum rumusculos expetamus: mox facie minime exterminata, id est, inhumanitate, duritateque deposita, hominis naturæ maxime aptam in homines humanitatem, clementiam, benignitatem assumamus, hospites ædibus recipiamus, egentibus auxilium non negemus, nudos opibus tegamus, afflictos fortunis excitemus, omnia denique caritatis officia facientes, vitam moresque nostros non Deo modo cordium inspectori, sed iis, quibuscum vivimus, & singula dicta, facta, quasi faciem nostram intuentibus ita probemus, ut una nobiscum cœlestem patrem omnium bonorum fontem inexhaustum agnoscant, & quam maximis, ut æquum est, laudibus cumulent.

His sanctissimis vitæ, ac perfectissimorum jejuniorum præceptis a Christo hodie in monte informati apostoli cum in eis constantissime perseverarent, & orbem terrarum evangelii doctrina perexiguo tempore compleverunt, & eos sui muneris successores reliquerunt, qui magistrorum suorum vestigiis pressis, eam sunt apud omnes mortales auctoritatem consecuti, ut ex illorum dictis, tanquam divinis oraculis pendentes, & a fide quam ipsi docerent, ne transversum unguem declinarent, & de eorum vitæ sanctitate tam magnifice sentirent, ut eam demum bonorum suorum partem optime collocatam existimarent, quæ eorum consilio divino cultui, & pauperum miseriis sublevandis consecrata cum esset, ejus potiundæ ac dispertiendæ liberam illis potestatem permitterent. Quid enim homines prudentissimi sanctis suis rationibus accommodatius facere potuerunt, quam ut & morum vitæque magistros, & fortunarum suarum dispensatores, & calamitosorum patronos eos potissimum exoptarent, quos perfectissima integerrimæ vitæ instituta persequentes, & in jejuniis, orationibus, ac apostolica carnis maceratione ætatem agentes ad tam divinum munus a Deo vocatos viderent, ut doctrinam & sacramenta, spiritualia animorum alimenta, Christiano populo suppeditarent? A quo majorum curriculo postquam defleximus, tam longinque discessimus, ut vix ejus tenuia hodie vestigia in ecclesiastico ordine appareant, tantis tum præsentibus, tum impendentibus malis urgemur, ut si nunc ea persequerer, dies me citius quam oratio deficeret.

Sed malo de illis apud vos PP. SS. qui æque, ac ipse intelligitis, tacere, quam commemorando & acerbissimum quem animo conceptum habetis, dolorem augere, vestraque pectora effodere, & ex infinita calamitatum Iliade perpauca dicere, ac ad fontem quidem, unde omnes illæ in ecclesiam Dei redundarunt, digitum intendisse, & quæ prudens prætereo in vestra. PP. SS. existimatione posuisse huic homini satis sit. Quid quod ad iram Dei nostris excitatam peccatis avertendam maximum in jejunio positum fuit semper præsidium? Imminebat cervicibus Israelitarum crudelissimus domini incitatus imperiis Holophernes, urbi, temploque cædem, incendia, vastitatem parabat: in urbis ac templi præsidem ac custodem præpotentem Deum impurissimas nefario ore blasphe-

ANNO CHRISTI 1563.

mias evomebat : & Judæorum quidem gens ingentibus hostium copiis perterrita, rerum omnium necessariarum, ac præcipue aquæ inopia pressa, siti omnino confecta barbari tortoris crudelitati sese permittere cogitabat. Cum ecce, qui orientis plurimas maximasque provincias sanguine, ruinisque complerat, qui arcam fœderis cæde fœdare, ferro atque igni omnia vastare, urbem delere concupierat : simul ac expletus dapibus, vinoque sepultus cervicem inflexam posuit, unius jejunatricis Judith gladio, avulso ab humeris capite, ingens in castris truncus, & sine nomine corpus jacuit. Dux fœmina facti miserabilior est ecclesiæ hoc tempore, quam illo Jerosolymæ conditio. PP. SS. instant capitibus, hærent jam faucibus nostris dæmonum furiis accensi hæretici, corporum, animorumque nostrorum odio ardentes, immortalis Dei templis ruinam, sacramentis interitum, orthodoxæ religioni pestem, exitiumque meditantes, nec rapidis illis Rheni vorticibus, nec tantis his Alpium jugis objectis, ut ante solebant, cohibentur : in Galliam, in qua me miserum jam vix emergi audeo, in Hispaniam, in Italiam fera ista diluvies pervadere, hæc quibus undique claudimur montium cacumina alluere, Europam inundare, omnia ubique obruere contendit. Ac sponsa quidem Christi, pro qua ille se illudendum, conspuendum, flagellandum impurissimis hominibus dedidit, acerbissimos cruciatus pertulit, sanctissimum sanguinem effudit, crudelissimum crucis tormentum subiit : quos hoc tempore appellet, quorum opem auxiliumque imploret, per quos a direptione, cæde, incendio eripiatur : per quos aras, sacra, ceremonias retineat, nisi vos. PP. SS. habet neminem, nisi in vobis. PP. SS. Spes nulla reliqua est nisi per vos PP. SS. a tantis malis recreetur. Poteritne aliquod crudelitatis, suppliciorum, tormentorumque genus effugere ? poteritne immanem Holophernis rabiem non exaturare ? poteritne hæresum perversitatem omnium, opinionum portenta, monstra, aut vetera exuscitata, aut nova excogitata evitare ?

Expergiscimini per viscera misericordiæ domini nostri Jesu Christi, saccum, ciliciumque induite : cineres caniciebus vestris aspergite, inter templum & altare sordidati, squallidique plorate, virgam vindictæ vigilantem, & lethalem plagam jamjam intentantem vestris a nobis lacrymis avertite, accensam Dei in nos iram vestris precibus supplicationibusque restinguite. Christum pro nobis Deo patri placentem hostiam offerte, ad Christum mediatorem confugite, ut homo pro hominibus, ut frater pro fratribus, ut caput pro suis membris laboret, quasi vestro jure postulate, fidem vobis ab ipso datam, promissaque reposcite, jejuniis adversus horum Holophernitarum impietatem, immanitatemque pugnate, & quam illi libidinum notam nobis inusserunt, hac potissimum ratione exurite : collapsam cum multis, magnisque in rebus, tum in jejunando veterem illam qua tantum noster ordo valebat, severamque disciplinam instaurate, ne in antiquis solum annalibus legatur, ac ne legatur quidem, sed in moribus, vitaque nostra reperiatur. Sit hoc inter catholicos, & hæreticos cum primis maximum discrimen, ut illi non jejunandi, sed vino & exquisitis terra, marique epulis se obruendi licentia concupiscant, non jejuniorum arctissimis legibus astrictos, & in veram a peccatis libertatem assertos nos esse gaudeamus : Holophernitis istis ad sua nosconvivia vocantibus, illis Judith verbis respondeamus : Non possumus manducare ex iis quæ nobis præcipitis, ne veniat super nos offensio, ex iis quæ nobis ecclesia detulit manducabimus : illi, omnium qui monastica, eremitica, anachoretica vitæ aliquam adhuc imaginem retinent claustra, templa, jejunandi disciplinam disturbent, demoliantur, tollant : nos pro illis potius, quam pro sanguine, quam pro vita, quam pro spiritu nostro dimicemus ; & ut Spartaco duce, ergastulis ruptis maximum Romanis servile bellum excitatum est : Sic plusquam Spartacus Lutherus omnes qui ubique terrarum tribus sanctissimis votis nuncupatis Dei Opt. Max. sese servituti addixerunt, ad arma contra dominum capienda, ad pileum per summam perfidiam impietatemque quod ipse prior designavit, arripiendum vocet : nos tam nefariis sacrilegiis execratis, tam sanctis vitæ institutis consecratos, gentem præcipue sanctam ac regale sacerdotium esse judicemus, ut cum vestris PP. SS. auctoritatibus, sententiis, decretis abstinentiæ, ac jejuniorum firmitate roboratis tanquam iudithico gladio hæresiarcharum impia dogmata rescideritis, ut illa ex sublimiore loco avulsum Holophernis caput suis civibus, sic vos ex isto dignitatis supremo fastigio hæresum impietatem, fidei, morumque integritatem stabilitam orbi terrarum ostentantes exclamare possitis : *Laudate dominum Deum nostrum qui non deseruit sperantes in se, sed in nobis famulis suis adimplevit misericordiam suam, quam promisit domui Israel.*

ANNO CHRISTI 1563.

DIXI.

CIX.

ADEODATI SENENSIS, THEOLOGI Augustiniani oratio, in die cinerum ad patres habita in concilio Tridentino.

ANNO CHRISTI 1552.

LOQUAR ne semel ad dominos meos, cum sim pulvis ? Sed loquar. Nam non ego (quantumvis abjectus & humilis) solus cinis sum, sed etiam omnes. Hoc enim ipsum sancta hodierno die admonet ecclesia, *Memento*, inquiens, *homo quia cinis es, & in cinerem reverteris*. Agnoscit pia, sed gemens ecclesia divinam sententiam. Agnoscit penam prævaricationis antiquæ, quam Deus homini non sine summa misericordia inflixit. Stultum est enim cogitare, id quod seminatur granum vivificari posse, nisi prius fuerit mortificatum. Ideo in priori hac mortificatione carnis (antequam eamdem ipsam deponamus) militiæ Christianæ præsidia sanctis inchoamus jejuniis, aspersis cinere capitibus, quia peccatis nostris caput nostrum Christum ad eam sacrificii rationem adegimus, ut caritatis igne succensus, seipsum in holocaustum, & hostiam Deo in odorem suavitatis obtulerit. Quos quidem cineres ex illis palmarum ramis, quibus obviam salvatori processimus ad passionem venienti, non sine mysterio conflamus, quia victoria Christi in cruce parta, per palmam apte significata, in hoc maxime se prodit, quod nos tumidos ac superbos humiliarit, & ad nostrum ipsorum veram cognitionem perduxerit. Illud etiam elegantissime repræsentat victorias, quas contra hostes nostros comparamus, non nobis esse

Genes. 18.

Gen. 3.

2. *Petr.* 1.

Ephe. 5.

Joan. 12.

Joan. 16.

Eccles. 17.

ANNO CHRISTI 1563.

esse ascribendas, qui sumus terra & cinis, sed Philip. 4. Christo servatori, cujus præsidio muniti ecquid non possumus? De hoc autem sacro cinerum ritu ac ceremonia dicturus, per quam nobis humana miseria pulchre adumbratur, quæ unus & præcipuus erit orationis nostræ scopus, conabor quam brevissime ostendere, quid domini spiritus de ea tam naturæ, quam legis, & gratiæ tempore figuris commonstraverit. Quam ita generaliter tantoque consensu universa servat ecclesia, ut non nisi vel de apostolorum traditione vel Gor. 3. Spiritus sancti tacita suggestione ortum habuisse credatur, sicut divinæ vindictæ, quam dominus quondam comminatus est symbolum fuit, & testimonium evidentissimum. In quo quidem lugubri, sed pio cinerum sacramento explicando, precor adsit suo nobis favore virgo illa gloriosissima, cujus corpus ab hac lege singulari Dei munere exceptum est. Quippe quæ ex purissimo Actor. 2. sanguine Filii Dei sanctissimo corpori, quod non vidit corruptionem, materiam subministravit. Matth. 1. Quod in hoc spiritus domini aptavit, ut per mortem illius, ac resurrectionem a morte animæ, & tandem ab incinerationis hujus lege liberaremur, Psal. 29. Psal. 119. quippe, ut copiosa utilitas copiosæ redemptionis esset in sanguine suo. Adsit etiam atque etiam obsecro, & obtestor Christus filius ejus, qui nobis a Ezech. 37. quatuor ventis immittat spiritum sanctum suum, insufflet que super ossa nostra, hosce cineres, & pulverem, ut audito hodie verbo domini, Genes. 3. & ecclesiæ, nempe: *Pulvis es, & in pulverem reverteris*, sapiant, intelligant, ac novissima provideant, moxque per salutarem pœnitentiam reviviscant. Deut. 32.

Quoniam igitur de hominis vanitate verba facturus sum: non erit abs re, illius nobilitatem, dignitatem ac decorem, quo olim a domino in sua Psal. 92. illa prima conditione mirifice est indutus, breviter perstringere. Inveni, patres sanctissimi, in vetustis Arabum monumentis Abdalam quemdam Saracenum, magni nominis, & famæ etiam celebrioris virum, interrogatum aliquando: ecquid suo judicio, in pulcherrimo hoc orbis terræ theatro admirandum maxime spectaretur; Nihil spectari in hac quasi mundana scena homine præstantius, & admirabilius respondisse: Cujus sententiæ Mercurius ille ter maximus, obsoletarum religionum in Ægypto sator docta illa exclamatione, *magnum, o Asclepi, miraculum est homo*, pulcherrime astipulatur. Quod si mundi sapientes, tam præclare de homine collapso, quem illi tantum agnoverunt, sunt philosophati, quid dixissent, si illum secundum Deum in Ephes. 4. justitia & sanctitate veritatis creatum intellexissent? De quo sapiens ille cœlestis tam alte sentiens, Eccles. 17. in hæc verba plane erumpit. *Deus de terra creavit hominem, & secundum imaginem suam fecit illum*, vestivitque illum virtute, numerum dierum, & tempus dedit illi; & potestatem eorum quæ sunt super terram. Posuit timorem illius super omnem carnem, & dominatus est bestiarum & volatilium. Consilium, & linguam, & oculos, & aures, & cor dedit illi cogitandi, & disciplina intellectus, & scientia spiritus replevit illum, bona etiam & mala ostendit illi. Quippe qui factus denique cœlestis, subcœlestisque mundi copula, quod & Persæ, ac Magi dixerunt, a beatissimis angelorum mentibus, ac reliquis ultramundani sæculi virtutibus, teste Da- Psal. 8. vide, paulo est diminutus. Sed, qui in cœlo, Dei optimi maximi munere ac dono, esse videbamur, Genes. 3. nostra, patres amplissimi, ignavia & socordia

cecidimus quasi ex astris in angustias plane omnes, atque ærumnas, & mille hujusmodi mala projecti, & præcipitati. *Homo*, inquit regius ille psaltes, *cum in honore*, Dei miserentis beneficio, esset, *non cognovit*, hinc justo illius punientis judicio factum est, ut comparatus sit jumentis insipientibus, & perquam similis factus sit illis. Psal. 48.

Et ut a nomine exordiar, constat apud Hebræos duas esse voces, quibus homo nominatur, Adam nempe, & Enos, ut intelligamus hominem non solum conditione, sed & nomenclatura calamitosum esse. Adam namque demonstrat hominem secundum corpus, ut sit Adam dictus ab originis & materiæ suæ vocabulo, velut terrenus sive terrestris, ad quod respexisse perspicue cernitur apostolus, cum dicit. *Primus homo de* 1. Cor. 15. *terra terrenus*. Item, *qualis terrenus, tales & terreni*. Enos autem quod sua etymologia oblivi- scentem significat, hominem quo ad animam exprimit, secundum quam *oblitus est Dei creatoris* Deut. 32. *sui*, non quidem ea oblivione, quæ vulgaris est, sed illa, quæ in spiritu, & veritate existit. Quod ex antithesi subtilissime indicavit prophe- Joan. 4. ta cum inquit: *quid est Enos, qui memor es ejus*, Psal. 8. *aut filius Adam, quia visitas eum*? memoriam Dei cum oblivione nostra pulcherrime compo- Job. 4. nens. Quid enim præclarum esse potest inutilis Job. 25. & abominabilis homo, qui domos habitat luteas, & terrenum habet fundamentum, & quasi aquam bibit iniquitatem? Quem Spiritus sanctus suis coloribus depingens, titulis gloriosis, & claris epithetis non est assuetus vocare, cum minime in principum aula, quæ est titulorum officina, versatus sit, sed scapham, ut dicere solemus, scapham vocat. In illius contemptum & Gen. 5. humiliationem alias eum pulverem nominat, a- Gen. 4. lias carnem, alias vanitatem, alias mendacium. Psal. 15. Cujus parentes, si ejus generis nobilitatem spectemus, vocat putredinem, sororem autem ver- Jul. 12. mem consumentem. Quo despectu etiam apud Isaiam loquitur *Ægyptus homo, & non Deus, &* Isai. 32. *equi ejus caro, & non spiritus*. Cui Christus non Jo. 2. credebat semetipsum, quia sciebat quid esset in Psal. 92. homine. David quoque cum hac tanta verborum emphasi ait: *Sciant gentes, quoniam homines sunt*. porro in evangeliis Christi testimonio ptibilius hominum traditioniblis? Itidem ius: *Nonne carnales estis, & secundum* Matth. 19. *hominem ambulatis*? & rursum: *Si hominibus* 1. Cor. 3. *placerem, Christi servus non essem*. Qui etiam cum Galat. 2. verecunde, & modeste loquitur, significatissime humanæ naturæ miseriam perstringens, dicere solet: *secundum hominem dico*. Homo quippe Rom. 3. natus de muliere, brevi vivens tempore, qui Job. 13. repletur multis miseriis, tanto discrimine prodit in lucem, cujus tam destituta, tantisque periculis obnoxia est infantia, tam fugax adolescentia, tam præceps juventus, tam molesta senectus, quem sexcenta, & amplius morborum genera quotidie infestant, nec pauciores impetunt casus, ruinæ, venena, naufragia, bellum, terræmotus, lapsus, fulmen, & quid non? Ut hinc conferens quidam cum singulis animantium generibus conditionis nostræ sortem, scite pronunciarit, nullum esse animal homine calamitosius. Alius item judicaverit, optimum esse, aut non nasci, aut quam ocissime aboleri.

Et profecto, viri patres undecumque ornatissimi, si penitius introspiciamus quid Spiritus sanctus de nostris ossibus vaticinetur, quid de

ANNO CHRISTI 1563.

cineribus carnis noſtræ in ſacris bibliis philoſophetur, ſtatim audituri ſumus. Philoſophi (ut dicitur) de trivio, tam ne magnum miraculum homuncio? & bulla, ut in proverbio, qui momento temporis enaſcens, ſimul & evaneſcens, *quaſi flos egreditur, & conteritur, & nunquam in eodem ſtatu permanet?* Certe David ſui pulveris ac cineris probe conſcius, & ſancta quadam admiratione raptus, exclamat: *Domine quid eſt homo quia innotuiſti ei: aut filius hominis, quia reputas eum?* Divus etiam Job admirandus, neque extaticus: *Dignum*, ait, *ducis ſuper hujuſcemodi aperire oculos tuos?* Regi & prophetæ, qui in cithara, & voce pſalmi ſuaviſſime cecinit, *homo fœnum eſt, cujus dies tanquam flos agri ſic efflorescunt; & velut umbra prætereunt.* Denique univerſæ vanitatis rationem, in hominem concurrere, argumento id eſſe poteſt, quod homo cum ceteris creaturis hoc habet commune, ut mutationibus in horas ſit ſubjectus, quod innumeris pœnis & calamitatibus ſit ſubditus, demum peccato, quod omnium vanitatum eſt ſumma, ſit obnoxius, ut magna ductus ratione propheta dixerit: *Univerſa vanitas omnis homo vivens*. Salomon ejus filius eodem ſpiritu actus, *vanitatem vanitatum*, hoc eſt, ſummam vanitatem eum appellarit. Vanum autem illud vocant, quod inconſtans, inutile, inane, & nudum eſt, cuique inniti quicquam non poteſt: propheta etiam ille, qui ſemel, iterum atque iterum ad dejiciendam, & frangendam penitus tanti vermis ſuperbientis, ac laſcivientis audaciam, repetitis ingeminatiſque vocibus acclamavit: *Terra, terra, terra, audi verbum domini*, nos eſſe tripliciter, & in univerſum miſeros apertiſſime declaravit. Quod paradoxon forte videri poterit paulo delicatioribus, qui alta de ſe ſapientes, humilibus minime conſentiunt, ſed ambulantes in magnis atque mirabilibus, hei mihi, nimium, nimium ſuper ſe ſuaviſſime vivunt, illud numquam non habentes in ore: *Anima mea habes multa bona poſita in annos plurimos, requieſce, comede, bibe, epulare*. Et illud, *Exiguum & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ, & non eſt refrigerium in fine hominis, neque eſt agnitus quiſquam reverſus ab inferis. Venite ergo fruamur bonis, & utamur creatura, tanquam in juventute f Vino pretioſo, unguentis nos impleamus, ne tereat nos flos temporis noſtri. Coronemus antequam marceſcant: nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra: quoniam hæc eſt pars noſtra, & ſors noſtra.*

Conſulto igitur Spiritus ſancti, cujus filia & diſcipula eſt catholica & apoſtolica eccleſia, piorum omnium mater ac nutrix, ſcripturarum quque vocibus admonita, pie docet, & ſancte etiam erudit ad retundendam carnis noſtræ ſuperbiam, quæ Adamum illum graviſſime olet, ritum hunc anniverſarium, & ceremoniam tot jam annis religioſe inſtituit, ut ſtato hoc tempore, ſacri cineris aſperſione, quotannis admoneremur, quam fragiles, quam caduci, quam imbecilli, & plane nulli ſimus, niſi in vaſis noſtris fictilibus, oſſibus atque cineribus, quos circumuſque geſtamus, vetus ille primus & de terra terrenus Adam moriatur, ut in noſtris peccatoribus, ſacer ille ſecundus de cœlo, atque omni ex parte cœleſtis Adam reſurgat. *Ut ſicut portavimus imaginem terreni, ita portemus imaginem cœleſtis.*

Neque vero in hoc ſacri cineris ritu comparando mater noſtra, ac magiſtra eccleſia ſcripturis ſacris eſt deſtituta. Primum namque in lege naturæ vir ille in camino humiliationis & paupertatis excoctus, & tanquam aurum in fornace a domino probatus, ſaccum conſuit ſuper cutem, & operuit carnem cinere, culpam ſuam nimirum per pœnitentiam tegens, ne in diſtricti judicii examine ad ultionem videretur. Quippe qui corde pœnitentiam egit, ac in favilla, & cinere ſatisfecit, cum divinam juſtitiam contemplatus, nil aliud quam favillam & cinerem ſe eſſe cognovit. Quo etiam pœnitentiæ ritu, regem illum cum ſuis Ninivitis fuiſſe uſum legimus. Quando audita Dei ſententia, regium abjecit veſtimentum, hoc eſt, nec regiæ dignitatis, nec gloriæ veſtium, nec voluptalis ciborum memor, ſe totum Deo proſtravit, caput demiſit, pectus percuſſit, poſtremo hominem mortalem, & peccatorem ſe recognovit, omni gratia indignum, ſummam autem pœnam commeritum. Neque item hanc tam piam, & ſalutarem cinerum ceremoniam legis teſtimonio vacare, manifeſtis, & perſpicuis verbis liber Numerorum docet, cum de aqua expiationis, quæ cineres continebat, ſermonem faciens, ita concludit: *Si quis hoc ritu non fuerit expiatus, peribit anima illius de medio eccleſiæ*. Quo profecto eleganti ſymbolo, pœnitentia nobis, & noſtræ vilitatis cognitio inſinuatur. Hinc apud Judæos conſuetudinem natam eſſe conſtat, ut quoties calamitatibus opprimerentur, aut ad pœnitentiæ remedia confugerent, toties ſe cinere aſpergerent, aut in eo ſederent. Quod ſanctiſſimi viri David, Daniel, Judith, nutricius Eſther, & plures alii feciſſe deprehenduntur. Unde & prophetæ adhortantis eſt vox, *Filia populi mei accingere cilicio, & conſpergere cinere*. Chriſtus etiam ſuo ipſius ore Ninivitarum pœnitentiam commendans, & civitatibus Bethſaidæ, & Corozaim duritiam, & cor impœnitens hiſce verbis exprobrans: *Quomodo ſi in Tyro, & Sidone fuiſſent factæ tot virtutes, utique in cinere, & cilicio ſedentes pœniterent*: ritum hunc cinerum diſerte ſatis comprobaſſe videtur. Adeo ut quidam in extremo illo Chriſtianæ mortis agone conſtituti, cineribus, pro mollibus ſtramentis, uterentur ut terræ, & pulveri aſſueſcerent, in quem brevi erant reverſuri. Quippe qui non ſolum *cinerem tanquam panem manducabant*, verum etiam & pro cubili ſternebant. Quod & beatus Martinus, ſuo ipſius exemplo pie admodum commendavit. Cujus illa beata vox fuit: *Non decet Chriſtianum, niſi in cinere mori.*

Atqui, patres optimi, pulvis ante faciem venti, & lutum platearum condeletum, & conculcatum, nempe hæreſum novatores, quibuſcum nobis eſt colluctatio, tanquam adverſus carnem & ſanguinem, irrident, oblatrant, inſurgunt contra hanc piam cinerum aſperſionem, quaſi non eſſent filii Adæ, & quaſi peccatum per Adam non intraſſet in mundum, *in quo omnes peccaverunt*. Sed quid facerent aliud? Qui tam longum vale jejuniis, & univerſæ carnis mortificationi dixerunt? Qui laborioſa opera penitus reſpuerunt? Et quos non pudet ſub capite Chriſti ſpinoſo membra fieri delicata, quam præſens hoc ſymbolum aſpernari? Sed audiant, obſecro. *Si enim cinis vitulæ per Moyſen aſperſus, ſanctificabat ad emundationem carnis*, quanto magis cinis ex ſacratis palmarum ramis, verbo Dei, & oratione per ſacerdotem evangelicum, conſecratus, & a fidelibus reverenter ſuſceptus ut pie credit eccleſia, & ſancte etiam precatur, ſanctificabit,

ANNO CHRISTI 1563.

Job. 13. *Pſal. 143.* *Job. 13.* *Pſal. 102.* *Eccleſ. 1.* *Pſal. 38.* *Eccleſ. 1.* *Hier. 2.* *Rom. 12.* *Pſal. 130.* *Luc. 12.* *Sap. 8.* *2. Cor. 4.* *2. Cor. 15.* *1. Cor. 15.* *Eccleſ. 28.* *Iſa. 48.*

Sap. 3. *Job. 16.* *Job. 41.* *Num. 19.* *Pſal. 101* *Dan. 6.* *Judit. 9.* *Eſth. 4.* *Nier. 6.* *Matth. 22.* *Luc. 10.* *Pſal. 102.* *In Luthe-ranos.* *Pſal. 17.* *Epheſ. 6.* *Pſal. 4.* *Rom. 5.* *Hebr. 9.* *2. Tim. 4.*

ANNO CHRISTI 1563.

cabit, vel saltem ad sanctificationem proficiet? Si interrogati non semel, sed iterum, ac tertio quid primum in Christianæ religionis insit præceptis, nonne cum Augustino humilitatem semper respondere liceret? Cui satis plane facimus, cum superbam cervicem nostram sensibilis cineris ritui demittemus, ut qui corpore peccavimus, holocaustum etiam de nostris corporibus domino faciamus.

Epistola 16. ad Diosco.

Admonemur etiam præsentis solemnitatis cæremonia, ut cinerum proprietates, & conditiones in nobis ipsis, qui sumus pulvis, & cinis, penitus agnoscamus. Quid enim cinere levius, qui vel minimo vento circumfertur? Quid autem homine inconstantius? qui ad omnem suggerentis dæmonis, aut mundi allicientis, aut carnis pellicientis tentationem, & blanditias, illecebrasque succumbit? Quid rursus cinerum natura imbecillius & impotentius, qui per seipsos loco prorsus moveri nequeunt? Quod sane debilitatis, & imbecillitatis humanæ nos commonefacit, cum a peccato resurgere nobis penitus sit impossibile, nisi illius de cœlo spiritu flante impellamur, qui dixit: *Nemo venit ad me, nisi pater meus, qui me misit, traxerit eum*, Postremo cineres suapte natura infœcundi sunt: nullum enim germen producere, aut productum conservare, vel nutrire possunt, cum ex seipsis sint steriles, pinguedineque omni ac virtute vegetandi careant. Quid autem humana natura post peccatum magis infœcundum ac sterile? ut vere de illa tanquam de terra maledicta, dictum sit: *Spinas, & tribulos germinabit tibi*. Nihil itaque ex nobis, quasi ex nobis, possum, nisi terra nostra, pluvia illa cœlesti, ac voluntaria madefiit, planeque irrigetur. Cujus David sitientissimus erat, cum suam sterilitatem agnoscens, dominum precabatur, dicens: *Anima mea sicut terra, sine aqua tibi*.

Jacob. 1. *Psal. 14.* *Actor. 2.* *Jo. 6.* *Genes. 3.* *Jo. 15.* *2. Cor. 3.* *Psal. 67.* *Psal. 41.* *Psal. 142.*

Proinde Christus, Dei virtus, & sapientia penitissime cognoscens figmentum nostrum (fictilibus & Samiis vasis multo fragilius) recordatusque pulveris nostri, expuens aliquando in naturæ nostræ cineres, eos univit, firmavit, ac stabilivit, nimirum quando *verbum caro factum est*, & terram nostræ humanitatis in consortium suæ divinitatis ineffabiliter assumpsit. Quamobrem cum primum Christo initiamur, aquis salutaribus tingimur, cujus beneficio, pulveris ac cineris conditiones, hoc est veterem hominem cum actibus suis exuentes, Christumque ipsum, in cujus nomine baptizamur, induentes, fidei constantiam, atque uberem illam bonorum operum fœcunditatem, de illius plenitudine, accipimus. Quid igitur homine Christiano fortius? Quid potentius? Quid ornatius, ac locupletius? Quid denique illustrius? Cujus invictim pectus non cruces, non gladii, non tyranni, non tormenta, non denique mors ipsa superare possunt. Cujus cineres terrori sunt dæmonibus, quibus se cruciari non semel fassi sunt. Veneratioui sunt fidelibus, quorum honore, pio, ac religioso contactu sæpe adeo sunt sublevati, ut Elisei ossa vel post mortem prophetarint. De homine igitur restituto, & instaurato jam libeat ad raucedinem usque acclamare, magnum imo vero maximum, o patres, miraculum est homo, de quo Spiritus sanctus tam insigne testimonium proferre dignatus est: *dixi, dii estis, & filii excelsi omnes*.

1. Cor. 1. *Psal. 102.* *Jo. 9.* *Jo. 1.* *Coloss. 3.* *Gal. 3.* *Jo. 1.* *Rom. 8.* *Hieronym. Epistola 10. contra Vigilant.* *Chrysostom. Hom. 66. ad populum Antioch. & homil. 5. de laudibus Paul.* *4. Reg. 13.* *Psal. 18.*

Verum enimvero quemadmodum tam præclaram hanc, & sublimem dignitatem, nulla re magis, quam humilitate nobis comparamus, ita nullum sane melius illa, tuendæ atque conservandæ tantæ gloriæ studium inveniri potest. Quare si sapimus, patres, unam humilitatis virtutem, quotidiana ac jugi mortis nostræ meditatione colamus. Hæc enim una longe præstantissima est perscrutandi, vereque Christiana, quam sapientes hujus mundi etiam subodorati sunt. Philosophentur itaque Ægyptii, & Chaldæi, apud quos nata, & aucta est, sed non absoluta, neque unquam absolvenda astrologia, & reliqui ejus farinæ stolidi homines astronomi de motu, aspectu, ac influentiis syderum & planetarum. Placebat philosophis sua illa de natura, causis, elementis, orbibus, atque intelligentiis superba, ne dicam inutilis philosophandi occupatio. Nobis vero Christianis, qui sumus lutei ac cineritii, de imbecillæ fragilitatis nostræ cineribus docte, humiliter, pie, sancte, multoque etiam cum fœnore speculati gratum sit ac inter ipsos vilitatis nostræ cineres, nobilitatem nostram quærere, cœlo, & cœlestibus, instauratoris Christi beneficio, æquandam. Incineremurque phœnicis instar, ut illustrius reviviscamus. Renovemur, ut aquilæ solent, id quod e corruptione significantissime dixit apostolus in incorruptionem. Et faxit Deus ut cineres per Adæ veteris mortificationem, & sepulturam illustriores simus, nihilque nobis cum illis, quibus dictum est: *vos autem sicut homines moriemini*. O si patres SS. quemadmodum in foco nostro familiari sub cineribus operti, atque abditi latent carbones, ita sub nostræ mortalitatis cineribus lateant sacri & nunquam extinguibiles Christiani amoris ignes, quo cum dilecta non solum langueamus, verum etiam ardeamus, profecto beati erimus.

Marc. 12. *Psal. 102.* *1. Cor. 15.* *Rom. 6.* *Coloss. 3.* *Psal. 87.* *Can. 2.*

Jam vero unde nobis tot opinionum, atque hæresum monstra nata sunt? Unde voces alienorum, quas Christi oves minime noverant, in ecclesiam irrepserunt? Unde tot, tam effrontis & inveteratæ duritiæ, tanquam adamantinæ pervicaciæ homines prodiere? qui tantis eloquiorum castorum divinis molibus non fatiscant, tantisque ponderibus cœlestibus non succumbant, tantis etiam evangelicis malleis non conquassentur, tantis postremo apostolicis fulminibus non conterantur? Nisi ex pulveris & cineris nostri oblivione, atque arroganti falsi nominis scientiæ persuasione? *Quam quidam promittentes circa fidem exciderunt*. Unde etiam reipublicæ Christianæ facies tam squalida, tamque deformis, & super carbones denigrata? *Quomodo obscuratum est aurum, immutatus est color optimus?* Quo deperiit decor ille vultus tui, o pulcherrima mulierum? Unde tot, tantique abusus in paradiso Dei? Nisi quia superbit ac lascivit terra hæc, & cinis?

Jo. 10. *Psal. 2.* *Hier. 23.* *1. Tim. 6.* *Thren. 4.* *Thren. 4.* *Jacob 1.* *Cant. 5.* *Eccles. 10.*

Proinde, patres consultissimi, qui levastis dudum oculos vestros, vidistisque regiones magis siccas ad ignem quam albas ad messem. Et ab omni Christianorum orbe (nam vicit iter durum pietas) venistis tandem in agrum domini Dei nostri, quem vepribus magis quam frugibus, infructuosisque arboribus, quam fructuosis, occupatiorem inveniistis. Atque ut ne steriles ejusmodi arbores, olivæ fructiferæ, ac terebintho extendonti ramos suos, terram occupare pergerent, farculo agrum, securi malas arbores, falce triticum in horrea domini colere, exscindere, ac metere cœpistis. Quod igitur tam pie, tamque

Jo. 4. *Cant. 7.* *Luc. 13.* *Psal. 5.* *Eccl. 24.* *Matth. 3.* *Matth. 13.*

ANNO CHRISTI 1563.

tamque fauſte a vobis cœptum eſt, urgete veſtra caritate : Implete eccleſiarum gaudia : *Increpate feras arundinis*, Sirenes iſtas impio labore polygraphas, quæ per canoros dulceſque ſermones innocentium corda ſeducunt. Cohibete ſcribacciſſimos pſeudoevangeliſtas, qui varias & peregrinas doctrinas, olim ſepultas, tanto reipublicæ Chriſtianæ malo revocarunt ab orco. Quod ſi doctorum, & ſcribarum nomine ſibi blandiuntur, imitentur, obſecro, hominem evangelicum proferentem de theſauro ſuo nova, ſed cum vereribus. Jubemur enim comedere vetuſtiſſima veterum, & prohibemur nova, recentiaque invenire, quæ non coluerunt patres noſtri, quos nova vetuſtate, & veteri novitate ſequi admonemur.

Sed illis tantiſper dimiſſis, ad vos redeo, o ſales terræ, condite, imo cum ſitis ipſi ſanctiſſimi, ſanctificate eccleſiam, ut in lectione ſacra Spiritus ſanctus hodie qui vos in ea poſuit epiſcopos, benevole hortatur, liberantes illam a doctrinarum ventis, quibus plebs miſera circumfertur, atque a pravis moribus, quorum culpa Chriſtus ipſe ſervator, qui nos vocavit, non quidem in immunditiam, ſed in ſanctificationem, male audit, & blaſphematur inter gentes. Incipiat vero a ſanctuario Dei optatiſſima hæc ſanctificatio, ad quam ipſi ſuſpiramus, expectantes beatam ſpem, ut inde tanquam a capite in barbam, & ad oram uſque veſtimenti deſcendat, quoniam *hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio noſtra* : Onera, ſi tamen mandata illius, *cujus jugum ſuave eſt, & onus leve*, onera dicenda ſunt, quæ ipſi populo, & plebi Chriſtianæ paracleti Spiritus juſſu, impoſituri eſtis, non ſolum digito veſtro movete, ſed & humero portate. Inſtaurate antiquam, ſed pene collapſam diſciplinam, prout videritis parvulos noſtros portare poſſe, qui cum deberent eſſe magiſtri propter tempus, edoceri rurſum indigent, quæ ſint elementa exordii ſermonum Dei : & facti ſunt *quibus lacte opus ſit, & non ſolido cibo*, atque pro ea ratione ac moderatione, quam noſtra turbulenta ferunt tempora : in quibus (proh dolor!) *defecerunt ſancti, diminuta ſunt veritates a filiis hominum, abundavit iniquitas*, & quod inficias ire non poſſumus, *refrixit caritas, nec eſt qui ſe opponat murum pro domo Iſrael, neque qui aſcendat ex adverſo, ut ſtet in prælio, in iſto die domini*, ſi vos eccleſiarum columnæ, paſtores, veraque mundi lumina, a quibus ipſi omnes pendemus toti, vel non ſuſtineatis, vel dormiatis, vel conniveatis.

Purgate filios Levi, colate ſacerdotium, ritus, ac cæremonias : quæ pietatem & religionem ornant, non obruunt, confirmate. Si quid autem ſuperſtitionis obrepſit, emundate, atque emendate pro veſtro judicio patres, qui modo ſedetis conflaturi, & emundaturi argentum. Cuſtodite etiam præcipue omni cura, ſtudio, ac diligentia, ut Paulus ad vos ſcribit propter fures, & inimicos depoſitum. Depoſitum inquam illud, quod auro, & topazo, gemmiſque omnibus longe ditius, ac pretioſius eſt, nempe catholicæ fidei talentum, idque inviolatum, & purum ſervate, uſque in illum diem. Atque de eo depoſito loquor, quod vobis creditum eſt, non a vobis inventum : quod accepiſtis, non ipſi excogitaſtis ; rem non ingenii, ſed doctrinæ ; non uſurpationis privatæ, ſed publicæ traditionis ; rem ad vos perductam, non a vobis prolatam ; cujus non auctores, ſed cuſtodes ; non inſtitutores, ſed ſectatores eſtis. Prophanas autem vocum novitates ab eccleſiæ penetralibus, quæ eſt templum Dei, penitus extraneas, vetuſtatique etiam & univerſitati contrarias, quaſi Sirenceos ſcopulos devitate. Quæ profecto ſi recipiantur, credite apoſtolo neceſſum eſt ut ſanctorum patrum doctrina, pietas, religio, fides denique ipſa, aut tota aut certe magna ex parte violetur, inficiatur, labefactetur. Adeoque labefactetur, ut *eccleſia quæ domus Dei eſt, columna, & firmamentum veritatis*, totus plane Chriſtianus orbis & credat, & dicat ignoraſſe, erraſſe, blaſphemaſſe, neſciſſe quid crederet. Ejuſque etiam paracleti Spiritus præſidio hactenus deſtitutam eſſe, quem ſervator Jeſus in cœlum aſcenſurus, ſeſe illi a patre miſſurum, atque in ea, & cum ea manſurum ad ſæculi uſque conſummationem recepit. Accipiant ſanctæ pietatis noſtræ literæ lucem, evidentiam, diſtinctionem. Sed retineant plenitudinem, integritatem, & proprietatem, illibatumque omnino, & incorruptum natura permaneat ſemen illud undique ſacrum, undique ſanctum, quod in hac eccleſiæ Dei agricultura fide patrum ſatum eſt.

Adjicite itaque ſplendorem, gratiam, & venuſtatem, pretioſas divini dogmatis gemmas in ſtructura, & ornatu ſpiritalis hujus tabernaculi tanquam Bezelehel exſculpite, fideliter coaptate, ſapienter ornate, ut vobis exponentibus intelligatur, quod ante obſcurius credebatur. Per vos poſteritas intellectum gratuletur, quod antea priſca illa, & vetuſtior ætas non intellectum venerabatur. Et ut ſemel dicam, eadem *quæ didiciſtis, accepiſtis, & audiſtis*, docete, ut cum dicatis nove, non dicatis nova. Idipſum impenſe efflagitat Chriſtianus populus, hoc a vobis expectant Chriſtiani reges, atque principes. Maxime vero omnium invictiſſimus ille Cæſar Auguſtus, & pietate & bello, & armis clariſſimus : Cujus manum & brachium glorificavit Deus, qui dedit imperium regi ſuo, & ſublimavit cornu Chriſti ſui, ad nimirum vindictam faciendam in nationibus, increpationes in populis. Itidem ſummo ſtudio contendit, petitque obnixe ſanctiſſimus ille pater, & pontifex maximus Julius tertius, epiſcoporum princeps, apoſtolorum hæres, poteſtate Petrus, unctione vero Chriſtus. Monet denique, & miris etiam modis obteſtatur pia mater eccleſia, quæ hodie gemens, ut columba ſolet : *immutemus*, inquit, *in melius, quæ ignoranter peccavimus*. Quippe quæ ſuorum filiorum rixas videns, ſimulque in uno die orbari utroque filio timens, ad ſponſum ita loquitur : *Si ſic mihi futurum erat, quid neceſſe fuit concipere?* Sed vos non deterreat patres afflictio ſponſæ, quos ut ſponſi amicos, tam ſollicitos ejus tenet obſequium. Quin potius arrigite, quæſo, pias aures ad vocem illam ſponſæ, ad vocem inquam plenam fiduciæ illius, cui innititur, nempe dilecti : *Nolite inquit conſiderare quod fuſca ſim*, quod decoloraverit me ſol, quod filii, non quidem matris meæ, quod tamen crudele eſſet, ſed amantiſſimi uteri mei pugnaverint contra me. Atqui *ſi conſiſtant adverſum me caſtra, non timebit cor meum*. Imo, *ſi exurgat adverſum me prælium, in hoc ego ſperabo*. Scio ſponſum meum poſuiſſe cuſtodes in vineis Engaddi, de quibus meliora, & viciniora ſaluti ſperare auſim, quam ut dicant : *vineam meam non cuſtodivi*. Sed *habeo*, inquit, *adverſum vos panca*. Succingite ergo potius lumbos mentis veſtræ, memores mandatorum Dei ad faciendum ea. Si vero (ut eſt hujus viæ noſtræ juſtitia, ut eſt fragilitas) ſomnus aliquis

ANNO CHRISTI 1563.

Exhortatio. 2. Cor. 15. Philip. 2. Pſal. 67. Rom. 16. Heb. 13.

Matth. 13.

Levit. 26. Deut. 32.

Hier. 6.

Matth. 5. Joel. 2.

Act. 20.

Epheſ. 4.

1. Theſſ. 4.

Iſa. 52.

Ezech. 9. Tit. 2.

Pſal. 132.

1. Theſſ. 4. Matth. 2.

Acta. 15. Matth. 23. Gal. 6.

Geneſ. 32. Heb. 5.

Pſal. 2.

Matth. 24.

Ezech. 13.

Gal. 2.

Malac. 3.

1. Tim. 6. Pſal. 118.

2. Tim. 4. 2. Tim. 1.

Levit. 6. Gal. 2. 1. Theſſ. 2.

1. Joan. 2.

Philip. 4.

Populus.

Imperator. Eccleſ. 36. 1. Reg. 2. Pſal. 149.

Papa.

Ergo non an. 1563. ſed 1552. rec. ita.

Eccleſ.

Iſaiæ 59.

Geneſ. 27.

Geneſ. 25.

Jo. 2.

Apoc. 18. Cant. 8. Cant. 1.

Vox eccleſiæ ad ſynodum. Oſe. 9.

Pſal. 26.

Cant. 1. Hebr. 6.

Cant. 1.

Apoc. 2.

2. Pet. 1.

ANNO CHRISTI 1563.

aliquis sensim obrepserit, *ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel*. Quod si etiam dormientibus vobis superseminavit noctu inimicus homo zizania, exurget ille, cujus cor vigilat, & peribunt succensa quæque ab increpatione vultus ejus. Sic alligantur fasciculi ad combustionem. Sic pisces discernuntur in littore. Sic fatuæ virgines a sapientibus dignoscuntur. Sic colliguntur ab angelis de regno ejus omnia scandala.

Vigilate itaque, patres sanctissimi, state in fide, viriliter agite, confortamini, ut iniquorum fabulationes & novorum dæmoniorum doctrinas ab ecclesia Dei tandem aliquando depellatis. Annuet, sat scio, Christus vestris votis, modo impense velitis. Id quod hactenus fecistis, & modo etiam facitis, & quidem paterno affectu. Propterea enim ab universo Christianorum orbe convenistis, ut de utriusque ægrotantis populi sanitate tractaretis, infirma consolidaretis, confracta alligaretis, abjecta reduceretis. Nec id quidem temere, licet tot præcesserint hujuscemodi tractatus, toties convenerit ecclesia diligentissima utens disquisitione pro stabilienda veritate, & destruendo errore. Eadem enim cum Paulo sæpe dicere, & vobis non pigrum, & ecclesiæ maxime fore noscitur necessarium. Hoc namque concilia novissima semper prioribus contulerunt, non quasi novam fidem profiteri, vel asserere voluerint, sed unam, & ipsam quidem antiquam, pro ea ratione, quam implicitum a magis explicito differt, summo studio & pietate dilucidare ac illustrare conati sunt, prout Spiritui sancto visum est, & rebus, & temporibus expedire. Qui novi splendoris incremento ecclesiam suam pro ejus paracleti irradiat, & prout cernit portare posse loquitur, suggerit, & inspirat. Ergo qui bene cœpistis, bene pergite. Date operam, ne quisquam de nobis vere, ac merito dicere possit: Hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare. Dignum est enim tam felix principium, tamque faustum medium, salutari ac glorioso fine claudere. Non ignoro me non excitare dormientes, sed potius adhortari progredientes.

Redeant itaque per vos, pastores vigilantissimi, in ovile ecclesiæ aberrantes oves. Arceantur lupi, ac fures, qui eas mactant & perdunt. Abscindantur falsi & fallentes apostoli, qui eas conturbant. Agnoscant verum suum pastorem, Romanum nimirum summum pontificem, cui claves traditæ, cui oves creditæ sunt. Estis quidem & vos patres, jure optimo, cœli janitores, & gregum pastores, simulque in partem solicitudinis ecclesiarum vocati, sed ille tanto melius, tantoque perfectius, excellentius, & gloriosius, quanto differentius præ nobis participibus, & consortibus suis nomen hæreditavit. Cui quicquid non unitur, quicquid non innititur, credite evangelio, ruina est, nec ad ecclesiastici ædificii unitatem pertinet, extra quam qui deprehensus fuerit, peribit superveniente diluvio. Illius igitur doctrinis omnes imbuantur, monitis obtemperent, præceptis acquiescant, pro cujus fide Christus Jesus pastor ille bonus, pastorum princeps, & episcopus animarum nostrarum singulariter oravit, & exauditus est pro sua reverentia. Denique, ut tandem finiam, patres sanctissimi, sed tamen lutei, ac cineritii, *hoc dicit dominus Deus, qui aufert spiritum principum*. Idem & ecclesia mater quæ dissolvi cupit, & esse cum Christo: *Memento homo quod pulvis es, & in pulverem reverteris*. Nullus enim ab hac sententia liber esse potest, aut debet, non opulentus, non byssо, non purpura indutus, non princeps, non denique ullus hominum, etsi in summo potestatis fastigio constitutus emineat. *Finem itaque dicendi omnes pariter audiamus. Deum time, & mandata ejus observa, hoc est omnis homo. Et cuncta quæ fiunt, adducet Deus in judicium, sive bonum sive malum*. Idcirco *timete* potius *eum, qui postquam occiderit, habet potestatem & animam & corpus perdere in gehennam. Ita dico vobis, hunc timete*.

ANNO CHRISTI 1563.

DIXI.

CX.

CONCIO DE TRIBUS DOMINI NOSTRI Jesu Christi tentationibus, habita per F. Joannem a Ludegna doctorem theologum Dominicanum Tridenti prima dominica quadragesimæ anni MDLXIII.

Et ne nos inducas in tentationem.

SICUT vestri muneris & officii est, cardinales illustrissimi, patres reverendissimi, oratores clarissimi, ecclesiam Dei custodire, adaugere, ad vivam nativamque effigiem revocare: ita mei esse credidi, de malis quibus illa laborat, vexaturque admodum, vos impræsentiarum admonere. Laborat autem (si prudenter advertimus) multis, magnis, contagiosis, periculosisque malis, quæ omnia tribus dumtaxat locis nostræ orationis commode complectemur & aperiemus. Primo enim loco, de incredulitate & diffidentia in Deum. Secundo de inani, brevique peritura gloria. Tertio demum de avaritia tractabo. De his tanquam tribus potissimum maculis, quibus ecclesiam Dei decoloratam, deformatam, nimisque (proh dolor!) defiguratam conspicimus, tractabimus, non fucatis, affectatis, aut adulatoriis, sed planis, simplicibus, flebilibus, seriisque verbis & sententiis.

Quandoquidem de iisdem planissime, simplicissime, multumque serio nos admonet evangelium hodiernum, dum evangelista dicit: *Tunc ductus est Jesus a Spiritu in desertum, ut tentaretur a diabolo*. Nusquam antiquus ille Dei voluntatis, verborum & operum detestabilis glosiator atque corruptor, nimirum diabolus, opportunius, commodiusque tentat, quam cum videt Deum maxima hominibus pro sua gratia polliceri, nosque incredibilibus & insperatis donis ac beneficiis ab eodem ornatos, & cumulatos intuetur. Tunc, ut Job loquitur, *Satan astat inter filios Dei*, & obtenta licentia mare circuit & aridam, ut fideles, obedientes, gratosque Deo homines a fide, conceptaque fiducia avellat & in incredulitatem diffidentiamque Dei illos conjiciat. Cujus quidem sataniçæ indolis, tartareique ingenii quamquam multa, variaque passim extant in scripturis exempla: tamen quia mens mea, propositumque a nobis thema alio vocant, sola præsentis evangelii historia contentus ero, qua tanquam exemplo quodam ad nostram istam doctrinam confirmandam, brevissime utar.

Cum baptizato Christo cœli aperti sunt, Spiritusque sanctus in specie columbæ supra ipsum descendit, & sonora dulcisque vox patris de cœlo audita est: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui*: eo sane tempore Deus pro hominibus humanissime

Ezech. 34.
Philip. 3.
Aug. lib. 2. contra Do. cap. 9.
Acto. 15.
Jo. 16.
Jo. 14.
Luc. 14.
Ezech. 34.
Jo. 10.
Gal. 5.
Matth. 16.
Jo 21.
Matth. 18.
1. Pet. 5.
2. Cor. 2.
Hebr. 1.
Psal. 44.
Matth. 16.
Marci 1.
Matth. 7.
Jo. 10.
1. Pet. 5.
1. Pet. 2.
Luc. 22.
Hebr. 5.
Peroratio.
Psal. 75.
Philip. 1.
Genes. 3.
Matth. 4.
Job. 4.
Luc. 3.
Eccles. 12.
Matth. 10.
Luc. 12.

ANNO CHRISTI 1563.

manifſime loquutus eſt, noſque maximis donis, A ac beneficiis donavit: quæ ſi per partes, ac figillatim, pro dignitate mihi explicanda eſſent, tempus nullum ad recenſendum ſatis eſſet. Non enim pro ſe Chriſtus baptizatus eſt, ſed pro nobis, ut ſcilicet noſtra peccata ſuffocaret, aquaſque noſtras ſanctificaret. Non pro Chriſto cœli aperti ſunt, cui ab æterno patuerunt: ſed pro nobis, quibus ſemper clauſi fuerant. Non pro Chriſto Spiritus ſanctus viſibili ſpecie manſuetæ columbæ deſcendit, quippe qui ab inſtanti divinæ incarnationis ſuæ Spiritu ſancto plenus extitit: ſed pro nobis, quos variis charismatibus, nempe manſuetudine, conſilio, fortitudine, ſapientia, prudentia, fide, ſpe, caritate, gratis inunxit, qui in ipſo diligimur, patrique complacemus. Illi admirando & ſupercœleſti ſpectaculo, omniumque filiorum Dei publico negotio Satan aſtitit, factum vidit, verba, geſtaque conſideravit, perpendit, examinavit, ruminavitque, & in ſecretioribus ſui impii pectoris penetralibus (non ſine magna invidia) captioſe recondidit. *Tunc ductus eſt Jeſus a ſpiritu in deſertum, ut tentaretur a diabolo.* Verum enimvero non mox tentat, ſed caute expectat donec diuturna abſtinentia, patientiſſima malorum tolerantia, conſtantiſſima in Deum fiducia, filius Dei ſuam obedientiam, & in patrem gratitudinem aperte declaravit. B

Tunc Satan arrepta ab iis malis, quæ quam maxime Chriſtus patiebatur, tentandi occaſione, videns nimirum, triſtiſſimam ſolitudinem, horrendam, meritoque fugiendam, cum beſtiis, feriſque ſocietatem, neglectum ſui, eſuriem, maleque ſuadam famem, iis inquam malis ſeu validiſſimis arietibus, potentiſſimiſque tormentis, eum audacter impetit, interturbat & oppugnat, intendens a fide, quam illum ex iis quæ in baptiſmo audierat, concepiſſe putabat, in incredulitatem, & diffidentiam Dei detrudere: ignorabat utique Chriſtum ſimul fuiſſe viatorem & beatum: omnia vero quæ hactenus dixi tres proculdubio evangeliſtæ ſummatim, pauciſque verbis non inſinuant, dum ſcribunt. *Et erat in deſerto cum beſtiis & feris, & cum jejunaſſet quadraginta diebus & quadraginta noctibus poſtea eſuriit: Et accedens tentator dixit ei. Si filius Dei es, dic ut lapides iſti panes fiant.* Hæc eſt (medius fidius) ſors omnium filiorum Dei, præſertim vero primorum procerum & capitum Chriſtianæ reipublicæ ſcilicet expeti a ſatana, ſicut ſanctus Lucas ait, *ut ſicut triticum cribrentur & excutiantur.* Nam qui ſponſum vincere, aut tantillum a loco movere non potuit, is idem faciem ſponſæ, commaculare, conſpurcare, defœdare ſuis tentationibus nunquam ceſſavit, nec ceſſat. Sed gratias agamus omnipotenti filio Dei, qui ſua oratione impetravit, pro ſua reverentia ne deficeret fides Petri, alioquin ut ille eſt cautus, ſagax, diligens: nos vero incauti, imprudentes, negligentes, actum haud dubie eſſet de nobis: quapropter obſecro vos, cardinales illuſtriſſimi, patres graviſſimi, voſque doctores eruditiſſimi, ut me de incredulitate, & diffidentia Dei tantiſper dicentem ac differentem, pro veſtra humanitate, patienter audiatis, & cogitetis me nunc ex hoc loco velle ſermonem auſpicari. Mirabimini forſitan, patres ſanctiſſimi, quod poſtpoſita hujus primæ tentationis triviali, communique de gula expoſitione, Dominum noſtrum de incredulitate, atque diffidentia Dei tentatum fuiſſe dixerim.

Matt. 4. C D

Luc. 11. E

Verum ſi attentis animis adverteritis, ad ejus gulæ radicem, in quam inimicus homo Chriſtum inducere ſatagebat, deſinetis utique mirari, & me cum communi expoſitione, communemque mecum conſentire ſapienter, juſteque judicabitis. Nam ſicut peccatum illud gulæ, in quod perſuaſi a ſerpente, primi noſtri parentes deciderunt, ab incredulitate non dubie originem traxit: ita equidem, ſi juxta hoſtis infidele conſilium, Chriſtus de lapidibus illis panes confeciſſet, & ex eis ad ſatietatem uſque comediſſet (quod tamen impoſſibile erat) a diffidentia Dei gula utique illa proceſſiſſet. Non enim quiſpiam negotiis Dei mancipatus, ejuſque obſequiis addictus, quod non debet facit, ut fami, aut ſuis neceſſitatibus ſuccurrat, niſi prius plane de Deo diffidat, ejuſque præcepta, promiſſiones, aut comminationes, neglectui, contemptuique prius habeat. Non me autem latet, innumeros eſſe in eccleſia Chriſtianos, qui (ſalva fide) aut ex ignorantia, aut ex malitia, multa, quæ non debent faciunt, ut ſibi ſuiſque rebus (quod ajunt) conſulant, quos tamen nec debet, nec poteſt, conſtituta noſtra regula comprehendere: in qua de his tantum loquor, qui ſecundum ſimilitudinem prævaricationis Adæ, ex incredulitate unius, aut multorum articulorum fidei, aut ex magna diffidentia Dei, perdite vivunt, ſuiſque contra primam & ſecundam tabulam, peccatis, & blaſphemiis ſanctam Dei eccleſiam obſcurant. Talium enim ſtultorum plena eſt miſeranda, calamitoſaque noſtra ætas. Verum ut rem, de qua nobis eſt ſermo, illuſtriorem faciamus, utque dicendis viam planam aperiamus, aliquot familiariſſima (utinam non domeſtica) exempla in medium proferam, a gemino tamen (quod ajunt) ovo alte repetita.

Unus ex articulis nobis ab initio revelatis, & ſymbolo apoſtolorum propoſitis, atque promulgatis eſt, ſcilicet, *Credo ſanctam eccleſiam catholicam.* Hic nempe articulus olim in priſcis eccleſiis per univerſum orbem ſparſis, fuit valde plenus (ut ita dixerim) ſucci, hoc eſt, fides illius peperit in eccleſia magnam pœnitentiam, obedientiam, continentiam, præceptorum, ſacramentorum, conſiliorumque Dei eximiam reverentiam, atque optimam intelligentiam: Nunc vero noſtro deplorando ſæculo, fidem illius articuli invaſit diabolus, arreptumque vertit, & invertit, volvit & revolvit, ſuiſque venenatis manibus compreſſit, & ex fructuoſiſſimo articulo vacuam, caſſamque nucem fecit. Nam quid eſt, obſecro, auditores candidiſſimi, abſtinentiæ, continentiæ, pœnitentiæ, ſacramentorum, quod cultus ſanctorum, Dei conſiliorum, concordiæ, unitatiſque eccleſiaſticæ inter Chriſtianos haberi rationem, quam palam profiteri, ex illo pingui & refertiſſimo articulo diabolus ſuis malis artibus caſſam vacuamque nucem reddideriſ? Ex ea incredulitate (flens dico, flentes audite) proceſſit in eccleſia inſatiabilis illa guloſitas, quæ nemo non putat ſibi licere quibuſlibet veſci, ventremque implere, temporibus etiam ab eccleſia interdictis, ac ſi mors non eſſet in prohibitis rationabiliter cibis, ſicut inerat in prohibita arbore. Ex eodem tiviulo ortum habet neglectus ille infideliſque contemptus, qui paſſim in eccleſia obtinuit ſervandorum conſiliorum Dei. Inde nata ſunt monſtroſa quorumdam epiſcoporum, multorum ſacerdotum, innumerabilium monachorum, & monacharum impudica, impuraque conjugia. Inde emerſit ſatanica illa licentia dimittendi legitimas

ANNO CHRISTI 1563.

Genes. 1.

ANNO CHRISTI 1563.

mas uxores, & alias docendi. Inde horrendæ illæ blasphemiæ, quæ nullibi non audiuntur in sanctissimum altaris sacrificium, & in ecclesiasticam hierarchiam prodeunt. Quis obsecro sufficiens erit enumerare densissimas tenebras, quas satan invexit, introducta in ecclesiam inccedulitate propositi illius articuli?

Est præterea alius in capite libri scriptus articulus, omnium articulorum fidei caput, fons, & origo, nempe: *Audi Israel, unus est dominus Deus tuus, qui eduxit te de terra Ægypti, & de domo servitutis, Non habebis Deos alienos*, &c. Sistite obsecro, patres gravissimi, hic pedem, atque oculos & animos vestros in me convertite. Nihil equidem causatorem, criminatoremve illum magis urit, & ad invidiam extimulat, quam cum videt primum hunc articulum suum locum in ecclesia tenere: tenet vero cum clare, dilucide, atque evangelice docetur: in eo enim suam bonam voluntatem erga genus humanum Deus exprimit, dum nobis revelat se Deum nostrum esse velle, a servitute peccati liberare, in cunctis malis protegere, nostrique singularem curam habere, ea tantum lege, ut nos vicissim soli illi credamus, soli fidamus, soli serviamus, solum amemus, uniceque colamus. Cum igitur adversarius noster hujus reciproci amoris impatientissimus sit, nullum non movet lapidem, nihil intentatum relinquit, quo nos a Deo deturbet, & in infidelitatem, Deique diffidentiam detrudat: & sicut olim synagogam, deinde sub gratia Asiaticas, Africanas, ipsiusque Græciæ ecclesias prædictis maculis, omnimodaque omnium morum corruptione deturpavit, evertit, & in pulverem redegit: ita nunc Latinas eisdem pergit denigrare, adeoque instat, quod nisi dominus custodierit ecclesiam suam, frustra proculdubio vigilatis vos qui custoditis eam.

Quapropter, Christianissimi patres, de corde puro, conscientia bona, fide non ficta orandus est Deus, ne præsidiarias, auxiliatricesque manus suas nobis deneget, neve nos in tentationem inducat. Nam frequentissima illa tentatio, qua ad incredulitatem, diffidentiam, desperationem, odium, fastidium, tædiumque Dei cunctos vere Christianos sollicitat, tametsi (ut psalmista loquitur) a latere cadat, id est, a sinistris sit, adeo est impetuosa, quod nisi noster Deus sua veritate, & fidelitate, ceu scuto, nos circumdet, incursus profecto meridiani dæmonis vitare non valebimus: tantum abest ut in illius volantes sagittas, nocturnasque negotiationes non incidamus. Quare iterum dico assidue, continue semper rogandus, invocandusque est Deus ne nos inducat in tentationem: sin minus mihi credite, corruemus, & succumbemus, sicut innumeri (proh dolor!) succubuerunt, & in diaboli laqueos quotidie imprudenter incidunt, dum baculis arundineis & Ægyptiis innixi, mare hoc magnum & spatiosum, in quo infinitæ, E graveque sunt tentationes, tuto, secure, tranquille, se transituros confidunt. Ex illa Ægyptia vanaque confidentia emerserunt in ecclesia tot tenebræ sectariorum hominum, Qui ab arca Noe, id est, ecclesia Romana excluſi, aquas iræ Dei se fugituros credunt, Babylonicas turres quas ipsi superbe excogitaverunt, cum conscenderint: ex eadem carnea, arenosa confidentia ortæ sunt in ecclesia tot tenebræ superstitionum, falsorum miraculorum, maleficarum artium, & hominum sub hypocrisi Deo servientium. Inde tot Cainici timores, tot Ischarioticæ horrendæ mortes, tot sanctarum legum, ne dicam Dei, osores, tantum denique inter Christianos legitimi divini cultus tædium, atque fastidium. Et quid malorum suis captiosis astutiis non intulit satan inducta in animos hominum ignoratione, perpetuaque Dei oblivione? Ut igitur nostri inde fatigati hostis insidias antevertamus, utque quod ecclesiarum reliquum est, parum, liberumque a satanicis, mundique tenebris servetis & custodiatis, operæ pretium erit, patres sanctissimi, ut vos qui oculatissimi multumque auriti debetis esse speculatores in altissimi montis Sion specula a Deo jure suo immediato positi, inde vocem vestram exaltetis, & æmulatione apostolica timeatis, ne sicut serpens sua adulatrice astutia seduxit Evam, ita mentes ovium vestrarum corrumpantur, & a prudentia, quæ est in Christo excidant. Quapropter commode satis hoc loco, prius de astutiis serpentis, deinde de prudenti simplicitate, qua illi obviandum est, non nihil attingemus. Ut sic fluido tandem cursu nostra oratio ad finem usque deducatur.

Tripartita acie astutissimus diabolus sanctam catholicam ecclesiam Romanam impugnat, sicut olim sponsum ejus triplici tentatione tentavit. In prima autem acie infinita mendacia collocat, componit, & coacervat, quæ tamen speciosо quodam stibio incrustat, quædam vera mendaciis adglutinat: iis bene adornatus militibus, prima tentatione in Christum irruit, dicens, *Tu ne es filius Dei?* Fefellit audita vox, non favet tibi Deus, jejunii tui, solitudinis, & paupertatis nullam habet rationem, bestiis devorandum te objecit, solitudine, tristitia, frigore, nuditate, siti, fameque insuperabili te premit: quibus sane malis criminosos, iramque suam bene commeritos homines non filios solet ille immisericorditer punire. Eadem utique astutia Job prius per suos amicos & uxorem, deinde Davidem olim tentaverat. Nunc vero sui non oblitus diabolus, simili mendaciorum acie onustus ecclesiam tentare pergit, per suos hæresiarchas, mendacesque prophetas, semper clamans, ecclesia Romana non est ecclesia Dei, potest ne ecclesia Dei esse, ubi verbum ejus negligitur, & solæ humanæ traditiones docentur? Ubi pro minimis, levissimis, imo nullis quandoque peccatis horribilis excommunicationis gladius passim in Christianos stringitur? Ubi potentiores alligant onera importabilia super humeros hominum, ipsi vero nec digito volunt ea tangere? Ubi denique ministri sacramenta, indulgentias, dispensationes, sacerdotiaque vendunt: quodque gratis acceperunt, sine pecunia dare nolunt: & omnes quærunt quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi. Iis & mille aliis similibus antiqui draconis vocibus, nunc veris, nunc vanis, nunc mendacibus totam fere Germaniam & Angliam, brevi tempore a nobis ille divisit: & nisi in Gallia (quæ sola monstris caruit) reliquisset sibi dominus septem millia virorum, qui non curvaverunt genua sua ante Baal, hoc est, qui usque ad sanguinem antiecclesianis restiterunt, desperatum esset jam profecto de ea. Ne igitur satanicus iste cancer amplius serpat, aut majores vires sumat, prudenti simplicitate quæ est in Christo Jesu, obviandum est illi; id est, resistendum est diabolo, sicut Christus restitit, constanter inquiens. *Non in solo pane vivit homo, sed de omni verbo quod procedit de ore Dei.*

Si vestræ omnium expectationi per tempus respon-

Deut. 6. *Psal. 90.* *Ezech. 35.* *Genes. 11.* *2. Cor. 11.* *Job. 2.* *2. Reg. 16.* *Matth. 13.* *Matth. 25.* *Matth. 10.* *Philip. 2.* *3. Reg. 19.*

ANNO CHRISTI 1563.

respondere liceret, tria essent profecto mihi prolixe declaranda, alteque repetenda. Primo pluribus rationibus ex scriptura collectis modus mihi esset explicandus, quo sola verba de ore Dei procedentia in nostris tentationibus nos consolantur, & in fide constabiliunt, firmioresque reddunt: ait enim doctor ille ecclesiasticus, in die malorum memento bonorum, hoc est, cum tentaris in memoriam revoca, quæ tibi Deus verbo suo pollicitus est, & consolaberis, constabilieris, tentatoremque victum repelles. Secundo non paucis de neglectu verbi Dei mihi tractandum esset, qui adeo inter quosdam doctores & prædicatores catholicos invaluit & obtinuit, ut jam non gladiis penetralibus, sed stipulis, paleis, plumis, Aristotelicis, Platonicis, & Ciceronianis videantur multi cum adversariis debere manus conferere. O cœcitatem deplorandam! O horrendam iram Dei! Hostes nostri gloriantur de verbo Dei, gladiosque nostros acuunt, & contra nos stringunt. Nos vero nostra oscitantia & negligentia nobis perire eos sinimus. Tertio tandem deberem dignitatem, auctoritatem, indeviabilitatem, hoc est, dona Dei, sanctæ catholicæ Romanæ ecclesiæ exhibita, verbo de ore Dei procedente constabilire, & confirmare, ut obloquentium adversariorum blasphema ora obstruerentur: non enim cum nostris malis usibus & peccati dona (quæ *Rom. 11.* sine pœnitentia largitus est nobis Deus) sunt conjungenda, sed altius separanda. Tollendi quidem essent abusus, vitandæ certæ occasiones, quibus nomen ecclesiæ inter hostes male audit, & blasphematur, nec eo minus dona Dei in pastoribus ecclesiæ adoranda sunt. Extant enim literæ regiæ magno sigillo cœlorum *Matth. 23.* regis obsignatæ, quibus præcipimur, ut Petrum & successores ejus, apostolos & suos successores, sicut se audiamus, & ab eisdem moderari, gubernari, regi, doceri sinamus. An vero quæ docent, præcipiunt, statuunt, ordinant, remittunt, retinent, concedunt, indulgent, secundum rationem & analogiam fidei & caritatis: an vero sui privati commodi tantum gratia fiant, ipsi viderint. Apparituri enim *1. Cor. 5. Ephes. 4.* estis, patres conscripti, ante tribunal Jesu Christi, brevi reddituri exactam rationem de donis ad ædificationem tantum ecclesiæ vobis concessis.

De istis, inquam, tribus multa verba opportune eram hic facturus. Verum hora me premit, non cupio prolixitatis redargui, displicent mihi gratis prolixi doctores. Idcirco ad secundam aciem, qua secunda tentatione Christum adortus est diabolus, properare me oportet. Ait enim evangelista: *Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem, & statuit eum supra pinnaculum templi, & dicit ei: Si filius Dei es, mitte te deorsum: Angelis enim suis Deus mandavit de* *Psal. 90.* *te, ut custodiant te in omnibus viis tuis, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* Nunquam *Genes. 3.* convenit Christo cum Belial, ut verbum enim Dei, nempe *tu insidiaberis calcaneo ejus*, manet in æternum: sive vincatur, sive vincat, inducias non petit, requiem non invenit. Una acie in terram cadente, aliam erigit, multisque congestis adulatoriis sententiis eam adornat, quibus veluti glorioſis vehiculis Christum in aera rapit, quasi dicere volens: Si quidem tu es filius Dei ab eo solo pendens, dignus profecto es, ut a deserto, quod nunc inhabitas, in sublimia rapiaris, per sanctam civitatem deambules, & in pinnaculum templi, altissimum nempe locum, tanquam lumen ecclesiæ constituaris. Unde si ad terram desilieris, sine offensa cades: nam angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Sic fiet ut admirabundus populus mirificis laudibus ad sydera usque te evehat, magna gloria repleat, pro Messia recipiat, & te divinis honoribus prosequatur. Cui dominus: *Scriptum est, non tentabis dominum Deum tuum.* Perinde ac si dixisset. Omnis honor, aut *Deut. 6.* gloria, quæ ab offensa Dei proficiscitur, a tergo est relinquenda, & quæ luera videntur, tanquam stercora sunt posthabenda & rejicienda.

ANNO CHRISTI 1563.

Ut igitur evangelicam istam Christi responsionem in nostris tentationibus (quæ, si sapiemus, crebræ sunt) nobis theologice accommodemus, & applicemus. Avertendum vobis, patres sapientissimi, quod duobus pedibus in via Dei curritur, duobusque oculis mundi tenebræ illuminantur: dexter oculus fides est: sinister vero opera sunt ex fide procedentia. Cum igitur indefessus hostis dexterum oculum nubeculis tentationum in eum sparsis vitiare non potest: tunc sinistrum excremento arundinis infirmare aut corrumpere suis artibus, procurat, hoc est, dona Dei in nobis gloria vana, vaniore jactantia, vanissimaque præsumptione adulterari nititur. Sumus enim homines adeo gloriæ cupidi, ut manifestissima peccata foliis fici cooperire hæreditario jure studeamus: tantum abest, ut præ- *Genes. 3.* clara opera, quæ in nobis, pro sua gloria, Deus operatur, pro nostra publicari nolimus. Unde in nostra natura, tametsi misera, multa ignominia, nulla vero gloria plena: optimam nanciscitur satan occasionem, sua acie adulatoria nos commode adoriendi. In Christo quidem deceptus est: deceptus inquam, exinanitione, neglectuque suæ personæ: dum ab eo se rapi, nuncque per aera, modo per sanctam civitatem, modo supra pinnaculum templi, modo in montem excelsum duci permisit. Verum in nobis non decipitur, nam per occultos quosdam, subterraneosque cuniculos, pulveres vanæ gloriæ, superbæ inflationis, pompæque mundanæ in corda nostra tam liberaliter spargit, ut jam non de Deo cooperatore atque datore, sed de nostris tantum operibus, viribus, atque donis gloriemur. Et ita fit, ut sub titulo tantum gloriæ Dei laxis habenis post nostram curramus.

Ex isto glorioso fonte fluit, proculdubio, omnis invidia, & carnalis contentio, quam inter nos regnare nulli non est perspicuum. Qui enim sua auctoritate, dignitate, sapientia, prudentia, reliquisque Dei donis ejus gloriam tantum quærit, alterius minoribus, æqualibus, aut majoribus donis non utique invidet. Cur ergo figulus figulo invidet? nisi quia postposita gloria Dei, post nostram impotenter currimus. Ex eodem fonte derivarunt tot donorum, officiorum, beneficiorumque Dei injustæ appetitiones, & distributiones. Unde factum est, & quotidie fit, ut multi alioquin imprudentes, insipientes, & indocti, (ne dicam) prophani, nulla difficultate se sinant in sublimia rapi, & inde in altiores, pingujoresque ecclesias collocari, non considerantes, quod qui domui suæ præesse nescit, magnis ecclesiis Dei male præesse potest. Multis equidem tum peregrinis, tum domesticis

ANNO CHRISTI 1563.

domesticis exemplis secundum hunc locum nostræ orationis ampliassem: sed video parum temporis mihi supereſſe, quapropter ad tertium festinus accedo.

Subjungit autem evangelista: *Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum seorsum, & ostendit illi omnia regna mundi, & omnem gloriam eorum, & dixit ei. Hæc omnia tibi dabo, si vadens adoraveris me.* Summum diaboli studium est, ut pro terrenis cœlestia filii Dei commutemus, proque caduca gloria, æternam perdamus. Ut ergo quod tantopere cupit in nobis, efficiat, nostris armis armatus, hoc est, rebus quarum aspectu mirum in modum delectamur, de quibusque indesinenter cogitamus, stipatus ad vos venit, tertiaque acie, magnis, sed vanis pollicitationibus falso instructa nos impetuose quatit: & sicut olim eisdem copiis primum hominem, cum uxore sua, deinde secundum tentavit, oculis suis omnia regna mundi, & omnem potentiam, gloriamque eorum in puncto subjiciens, & ei liberaliter offerens: Ita nunc (mitius dixi) ita semper nos simillimis oblatis bonis, avaros facere pedibus, manibusque (quod ajunt) contendit: fallaces nimirum divitias concupiscentibus oculis nostris præsentans. Verum enimvero parvi æstimat veterator ille privatos, plebejosque homines suis vanis pollicitationibus fallere, aut avaritia, cultuque idolorum corrumpere: minima enim industria id effeciſſe, quotidieque in illis efficere satis didicit, dum per fas, nefasque cumulandis opibus, tam pauperes, quam divites omnes vacare experitur. In eo vero negotio quod gerit, tantum unum ardentissimis votis desiderat, nempe publicas personas, maxime vero ministeriis Dei obnoxias suis promissis in avaritiam trahere: probe enim scit impossibile esse corradendis pecuniis & cultui Dei quempiam ex animo servire posse: literis namque divinis proditum est, quod nemo duobus dominis Deo scilicet & mammonæ servire valet: *aut unum*, inquit Christus, *diliget, & alterum odio habebit, aut unum sustinebit, & alterum contemnet*: multum enim diversa imperant. Ea tamen lege non obstante vafer ille frustra causam non suscepit: nam suis captiosis astutiis magnos, avaros in ecclesia fecit, dum divitias non ut fallaces (quo titulo Christus eas caveri voluit) sed ut grandium operum obsides, & effectrices præsentat. Quem titulum diabolus eis præfixit: sicque fecit, ut sub colore multi eas ambiant, quomodolibet acquirant, recipiant, prodigioseque retineant. Sub eodem prætextu infinite currunt per ecclesiam quæstuosæ petitiones, pauperumque nunquam finitæ exactiones, & multi thesauri de eorumdem bonis in terra, contra præceptum Christi, thesaurizantur, congesto hinc & inde iniquo mammona.

Genes. 3.

Matth. 6.

Matth. 13. & f. opifices

Matth. 6.

Hujusmodi diaboli infinitis astutiis, prudenti simplicitate, quæ est in Christo Jesu, obsistendum est, quippe qui magno, sed mendaci pollicitatori non respondit, *vade Satana*, quoniam imperium, quod mihi offers, malum est, aut regna mundi mala sunt, sed ait: *Vade Satana, scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* Quibus sane verbis non prohibet dominus Deus noster divitias, quas ille affluenter tribuit possidere, & conservare (sunt enim ille multum utiles, ne dicam, ecclesiæ Dei necessariæ) verum eas adorare, eisque servire, & in prophanos, non proximorum usus expendere pernicioſum, capitaleque malum est: unde infinita venenosa capita oriuntur. *Cupiditas* enim *radix est omnium malorum.* Porro cum malis tentationibus undique obruamur, diabolo nimirum circumeunte, ut ad se rapiat: juxta Davidis evangelicum consilium, excitandus est Deus Videtur enim *tanquam potens crapulatus a vino* dormire: a vino nimirum nostræ magnæ incredulitatis, & diffidentiæ, superbæ inflationis, & inexhaustæ avaritiæ. Verumtamen non accendit omnem iram suam. Idcirco importunis precibus fores suas pulsare necesse est, semperque de profundo cordium nostrorum clamare: *Exurge domine, quare obdormis domine, exurge ne nos in finem repellas, & ne nos in tentationem inducas.* Amen.

ANNO CHRISTI 1563.

1. Tim. 6.

2. Pet. 5.

Psal. 77.

Psal. 43.

Dent. 6.

CXI.

DISPUTATIO THEOLOGICA de cœlibatu sacerdotum. Qua F. Joannes de Ludegna doctor theologus, ad duos ex articulis theologicis de matrimonio propositis publice in œcumenica synodo Tridentina respondit.

EGO quidem, illustrissimi domini cardinales, patres reverendissimi, oratores doctissimi, pauperem Ruth imitatus, a tergo sequar quosdam magnos messores, qui ante me dixere, colligamque spiculas paucas & parvas, quas illi post se reliquerunt, & eas a pulvere & paleis purgatas, pulchræ Noemi, hoc est, sanctæ catholicæ ecclesiæ matri meæ præsentabo. Faxit Deus, ut vos benedicatis mihi, sicut Noemi pauperi filiæ suæ parum hordei (sed mundi) de sacculo suo præsentanti largiter benedixit. Prius vero quam proferam, aut in medium adducam quod porto, Spiritus sancti gratiam, vestramque omnium attentionem supplex imploro. *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen.* Cupio sane, patres sapientissimi, claritate, brevitate, & fideli sententiarum pondere vobis placere, sive, ut rethores ajunt, auditores delectare. Quod ut præstarem, constitui duas personas in hac nunc sequenti disputatione, meam videlicet, & Lutheranorum sub nomine Calvini, eorum (si diis placet) principis & fautoris induere, ut sic quasi impolito quodam dialogismo ad duos articulos de cœlibatu nobis propositos efficaciter compendioseque respondeam. Rem igitur ipsam aggredior.

Ruth. 2.

HEUS bone vir, Calvine, Deus te convertat: quidnam monstri nunc alis in pectore tuo? *Respondet Calvinus.* Ego ne? Cogito cogitationes, quibus cœlibatum evertam, & meum meorumque apostatarum meritricium statum constabiliam.

Sanus ne es, o Calvine? Cœlibatum, quem Deus instituit, Joannes Baptista servavit, Christus laudavit, & prædicavit, ecclesia ab apostolis usque nunc recepit, tu miser homuncio evertere contendis? An nescis, quod opus quod ex Deo est, nullis humanis, aut satanicis viribus dissolvi potest? Deliras Calvine, deliras: tua te libido bis stultum fecit.

Matth. 13.

Nos quidem, ait Calvinus, sapimus, tu vero cucullate desipis. Nam domini prædecessores

ANNO CHRISTI 1563.

mei, scilicet doctor Martinus, Zuinglius, Pomeranus, Oecolampadius, Melanchthon, Bucerus, & ego cum reliqua inferorum caterva, non negamus, aut negare possumus, continentiam esse donum Dei. Scimus enim quosdam sanctos viros sub lege naturæ, nonnullos sub scripta, quamplures vero sub gratia, eo dono præditos cœlibem vitam, Deo multum gratam vixisse: sed nos novi apostoli, legatione qua in mundo pro satana fungimur, nostra auctoritate, vestrum, scilicet sacerdotum monachorumque, impurum, maleque servatum cœlibatum rejicimus & damnamus, rejectumque atque damnatum valde cupimus.

O cœci insensatique Lutherani, quis fascinavit oculos vestros, si quidem fidem Dei evacuari decetis propter quorumdam hominum infidelitatem? Dicite mihi vertiginosi Spiritus, si cœlibatum propter male servantes damnatis, cur matrimonium non damnatis propter infinitos conjuges adulteros, qui mutuo data fide sub matrimonio abuntur? Imo cur omni ex parte Christianismum & evangelium ipsum non damnatis? Quandoquidem innumeri sunt Christiani, quippe qui datam communem fidem in baptismo quotidie frangunt, & evangelio non obediunt? Sed dicite mihi, cur apostoli Jesu Christi castitatem vidualem non dissuaserunt, cum suo tempore multas viduas primam fidem irritam fecisse viderent? Siste, Calvine, siste, ne avertas oculos, non contrahas frontem, noli nasum scalpere, mane, volo enim antequam hinc discedam, te & tuos, tuasque Madianitidas meretrices Phineesio gladio confodere. Per te, tuosque complices matrimonium non est donum Dei supranaturale: dicitis enim non habere gratiæ promissionem, & ex consequenti non esse sacramentum, sed contractum tantum civilem, a solo conjugum mutuo consensu dependens. Dicitis præterea, cœlibatum donum Dei esse de sursum descendens: Si matrimonium non est donum Dei, & cœlibatus est donum Dei supranaturale, unde ergo, rogo, colligitis matrimonium anteponendum esse cœlibatui, & Deum majorem gratiam largiri conjugibus, quam vitam cœlibem profitentibus? Iste enim est vester primus articulus a nobis examinandus. Cur obmutescis Calvine? cur non respondes?

Num. 25.

Non obmutesco, ait Calvinus, sed ex multis solutionibus, quibus tuam objectionem diluere possum, unam singularem cogito, cui nec tu, nec quisquam rasorum aliquid objicere possit. Eccum eam, concedimus quidem, quod matrimonium non est donum Dei, imo amplius cum Luthero duce nostro dicimus, quod fidelium matrimonium nihil differt ab infidelium conjugio: præterea concedimus, cœlibatum esse donum Dei supranaturale, paucis tamen communicatum: cum hoc tamen optime cohæret, quod matrimonium sit anteponendum cœlibatui, & quod majorem gratiam largiatur Deus conjugibus, quam continentibus: & ratio peremptoria est (ut uno verbo dicamus) quoniam, *melius est nubere quam uri*. Unde sic colligo: Melius est nubere quam uri, atqui conjuges sub matrimonio non uruntur, cœlibes vero sub cœlibatu uruntur: ergo de primo ad ultimum, in bona consequentia, melius est conjugium quam continentia, & majorem gratiam confert Deus conjugibus, quam continentibus. Ecce nostram Lutheranicam sapientiam, cui adversarii omnes resistere non potuerunt.

1. Cor. 7.

Subrides, Calvine, subrides, videris tuba canere ante triumphum. Si habes aures audiendi, audi: quæro a vobis, an Eva aspectu pomi delectata ureretur, nec ne? Respondebis, scio Calvine: Urebatur, nam uri nihil aliud est, quam vehementer tentari. Bene dicis Calvine, sed ultra quæro, utrum ex duobus fuisset melius Evæ, de prohibito scilicet fructu comedere, an uri? Respondebis utique, nisi contra conscientiam velis (ut frequenter vos Lutherani soletis) loqui: Multo melius fuisset Evæ perpetuo uri, quam semel prohibitum fructum tangere. Optime. Cum ergo paralogizasti, inquiens, melius est nubere, quam uri: ergo melius matrimonium, quam continentia: & majorem gratiam largitur Deus conjugibus, quam continentibus, sic collegisti, perinde ac si subintulisses: ergo melius fuit Evæ peccare, quam valde tentari, & majorem dedit Deus Evæ gratiam cum peccaret, quam cum valde tentaretur. Quo quid obsecro blasphemius dici potest?

ANNO CHRISTI 1563.

Genes. 3.

Sed scio, Calvine, scio, te utraque (quod ajunt) manu meam similitudinem perfide negaturum: nam tu & tuæ farinæ doctores, perfide negatis, peccatum esse sacerdotibus aut monachis, quibus non datum est continere, nubere: Dicitis enim, ecclesiam non posse sacerdotibus aut monachis nuptias prohibere, & pro vestro ingenio, & malo erga eam affectu, additis tam ignoranter, quam impie (ut in secundo articulo nobis proposito, ex vobis refertur) quod nuptias prohibere sacerdotibus, est eas damnare, quapropter magnam esse dissimilitudinem Evæ comedentis de fructu vetito, & monachi aut sacerdotis uxorem ducentis. Respondebitis: Nam cum Deus homini arborem scientiæ boni & mali interdixit, suo jure usus est: Ecclesia vero nullo interdixit sacerdotibus, aut monachis nuptias, quæ utique nulli non sunt concessæ.

Genes. 2.

Ego quidem, Calvine, prudens & sciens, omitto istam vestram blasphemam evasionem nunc refellere, quoniam, Deo favente, te in progressu meæ disputationis aperte docebo, ecclesiam optimo jure, nempe, a Christo immediate derivato, legem de cœlibatu sacerdotum tulisse, quæ proculdubio, non tantum propter morem, sed conscientiam omnes obligat, idcirco ultra progredior, & quamvis videns non videas, & audiens non intelligas, ne forte convertaris, & sanet te Deus: tamen ut fidei, quæ in nobis est, de cœlibatu sacerdotum invictam rationem, coram universa ecclesia reddam, & ut vestri errores in eo negotio coram luce manifesti fiant, quinque articulos vestris nugis valde oppositos, in medium proferam.

Sit primus articulus. Matrimonium fidelium est donum Dei supranaturale gratiæ promissionem habens. *Artic. 1.*

Secundus. Cœlibatus jure divino est anteponendus matrimonio, & abundantiorem gratiam tribuit Deus vitam cœlibem profitentibus, quam conjugibus. *Artic. 2.*

Tertius. Si nullæ leges ecclesiasticæ, aut nulla essent vota monastica, liceret quidem sacerdotibus & monachis contrahere, nunquam tamen expediret, nisi forte in casu magnæ necessitatis. *Artic. 3.*

Quartus. Pauci continent, quia pauci volunt continere. *Artic. 4.*

Quintus & ultimus. Lex de cœlibatu sacerdotum valde multum honorat nuptias, tantum abest, ut damnet, sicut Lutherani impie dicunt. *Artic. 5.*

Respon-

ANNO CHRISTI 1563.

Respondet Calvinus, Disperearn si tuis unquam articulis credidero, nisi prius expresso verbo Dei, aut validis rationibus inde collectis eos probaveris, quod facies ad Calendas Græcas.

Ego certe, Calvine, plures locos, quamplurosque fideles rationes ex evangelio collectas, quibus meos articulos evangelicos esse probem, in medium producam, tametsi bene sciam, te pro more vestro perperam verbum Dei glossaturum, & argumentationes, quibus soles ineptiis, subterfugiturum, sic glossasti & subterfugisti omnes scripturæ auctoritates, vivaciissimasque ratiocinationes, quæ a theologis doctis, qui ante me dixere, in 1. 2. 3. 4. classe ingeniosissime allatæ sunt.

Respondet Calvinus. Ego quidem, cum illi disputarent, non aderam: non enim fui vocatus, & si spiritu tunc præsens fui, ut frequenter soleo interesse Tridentino concilio, non animadverti ad illorum argumentationes, tu vero recole eas, ut tibi & illis satisfaciam.

Non licet mihi, Calvine, falcem meam in alienam mittere messem, mei enim muneris est, quibusdam reliquiis, quas post illos collegi, vos de falsitate duorum vestrorum articulorum convincere: tantum abest, ut vivacissimis illorum rationibus, & scripturæ auctoritatibus satisfacere valeas. Verum ut ita esse quod dico vos omnes percipiatis, pergo meum articulum efficaciter probare, in quo unum præsuppono, pro certo constituo, & aliud contra vos affirmo. Præsuppono enim latissimum esse discrimen inter matrimonium fidelium & infidelium, quod vos (nescio qua audaci ignorantia) negastis: discrimen vero est, quod matrimonium infidelium rationabiliter certis de causis dissolvi aut dirimi potest, utpote a causa variabili & instabili, nempe conjugum tantum mutuo consensu dependens: matrimonium vero fidelium nulla ratione dirimi aut dissolvi potest: quia non tantum a mutuo conjugum consensu, sed a fide explicata conjunctionis Christi & ecclesiæ, qua fideles contrahunt, pendet. Unde duo infero, quæ apud me certissima sunt: Primo, quod conjugium infidelium triplici de causa rationabiliter dirimi potest, scilicet propter fornicationem, deinde cum altero conjugum ad fidem converso, alter non vult manere: demum propter magnam impotentiam alterius conjugum. Matrimonium autem fidelium, neque propter fornicationem, neque si alter conjugum fidem abneget, neque propter alterius conjugum impotentiam dirimi aut dissolvi potest. Secundo infero, quod de matrimonio rato consummato, & non consummato idem est judicium, ita quod sicut per nullam inferiorem potentiam potest in primo dispensari, ita neque in secundo. Ad argumenta quæ contra facta sunt, aut fieri possunt, ego nutu oculi responderem, si per tempus liceret, iis veluti præludiis ad ea, quæ dicturi sumus, prælibatis, unica ratiuncula ex expresso verbo Dei collecta, primum articulum confirmo. Conjuges fideles expresso verbo Dei præcipiuntur se mutuo diligere, sicut Christus dilexit ecclesiam: atqui eam supranaturalem dilectionem illi non possunt præstare, nisi superveniente aliquo supernaturali dono gratiam promittente, aut continente: ergo matrimonium fidelium donum Dei est supranaturale, gratiam promittens, aut continens. Consequentia est bona, major est de fide, minor de fide.

Respondet Calvinus: Concedimus quidem consequentiam, item majorem esse de fide, sed negamus minorem esse de fide: siquidem nullibi est revelata, & gratia baptismatis sufficiat, ut fideles conjuges præceptum illud apostolicum adimpleant. ANNO CHRISTI 1563.

Calvine, si tu esses bestia munda, ungulam dividens, & ruminans, non sic subterfugisses lucem, verum quoniam ego bos sum lassus, utrumque faciens, ne diutius immorer, una tantum similitudine explodam tuam evasionem. Sicut enim præter gratiam baptismalem, propter pusillanimes, & a fide, & caritate deficientes fideles, voluit dominus alia esse præter baptismum sacramenta gratiam novam continentia, quibus illi corroborarentur, & restituerentur, ita procul dubio propter conjuges fideles, qui amore mundi & carnis distracti eam dilectionem præstare non potuissent, voluit etiam sub matrimonio fideli novam gratiam contineri: quapropter matrimonium fidelium verum est sacramentum.

Sed replicat Calvinus. Omitto nunc quod possem tibi respondere circa numerum sacramentorum. Nam ego, meique sequaces non sumus tam pii, quam fuit prædecessor noster Lutherus, siquidem ille tria, aut quatuor ad summum admisit. Ego vero tantum unum admitto, nempe, baptismum. Aperte igitur, posita ea disputatione contra ea, quæ dixisti, ex tuis principiis tecum volo paucis disputare. Per te, tuosque scholasticos ecclesia, quæ potestatem excellentiæ non habet, non potest instituere sacramentum, atqui Christus nusquam instituit, neque voluit matrimonium esse sacramentum: ergo totum tuum fundamentum ruit.

Concedo tibi, Calvine, quod ecclesia non potest instituere sacramenta: ad id vero quod in minore tua adjicis, scilicet quod nusquam Christus instituit, neque voluit matrimonium esse sacramentum, remitto te ad disputationem eruditissimam domini Vigorii doctoris Galli, qui cum adversus vos in prima classe disputaret, ingeniosissime, & elegantissime multis efficacissimis rationibus collegit Matth. 19. Matrimonium a Christo esse institutum, & in multis locis ab apostolo esse promulgatum, quibus omnibus præter vivam traditionem, satis constat esse fundamentum meum, quod dixi, quod in matrimonio fidelium nova gratia continetur, aut promittitur, ut vos loquimini, non solum non ruere, ut vestra fundamenta, quæ super arenam sunt ædificata, sed firmum esse & stabile, supra firmam nempe petram ædificatum.

Verum adhuc instat Calvinus, & iterum nobis opponit. Per te & tuos, omne sacramentum debet constare ex materia & forma certissimis. Sed inter vos nunquam constat de materia & forma sacramenti matrimonii: ergo falsum præsuppositi, tenendo pro certo, quod matrimonium fidelium est sacramentum.

Breviter respondeo, Calvine, ad vestram cavillatiunculam. In nostris quidem scholis commode valde tractamus de materia & forma sacramentorum, nam novi theologi per illa vocabula in philosophia (quam sunt edocti) communia, manuducuntur ad rectam intelligentiam, catholicumque & legitimum sacramentorum usum: verum in gravioribus disputationibus satis nobis est intelligere, quod ubicumque Christus instituit sacramentum, illud constat ex verbo Dei & elemento efficiente quod significat, unde

ANNO CHRISTI 1563.

non incuriosius inquirimus de certa materia & sacramentorum, præsertim in matrimonio, ubi ipsi conjuges fideles authoritate divina, qua conjunguntur, sunt ipsa materia atque forma invicem sine ulla fictione in conjugium Christianis animis consentientes: Unde duo breviter hic adnotanda opportune veniunt: alterum est, quod forma prædicti sacramenti non est benedictio ministri, sicut quidam doctissimi theologi multis, sed male fundatis, ne dicam frivolis argumentis in suis disputationibus adnisi sunt ostendere. Non enim benedictio, aut minister externus necessitate sacramenti, aut præcepti divini, sed tantum ecclesiastici necessarius est, sine quo Christianum conjugium fieri commode non posse nemo ambigit: alterum vero quod obiter adnotandum dixi, est, conjugium clandestinum verum esse sacramentum, quod dico propter quosdam doctores, qui in ea parte vobiscum consentientes, conjugium, quod invitis parentibus, aut ministris ecclesiasticis non admonitis, fit, irritum esse, & inane omnino volunt, ac si conjugum verus consensus sine illis efficeret nihil. An vero similia conjugia nempe clandestina, ab ecclesia possint, & debeant irritari, quæstio est non parvi momenti, quam alibi copiosius explicabo. Unum tamen in hac materia universæ ecclesiæ persuasum esse cupio, videlicet majora forte inconvenientia sequutura irritatis clandestinis matrimoniis, quam sint non irritatis. Non enim mihi placet quorumdam opinio, qui propter quosdam casus accidentales, optimum fore similia matrimonia omnino irritari, dicunt, & cupiunt, non advertentes ad graviora mala, quæ inde indubie sequerentur. Verum alibi, ut dixi, inconvenientia quæ utrinque proveniunt, copiose ponderabo. Nunc vero ad meum primum propositum, cum adversariis redeo.

Non enim quiescit adhuc Calvinus, sed contra meum secundum argumentum unam ex meis prioribus argumentationibus retorquet inquiens. Do tibi Thomista, ait Calvinus, gratia disputationis, quod matrimonium est sacramentum, ut vos vultis, gratiæ promissionem habens, & cœlibatus non est sacramentum, sed tantum unum ex donis gratis datis. Dic mihi sophista, unde colligis cœlibatum anteponendum esse jure divino, matrimonio, & majorem dari continentibus, quam conjugibus gratiam, ut tu in tuo secundo articulo proposuisti, & cave, ne mihi respondeas per illam tritam in vestris scholis distinctionem, de opere operato, & opere ex fide operantis, aut per illam Thomisticam, de diversitate objectorum, aut per vestras decretales & patrum vobiscum consentientium sententias, nam illa omnia rejicimus, nulliusque sunt apud nos fidei.

Satis mihi notum est, Calvine, scholasticas distinctiones, sacros canones, & patrum dicta, quæ contra vos sunt, eo loco a vobis haberi, quo a Judæis novum testamentum, quod sicut illi perfide negant, ita vos quæ inter catholicos certissima sunt, temerario ausu, contra conscientiam negatis. Qua propter iis principiis, quæ vos male affecti non admittitis, omissis, communibus, id est scripturis tecum agam, & unico & brevissimo enthymemate priorem partem mei secundi articuli sic probo. Sequitur bene, dominus Jesus Christus in evangelio laudat, & præfert cœlibatum matrimonio: ergo jure divino anteponendum est.

Matth. 19.

Respondet Calvinus. Concedimus quidem consequentiam, sed negamus antecedens: Nam quamvis dominus, Matth. 19. continentiam multum commendaverit, non tamen matrimonio anteposuit.

Accede propius, Calvine, ut melius audias vocem te (utinam sapienter) incantantis, & ut te ad interrogata mihi respondente, ex ore tuo manifeste probem quod negasti meum antecedens, Dic mihi, obsecro, bone vir, cum Christo indissolubilitatem Christiani matrimonii docenti, discipuli in citato a te loco responderunt, *Si sic est causa hominis cum uxore, non expedit nubere.* Quid per illam suam sententiam voluerunt magistro significari?

Calvinus respondet. Idem ac si dixerint, si quidem vinculum matrimonii adeo est rigorosum & constans, melius est homini non nubere, quam nubere.

Bene dicis optime Calvine. Dic mihi præterea, cum præceptor subjunxit, *non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est*, illud pronomen, istud, quid refert! *Respondet Calvinus.* Refert orationem illam, non expedit nubere, itaque sensus sententiæ a Christo subjunctæ est: Non omnes intelligunt, quod melius est non nubere, quam nubere, nisi tantum illis quibus concessum est hoc intelligere.

Perge, obsecro, Calvine, sic appposite respondere, & rursum dic mihi, quibus datum est intelligere, quod melius sit nubere, quam non nubere?

Respondet Calvinus. Christus subjuncta divisione se explicat, dum dicit. *Sunt enim eunuchi, qui de matris utero nati sunt: & sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus: & sunt eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter regnum cœlorum*, ac si aperte dixisset, tria sunt genera eunuchorum, quorum duo prima, nempe qui ex utero matris sunt eunuchi, & qui ab hominibus facti sunt, quippe qui naturaliter intelligunt, quod melius est illis non nubere, quam nubere: tertium vero genus eunuchorum, nempe ii, qui propter regnum cœlorum se castraverunt supranaturalitet, hoc est, per fidem Christianis omnibus infusam intelligunt, quod absolute melius est non nubere quam nubere.

Recte certe discurristi, Calvine, utinam sic in omnibus: ex ore ergo tuo vos omnes Lutheranos judico. Si Christiani omnes ex verbis domini nostri Jesu Christi intelligunt melius esse non nubere, quam nubere, ergo Christus prætulit, & anteposuit cœlibatum nuptiis.

Sed vicissim interrogat me Calvinus. Quandoquidem ego tibi respondi, tu pariter responde mihi. Cum Christus prædictis verbis adjunxit, *qui potest capere, capiat*, nonne eo verbo absterret Christianos a cœlibatu? Quod si absterret, cur qui non habent donum continentiæ, passim continentiam profitentur?

Ad duo quæsita, Calvine, fideliter respondebo. Ad primum enim dico, falsissimum esse, quod dominus illo verbo absterreat Christianos a continentia. Nam eo consulit continentiam, quod & fatetur tuus hæresiarcha Lutherus in libello quem edidit de votis monasticis, tantum abest ut absterreat: fieri enim non potest ut eodem verbo quispiam, quod melius est consulat, & absterreat. Ad secundum vero tibi respondebo in probatione mei quarti articuli, interea patienter me audi, secundam partem secundi articuli alio simili enthymemate probantem.

ANNO CHRISTI 1563.

tem. Optimè enim sequitur dominus Jesus Christus in citato Matthæi cap. pollicetur majorem gratiam se daturum continentibus, quam non continentibus: ergo secunda pars nostri articuli secundi, qua dixi, quod Deus eodem jure majorem gratiam largiatur continentibus, quam conjugatis, vera est: antecedens vero, quod tu Calvine negare paratus es, breviter doceo ita esse, ex verbo domini circa finem citati capituli dicentis *Qui reliquerit uxorem propter me, centuplum accipiet hic, & in futuro vitam æternam possidebit*. Quo verbo quæro a te, Calvine, quid pollicetur dominus continentibus? Nunquid promittit eis pro relicta uxore propter se, daturum videlicet centum in hoc sæculo, aut ducentas in futuro?

Absit, inquies Calvine, sed promittit se majori, & singulari favore in præsenti prosequuturum relinquentem uxorem propter se, quam non relinquentem, & in futuro, eumdem pro præmio vitam æternam obtenturum.

Ex tua ergo confessione, Calvine, quam tuorum omnium ore protulisti, vos omnes condemno, & intentum meum confirmo: nam optime sequitur, Deus majori favore & singulari gratia (quod idem est) prosequitur relinquentes uxores propter se: ergo majori gratia donabuntur non accipientes uxorem propter Christum, quam accipientes, nisi forte retrocedendo velis dicere, quod Joannes Baptista, evangelista, & apostolus, qui propter regnum cœlorum uxores non acceperunt, non obtinuerint majorem, & singulariorem gratiam, quam qui posthabito consilio Christi acceperunt? Quod, ni fallor, affirmare non audebis. Divo enim Paulo sub persona omnium vere, & ex animo continentium, qui forte sicut illi uruntur, dictum est. *Sufficit tibi gratia mea*, gratia nimirum singularis, qua tu ut contineas, si velis, donatus es. 2. Cor. 12.

Audis ne, Calvine? Cur non respondes? Evanuisti? Abi in malam crucem: te enim absente de vestra doctrina triumphabo, & reliquos meos tres articulos, quam breviter potero, verissimos esse docebo.

In tertio articulo multa dicuntur, obiterque tanguntur, quæ tamen omnia brevitatis gratia, simul sunt mihi declaranda & probanda. In quo dum dico, quod si nulla lex ecclesiastica de sacerdotum cœlibatu aut nulla essent vota monastica, liceret quidem sacerdotibus, aut monachis nubere, non tamen expediret. Primum enim & ante omnia præsuppono, pro certoque constituo, cœlibatum sacerdotum non esse juris divini, ut vero quæ sub eo constituto a me dicenda sunt, majus robur habeant, optimoque innitantur fundamento, advertendum est, quod apostoli dupliciter considerantur, uno modo ut apostoli, alio vero, ut rectores, & ecclesiæ gubernatores: advertendum insuper, quod quæcumque apostoli, ut sic, considerari præceperunt, aut statuerunt immutabilia & indispensabilia sunt, quæ vero ut rectores, & gubernatores ecclesiæ ordinarunt, aut statuerunt, pro ratione temporum, personarum, aut locorum, mutabilia sunt, aut dispensabilia. Verbi gratia, de polygamia, dispensabilia, inquam per summum pontificem, aut ecclesiam parem in gubernatione cum eis habentem potestatem. Sed nunc controvertitur inter catholicos doctores, an apostoli, ut apostoli, aut ut gubernatores ecclesiæ præceperint, seu statuerint sacerdotes, diaconos & hypodiaconos ab uxoribus abstinere, aut non accipere; an tantum consuluerint. Quidam enim asseverant cœlibatum sacerdotum, diaconorum, & subdiaconorum esse statutum apostolicum, in quo nullam admittunt mutationem, aut dispensationem. Alii vero mitius loquuntur, dicentes; ab apostolis secundum quod rectores fuerunt & gubernatores ecclesiæ, eam legem de cœlibatu ortum habuisse, quare in ea posse summum pontificem, aut ecclesiam dispensare, concedunt.

ANNO CHRISTI 1563.

Si vero in tam gravi quæstione, alicujus sit momenti mea sententia: credo equidem, quod apostoli nullo modorum quicquam de cœlibatu statuerint, sed tantum voce, & scripto, ac exemplo consuluerint. Cogor attamen id sentire, tum ex antiquis historiis, quæ per alios citatæ sunt, in quibus aliquos sacerdotes & diaconos, aut uxores non reliquisse, aut postea duxisse legitur, tum quibusdam conjecturalibus argumentationibus, fidei multum analogis, ex quibus compendii gratia, duas tantum proponam, quæ me multum in ea sententia confirmant, quarum prior sic se habet.

Si apostoli, præcepto dispensabili, aut indispensabili statuissent cœlibatum ministrorum ecclesiæ, nunquam procul dubio inter Corinthianos suborta fuisset ulla de non accipiendis aut relinquendis uxoribus differentia: constat attamen ex discursu 7. prioris ad Corinthios capitis quod inter eos magnum exortum est dubium de continentia servanda: ergo fidelis & vero multum similis est conjectura, quod nullo statuto præceperint apostoli continentiam, sed tantum consuluerint, magistrum in hoc sicut in omnibus imitantes. Singulæ vero partes nostræ argumentationis paucis declarandæ sunt. Ex illo enim citato apostoli capite, certissimum est, magnum apud Corinthios emersisse dubium, circa continentiæ observantiam: quidam enim eorum, qui conjuges non erant, rempublicam Christianam, in omnibus quæ potest, similem debere esse reipublicæ angelorum, & cœlesti sentiebant; ubi neque nubent, neque nubentur. Sicut enim ars imitatur naturam in quantum potest, ita Christianos omnes, gratia supranaturali donatos, angelicam sanctorum cœlestem vitam, in quibus fieri potest, imitari debere credebant. Constat attamen Christianos homines continenter posse vivere si velint: qua conjectura forte moti quidam ex solutis prædicto sensu abundabant: quibus apostolus evangelice respondet a principio capitis dicens: *De quibus autem scripsistis mihi, bonum est homini mulierem non tangere propter fornicationem, attamen unusquisque suam uxorem habeat, & unaquaque suum virum*, usque ad eum locum, qui incipit, *iis qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed dominus*, a quo usque ad finem capitis conjugatos docet, quorum quidam de relinquendis uxoribus, propter regnum cœlorum cogitabant, priorum opinionem sequuti, quibus apostolice præcipit, *uxorem a viro, aut virum ab uxore non discedere*: ei vero conjugatorum doctrinæ, de virginibus consilium interseruit, sicut fidelis minister, quarum aliqui forte parentes, virgines suas viris nolebant locare, cogitantes non licere virginibus Christianis nubere: unde in fine de virginibus saluberrimæ doctrinæ subjungit: *igitur qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit*: quod vero illa discordia & opinionum di- Luc. 20.

ANNO CHRISTI 1563.

ANNO CHRISTI 1563.

versitas inter Corinthios exorta non fuisset, si apostoli præcepto dispensabili, aut indispensabili statuissent cœlibatum sacerdotum, conjicitur ex eo, quod stante tali præcepto de continentia, pro sacerdotibus tantum, catholici indubie intellexissent, ministris tantum ecclesiæ continentiam esse in præcepto, laicis vero in consilio tantum.

Secunda vero conjectura idem confirmo, nam si apostolico præcepto nuptiæ fuissent ministris ecclesiæ interdictæ, proculdubio aut omnes præceptum servassent, aut aliquis transgressorum insigni aliqua pœna mulctatus fuisset. Si enim in Ananiam & Saphiram propter transgressionem statuti ad tempus tantum duraturi, tam insigniter animadversum est, quare non insignius animadversum fuisset in aliquem, tanti statuti in æternum durituri, transgressorem? Quod autem aliqui ex sacerdotibus, aut diaconis retinuerint, aut acceperint uxores, ex historiis ecclesiasticis constare videtur, & ex actibus apostolorum cap. 21. ubi refertur, quod Philippus evangelista unus de septem diaconis haberet filias prophetantes, & ex divo Paulo qui episcopos, presbyteros & diaconos unius uxoris tantum voluit esse viros, qui filios haberent castos, &c. Ex iis & multis aliis collectionibus, quas prudens & sciens omitto, ne audita sæpe replicem, constituo cœlibatum sacerdotum non esse juris divini, aut quoquo modo ab apostolis præceptum, sed tantum consultum.

Act. 5.

1. Tim. 3.

Sed mox opponent se mihi doctissimus doctor Turrensis, & dominus de Sainctes doctor Gallus, qui illum sequutus, in sua de cœlibatu disputatione, multis ingeniose collectis antiquitatibus, ostendere cupiebat oppositum nostræ assertionis: cui cum omni reverentia respondeo: ipsum optime scire, quod sua omnia argumenta valde sunt solubilia: ille enim laudabili multum pietate, divum Hieronymum imitatus nimium declinavit in partem cœlibatus.

Ex iis vero, quæ paulo ante docui, prior pars nostri tertii articuli manifeste deducitur, ubi dixi, quod si nulla lex, aut nulla essent vota monastica, liceret quidem sacerdotibus, aut monachis, nubere, nunquam tamen expediret: nam in tali casu continentia esset tantum de consilio, sed ad observationem consilii nemo tenetur, si nolit: ergo aperte sequitur, quod in tali casu liceret sacerdotibus, aut monachis nubere, nunquam tamen expediret: quod unica, sed potissima ratione ostendo: Ex divi Pauli auctoritate & experientia certum est, multa licere, quæ non expediunt: Licebat enim apostolo pecunias aut sustentationem pro suo ecclesiastico & evangelico sudore a Corinthianis accipere, sed non expediebat: & ita ne offendiculum daret evangelio, pecuniis, jure divino, & naturæ debitis parcebat. Sed ex nuptiis sacerdotum & monachorum magnam jacturam reciperet evangelium, cultusque Dei: ergo in tali casu, ubi nulla lege posita aut nullis votis monasticis existentibus, quantumvis liceret illis nubere, nunquam tamen expediret.

2. Cor. 6.

1. Cor. 9.

Nunc vero supereſt ostendere, quod ex nuptiis ministrorum ecclesiæ, cultus Dei & evangelium magnam jacturam reciperet, nam reliqua omnia quæ in argumentatione continentur, plana sunt: Si nuptiæ considerentur secundum propriam & intrinsecam rationem nuptiarum, certissimum est, eas non repugnare cultui Dei, & ex consequenti, nullam facere jacturam cultui divino, aut evangelio, quod eas approbat: verum si considerentur secundum rationem propriam conjugum muneris & ministrorum cultus divini, indubie ex nuptiis ministrorum, maximam cultus divinus recipiet jacturam & grande offendiculum. Rationem vero propriam conjugum & ministrorum ecclesiæ, paucis describit apostolus in citato frequenter capite prioris ad Corinthios, inquiens, *qui sine uxore est, solicitus est quæ domini sunt, quomodo placeat Deo: qui autem cum uxore est, solicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est*: ac si aperte dixisset apostolus, Si ministri ecclesiæ habeant uxores, certe divisi sunt, divisi quidem a Deo, solicitudine rerum mundanarum, & complacendi uxoribus atque filiorum hæreditatis cura, unde profecto magnum offendiculum daretur evangelio, & magnam jacturam reciperet cultus Dei.

ANNO CHRISTI 1563.

Nec valet quod Lutherani dicunt, apostolum eo in loco non facere mentionem de ministris ecclesiæ, sed de omnibus solutis. Nam si de laicis non conjugatis verificantur quæ dicta sunt, a fortiori sacerdotibus & ministris Dei maxime convenient, quippe qui singulari ratione addicti sunt Deo. Unde manifeste sequitur, quod si lege de cœlibatu, aut votis monasticis non positis, quamvis liceret eis nubere, non tamen expediret: a fortiori posita lege & votis emissis, nec licet, nec expedit eos conjuges esse: unde infero, quod sacerdotes & monachi, qui ficta libertate nupsere, in malo sunt statu, lege nimirum de continentia eos in conscientia obligante. Quis enim sanæ mentis dicet, leges ad ædificationem ecclesiæ & augmentum cultus divini positas, aut non posse ecclesiam condere, aut conditas in conscientia non obligare?

Circa finem vero tertii articuli ubi dico, quod forte in casu magnæ necessitatis expediret dispensare in lege de continentia cum sacerdotibus & monachis, duo sunt mihi tractanda. Primo enim duo dubia, quæ ex dictis suboriri videntur: quorum primum Lutherani in suis libris, secundum catholici quidam doctores, tacita cogitatione mihi objiciunt, dissolvam.

Primo verum dubio insurgunt Lutherani, dicentes: Siquidem Christus, qui potuit, continentiam non præcepit, sed tantum consuluit, & discipuli magistrum imitati, tanquam fideles ministri non præceperunt, sed consuluerunt, cur postea ecclesia de consilio fecit præceptum? Fuit enim hoc validissimum Luthero argumentum, quo sibi suisque persuasit licere monachis & sacerdotibus nubere, non obstantibus lege ecclesiastica, aut votis monasticis. Fatetur enim ille gloriosus inferniarcha in libello quem de votis monasticis edidit, continentiam esse consilium, quod tamen solum admittit: attamen non potest capacissimus doctor intelligere, qua ratione ex consilio, quo neminem obligari voluit Christus, ecclesia præceptum fecerit, quo omnes sacerdotes & monachos obligat, ne sub pœna damnationis nubant.

Ad dubium vero, simul cum argumento Lutheri, respondeo, quod sicut tempore Christi & apostolorum, continentia erat in consilio, & non in præcepto, ita semper fuit & nunc est: quapropter perniciosissimum est mendacium dicere, quod ecclesia ex consilio fecerit præceptum: nam ecclesia in re præsertim ad animam pertinente, nunquam facit quod facere non

potest:

ANNO CHRISTI 1563.

poteſt: Non enim quemquam ſua lege de cœlibatu ſacerdotum cogit eccleſia, ut ſacris initietur, aut monachatum profiteatur, quod eſſet facere de conſilio præceptum. Si vero ſint, aut fuerint multi, qui alio quam debito fine monachatum, aut ſacerdotium profiteantur, & continentiam non ſervent, aut ſe ſervare non poſſe dicant, id de per accidens eſt: quæ vero de per accidens fiunt, ex culpa pie & juſte poſitæ legis, procedere non poſſunt.

Ad id vero quod Lutherani dicunt, eccleſiam non debuiſſe legem, quam Chriſtus, aut apoſtoli non poſuerunt, ponere: reſpondeo. Diſtingue tempora, Lutherane, & intelliges falſiſſimum
Act. 2. & 4. eſſe, quod dicis, Nam ſicut apoſtolis licuit legem de rerum communione, neceſſitate temporis eos nimirum cogente, ponere: ita proculdubio ſucceſſu temporum diverſiſſimo, debuit eccleſia, multiplicatis fidelibus, legem condere de cœlibatu miniſtrorum evangelii, majore illorum parte tunc miniſterium forte appetente. Non enim ſua lege inſtituit eccleſia continentiam, aut vota monaſtica, quæ divino jure conſulta ſunt, ſed ipſa cavit ne ſtulte vota fierent, aut voventium eſſet confuſio, tantum abeſt ut laqueum injecerit animabus, ut adverſarii mendaciter garriunt: ſed de iis plura alibi, Deo copiam faciente, ſcribemus.

Secundum tamen dubium tacite movent quidam ex catholicis, eo quod viſus ſum nullum ponere diſcrimen inter continentiam ſacerdotum, & monachorum, quoad indiſpenſabilitatem: Putant enim illi, quod continentia ſacerdotum diſpenſabilis ſit, monachorum autem minime. De eo vero dubio, breviter & plane dicam quod ſentio: ingenue quidem fateor, me intelligere non poſſe, qua ratione poſſit papa aut eccleſia diſpenſare in continentia ſacerdotum, & non monachorum: nam ſicut redditio voti iſtorum eſt de jure divino, ita etiam illorum: & ſicut in votis monaſticis eſt ſolennitas qua monachi publice Deo conſecrantur, & in æternum dedicantur: ita in continentia ſacerdotum. Cum igitur utriuſque ſolennitas ſit a jure poſitivo humano, & eodem jure utrique ſtatui ſit annexum votum continentiæ, conſequens fit, ut ſi per prædictam auctoritatem continentia ſacerdotum diſpenſabilis ſit, quod pari jure monachorum etiam: quod ſi in illa diſpenſari non poſſit per eccleſiam, nec in illa.

Ad ſimilitudinem attamen calicis conſecrati, & Deo in æternum dedicati, qui numquam poteſt, nec debet aliis rebus applicari. Reſpondeo, quod illa ſimilitudo tam facit pro continentia ſacerdotum, quam monachorum: Sed dico, quod nemo negabit dominum Deum potuiſſe
Dan. 5. vaſa templi Aaronici, ſua lege poſitiva conſecrata, & ſibi in æternum dedicata, regiæ Balthaſaris menſæ uſibus concedere: qua conceſſione ſtante, nulla utique irreverentia ille peccaſſet, ita utique eccleſia poteſt calicem ſua lege conſecratum & ſacramenti tantum uſibus dedicatum, aliis uſibus (ſi rationabile videbitur) applicare: unde concludo, quod ſicut papa, aut eccleſia poteſt in continentia ſacerdoti ſolenniter Deo conſecrati diſpenſare, ita poteſt in continentia monachorum, uno tantum diſcrimine adjecto, videlicet, quod ſacerdotum continentia abſolute diſpenſabilis eſt, monachorum autem nequaquam: nam nuptiæ, ut paulo ante dixi, ex natura rei, ordini ſacro, ſicut monachatui non repugnant: unde cum doctor ſanctus ſecunda ſecundæ quæſt. 80. artic. 11. dicit, non poſſe per eccleſiam diſpenſari in continentia monachorum, intelligit in ſenſu compoſito: dicere itaque vult ſanctus Thomas, quod cum monacho manente monacho, per nullam inferiorem potentiam diſpenſari poteſt quod nubat, non tamen negat, quod in ſenſu diviſo, pro urgentiſſima cauſa, cum eo qui fuit monachus diſpenſari poſſit, ſicut non ſemel tantum diſpenſatum eſſe perſpicuum eſt. Reliqua vero vota monaſtica, non poſſunt eam poteſtatem impedire.

ANNO CHRISTI 1563.

An vero expediat in caſu magnæ neceſſitatis, caſus eſt proponendus, & rigoroſe examinandus, ne incidamus in Scyllam, cupientes vitare Charybdim. Caſus eſt: in Germania, verbi gratia, ſunt quædam civitates, aut parochiæ, ut dicunt, in quibus major, aut bona pars civium ſunt catholici, qui ex animis cupiunt ſecundum antiquam fidem vivere, & ſecundum formam & ritum catholicæ eccleſiæ Romanæ ſacramenta ſibi miniſtrari, verum in illis partibus non inveniuntur ſacerdotes aut monachi catholici ad miniſterium idonei: inter catholicos attamen laicos, ſunt non pauci valde idonei, habentes tam vitæ quam doctrinæ bonum teſtimonium, qui onus miniſterii eccleſiaſtici libenter ſubibunt: ea lege, ut per conceſſionem eccleſiæ liceat ſibi uxores retinere, aut accipere. Quæritur, an in tali caſu expediat diſpenſare?

Utrimque ſunt adeo valida argumenta, ut me circa propoſiti caſus reſolutionem valde dubium, ne dicam perplexum, quandoque reddiderint: dum enim in dubio eſt animus, ut dicitur, parvo momento, huc atque illuc impellitur. Utrimque autem ſunt argumenta non parum urgentia: pro affirmativa parte primum argumentum eſt. Quoniam videtur quod eccleſia tanquam pia mater filiis petentibus panem, debeat & teneatur providere de diſpenſatoribus, qui miniſtrent eis neceſſaria ad vitam ſpiritualem, non enim reperiuntur continentes ſacerdotes, aut monachi: epiſcopus diœceſis non poteſt conjugatos ordinare, aut cum iis qui nolunt continere diſpenſare: ergo eccleſia in tali caſu debet diſpenſare, alioquin timendum eſſet, ne fame invaleſcente in terra promiſſionis, id eſt, Romana eccleſia, cogantur filii in Ægyptum ire, ut ſibi de cibis provideant. Unde imminens eſt periculum, ne *Geneſ. 42.* qui reliqui ſunt in partibus illis catholici, paulatim deficiant a fide eccleſiæ Romanæ, præſertim cum illic cultum Dei quotidie ex carentia fidelium miniſtrorum imminui videamus. Et confirmatur. Si periculum immineat diviſionis & deſolationis alicujus regni, aut reipublicæ, niſi cum vero regni hærede monacho aut ſacris initiato diſpenſetur, in tali caſu expedit pro bono tantum civili & temporali diſpenſare, ſicut diſpenſatum quandoque eſſe clarum eſt: ergo a fortiori ubi majus bonum expectatur, & majus malum timetur, valde expediens erit diſpenſare. Præterea, ſi expedit cum Græcis, orientalibuſque ſacerdotibus diſſimulare, & in nuptiis eorum, qui etiam Latinis cohabitant, convenire: cur non expediet cum catholicis laicis, in tali caſu diſpenſare, aut cum quibuſdam aliis ſacerdotibus orientalibus diſſimulare? Qui poſtquam temerario auſu nupſere, ad gremium eccleſiæ redire ex animo cupiunt: & pollicentur ſe illi eccleſiæ fideliter miniſtraturos, dummodo ſuæ nuptiæ tantiſper per ſedem apoſtolicam confirmen-

ANNO CHRISTI 1563.

firmentur. Quorum cujusdam, qui Bernardus vocatus, memini, qui in jus vocatus, in libello, quem ad judices pro sua defensione scripsit, post multas ineptias, pro colophone addidit: Si vita mea corporali periclitante, in die Veneris sancta, carnes comedissem, laudassetis utique factum: Cum igitur periclitante anima virginem duxerim, cur non dissimulatis, & in meis nuptiis connivetis?

Pro parte vero negativa, ingens est grandium & majorum malorum abyssus, quæ ex tali dispensatione, aut dissimulatione indubie sequeretur: ergo non expedit in proposito casu in lege de cœlibatu dispensare: antecedens vero manifestum est. Nam inde omnis Dei cultus prophanaretur, sacerdotum avaritia in immensum creseeret, litigiorum & simultatum numquam esset finis, bonorum ecclesiæ magna confusio & maxima dilapidato proveniret, pauperum & impotentium nullus, aut minimus respectus, minimaque haberetur cura: & militantes Deo contra apostolicum præceptum, negotiis sæcularibus se implicarent: & sic ministri ecclesiæ canes vere essent muti contra vitia non valentes latrare. Et confirmatur. Nam cum aliunde, quam per legis sanctæ dissipationem præsentibus ecclesiæ malis subveniri potest, tentanda est via aliter subveniendi: constat autem quod talis dispensatio esset legis de cœlibatu dissipatio, & totalis ablatio: ergo non expedit propter instantem necessitatem in ea dispensare. Quod autem dispensare in tali necessitate, esset legem de cœlibatu dissipare & omnino tollere, nemo non videbit: qui in animos omnium hominum novarum rerum & pecuniarum cupidos attente prospexerit. Dispensatio enim cum uno sacerdote magnum aperiret ostium reliquis omnibus similem, pecuniis & favore, aut aliis prætextis causis procurandi dispensationem, & sic tandem fieret, ut ex omnibus fere nemo propter regnum cœlorum, sed propter impotentiam contineret. Omitto alia mala, quæ inde sequerentur.

1. Tim. 2.

Isai. 56.

Aliunde vero succurri posse præsentibus ecclesiæ necessitatibus, in solutione argumentorum partis oppositæ declarabitur. Ad primum igitur argumentum respondeo: quod sicut ecclesia, quæ pia mater est, tenetur facere quod in se est, ut petentibus panem de legitimis ministris provideret: ita petentes debent quod in se est facere & ad Deum converti, ne in angustiis positi a fide majorum deficiant: & sicut qui vere ex corde est catholicus, tametsi in nemoribus, aut apud Scythas agat, non dejicitur animo aut fide infirmatur, sperans Deum sibi non defuturum, quamvis omne ministerium videatur deesse, ita proculdubio illi catholici, inter schismaticos degentes facere debent. Et sicut olim Israelitis, hinc & inde ab hostibus in figura tentatis & multum vexatis dominus suscitabat duces & judices, qui eos ab angustiis liberarent, ita profecto illis fide integra sperandum est, quod ecclesia reformata, suscitabuntur multi fideles ministri, qui collapsa erigant, & pusillanimes per legitimum sacramentorum ministerium confortent. Ad confirmationem vero respondeo, quod lege aliud est dispensare, cum sacerdote, ut nubat, dummodo ministerio non fungatur, & cum eodem utriusque usum retinente: primo namque modo, nihil inconvenit in magna & vera necessitate dispensare, ut supra dictum est. Ad tertium dico, magnam esse dissimilitudinem orientalium & occidentalium sacerdotum: cum illis enim qui legem non receperunt, ecclesiam dissimulare expedit: Cum autem istis, pro quibus lex legitime est posita, quique eam salubriter receperunt, dispensare aut dissimulare nullo pacto expedit. Ratio autem Bernardi illius, qua sibi persuasit connivendum fuisse in suis nuptiis, ex ignorantia profecto legum & finis earumdem processit, quapropter relicto eo egregio pastore cum sua virgine fatua.

ANNO CHRISTI 1563.

Pro resolutione propositi casus, dico & obtestor vos, patres conscripti, ne in ea de cœlibatu sacerdotum lege dispensando, magnis malis inde indubie sequuturis ostium aperiatis: deberetis enim potius aliis impertinentibus dispensationibus ostium claudere, nam ex illis maximus legum contemptus processit. Superest nunc de duobus ultimis articulis tractare, in quorum explanatione quædam, quæ forte desiderantur adjungemus.

Dixi enim in quarto articulo, quod pauci sunt, qui continent, quia pauci continere volunt, sub quo multa latent dubia, ex quibus tantum duo, brevitatis gratia proponam. Siquidem continentia est magnum donum Dei de sursum descendens, & dona Dei non sunt volentis aut currentis, sed Dei tantum miserentis, ut profitetur apostolus. Qua ratione, dicet aliquis, fieri potest, ut vas fictile, homoque terreus, contineat cum vult continere, numquid habes tu Deum in manica tua, ut inde cum vis continere, rejicias? Ex ea magna utique difficultate, quidam paucis & prudenter se explicant, respondentes, quod veri Christiani, qui volunt, continenter vivunt, quia nostris precibus, & meritis donum continentiæ impetramus & meremur: Non enim, inquiunt, & valde bene, frustra dominus in evangelio nobis pollicitus est: *Petite & dabitur vobis, pulsate & aperietur, & omnis qui petit accipit*, & alibi: *Si quis autem vestrum indiget sapientia*, qua se continere valeat, *postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter & non improperat, postulet autem in fide nihil hæsitans.*

Sap. 2.

Rom. 9.

Luc. 11. Joan. 2.

Verum quamvis quæ dicuntur multum vera sunt, tamen quia constat non omnia dona precibus aut meritis impetrari, aut donari nobis: aliunde quærenda est ratio prædictæ Christianæ libertatis: Admitto autem, quando existentes in gratia condignitate meriti, merentur augmentum gratiæ, & insuper mereri possunt donum continentiæ: non tamen admitto perseverantiam in donis Dei, aliquem præter Christum, sibi, aut aliis mereri potuisse: Cum igitur dona, quæ Christus nobis meruit, gratis nobis dentur, unica alia ratione ad dubium respondeo, & articulum simul probo. De iis, quæ pendent ex mera Dei voluntate & ex nostro libero arbitrio debemus loqui, secundum id tantum, quod nobis in scripturis revelatum, aut insinuatum est, sed insinuatum est nobis in evangelica scriptura, quod qui continere volunt recipiunt continentiæ donum: ergo verum est & evangelicum, quod pauci continent, quia pauci volunt continere: major declaranda est, & minor probanda. Pro majoris (quæ maxima est evangelica S. Thomæ) declaratione advertendum est, quod sunt quædam dona Dei absoluta, quæ absolute pendent ex Dei mera voluntate & liberalitate, sub nullo merito humano cadentia: quæ tamen communicantur hominibus, eisdem nihil minus cogitantibus: verbi gratia, incarnatio filii Dei donum est hujusmodi: de quo Isaias, & post eum

apostо-

ANNO CHRISTI 1563.

apostolus dicit, *Oculus non vidit & auris non audivit, & in cor hominis non ascendit*, donum, scilicet, incarnationis filii Dei, *quod dominus præparavit diligentibus se*, illis nimirum nihil tale cogitantibus aut volentibus: unde D. Thomas probat filium Dei sine peccato numquam incarnatum fuisse, nimirum quia de hujusmodi dono non loqui possumus aut debemus, nisi ex iis, quæ Deus nobis revelavit. Sunt vero alia dona Dei, gratis etiam data, quorum quædam, ut ex scripturis constat, volentibus etiam negantur, verbi gratia, mori pro Christo magnum Dei donum est, multis tamen sanctis id volentibus & appetentibus negatum est. Alia autem sunt quæ nisi volentibus, & ex animis ea cupientibus non dantur, verbi gratia, perseverare in bono gratiæ, magnum Dei donum est, quod utique numquam datur nisi ex corde volenti perseverare: & quandoque negatur occulto Dei judicio, etiam volenti: Alia autem sunt dona gratis data, quæ volenti numquam negantur, quale donum continentiæ, de quo sicut de aliis loqui possumus, secundum id quod ex scripturis nobis revelatum aut insinuatum est.

Isai. 64. 1. Cor. 2.

Quod autem in evangelica scriptura nobis insinuatum sit, quod qui vult continere propter regnum cœlorum recipiet donum continentiæ, ut in minore dicebatur, manifeste deducam ex citato loco prioris ad Corinthios, ubi de parentibus virginum affirmat apostolus, quod *qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, & hoc indicat in corde suo, servare virginem suam, bene facit*: ex iis apostolicis verbis sic colligo. Pater servans virginem suam, ut contineat cum circumstantiis illic positis apostolica auctoritate bene facit: non autem bene faceret servando virginem ut contineat, si ex apostolicis verbis non intelligeret, quod sua virgo simul cum proposito, aut voto continentiæ esset receptura a Deo donum continentiæ: ergo verum est, quod in prædictis apostolicis verbis, nobis omnibus insinuatur, quod qui vult continere, recepit continentiæ donum: quod autem non bene faceret, nisi sic verba apostoli intelligerentur: luce clarius est, nam præsumptuosum valde esset cogitare, quod solum quia virgo vult continere, potest continenter usque ad mortem vivere: Nam nemo fidelium non intelligit, quod ex nobis sufficientes non sumus aliquid cogitare, tantum abest, ut cogitatam, aut voto firmatam continentiam, sine dono Dei servare possit.

2. Cor. 7.

2. Cor. 3.

Designantur autem in apostolicis verbis tres circumstantiæ, quas donum continentiæ concomitatur. Prima est, quod non ex levitate aliqua, sed firmus aut firma in toto corde suo statuat se velle propter Christum & regnum ejus continere. Secunda, quod id, pater virginis, non quia clauda, aut lippis est oculis, aut pauper persuadeat, & ipsa eadem ratione consentiat, sed continentiam pater & virgo in animum inducere, nullam habentes necessitatem. Tertia, habentes potestatem suæ voluntatis, quo vult apostolus, magno consilio, maturaque deliberatione indigere, qui aut continere proponunt, aut continentiæ votum emittunt. Tres vero istas Christiani cœlibatus apostolicas circumstantias libenter, quamvis breviter, hic notare volui, ut ex iis secundi dubii quod ex eodem articulo se offert, nodum faciliter dissolvam.

Si tanta est Christiani animi, dicet aliquis, ex adjuncto continentiæ dono, virtus, ut qui vult valeat continere: cur dicitur in articulo, quod pauci sunt, qui continent, quia pauci volunt continere, præsertim cum infinitus sit numerus profitentium se velle continere, & plenus sit mundus, tam monachorum, quam sacerdotum, sub diversis regulis & institutis profitentium continentiam? Respondeo, concedendo quidem, quod magna est multitudo eorum, qui continentes videri volunt, sed magna illorum pars, ne dicam maxima, non adhibitis apostolicis circumstantiis, proposuerunt, aut voverunt continentiam, idcirco mirum non est, si pauci propter Deum & regnum ejus, contineant, aut continere velint.

ANNO CHRISTI 1563.

Si hic prædicandi locus daretur, longum profecto sermonem facere possem, de proposito egregio themate, verum quia disputatorem non prædicatorem hic ago, duabus dumtaxat adhibitis Christianis cautelis præsenti malo providendum censeo: Primo publica ordinatione cavendum est, ne plures novæ regulæ, aut novæ continenter vivendi rationes admittantur, & superinducantur: ut vero regina in vestitu deaurato, circumamicta donorum varietate, in bonis sponsi sedeat, antiquas religiones (quas vocant) jamque diu receptas conservare, reformare, atque ad normam & ritum sanctorum patrum sub quibus cœperunt & fundatæ sunt, paulatim & quoad fieri potest, reducere oportet: Ceterum si neglecta prædicta sancta tot ordinum reparatione, cuilibet liceat, novo varioque vestitu, aut nova & a se excogitata libera vivendi ratione continentiam profiteri, in immensum crescet stulte voventium numerus, & libere licebit adversariis nomen nostrum blasphemare: deinde antiquorum canonum renovatione, & sub novis pœnis providendum est, ut qui deinceps, sive ex monachis, sive ex laicis sacris sunt initiandi, aut ad sacerdotia recipiendi, probati, docti, & superadulti sint: ut sic successu temporum, idoneis & non inutilibus ministris ecclesia repleatur.

Psal. 44.

Circa quintum & ultimum articulum advertendum est, quod Lutherani in eo errore, sicut in reliquis, se suo gladio jugulant, dum literatissimi doctores dicunt, Ecclesiam nuptias damnare, eas sacerdotibus interdicendo, quod probare contendunt ex verbis apostoli in priore ad Timotheum epistola, prædicente, *in novissimis temporibus* quosdam a fide discessuros, qui attendentes spiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum nuptias prohibebunt. Quibus ego eumdem sane locum oppono, & interrogo: an apostolus eo loco de Simone, & ejus schola, qui nuptias sicut cibos, natura malas esse dicebant: qua propter sicut abstinentiam ciborum, ita nuptias prohibebant, loquatur? Respondent utique in suis libris, apostolum juxta sensum literalem, de illis sui temporis blasphemis doctoribus, eo loco, sicut in multis aliis, indubie esse loquutum: Cum igitur vos Lutherani perpetuo nobis objiciatis, quod relicto sensu literali, scripturam aliis retortis sensibus devexamus, cur vos hic, sicut frequentissime alibi, neglecto sensu literali, sanctæ ecclesiæ & ejus legitimo pastori universali tribuitis, quod apostolus hostibus Jesu Christi & veritatis evangelicæ tribuit? Interrogo vos præterea, an prohibere nuptias spadonibus, aut infantibus, aut aliis ad conjugium inidoneis, sit nuptias damnare, an potius honorare? Quia igitur ecclesia sancta iis tantum nuptias interdicit, qui de rebus mundi soliciti esse,

1. Tim. 4.

ANNO CHRISTI 1563.

esse, & uxoribus complacere non possunt, quæ est potissima ratio conjugatorum, ut superius dictum est: propterea, inquam, in ultimo articulo dixi, quod ecclesia interdicens nuptias sacerdotibus, eas honorat, tantum abest, ut damnet, sicut vos infideliter dicitis: Conjugati enim Christiani ad tempus tantum relinquere possunt uxores & familiam, ut orationibus vacent: Sacerdotes vero semper orare, & rebus divinis vacare debent: quare si uxorati essent, aut circa Deum, aut circa uxores, in officio necessario deficerent. Et hæc sunt quæ mihi videbantur, pro mei ingenii tenuitate ad propositos articulos dicenda. Omnia quæ hic, aut alibi dixi, quæque dicturus sum, vestræ omnium sacrosanctæ censuræ, me libens & prudens submitto.

CXII.

IN LAUDEM SANCTISSIMI doctoris Thomæ Aquinatis, ex sacro prædicatorum ordine, oratio R. P. ac magistri Fratris Joannis Gallio, Burgensis Hispani, sacræ theologiæ doctoris, ac serenissimi & catholici regis sui Philippi, theologi.

Vos estis lux mundi. Non potest civitas abscondi supra montem posita. Matth. 5.

CLARISSIMI doctoris Thomæ Aquinatis sacra de more celebraturi, lætis animis almæ huic religioni merito sane congratulantes adveniistis. Quem enim generis splendore conspicuum, non sine Italicæ gentis honore Campania tulit, hunc sæculo renunciantem felix prædicatorum ordo sinu excepit, nutrivit, docuit, & veluti præclarum jubar cunctis syderibus micantius, orbi Christiano produxit. Atqui ut hujus Luciferi ortu peculiari nomine gloriamur, qui etiam catholicæ ecclesiæ ornamento fuit: ita fulgentissimam lucem nec intra privatos parietes occulimus, nec tantum decus quominus sit etiam commune, aliis invidemus. Etenim quondam Israeliticis tribubus haud leve, sed pulchrum illud certamen erat, quæ sibi David in regiam deducendum susciperet: Græcas itidem urbes quasdam inter se olim contendisse legimus, quæ sibi Homerum poetam proprium vendicarent: nonne & potentissima Europæ regna in celeberrimo doctore Thoma eximium aliquid sui libenter agnoscent? Priscorum regum nobilitatem a materno proavo deductam Hispania contulit, Italia feliciter peperit, Germania erudiendum admisit, Gallia doctorem auscultavit, & ea nunc requies festo quæ labor ante fuit. Sed cui ego huic luci metas aut terminum constituo? Qua terræ, qua cœli patent, sanctissimæ illius vitæ adhuc fragrantia spirat, & cœlestis doctrinæ radius ubique gentium diffusus est, ut quod de felicissimo Josia rege prædixit sapiens, in hujus laudem usurpare liceat. *In ore omnium quasi mel indulcabitur ejus memoria, & quasi musica in convivio vini.* Hujus ergo luminis contemplationi priorem nostræ orationis partem dicandam institui, mox ad civitatis supra montem positæ altitudinem conscensurus: hæc duo mihi ex evangelica lectione explicanda thematis loco delegi (*vos estis lux mundi. Non potest civitas abscondi supra montem posita.*) Quæ si divina gratia opem ferente præstitero, & nostræ solennitati, & gravissimæ huic concioni, non pro dignitate, sed pro exiguitate nostra satisfeciisse videbor. Mihi certe vel alterutri parti satisfacere voluisse, perdifficile visum est. (*Vos estis lux mundi*) Sapiens ille orbis terrarum conditor, qui fortior cuncta, suaviter universa disposuit, nequid patratis operibus desiderandum supereesset, principio lucis venustatem, ac deinceps diversorum luminarium ornamenta constituit. Quamvis enim optima & pulcherrima extarent omnia, singulaque suis aptissime sedibus digesta (quæ conditricis sapientiæ dispositio fuit) una tamen luce deficiente, universa hæc rerum species lugens, ac veluti orba perpetuo siluisset: nec sane alius naturæ vultus futurus erat in orbe post operandi finem impositum, quam a principio habuisse scriptura revelante comperimus. *Terra*, inquit, *erat inanis, & vacua, invisibilis, & incomposita, & tenebræ erant super faciem abyssi.* Genes. 1. Nulla montium asperitas, vel æquata camporum planicies videretur: neque præterlabentium aquarum sinuosos flexus ab alto spectare licuisset: nullæ virentium arborum picturatæ frondes apparerent, aut candentibus gemmis amœna prata, quæ se gratissima intuentibus objectant, voluptatem ullam mortalium oculis præstitissent. At ubi se super omnia splendor effudit, suus cuique vultus & decor allatus est: tantumque unius luminis ornamentum fuit, ut ipsi decori pulchritudinis atque venustatis plurimum adjecerit. Quod si bonorum omnium parens visibilem hanc lucem, quæ terminis clausa, temporum vicissitudini obnoxia, & quæ nobis cum pecoribus ac vermibus communis est, tanta providentia in medium produxit: haud equidem substitisse credendus est, quominus ad altiorem rerum ordinem perspiciendum sublimius quoddam lumen internis oculis admoverit. *Erat*, inquit evangelista, *lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Joan. 1. Clarissima quidem illa planetarum & astrorum lumina, quæ suis stationibus ac flexibus labentes cœlo menses, annosque producunt, vera nullatenus dicta sunt, quod deceptricem hanc, & prætereuntem orbis figuram dumtaxat manifestant. In accessum vero divinæ sapientiæ lumen, quo invisibilia & numquam desitura bona revelantur, quo veritas agnoscitur, via splendet, vita invenitur, ut inventa æternum perfruamur, lux vera est. Quæ si nos cœlum videre jussi, non proni terrena spectaremus, quod suum est, illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: venire siquidem in mundum nondum eum arbitor, qui natus communem aerem spirare, solem hunc videre incipit: Sed cum jam rudioris ætatis caligine deposita, per intelligentiæ acumen, rectum a pravo discernere prævalet: hunc splendidissimis radiis excitat, advocat, ut sequatur se invitat: Quod clarioribus adhuc verbis per Salomonem nobis expressit: In summis, ait, excelsisque verticibus, in mediis semitis stans juxta portas civitatis, in ipsis foribus profert verba sua, dicens: *o viri ad vos clamito, & vox mea ad filios hominum.* Prov. 1. Nullus locus relictus, nulla occasio neglecta, nullum tempus prætermissum est, quo non munera sua diffundere gestiet: qui in deliciis habet, quod miseri homunciones tantæ majestatis convictu excipiantur, & tanto certe benignius, quanto sine ipso ad ejus contemplationem adduci impossibile, nedum difficile fuit.

Nam

ANNO CHRISTI 1563.

Nam & si naturalium virtutum occultissima quædam rimari, & mentis ingenita perspicuitate, eruere interim possimus: at cœlestia, & quæ sensus effugiunt humanos, quæ in cor hominis non ascendunt, nulla mortalium oculorum perspicacitas consequi valuit: Audi santum Job de his præclare differentem: *Habet*, inquit, *argentum venarum suarum principium, & auro locus est, in quo conflatur*. Sunt quidem abstrusa quædam, & naturæ visceribus abdita, quales argenti, aliorumque metallorum venæ, quæ imis terræ penetralibus concrescunt, sed enim indagantibus pressa quidem vestigia contueri licet, ut ab effectu causam, a qualitate substantiam perquiramus. Occultum itaque argentum, sed quod habet suarum venarum principium certa sedes auri & aliorum, quæ recondita videntur, certus locus definitum cuique tempus decretum est: verum quod solertissimus indagator subodorari queat. Ea tamen divinæ sapientiæ sublimitas, ut neque tempori subjecta, neque loca diffinita contineri aut sensuum pernici volatu possit attingi. Addit namque: *unde* ergo *sapientia venit, aut quis locus intelligentiæ? Abscondita est ab oculis omnium mortalium, volucres quoque cœli latet*. Attende, quam graphice rei hujus difficultatem expresserit. Non solum humanorum oculorum acies effugit, verum cœlestium spirituum obtutibus abscondita est, qui naturæ subtilitate, ut quibusdam pennis ad spiritualia capessenda facilius elevantur: & quo semel dicam: imo dicat nobis idem propheta, Deus intelligit viam ejus, nec ulli nisi ejus gratuita illustratione unquam obtigit. Hic igitur, qui carneis, obtusisque sensibus lucidissimum solem proposuit, qui nos intelligendi virtute præditos præ ceteris animantibus ab initio creavit, ut ejus erga nos caritatis undique argumenta suppeterent, spiritualium secretorum conscios admisit, divinique luminis participes effecit.

Job. 28.

Qua propter patres sanctissimi (oblata enim opportunitate libentissime utar) cum sapientiæ illius incerta, & occulta nobis revelata conspexerimus, quamprimum sensibilem hanc lucem se cœlo attollentem singulis diebus advertemus, levemus corda nostra, cum manibus ad Deum gratias agentes, cum apostolo Deo & patri, qui nos dignos haud utique invenit, sed ipse facit *in partem sortis sanctorum in lumine. Qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filii dilectionis suæ*. Quod nec præclara majorum stemmata contulerunt, nec anteactæ vitæ merita sunt assequuta, non ingenii acrimonia, vel indefessi studiorum labores adepti, nec vero cunctis opibus in unum collatis pretiosam hanc margaritam emere licitum fuit. Namque, ut ait sapiens, *pretiosior est cunctis opibus, & omnia quæ desiderantur non huic valent comparari*. Unde ergo sapientia venit? Quis tanti muneris auctor? Illud certe inviolabile numen, quem omnium bonorum auctorem revelante ipso agnoscimus, inspirante profitemur: *Deus*, inquit apostolus, *qui de tenebris dixit lumen splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, in faciem Christi JESU*. Sed ad enarrandum illuminatoris nostri providentiam revertamur, omnibus quidem ille semper assistens, ut regiminis pulcherrimi ordo, quo universa disponit, in diffundendo lumine ostenderetur, ab ipso naturæ exordio, in omni genere majora quædam, & lucidiora sydera proposuit, quæ acceptum lumen aliis impertirent, certissimumque viæ ducatum afferrent. Hinc vetustissimus Patriarcharum senatus, rutilus prophetarum chorus, recondita scripturarum ænigmata, sacerdotum ex adytis oracula emicuerunt: de quibus per Oseam prædixerat ipse dominus: *Ego visiones multiplicavi, & in manibus prophetarum adsimulatus sum*. Ad propulsandas ignorantiæ tenebras, quibus originis peccatum, naturæ vulnus obduxerat, semper divina lumina præsto fuerunt.

Osee. 12.

Intuere in mystico tabernaculi opificio, quam solicite de concinnandis lucernis, neque unquam extinguendis inter cetera præceptum sit. Candelabrum septemplici calamo productum, secundum exemplar in monte ostensum fieri decernitur, in Australi parte locandum, cujus tam extitit elaboratum opus, ut nullibi se artificis ingenium aut manus diligentius exercuerint, quo & doctorum vota, & morum institutio, & docendi ratio, melius, quam iconicis imaginibus expressa fuerunt. De quibus ut non vacat singulatim referre, ita hoc unum silentio non est premendum, quod ductile candelabrum non fusile factum est, cum fusorii operis in illa fabrica non rarus fuerit usus. Namque fusilia repente integra, perfectaque videntur evadere, ductilia vero multiplici artificum exercitatione, ad statum, decoremque perducuntur. Ecclesiasticis sane viris haud leve documentum, ut candelabrum antiquum nobis quoque lucere possit: nulli scilicet regendi, aut docendi munus repente assumendum, ne forte, dum antevertit, prius sit erroris magister, quam discipulus veritatis: sed quem longa, eaque feliciter exacta studia exercuerunt, quem probatæ vitæ austeritas ut quibusdam malleorum ictibus induravit, quem consultissima discernendi sagacitas undique nitentem reddidit. Hunc si nostra sæcula morem servassent, nec tot hæreticorum monstra tulissent, nec fidelium cœtus, variis incertisque sententiis passim discinderentur. Aureum igitur illud septem lucernarum hastile, in tabernaculi penetralibus æternos ignes conservans, illustrem doctorum sapientiam prætulit, quo septiformis spiritus in ecclesia domo Dei vivi, ut certissima sydera semper accendit.

Exod. 25.

Et hæc quidem dum nocte silenti continerentur omnia. Quid enim aliud tempus illud, quod lucis ortum præferat, quam mox intempesta fuit? At ubi lux alma refulsit, ubi æternum lumen velamine carnis obtectum, huic se mundo videndum obtulit, tunc nullus locus caligini aut tenebris relictus est, tunc felicitatis æternæ dies mortalibus illuxit, quem sacer Isaias ante cecinerat: *Erit*, inquit, *lux Lunæ, sicut lux solis, & lux Solis sepempliciter, sicut lux septem dierum, in die, qua alligaverit dominus vulnus populi sui, & percussuram plagæ ejus sanaverit*. Ab illo die res nostræ olim collapsæ, in pristinum decorem restitutæ: Quin & novus splendor exoriri visus est: neque enim Lunam pristinam claritatem verum & solari similem acceperuram, Solemque ipsum septempliciter fore splendidum repromittit. Hujus luminis primitias glorioſus apostolorum chorus abstulit, quibus ipse justitiæ Sol dicere solet: Vos estis lux mundi. Processerunt illi ut potentissima fulgura ab oriente usque in extremos occidentis fines micantia, ut in om-

Coloss. 1.

Prov. 3.

Isai. 30.

ANNO CHRISTI 1563.

in omnem terram ſonos lucemque diffunderent. Ii per orbem terrarum, quaſi ſcintillæ in arundineto diſcurrentes, caritate ſuccenſi, doctrina fulgidi, tot funalia ſæculo reliquerunt, ut noctis tenebræ profligatæ, ac penitus fuerint devictæ. Secundum illos alii atque alii ſurrexerunt, ut luminaribus ſuccedentibus, aut etiam motis, indeficiens atque perpetuum lumen adeſſet, ut videlicet in domo mulieris fortis, cujus ab ultimis finibus pretium lucerna per noctes nunquam extingueretur. *Prov. ult.*

Sed numquid ut lucerent, & non magis ut arderent poſita ſunt? De inſigni quodam luminari, nempe de Joanne Baptiſta teſtatur veritas: *ille erat lucerna ardens, & lucens.* Arſit prius ſibi, idque ſapienter, ut deinceps aliis luceret utilius. Maximum Dei donum, cœleſtium myſteriorum cognitio, præclarum mirificeque attollendum fidei lumen. At niſi operum pinguedine fotum, niſi caritatis ardore ſuccenſum, languere ſolet, ac penitus extingui. Vide quid de umbraticis lucernis lex olim præſcripſerit. *Joan. 5.* *Exod. 27.* *Præcipe filiis Iſrael, ut offerant oleum de arboribus olivarum puriſſimum, piloque contuſum, ut ardeat lucerna ſemper in tabernaculo teſtimonii.* *Job. 29.* Tu ergo ſi Dei lucernam ſuper internum mentis caput ſplendere cupis, ſi lumen in tabernaculo non extingui, occidentis literæ præceptum, in ſpiritu vivificante cuſtodi. Sume tibi oleum puriſſimum de arboribus olivarum, mores, inquam, tuos, in ſpiritu lenitatis & manſuetudinis compone, proceras illas arbores imitare, quæ ſunt in paradiſo Dei, de quibus ſcriptum eſt: *Eccleſ. 44.* *Ii ſunt viri miſericordiæ, quorum pietates non defecerunt.* Cumque horum exempla imitanda ſuſceperis, atque opere præſtiteris, memento ea pilo contundere, ut nihil videlicet, tibi indulgendum exiſtimes: ſed benignum te aliis, tibi acerrimum exhibe: cunctaque opera diſcretionis pilo, quaſi ſurdo verbere contuſa igni charitatis admovere ſatage: itaque fiet, ut emunctiſſima lucerna potiaris. Tales ſe nobis præſtiterunt apoſtolici viri, quibus haud ſecus, atque cœleſtibus aſtris eccleſiæ ſanctæ corpus exornatum, lucidiſſimumque fuit. Ex his ut quibuſdam floribus ſapiens illa mulier ſtellatum diadema contexuit, capitique impoſuit, ut vel hinc prudentiſſimo cuique doctorum ſublimitas facile poſſit deprehendi, quibus etiam a domino dictum eſt: *vos eſtis lux mundi.* *Apo. 12.*

De divo Thoma.

Inter hos veteraſcenti jam ſæculo novus quidam Heſperus ab Heſperia exoritur Thomas Aquinas cujus encomia proſequentem, ante me temporis, & orationis, quam dicendarum rerum copia deſtituet. Quod ſi aut veſtræ expectationis, aut animi mei votis parem eſſe licuiſſet, ultro ſe hujus diei obtulerat occaſio, qua feliciorem nec ipſe optare, nec quivis alius promittere auderet, ut coram celeberrimo totius orbis conſeſſu de ſanctiſſimo doctore mihi etiam a prima ætate obſervandiſſimo verba facturus adeſſem. Nam, quod in laudibus Pauli primus dixit Chryſoſtomus, hujus etiam & ego viri amore flagro. Sed age præſtat exigua quam nulla proferre, cum omnia perſequi immenſi laboris ſit. Quis digne referat illibatum perpetuæ virginitatis candorem? Animus ille angelicis ſpiritibus adſimilis, incoinquinatum corpus, & cœleſti puritate perſpicuum, exigebat, ne quid terreni contagii, ſpiritu, quem decorabat ſapientia, illaberetur. Innocentiſſimus vitæ progreſſus, circumſpecta morum diſciplina, victus parſimonia, inceſſus gravitas, ſermonis blanda modeſtia, totus denique exterioris hominis aſpectus, quid aliud, quam reconditi luminis ſcintillæ fuerunt?

ANNO CHRISTI 1563.

Jam ſtudiorum ejus rationes, nulla vel Apellis tabula evidentius, quam hodierna epiſtola depingi poterant. *Optavi*, ait, & *datus eſt mihi ſenſus: & invocavi, & venit in me ſpiritus ſapientiæ*: Et interpoſitis quibuſdam ſubjecit, *quam ſine fictione didici, & ſine invidia communico, & honeſtatem illius non abſcondo.* Temporis itaque permultum habuit oratio, quæ a teneris annis doctorem hunc ut pia nutrix fovit, neque unquam deſeruit, plurimum lectioni, totum ſapientiæ ſtudio impendebat, ut nullum otio relinqueretur. In legendis auctoribus mira ſedulitas, certiſſimum in diſcernendis judicium, retinendi vero tanta vis, ut quæ ſemel legiſſet (per legerat autem antiquorum pleraque) omnia in proſpectu habere judicares. Ea demum cœleſtis ingenii fœcunditas, ut facilius eum credas dictare, quam alium legere potuiſſe. Quinquageſimum nondum evaſerat annum, tot publicis prælectionibus feliciter exantlatis, tot voluminibus multijuga eruditione compoſitis, ut vix eo tempore legere vacet, quot ille præclara monumenta reliquit. *Sap. 7.*

Et aliorum quidem ſingularis induſtria fuit: hic gentiles inſectatur, alter hæreticos aggreditur, alius in ſcripturis enarrandis, alius in explicandis diſceptationibus totus incumbit, unus Thomas quaſi alter Beſeleel in conſtructione tabernaculi omnem operam impendiſſe videtur, de quo ſcriptura refert, quod fuit plenus Spiritus Dei, ſapientia, intelligentia, & ſcientia, & omni doctrina ad excogitandum, & faciendum opus omne in auro, argento, ære, & ferro, & quicquid fabre adinveniri poteſt, dedit in corde ejus. Attende quantum ſancti doctoris induſtria eccleſiæ contulerit. Gentilium errorum nubila disjecit, hæreticorum argutias diſſolvit, legalium arcanorum detexit umbras, ſcripturarum myſteria reſeravit, fidei dogmata divinaque præcepta diſtinxit, virtutum rationes edocuit, ſacramentorum efficaciam virtutemque luce ipſa clarius expreſſit: tantus denique fuit, ut unus artificum omnium operas præſtitiſſe, atque in uno Thoma multigenam ſpiritualium divitiarum ſupellectilem confertam reperias. Brevis hæc in volatilibus apes, ſed quæ mira florum varietate collecta fragrantia mella diffundat. Atque ut cetera fileam (quis enim hujus viri laudes vel juſto volumine comprehendat?) hoc unum adjiciendum exiſtimo, quod mihi pluſquam miraculo fieri ſolet. *Exod. 35.* *Eccleſ. 11.*

Neſcio quo infauſto genio, peſtis hæc noſtris animis irrepſerit: ſi quam ex alienis laboribus rapſodiam congeſſimus, id omne velut proprium venditantes, inanem auram, moxque perituram ſummo ſtudio aucupamur, qui ſi furtivis coloribus exuti, noſtros pannos oſtenderemus, nihil aliud quam ridiculi videremur. At Divus hic, multa quidem alieno Marte collegit, ſed cum plurima ex feracis ingenii partu contuliſſet, ea cura mentem ſolicitabat, ut vel Auguſtino, cujus obſervantiſſimus fuit, vel alicui ſanctorum, quos omnes venerabatur, acceptum referret. Quod ſi Deo optimo maximo, gloriam, proximis utilitatem, antiquis honorem attuliſſet, nihil ſibi ex propriis laboribus præter labores reſervandum cenſuit. Verum age, recepit de manu domini, duplicia

pro

ANNO CHRISTI 1563.

pro cunctis operibus suis. Namque studiosissimus veritatis animus, revelatæ jam gloriæ contemplator inter præclara lumina ante thronum divinitatis, fulgurantia perpetuo adsistit, & celeberrimum ejus nomen per omnium fidelium ora, tam suavi, quam frequenti sono pererrat.

Hunc dialecticæ atque philosophiæ candidati ducem sequuntur, Moralis disciplinæ studiosi, consultissimum habent interpretem. Animarum vulneribus medicaturi, ab eo pigmenta mutuantur. Ille divini verbi præcones numquam non donatos remittit. Ipsum denique felicissimum antesignanum, theologorum exercitus consectatur: cumque omnibus in pretio sit, dignus sane venerabilis ecclesiæ doctor, quem hæc sacra, & œcumenica synodus maximis, iisque amplissimis honoribus prosequatur.

Sanctissimæ siquidem vitæ diem clausit extremum, cum ad generale concilium Lugduni celebratum, jussu Gregorii decimi pontificis maximi iter arripuisset: In ipso itinere constituto, nuncius ecce adest, ac concilium illud evocans, quod summus omnium parens ab initio sæculi indixerat, quo tandem ab orbe redempto, jam homines cum Angelis convenire cœperunt. Illuc Thomas vocatus pervenit, quo jam *ascenderunt tribus, tribus domini testimonium Israel, ad confitendum nomini domini*, sed quis putas nuncius eum accersivit? quem alium a patre luminum mittendum existimabas, ut hoc lumen ad sydeream sedem accerseret? utique non alium quam lumen, lux lucem, stella stellam ad stellata regna vocavit. Moribundo enim fulgidus stellæ radius tertio adstitit, ut fausto sydere per ignota regna contenderet. Demum ad extrema perductus, epithalamio Salomonis expositio, velut candidus olor carmine vitam finivit. Non ergo potuit ecclesiasticis interesse conciliis morte præventus: verum ecce superstes, atque in æternum victurus vobis adest, bona sua, spiritales doctrinæ thesauros, hæreditario jure vobis delegavit. Temporalia siquidem nec habere voluit, nec vestra auctoritate digna erant.

Psal. 121.

Nulla proinde ab ejus felici transitu concilia, sine sacro doctore celebrata sunt: ut enim de ceteris, fileam, quod audimus, quod videmus, quod manibus nostris contrectamus, quidni aperta voce ad ejus laudem testemur? vestra comitia perpendite. Ex plurimo eoque honorabili doctorum cœtu, quorus quisque consultor accedit, qui divi Thomæ auctoritate veluti splendente gemma, suam sententiam non exornet? At in consultissimo patrum recessu, doctor hic sententiam rogatus frequentissime censet, ad quem ut ad Lydium lapidem, siquid ambiguitatis, aut controversiæ fuerit exortum, communibus votis referendum existimetis, & qui eum sui placiti patronum obtinuerit, incertam judiciorum aleam non sit habiturus, quin secundum eum sententia ferenda sit. Atque adeo hujus religionis nomine, gravissimæ vestræ auctoritati gratias agere libeat, quod doctoris Thomæ nomen ubique celeberrimum, vestra in eum observantia, celebrius posteritati reliqueritis, & quidem juste, ut qui etiam cum summis ecclesiæ principibus divina voce audire meruerit. Vos estis lux mundi. Sed de priore quidem hactenus.

Secunda pars.

Ad vos jam, patres sanctissimi, nostras se flectit oratio: vobis namque posterior ejus pars a principio dicata est, quam obsecro, ut benigne excipiatis: brevior enim & utilior priore futura est.

ANNO CHRISTI 1563.

Non potest civitas abscondi supra montem posita.

Frequentissimo scripturarum usu, sancta Christi ecclesia, civitas dicitur supra montem excelsum ædificata: nempe, quæ illius omnipotentia, justitia, veritate, sacramentorum altitudine subnixa, hostili nullatenus incursu possit everti: de qua propheta: *Magnus dominus & laudabilis nimis in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus.* Idem ipse conditor, qui & fundamentum, idem sponsus, & propugnator est. At in præsentia hujus regni proceres, nimirum ecclesiarum prælati, qui aliorum duces & exemplar sunt propositi, civitati super montem constructæ dominica voce conferuntur. Enimvero ut civitas in eminenti, præruptoque monte sita, pacatum, securumque refugium adventantibus præbet, eademque inaccessa hostibus, & terribilis imminet: haud secus Christiani populi rectores, benignitate miseros ad se confugientes excipere, & summa, qua pollent auctoritate, factiosos, rebelles oportet coercere. Fuere quidem in antiqua synagoga miserorum refugio decretæ civitates, sed eæ quidem paucæ, nempe tres citra, totidem ultra Jordanem, ut in Numeris habetur, quo se tuto reciperet, qui inopinati homicidii reus accerseretur. Sed quod Dei nostri benignitas, & humanitas se nunc latius effuderit, ubique terrarum refugii civitates obviæ, ubique exulibus certissimum asylum constitutum est. Audi, quam late pateant profugorum receptacula. Sic enim Isaias propheta: *Creabit dominus super omnem locum montis Sion, & ubi invocatus est, nubem per diem, & splendorem ignis flammantis per noctem: super omnem enim gloriam protectio.* Quod si effectum protectionis nosse desideras, quæ antiquæ columnæ nubis, & ignis gloriam tantopere antecellit, attende quod subditur. Tabernaculum erit in umbraculum diei ab æstu in absconsionem, & securitatem a turbine & pluvia. Futura est ergo securitas, & ab internarum perturbationum æstu, & ab exteriorum hostium incursu, ut nec calore aduri, nec turbine agitari, neque pluvia obrui miseri pertimescant. Quot ecclesiæ principes, tot refugii urbes agnosco, singuli (nedum hæc sanctissima collectio) civitas estis supra montem posita. Hujus civitatis portas diebus ac noctibus patere opto, ne cui desint confugienti, nec importunitate frangi, aut pereuntibus vel pulsantibus occludi. Nullum terrenis affectibus, sed Christi ovibus latum præbere ingressum.

Psal. 47.

Isaiæ 8.

Augustissima refugii urbs erat, apostolorum illud pectus, quod caritate distentum, totum orbem, nedum unam Corinthum excipere contendebat, dicens: *Os nostrum patet ad vos, o Corinthii, cor nostrum dilatatum est, non angustiamini in nobis, angustiamini autem in visceribus vestris.* Hujus urbis firmitatem, potentiam, latitudinem, nostra hæc infausta sæcula efflagitabant, sed interim vos estis civitas supra montem posita. *Levate in circuitu oculos vestros, & videte*, quot miserorum & periclitantium myriades ad hoc refugium confluere, potius quam accurrere videantur, ignorantes, & parvuli divinæ legis oracula, non quasi ex tripode, sed ex veritatis spiritu consultore vestro præstolantur, atque omnes fidelium

2. Cor.

ANNO CHRISTI 1563.

cœtus sanctissimas leges institui, corruptos Christiani populi mores corrigi, abusus revocari, pristinum ecclesiæ candorem restitui, summis votis deposcunt. Num tot lacrymis, iisque justissimis, vestræ pietatis viscera sese continebunt? Antiquæ fuit crudelitatis, quod vir sanctus amare deflebat, *Lamiæ nudaverunt mammam, lactaverunt catulos suos, filia populi mei crudelis, quasi struthio in deserto*, quæ tanta impietas, quæ ferarum superat immanitatem? ea scilicet, quæ sequitur. *Adhæsit lingua lactentis ad palatum ejus in siti, parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis.* Absit a benigna Christi ecclesia ejusmodi crudelitas, quæ ab sponso, vel sanguine fuso, languentibus pullis, & vitam, & escam infundere edocta est. Maxima ægrotantium multitudo gemebunda, ac propediem moritura coram vobis jacet, qualem miseratus est olim salvator apud Matthæum, quia jacebant vexati, *sicut oves non habentes pastorem*. Hos viperarum morsus infidelitatis veno corrupit, illos flagitiorum omnium Lerna propemodum absorbuit, ac paganis deteriores effecit. Sunt quos & imbecilles tantorum malorum effigies deterreant.

Matth. 6.

Vos animarum medici, præsentaneo quodam antidoto subvenite, vobis enim cœlestium medicinarum pigmenta, vobis omnium charismatum apothecæ commissæ sunt. Nihil tam ad mortem, adsit modo vestra solicitudo, quod Christi sanguine, ad pristinam valetudinem revocari non possit. Audite querulam Hieremiæ vocem, ne eamdem a Christo audire contingat. *Numquid resina non est in Galaad, aut medicus non est ibi? Quare ergo non est obducta cicatrix filiæ populi mei?* Quis absque gemitu recolat innumeras orbis ecclesias, vigilantissimis hisce pastoribus creditas, eorum præsentia tot diebus orbatas, & solatio destitutas, quæ tandem privatas viduitatis lacrymas, publicæ salutis expectatione consolantur? At si tot post fletus, post tot dierum intercessionem pastores suos sumptibus exhaustos, laboribus confectos, longissima peregrinatione fractos, &, quod magis dolendum est fructu vacuos, spe frustratos aspexerint: O quantus erit oceursantium luctus, qualis redeuntium confusio, quanta spe orbis universus decidet, qui in hac sacra synodo rerum summam sitam esse credebat? Quin vos hujus civitatis selectissimi custodes, misericordiæ sinus expandite, & sicut scriptum est: *Circumdate Sion, & complectimini eam, narrate in turribus ejus, & distribuite domos ejus, ut enarretis in progenie altera*, blandimini mœrenti, consolamini lugentem, omnibus regnis, atque provinciis paterna pietate consulite, singulis necessaria distribuite: *distribuite*, inquam, *domos ejus, ut cognoscat generatio altera*, ut præclarum scilicet nomen posteris relinquatis, deque vobis in futurum dici possit: *Ii sunt sacerdotes magni, qui in vita sua suffulserunt domum, & in diebus suis corroboraverunt templum*, & supplicibus quidem & confugentibus benignam, at hostibus, civitatem hanc terribilem esse oportet. Nullum tempus otio, nullus locus quiescendi supereſt: etenim si antiquitatis monumenta consulamus, nullum ab sponsi discessu nostro sæculo fuit calamitosius, tot malis atterimur, tot hostium agminibus obsidemur, in tanto rerum discrimine versamur: ut non jam opiniones præliorum audiamus, sed cervicibus gladios imminentes tantum non simus perpessi.

Marc. 2.

Psal. 48.

Eccl. 5.

Fuere quidem prioribus sæculis Gigantes viri seditiosi, qui terrena sapientia freti, huic civitati bellum indixerunt: fuere Cherinthi, Arii, Sabellii, Manichæi, Donatistæ, ceteraque hominum portenta, qui adversus Dei ecclesiam arma corripere ausi sunt, nec sine magno fidelium periculo congressi, nec sine maximis laboribus superati: Divina tamen superne aspirante clementia, ex adverso processit instructus pastorum & doctorum cuneus, qui super hujus civitatis speculam interim vigilantes, sub mœnibus quandoque dimicantes, tempora vitæ concessa exemerunt: quidam & pulcherrimam per vulnera mortem oppetierunt. Tanta horum ducum in pugnando dexteritas, in regendo auctoritas, in cavendo providentia fuit, ut non solum sibi perpetuum victoriæ decus, sed posteris, securitatem adepti fuerint. Numquam impiorum conatus orbi defuerunt, sed tamen quos ecclesiæ præcedentium luminum splendore, facile deprehendere, & propriis, principumque armis de medio tollere, ac penitus extinguere valuerit. Successerat pacatum illud sæculum a prophetis longe ante prævisum. *Conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces, non levabit gens contra gentem, nec exercebuntur ultra ad prælium.* Pulchre feriatos ecclesiæ principes non jam congrediendi cum hostibus solicitudo, sed excolendi vineam domini labor exercebat: Verum (quæ nostra infelicitatis fuit) tranquillitas in desidiam, desidia in otium, otium in soporem evasit. *Dum* enim *dormirent homines*, ecce monstrum horrendum Germania tulit, quo aliud truculentius ex puteo abyssi ascendere vix potuit. Quod Tartareo hæresum fumo ecclesiæ catholicæ vultum suffudit, errorum sentinam commovit, & portenta olim ejecta, veluti postliminio revocavit.

Isaiæ. 2.

Matth. 13.

Hæc viperarum genimina principio ut locustæ subsultabant, nunc impudentissime prælia moliuntur, ut agnoscamus illos esse, de quibus in Apocalypsi scriptum est similitudinis locustarum: similes equis paratis in prælium, de quibus & paulo post, quod loricas habebant ferreas. A principio quidem pietatem modestiamque prætexentes, quales evaserint, experimento cognoscitis, haud equidem jam clandestinis suggestionibus, publicisque concionibus agitur, nec maledicentia, & blasphemiis, quod his fuit serpentibus gentile, satiantur: verum aperta defectione, collatis signis adversus ecclesiam Dei vivi, adversus legitimos principes, contra jus omne atque fas, impias manus extulerunt: Huic civitati supra montem positæ, non jam insidias tendunt, vel secretioribus cuniculis subvertere nituntur, sed aperta in luce aciem instruunt, aggerem comportant, machinas erigunt, murorum pars diruta, excelsæ quondam turres crebis arietibus labant: in dies enim viros proceros defeciſſe intelligimus, quos aliis esse præsidio maxime oportuit: per domos, & templa effusas flammas accepimus: confusis clamoribus, & extremis periculis omnia plena. Vos, patres sanctissimi, divini exercitus duces, hujus civitatis fidissimi propugnatores, de quibus scriptum est. *Super muros tuos Hierusalem constitui custodes, tota die, ac nocte perpetuo non tacebunt.* Num inter hæc mala quiescendum? Num inter districtos hostium gladios oscitandum, inter ipsas mortis umbras inertem vitam ducemus? Procul ab hac sacra concione abesto improperium illud quod in libro Sapientiæ gentibus Deum ignorantibus impin-

Apoc. 9.

Isaia. 62.

Sap. 14.

ANNO CHRISTI 1563.

impingitur. In tanto viventes inſcientiæ bello, tot & tam magna mala, pacem appellant: evenit terra illa malorum facies, horrendum illud jam perſtrepere ſentiunt. *Jerem. 4.* *Væ mihi, quoniam vocem buccinæ audivit anima mea, clamorem prælii*: ad arma *Luc. 22.* non ad quietem vocati ſumus, *qui non habet gladium*, juxta quod dominus conſulit, *vendat tunicam ſuam, & emat*, hoc eſt propria quiete, ac ſecuritate neglecta, pro patria urbe, pro antiquiſſima ſede Romani pontificis, cunctis regnis & populis veneranda, pro ſacra veſtra poteſtate, pro ſacramentorum virtute, pro fidei veritate, pro eccleſiaſtica diſciplina: bellum ſuſcipite; *Ibac. 2.* *vos enim præliamini prælia domini*. Nemo locum ſuum deſerat, ſed fortiſſimum illum pugilem imitamini, qui dicebat; *ſuper cuſtodiam meam ſtabo*, figam gradum ſuper munitionem, ut ſciam, quid dicatur mihi, & quid reſpondeam ad arguentem me. Eccleſiæ vobis credite, cuſtodiæ veſtræ ſunt, quas in tranquillitate non colere infidum, in ſummo rerum diſcrimine relinquere velle facinus eſt. Non deerunt vobis, aut bellici apparatus, aut arma quæ magna præcedentium ſedulitate collecta, ſumma etiam providentia diſpoſita ſunt. In promptu adeſt *Cant. 4.* *turris illa David, quæ ædificata eſt cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium*. Adſunt vobis apoſtolorum merita, martyrum coronæ, pontificum vigiliæ, doctorum monumenta, confeſſorum exempla præclara, virginum lilia candentia, omnis denique armatura fortium, quibus inſtructi, & certam victoriam, & decus plurimum referetis, dummodo non turpiter jacere potius, quam ſtrenue dimicare deſtinatum ſit.

Tandem ut dicendi finem faciam, quid vobis agendum, magna cordis attentione perpendite. *Non poteſt civitas abſcondi ſupra montem poſita*. Omnium oculis conſpicui, in publico veluti proſcenio verſamini, *ſpectaculum facti Deo, angelis, & hominibus*, in vos omnium ora converſa, ultimi hujus actus eventum, intentionis animis, orbis univerſus proſpectat. Quo ſi per V. Ampl. licet in ſtadium decertaturi admiſſi iſtis, aut rebus compoſitis cum maxima gloria, vel iiſdem infectis (eloquar?) cum ſummo dolore, ne dicam dedecore, hinc abeundum, frequentiſſimum hunc tantorum patrum conventum, hanc temporis opportunitatem multi reges optarunt, vix tandem noſtra pars ſuperis faventibus obtinuit, quod prioribus fuerat denegatum. Si (quod abſit) poſt tot rerum molimina, ſacer hic exercitus, inſtar aquarum, quæ labuntur in præceps, diffluere contingat: quid jam ſpei, aut ſolatii, inclinatis jam rebus, magnaque ex parte divulſis futurum exiſtimemus? infidelium applauſum, hæreticorum inſultationem, motus capitum, manuum protenſionem, deſſectere jam olim videtur propheta, dicens: *Plauſerunt ſuper te manibus omnes tranſeuntes per viam, ſibilaverunt, & moverunt capita ſua ſuper filiam Hieruſalem*. Quod ſi intelligant privatis ſtudiis, contrariiſque opinionibus concionem hanc ſacram diſcindi, venerandam conciliorum veterum auctoritatem deſpectui ſunt habituri, quod ſequitur in Threnis non ſine deriſione jactantes *Thren. 2.* *Hæccine eſt urbs perfecti decoris, gaudium univerſæ terræ*? Quod ſi certus intempeſtivi diſceſſus veſtri nuncius fuerit allatus (quod omen ſuperi avertant) jam tunc inſolentiores facti, ſubjectis verbis inſultabunt. Hæc eſt dies, quam expectabamus, invenimus, vidimus: quid clariſſimi principum & provinciarum oratores ſunt acturi, ſi poſt tantam expectationem, poſt tot ſuorum petitiones exhibitas, arte elaboratas, pietate diſpoſitas, lacrymis etiam aſperſas, hæc omnia ventis diffundenda committantur? quid ſanctorum angelorum præſidia, quæ vobis cœlitus miſſa ſunt, ut foveant, aſſiſtant, auxilientur? Lætine ad ſuos concives geſta narraturi revertentur? An vero deploratum illud ab Iſaia propheta eventurum eſt? Ecce videntes clamabunt foris, *Angeli pacis amare flebunt*. *Iſaiæ 33.*

Utque cetera ſileam, quæ multa referre poſſem, aſpicite obſecro civitatis hujus principem, auctorem inquam, fidei, & conſummatorem Jeſum: qui propoſito ſibi gaudio, ſuſtinuit crucem, confuſione contempta. Is quamvis ſedeat in dextra majeſtatis in excelſis: veſtris tamen conventibus ſolicitus adeſt, & quæ ſua fuit ſemper, flagrantiſſima caritas, miſeratur tantos mortalibus eſſe labores. Hujus urbis obliviſci non poteſt, etiam ſi *Iſaiæ 49.* mater unici filii obliviſcatur, quoniam in manibus ſuis deſcripſit eam, & muri ejus in conſpectu illius ſunt ſemper, pro his qui perierunt, & pro his qui deficiunt, & pro vobis adhuc ſtantibus, in quos omnis domus inclinata recumbit, ſolicitudinem gerit. Num vocanti, manuſque ſuas extendenti deeſſe poteritis?

In mentem venit illius facti, quod primus liber Paralipomenon de David rege commemorat. Errabat profugus vir ſanctus a facie Saul, regno, *1. Par. 2.* domoque pulſus, ad ſupplicium etiam ultimum quærebatur in deſertis habitans, quia nulla urbs tutum ei offerebat ingreſſum: Principes quidam interea, facti indignitate permoti, ex Judæa & Benjamin ad eum convenerunt ſuppetias laturi: quibus non ſatis fidens obvius proceſſit: dicens: *Si pacifice veniſtis ad me, ut auxiliemini mihi, cor meum jungatur ad vos: ſin autem, ut inſidiemini mihi, videat Deus & judicet*. Attendite quam nihilo diſſimile immortali principi noſtro David his diebus acciderit. Ex pluribus Europæ regnis, quæ olim pacifice obtinebat, propemodum ejectus, deſerta ignotarum gentium quaſi nova diverticula quærit. Inter hæc ſacer iſte conventus, vos inquam, fortiſſimi principes omnes, tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi, ex Judæa, & Benjamin habentes rectam fidem, veracem confeſſionem proferentes, auſpiciis Romani pontificis, ſummi ducis & principis noſtri conveniſtis, ut de reducendo rege, de recuperandis provinciis, de republica Chriſtiana in commune decernatis, ut exulanti regi veſtro opem feratis. En vobis obvius procedit, coram vobis ecce adſtat, medius veſtrum reſidet, & ſingulos benigne aſpiciens talibus compellare videtur. Si pacifice veniſtis ad me, ut auxiliemini mihi, ſi recta mentis intentione, ſi animo ſimplici, ut reipublicæ, meæque ſponſæ conſulatis, ut propugnandæ civitati operam detis, ſi demum, ut auxiliemini mihi, cor meum jungatur ad vos: ſpiritus meus, qui a corde, hoc eſt ab amore procedit, quem ego perpetuum manſurum eccleſiæ promiſi, veſtris comitiis aderit: veſtra dogmata ſtabili veritate definiet, veſtraque decreta perpetuo robore confirmabit. Cor meum jungatur ad vos, ſin autem ut inſidiemini mihi, ſin ut veſtris tantum commodis conſulatis, ut luxu, faſtuque omnia concidere intelligentes, meam vicem non doleatis, nec orbi collabenti opem tuleritis? videat dominus & judicet, ille ſcrutator cordium, ſecretorum certiſſimus ſpeculator dijudicet, & unicuique juxta opera ſua reddet.

Utinam quod tunc ſcriptura commemorat, in præſentiarum nobis accidat. Spiritus enim *1. Paral. 12.*

ANNO CHRISTI 1563.

domini inſiluit ſuper Amaſai, qui erat princeps ſuper triginta: vel reſponderet Davidi. Utinam omnes, aut pro omnibus aliquis Dei Spiritu afflatus occurreret: Sed interim affectus voceſque omnium mutuatus, principi noſtro præſcriptis veſtris Amaſai reſpondeo. *Tui ſumus, o David, tecum filii Iſai pax, pax tibi, & pax adjutoribus tuis.* Tui ſumus, o ſalvator, tecum omnipotentis Dei filii tua virtute creati, tuo ſanguine redempti, tuis ſacramentis imbuti, tibi omnia dedimus in baptiſmo, ſub tuæ crucis vexillo militamus. Pax, pax tibi, nec ſolum dextras pacis offerimus, ſed tibi genua tanquam Deo vivo curvamus, *tibi enim curvabitur omne genu, & confitebitur omnis lingua*, tuis hoſtibus implacabile bellum indicimus, ſed *pax adjutoribus tuis*, fidelibus inquam, ſanctæ Romanæ eccleſiæ fidem, unitatem, obedientiam retinentibus, & pacem optamus, & præſidium afferemus. Tu modo pro te certantibus adeſto, ut partæ victoriæ gloriam & laudes referamus, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivis & regnas per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Iſaiæ 45.

CXIII.

ORATIO AD PATRES IN SACRA & œcumenica ſynodo Tridentina, ſub Pio PP. IV. habita a R. P. F. Contreras, Hiſpano, ordinis Minorum regularis obſervantiæ, regis catholici in eodem concilio theologo.

DOMINICA II. QUADRAGESIMÆ MDLXIII. Ad eccleſiæ reformationem perſuadendam.

SI unquam alias, nunc maxime, patres ampliſſimi, mihi peroptandum fuit, ac ſummopere ambiendum, ſermonem hodie apud vos facturo, apoſtolici pectoris robur, & divina quædam vis dicendi: quo prædicatio mea, non tam venuſtate ſermonis & fucatæ cujuſdam eloquentiæ ſplendore niteſceret: quam ardentioris ſpiritus & virtutis oſtenſione flagraret. *Non* enim *in ſermone eſt regnum Dei, ſed in virtute.* Talis ſiquidem & tam præclara hanc veſtram ſacratiſſimam, ornatiſſimamque coronam nunc decebat oratio: Ubi tot epiſcopos, miniſtros Chriſti, magiſtros populorum, eccleſiæ lumina, & clariſſima orbis capita, non de quibuſvis negotiis, ſed de ſumma rerum populi Chriſtiani, conſultandi, dijudicandi ac definiendi cauſa, ſemel, iterum, atque jam tertio, cum maxima totius orbis expectatione conveniſſe cernimus. Sane ubi inter perfectos perfectam ſapientiam loqui ſe Paulus affirmat: quemadmodum de rebus arduis apud eos qui primas tenent in eccleſia, loquendum ſit, ſacrum mihi canonem (quem præterire nefas ſit) viſus eſt condidiſſe. A quo quidem explendo tam procul me abeſſe fateor, quam imperitia mea longe ab ipſa diſtat ſapientia. Equidem quod nec ingenii acumine, nec exercitatione dicendi pollerem, quodque ferventioris ſpiritus vi & virtute deſtitueret: Jubens hoc cepiſſem, niſi ad id oneris ſubeundum, cum officii mei ratio, tum ea quam debeo obſervantia me adigeret, & quodammodo repugnantem traheret. Ea eſt etiam veſtra ſingularis humanitas, & in omnes benevolentia, ut etiam puſillos & mei ſimiles in hoc auguſtiſſimo ſenatu, ad loquendum animare, nedum exhortari videamini. Divini igitur numinis præeunte favore, eo pietis ſtudio, eo animi candore & ſinceritate Chriſtiana, qua ſacra tractare decet & interpretari eloquia, ad opus ipſum accingar, evangelicę lectionis clypeo munitus & haſta.

1. Cor. 4.

1. Cor. 8.

ANNO CHRISTI 1563.

Aſſumpſit Jeſus Petrum & Jacobum & Joannem fratrem ejus, &c.

Divina illa, omnique admiratione ſuperior transfiguratio Chriſti, quam nobis hodie evangelica refert hiſtoria, myſticam quamdam, eamque geminam, in ejus corpore, quod eſt eccleſia, futuram metamorphoſim præ ſe tulit. Alteram quidem in cœleſti illa ac æterna beatitudine cum angelis ſperandam, alteram dum hic vivimus, per virtutis ſtudium aequirendam, & ſummis animi viribus cum Dei adjutorio comparandam. Utravis harum, vel obiter contemplanti abunde magnam dicendi copiam ſuppeditare poſſet. Cum autem brevitati ac tempori deſervire noſtra feſtinet oratio, nec poſſit alterutram pro rei dignitate edicere, utriuſque interdum rationem habens ad præfixum ſibi ſcopum matura celeritate properabit. Enimvero transfigurati domini (ut hinc auſpicari liceat) ſingulare myſterium, ex evangelica lectione uſque adeo vobis exploratum perſpectumque eſſe arbitror, ut in eo fuſius deſcribendo nihil opus ſit inani verborum ſtrepitu patientiam veſtram remorari.

Matth. 17.

Audivimus dominum, e ſacro illo duodecim apoſtolorum collegio tres electiſſimos viros ſegregaſſe, & in Thaborei montis celſitudinem conduxiſſe, ibique ſupra omnem eorum ſpem ac opinionem, cernentibus eis, & præ admiratione ſtupentibus, transfiguratum fuiſſe. Eo quidem ſi mens noſtra vehementer adſpiret, & conſcendere mereatur: videbit plane juxta prophetarum oracula, quod Jeſus ille ſacerdos magnus, qui olim Zachariæ ſordidis indui conſpectus eſt veſtibus: ab eo tempore quo in terris vilus eſt, & cum hominibus converſatus: hic, inquit Job, *in manibus abſcondit lucem, & præcipit ei ut rurſum veniat.* Annunciat de ea amicis ſuis, quod poſſeſſio eorum ſit, & ad eam poſſint aſcendere. Etenim *ſplenduit facies ejus ſicut ſol*: latentem nimirum animæ gloriam fulgentis palam lucis indice manifeſtans. *Veſtimenta autem ejus facta ſunt alba ſicut nix*: ejuſmodi gloriæ refulgentiam in ſanctos, pro ſingulorum meritis derivandam, & perenniter ab eis poſſidendam eſſe oſtendens. *Ipſe quippe eſt qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ.* Nam & nunc quidem *filii Dei ſumus, ſed nondum apparuit quid erimus. Scimus vero quoniam cum apparuerit, tunc ſimiles ei erimus, videntes eum ſicuti eſt.* Et tunc Deus erit omnia in omnibus: eritque ipſe cum ſuis unus per omnia Chriſtus, caput cum membris incredibili ſplendore conſpicuum, & nullum habitura finem beatiſſima vita fruens. *Sedebit*, inquit, *populus meus in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, in requie opulenta: & regem in decore ſuo videbunt. Non eſurient, neque ſitient: & non percutiet eos æſtus & ſol, quia miſerator eorum tegit eos. In terra ſua duplicia poſſidebunt, & lætitia ſempiterna erit eis.* In eum modum per-

Zacha. 3.

Job. 36.

Philip. 3.

1. Joan. 3.

Iſaiæ. 49.

ANNO CHRISTI 1563.

permulta divina scriptura profert: quum optatissimam illam sanctorum metamorphosim, modis omnibus ineffabilem, verbis conatur exprimere. Id enim summum est bene beateque viventium præmium. Hic ille unus denarius, operariis pro labore diurno, tanquam merces locupletissima, non frustra, nec ad horam, divina sponsione reddendus. *Ego*, inquit, *protector tuus, & merces tua magna nimis.* *Genes. 15.*

Transfigurato domino, & solem ipsum splendore nimio eclipsante: ecce (mirabile dictu) Moses & Helias e quietis & reconditis divinæ providentiæ sinibus extemplo advolantes comparuerunt. Alter quidem veteris illius populi legislator: alter prophetarum eximius: ex latere adstant domino colloquentes, & ipsissimum esse testantes, quem lex & prophetæ diu ante promisere. Tanta fuit tunc discipulorum cum ingenti admiratione lætitia, e glorificata Christi facie concepta: ut torrente eo voluptatis Petrus extra se raptus, ignarus quid diceret, dixerit tamen: *Domine, bonum est nos hic esse.* Hic jam pia animadvertat discretio. Si humanitas Christi ad horam transformata, & duorum sanctorum societas ad momentum ostensa, tantopere lætificat & delectat: quid de innumerabili illa angelorum & cœlestium aliorum civium multitudine: quid vero de incomprehensibili Dei majestate sese ultro & perspicue manifestante conjectandum & credendum est? Interim tamen inconsulta Petri suggestio, & silentio Christi, & paternæ vocis in opinato clamore intercepta permansit, *Adhuc enim eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos.* Et mysteria mysteriis accumulans, addit. *Et ecce vox de nube dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Quorsum gesta hæc fuerint, cœleste idipsum pandit oraculum, quo divinæ Triadis adorandum mysterium, temporibus æternis tacitum, jam nunc fit palam mortalibus. Nam pater in voce, filius in carne, Spiritus sanctus in nube lucida, quam possit fieri nunc luculentissime declaratur.

Hæc plane sunt celeberrima post hominum memoriam, vereque divina comitia: ubi *principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham.* *Psal. 40.* Hæc præludia quædam ejus quam speramus, & ad quam tendimus, promissæ beatitudinis. Hoc vivum exemplar, atque imago illius montis sancti cœlestis Hierusalem: ad quam non aliter est nobis accessus quam per consignatum divinitus ostium Christum Jesum. O *quam gloriosa dicta sunt de te civitas Dei.* *Psal. 86.* O *quam magna est multitudo dulcedinis tuæ domine, quam abscondisti diligentibus te!* *Psal. 30.* *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam?* *Psal. 54.* Bonum erat nos hic esse, patres sanctissimi, gloriam domini speculantes, quoadusque in eamdem transformaremur imaginem *a claritate in claritatem, tanquam a domini Spiritu.* 1. *Cor. 3.* Quid enim jucundius, quid beatius, quid Christiana philosophia dignius, quam in domo domini cum eo jugiter conversari, ad anagogicas illas theorias conscendere, & sacratiora Dei mysteria mentis acie perlustrare? Verumtamen præsentium calamitatum consideratione, veluti furentium procella ventorum, propulsa atque jactata mens rapitur & dejicitur, ut eo & necesse sit, nostra vel invita demittatur oratio, & ad alteram hujus vitæ metamorphosim explanandam sibi aditum paret.

Quis enim, obsecro, tam stupidus, quis tam immanis, & ab omni pietate adeo alienus, hoc præsertim loco dicturus: qui rerum novarum conscius, silentio preterire queat: vel maxima quibus jamdudum afflictamur incommoda, vel majora, quæ deinceps pasturos nos esse formidamus? Quæ quamquam nulli prorsus ignota, vobis vero tritissima sunt: hoc sane loco numquam non opportuna, & ad commiserandum necessaria esse videntur. Nam quid aliud in aulis principum etiam ethnicorum: quid publicis in viis, quid in civitatibus apud ecclesiasticum, senatorium, & equestrem ordinem, quid demum apud ipsum imperitum vulgus passim dicitur, jactatur, defletur a piis, deridetur ab impiis? Quid inquam, nisi id quod omnes oculis cernimus: si tamen oculorum præsidio non abutimur: Universam rempublicam Christianam bellicis tumultibus agitatam, ærumnis afflictam, hæresibus oppressam, innumeris aliis anxietatibus & amaritudinibus lacessitam quotidie pessum ire, & jam jam ultimum minitari exitium? Cum igitur dilectissimam Christi sponsam, & communem omnium matrem tanto mœrore confectam, tam lugubri facie deformatam, tot & tam variis periculis circumseptam videamus: compati ei ac condolere non decet? Decet maxime. Quin ceteris omnibus posthabitis, hujus tam communis omnium quam miserabilis casus meminisse necesse est: huc nervo omnes intendere summe convenit. Ne forte (quod tempora ipsa minantur, & optimus Deus avertat) in extremum citius prolabamur discrimen. Secundus jam vertitur annus, & super hac re sæpius quidem a viris doctis & probis, tum copiose, tum eleganter, ex hoc suggestu declamatum esse scio: quantum vero emolumenti inde sequutum fuerit, ignorare me fateor. Quid ergo? num idcirco desperandum est, aut ignavo silentio conticescendum? Absit. *Non est iste sermo* (ajebat Judith) *qui misericordiam provocet, sed potius qui iram excitet, & furorem accendat. Posuistis vos tempus miserationis domini, & in arbitrio vestro diem ei constituistis? Non est abbreviata manus domini*, nec pelagus miserationum ejus exhaustum, ut nos servare, ac consolari aut nolit, aut non possit. Eapropter dum paucis hac de re meum aperire animum intendo: vestram, patres, benignitatem, vestram attentionem imploro. *Judith. 8.* *Isaiæ 59.*

Si quis a me extorquere vellet: cur tantis & tam funestis reipublicæ Christianæ vulneribus, quæ toties procurantur adhiberi subsidia, aut parum, aut nihil prosunt, nonnumquam etiam multum nocent? Aptius nihil responderé me posse existimarem: quam vulnera ipsa, vehementesque dolores cum acriter sentiamus: eorum tamen causas & origines penetrare aut nescimus, aut certe nescire non simulamus. Quo fit, ut nobis ipsi blandientes dum mala funditus eradicare contemnimus: ipsa nostra diligentia, & humana quadam sagacitate atque importuna solicitudine, qua his mederi satagimus: multo magis fovere ea videamur. Contra vero, prudentis ac periti medici est, cujusvis morbi curandi fontes radicesque altius investigare primum, deinde artis suæ vim & energiam illis proscindendis & revellendis strenue applicare. Sed dices. Ecquænam tot tantorumque malorum in populo Dei origo est, quæ radix? Respondebit profecto, vel me tacente, hujusce artis peritissimus, qui & sensum Christi habet, divinus Paulus. *Radix* inquit, *omnium malorum est cupiditas.* 1. *Tim. 6.* Ex cupiditate enim nimia rerum externarum solicitudo progignitur: quæ spiritualium

ANNO CHRISTI 1563.

neglectum & Dei oblivionem cum pariat, hanc sequens morum simul ac fidei corruptela, veluti cancer quidam proserpens, universum corpus inficit & exedit, atque adeo ad interitum sensim trahit. Audis apostolum, audis Spiritus sancti linguam, fontem virulentum & malorum omnium radicem, non minus diserte quam succincte aperientem? Sed & alteram nihilo ista inferiorem malorum causam divinus Spiritus alibi indicaverat: Quod videlicet in rebus agendis concilium Dei requirere, & opem ejus poscere detrectemus. *Susceperunt*, inquit, *de cibariis seductorum, & os domini non interrogaverunt*. Et iterum: *Ambulatis ut descenderis in Ægyptum & os meum non interrogastis*. Dum enim suo quisque consilio & affectu dicitur, plus sibi satis fidens, baculo hunc arundineo niti, & super arenam ædificare quis non dixerit? Hinc fit plerumque spreto Dei consilio, deliberantem intellectum densissimis errorum tenebris caligare, voluntatem item male cupidam, impietatis ac dissidentiæ laqueis irretiri, & tandem in æternæ damnationis barathrum præcipitari.

Josue. 9.
Isaiæ. 30.

Duo igitur cum sint malorum omnium capita: insatiabilis pereuntium rerum cupiditas, & cæca quædam atque obstinata in Deum impietas: in his potissimum resecandis summe laborandum est omnibus, qui & communis salutis, & optatæ reformationis studiosi esse cupiunt & videri. Cum his (ut pote Christianæ religionis acerrimis hostibus, bellum debet esse implacabile, nullo fœdere intermittendum, nullis unquam induciis relaxandum. Sed quo tandem pacto (inquis) gerendum? *Interroga patres tuos, & nunciabunt tibi, majores tuos, & dicent tibi*. Consulenda nobis est veneranda patrum antiquitas: atque ad illius veteris militiæ formam, terribilis castrorum acies nunc in ecclesia ordinanda: si de hostibus triumphare cupimus, & magnifica victoriæ trophæa reportare. Habet enim unumquodque propositum principes suos quos sequatur. Imitentur Romani duces suos Camillos, Fabricios, Regulos, Scipiones. Proponant sibi philosophi Pythagoram, Socratem, Platonem, Aristotelem. Nos autem habemus propositi nostri duces, Christum dominum, apostolos, & apostolicos viros. Horum vestigia quoad fieri potest nobis sequenda sunt, si quoquo modo componendus est orbis. Jam quia rem omnium gravissimam, & ex hac sancta synodo expectatissimam acu tetigisse videor: eam quo magis aperiri & salubrius curari possit, paucis adhuc explicare non piget. Id porro apud omnes in confesso esse non dubito, Deum optimum maximum suapte natura pium, & ad miserandum promptissimum: nunc quid in nos ira esse inflammatum & valde infensum, idque circa omnem controversiam, justissime. Hominum ergo ausibus & insolentiis: Sed quorum maxime? Pace vestra dixerim patres: Majorum haud dubie, & in republica Christiana procerum. Vulgarium enim & privatorum hominum delicta privatis levibusque flagellis Deus expiare consuevit. Primorum vero rata scelera, non nisi durissimis plagis, acerrimisque verberibus ulcisci, & ita æquissimæ suæ justitiæ satisfacere constituit. Idcirco non delicta aut peccata solum ejusmodi appellare solet scriptura: sed abominationes pessimas, studiaque maligna. Quemadmodum apud Ezechielem conqueritur dominus: *Numquid leve est hoc domui Juda, ut facerent abominationes pessimas, quas fecerunt in templo: Quia replentes terram iniquitate, conversi sunt ad irritandum me?* De primoribus enim juxta ac senioribus Dei querimonia est. Nam pro personarum & dignitatum perditorum hominum amplitudine: vitiorum quoque nocumenta in vulgus propagari solent, atque distendi. Quibus vindicandis divinæ justitiæ pondus, æquaque mensura deesse non potest. Nam *pro quatitate delicti erit & plagarum modus*.

Hieron. ad Paulinum com. 1.

Gen. 32.

Ezech. 8.

ANNO CHRISTI 1563.

Levit. 52.

Hujuscemodi severitatis, & publicæ Dei vindictæ ob majorum admissa scelera si requirantur exempla, tot nobis scriptura sacra ubique suppeditat, ut longe difficilius sit ea recensere posse quam invenire. Nonne primi generis nostri parentis noxam omnes ejus posteri (præterquam quod æternæ damnationi, nisi mediatore Christo servaremur, eramus obnoxii) perpetuis ærumnis, & tandem morte ipsa quotidie luimus? Heli quondam pontificis negligentiam, una cum filiorum libidine ac impietate, æqua lance divina purgavit ira, non absque totius populi gravi jactura: & quod luctuosius erat, arca fœderis domini & ab eis turpiter derelicta, & ab hostibus indigne capta. Numeratio item populi ad regis Davidis imperium, nulla fere culpa, aut saltem perexigua esse videbatur: sed tamen quam graviter divinum numen offenderit, mox sævissima in plebem ultio declaravit. Quam regis lacrymosa pœnitudo, cum incredibili precum instantia vix temperare potuit. Sed qui ego antiqua illa commemoro, & ea quæ recentiora sunt, post disseminatum toto orbe evangelium, prætermitto? Sane posteaquam simplex rudisque plebecula (velut ager olim incultus, sed apostolico vomere proscissus, & verbi Dei semine fœcundatus) plene edocta fuit, fructus sanctificationis facere numquam destitit: nec a suscepta semel fide & morum disciplina sua sponte degenerasse visa est.

1. Reg. 4.

2. Reg. 24.

Numquid per tres illas a Christo passo annorum centurias, vel sævientibus persecutionum procellis, vel blandientibus prosperitatis illecebris populi fides & constantia unquam cessit? Minime gentium. Quin sicut lilium inter spinas, & veluti ignis inter flantes ventos: sic nimirum inter omnis generis angustias, lux illa cœlestis in ecclesia cum vitæ & morum probitate latior in dies lætiorque fiebat. Testis est imprimis civitas illa sancta, unde evangelium prima sumpsit exordia, cum sua Syria & Palæstina. Testis Ephesus cum universa Asia. Testis est Alexandria cum tota Africa. Et inclyta Roma cum omnium felicissima Europa. Quas divina semel luce susceptæ, florentissime sanctissimeque vixisse legimus, quam diu majorum vel tyrannide vel impietate eis vacare licuit. At vero ubi præpositorum pastoralis cura, & concredita sibi atque imperata solicitudo languere cœpit: ubi cupiditatis & ambitionis pestis libere grassari, & sese in ecclesiam oblique, ceu per cuniculos insinuare permissa est: eo (proh dolor) infelicitatis deventum est, ut nisi historiarum monumenta nobis ad memoriam relicta essent, an in illis amplissimis & locupletissimis orbis plagis, quas nunc ab infidelibus & barbaris hominibus occupatas cernimus, ullum unquam Christianitatis vestigium præfuisset, merito dubitare possemus. Divina autem providentia comparatum est, ut illæmet sacrarum rerum historiæ, quæ aurea illa sæcula, & florentis per totum orbem religionis nostræ primordia, nobis nunc quasi ob oculos ponunt,

ANNO CHRISTI 1563.

ponunt, nec silere omnino nec dissimulare potuerint : quin succedentem postmodum fidei jacturam, & universalem morum corruptionem, somnolentiæ & iniquitati præfectorum (ut res habebat) adscriberent.

Legistis, patres sapientissimi, hac de re omnes tam veteres quam neotericos, tam Græcos quam Latinos auctores, quorum nomenclaturam pene infinitam, me nunc texere supervacaneum atque adeo impossibile fore judicavi. Extant utriusque testamenti innumera, eaque lucidissima testimonia: quæ sublimioris ordinis hominibus potissimam malorum, perinde atque bonorum omnium, in populo Christiano succedentium, causam acceptam referunt. Nec fugere memoriam vestram potest illa admodum decantata Christi parabola, de homine agrum bene seminante. *Cum dormirent*, inquit, *homines*, custodes nempe ac præsides, quibus vigilandi & superintendendi cura a domino fuerat demandata: *venit inimicus homo*, &c. Quis hic inculpatæ ignorantiæ, aut etiam tergiversationi locus est reliquus? Quodnam exceptionis, aut excusationis velamen in tremendo saltem Dei judicio excogitari poterit? Nam & a capite in universa corporis membra vim salutis, & morbidum virus diffluere, magistra natura nos docet.

Matth. 13.

Jam ego satis me indicasse arbitror, prioribus illis temporibus, ut propagatæ, ita & labefactatæ fidei & Christianæ disciplinæ rationem penes majores extitisse : quo eodem, ut ajunt, pede misera hæc nostra in quæ fines sæculorum devenere, metienda esse existimemus. An nobilissimam Germaniam cum finitimis sibi Pannonia, & ceteris circumjacentibus regnis ante hosce quinquaginta annos in religione Christiana insigniter floruisse novimus? Bone Deus: qualis nunc jacet, quantumque ab illa mutata? Quid dicam de munitissima Anglia? Nam de Christianissima Gallia, ut desperandum nihil est, ita nihil non timendum. Quarum ruinæ & vastationis miserandæ cum testes sitis, partim auriti, partim etiam oculati: vosmet assumptæ causæ judices appello. Et quod tot tantorumque malorum ratio, non populari multitudini, quæ pro sua imbecillitate ductores sequi nata est, sed primoribus imputanda sit, vos judicaturos non dubito. Sed de hoc satis. Vereor enim, ne vobis nimius esse videar, dum quibus prematur malis ostendere, eorumque causas accuratius rimari persisto. Nam de remedio si quod Christus reliquit in terris, ad suæ reipublicæ metamorphosim seu reformationem jucundam, nonnihil dicere par est.

1. Cor. 10.

Nostis, patres prudentissimi, curandis corporis ægritudinibus contraria oportere adhiberi medicamenta. A cujus aphorismi methodo si in adversam partem declinari contingat, & morbos invalescere, & laborantium incolumitatem vitamque periclitari necesse esse. Atqui dominus noster, qui & Samaritani nomen a se non est aversatus, cœlestis quoque medici titulo insigniri dignatus est. *Non est*, inquit, *opus valentibus medicus, sed malè habentibus*. Hujus artis tunc praxim exercuit, cum *manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem*. Tunc, inquam, cum miserabilem illum, hominem nempe a latronibus sauciatum & semivivum relictum, vino oleoque curatum, a morte servavit semel: vobisque, patres amplissimi, vobis, inquam, custodiendum remedicandumque tradidit. Quod quemadmodum fieri deberet: utriusque testamenti peritiam, quam sacra vestra ordinatio & mitra bicornis profitetur: vobis pro præscripto reliquit, nullo aut ignorantiæ, aut socordiæ suffragante prætextu. Sed ne extra chorum saltare videamur, ad evangelicam rursus lectionem oculos animosque convertite, & in hodierno mysterio ceu in brevi tabella ad vivum exaratum videbitis, hujusce medicationis officinam non aliam esse, quam hanc sacrosanctam & œcumenicam synodum: quippe quæ singulis morborum generibus singula coaptare noverit, valueritque remedia.

Matth. 7.

Prov. 30.

Nam præter ea quæ supra diximus, pulchre quidem divinis illis comitiis sacer hic conventus adumbratus esse videtur. Quibus comitiis interesse Petrus eo potissimum debuit, ut inde planè disceret, quod pontificia auctoritate posset docere: quemadmodum scilicet generalia concilia postmodum in ecclesia rite ac recte celebranda essent. Etenim Christus dominus ipse ibi præsidet: nec tanti momenti negotium alicui alteri delegasse, tutum esse putavit. Ipse alios convocat, eisque veritatis ac majestatis suæ gloriam media transfiguratione revelat. Adsunt undique patres. Quid agant, quidve loquantur, advertite. Non enim singuli quæ sua sunt quærunt, sed quæ ad communem omnium salutem spectent: ea gravi, sincero, maturoque consilio cum domino tractant. Loquebantur, ait Lucas, de quo, nisi de efficaci mundi remedio? *Loquebantur de excessu, quem completurus erat in Hierusalem*. Hæc erat excessiva Christi passio, & copiosa generis humani redemptio, quæ salutis omnium unicum ac præsentissimum erat remedium. Ceterum cum Petrus (qui pro eo quod homo erat, ambitiosorum & cupidorum hominum in ecclesia typum gerebat) suis tantum commodis in ea synodo prospicere videretur, post habito quod omnium erat, supinæ cujusdam ignorantiæ necnon & philautiæ insimulatus est. Mox enim paternæ vocis majestate in faciem ruere compulsus, haud quamquam se leviter deliquisse, ipso corporis habitu confitetur. Quid vero deinceps petere, quid statuere, quid præcipere aut prohibere in sacris conciliis apostolica auctoritate deberet, ab ore domini petendum esse audit, quum pater magnifica illa voce intonat: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: Ipsum audite*. Ac si diceret: In omnibus & per omnia os domini interrogate. Hinc factum est, ut levantes oculos discipuli, neminem viderent, neminem respectarent, neminem vererentur, neminem susciperent, nisi solum Jesum.

Videtis jam, patres amplissimi, transfigurationis Christi mysterium & symbolicum sacramentum: in quo (ni fallor) & hujus sacrosanctæ synodi & muneris vestri ideam oculis intuemini. Cetera bene sibi conveniunt, & cum mystica illa repræsentatione cohærent: si tamen rerum agendarum modus ad hujus prototypi exemplar, animusque consentit. Si in cunctis, quæ subinde accidunt, difficultatibus dirimendis, os domini interrogatis, ejusque beneplacitum præstolamini. Si contemptis vestris, tum etiam aliorum cujusvis ordinis hominum prætensionibus universis, solius Jesu Christi, ejusque reformandæ ecclesiæ rationem habetis. Si terribilis illa omnisque majestatis plenissima vox patris, vestris auribus intonat, vestra penetrat corda: *Ipsum audite*. O quam saluberrimum esset, optimeque consultum, semper quidem, sed in majoribus

ANNO CHRISTI 1563.

ANNO CHRISTI 1563.

joribus præſertim cauſis, Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam promptiſſimis & purgatiſſimis auribus auſcultare. *Stupebant*, ait Lucas, *omnes qui eum audiebant, ſuper prudentia & reſponſis ejus*. Quod ſi ingratis ac perfidis veteris ſynagogæ Rabinis, tantæ comitatis atque humanitatis ſpecimen dominus oſtendebat, ut ſapientiæ deitatiſque ſuæ ſcintillas familiari eis colloquio dignaretur retegere: quid fideliſſimæ ſuæ ſponſæ, ſumma atque indiviſa ſibi caritate conjunctæ, tam avide flagitanti celare poterit? Nonne nobis *datum eſt noſſe myſteria regni Dei: illis autem in parabolis*? Et quidem ipſe dominus ſemper *nobiſcum eſt omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi*, nec nos unquam obliviſci poterit, quos propriis in manibus tam graphice ſcriptos habet.

Luc. 2.

A

B

O bone Jeſu eccleſiæ catholicæ unicum ac ſolidiſſimum fundamentum, ſervator omnium, hujuſque ſanctæ ſynodi ſingulare præſidium: Sonet hodie vox tua in auribus noſtris. Vox enim tua dulcis, & facies tua decora. Aperi domine populi tui aures, & cordis ejus oculos illuſtra: ut & benigniſſimæ ſuaviſſimæque vocis tuæ ſibilum percipere, & vultus tui gloriam intueri valeat. Quid enim aliud expetis, quid flagitas, quid pro ſummis tuis laboribus, & infinitis in nos beneficiis extorquere contendis, quam ut a nobis libenter obtemperanterque audiaris?

Totus vocalis eſt dominus, patres ampliſſimi, nec quiſquam unquam vocis ejus vim & energiam percipere nequit, niſi qui prudens & volens aures cordis obſtruit & obturat, inſtar aſpidis, ne audiat vocem incantantis ſapienter. Totus vocalis eſt dominus, ſemper nobis loquitur, nec loquitur ſolum, ſed inſtantiſſime & validiſſime clamitat: in plateis dat vocem ſuam, ſi quo modo tandem poſſit lethargico ſomno oppreſſos excitare, & extremo jam diſcrimine laborantes, ab ipſis mortis faucibus ad vitam eripere. Quid enim eſt tam profuſæ ejus munificentiæ, & beneficiorum in nos, ut perpetua, ita & immenſa largitas, niſi dulcis vocis ejus ſuavitas? Quid imperveſtigabilis juſtitiæ ac judiciorum profunditas, quæ per diverſa temporum curricula, mundus ſuo malo expertus eſt, niſi clamor ejus validus? Sed & univerſæ creaturæ ſubſiſtentia, vox quædam Dei eſt, omnipotentiam, ſapientiam, ineffabilemque bonitatem ejus, nobis mirabiliter oſtentans. Illud vero ſumme faciendum eſt. Quod quum *multifariam multiſque modis, olim Deus loqueretur patribus in prophetis: noviſſime diebus iſtis loquutus eſt nobis in filio*: non tam oris facundia, quam operis œconomia: quo non eum audire ſolum loquentem, ſed magis ſequi atque imitari operantem liceat. Cujus vocis ſuavitate quo minus afficimur & delectamur: eo magis in admirandos horrendoſque clamores prorumpere eum cogimus. Hinc bella, hinc fames & peſtes, hinc hæreſes, hinc barbarorum in populum Dei per mare & aridam cum frequentiſſimæ, tum & atrociſſimæ incurſiones, populationes, deprædationes, cædes atque incendia. Hinc rerum omnium penuria, cum ceteris quas intus & foris patimur, calamitatibus.

Pſal. 57.

Hebræ. 1.

C

D

E

Hinc demum caſus ille inopinatus (quod ſine gemitu & lachrymis commemorari vix poteſt) ante hoſce quatuor dies nobis accidit: illuſtriſſimi, inquam, ac reverendiſſimi cardinalis Mantuani in hac ſancta ſynodo primi legati inſperata, ac fere repentina ſublatio. Cujus viri prudentiam, gravitatem, ſanctitatem, conſtantiam & reliqua præclara ejus ſtemmata nullus veſtrum ignorat. Nec eſt quod mea nunc balbutie obſcurentur potius quam illuſtrentur. Illud (quod ad cauſam noſtram maxime faciat) ſilentio præterire non poſſum. Quod ſi viva ejus voce Deus nobis hactenus loquebatur: multo nunc fortius obitu ejus clamitat, cautiores nos eſſe debere, & ad veritatem evangelii rectius ambulare admonens. *Memento*, inquit, *judicii mei, ſic enim erit & tuum; mihi heri, tibi hodie*. Niſi forte nos immortaliores, juſtiores, aut a tremendo Dei judicio exemptiores illo eſſe, foreve exiſtimemus. Nihil itaque illud univerſa hæc putemus, quam horridas quaſdam voces, aut pro vocibus juſtiſſima Chriſti flagella nos ad meliorem vitam exhortantis: ne noſtris ſceleribus irritatus, indignationis juſtæ furorem in nos effundere compellatur. Lento enim gradu divina procedit ira: ſed tarditatem vindictæ, ſupplicii gravitate compenſat.

ANNO CHRISTI 1563.

Val. Ma.

Ipſum igitur Chriſtum tantopere vociferantem nunc vel ſaltem audiamus, patres ſanctiſſimi, ne forte negligentes ac remorantes, inexorabilem eum aliquando ac prorſus implacabilem experiri cogamur. Nihil poſtulat, nihil requirit aliud, quam ut nobis rebuſque omnibus in republica Chriſtiana, per hanc ſanctam ſynodum optime ſit conſultum. Ut eccleſiæ tranquillitas, fidei puritas, morum diſciplinæ vigor & integritas reſtituatur & conſervetur. Quæ igitur res unquam geſta erit major, quæ glorioſior, quæ commendatior, nunc & futuræ hominum memoriæ ſempiternæ: quam ut veſtra, patres ſanctiſſimi, opera & diligentia reſpublica Chriſtiana jamdudum vexata & afflicta reſpiret tandem ac reviviſcat? Pergite ergo, patres, hæreſes univerſas extirpate, abuſus deſtruite, eccleſiaſticam diſciplinam jam diu langueſcentem ac pene collapſam erigite, veteres patrum mores revocate: rem denique omnem tanto concilio dignam (ut cœpiſtis) maturius abſolvite: quo univerſus orbis expectans, qui in hanc ſacroſanctam celeberrimamque ſynodum oculos habet intentiſſimos, ad votum ſibi per vos ſatisfactum eſſe intelligat. Præſtante domino noſtro Jeſu Chriſto, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat unus Deus, in ſæcula ſæculorum. Amen.

CXIV.

ANTONII MONCHIACENI Democharis, doctoris Sorbonici ad patres ſacri concilii Tridentini ſermo, feria ſexta die Paraſceves. Anno MDLXIII. *nono Aprilis.*

NON *judicavi me ſcire aliquid inter vos*, illuſtriſſimos Romanæ, ac primæ ſedis legatos, necnon prudentiſſimos hujus ſacri concilii Tridentini præſides: inter vos clariſſimos regum, principum, ac communitatum oratores: inter vos ſanctiſſimos eccleſiarum Chriſti antiſtites, *niſi Jeſum Chriſtum, & hunc crucifixum*. Ut præſens hic noſter ſermo de cruce & paſſione domini noſtri Jeſu Chriſti, ad Dei gloriam, & noſtram omnium ſalutem felicem ſortiatur exitum, neceſſarium valde duximus meritum hujus paſſionis interponere, quod hodie nobis ceſſit in ma-

1. Cor. 2.

ANNO CHRISTI 1563.

in maximum jubileum, & pleniſſimam omnium peccatorum remiſſionem, ad impetrandum divinum ſancti Spiritus auxilium: quod facile nobis concedetur, ſi cum eccleſia matre noſtra pio ac ſupplici affectu dixerimus omnes: *Adoramus te Chriſte, & benedicimus tibi, quia per ſanctam crucem tuam redemiſti mundum.* 1. Cor. 2. *Non judicavi me ſcire aliquid inter vos, niſi Jeſum Chriſtum, & hunc crucifixum.* Singularem B. Paulus ſuo exemplo, dicendi regulam de Chriſti paſſione præſcribit, *cum*, inquit, *veniſſem ad vos*, Corinthios alloquitur, *veni, non in ſublimitate ſermonis, aut ſapientiæ, annuncians vobis teſtimonium Chriſti. Non enim judicavi me ſcire aliquid inter vos, niſi Jeſum Chriſtum, & hunc crucifixum.* Quibus certe verbis nos admonet quid hoc die paſſionis dominicæ nos ſcire oporteat? Nempe Jeſum Chriſtum noſtro nomine, noſtra cauſa, noſtroque peccato crucifixum fuiſſe. Proinde abſtinendum eſſe ab omni faſtu, & pompa mundana, ab illecebris rethorum, & oratorum lenociniis, qui ſubmiſſionem Chriſti uſque ad crucis opprobria celebramus, quemadmodum & paulo ſuperius 1. Cor. 1. apoſtolus ſcribit. *Non miſit me Chriſtus baptizare, ſed evangelizare: non in ſapientia verbi, ut non evacuetur crux Chriſti. Verbum enim crucis pereuntibus quidem ſtultitia eſt: iis autem qui ſalvi fiunt, id eſt* Iſai. 33. *nobis, Dei virtus eſt.* Scriptum eſt enim: *Perdam ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Ubi ſapiens? Ubi ſcriba? Ubi inquiſitor hujus ſæculi? Nonne ſtultam fecit Deus* C *ſapientiam hujus mundi? Nam quia in Dei ſapientia non cognovit mundus per ſapientiam Deum: placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes. Quoniam & Judæi ſigna petunt, & Græci ſapientiam quærunt. Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum: Judæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam, ipſis autem vocatis Judæis; atque Græcis Chriſtum, Dei virtutem, & ſapientiam. Quia quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus: & quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus. Videte enim vocationem veſtram, fratres, quia non multi ſapientes ſecundum carnem: non multi potentes: non multi nobiles, ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, ut confundat ſapientes:* D *& ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non ſunt, ut ea quæ ſunt deſtrueret, ut non glorietur omnis caro in conſpectu ejus. Ex ipſo autem vos eſtis in Chriſto Jeſu, qui factus eſt nobis ſapientia, & juſtitia, & ſanctificatio, & re-* Jer. 23. 2. Cor. 11. *demptio, ut quemadmodum ſcriptum eſt: Qui gloriatur, in domino glorietur. Non enim qui ſeipſum commendat, ille probatus eſt: ſed quem Deus com-* 1. Cor. 2. *mendat. Utinam ſuſtineretis modicum quid inſipientiæ meæ: ſed & ſupportate me*, patres ſanctiſſimi. *Æmulor enim vos Dei æmulatione.* Ego enim cum beato Paulo dico, *in infirmitate, & timore, & tremore multo ſum apud vos: & ſermo meus, & prædicatio mea, non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis: ſed in oſtenſione Spiritus & virtutis. Sapientiam autem loquimur inter* E *perfectos*, qui prædicatione crucis Chriſti non offenduntur. *Sapientiam vero non hujus ſæculi, neque principum hujus ſæculi, qui deſtruuntur, ſed loquimur Dei ſapientiam*, Chriſti paſſionem, *in myſterio quæ abſcondita eſt, quam prædeſtinavit Deus ante ſæcula in gloriam noſtram, quam nemo principum hujus ſæculi cognovit. Si enim cognoviſſent, nunquam dominum gloriæ crucifixiſſent.* Non enim Fannianam crucem prædicamus, quam Cicero omnibus eloquentiæ ſuæ viribus, veluti effuſis totius ingenii fontibus, proſecutus eſt: facinus indignum, proclamans, civem Romanum contra omnes leges in crucem ſublatum eſſe. Verumenimvero paſſionem & crucem domini noſtri Jeſu Chriſti filii Dei, quam noſtræ redemptionis ergo ſponte ſuſcepit, deſcribimus: quam ſicut ait Paulus, loquimur *non in doctis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in doctrina Spiritus, ſpiritualibus ſpiritualia comparantes.*

ANNO CHRISTI 1563.

Porro quis tam facundus, tanta rerum, verborumque copia inſtructus veniet, quæ oratio tanta affluentiæ ubertate decurret, ut illam crucem, illius crucis indignitatem juſte deploret, in qua filius Dei a Dei cultoribus ſuſpenſus atque ſuffixus eſt? quam univerſus orbis, & cuncta mundi elementa luxerunt? Quis tam crudele facinus, tam horrendum nefas, non dicam verbis, ſed ſenſu, cogitatione, ac intellectu comprehendere poterit? Quocirca, patres ſanctiſſimi, non eſt quod orationem de Chriſti paſſione a me efflagitetis, ut nunc fere in uſu eſt, ſupra modum elegantem, utpote qui beati apoſtoli & exemplum & conſilium ambabus complecti manibus conſtitui. Quandoquidem naturali quodam ſtylo, ac plane humili, pretioſam & glorioſam Chriſti mortem, qua omnem ſuperbiam, ac ſuperbiæ filiam, mortem, ipſum denique mortis auctorem diabolum deſtruxit, exprimere tribus admodum brevibus articulis deſidero. Primus quidem, prædictiones aliquot paſſionis Chriſti refert, tam prophetarum vocibus, quam Sibyllinis verſibus denunciatas. Secundus vero, quam neceſſaria nobis fuerit Chriſti crux, demonſtrabit. Tertius denique ac poſtremus ſignum crucis dominicæ, omni tempore tam uſu, quam veneratione dignum confirmabit. Hanc namque dicendi rationem arbitratus ſum congruentiorem eſſe, quam ſi prolixam dominicæ paſſionis hiſtoriam, quam quatuor evangeliſtæ divino Spiritu copioſe deſcripſerunt, referrem: tum quod hæc vobis omnibus ſit ſatis nota: tum maxime quod temporis hujus anguſtia, quæ ad dicendum conceſſa eſt, non patitur vel ſuccincte illam recenſere. Siquidem ita ſpero vos inde majori cum animi alacritate, plus commodi, plus pietatis conſequuturos. Etenim non audituri eſtis vanam verborum loquacitatem, non audituri eſtis ſermonem ad oſtentationem & gloriam popularem captandam inſtructum: ſed audituri eſtis nuda prophetarum oracula, audituri eſtis firmas Spiritus ſancti prophetias, denique audituri eſtis recondita Jeſu Chriſti de ſua paſſione eloquia. Vos itaque, patres, humillime ſupplico, benigne & attente, ut facitis, dicenti aures præbeatis apertas.

Primus ſane articulus, plenas eſſe ſacramentis paſſionis dominicæ ſcripturas veteris teſtamenti oſtendit: cum nullus ſit legis lator, nullus ſit propheta, nullus ſit pſalmographus, qui de his tacuerit, quorum firmis certe documentis Chriſtus de paſſione ſua futura ſuos inſtruebat diſcipulos adverſus crucis ſcandalum dicens, referente Luca: *hæc ſunt verba, quæ loquutus ſum ad vos,* Luc. 24. *cum adhuc eſſem vobiſcum. Quoniam neceſſe eſt impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in lege Moyſi, & prophetis, & pſalmis de me. Tunc aperuit illis ſenſum, ut intelligerent ſcripturas, & dixit eis: Quoniam ſic ſcriptum eſt, & ſic oportebat Chriſtum pati & reſurgere a mortuis.* Quamobrem reprehendit duos illos diſcipulos, quod ſuæ paſſionis ſacramentis nequaquam credidiſſent, euntes in

caſtellum

ANNO CHRISTI 1563.

castellum nomine Emaus die resurrectionis suæ dicens. *O stulti, & tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt prophetæ! Nonne hæc oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam? Et incipiens a Moyse, & omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturas, quæ de illo erant.* Utinam hæc Christi doctrina literarum monumentis extaret comprehensa, agnosceremus profecto omnem pene sacram paginam crucis Christi mysteriis illustrari. Ideo superfluum videri poterit si diutius immoremur in congregandis in eam rem quæ dici possunt scripturarum testimoniis: pauca tamen, & admodum pauca de Christi passione futura prædicta referemus. Nam ad ipsos divinorum voluminum fontes remittimus eos, qui avidius & abundantius potare desiderant.

Luc. 24.

Apoc. 23.

Primo itaque omnium, in Genesi Christum a Deo promitti ad deletionem peccati, quod primi parentes commiserunt, necnon ad operum diaboli destructionem, ob id a Joanne in Apocalypsi dicitur, agnus ab origine mundi occisus. Providit enim dominus Deus pro sua erga nos bonitate & clementia, ipsomet die quo peccarunt primi parentes, de remedio adversus peccatum & mortem, quam incurrerant diaboli ac serpentis suasione: ait dominus ad serpentem,

Genes. 3.

Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia & bestias terræ: super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ: inimicitias ponam inter te & mulierem: & semen tuum, & semen illius. Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo ejus. Sive enim legamus ipsa conteret, sive ipsum conteret caput tuum, ut quibusdam neotericis placet, semper intelligimus Christum virginis Mariæ filium promitti hac auctoritate, qui debellet sua cruce diabolum. Hanc quidem promissionem hodierna die, quatuor millibus annorum elapsis, Christus implevit eadem hora ac die, qua Adam & Eva peccarunt.

Irenæus.

In ipsa die, inquit Irenæus libro quinto adversus hæreses, mortui sunt, & debitores facti sunt mortis, in qua manducaverunt. Si quis velit diligenter discere qua die ex septem mortuus est Adam, inveniet ex domini dispositione, qui recapitulavit universum hominem in se ab initio usque in finem, & mortem ejus. Manifestum est itaque, quoniam in illa die mortem sustinuit dominus obediens patri, in qua mortuus est Adam inobediens Deo. In qua die autem mortuus est, in ipsa manducavit. Dixit enim Deus. *In qua die manducabitis ex eo, morte moriemini.* Hunc itaque diem recapitulans in semetipsum dominus, venit ad passionem pridie ante sabbatum, quæ est sexta conditionis dies, in qua homo plasmatus est secundum plasmationem eam, quæ est a morte per suam passionem donans.

Epiphan.

Hoc die etiam B. Epiphanius libro primo adversus Tatianos, & hæresim quadragesimam sextam scribens, impletam fuisse prophetiam dicit,

Ephes. 5.

quam B. Paulus ad Ephesios refert capite quinto dictumque fuisse ipsi Adæ sepulto in loco calvariæ ubi crucifixus fuit dominus: *Surge qui dormis, & exurge a mortuis, & illuminabit te Christus.* Quia videlicet tactu sanguinis Christi, & corporis ejus dependentis super sepulchrum ipsius Adæ, ipse Adam sit illuminatus. Et locus ille, Calvariæ idcirco appellatus est, quod ibi antiqui hominis & primi parentis conditum esset caput. B. Cyprianus illo antiquior hanc sententiam confirmat sermone de resurrectione Christi, dicens: Christi sanguine conspersa creditur Adam calvaria, qui sub loco, quo crux domini fixa est, humatus traditur ab antiquis, ejusdem sanguinis sanctificati elapsu. B. Hieronymus refert de eadem re in commentariis epistolæ ad Ephesios capite quinto, se audivisse quemdam in ecclesia disputantem de hoc loco B. Pauli, qui in theatrale miraculum nunquam ante visam formam populo exhibuit prædictam sententiam.

ANNO CHRISTI 1563.

Cypria.

Hieron.

His tribus multo antiquior B. Irenæus ab hac sententia non multum discessit, qui dicit primum parentem fuisse omnium primum per Christum vivificatum, & salvatum: sic enim scribit capite 32. libri tertii: secundus homo (nempe Christus) alligavit fortem, & diripuit vasa ejus, & evacuavit mortem, vivificans eum hominem, qui fuerat mortificatus. Primum enim possessionis ejus vas Adam factus est, quem tenebat sub sua potestate. Et cap. 34. ejusdem, subdit: Cum salvatur homo, oportet eum salvari, qui prior formatus est homo. Quoniam nimis irrationabile est, illum quidem, qui vehementer ab inimico læsus erat, & prior captivitatem passus est, dicere non eripi ab eo, qui vicerit inimicum ereptis filiis ejus, quos in eadem captivitate generavit. Nec victus adhuc pateret inimicus, ipsis veteribus spoliis manentibus apud eum. Quemadmodum si hostes expugnaverint quosdam, & victos duxerint captivos, & multo tempore in servitute possederint eos: ita ut generent apud eos, & aliquis dolens pro his qui servi facti sunt, eosdem hostes expugnet: non tamen juste faciet, si filios quidem eorum, qui captivi ducti sunt, liberet de potestate eorum qui in servitutem deduxerant patres eorum: ipsos vero, qui captivitatem sustinuerant, subjectos relinquat inimicis, propter quos & ultionem fecit consecutis libertatem filiis ex causa paternæ vindicationis.

Irenæus.

Cyprian.

Cyprianus his astipulatur tractatu de Sina & Sion adversus Judæos, dicens: numerum quadragenarium senarium, quem ait ex literis quatuor nominis Adam resultare, passionem carnis Adæ designare, quam carnem in se figuralem Christus portavit, & eam in ligno suspendit. Numerum quidem hunc quadragenarium senarium & quatuor literis nominis Adam colligit, quod a quatuor primis literis quatuor stellarum, per quatuor ordines orbis fitarum, desumptum esse vult. Quarum nomina sunt, ἀνατολή, δύσις, ἄρκτος, μεσημβρία, quæ sunt stellæ orientis, occidentis, septentrionis & meridiei. Ab ipsis quatuor stellis, si quis capitales & primas literas acceperit, habebit quatuor literas, quibus nomen Adam constat, & quibus eisdem a Græcis numerus quadragenarius senarius designatur. Nam Græci literis suis alphabeti, quemadmodum & Latini literis sui alphabeti, ad numerandum utuntur: ita ut illis alpha, α. unum, delta, δ. quatuor, μ. quadraginta significet, & sic ex harum quatuor literarum " A, d, a, m, numeris, quibus conficitur nomen hoc Adam, assurgit numerus quadragenarius senarius, quem numerum annorum, ætati Christi in hoc mundo convenire dicit. Ingeniose certe est hæc inventio: sed tamen a vero remotissima, quæ & falso innitatur principio. Quandoquidem nomen hoc Adam, neque Græcus est, nec a dictionibus Græcis deductum, cum Hebræum sit. Non enim semper, quæ in speciem ingeniosiora videntur, sunt & veriora. Placuisse tamen

"α, δ, α, μ,

ANNO CHRISTI 1563.

tamen B. Auguſtino videntur Cypriani dicta hæc, qui in tractatibus ac commentariis ad Joannis evangelium eadem refert.

Athanaſius. Prædictis ſatis congruunt, quæ B. Athanaſius in quæſtionibus ad Antiochum principem ſcribit, dicens Chriſtum eodem die incarnatum, quo a Deo Adam formatus, nempe ſexto die. Cui ſuffragatur B. Irenæus, dicens capite XXXII. libri tertii. Nodus inobedientiæ Evæ, ſolutionem accepit per obedientiam Mariæ. Quod enim alligavit virgo Eva per incredulitatem, hoc virgo Maria ſolvit per fidem. Quam nimirum ſententiam de virgine Maria tunc impletam fuiſſe intelligimus, quando miſſus eſt a Deo angelus Gabriel ad ipſam ſalutandam. Tunc quidem verbis angeli credidit dicentis: *Ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jeſum.* Quemadmodum ipſa Eliſabeth comprobat dicens ei: *beata quæ credidiſti: quoniam perficientur ea, quæ dicta ſunt tibi a domino.* Ejuſdem quoque & fidem & obedientiam cognoſcimus tunc exhibitam, cum dixit ad angelum: *Ecce ancilla domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum.*

Irenæus. *Luc. 1.*

Ut igitur in brevem epilogum quæ hoc die ſexto notatu digna videntur contrahamus: hæc ſunt, patres ſanctiſſimi, præcipua. Hoc die ſexto, primus parens Adam a Deo de terra formatus eſt. Hoc die prima mater Eva a Deo de coſta Adæ formata eſt. Hoc die eodem ad meridiem peccarunt primi parentes comedendo lignum prohibitum; eodem die & hora per peccatum facti ſunt morti obnoxii, & omnibus hujus vitæ miſeriis. Eodem die poſt meridiem Deus providit de primorum parentum ac poſterorum ſalute, dum illos redarguit, & ſerpenti maledicit deceptori ipſorum: & in antidotum adverſus ſerpentem Chriſtum promittit redemptorem. Decurſis ſubinde fere quatuor millibus annorum hoc die ſexto mittitur a Deo angelus Gabriel ad virginem Mariam, quo die filius Dei, hominis filius factus eſt in utero virginis. Divinæ naturæ humana natura matrimonio indiſſolubili conjuncta eſt: Hodie, ut uno verbo dicam cum evangeliſta, *Verbum caro factum eſt.* Hunc diem vulgari & communi ſermone dicimus, feſtum annunciationis virginis Mariæ, quem merito feſtum incarnationis filii Dei vocare poſſumus. Poſtremo, hoc die poſt triginta duos ſuæ vitæ annos cum tribus menſibus, venit Chriſtus ad paſſionem crucis, qua eodem die poſt meridiem primos parentes ac genus ipſorum a peccato illo antiquo in omnes graſſante redemit, diabolum vicit & ſpoliavit, inferorum portas confregit, & viam ad cœleſte regnum aperuit. Proinde recte ſcribit Paulus: *factus eſt primus homo Adam in animam viventem: noviſſimus autem in ſpiritum vivificantem. Sed non prius quod ſpirituale; ſed quod animale, deinde quod ſpirituale. Primus homo de terra terrenus: ſecundus homo de cœlo cœleſtis. Sicut igitur portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœleſtis.* Jam vero his præliabatis, ad inſtitutum revertor, quod leviter, & curſim abſolvere cogimur, quippe qui propoſitæ brevitatis modum jam exceſſimus, pauca tamen addemus, ne penitus quod de prædicationibus paſſionis Chriſti dicere cœpimus præteriiſſe videamur.

Joan. 1. *2. Cor. 15.*

Primus itaque nobis occurrit Abel innocens: hic profecto a fratre Cain injuriam paſſus, & occiſus, Chriſtum a Judæis paſſurum mortem indicabat. Quid aliud promiſſio Abrahæ facta: *in ſemine tuo benedicentur omnes gentes*, promittebat, quam Chriſtum per paſſionem ſuam gentibus benedictionem ſuam largiturum? Quid aliud incerta illa litera ה he. nominis divini ad tetragrammatum nominibus creaturarum Abrahæ & Saræ, quam filii Dei incarnationem ad hominum ſalutem inſinuabat? Nam, qui dicebatur, Abram, pater excelſus, a Deo vocatus eſt Abraham, pater multarum gentium. Et quæ appellabatur Sarai, domina mea, nuncupata eſt Sarah, domina, adjectione literæ he nominis divini, & ineffabilis. Quid aliud Melchiſedech ſacerdos Dei altiſſimi, panem & vinum offerens, prædicebat, quam Chriſtum verum ſacerdotem, daturum ſub ſpecie panis & vini ſuum corpus & ſanguinem, in perpetuam ſuæ paſſionis memoriam? Quemadmodum ipſe teſtatur dicens: *hoc facite in meam commemorationem.* Et Paulus ſcribit, *quotieſcumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem domini annunciabitis donec veniat.* Quem alium Iſaac deferens ligna ad holocauſtum deſignabat, quam Chriſtum crucem in qua pateretur delaturum? Quid aliud venditio Joſeph a fratribus figurabat, niſi Chriſti venditionem a Juda, & traditionem in manibus perſequentium futuram deſignabat? Evidentius certe nihil dici poteſt de futura Chriſti paſſione, quam quod prophetavit Jacob dicens: *Lavabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine uvæ pallium ſuum.* Benedictio quoque illa, qua benedixit Jacob ſigno crucis expreſſo, a commutatis manibus filios Joſeph, Manaſſe, & Ephraim, & in filios adoptavit, quid aliud deſignabat, quam nos, crucis Chriſti merito, in filios Dei adoptari?

Gene. 4. *Gene. 22.*

Hæc certe pauca ex libro Geneſeos deſumpta, manifeſte futuram Chriſti paſſionem prænunciarunt. Operis profecto eſt immenſi, ſi vellemus ſigillatim referre, quæ in aliis Moyſi libris de Chriſti paſſione prædicta ſunt. Proinde ex libro Exodi, unum tantum proferemus teſtimonium de ſanguine agni paſchalis, quo liberati ſunt filii Iſrael ab exterminatore Ægyptiorum primogenita interficiente: Quandoquidem notiſſimum eſt hunc ſanguinem, & agnum Chriſtum, verum Dei agnum, ſignificaſſe ſuo ſanguine fideles a diabolo liberaturum. Quid, quæſo, liber Leviticus, ſacrificiorum ritum continens aliud promittebat, quam Chriſtum verum ſacerdotem, hoſtiam ſui corporis pro populi ſalute oblaturum? Quid in libro Numerorum ſerpens æneus, quem Moyſes jubente domino erexit in deſerto, ad ſanitatem percuſſorum a ſerpentibus præmonſtrabat, quam Chriſtum in cruce erigendum ad peccatorum ſalutem? Quemadmodum ipſemet Chriſtus teſtatur dicens: *Sicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in eum non pereat: ſed habeat vitam æternam.* Hæc pentateucho paucula dixiſſe ſufficiat, quibus Chriſtus evidenter paſſurus pro mundi ſalute prædicitur.

Exo. 12. *Num. 21.* *Joan. 3.*

Nunc ad librum pſalmorum convolamus, in quo non ſolum paſſurus prædicitur, ſed & patiens quidem introducitur, ex quo, ut brevitati ſtudeamus, tres pſalmos tantum proferemus. Imprimis pſalmum 108. de proditione Judæ, & Judæorum conſilio contra Chriſtum, ac eorumdem pœna, qui continet triginta verſus, & triginta maledictiones, in pœnam triginta argenteorum, quos Judas ex Chriſti venditione acceperat a Judæis: Ita enim Chriſtus loqui introducitur: *Deus laudem meam ne tacueris: quia os peccatoris, & os doloſi ſuper me apertum eſt*, ſcilicet Judæ. *Locuti*

Pſal. 108.

ANNO CHRISTI 1563.

ſunt

ANNO CHRISTI 1563.

sunt Judæi & principes sacerdotum cum Juda *linguâ dolosâ, & sermonibus odii circumdederunt me, & expugnaverunt me gratis. Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi: ego autem orabam, & posuerunt adversum me mala pro bonis, & odium pro dilectione mea. Constitue* super eum Judam *peccatorem, & diabolus stet a dextris ejus.* Nam si diligenter evangelistas legamus, ter satanas in Judam ingressus invenitur: in proposito, in perseverantia, in actu traditionis Christi. *Cum judicatur, exeat condemnatus, & oratio ejus fiat in peccatum*: quod certe accidit Judæ dicenti principibus sacerdotum, *peccavi, tradens sanguinem justum. Qui responderunt: quid ad nos? Tu videris. Tunc Judas projectis triginta argenteis in templo, abiens, laqueo se suspendit*, cujus finem vitæ brevem prædicit dicens: *Fiant dies ejus pauci, & episcopatum ejus accipiat alter.* Act. 1. Matthias scilicet, qui in locum Judæ demortui subrogatus est, ut constat ex primo capite actuum apostolorum: *fiant filii ejus orphani, & uxor ejus vidua. Nutantes transferantur filii ejus, & mendicent: ejiciantur de habitationibus suis. Scrutetur fœnerator omnem substantiam ejus, & diripiant alieni labores ejus. Non sit illi adjutor, nec sit qui misereatur pupillis ejus. Fiant nati ejus in interitum, in generatione una deleatur nomen ejus. In memoriam redeat iniquitas patrum ejus in conspectu domini, & peccatum matris ejus non deleatur. Fiant contra dominum semper, & dispereat de terra memoria eorum*: pro eo quod *non est recordatus facere misericordiam, Et persecutus est hominem inopem & mendicum, & compunctum corde mortificare. Et dilexit maledictionem, & veniet ei: & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo. Et induit maledictionem sicut vestimentum, & intravit sicut aqua in interiora ejus, & sicut oleum in ossibus ejus. Fiat ei sicut vestimentum, quo operitur: & sicut zona, qua semper præcingitur.* Hoc opus, & merces, *eorum, qui detrahunt mihi, apud dominum, & qui loquuntur mala*, ait Christus, *adversus animam meam.* Qui diligenter hæc mala enumeraverit, in prædictis versibus, triginta comperiet, in pœnam triginta argenteorum, si quis velit scire pretium argentei, dicimus valere argenteum quatuordecim asses, & ob id triginta argenteos valere unam & viginti libras Turonenses.

Quæ reliqua sunt hujus psalmi prætermitto, ut ad alium percurram, in quo passio Christi ab evangelistis descripta plane conspicitur, & Christus patiens introducitur hæc dicere. *Deus, Deus meus respice in me, quare me dereliquisti?* Psal. 21. Hebraica veritas non legit, respice in me: sed quemadmodum referunt evangelistæ Christum dixisse, *Eli, Eli lamasabathani*, hoc est, *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? longe a salute mea verba & facta delictorum meorum*, quæ suscepi pro redemptione hominum, pro qua me pati mortem oportet, ob id: *Deus meus clamabo per diem, & non exaudies, & nocte*, Mar. 84. sive per noctem, *& non ad insipientiam mihi*, dicendo, *Abba pater, omnia tibi possibilia* Matth. 26. *sunt, transfer calicem hunc a me: sed non quod ego volo, sed quod tu. Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste: verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Fiduciam in Deo ostendit dicens: *Tu autem in sancto habitas laus Israel. In te speraverunt patres nostri, speraverunt, & liberasti eos. Ad te clamaverunt, & salvi facti sunt: in te speraverunt, & non sunt confusi. Ego autem sum*, reputatus, *vermis, & non homo: opprobrium hominum, & abjectio plebis. Omnes videntes me, deriserunt me, locuti sunt labiis, & movérunt caput*, dicentes: *Speravit in domino, eripiat eum, salvum faciat eum, quoniam vult eum. Quoniam tu es, qui extraxisti me de ventre: spes mea ab uberibus matris meæ, in te projectus sum ex utero. De ventre matris meæ, Deus meus es tu: ne discesseris a me. Quoniam tribulatio proxima est, quoniam non est qui adjuvet. Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me*, sacerdotes, & scribæ, & Pharisæi, vitulis & tauris ferociores. *Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens & rugiens*, dicentes: *Tolle, tolle, crucifige eum. Sicut aqua effusus sum*, & sanguis meus: *& dispersa sunt omnia ossa mea*, deficiente sanguine. *Factum est cor meum tanquam cera liquescens, in medio ventris mei. Aruit tanquam testa virtus mea*, ob sanguinis effusionem: *& lingua mea* præ siti *adhæsit faucibus meis, & in pulverem mortis deduxisti me. Quoniam circumdederunt me* tanquam feram *canes multi*, tam Judæi, quam Gentiles, *concilium malignantium obsedit me. Foderunt* clavis *manus meas & pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea. Ipsi vero conspiciebaverunt & inspexerunt me: diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem*, milites cum crucifixissent eum. *Tu autem domine ne elongaveris auxilium tuum a me, ad defensionem meam respice. Erue a framea &* gladio improborum *Deus animam meam, & de manu canis* & Judæorum *unicam* animam *meam* derelictam. *Salva me ex ore leonis*, & Pharisæorum, *& a cornibus unicornium*, & belluis indomabilibus *humilitatem meam. Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio ecclesiæ laudabo te. Qui timetis dominum, laudate eum: universum semen Jacob, glorificate eum. Timeat eum omne semen Israel: quoniam non sprevit, neque despexit deprecationem pauperis. Nec avertit faciem suam a me, & cum clamarem ad eum, exaudivit me.*

ANNO CHRISTI 1563.

Quicumque certe vel leviter versatus est in evangelica dominicæ passionis historia, omnia hæc scit impleta fuisse in Christo, quemadmodum & ea quæ psalmo sexagesimo octavo legimus ad hunc modum dicere Christum ad Deum patrem in passionis tempore: *Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ* tristitiæ & tribulationum *usque ad animam meam. Tristis est enim anima mea usque ad mortem. Sustinete hic, & vigilate mecum. Infixus sum in limo profundi* dolorum, & Matt. 26. 38. *non est substantia*, nec stabilitas. *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me. Laboravi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ: defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum. Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis. Confortati sunt qui persecuti sunt me inimici mei injuste, quæ non rapui tunc exolvebam. Deus tu scis insipientiam meam* & passionem, *& delicta mea* quæ peccatorum nomine suscepi, *a te non sunt abscondita. Non erubescant*, ob mortem meam, *in me, qui expectant te domine, domine virtutum. Non confundantur*, nec offendantur in cruce mea *super me, qui quærunt te Deus Israel. Quoniam propter te*, & te volente, *sustinui opprobrium* passionum & crucis: *operuit confusio* sputorum *faciem meam. Extraneus factus sum fratribus meis* Judæis & discipulis, *& peregrinus filiis matris meæ* synagogæ. *Quoniam zelus domus tuæ comedit me, & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me. Et operui in jejunio animam meam, & factum est in opprobrium mihi. Et posui vestimentum meum cilicium, & factus sum*

ANNO CHRISTI 1563.

sum illis in parabolam. Adversum me loquebantur A *judices, qui sedebant in porta, in me psallebant cantilenas, qui bibebant vinum. Ego vero orationem meam ad te domine* direxi, *tempus beneplaciti Deus. Exaudi me domine, quoniam benigna est misericordia tua: secundum multitudinem miserationum tuarum respice me. Et ne avertas faciem tuam a puero tuo: quoniam tribulor, velociter exaudi me. Intende animæ meæ, & libera eam, propter inimicos meos eripe me. Tu scis improperium & confusionem meam, & reverentiam meam: in conspectu tuo sunt omnes qui tribulant me, improperium expectavit cor meum & miseriam. Et sustinui qui simul contristaretur, & non fuit: & qui consolaretur, & non inveni. Et dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto. Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum & in retributiones, & in scandalum. Obscurentur oculi eorum ne videant, & dorsum eorum semper incurva. Effunde super eos iram tuam, & furor iræ tuæ comprehendat eos. Fiat habitatio eorum deserta, & in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet. Quoniam quem tu percussisti persecuti sunt, & super dolorem vulnerum meorum addiderunt. Appone iniquitatem super iniquitatem eorum, & non intrent in justitiam tuam. Deleantur de libro viventium, & cum justis non scribantur.* B

De cibo & potu, quem antequam pateretur in cruce Christus obtulerunt, Sibylla etiam futurum prædixit dicens. C

Sibylla. Εἰς δὲ τὸ βρῶμα χολὴν κ' εἰς δίψαν ὄξος ἔδωκαν.
Τῆς ἀφιλοξενίης ταύτῃ δείξασι τράπεζαν.

In cibum autem fel, & in sitim acetum dabunt. Inhospitalitatis hanc monstrabunt mensam. Et alia Sibylla Judæam gentem his verbis increpat.

Sibylla. Αὐτὴ σὺ γὰρ ἄφρων θεὸν οὐκ ἐνόησας.
Παίζοντ' ἐν φρεσὶ μύθοις, ἀλλὰ γ' ἀκάνθας
Ἐσθλὰς στεφάνῳ, φοβερὸν τε χολὴν ἐκέρασας.

Ipsa enim stulta Deum tuum non cognovisti ludentem mortalibus cogitationibus, sed spinis coronasti corona, horridumque fel miscuisti. Multo plures libenter proferrem psalmos futuræ passioni Christi prænuncios, quos ob temporis angustias silentio præterire cogor: vos tamen supplex rogo, psalmum quinquagesimum octavum legatis. Ex hoc enim plane cognoscetis, Judæos in pœnam criminis in Christum commissi vagabundos fore, nec interficiendos, sed in fine mundi convertendos. *Convertentur*, inquit, *ad vesperam, & famem patientur ut canes, & circuibunt civitatem. Ecce loquentur in ore suo, & gladius in labiis eorum*, dicentium, *sanguis ejus super nos, & super filios nostros*, quoniam quis audivit? *Disperge illos in virtute tua, & dispone eos protector meus domine. Deus ostendit mihi super inimicos meos. Ne occidas eos: neque obliviscantur populi mei.* Quæ tormenta sunt passi propter Christi mortem, qui vult perfectius intelligere, Josephum legat de bello Judaico libro sexto, & Hegesippum de excidio Hierosolymitano libro quinto, qui desolationi Hierosolymitanæ interfuerunt, & eamdem descripserunt. D E

Psalm. 58.

Josephus, Hegesippus.

Ad prophetas nunc properamus, a quibus futuram passionem Christi prædictam discimus. Isaias siquidem hujus rei amplissimus est testis, ex quo tantum duo assumemus testimonia, in hujus nostri instituti confirmationem. Dicit enim in persona Christi: *Dominus Deus aperuit mihi aurem, ut scirem quæ ventura erant super me. Ego autem non contradico, retrorsum non abii, corpus*

Isaiæ 56.

ANNO CHRISTI 1563.

meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus: Faciem meam non averti ab increpantibus & conspuentibus. Dominus Deus auxiliator meus: ideo non sum confusus. Ideo posui faciem meam, ut petram durissimam, & scio quia non confundar. Juxta est, qui justificat me, quis contradicet mihi? Hæc eadem Sibylla prædixit dicens.

Εἰς ἀνόμων χεῖρας, ᾗ ἄπιστον ὑσερὸν ἥξει.
Δώσουσι δὲ θεῷ ῥαπίσματα χερσὶν ἀνάγνοις,
Καὶ σόμασιν μιαροῖσιν πτύσματα φαρμακόεντα.
Δώσει δ' εἰς μέσιγας ἁπλῶς ἀγνὸν τότε νῶτον.

hoc est.

In manus iniquorum, & infidelium postea veniet. Dabunt Deo alapas manibus inceptis. Et faucibus immundis expuent salivas virulentas. Dabit autem ad verbera simpliciter innocens tunc dorsum. Sibylla.

Idem Isaias manifestius Christi passionem descripsit, dicens: *Quis credidit auditui nostro? Et brachium domini, cui revelatum est? & ascendet, sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti. Non est species ei, neque decor. Et vidimus eum, & non erat aspectus: & desideravimus eum, despectum, & novissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem, & quasi absconditus vultus ejus & despectus: Unde nec reputavimus eum. Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit, & nos reputavimus eum quasi leprosum, & percussum a Deo, & humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Disciplina pacis nostræ super eum: & livore ejus sanati sumus. Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit. Et posuit dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Oblatus est quia ipse voluit, & non aperuit os suum. Sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum. De angustia, & de judicio sublatus est. Generationem ejus quis enarrabit? Quia abscissus est de terra viventium. Propter scelus populi mei percussi eum. Et dabit impios pro sepultura, & divitem pro morte sua: eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus. Et dominus voluit conterere eum in infirmitate. Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, & voluntas domini in manu eius dirigetur. Pro eo quod laboravit anima ejus, videbit, & saturabitur. In scientia sua justificabit ipse justus servos meos multos, & iniquitates eorum ipse portabit. Ideo dispertiam eos plurimos, & fortium dividet spolia, pro eo, quod tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis reputatus est. Et ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogavit.* Sibylla eadem prædixit, dicens:

Isaiæ 53.

Οἰκτρὸν, ἄτιμον, ἄμορφος, ὃν οἱ κτροὶς ἐλπίδα δώσει.

id est.

Miserabilis, ignominiosus, deformis in miserabilibus spem dabit.

Καὶ κολαζόμενος σιγήσει μήτις ἐπιγνῷ.
Τίς λόγος, ἢ πόθεν ἦλθεν, ἵνα φθιμένοισι λαλήσῃ,
Καὶ στέφανον φορέσει ἀκάνθινον.

hoc est.

Et colaphos accipiens tacebit, ne quis agnoscat. Quod verbum, & unde venit ut mortuis loquatur. Et coronam portabit spineam.

Ceterum accipite quid propheticus sermo de Christi passione per Hieremiam pronunciaverit, qui conjurationem Judæorum contra Christum prædixit, dicens: *Quid est quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa? Numquid carnes*

Hiere. 11.

ANNO CHRISTI 1563.

ſancta auferent a te malitias tuas, in quibus gloriata es? Subditur. *Tu domine demonſtraſti mihi, & cognovi: tu oſtendiſti mihi ſtudia eorum, & ego quaſi agnus manſuetus qui portatur ad victimam, & non cognovi, quia cogitaverunt ſuper me conſilia, dicentes: Mittamus lignum in panem ejus*, & crucem in corpus ejus, *& eradamus eum de terra viventium, & nomen ejus non memoretur amplius. Tu autem domine ſabaoth, qui judicas juſte, & probas renes, & corda: videam ultionem tuam ex eis; Tibi enim revelavi cauſam meam.* Ezechiel propheta Chriſti crucem aperte præſignavit, qui & virtutem ejus deſcripſit dicens: *Dixit dominus ad virum indutum lineis, tranſi per mediam civitatem, in medio Hieruſalem, & ſigna Thau ſuper frontes virorum gementium & dolentium ſuper cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio ejus & viris habentibus vaſa interitus dixit audiente me: Tranſite per civitatem ſequentes eum, & percutite, non parcat oculus veſter, neque miſereamini: ſenem, adoleſcentulum, & virginem, parvulum, & mulieres interficite uſque ad internecionem. Omnem autem, ſuper quem videritis Thau*, ſignum crucis in fronte, *ne occidatis, & a ſanctuario meo incipite.* Ecce clare oſtendit ſigno Thau, ſignum crucis repræſentante, ſignatos in fronte a morte liberari, aliis interfectis. Quod Daniel propheta de paſſione Chriſti futura prophetiam acceperit, teſtatur id evidentiſſime, quod angelus Gabriel Danieli dixit: *Scito, & animadverte ab exitu ſermonis, ut iterum ædificetur Hieruſalem, uſque ad Chriſtum hebdomades ſeptem, & hebdomades ſexaginta duæ erunt: & rurſum ædificabitur platea, & muri in anguſtia temporum. Et poſt hebdomades ſexaginta duas occidetur Chriſtus, & non erit populus ejus, qui eum negaturus eſt, & civitatem, & ſanctuarium diſſipabit populus cum duce venturo. Et finis ejus vaſtitas, & poſt finem belli, ſtatuta deſolatio.* In his verbis prophetiæ, deſcribitur tempus futurum Chriſti venturi, & quo tempore paſſurus ſit. Septuaginta hebdomadæ conficiunt annos quadringentos nonaginta.

Ezech. 9. Servandi ſignantur. Occiduntur non ſignati. Daniel. 9. Rædificatio Hieruſalem.

Hæc ex majoribus prophetis paucula, inſtitutum de prædictionibus paſſionis Chriſti ſatis ſuperque demonſtrant. Si liceret per temporis opportunitatem, illud idem confirmarem aliorum prophetarum (quos minores appellamus) teſtimoniis: Verumtamen quia temporis habenda eſt ratio, minime convenit per ſingulos diſcurrere. Sit igitur vobis unus Zacharias propheta pro omnibus teſtis paſſionis Chriſti, qui de Chriſto loquens ait: *Tu quoque in ſanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu, in quo non eſt aqua. Et appenderunt mercedem meam triginta argenteis. Et aſpicient ad me, quem confixerunt. Et plangent eum planctu, quaſi ſuper unigenitum, & dolebunt ſuper eum, ſicut doleri ſolet in morte primogeniti. Et quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum? Et dicet, his plagatus ſum in domo eorum, qui diligebant me. Framea ſuſcitare ſuper paſtorem meum, & ſuper virum cohærentem mihi, dicit dominus exercituum. Percute paſtorem, & diſpergentur oves.* Clariſſima profecto ſunt hæc paſſionis Chriſti proloquia, a prophetis decantata. Quapropter his finem imponemus: modo prius id quod Sapientiæ capite ſecundo legimus de ea re, breviter retulerimus. *Dixerunt impii cogitantes apud ſe non recte: Circumveniamus juſtum, quoniam inutilis eſt nobis, & contrarius eſt operibus noſtris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata diſciplinæ noſtræ. Promittit ſe ſcientiam Dei habere, & filium Dei ſe nominat: factus eſt nobis in traductionem cogitationum noſtrarum. Gravis eſt nobis etiam ad videndum: quoniam diſſimilis eſt aliis vita illius, & immutatæ ſunt viæ ejus. Tanquam nugaces æſtimati ſumus ab illo, & abſtinet ſe a viis noſtris, tanquam ab immunditiis, & præfert noviſſima juſtorum, & gloriatur, patrem ſe habere Deum. Videamus ergo ſi ſermones illius veri ſunt, & tentemus, quæ ventura ſunt illi, & ſciemus quæ erunt noviſſima illius. Si enim eſt verus filius Dei, ſuſcipiet illum, & liberabit illum de manu contrariorum. Contumelia, & tormento interrogemus eum, ut ſciamus reverentiam ejus, & probemus potentiam illius. Morte turpiſſima condemnemus eum. Erit enim reſpectus ex ſermonibus ejus. Hæc cogitaverunt & erraverunt. Excæcavit enim illos malitia eorum, & neſcierunt ſacramenta Dei.* Quid his apertius dici potuit a prophetis de Chriſti morte? quæ non tam futura prædici, quam præterita narrari videntur. Paucula itaque quæ ex multis collegimus, & multo plura reliquimus brevitatis ſtudio, vos, quæſo, patres ſanctiſſimi, alacri animo ſuſcipite, ex veteri teſtamento, in teſtimonium futuræ paſſionis Chriſti.

Zach. 11. Zach. 12. Zach. 13. Zach. 12. Sapien. 2.

In novo teſtamento quaſi paſſim licet videre, & legere prædictiones, quibus Chriſtus diſertis verbis, tam Judæos, quam diſcipulos, paſſionem ſuam docuit, quas cum ſciamus vobis ſatis eſſe exploratas, ſponte prætermittimus, ut finem aliquando primo articulo imponamus, & ad ſecundum veniamus, quo oſtenſuri ſumus, ſicut promiſimus, quam neceſſaria nobis fuerit Chriſti paſſio. Porro ut nos attentius & lætius de hoc dicentes audiatis, de tertio articulo nihil prorſus dicemus. Qui de illo abunde quippiam diſcere velit, legat, quæ capite vigeſimo nono libri quarti de celebratione miſſarum nos ſcripſimus.

Qui cognovit nos omnes naſci filios iræ, & ſervos peccati & diaboli, facile intelligit, quam Chriſti paſſio fuerit nobis neceſſaria: *omnes enim peccaverunt*, ut ſcribit B. Paulus ad Romanos & *egent gloria Dei. Juſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu, quem propoſuit Deus propitiatorem per fidem, in ſanguine ipſius. Ubi itaque venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum, factum ex muliere, factum ſub lege, ut eos, qui ſub lege erant, redimeret: ut adoptionem filiorum reciperemus. Si autem filii, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti: ſi tamen compatimur, ut & conglorificemur. Non enim miſit Deus filium ſuum in mundum, ut judicet mundum: ſed ut ſalvetur mundus per ipſum. Venit enim filius hominis quærere, & ſalvum facere quod perierat. Quoniam per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum. Et ſicut in Adam omnes moriuntur: ita & in Chriſto omnes vivificabuntur. Sicut enim per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt. Uſque ad legem enim peccatum erit in mundo. Peccatum autem non imputabatur, cum lex non eſſet: ſed regnavit mors ab Adam, uſque ad Moyſen, etiam in eos, qui non peccaverunt, in ſimilitudinem prævaricationis Adæ, qui eſt forma futuri. Sed non ſicut delictum, ita & donum: Si enim unius delicto multi mortui ſunt: multo magis gratia Dei & donum, in gratia unius hominis Jeſu Chriſti, in plures abundavit. Si enim unius*

Gala. 4. Rom. 8. Luc. 19. 2. Cor. 15. Rom. 5.

delicto

ANNO CHRISTI 1463.

ANNO CHRISTI 1563.

delicto mors regnavit per unum : multo magis abundantiam gratiæ & donationis, & justitiæ accipientes in vita regnabunt, per unum Jesum Christum. Igitur sicut delictum in omnes homines in condemnationem : sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi : ita & per unius obeditionem, justi constituentur multi. Et ita factum est, ut ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia, per Hebr. 2. *Jesum Christum*, de quo alibi scribit beatus Paulus. *Eum, qui modico, quam angeli, minoratus est, videmus Jesum propter passionem mortis, gloria & honore coronatum, ut gratia Dei pro omnibus gustaret mortem. Decebat enim eum, propter quem, & per quem omnia qui multos filios in gloriam abduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummari. Qui enim sanctificat, & qui sanctificatur, ex uno omnes. Propter quam causam, non confunditur fratres eos vocare, dicens : Nunciabo nomen tuum fratribus meis : in medio ecclesiæ laudabo te.* Et iterum : *ego ero fidens in eum.* Et iterum : *ecce ego & pueri mei, quos dedisti mihi Deus. Quia ergo pueri communicaverunt carni & sanguini, & ipse similiter participavit eisdem : ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, id est, diabolum : & liberaret eos, qui timore mortis per totam obnoxii erant servituti. Nusquam enim angelos apprehendit : sed semen Abrahæ apprehendit. Unde debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret & fidelis pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi. In eo enim, in quo passus est ipse, & tentatus, potens est & eis* Joan. 3. *qui tentantur auxiliari.* Quapropter recte scribitur a beato Joanne : *In hoc apparuit filius Dei, ut dissolvat opera diaboli. Et scitis, quia ille apparuit, ut peccatum in eo non est.*

Constat itaque filium Dei, hominem factum fuisse, ut sua passione nos a peccato ac diaboli vinculis liberaret. Unde agnoscimus summam ac ineffabilem Dei caritatem erga nos, quemadmodum scribit beatus Paulus, dicens : *Ut quid enim Christus, cum adhuc infirmi essemus, secundum tempus, pro impiis mortuus est ? Vix enim pro justo quis moritur. Nam pro bono forsitan quis audeat mori ? Commendat autem caritatem suam Deus in nobis : quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est. Multo igitur magis nunc justificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum. Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo, per mortem filii ejus : multo magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius. Non solum autem, sed & gloriamur in Deo, per dominum nostrum Jesum Christum, per quem nunc reconciliationem accepimus.* 1. Petri. 3. In eamdem scribit sententiam beatus Petrus, dicens : *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo.* De 2. Joan. 4. qua caritate Dei erga nos scribit beatus Joannes : *In hoc apparuit caritas Dei in nobis, quoniam filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum. In hoc est caritas, non quasi nos dilexerimus Deum : sed quoniam ipse prior dilexit nos, & misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris.* Et proinde nos ad mutuam dilectionem, Dei exemplo hortatur, dicens : *Carissimi, si sic Deus dilexit nos, & nos debemus alterutrum diligere. Nos quoque Deum diligamus,* Ephes. 2. *quoniam & ipse prior nos dilexit* : quemadmodum etiam Paulus ait, dicens : *Deus, qui dives est in misericordia, propter nimiam caritatem suam, & quo dilexit nos, & cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos Christo, cujus gratia estis salvati, & conresuscitavit, & consedere fecit in cœlestibus, in Christo Jesu, ut ostenderet in seculis supervenientibus abundantes divitias gratiæ suæ, in bonitate super nos, in Christo Jesu.* Quapropter ad dilectionis opus excitat, dicens : *Ambulate in* Ephes. 5. *dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo, in odorem suavitatis.* Et cum subdit : *Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujusmodi : sed ut sit sancta & immaculata.* Beatus quoque Joannes scribit : *In hoc cognovimus caritatem Dei : quoniam ille animam suam pro nobis posuit : & nos debemus pro fratribus animas ponere* : Quandoquidem *majorem hac dilectionem nemo habet,* Joan. 15. *quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis* : ob id Christus se proponens in exemplum ac regulam, pastoribus ecclesiæ dicebat : *Ego sum* Idem 10. *pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. Ego sum bonus pastor, & cognosco meas, & cognoscunt me meæ : & animam meam pono pro ovibus meis. Propterea diligit me pater, quia ego pono animam meam.* Nam *sic Deus dilexit mun-* Idem 3. *dum, ut filium suum unigenitum daret : ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam aternam.*

Teneamus itaque firma ac perpetua memoria tantæ caritatis erga nos beneficinm : maxime qui agnoscimus Christum eucharistiæ institutisse sacramentum, ut nos tam dilectionis suæ quam passionis perpetuo memores efficeret. *Scimus* Rom. 8. *quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt sancti. Nam quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus : Quos autem prædestinavit, hos & vocavit : & quos vocavit, hos & justificavit : quos autem justificavit, illos & glorificavit. Quid ergo dicemus ad hæc ? Si Deus pro nobis, quis contra nos ? Quis nos separabit a caritate Dei ? Tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an persecutio, an gladius ? sicut scriptum est : Quia propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oves occisionis. Sed in his omnibus, superamus propter eum qui dilexit nos.* Et beatus Joan- 1. Joan. 2. nes scribit : *Filioli mei, hæc scribo vobis, ut non peccetis. Sed si quis peccaverit, advocatum habemus apud patrem Jesum Christum justum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris : non pro nostris autem tantum, sed etiam totius mundi.* Manifestum est Tit. 2. ergo, quod *apparuit gratia Dei salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem, & sæcularia desideria, sobrie & juste & pie vivamus in hoc sæculo, expectantes beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei, & salvatoris nostri Jesu Christi, qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* Etenim *unus est Deus, unus & mediator Dei* 1. Tim. 2. *& hominum, homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus* : quemadmodum ipsemet testatur Christus dicens : *Filius hominis* Matth. 20. *non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam redemptionem pro multis. Christus enim nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum. Quia scriptum est : Maledictus omnis qui* Galat. 3. *pendet in ligno : ut in gentibus benedictio Abrahæ*

ANNO CHRISTI 1563.

fieret in Christo Jesu, ut pollicitationem spiritus accipiamus per fidem, factus est pro nobis egenus, scribente Paulo: *Scitis gratiam domini nostri Jesu Christi: quoniam propter nos egenus factus est, cum esset dives: ut illius inopia, vos divites essetis,* factus est pro nobis peccatum, id est, oblatio pro peccato nostro, ut Deo reconciliaremur, attestante eodem Paulo: *Deus nos reconciliavit sibi per Christum. Eum enim, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit: ut nos efficeremur justitia Dei in ipso.* Eam ob rem ad Romanos scribit: *Nihil ergo nunc damnationis est iis qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulant. Lex enim spiritus vitæ in Christo Jesu, liberavit me a lege peccati & mortis. Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne, ut justificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum. Qui namque mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo? An ignoratis, fratres, quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus: Consepulti nos sumus cum illo per baptismum in mortem: ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam patris: ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul & resurrectionis erimus. Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, ut ultra non serviamus peccato. Qui enim mortuus est, justificatus est a peccato. Si autem mortui sumus cum Christo, credimus quia simul etiam vivemus cum Christo: Scientes quod Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur: Mors illi ultra non dominabitur. Quod enim mortuus est peccato (& hoc peccatum nostrum) mortuus est semel: quod autem vivit, vivit Deo. Ita & vos existimate, vos mortuos quidem esse peccato: viventes autem Deo in Christo Jesu. Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus. Sed neque exhibeatis membra vestra, arma iniquitatis peccato: sed exhibete vos Deo, tanquam ex mortuis viventes, & membra vestra arma justitiæ Deo. Peccatum enim vobis non dominetur. Non enim sub lege estis, sed sub gratia. Qui enim sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis. Quandoquidem caritas Christi urget nos, æstimantes hoc: quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est Christus: Ut & qui vivunt, jam non sibi vivant: sed ei qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit. Quare nemo sibi vivat vestrum, & nemo sibi moriatur. Sive enim vivamus, domino vivamus: sive moriamur, domino moriamur, sive ergo moriamur, sive vivamus, domini simus. In hoc enim Christus mortuus est, & resurrexit: ut & vivorum & mortuorum dominetur. Non enim estis vestri, Empti estis pretio magno: glorificate, & portate Deum in corpore vestro. Et in timore, incolatus vestri tempore, conversamini: scientes quod non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis: sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, & incontaminati. Si quidem in Christo Jesu, nos qui eramus aliquando longe, facti sumus prope in sanguine Christi: ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum, & medium parietem maceriæ solvens, inimicitias in carne sua, legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in semetipso in unum novum hominem, faciens pacem, ut reconciliet ambos in uno corpore Deo*

2. Cor. 8. Idem 5. Rom. 8. Idem 6. Galat. 5. 2. Cor. 5. Rom. 14. 1. Cor. 6. 1. Pet. 1. Ephes. 2.

A B C D E

per crucem, interficiens inimicitias in semetipso. Ob id placuit Deo in ipso omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt. Hinc factum est cum nos mortui essemus in delictis, & præputio carnis nostræ, convivificavit Deus pater cum Christo, donans nobis omnia delicta, delens quod adversus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum Christus tulit de medio, affigens illud cruci, & expolians principatus, & potestates traduxit confidenter palam triumphans illos in semetipso. Siquidem factus est primus homo Adam in animam viventem: novissimus Adam in spiritum vivificantem. Primus homo de terra terrenus: secundus homo de cœlo cœlestis. Qualis terrenus, tales & terreni: & qualis cœlestis, tales & cœlestes. Igitur sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœlestis.

Et Christum audiamus dicentem: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Debemus ergo nos infirmiores, imbecillitatem infirmorum sustinere, & non nobis placere. Unusquisque nostrum proximo suo placeat, in bonum ad ædificationem. Etenim Christus non sibi placuit, sed sicut scriptum est: Improperia improperantium tibi ceciderunt super me.* Debemus & nos benefacientes patienter sustinere injurias nobis illatas. *Hæc est gratia apud Deum, si bene facientes patienter sustinemus. In hoc enim vocati sumus: Quia & Christus passus est pro nobis, nobis relinquens exemplum, ut sequamur vestigia ejus. Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus; qui maledicebatur, non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur: tradebat autem judicanti se injuste, qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui justitiæ vivamus, cujus livore sanati sumus. Si qua igitur consolatio in Christo, si quod solatium caritatis, si quæ societas spiritus, si qua viscera miserationis, implete gaudium meum,* patres amplissimi. Nam gaudium meum illud est, ut idem sapiatis, ut eamdem caritatem habeatis, ut unanimes sitis omnes, ut idipsum & idem sentiatis, ut nihil per contentionem, neque per inanem gloriam: sed in humilitate superiores sibi invicem arbitremini, non quæ sua sunt singuli consideretis, sed ea quæ aliorum. *Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Jesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo, humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia dominus Jesus Christus in gloria est Dei patris.*

Obsecro insuper vos, patres sanctissimi, per nomen domini nostri Jesu Christi, & per passionem, & crucem ejus, quam hodie nostri causa sustinuit, *ut unum & idem dicatis omnes, non sint in vobis schismata, non audiantur inter vos contentiones.* Sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem scientia. Non detis occasionem, ut dicatur de vobis, *facta est contentio inter eos quis eorum videretur esse major,* audiatis Christum dicentem: *Quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister. Et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus: sicut filius hominis non*

ANNO CHRISTI 2563.

Coloss. 1. Idem 2. 1. Cor. 15. Matth. 16. Rom. 15. 2. Pet. 2. Philip. Ibidem. 1. Cor. 2. Luc. 22. Matth. 20.

venit

ANNO CHRISTI 1563.

venit ministrari, sed ministrare. Ego in medio vestrum sum, sicut is qui ministrat, & non qui recumbit. Firmissima est hæc Christi sententia: *Omnis qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur.* Et hæc Ecclesiastici: *Quanto major es, humilia te in omnibus, & coram Deo invenies gratiam.* Quibus sententiis structus ac admonitus summus pontifex beatus Damasus, ac hujus successores, & præsertim beatus Gregorius, se servos servorum Dei dixerunt, & usque ad nostra tempora. Sciebant quoque a beato Petro prædecessore scriptum esse: *Seniores, qui in vobis sunt, obsecro consenior & testis Christi passionum, pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum, non turpis lucri gratia, sed voluntarie: neque ut dominantes in cleris: sed forma facti gregis ex animo. Et cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcessibilem gloriæ coronam.* Abstinebimus quidem facile ab omni vanæ gloriæ appetitu, si semper mortificationem Jesu Christi in corpore nostro circumferamus, *ut & vita Jesu manifestetur in carne nostra mortali.* In nobis vivat, & loquatur Christus, in nobis non infirmetur, sed potens sit. *Nam etsi crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute.* Crucis Christi persecutionem pati nequaquam vereamur, sed cum Paulo dicamus intrepide: *Mihi absit gloriari, nisi in cruce domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Cum Paulo vere dicamus. *Nemo mihi molestus sit: Ego enim stigmata domini Jesu in corpore meo porto.* Sunt hodie, qui istud dicere possunt in hac civitate, sicut heterno die cognovimus: quos certe reprobare haud possumus, sed hos valde probamus, modo interna externis respondeant.

Valeant igitur crucis Christi adversarii, de quibus Paulus scribit ad Philippenses. *Multi ambulant, quos sæpe dicebam vobis, nunc autem & flens dico, inimicos crucis Christi, quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt.* Prætermissis itaque quam plurimis, quæ de Christi fructuosa passione dici juste possunt, ad finem propero dicendi, hoc unum subjiciens ex beato Paulo ad Hebræos: *Deponentes omne pondus, & circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta, atque in dextera sedis Dei sedet. Recogitate enim eum qui talem sustinuit a peccatoribus adversum semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini animis vestris deficientes. Nondum enim usque ad sanguinem restitistis adversum peccatum repugnantes. Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium ejus portantes. Non enim habemus hic civitatem manentem, sed futuram inquirimus. Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, fructum labiorum confitentium nomini ejus. Habentes ergo pontificem magnum, qui penetravit cœlos, Jesum filium Dei, teneamus spei nostræ confessionem. Non enim habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ ejus, ut misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno*, & dicamus omnes:

Christe, ave, spes unica,
Hoc passionis tempore:
Auge piis justitiam,
Reisque dona veniam. Amen.

Damas. ad Stephan.

1. Petr. 5.

2. Cor. 4.

2. Cor. 13.

Galat. 6.

Philip. 3.

Hebr. 12.

Idem 13.

Idem 4.

CXV.

ANNO CHRISTI 1563.

VERBA PROLATA AB ILLUSTRISSIMO domino Joanne cardinale Morono primo præsidente, & legato sacri concilii Tridentini, in ejus prima comparitione in generali congregatione die Martis XIII. Aprilis MDLXIII.

Quo in statu sit respublica Christiana, patres reverendissimi, omnibus perspicuum est. Nullus enim ignorat quanta sit religionis perturbatio, quam neglecta, imo prorsus contempta sit omnis ecclesiastica disciplina, quæ bella, quæ seditiones populorum fuerint, atque etiam nunc sint, quas clades a potentissimo ac perpetuo Christiani nominis hoste Turca superioribus annis, terra marique acceperimus, quam ingens denique periculum nobis ab ejus potentia dissidiis nostris semper immineat. Has ob causas omnibus, ut dixi, manifestas Pius IV. pontifex maximus bono consilio atque optima voluntate concilium œcumenicum in hanc civitatem convocavit, ut si fieri possit, Deo imprimis opem ferente, remedium aliquod tot malis inveniretur. Nam cum propter indignationem Dei ea nobis proculdubio eveniant: si catholicæ fidei, & veteris innocentiæ puritas revocabitur, placato Deo, & bella, & seditiones cessabunt, & imminentia cervicibus nostris pericula facilius repellentur. Congregatum est igitur hoc concilium frequens & celeberrimum, in quo sunt tot viri præstantissimi.

Adsunt duo principes cardinales, & nobilitate, & omnibus virtutibus insignes. Adsunt illustrissimi oratores, & Cæsareæ majestatis, & tot maximorum regum, liberarum civitatum, principumque ac nationum: Adsunt etiam tot præsules egregia doctrina, spectata vitæ probitate, & sapientia quadam cœlesti præditi. Nec desunt complures excellentissimi theologi, ac doctores peritissimi, omnes viri omni laude digni. Congregato autem hoc concilio, cum jam ea tractarentur, quæ ad susceptum negotium pertinere videbantur: Ecce in ipso cursu erepti sunt nobis duo prudentissimi, vereque illustrissimi cardinales, Mantuanus, & Seripandus, quorum mortem non sine magno animi dolore ad memoriam revoco: Nam etsi eos felices beatosque futuros esse existimem, quia scriptum est: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur*: doleo tamen, & reipublicæ causa, quæ eorum opera his temporibus maxime indigebat, & mea. Nam utrique eorum familiaritate ac necessitudine conjunctus eram. Accepto nuncio tam acerbo mortis illustrissimi Mantuani summus pontifex cum sacro cardinalium cœtu, me & virtute, & ceteris omnibus rebus longe inferiorem illi suffecit: adjunxitque ad hanc legationem conciliarem reverendissimum cardinalem Navagerium, virum multa eruditione & prudentia clarum. Vere dicam, patres, quantam licuit, quantum potui, hoc onus recusavi, ejus gravitatem, & virium mearum imbecillitatem reformidans. Sed quid? Hunc timorem vincit obedientiæ necessitas. Parendum fuit vicario Christi, qui Petro, & ejus successoribus oves suas pascendas, regendasque commendavit. Huc igitur jussus veni. Ad Cæsaream quidem majestatem nunc profecturus: sed mox, Deo dante, inde reversurus: ut cum illustrissimis collegis, ac dominis meis legatis, ea quæ ad salutem populorum, ad ecclesiæ splendorem, ad Christi

Apoc. 14.

ANNO CHRISTI 1563.

gloriam illustrandam pertinent, una vobiscum agam.

Ac ut cetera desint, duo certe præcipue mecum affero. Alterum optimam voluntatem summi pontificis certam & exploratam, qui nihil magis optat, nihil æque curat, quam ut doctrina fidei ab hæresibus repurgetur: mores corrupti emendentur: abusus tollantur, commodis ac necessitatibus provinciarum, quæ olim maxima pietate floruerunt, consulatur: Pax denique & unio etiam cum adversariis omnibus quantum fieri poterit, salva pietate, atque apostolicæ sedis dignitate constituatur. Alterum quod affero, est huic non dissimile, propensam voluntatem meam ad ea peragenda (Deo adjuvante) quæ sanctitas sua verbo præcepit. In hoc enim omne ingenium meum, quamvis perexiguum, omnem operam, & industriam collocabo, quæ res quantum fructum sint allaturæ, patres sapientissimi, in manu vestra situm est. Nam prudentia vestra, doctrina vestra, auctoritate etiam vestra hoc concilium ad bonum & optatum finem perduci poterit. Quamobrem vos, patres, omni honore digni hortor, & per Deum immortalem obtestor, ut remotis contentionibus atque discordiis, quæ magnum orbi Christiano offendiculum præbent, remotis quæstionibus inutilibus, quæ non ad ædificationem fidei, sed potius ad subversionem audientium, ad tempus frustra conterendum faciunt, ea serio, ac sedulo agatis, quæ maxime necessaria sunt: illud diligenter attendentes, ne scientiæ vento, cum inter vos sint tot doctissimi viri, ab humilitatis portu ejiciamini. In hoc enim negocio Dei, multa opus est prece, maxima humilitate, quia *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*: quod si humiles, unanimes, ac concordes fueritis, duce Spiritu sancto, omnia bene & recte perficietis, fructum uberrimum ecclesia Dei ex tot periculis, longis itineribus, laboribus & impensis vestris percipiet. Et vos lumen quoddam magnum, & clarissimum scientiæ, & doctrinæ accendetis, atque in alto collocabitis. Ad quod non solum ii qui nunc vivunt, sed etiam posteri cursum vitæ dirigentes, tutissimum salutis portum facillime tenebunt: Deus autem propter vos maxime laudabitur, & glorificabitur, & vos ejusdem laudis participes eritis in hac vita, & post hanc vitam, gloriam immortalitatis immarcescibilem percipietis.

Jac. 4. 2. Petr. 5.

CXVI.

CONCIO R. PATRIS MAGISTRI *Christophori Sanctotisii, Hispani, Burgensis, ordinis eremitarum divi Augustini. De signis veræ ecclesiæ agnoscendæ, habita ad sacrosanctam œcumenicam synodum Tridentinam, dominica tertia quadragesimæ* MDLXIII.

QUOTIES mecum tacitus hujus nostri sæculi calamitosa tempora recolo, illustrissimi sedis apostolicæ legati, oratores clarissimi, animarum pastores vigilantissimi: quoties serpentis antiqui aspectum pernicioſum, virulentumque afflatum, qui universas pene Christiani orbis provincias infecit, perpendo, videre videor illorum temporum miserrimam faciem, quibus ante felicissimum Christi adventum, immanis ille totius humanæ naturæ hostis, atque inimicus, totum orbem per tyrannidem invaserat, mortuam redivivam apparere. Videre, inquam, videor idipsum inimicum acriter sævientem, atque eo acrius, quo est citius tyrannicum ejus imperium, nostris cervicibus excutiendum. Quis non animadvertat calamitates, cædes, & clades, quibus universum orbem involvit? quis non consideret nullum pene orbis tractum esse, in quo non Sinon incendia jactet? in quo non omnia versa, labefactata, & propemodum extincta sint? Omnia pene divina humanaque jura sublata, pietas exposa, religio commaculata, sacramenta convulsa, ecclesiæ sanctissimi pastores, non ejecti, sed trucidati, templa augustissima, æraque sacratissimæ, non diruta, sed sanguine madentes, spectantur. Et quod omnium est longe gravissimum, tot animarum deplorandam adeo evastationem quis non uberrimis lacrymis prosequatur? Quis si tempora temporibus conferat, non judicet hæc nostra perinde lugenda, atque illa quibus tyrannus per totum terrarum orbem longe lateque dominabatur?

ANNO CHRISTI 1563. *Apoc. 11. 6.*

Verum sicut patres illi prisci, ea unica expectatione, damna omnia levius ferebant, quod brevi adfuturum sperarent diri tyranni vindicem, atque ultorem Christum: ita etiam orbis, qui dæmonis tyrannidem experitur, (quæ novis quotidie accessionibus augetur, atque invalescit) in hoc tamen uno spem omnem defixit suam, cogendam nimirum fore aliquando sacrosanctam, œcumenicam synodum, cujus insuperabili virtute ac potentia, universa dæmonum stratagemata, atque hæreticorum machinamenta superanda & evertenda essent. Quod tanto desiderio efflagitabant omnes, quod unum ad teterrimam pestem, per totum terrarum orbem pervagatam superarat remedium id primum divino consilio, deinde sanctissimi pontificis Pii IV. pietate, studio, ac diligentia, ultro oblatum est. Affulsit jam tempus illud diu a nobis exoptatum, quo divino præsidio ac vestro, sanctissimi patres, studio, & diligentia hostes devincentur, dæmones expellentur, scissaque dogmata resarcientur, Sicut namque Christus humanam induens naturam tyrannum superavit, ac de eo glorioſissimam victoriam, triumphumque præclarum reportavit: pari quoque modo sponsa ipsius ecclesia in unum congregata, dæmonum viribus superatis, hæreticorumque dogmatibus ejectis, triumphum præclarum, nobisque summe necessarium relatura est. Qua de re, patres sanctissimi, duo in hac oratione dicenda suscepi. Principio dæmonis in stabilienda sua ecclesia summum studium ostendam. Secundo, quatuor signa primarie, quibus vera a falsa, legitima ab adulterina internoscenda est ecclesia, ex ipsius hodierni evangelii contextu deprompta, ob oculos ponemus. Vos, patres amplissimi, pro humanitate vestra quæ summa est, oro atque obtestor, ut me dum hæc persequor, benigne & attente audiatis, futurum spero, ut hac humanitate recreatus, suscepti muneris magnitudini, cui me imparem agnosco, aliqua ex parte satisfaciam.

Cum ab orbe condito, serpentis antiqui studium id fuerit, ut novum sibi populum, novum regnum, novamque ecclesiam erigeret, atque exædificaret: ubi princeps sceptrum & clavum tenens, edicta observanda daret: ac tanquam orbis supremus imperator, debitum sibi tributum ab omnibus acciperet: denique uti Deo, summum honorem, & cultum, cunctique mortales, immortales-

ANNO CHRISTI 1563.

talesque impenderent : nihil eorum quæ ad divinos pertinere possent honores, omisit. Intuitus fuerat initio Deum, thronum, solumque illud supremum occupantem : unde nimium sibi indulgens, ac luce propria delectatus, in Dei neglectum prolapsus est, thronumque suum super astra locandum, & divinum sibi honorem decernendum cupivit. *Ascendam*, inquit, *in cœlum, & super astra Dei exaltabo solium meum, & similis ero altissimo*. Sed falsus opinione sua (neque enim in cœlo inexhaustæ, effrenataque ipsius ambitioni locus erat) alia via terrarum orbem aggressus est. Probe noverat princeps ille tenebrarum, hominem humo a Deo excitatum, maximis beneficiis ornatum, ut quamvis gravi illa corporis mole constaret, in cœlitum numerum, si divinæ legi obtemperaret, adscriberetur. Ne itaque in ejus locum surrogaretur, quo se dejectum sciebat, internecinum in hominem exercens odium, illius interimendi, ac funditus evertendi consilium cœpit. Ut quem Deus præcepto in officio continere statuerat, in sua castra inobedientia persuasa, pertraheret. Vidit, Deum leges imposuisse, leges & ipse tulit: sacrificiis coli, & placari solere, ipse sibi cultores invenit, qui teterrimas etiam crudelitatis cæremonias edere non dubitarent: ita ut frequentissime humano sanguine aras imbuerent. Rhodii, qui propter doctrinam in Minervæ tutela esse credebantur, hominem Saturno sacris anniversariis immolabant. Et Græci ferme omnes piaculum credebant, si antequam in aciem prodirent, non humana cæde aras atque rempla funestarent. Romani licet raro, aliquando tamen humanis hostiis, Deos placandos esse statuebant. Ut hic Scythicam illam Dianam, numquam crudelitate satiatam, & alia sæva numina prætermittam: Satis constat Phœniciæ principes in magnis reipublicæ calamitatibus, solere unum ex liberis quem haberent cariſſimum, ut hostiam jugulare. In Syria parentes omni pietate repudiata liberos suos igni consecrabant. Sed quid moror recensendo ea sacra, quæ dæmonum impulsu in cæde, & sanguine versabantur, cum historiæ pene nihil præter nefaria sacrisitia sonent? Agnovit item satan Deum per angelos, & prophetas gentes sæpe allocutum, quibus internunciis de ipsius voluntate fierent certiores: ipse similiter per idola responsa dedit. Atque hoc quidem nomine in multis orbis partibus celeberrima Deorum templa, (quæ recensere longum esset) erexit, quo fere omnes certatim ut ad præsentissimum numen confugiebant. Colebant & in maxima veneratione habebantur vates, ac divinatores, quibus hæc arcana communicari credebant. Erat apud gentes celebre quoddam hominum genus ob hanc ipsam cum diis immortalibus consuetudinem. Apud Gallos Druydæ, apud Chaldæos Magi, apud Indos Brachmanes, qui omnes mendaciorum magistri, ad vanissimum quodque, adeoque impurissimum superstitionis genus eas excitabant, & hortabantur. Hujusmodi prophetas illis demandavit, qui suam ecclesiam propagarent.

Isai. 14.

Sed ne externa gentium, barbararumque nationum referendo sermonem protrahamus, ad artes quas satan hoc infelicissimo ævo exercet, attingendo potius, quam explicando, reliquum orationis decursum, convertamus. Novum sapientia divina ecclesiæ restaurandæ modum excogitarat, ut veniente Filio Dei quem caput super omnem ecclesiam constitutum testatur Paulus, ea unitate illam sibi copularet, qua præclaro affecti benefi-

Ephes. 1. *1. Joan.* 3.

cio, filii Dei & nominarentur, & essent. Quamvis sint diversæ nationes, sanguine disjunctæ, conditione dispares, locis segregatæ, ac longe inter se dissitæ: posteaquam tamen in unitate fidei congregatæ sunt, ut sub Christo imperatore militent, omnes repente eo agnationis, & propinquitatis vinculo astringuntur, ut ad quemdam divinitatis gradum, atque amplitudinem, quo immortalem Deum, patrem nominare possint, accedant. Quis oratione tantum beneficium complecti, aut mente concipere poterit? Quis agnationem filiorum Dei, ab ipso filio partam, suoque sanguine contestatam, & a patre supremo consignatam dissolvere audebit? At veterator ille ecclesiæ Dei oppugnator, novum hunc ecclesiæ reparandæ modum considerans, nova & ipse stratagemata commentatus est, quibus Dei ecclesiam quoad ejus fieri posset, vastaret, atque erueret: suamque majoribus incrementis reficeret, & instauraret. Omissas faciamus barbaras nationes, majorem partem orbis occupantes, quas dilatato imperio tyrannus possidet, ac gubernat. Omittamus quoque peccatorum myriades, quas ipse in ecclesiæ castris fovet, & alit.

Videamus tamen quibus artibus in hoc Christianitatis angulo, suum dilataverit imperium. Si conferamus caput capiti, propagandi modum propagationis studio, incrementa nostræ incrementis ipsius: quid non invenire licet eorum, quæ in catholica gesta sunt ecclesia, ab ipso satana effigiatum, atque expressum? Adeo quidem ut quamplurimi veritatis similitudine delusi, in fœdissimam errorum sentinam misere prolapsi fuerint. Animum advertite, patres, modum stupendum, (miraculum potius dixerim) haud satis pro dignitate celebratum: quo Deus universum orbem ad suam fidem vocavit. Non ut tantæ molis & magnitudinis opus fabricaret, magistros omni disciplinarum genere instructos, adscivit: sed duodecim ignobiles, indoctos, non humanæ sapientiæ verbis inflatos, sed Spiritu sancto afflatos: non armis corporeis munitos, sed verbi Dei gladio armatos: non copiis undique ære collectis, sed nudos, despectos, omnique humano destitutos præsidio. Atque hi quidem tanto animi robore orbem aggressi sunt, ut brevi pene totum Christi fide compleverint. Adeo sane ut de dæmonibus, de deorum statuis, de ipsis principibus atque summis philosophis mundi doctoribus parta victoria: nihil præter Christum, & hunc crucifixum, aut audiretur, aut coleretur. Et ut hanc fidem perpetuo contestatam nobis relinquerent, non dubitarunt sese in cædem, & flammam ultro & libenter objicere. Tyranni cruciatus, verbera, cruces, uncos, & inaudita tormentorum genera, necem denique eis constituebant: quo sanctissimæ religionis memoriam, ex eorum, & omnium animis delerent: nullis tamen neque minis, neque terroribus, nec exquisitissimis suppliciis, Christiana virtus frangi aut debilitari potuit. Cumque terrores, atque adeo tormenta deficerent: illi tamen Heroes invicti, in eadem semper mentis constantia permanserunt. O virtus animi eximia. O caritas quavis firma acie insuperabilior. Quid jam magnificentius dici, aut animo concipi potest? Non modo primorum fundatorum sanguine, præclarum hoc ecclesiæ semen irrigatum excrevit: verum in dies altius radices agens, martyrum sanguine profuso, ita est corroboratum, ut nullo quantumvis validissimo tempestatis impetu concussum, commoveri aut agitari posse videretur.

Verum enimvero satan hac unica arte, ecclesiam

ANNO CHRISTI 1563.

ANNO CHRISTI 1563.

siam suam deletam, sua templa, arasque dejectas, & jam Saturni, Jovis, Martis, cæterorumque deorum statuas prostratas animadvertens, suam tyrannidem excussam, fallaciam patefactam, superbiam compressam, suas denique vires propemodum confractas: non tamen ob id animum despondens, aut ab instituto, semelque concepta nequitia, desistens, novos & ipse sibi apostolos instituens, per universum orbem demandavit: ut Christi fidem abolendam, suosque errores inserendos, summa animi contentione curarent. Quid quæso sunt aliud novorum dogmatum assertores, quam pseudoapostoli? testatur id vas electionis Paulus, cum inquit: Hujusmodi pseudoapostoli sunt operarii subdoli, transfigurantes se in apostolos Christi, & non mirum: ipse enim satanas transfigurat se in angelum lucis.

2. Cor. 11.

Non est ergo, inquit, magnum, si ministri ejus transfigurentur velut ministri justitiæ, quorum finis erit secundum opera ipsorum. Quis, quæso, tantæ erit audaciæ, ne dicam dementiæ: ut in apostolum Christi sese audeat transfigurare? Hæreticus. Et qui se poterit transfigurare? Dæmonis arte instructus. Quo autem pacto? audite. Apostoli Spiritu divino afflati, nihil aut docebant, aut faciebant, quod non Spiritus sancti magisterium spiraret: (non enim ipsi erant, qui loquebantur, sed Spiritus ille sacer, qui per eos verba fundebat) Hæretici autem, a dæmone obsessi, phanatico quodam spiritu agitati, nova dogmata ab ipso dæmone potius, quam a se excogitata, passim effutiunt, quibus satan per eos verba facere facile intelligi potest. Apostoli divinæ legis exemplis, testimoniisque adductis, quam ipsi docebant veritatem, testificabantur. Pseudo vero apostoli, quid non e scripturis proferunt, quid non rimantur, quid non perlustrant? Videas illos ad singula quæque dogmata constituenda, nunc apud suos, nunc apud exteros, nunc privatim, nunc publice, nunc in concionibus, aliquando vero libris editis, nunc in compotationibus, quandoque autem in privatis colloquiis, per sacræ legis volumina, volitare. Sed nihil unquam proprio Marte proferunt, quod non etiam scripturæ verbis detortis, laceratis ac plane mutilis, impurissimi isti adumbrare conentur. Atque in libris editis (quibus isti mendaciorum consarcinatores totum propemodum complevere orbem) quæ vel minima pagina reperire potest, quæ non novi, & veteris testamenti sententiis a vero sensu detortis, fucata & colorata sit? Hujusmodi est eorum studium. Sciunt namque gravem illum, quem eorum scripta exhalant halitum, nemini emunctæ naris placere posse nisi cœlesti eloquio veluti aromate quodam condiatur. Ne qui humanum facile deprehendere errorem possunt, divino oraculo delinitum, internoscant.

Matth. 10.

Hos servator omni studio cavendos præceperat: *Attendite*, inquit, *a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium; intrinsecus autem sunt lupi rapaces. A fructibus eorum cognoscetis eos*. Qui sunt quæso hi falsi prophetæ, quam pseudo apostoli, qui eisdem vestibus quibus mansuetissimæ Christi oves induti, universum ecclesiæ gregem intrepidum, atque securum reddunt? Verum (proh dolor) lupi feri & rabidi caulas ecclesiæ semper infestantes, & gregem Christi crudeliter lacerantes sunt: qui divinæ legis sententiis, velut quibusdam velleribus obvolvuntur, ut quum lanæ mollitiem persenserint, dentium ferociam nequaquam pertimescant. Quid amplius? Sicut veri apostoli in attestationem fidei, quam per orbem disseminabant, non modo contumelia alacri, infractoque animo perferebant, verum ultro sese tormentis objiciebant: sic etiam pseudoapostoli operarii subdoli carceres, verbera, cruciatus, mortem denique ipsam imperterrito adeo atque obstinato animo perferre solent: ut eos naturam ipsam vincere, ac superare dicas, flammis etenim libenter se tradunt, cruces atque suspendia amplexantur, in mediis ipsis rogis lætitiam cantu testantur.

ANNO CHRISTI 1563.

Deus bone, quot sunt hæreticorum myriades, qui non modo in ferendis variis tormentorum generibus, sed in exoptandis ambitiosi videri volunt! Qui tanquam si pro Christi fide paterentur, ad cædes ut lautissima convivia accurrunt. Quis, cum ita sit illos non judicet a dæmone obsessos, atque misere exagitatos: qui illos jam in rogos comburendos, nunc in aquas suffocandos præcipites agit? Sed qui hosce pseudoapostolos internoscere poterimus? quis lupos prædæ inhiantes non fugiet?

Marc. 9.

Verum si lupus cum agno deposita non modo ferocia, sed effigie decumbit & pascitur, quis eum dignoscere poterit? quis eum cavebit? *A fructibus*, inquit, *eorum cognoscetis eos*: Hos ego fructus, dices, agnoscere facile non possum. Catholicæ enim ecclesiæ apostoli populum sua doctrina instituunt: pseudoapostoli idem student, Illi scripturarum testimoniis, & exemplis auctoritatem conciliant: Isti non secus auctoritatibus undique collectis, quicquid dicunt, stabilire conantur. Illi suo sanguine sibi doctrinæque suæ immortalem gloriam pepererunt: isti non aliter proprio sanguine profuso, doctrinam suis consignatam relinquunt. Illi non paucos cum excruciarentur, in fide obfirmarunt: Isti haud pauciores (ne dixerim plures) obstinatione & pertinacia animi fascinant. Si ad finem & exitum, si ad ea quæ jam oculis patent, advertamus: quis non videat apostolorum fructum, quamvis initio in immensum prope creverit, adeo quidem, ut unus Paulus a Hierusalem ad Illyricum usque evangelium propagaverit, jam quod non sine summo dolore dici potest, tam exili angustoque angulo conclusum; vix ut ecclesiæ naviculæ, portus aliquis quietus, & tutus relictus sit? At pseudoapostolorum fructus adeo excrescunt, atque limites proferunt, ut regna occupent, regionesque integras possideant. Jam Germaniam illam religione quondam & pietate florentem, horum afflatu infectam, atque contaminatam videmus. Jam Angliam universam, hujus mali participem non solum, verum hæredem non sine dolore aspicimus. Jam Christianissimam illam Galliam ruinam minantem lugemus. Jam varias nationes (quas dinumerare dolor animi non sinit) hujusmodi peste propemodum confectas lacrymis prosequimur: quæ ea sunt conditione, ut nec legibus, nec armata hominum manu, nec regum severa animadversione, in disciplinæ antiquæ confessione contineri possint. O dementes novitatum amatores, quis vos fascinavit, quis vos a veritate abduxit? quis vos veritatis magistros quondam, mendaciorum nunc discipulos effecit? Videte pericula, laqueos, ruinas, præcipitia, quæ vobis impurissimi ipsi pseudoapostoli tanto studio parant. Considerate caute, & scopulos, quibus si e tranquillo ecclesiæ portu semel solvatis, erit impingendum. Sed ex quibus ergo fructibus eos agnoscere poterimus? Cum divina illa oracula non jam

Ad. Rom. 15.

pro-

ANNO CHRISTI 1563.

proferre tantum, sed & explicare cœperint. Deus bone, quam in apertam lucem se proferunt fructus! Tunc amaritudo illa, & animi pestis detegitur, tunc novitium virus exhalatur, tunc profanæ novitates aperiuntur. Sepem scindi videas, patrum terminos transferri, catholicam fidem lædi, ecclesiastica dogmata lacerari, leges humanas atque divinas confundi, templa, aras, sacramenta, ipsum denique Deum e medio tolli. Quasi vero libertas per Christum parta, ad omne scelus, & flagitium aditum nobis patefaceret. Cum igitur animadvertamus, eos non modo hujusmodi fructus edidisse, sed & zizania jam usque adeo excrevisse, ut bonum Christianorum semen suffocatum propemodum sit: atque tantum vires auxisse, ut vi & armorum impetu, reliquum ecclesiæ angulum aggredi non vereantur. Quid miseri faciemus? quid nobis refugii erit? quo ecclesiæ filii, quam in sinum veræ matris, sese recipient? Ad te, ad te, sancta synode, filii in angustiis constituti, afflicti, atque hostium manus fugientes, unicum salutis asylum properant, ut illos a pseudoapostolis, ab hostium incursu, a dæmonum acie in sinum receptos, tuearis. Video te, sancta mater ecclesia, oculis, inquam, te video, apertis ulnis non modo frugi filios amplexantem, verum etiam obviam prodigis, ac profligatis moribus filiis prodire, ut tui in eos amoris signum, atque monumentum relinquas. Video denique te, non modo amore erga eos qui ad seniorem mentem redire volunt uti: verum magna vi, ac robore rebellante hostes opprimere, atque prosternere conari.

Matth. 13.

Luc. 16.

Verum in hoc armorum adversus satanæ studia conflictu, ut eos ab illius immani jugo ereptos, in libertatem vindices: ipsi satanæ milites, seu Pharisæi Christi virtuti insultantes, vires ac potestatem tuam mihi faciunt, alii in Belzebub principe dæmoniorum ejicere te dæmonia blasphemant. Quid enim quæso aliud hæreticorum impudentissimæ voces sonant, (ut alia nefanda omittam, quæ recensere pudet) quam tuam doctrinam, dæmoniorum doctrinam esse? Alii signis e cœlo exhibitis, virtutem, & potestatem tuam probari impudentissime cupiunt. Eo jam hæreticorum insanus furor devenit, ut semper nova signa ab ecclesia efflagitare non vereantur. Verum ut eorum impudentiam infringamus: signa quibus vera a falsa dignoscitur ecclesia, ex ipso evangelii contextu, tanquam ad Lydium lapidem examinantes, in reliquo orationis decursu ostendamus.

Medicus ille cœlestis animarum pestes veritatis cognitionem impedientes, quæ non modo in populo Judaico grassabantur: verum & in nostri hujus sæculi homines, irruptionem fecerant, divina arte curaturus: quatuor validissimis argumentis non e Platone aut Aristotele, sed ab ipsa divina sapientia promptis, omnem errorem evellere conatus est. Quibus summam illam potestatem, quam adversus dæmonum, & hæresum monstra Christus ecclesiæ sponsus habuit: ad sponsam ecclesiam devolutam esse facile ostendemus.

Primum quidem, ab ipsa rerum conditione desumptum est. Usu namque, & rerum experientia edocemur, unitatem atque concordiam rebus stabilitatem, diuturnitatem polliceri: divisionem vero, & discordiam, summis rebus validissimo etiam fundamento stabilitis, vastationem atque interitum minari. *Omne*, inquit, *regnum in seipsum divisum desolabitur, & domus supra domum cadet.* O quam latus nobis dicendi campus aperitur, si velimus, civitates, regna, imperiaque in medium adferre, quibus popularis discordia, ruinam, ac vastitatem miserabilem invexit? Quis quæso, in historiis vel tenuiter versatus, ignorare poterit Athenas, Spartam, Romam, a principibus conditas, constitutas, atque conservatas fuisse, multitudinis vero discordia vexatas, direptas, & funditus excisas? Verum ut civiles discordias, & contentiones, dominandi cæca ambitione, vel æris possidendi inexhausta cupidine, seu plebis seditiosa quadam temeritate exortas silentio prætereamus: populorum, atque nationum eversiones, & evastationes, quas circa religionem discordiæ invexerunt, breviter attingemus: ut ex iis dissensionum amatores, quam sibi stabilitatem polliceantur, facile perspiciant. Dicite mihi per Deum immortalem, unde Judaici populi ruina, unde Hierosolymorum excidium, quam ex dissensione, & sectarum diversitate exordium habuit? Tres erant apud Judæos sectarum differentiæ, Moysis & prophetarum doctrinæ repugnantes, Pharisæorum videlicet, Saducæorum & Essenorum. Tres istæ sectiones, graves adeo dissensiones, & schismata in populo Hierosolymitano excitarunt: ut Vespasiano Cæsari urbis obsidendæ ansam præbuerint. Adeo, ut de salute propria minus soliciti, cum in diversa scinderentur studia: plus damni a domestico, quam ab externo hoste acceperint. Haud secus jam res geritur in Germania, ubi non tres, ut olim in Judæa, sed infinitæ sectæ palam grassantur: cum alii Lutheri, alii Zuinglii, Anabaptistarum alii, alii Calvinistarum, Zuenchfeldianorum alii evangelium, aliaque sectarum monstra: vel ipsis etiam nominibus horribilia, amplexentur. Quid de te misera Germania, quid de ceteris regnis & provinciis, quæ hujuscemodi monstra aluistis, & alitis, erit expectandum? Venient exteri, & peregrini hostes, qui, cum in diversa studia scinderis, patriis te sedibus pellant, atque imperio exuant avito. At dices: Cæsaris vi & præsidio munita, quis audebit nostros fines attingere? Vereor sane idque vehementer, nisi ad saniorem mentem revertaris, fore ut imperium tuis e manibus elabatur. Unde quæso Græcia imperium omne, quo antea gloriabatur, amisit: quam ex hac de religione orta dissensione? Ipsi namque cum Romano pontifici adversarentur, caputque universalis ecclesiæ esse negarent: hinc adeo factum, ut factiones, schismata, & hæreses inter eos exortæ, principes contra imperatorem: imperatorem contra, adversus principes armaverint. Hoc pacto Græcorum imperium florentissimum ad immanissimum Turcam est devolutum. Aliud ne de iis regionibus, quæ eodem morbo conflictantur, erit expectandum? Minime gentium. *Omne namque regnum in seipsum divisum, desolabitur: & domus supra domum cadet. Si satan in seipsum divisus est, quomodo stabit regnum ipsius?* Si non sit familia, non domus, in qua non & pater a filio, filius a patre, uxor a marito, maritus ab uxore opinione dissentiat: quo pacto sibi diuturnitatem polliceri poterit? Hæc unica salutis spes relicta est, regnum videlicet satanæ in mille jam sectas divisum est, quod cum ita sit, corruat necessum est. Atque regnum Christi ecclesia catholica, cum unum sit, atque indivisum, æternaque pace constans: illud perpetuo duraturum quis dubitat? *Portæ inferi non prævalebunt adversus illud.* Est namque ecclesia, domus illa supra firmam petram fundata, quæ etsi novorum dogmatum

Luc. 11.

Ioseph. de bello Judaic. lib. 6. cap. 1.

Matth. 16. Matth. 7.

ANNO CHRISTI 1563.

tum validissimis percussa fuerit ventis, si procellis agitetur errorum, si rapida persecutionum flumina irruant, si tempestates veluti agmine facto in eam invadant: ipsa tamen perpetua stabilitate constabit.

Hæc est igitur prima agnoscendæ ecclesiæ ratio, si eam unam, & in unitate perpetuo constantem agnoverimus. Verum hæc unitas, & animorum consensio in explicanda veritate, quam probe agnoscitis, summa apud vos patres sanctissimi esse debet. Quæ si absit, quantis (proh dolor) nos malis involvatis, magna omnium vestrum jactura, magnoque dedecore brevi experiemini. Principia enim malorum jam in propatulo sunt, mortes repentinæ, cædes, vastationes, irruptiones in Gallia factæ, vestris capitibus minantur. Si vero adsit, erit ecclesia hæreticis *Can. 6. terribilis, ut castrorum acies ordinata.* Hanc ecclesiam sic ordinatam Salomon considerans, atque suis quasi coloribus depingens, ait: *Unica est columba mea, unica est perfecta mea.* Quasi oculis ecclesias quas satan per universum orbem exstruxerat, lustratus fuisset, easque eo plus quam Babylonicam confusionem execratus: In laudem catholicæ ob singularem consensionem prorumpens, dixisset: *Et. unica est columba mea.* Unica, inquam, quia unica fide illustrantur filii, sacramentorum unitate foventur, unica spe ad cœlestia desideria eriguntur, unica caritate invicem conjunguntur, unico Spiritu sancto e cœlis misso vivificantur, ad unum eumdemque beatitudinis finem omnes adspirant: atque sub uno capite in cœlis invisibili, in terris visibili continentur. *Genes. 6.* Hæc est arca illa Noe, qua qui continentur, ab *Genes. 11.* omni vi tempestatis tuti sunt: extra eam, nemini salus unquam contingere poterit. Hæc terra est *Exod. 12.* illa labii unius, & sermonis unius. Hæc domus est illa, in qua agnus ille ab origine mundi occisus, comeditur. Hæc tunica illa inconsutilis *Joh. 19.* est, quam scindere etiam impiissimi filii Dei crucifixores piaculum esse judicarunt. Hæc est civitas *Apoc. 21.* illa sancta Hierusalem a Deo parata, & veluti sponsa ornata monilibus suis, qui extra hanc civitatem vitam agit, peregrinus est, hostis est, profanus est: neque poterit Deum patrem vere nomi- *Cyprian.* nare, qui ecclesiam pro matre habere recusat.

At dicetis, si hæretici omni animorum contentione semota, ea concordia ac pace unirentur, labii unius esse crederentur, esses ne ejus sententiæ, ut illorum ecclesiam veram, & catholicam esse judicares? Absit. Nam ut ecclesia vere catholica dicatur, & sit, unitatem, & cum *Vincentius Lerinensis.* antiquitate consensionem habere debet: adeo quidem, ut nihil præter apostolorum successionem, auctoritatem & doctrinam præ se ferat. Christus igitur potestatem, & imperium quod in dæmonem exercebat, populo Judaico patefacturus hoc usus est argumento. *Si in Beelzebub principe dæmoniorum ejicio dæmonia, filii vestri in quo ejiciunt?* Hi populi Judaici filii apostoli sunt, ut pene omnium fert sententia, qui a Christo potestate accepta, dæmones effugare poterant. Verum quos Judaicus ille populus filios habuit, quondam, ecclesia catholica patres nunc habet, & veneratur. Atque legitima successione, hæreditarioque jure, illorum bona ad eam devoluta sunt. In ea namque apostolorum legitima successio ad nostra usque tempora, una cum eorum doctrina non modo literis consignata, sed & antiqua consuetudine observata, perdurat. Hæc est, patres sanctissimi, vere agnoscendæ ecclesiæ secunda ratio.

Animadverto in te, sacrosancta synode, ecclesiam illam, quam Joannes in Apocalypsi hisce verbis describit: *Venit ad me unus de septem angelis, & ostendit mihi civitatem sanctam Hierusalem, descendentem de cœlo, habentem claritatem Dei, & murus civitatis habens fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim nomina duodecim apostolorum & agni.* Tu es civitas illa sancta super montem posita, cujus stabilitatem vates ille regius demonstraturus, dicebat. *Fundamenta ejus in montibus sanctis: diligit dominus portas Sion, super omnia tabernacula Jacob.* Accedant jam hæretici, & suarum ecclesiarum antiquitatem, si possunt, a stirpe repetant: quod cum nequaquam possint, nihil quam suam auctoritatem obtrudere possunt, dicentes: Sese mundo apostolos a Deo missos. Tu qui audes (cum ab apostolis, & sanctissimis viris qui ad hæc nostra sæcula continuata serie pervenerunt: viamque nobis in cœlum muniverunt) alios nobis calles, alias semitas commonstrare: per quas & brevius, & tutius ad eum locum dicas posse perveniri? Qui tu hæc polliceris? Qua es auctoritate vir, qua es gravitate morum, qua doctrina? qua castitate vitæ & innocentia, ut tibi nova quædam & insolita inducenti, assentiri facile, & acquiescere debeamus? O quam continue & accommodate id divi Hieronymi quod adversus Origenis errores conscripsit, usurpare poterimus? Tu quisquis es, inquit, novorum dogmatum assertor, quæso te, ut parcas Romanis auribus, parcas fidei, quæ apostoli voce laudata est, cur post quadringentos annos docere nos niteris, quod antea nescivimus? cur proferas in medium, quod Petrus & Paulus edere noluerunt? Usque ad hunc diem sine ista doctrina mundus Christianus fuit: Illam senex tenebo fidem, in qua puer natus sum. Semper enim catholica ecclesia apostolorum dogmatum tutrix fidelissima fuit. Quando umquam necessaria resecare, superflua inserere, propria amittere, aliena usurpare, visa est? tantum abest ut id fecerit umquam, ut in hoc uno omne studium impenderit, nervosque omnes intenderit: vetera jam propemodum collapsa aliquando instaurarentur, atque in pristinum statum reducerentur.

ANNO CHRISTI 1563. *Apoc. 21.* *Psal. 86.*

Quid umquam aliud conciliorum decretis enixa est ecclesia, quam ut quæ antea tepide credebantur, ferventius postea & crederentur, & præstarentur ab hominibus? Perpetuo enim observavit, quod Spiritus sanctus jubet per Salomonem: *Ne transgrediaris terminos, quos posuerunt patres tui.* Adeo priscæ illius disciplinæ observatio necessaria est, ut nihil potius duxerit Paulus episcopis in oculis ferendum. *O Timothee, inquit, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt.* Quis vestrum est, qui non Timothei per- *1. Tim. 6.* sonam præ se ferat? Vos patres sanctissimi appello, vos, inquam, hortor & moneo cum Paulo, depositum custodite. Et quodnam illud? Quod vobis a Deo concreditum est, non quod proprio judicio innititur: quod jam pridem accepistis, non quod recens est excogitatum. Custodes estis doctrinæ & tutores, non auctores: sectatores, & non primarii duces. Custodite catholicæ fidei talentum, ne modo non pereat, sed & magno cum fœnore referatur. Quid faciendum, ut depositum hoc intactum conservare possitis? Audite Paulum quam vobis rationem præscribat: *Devitans*, inquit, *profanas vocum novitates*, non

anti-

ANNO CHRISTI 1563.

antiquitates dixit aut vetuſtates : imo quid e contrario ſequeretur explicare voluit. Si namque vitanda eſt novitas, tenenda eſt antiquitas: & ſi profana eſt novitas, ſacrata eſt vetuſtas. *Et oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ*. O quam impudenter doctrinæ nomen uſurpant hæretici, & quod malorum caput eſt, mendaciſſima ſua commenta evangelium vocant. *Væ qui dicitis malum bonum, & tenebras lucem*, ignorantiam ſcientiam, caliginem ſerenitatem appellatis. Quid inde incommodi verendum? *Quam quidam*, inquit, *promittentes circa fidem exciderunt*. Quid promittunt? Neſcio quam novam inauditamque doctrinam. Videas ex ipſis multos, qui in latebras & ſpecus ſubterraneos ſeſe abdunt, atque miſeram, indoctamque plebeculam ſuis figmentis evangelicam doctrinam prætexentes, in errores illiciunt, protrahuntque. O extrema hominum impudentia: ſi homines, & non potius dæmones hominum ſaluti inſidiantes ſunt appellandi. Nonne hæ ſunt illius meretricis, de qua Salomon loquitur, voces: Qui eſt veſtrum inſipientiſſimus, divertat ad me? Inopes autem exhortatur dicens: Panes occultos libenter attingite, & aquam dulcem furtim bibite. Quid tum? At ille neſcit, inquit: quomodo terrigenæ apud eam pereant. Quid obſecro ſunt terrigenæ? Exponet Paulus, qui circa fidem exciderunt, exponit & Joannes. *Qui ex nobis exierunt, ſed non erant ex noſtris: ſi fuiſſent, permanſiſſent utique nobiſcum*: En patres ſanctiſſimi, animadvertitis Paulum brevi compendio, pauciſque verbis complexum, qua ratione priſca apoſtolorum diſciplina in eccleſia integra atque incorrupta conſervari debeat. Reſtat jam de tertio, & quarto veræ eccleſiæ ſymbolo agamus: quæ quanta potero brevitate explicabo.

Tertium erat, quo Chriſtus non modo poteſtatem ſuam ad dæmones expellendos, ſed & ſalutem, quam ab ipſo liberati expectare debebant, demonſtrabat. *Si in digito Dei ejicio dæmonia, profecto pervenit in vos regnum Dei*. Digiti Dei nomine, Spiritum ſanctum ſignificari manifeſtius eſt, quam ut demonſtratione aliqua ſit opus, præcipue cum alius evangeliſta dicat: *Si in Spiritu Dei ejicio dæmonia, profecto pervenit in vos regnum Dei*. Elegantiſſima hac ſynecdoche, manifeſtam Dei virtutem indicari patet. Ut & in Exodo, *digitus Dei eſt hic*. Ea utuntur Hebræi ad amplificandam Dei virtutem, perinde ac ſi dixiſſent: Tam potens eſt Deus, ut vel ſolo digito omnem hujus mundi potentiam ſuperare poſſit. Oſtendebat itaque Chriſtus ſe ſola Spiritus ſancti vi dæmones expuliſſe. Hæc virtus unctio illa eſt, qua Chriſtus fuit copioſiſſime perfuſus, quemadmodum ſcriptum eſt: *Spiritus domini ſuper me, eo quod unxit me*, & alibi: *Quem unxit Deus Spiritu ſancto, & virtute*. Nec enim aliud eſt hoc genus unctionis, quam divini numinis præſens auxilium, & cœleſte munus apud electos Dei divina benignitate collocatum, per quod patres ſanctiſſimi, eccleſiæ gubernaculis eſtis admoti. Nam licet Chriſtus omnibus gloriæ ornamentis, & ſummis honoribus fuerit a Deo decoratus: non tamen ut ſibi ſoli aſſervaret, ſed ut illa omnia poteſtatis atque virtutis ornamenta a ſponſo ad ſponſam devolverent; ad illoſque maxime qui in terris vicariam ejus poteſtatem & authoritatem gerunt. Unde David: *Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus ſuis*. De vobis autem, patres ſanctiſſimi, qui hujus unctionis legitimi hæredes eſtis, dixerat Joannes, *Vos unctionem habetis a Spiritu ſancto & noſtis omnia*, & paulo inferius. *Unctio, quam accepiſtis ab eo, manet in vobis, & non neceſſe habetis ut aliquis doceat vos, ſed unctio ejus docet vos de omnibus*. Hoc ipſum erat quod Chriſtus pollicitus fuerat dicens: *Ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis, qui maneat vobiſcum in æternum, Spiritum veritatis*. Et paulo inferius. *Paracletus autem Spiritus ſanctus quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcumque dixi vobis*. O felix ſponſa, cui tanta, tamque præclara contigere bona! Et o fœlices nos, qui tantæ totque cumulatæ muneribus matris filii ſumus!

Oſtentent jam ſi volent hæretici inſignia illius ſpiritus quo gubernantur. Nos Spiritum illum ſanctum ductorem habemus, intus incluſum numen ſentimus, atque tanquam pignus hæreditatis nobis ab æterno promiſſæ reſervamus, ut vere gloriari poſſimus, nos genus eſſe Dei. Pari etiam ratione eccleſia certam ſalutis ſpem filiis polliceri poterit cum ſponſo dicente: *Si in digito Dei ejicio dæmonia, profecto pervenit in vos regnum Dei*. Quaſi dicere velit, Conſolamini, conſolamini populo meus, jam tempus adeſt, de quo initio verba fecimus, quo dæmones digito Dei expellentur, hæreſes exſtirpabuntur. Digito hoc Dei, ſi quæ hæreſes exoriebantur olim, quam primum opprimebantur. Si qui eccleſiæ adverſabantur, e veſtigio in ordinem redigebantur. Si qui tyrannidem exercebant, ſtatim parere cogebantur.

Sed dum ego tacitus mecum revolvo, atque hodiernum eccleſiæ ſtatum cum priſco illo confero, videre videor illam lugentem, ac de priſtino ſtatu quo excidit flebili voce cum Job querentem: *Quis mihi tribuat ut ſim juxta menſes priſtinos, ſecundum dies, quibus Deus cuſtodiebat me? Quando ſplendebat lucerna ejus ſuper caput meum, & ad lumen ejus ambulabam in tenebris. Sicut fui in diebus adoleſcentiæ meæ, quando ſecreto Deus erat in tabernaculo meo. Quando erat omnipotens mecum, & in circuitu meo pueri mei. Quando lavabam pedes meos butyro, & petra fundabat mihi rivos olei: quando procedebam ad portam civitatis, & in platea parabant cathedram mihi. Videbant me juvenes & abſcondebantur: & ſenes aſſurgentes ſtabant. Principes ceſſabant loqui, & digitum ſuperponebant ori ſuo*. Ac ſi apertius dixiſſet, fœlicem me judicarem, ſi ad priſtinum illum ſtatum, in quo tantis eram a Deo cumulata muneribus, redire daretur. Tunc Deus cuſtodiebat me, adeo ut quanto tyrannus magis invaleſceret, tanto majoribus incrementis fidelium populus increſceret. Tunc lucerna illa divini oraculi mira virtute radios undique effundebat ſuos, adeo ut divino illo lumine illuſtrato terrarum orbe, errorum tenebræ facile diſpellerentur. Tunc Deus in ſecreto cordis tabernaculo deliteſcens ſuos tanta virtute armarat, ut inimicorum inſtructiſſimas acies, inermes proſterneret, atque profligaret. Tunc infimi & populares butyro & pinguedine divinæ gratiæ perfundebantur. Tunc univerſi ad me tanquam ad aſylum tutiſſimum confugiebant. Tunc judicia mea ab omnibus ſuſpiciebantur, atque pari omnium conſenſu mihi ſoli judiciorum cathedra parabatur. Tanto in pretio eram,

ANNO CHRISTI 1563.

Exod. 8.

Pſalm. 61. Luc. 4. Actor. 10.

Pſal. 44.

1. Joan. cap. 2.

Joan. 14.

Epheſ. 1.

Job. 29.

ANNO CHRISTI 1563.

cram, ut juvenes ſeſe ad aſpectum meum ſiſtere vererentur, ſeneſque aſſurgentes ſtarent. Principes digito ori ſuperpoſito non loquerentur. Principes, inquam, illi hæreticorum anteſignani, de quibus David: *Effuſa eſt contentio ſuper principes*, & errare fecerunt eos in invio, & non in via, auctoritatis meæ pondere ac rationis efficacia pudefacti, loqui ceſſabunt.

At jam (proh dolor!) ad extremam miſeriam redacta ſum. Juvenes inſultant mihi, ſenes deſpectui me habent, judicia mea contemnuntur, & non modo principes, verum ſartores, piſtores, janiones, zonarii, aurigæ, nautæ, fæx totius populi, in me adeo debacchantur impure, ut judicia ſua meis præferre non dubitent. Ab omnibus vexata, lacerata, atque oppreſſa, extremum jam agere videor. Quis pulcherrimam illam mulierem amictam Sole, Lunamque ſub pedibus habentem, & ſtellis duodecim coronatam quondam: nunc vero in tantam miſeriam conjectam aſpiciens, non ejus vicem doleat, non miſericordia commoveatur, non collacrymetur? Quis quæſo eam in tantas anguſtias adegit? Quæ ejus miſeriæ cauſa fuit. Nunquid ne cuſtos ille vigilantiſſimus Deus officio defuit ſuo? aut in medio tempeſtatum fluctus conjectam deſeruit? defuitne lux evangelii quæ præ-

Apoc. 12.

lucerct? miniſtrisne orbata? Minime gentium. Sed ſpeculatores ejus, ut vaticinatus eſt Iſaias, tantarum miſeriarum aliqua ex parte cauſa fuere: cæci namque omnes, neſciverunt univerſi, canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes atque amantes ſomnia, & canes impudentiſſimi neſcierunt ſaturitatem, ipſi paſtores ignoraverunt intelligentiam, *omnes in viam ſuam declinaverunt, unuſquiſque ad avaritiam ſuam* (ignoſcite patres, Iſaiæ verba refero) *a ſummo uſque ad noviſſimum. Venite, ajunt, ſumamus vinum, & impleamur ebrietate, & erit ſicut hodie, & cras, & multo amplius.* Negligentia igitur & ſocordia paſtorum nimia cum populi licentia conjuncta in has anguſtias eccleſiam conjecerunt.

Iſai. 56.

Verum enimvero, patres ſanctiſſimi, ſacroſancta ſynodus in unum congregata, cum unum ſit, atque a Deo electa ſponſa, cum apoſtolica ſit, & Spiritum ſanctum patronum ac ducem habeat: ea hiſce malis omnibus facile mederi poteſt. Et qui huic veſtro tam inſigni ad pietatem & religionem conatui favere voluerint, quarto ſymbolo (cujus meminit evangelium) e gremio pientiſſimæ matris eccleſiæ, excidiſſe judicate. *Nam qui non eſt vobiſcum, diſpergit.* Qui facilius legitimos a ſpuriis, amicos ab hoſtibus, catholicos ab hæreticis diſcernere poteſtis? Quare, patres ſanctiſſimi, cum dæmonis ſtudia vobis jam probe explorata ſint, ne committite quæſo, ut qui tot laboribus exantlatis, tot ſumptibus factis, vitam ipſam, qua nihil carius homini eſſe poteſt, tot periculis & diſcriminibus expoſuiſtis, re infecta diſcedatis. Patiemini patres, Dei eccleſiam unicam Chriſti ſponſam, apoſtolorum ædificium, Spiritus ſancti domicilium, communem omnium matrem veſtro auxilio deſtitutam, perire? Nihil hic præter conſenſionem inter vos deſiderari poteſt, jam arma inter reges Chriſtianos ſilent, adeo ut oculis conſpiciamus Deum vobis hæc otia feciſſe, ut tranquillius & citius religionis diſſidia componeretis. Adeſt conventus ampliſſimus principum, regum, ducum, rerumpublicarum par conſenſus, & conſpiratio, veſtris humeris tota religionis moles innititur, omnes in vobis tanquam in ſacra anchora; ſalutem ſuam defixam habent. Quod ſi minus (quod Deus omen avertat) ſuceſſerit, quantis, proh dolor! periculis eccleſiam expoſitam relinquetis? Hæretici pro palinodia, triumphum agentes, in errore priſtino animos obfirmabunt. Nutantes in fide, & qui velut arundines vento agitatæ, in hanc & illam partem inclinant: ad hæreticorum mox caſtra confugient. Catholici, & qui in eccleſiæ Romanæ fide conſtanti animo perſeveramus, veſtro deſtituti ſubſidio, quo nos recipiemus? Omnium abjectiſſimi barbarorum & hæreticorum incurſus cogemur perpeti: veſtro totiuſque eccleſiæ honori & utilitati (quod facere inſtituiſtis) conſulite, ignominiam ordini veſtro inuſtam eluite, & quæ paulatim irrepſerunt vitia, diligentia veſtra ſuperate, ut eccleſia priſtino candori reſtituta, cœleſtem illam Hieruſalem referat, ad quam nos deducat Deus optimus maximus. Amen.

ANNO CHRISTI 1563.

DIXI.

CXVII.

ORATIO HABITA AD PATRES in concilio Tridentino quarta dominica quadrageſimæ anno domini MDLXIII. *per reverendum patrem Lucretium Tiraboſcum, Aſulanum, theologum apud reverendum patriarcham Venetiarum.*

SI quæ munera apud nos eſſe reperiuntur, cardinales ampliſſimi, patres optimi, clariſſimi oratores, quæ aliquam & veræ felicitatis, & beatitudinis partem attingant, ea ſane præcipua eſſe exiſtimo, quæ ad cœleſtes atque divinas res contemplandas mortalium animos applicant, applicatoſque immortalium rerum admirabili quadam dulcedine participes reddunt. Horum quidem magnum eſt, & ad bene, beateque vivendum accomodatum vinculum illud, quo Deo optimo maximo per creationem conjungimur quando divinæ conſortes efficimur ſapientiæ: longe utilius, fructuoſius, ac noſtræ depravatæ naturæ accommodatius eſt in baptiſmo Chriſti ſervatoris humanitati adhæreſcere per aſperſionem ſanguinis ejus, mortiſque ejuſdem communicationem: verum omnium maximum, & ſaluberrimum ſalutis noſtræ remedium eſt, carni, & ſanguini & animæ Chriſti per ſymbolum communionis uniri, omnibus ipſius præclariſſimis donis ditari, ejus corporis membra ſpiritualia fieri, ac denique divinæ naturæ haberi participes. De cujus ſacratiſſimo myſterio cum a me hodie habendus ſit ſermo (& ſi maxima rei difficultas, ſacratiſſimi loci majeſtas, graviſſimorumque patrum conſeſſus, quamvis etiam ingenii tenuitas, memoriæ imbecillitas, & ægritudo non parva me a dicendo deterrent) Dei tamen opt. max. ſumma bonitate ſummaque clementia confiſus, eo libentius provinciam hujuſmodi majorum meorum decreto ſuſcepi, quo veſtro frequenti conſpectu, oculorumque & animorum in me liberali contuitu, in eam ſpem facile ducor, ut ea quæ vobis modo, pro ingenii mei imbecillitate explicare intelligo, benigne, attenteque, quod rogo, ſitis audituri.

Cum

ANNO CHRISTI 1563.

Cum Deus opt. max. admirabili providentia ſua ſtatuerit omnia in numero, pondere, & menſura, & ſapientia inenarrabili viderit, dinumeraverit, & menſus fuerit cuncta: ſic ſacram ſcripturam replevit menſuris, ponderibus, & numeris, quæ omnia ſpiritualiter librant, numerant, atque menſurant: de quibus omnibus cum & longum eſſet, & præter intentum diſſerere, numerum tantum in evangelio poſitum & duorum, & quinque, qui in ſeptenarium numerum veniunt, ſubannuemus: qui ita ubique reſperſus eſt, & omni ſe ingerit negotio, ut maximam vim myſteriorum cœleſtium in eo repoſitam eſſe non dubitemus. Sub hoc ſingulariſſimo numero certe, ut pene innumera taceam, & ut, quod placet, ſtudeam brevitati, unico verbo, & omnia creata eſſe & defeciſſe, & eſſe punita, ſacramentis expiata, atque eorum refecta quam quam plurima, ſcriptura ſacra demonſtrat. Liceat tamen interim inquirere breviter, unde ſeptimum diem ita ſemper celebrare conſueverit ſcriptura divina: ut in eo & ſummum ceterorum, & complementum eorum ſtatueret. Nam ſi ſeptimum diem creationis conſideraverimus, videbimus in eo compleſſe omnia, quæ patraverat Deus, *& complevit* (inquit ſcriptura) *die ſeptimo opus quod*
Gen. 2. *patraverat ſuum*. Nam fecit hominem humilitate gnaphar, videlicet pulverem, & Spiritu ſancto viventem, & Deum in paradiſo colentem, & ligno vitæ perpetuo vivere potentem. Unde ſeptima generatione deſcendentium Cain, qui leviter erant percuſſi, ultimam conſummationem per cataclyſim univerſalem ſenſerunt? Undenam die ſeptimo clangore tubarum ſepties civitatem Hierico circumdantes Judæi, atque clamore obſtrepentes Hierico muri ceciderunt, & abſque armis civitas capta eſt? Unde demum ſeptimo hujus mundi ſæculo recreatus orbis atque completus? flagellatum eſt peccatum, ceciderunt muri ſapientiæ mundi, & eſt orbis converſus: niſi quia poſt tempora præterita, & ſeptimo hoc calamitoſiſſimo ſæculo invertere nituntur hæretici ſeptimum ſecundum Joannem eucharistiæ ſacramentum, & in ipſo cetera cuncta: ut quemadmodum eſt complementum aliorum, & fidei noſtræ ſigillum, ſic valeant ejus abrogatione fidem noſtram penitus avertere, & e memoria hominum eradicare? Sed Spiritus Chriſti, qui ſuam non deſerit eccleſiam, præſens elegit candidatorum patrum graviſſimum concilium, qui huic ſanctiſſimo myſterio in templo eccleſiæ ſerviunt, & die lætitiæ, & nocte perſecutionis, merito, & gratia hujus adjuti.

Eſt enim hoc ultimum & ſummum omnium quod eccleſia ſancta acceperit a Chriſto, & quod a nobis deſiderari potuerit myſterium, videlicet communionis dominicæ, omne in ſe habens delectamentum, & omnem continens ſuavitatem. Illud namque fidelibus datum eſt, peccatorum maculis per pœnitentiam deletis, muneribus Spiritus ſancti perunctis, unda sacri baptiſmatis delibutis, ac ex caſto & legitimo matrimonio debite procreatis. Sic enim beatus Joannes, quem magnum theologum, & optime de ſacramentis loquentem appellat Dionyſius, Chriſtianæ reipublicæ normam ſpiritualem componens, primum matrimonii ſacramentum miraculo celebrat, ordinis defectus corrigit, atque caſtigat, baptiſmi myſterium refert, ejuſque juſtitiam narrat. Spiritus ſancti confirmationem in Samaritanis advertit, & in filio reguli vim unctionis extremæ figurat, atque ſub ægri figura ad piſcinæ lavacrum ſanati ſacramentum pœnitentiæ docet. Deinde noviſſimo loco ad myſterium illud præclariſſimum communionis dominicæ nos dirigens, miraculum illud ſymbolicum maxima admiratione dignum, & ſummis laudibus extollendum de quinque panibus & piſcibus multiplicatis, nobis ſignificavit, cujus præcipuos fructus, immenſaque myſteria, nunc Dionyſii exemplum ſequens, quam breviſſime explanare curabo.

ANNO CHRISTI 1563.

Servator noſter tanta eſt in nos affectus caritate, tantaque humilitate præſtitit, ut velut infirmis pro nobis medicinam, ſuſciperet, qua nos in ipſo ſanaremur, & ſpiritualiter recrearemur. Unde, teſte Auguſtino, prævidit David afflatus Spiritu Dei, Chriſtum in ultima cœna veluti pro nobis ebrium futurum, ex hujus ſacramenti ſumptione: cum Davidem inducit, id eſt, Chriſtum faciei mutaſſe figuram, videlicet, Phaſe veteris teſtamenti in novi teſtamenti ſacrificium corporis ſui coram Abimelech, id eſt patre meo rege, dicente ſervatore: *Sic*
Joan. 6. *pater meus dat vobis panem de cœlo verum*, qui quantum utilitatis attulerit, & eccleſiæ primitivæ & noſtræ, declarat pſalmus immediate ſequens cum dicit: *Benedicam dominum in omni*
Pſal. 55. *tempore*, & proſpero videlicet, & adverſo: *ſemper laus ejus in ore meo*, Deo ſcilicet in juge ſacrificium oblata. *In domino laudabitur anima* in ſe mortua, in Deo autem, & Dei laude vivens. *Audiant* hanc ſpiritualem metamorphoſim *manſueti, & lætentur*. Apoſtoli *magnificate* & vos *dominum mecum, & exaltemus nomen ejus in idipſum*. Exquiſivi non facultates terrenas, non gloriam mundi, non commoditates carnis, ſed dominum videre, poſſidere, & eo frui, nempe per hoc ſacrificium. O immenſam Dei bonitatem, & exaudivit me. O incomparabilem Dei virtutem, & miram de nobis providentiam, & ex omnibus timoribus meis eripuit me. Ergo *accedite ad eum, illuminamini, & facies veſtræ*, o apoſtoli, in morte mea, & veſtra preſſura *non confundentur*. *Guſtate* etiam *& videte, quam ſuavis eſt dominus*. *Beatus vir qui ſperat in eo*.

Tres fructus quintuplicati r. ad Chriſtum in ultima cœna, 2. ad apoſtolos 3. ad extrema in paſſione & reſurrectione. 4. ad primitivam eccleſiam, & 5. ad præſentem eccleſiam pervenire videntur.

Hactenus fructus quoſdam dominicæ cœnæ explicuimus, Nunc progreſſum ad eam ſubjungemus. Navim ergo Chriſtus aſcendit, cum baptiſmum a Joanne humiliter recepit. In mare Tiberiadis ingreſſus eſt, quia ſub Cæſare Tiberio unda Jordanis irroratus eſt, & agitabatur fluctibus, cum tentabatur a ſatana, cum prædicabat, miracula faciebat, & odio habebant ipſum Hebræi, & perſequebantur eum. Navi etiam egreſſus eſt, cum dixit eis. *Non me videbitis amodo, donec dicatis: Benedictus, qui venit in nomine domini*. In montem aſcendit, cum venit ad montem Oliveti. De monte, teſte Luca, deſcendit, quando in Hieruſalem ad menſam cum apoſtolis accubuit. Panem accepit, cum corpus ſuum ſumpſit, diſcipuliſque tradidit: cum eos pane cœleſti cibavit. Fragmenta colligi juſſit, cum dixit diſcipulis ſuis: *Hoc facite in meam commemorationem*. Populi dixerunt: *Hic eſt vere propheta*, cum hymno dicto apoſtoli exierunt, & laudem Deo dederunt. Nec ſatis fuit Chriſto ſemetipſum in ſacramento nobis dediſſe, ſed & in pretium noſtræ redemptionis in ara crucis ſe voluit exhibere. Eo igitur tempore navim conſcendit, quo a perfidorum hominum cohorte captus fuit, navigationemque ſuam eſt proſecutus, cum ad pontifices ductus, accuſatus, in-

ANNO CHRISTI 1563.

terrogatus, alapis percussus, reus mortis adjudicatus est. Fluctibus immensis jactatus est, quando flagellis cæsus est: quando crucifixus summum pertulit supplicium. Descendit de navi, cum corpore mortificatus, sed spiritu vivens, ad inferna loca descendit. Ascendit in montem, quando ad immortalem vitam surrexit. Instruxit discipulos de regno Dei, cum aperuit illis sensum, ut intelligerent scripturas: accepitque panem, benedixit, fregit, & porrexit eis, cum secundum veritatem historiæ hæc eadem in castello Emaus præstitit: Et quando dixit discipulis: *Habetis hic aliquid quod manducetur? Et illi obtulerunt ei partem piscis assi, & favum mellis.* Tunc dixit eis: colligite fragmenta ne pereant: cum sumens reliquias, dedit eis dicens: *Hæc sunt verba, quæ locutus sum apud vos, cum adhuc essem vobiscum, quoniam necesse erat impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, & in prophetis, & psalmis de me, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes.* Nam sacramentum istud est quinque librorum Moysi spiritus, & psalmorum & prophetarum delitiæ. Tunc turbæ illum sequuntur, quando per pœnitentiam audierunt remissionem peccatorum offerri, & relicta non Hierosolyma, sed synagoga, per mare baptismi in sublimitatem dignitatis Christianæ, & per eucharistiam in divinam attolluntur creaturam. Jam audistis Christum, factis & verbis loquentem: nunc ecclesiam Christi sponsam eum sequentem perpendite.

Luc. 24.

Ecclesia sancta, quæ est columna veritatis immobilis, & candelabrum in templo Dei jugiter lucens, non est otiosa, cum nobis, & nostro tempori, & singulis annis eadem nobis repetit evangelia, nempe quia inter cetera ita a Spiritu sancto aptata sunt evangeliorum verba, ut omni tempori facile conveniant, quod qua ratione factum sit, breviter explicemus. Sicut enim aquila volatu proprio docet pullos, qui eam, ut possunt, sequuntur: sic & ecclesia Christum secuta navim conscendit, & mare ingressa est, quum oceanum illud Spiritus sancti mentes apostolorum respersit. Agitatur a fluctibus, cum Hebræorum persecutionibus quatitur: Navi egrediuntur, cum ab Hebræis ad gentes proficiscuntur: in montem ascendunt, cum montem culminis potentiæ mundi scandunt, & regnum Dei promulgant, panemque corporum suorum in firmamentum doctrinæ populis eorum communicant turbæ, videntes eorum miracula, & intrepida in tentationibus corda, mare conscendunt per baptismum assumptum: agitanturque, cum odio habentur. Sed Christus Marco teste, non potest tres dies, sed post trecentesimum trigesimum annum misericordia motus super turbam fuit, quando sanato Constantino, & ad fidem Christi converso, totus fere orbis conversus est, & ab assiduis persecutionibus ereptus, & ad montem culminis dignitatis apostolicæ se præsentans, pane cœlesti spiritualiter est enutritus: unde & seipsos, & omnia eorum fortunæ bona æterna cum laude Christi se Deo dederunt, & perpetua servitute eidem mancipaverunt. *Reges*, inquit aurea tuba Spiritus sancti, *Tharsis & insulæ munera offerent, reges Arabum, & Saba dona adducent, & adorabunt eum omnes reges, & omnes gentes servient ei.* Verum quod dæmon non potuit apertis delere persecutionibus, nixus est & hæresum machinamentis evellere. Tunc ergo Christus in spiritu ingressus est in immensum hujus pelagus mundi, ut Galilæa volubile, & ut Tyberiadis bonum apparens, qui quales, quantasque hucusque sit passus procellas, calamitatisque miserias, hodierno tempore magis quam antea, plena sunt antiquorum monumenta, quæ longum esset, discurrere per singula, & coram vobis in hisce probatis superfluum.

Psal. 71.

Nunc clamant omnes videntes maris procellam & naufragium, & submersionem minantem, navim ad portum propellere: nunc, patres amplissimi, expergiscimini, & ad alta cubiculi mentis vestræ per contemplationem ascendite. Huc clamant omnes prophetæ, & ut uno verbo innumera referam, excidium captivitatis Babylonicæ, & quæ mala eis contigerunt, nobis, nisi resipiscamus, minantur: & ecclesia sancta non Christum trucidandum ab Herode formidat, sed Christiani nomen ab antichristo obscurandum timens, collegit exercitum amplissimorum patrum, ut tandem collectis velis, navim ad portum salutis reducant, ad finem videlicet disputationum, & litium in fide, cum in principio hujusce Tridentini concilii referens verbum apostoli dicebat, ut non circumferamur omni vento doctrinæ, parata nimirum omnes scopulos in fide dissolvere, & semitas pietatis ad perfectum dirigere, ut tandem ostendat venisse tempus, quod prævidens Paulus explanabat dicens: *Donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, ut non amplius circumferamur omni vento doctrinæ in damnationem erroris.* Tunc ergo abiit trans mare Galilææ, cum dirimens omnes quæstiones in fide, & gressum præbens, & hominem perficiens, auxilium præstabit omnibus veritatem faciendi, secundum ordinem eis ab ecclesia dandum: quod fieri non dubito, & ex felici principio in hunc finem directo, & ex summa omnium vestrum integritate & pietate. Tunc quippe sequetur multitudo copiosa vestigia vestra, videntes quæ signa facturi estis super infirmos per sacramenta sanandos, & a ferventi calore libidinis, & a tumore superbiæ, & cæco terrenorum affectu. Tunc ascendet in montem Jesus, & cum discipulis morabitur, instruens eos de regno Dei, cum pro hac vestra in subditos pietate in sublimitatem contemplationis evecti, venis aquarum sapientiæ divinæ perfruemini.

Ephes. 4.

Cum itaque hac cura pastorali in populum vobis subjectum respexeritis, ac velut oculi pietatis divinæ in eorum intuebimini perfectum, dum alta perfectionis scandere cupient, dicet Christus ad Philippum, amatorem equorum interpretatum. *Unde ememus panes ut manducetis?* quia & Scythas ab Alexandro indomitos prædicationis gladio domuit, & facibus caritatis accendit, fideique Christianæ subjecit, statum prædicatorum significare videtur, qui cum Philippo responsuri creduntur, *ducentorum denariorum panes non sufficiunt*, veteris videlicet, & novi testamenti mysteria, in quibus imago divina relucet, obscuritate mentis fidelium non sufficiunt, ut unusquisque modicum ex eis capiat. Tunc dicet Andreas summa humanitate præditus, piissimus omnium nostrum pastor & rector. *Est puer unus hic*, apostolorum videlicet ordo (quos voluit Christus pueros esse, dicens: *Nisi conversi fueritis, & efficiamini velut parvuli*) *qui habet quinque panes hordeaceos*, quin-

Matth. 18.

ANNO CHRISTI 1563.

quinque videlicet inter alios ſelectos probatiſſimos viros in cibum mundi hic deſtinatos, hordeaceos, nempe cruoris & mortis duriſſima paſſione circumdatos, quinque videlicet ſacramenta mortem Chriſti referentia ſignificantes, & omnium eorum præcipuum euchariſtiam, & duos piſces oleo pietatis aſſatos, & ſimili ſuperindutos veſtimento, duo ſacri olei ſacramenta ſignificantes, & æternam vitæ præbentes jucunditatem, ſed obſcuritate tractandorum, & ægro guſtu ſumentium paulatim ſiſtens, dum tentat ſuffragia mittere, & alia pietatis opera ſtruere, inquit Chriſtus: *facite homines diſcumbere*, omnibus inquam, ſalutem offerte. Procumbant omnes ſuper fœno propriæ carnis, & in fide inſtructi ſedeant, & dominentur ei.

Tunc quippe accepit Jeſus panes, qui ſpiritualiter enutrire nos debent, cum ſeptem ſacramentorum panes examinandos tradidit, benedixitque, cum eos oſtendit domini benedictione refertos: fregit, cum omnibus communicabiles per æternam Dei benignitatem in omnes diſpoſuit, deditque diſcipulis ſuis, cum eos adminiſtrandos eſſe a ſucceſſoribus apoſtolorum præcepit, & myſteria eorum tractanda mandavit. Quæ nempe hucuſque ita exacte & cumulate tractata ſunt, & fameſcentem intellectum repleverunt, ut pro futurorum eruditione temporum dicat Spiritus ſanctus, *Colligite, colligite*, inquam, *fragmenta, ne pereant*. Ad memoriam, inquit, reducite, & ſcripturæ mandate, quæ tanta cum eruditione, doctrina, & pietate, & audiſtis, & protuliſtis, & judicaſtis digna memoria æterna. Tractata ſunt enim ſacramenta cœleſtia, & virtutes eorum egregie expoſitæ, quæ ad ſalutem omnium ſufficiunt, & Chriſtum vitam noſtram, ſpem noſtram, & gloriam noſtram cumulatiſſime donant. Tunc quippe homines illi, & mundus iſte ligno vitæ cœleſtis enutriti, & a cataclyſmo gentilitatis merito hujus eruti, & muris Hiericho ſapientiæ, & hereſum mundi, lumine hujus exuti, cœleſtiumque ſacramentorum doctrina, hoc fidei ſigillo ſufficienter inſtructi, divinam cognoſcent Chriſti virtutem in miraculoſa verſione aquæ matrimonii legalis, in vinum Chriſtiani matrimonii mutatam, vimque ſupercœleſtem, omnes abuſus eccleſiaſticos pellentem, ſive per admonitionem paternam, ſive per judicialem vindictam intelligent. Tunc baptiſmum, & juſtitiam eo elargitam, & cœleſtem gratiam Spiritus ſancti, & victuris & jam morituris donatam ſentient: nec non recreantis aquæ pœnitentia abluti, & pane demum ſupercœleſti enutriti, non myſterium tantum, ut matrimonium, ſed veritatem acquirent: non renaſcentis gratiæ radios, ſed & lucidiſſimum ſolem juſtitiæ: non propagines, & fructus Spiritus ſancti, ſed & arborem & radicem ipſorum: non rivulos abluentes, & ſpiritualiter mundantes, ſed fontem vivificum ſitim omnem terrenam extinguentem, panemque cœleſtem omnibus bonis ita repletum, ut inſipida videatur omnium terrenorum affluentia, & gloriæ mundi velut umbra pertranſiens. Tunc orbem fugientem fugient, & Deum, & Jeſum ſervatorem noſtrum, qui ſolus manet immobilis, apprehendent, & dicent: *Quia hic eſt vere propheta, qui venturus eſt in mundum*.

ANNO CHRISTI 1563.

CXVIII.

DE MYSTERIO SANCTISSIMÆ Trinitatis concio doctoris Oronſuſpe Navarri Olitenſis theologi illuſtriſſ. & reverendiſſ. D. Didaci Ramirez Sedenno epiſcopi Pampilonenſis, habita in ſacroſancta ſynodo Tridentina dominica ſanctiſſimæ Trinitatis VI. *Julii* MDLXIII.

Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus: & metuant eum omnes fines terræ. Pſal. 66.

VIDEOR fortaſſe vobis inepte facere, illuſtriſſimi cardinales, clariſſimi oratores, & reverendiſſimi patres, necnon viri cujuſcumque ordinis expectatiſſimi, ac literatiſſimi, qui cum nulla ſim cognitus commendatione, audeam in hunc locum a doctiſſimis, & ſapientiſſimis theologis veſtris ornatum aſcendere, præſertim cum neque doctrina, neque dicendi facundia, neque denique rerum uſu, aut experientia ſim cum his conferendus, qui ante me dicere conſueverunt: verum veſter omnium incredibilis animi candor, quo ceteros qui in eadem arena verſari ſolent amplecti conſueviſtis, impulit, ut hodierno die, de auguſtiſſimo ſanctæ Trinitatis myſterio, vobis audientibus hoc loco dicerem.

Sed illud modo antequam ulterius provehar, a vobis ſummopere contendo: Ut quando omne meum perfugium in veſtra bonitate ac clementia ſitum eſt: tenuitatem meam veſtro favore & ſilentio ſublevetis, quo meus hic ſermo, his veluti ſecundis ſubvectus ventis, quem ſibi propoſuit portum, facilius conſequatur: quod ut commodius cum fructu aliquo præſtare valeam, ſummis precibus a me effligitandus eſt divinus & cœleſtis Spiritus, quem ut ſummus opifex, ac moderator Chriſtus (in cujus unius gloriam huc dicturus acceſſi) concedere dignetur, ad virginem matrem tanquam ad ſacram anchoram confugiendum eſt: quæ pio corde invocata, & angelico eloquio reverenter ſalutata, facile id quod quærimus impetrabit, præſertim cum nulli unquam patrocinium optatum roganti denegaverit. Adeamus igitur omnes, & cum ipſo angelo dicamus, Ave Maria,

Ber. in Serm. 2.

Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus: & metuant eum omnes fines terræ. Pſal. 66.

PAULUS vas electionis merito vocatus, mirabilis Dei imitator, quem ex perſecutore magiſtrum & doctorem gentium fecit, cum contemplaretur Dei optimi maximi opera, ejus immenſam erga genus humanum clementiam, & altius ſecum expenderet quomodo Deus quoſdam eligat, quoſdam vero reprobet: illius miſereatur, hunc vero obdurari ſinat, admiratione maxima ductus in cœlum converſus in exclamationem erupit: *O altitudo divitiarum ſcientiæ, & ſapientiæ?* quis intelligit mentem Dei? quanto, inquit, magis ac magis Dei ſecreta quærere cupio, tanto profundius mare ingredior nec, mentis meæ acie excogitare valeo ejus profundiſſima myſteria. Quæ ſententia, ampliſſimi patres, non immerito hodierno die veſtro omnium conſpectu a me proferri poteſt, nam ſi acutiſſimi philoſophi, ſi peritiſſimi theologi, ſi exercitatiſſimi in omni diſciplinarum genere homines facilius eſſe dixerunt, aſſignare quid Deus non eſſet, quam quid eſſet: quanto magis animus meus expaveſcet in hujus ſacri myſterii

Act. 9. Chry. ſuper Matth.

Rom. 11.

ANNO CHRISTI 1563.

sterii meditatione? exhorrescit mens, nec lingua suum præstare aut exequi officium potest: nam quid magis arduum hominibus proponi aut objici potest, quam hoc augustissimum S. Trinitatis mysterium? quid magis admiratione dignum, quam tres personas Patris, Filii, & Spiritus S. unum Deum esse, unam substantiam, atque essentiam? quid denique est, cum omnia mente animoque lustraveris, quod dici aut excogitari possit majus? res est, mihi credite, quæ nec intellectu percipi aut excogitari, nec lingua enarrari, nec rationibus pervestigari potest: certissimam tamen veritatem firmissimo sacræ scripturæ testimonio comperiemus: *ex ipso*, inquit, *per ipsum, & in ipso sunt omnia*: est enim pater, *per quem omnia, & nos in ipsum*, ut testatur D. Paulus, per Filium *omnia facta sunt, & sine ipso factum est nihil*, scribente Joanne, per Spiritum sanctum *habemus accessum ad Patrem & Filium*, ut scribit Paulus ad Ephe. 2. hæc est sanctissima Trinitas, quæ in cœlis unus Deus, quam videre sicuti est, summa dicitur & perfecta felicitas. Quod si nihil magis in votis esse solet, quam ut principum gratiam & favorem habeamus, quos fructus hæc vita exhibere solet, ut bene & feliciter homines vivere possint: quanto majores & uberiores expectare debemus ab ipsa sancta triade Patris, Filii, & Spiritus sancti: cujus imago in nobis relucet, estque in animis nostris infixa? Quod si contingat principes etiam incredibili amore prosequi, illud tamen non diu durat, cum caducum & perexiguum censeatur: at qui sanctissimæ Trinitatis favorem nactus fuerit, is patronum habet constantem, misericordem, potentem, & perfectum, divitem in misericordia, magnificum in justitia, qui judicat innocentes, & misericorditer salvat peccatores.

Rom. 11.

1. Joan. 1.

Greg. in Mor.

Quamquam vero non dubitem, quin vos omnes in hoc, ut in ceteris fidei nostræ articulis, sitis edocti, quos omni pietate, religione, & exemplo a teneris annis istis semper amplexi: tamen nisi molestum est, adducam locum unum aut alterum, quibus hanc nostram sacram triadem confirmare videar: quam nonnulli Herodis insania, & satanæ impetu Aquilone suscitato evertere conati sunt. Scribitur Gen. 1. in principio Deum creasse cœlum, & terram, & Spiritum domini ferri super aquas, nemo est, qui dubitet, nos per Deum, Patrem intelligere debere, per principium, Filium: per Spiritum domini, Spiritum sanctum, in qua Trinitate tantum est una, quantum tres simul: nec plus, ut testatur D. Augustinus, sunt duæ, quam una: & ita ut testatur Augustinus, singula sunt in singulis, omnia in singulis, singula in omnibus, omnia in omnibus, & omnia unum. Animadvertite, quæso, diligentius ea quæ sequuntur: summus ille patriarcha Abraham tres viros prope se astantes ante ostium tabernaculi vidisse legimus, unum tamen adorasse confessus est, quibus verbis etiam si tres personas inter se distinctas fateatur, unum tamen Deum aperte confitetur, quod & si creditu difficillimum sit, quod mentem humanam superet, gaudeat tamen homo Deum cognoscens, in Trinitate illi gratias agat, & tendat ad pietatem, quod unus sit Deus, sed tamen Trinitas. Quod Isaias per ternam illam compellationem, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, definitionem personarum indicavit, unitatem vero essentiæ per additionem, *dominus Deus sabaoth*: quod propheta verbis a me initio allatis luce clarius hominum animis infixit, *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus: & metuant eum omnes fines terræ.*

Aug. l. 6. de Trin.

Gen. 18.

Isaiæ 6.

Psal. 66.

Hujus tanti mysterii, cum Augustino in Sole ipso licet intueri, in quo tria contemplamur, essentiam, splendorem, & calorem: essentia Solis a nulla creata est, sic neque Pater: splendor ab essentia, sic & Filius a Patre: calor vero ab utroque: sic Spiritus sanctus procedit a Patre, & Filio. Itaque ut scribit D. August. in Trinitate numerus est, sed numerus non apparet, quia *tres qui testimonium dant in cœlo Pater, Filius, & Spiritus sanctus, unum sunt*. Cum igitur augustissimum mysterium, tam arduum sit, supereminens, abditum, & admirabile, ut a nullo mortalium possit percipi aut pervestigari, satius erit judicia Dei admirari & adorare, quam velle perscrutari. Nam ut affirmat D. August. ubi quæritur unitas Trinitatis, Patris, Filii, & Spiritus sancti, nec periculosius alicubi erratur, nec laboriosius aliquid quæritur, nec fructuosius aliquid invenitur. Quare generis humani hostis, invidia gloriæ humanæ motus, quosdam decepit, ut a consecutione sanctæ Trinitatis averteret: quales fuere Ebionitæ, Samosateni, Artemonitæ, qui secundam Trinitatis personam Deum esse negarunt: sed tantum habuisse naturam humanam. Verum quis non videt Deum patrem pro sua bonitate generi humano corrupto donasse Filium suum dominum nostrum Jesum Christum? qui nos restituat, sibique reconciliet, a tyrannide diaboli liberet, & ad vitam æternam perducat? neque audiendi sunt sceleratissimi hæretici, Macedonii, Ariani, Eunomitæ: qui Spiritum sanctum aut Patri æqualem non esse, aut a Patre & Filio non procedere impudentissime affirmarunt. Verum simul cum Pater cœlestis Spiritum sanctum in corda nostra infundit, voluntatem nostram illuminat, totumque hominem perficit: sua præsentia totus immutatur, & veluti novus factus videtur. Spiritus sanctus, impellit voluntatem nostram ad assensum, & trahit ad amorem rerum intellectarum, ne desperemus propter peccata commissa, sed per Christum patri reconciliatos esse credamus. Addit quoque Spiritus sanctus vires, ut quæ ipsius gratia volumus & intelligimus, ejus quoque auxilio præstare possimus. Videat nunc unusquisque, quomodo Spiritus sanctus operetur in nobis per internam suam gloriam, videat Filium per suam mortem a damnatione æterna nos dissolutos reliquisse, videat & credat has tres personas æquales esse in majestate, pares esse in potestate, unum Deum esse, unam substantiam, & essentiam: qui cum simplex sit, neque partium, neque accidentium diversitate constabit.

ANNO CHRISTI 1563.

Aug. de verbis domini.

Aug. 1. de Trinitate. 1. Joan. 5.

Aug. lib. 1. de Trinit.

Verum si alicui venit in mentem, quomodo in hac sancta triade tres personæ, Patris, Filii, & Spiritus sancti, sunt unus Deus: quomodo in una persona sit verus Deus, & verus homo simul, similiter quomodo hic ex casta virgine citra viri operam potuit concipi & nasci, quomodo ejus glorioſissimum corpus sit in cœlis ad dexteram Dei Patris, & simul sit in augustissimo eucharistiæ sacramento, & si quæ his similia occurrant, precor cogitet profundissimas & abditissimas esse Dei omnipotentis divitias: cogitet illum nil sine causa fecisse, sed omnia probe disposuisse, cogitet ex ipso, in ipsos & per ipsum omnia facta esse, & pronus lacrymans Deum adoret, ejus profundissima mysteria admiretur, cogitet scriptum esse, probe cuncta a Deo disposita & ordinata esse. Quemadmodum enim noluit Deus nos scire, num prædestinati vel reprobati simus, ne in securitatem carnalem, aut ignaviam, vel potius in desperationem

laba-

ANNO CHRISTI 1563.

labamur, ſed voluit nos continuo verſari inter ſpem & metum : hinc jubet D. Paulus ut cum timore & tremore operemur ſalutem : ut ſicut illic non debemus eſſe nimium curioſi, ſic neque in hanc ſanctam triade : ſed fide qua credimus ad juſtitiam, & ſine qua placere Deo non poſſumus, credendum & tenendum eſt : ne cupientes ſcrutari majeſtatem opprimamur a gloria, ut teſtatur Sapiens. Omnino igitur & citra ullam dubitationem credamus credenda omnia, & ſimus ſoliciti in ſola obſervatione verbi, mandatorumque Dei, amplectentes ſanctorum monumenta, ſummorum pontificum decreta, & veneranda ſacrorum conciliorum ſtatuta, quibus Spiritum ſanctum adeſſe credimus rejicientes vanas & jejunas quæſtiones quæ potius ad ſegregandas Chriſti oves, quam ad eas reducendas ad Chriſti ovile, vel in eo retinendas conducunt.

Philip. 2. Rom. 10. Hebr. 11.

Prov. 25.

Pie enim "Syracuſanus ille nos admonet, ne curemus perſcrutari altiora & fortiora, ſed per opera bona & eccleſiæ ſtatuta vocationem noſtram, ad quam creati ſumus, adimpleamus. Quemadmodum tempore inundationum aquarum ſoli illi, qui in Noe arcam ſe receperant, fuerunt a morte liberati : ita ſoli illi qui intra limites ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ vixerint, regnum Chriſti numquam periturum poſſidebunt. Porro agnoſcamus beneficium immenſum, quod a ſancta triade in nos uſque pervenit, tota ſancta Trinitas, Patris, Filii, & Spiritus ſancti, concurrit in negotium juſtificationis, & ſalutis noſtræ. Nam Deus pater ſemen illud cœleſte, nimirum verbum ſuum, in corda noſtra immittit, cum regenerationis principium & virtus ex ſemine, nempe verbo Dei, Spiritu ſancto verificato profluat, Spiritus ſanctus ſemen illud in cordibus electorum verificat, filius vero aqua ſanguinis ſui pretioſiſſimi, per Spiritum ſanctum conceptum humectat ſemen illud, ut fructum ſaluberrimum exhibere poſſit, & exhibito, homo poſſit Deum amare, amando ejus incomprehenſibili bono frui.

" Stratidæ; hoc eſt eccleſiaſtici cap. 3. intelligit. Geneſ. 8.

Ut autem tres ſunt perſonæ, ita tria inde generari oportet : intellectum, memoriam, & voluntatem : quorum unumquodque reliqua duo capit, ut D. Auguſtinus teſtatur : Ideo in mente humana imaginem Trinitatis reperiri voluit. Oportet itaque intellectum, ut baſim noſtræ ſalutis intelligamus : voluntatem, ut quæ bene intelligimus velimus : & vires, ut quod volumus, re ipſa præſtare & exequi poſſimus. Hinc conſtat ſolum Deum trinum in perſonis auctorem eſſe noſtræ ſalutis. Itaque cum beato Bernardo exclamare licet, O beata & beatifica Trinitas, ad te mea miſera Trinitas miſerabiliter ſuſpirat, nam a te diſcedens multis doloribus, calamitatibus & ærumnis involvitur. Nunc, ampliſſimi patres, cum intelligatis verum Dei cultum periclitari, hoc unum ſupereſſe videtur, veſtrarumque partium eſſe, ut Petri naviculam multis flagitiorum fluctibus agitatam, in verum genuinumque ſplendorem revocetis : ſic enim expectationi, quam de vobis viri boni ſemper habuerunt, reſpondiſſe, & vobis ipſi numquam defuiſſe videbimini. Conveniſtis ex remotiſſimis orbis partibus, dereliquiſtis patriam, cariſſimoſque penates non ut de privatis commodis, aut honore & gloria caduca, non ut de focis, & laribus, aut de pace Pyrrhi, ſed de communi totius reipublicæ Chriſtianæ ſalute, de Dei optimi maximi honore & gloria, de eccleſiæ labeſcentis ſtatu, & integritate ſtrenue ac viriliter agatis. Intelligant, ampliſſimi patres, intelligant, inquam, non ſolum viri Dei cultores, ſed barbaræ etiam nationes veſtrum erga Chriſtum Jeſum, & ejus ſponſam amorem : ad cujus auctoritatem & dignitatem omnes cogitationes, omnes conatus, omnem denique animorum veſtrorum impetum traducatis.

Aug. 1. de Trinit.

Bern. Ser. 11. ſuper cantica.

ANNO CHRISTI 1563.

Vigilandum vobis eſt, & orationi vacandum ut hactenus feciſtis, ne ambitione in Deum pugnetis, neve invidia in partes contendatis, ſed veſtra auctoritate, veſtriſque conſiliis ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ hoſtes profligate & exterminate, *attendentes vobis & univerſo gregi, in quo poſuit vos Spiritus ſanctus, epiſcopos regere eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſuo ſanguine*, rationem redditurí incorruptiſſimo judici, ſanguinem ovium peditarum de manu paſtoris requirenti : perpendite huic ſacroſanctæ Tridentinæ ſynodo, per Spiritum ſanctum commiſſam eſſe eccleſiam, ut illam nunc mœrentem, vos omnes in matrem veſtram recipiatis, jacentem veſtris brachiis erigatis, & micantem ſincera fide & doctrina fulciatis, veſtram ac ejus majeſtatem in tanta hominum & temporum perfidia retineatis, & retentam nos omnes incredibili amore proſequamur. Nam ſi de infeliciſſimo eccleſiæ ſtatu verba faciamus, quando per Deum immortalem, majoribus & magis inveteratis odiis impugnata eſt ? quando magis obſtinata rebellione in eam pugnatum ? quando plures hoſtes in ſuam peniciem juratos perpeſſa eſt ? quando honori eccleſiæ magis detractum eſt, quam his infeliciſſimis, & calamitoſis temporibus, in quibus ſedes Petri impudentiſſime apud capitales hoſtes eccleſiæ regnum antichriſti vocatur, & ſacroſancta conciliorum auctoritas vilipenditur & contemnitur ? Tollite felicia & victricia iſta ſigna in hoſce communes omnium bonorum hoſtes, qui cum verbo Dei toties ſuccubuerint, facti ſunt ſimiles terræ depravatæ, quæ optimo ſemine ſæpe ac ſæpius ſuſcepto, nil aliud reddit, quam infelix lolium, & ſteriles avenas : facite ut capitales hoſtes eccleſiæ reſipiſcant, & dent honorem & gloriam vero Deo, nec amplius tot ineptiis, quas ſuggerente ſatana invenerant, mentes piorum implicent, ita ut univerſus terrarum orbis fateri compellatur, nullos unquam neque præteritis temporibus, neque præſentibus eccleſiæ amantiores extitiſſe, ardentiorique animo cariſſimam Chriſti ſponſam fuiſſe proſequutos. Curate igitur pro ſacroſancta inter vos, ipſamque eccleſiam conjunctione, pro veſtra ſingulari religione & pietate, quibuſcumque poteſtis modis languenti religioni proſpiciatis : vos feliciſſimos, vos beatiſſimos fore exiſtimate, ſi omnes cogitationes, omnia conſilia, omniaque veſtra ſtudia, in pietatem, in religionem, in eccleſiam, in Deum optimum maximum retuleritis : præſertim cum nulla dicenda nec appellanda ſit virtus quæ in Deum perinde ac in ſummum & incommutabile bonum non referatur : ferte auxilium pietati, ferte religioni, ferte eccleſiæ, ferte rebus veſtris vobiſque ipſis, niſi de eccleſia actum eſſe velitis, eam enim concepimus ſpem, vos melius longe facturos, quam nos ſperare poſſimus. *Qui eduxit paſtorem magnum ovium in ſanguine æterni teſtamenti dominum noſtrum Jeſum Chriſtum*, aptet vos in omni bono, ut faciatis ſemper ejus voluntatem, facientes quod placeat ipſi, per Jeſum Chriſtum dominum noſtrum, cujus eſt laus, honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Exech. 3.

Acto. 20.

Hebr. 13.

ANNO CHRISTI 1563.

CXIX.

CONCIO DE DIVINO SPIRITU

S. catholicæ ecclesiæ & S. œcumenici concilii, auctore Ludovico Joanne Villetano, theologo Barcinonensi.

Cum complerentur dies pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco, &c. Actorum II.

DIVINI illius mysterii, illustrissimi ac reverendissimi domini, clarissimi oratores, amplissimi præsules, virique ornatissimi, quod hodierna festivitate sancta catholica Romana ecclesia, de immenso divinitus recepto munere tota omnibus suis filiis proponit ubique terrarum suspiciendum ac celebrandum, rationem aliquam, quatenus fas est, inquisiturus, operæ mihi videor facturus pretium, si ejus unius fretus aspiramine, qui hodie a Patre in nomine Filii missus infantium piscatorum linguas non modo ad eloquendum ineffabilia Dei magnalia disertas, sed etiam ad inflammanda frigida Judæorum & gentium pectora ignitas fecit, sedula & quam fieri a me poterit solerti indagine investigavero. Quare oportuerit paracletum alium præter eum, per quem gratia & veritas facta est, cœlitus etiam mitti. Quis, ad quos, quando, ubi, quomodo, & quid postremo ecclesiæ Dei profuturus advenerit. Quæ ubi in divini Spiritus gloriam, quę cum sanctæ catholicæ ecclesiæ, & sacri œcumenici concilii dignitate est conjuncta, & pro temporis angustiis carptim per summa capita, & pro institutæ brevitate dilucide, non tam fucata phaleratæ orationis lenocinia, quam simplicem Christianæ concionis expositionem consectans attigero, propositi argumenti finem nactus, dicendi etiam faciam. Si modo quem vestra, (vos imprimis appello illustrissimi ac reverendissimi domini) summa apud me auctoritas, etiam, quam pia tulit modestia, retinentem, imbecillitatis propriæ conscium, ad dicendum de re omnino in ecclesia Dei difficillima & gravissima in sanctissimo & eruditissimo reipublicæ Christianæ senatu fere impræmeditatum compulit, eumdem dicere jam & obedire paratum benevolus favor excipiat & animet, dicentem vero benigna attentio recreet & refocillet. Id quod non tantum a vestra incredibili pietate, sed etiam ab insigni reliquorum dominorum meorum clarissimorum & reverendissimorum humanitate ita mihi demum concedi credidero, si una mecum omnes a Deo optimo maximo postulaveritis, novos & pares ad rem tantam aggrediendam spiritus, internuncia beata virgine: quæ supervenientis Spiritus sancti afflatu gratia plena concepit & peperit filium Dei. Quam ideo, ut de more est, angelico eulogio in genu provoluti salutemus.

Quare missus fuerit Spiritus sanctus. Gen. 1. 2. Ephes. 1. Gal. 4. Joan. 12. 2. Cor. 5.

Quæ in temporis initio ex benigna creatoris omnipotentia pro naturæ institutæ viribus valde bona creata, sed illico ex maligna creaturæ voluntate in proprii peccati defectu, fuerant enormiter depravata, eadem sive quæ in cœlis, sive quæ in terris sunt in temporis plenitudine ex clementi reconciliatoris misericordia secundum divinæ gratiæ donum fuisse omnia instaurata & velut innovata, iis qui in Christianæ religionis adorandis mysteriis pie & decenter ex sacro evangelio eruendis exercitatos habent A sensus facillimum est observare, & evadit perspicuum. In qua tamen universi & conditione, & instauratione mirum profecto, quam sibi omni ex parte concinat illa in omnium illustrium theologorum ore decantata mundi utriusque, naturæ simul & gratiæ harmonia. Unde ex observatis in rerum omnium creatione, & indiscreta unius divinitatis operatione, & attributo cuique hypostasi munere, similem in generis humani salute annotare liceat, & communem unius essentiæ misericordiam, & accommodatam tribus personis benignitatem, dum velut per recapitulationem, ut cum D. Hieronymo loquar, quo ordine olim in principio creatas res commemoramus, eodem fere post in sæculorum fine instauratas admiramur.

ANNO CHRISTI 1563.

Tit. 3.

In principio creavit Deus cœlum & terram: In fine *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi*. In principio omnipotenti patri attribuitur ex nihilo procreata *terra inanis & vacua*: In fine nemo potest venire ad Filium, *nisi pater, qui hunc misit, traxerit eum*. In principio sapiente Filio adscribitur illustratio tenebrarum, *quæ erant super faciem abyssi*: In fine nemo novit patrem, *nisi cui voluerit Filius revelare, lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. In principio Spiritus domini ferebatur super aquas, aut significantius, ex energia vocabuli Hebræi מרחפת Incubans vivifico calore fovebat: In fine Spiritus sanctus, quem misit pater in nomine Filii, ceu igneus sedit super singulos & replevit omnes gratia divina. Ut jam ita videas utrobique, omnium, quæ perfecta sunt Dei opera, initia ingeniti Patris potentiæ media unigeniti Filii sapientiæ, fines procedentis ab utroque Spiritus sancti bonitati optime vendicari, & velut accepta referri. Id quod non modo ex ea, quæ divinitus populo Dei revelata est doctrina, sed etiam ex ipso omnium sensibus exposito naturæ libro intelligi potest. Unde manuducamur ad eminus quidem prospiciendam, sed ita magis adorandum cum unitate essentiæ personarum trinitatem in illo uno rerum omnium primo principio, a quo indicibili modo perfecta sunt, cujusque rei primordialia tria initia, non usquequaque obscura divinarum personarum vestigia.

Gene. 1. 2. Cor. 5. Genes. 1. Jo. 6. Genes. 1. Mat. 12.

Joan. 1. Genes. 1. Joan. 14. Act. 2.

Deut. 32.

Hic magna nobis aperirentur philosophandi spatia. Hæc enim sunt illa tria a poetis cantata rerum primordia, Chaos, Oceanus, Jovialis vigor: A Pythagoricis connumerata, Monas, Dyas, Trias: vel commensurata initia, Punctus, Linea, Superficies: ab Epicureis suspicata commistionis exordia, Atomi, Inane, Plenum: a Stoicis provisa generationis fata, Atropos, Clotho, Lachesis: ab Academicis opinata constitutionis elementa, Parvum, Magnum, Idolum: a Peripateticis demonstrata transmutationis principia, Subjectum, "Disputatio, Habitus.

" privatio

Ut mittam hic mysticam illam philosophandi antiquorum sapientum rationem, sive Magorum apud Ægyptios versus orientem, sive Chaldæorum apud Syros versus Septentrionem, sive Gymnosophistarum apud Indos ad Meridiem, sive Druydum apud Gallos ad occidentem. Quorum suis quisque hieroglyphicis uniuscujusque rei principiorum triadibus ad divinam trinam unitatem videntur secundum eas, quæ in rebus singulis apparent primæ notæ, clarius, quam credi potest, spectasse, & ad tam insigne spectaculum universum orbem convocasse. Quos tamen primos rerum characteres illustriores reddidere

cele-

ANNO CHRISTI 1563.

celebres illi priſci theologi, qui iidem erant conſummati philoſophi, in communibus rerum omnium proprietatibus, quæ publice tranſcendentia vocantur: quæ ſic omnia in omnibus ſint, ut omnia in quovis, & quodvis cum omnibus inconfuſe uniatur, dum velut quodam ineffabilis participationis modo & ordine unumquodque per miram quamdam accommodationem habere dicitur ab ipſa Deitate, ut ſit Unum, a Patre, ut ſit Ens, a Filio, ut ſit Verum, a Spiritu ſancto, ut ſit Bonum. Qua maxime ratione ſic iſti, quoad licet, ſignificaſſe videntur incomprehenſibilem illam, in ſingulari identitate diſtinctionem. In ſimili æqualitate ordinem, in æterna unitate proceſſionem.

Sed hæc quidem hactenus, & velut per tranſennam adduxiſſe ſatis ſit: quatenus inquam, faciunt ad ita magis & accommodatius pro noſtra virili, quod primo loco propoſuimus, docendum ex analogia naturæ, in ſingularitate cauſæ adumbratur pluralitas rationum, quam decuerit, quamque etiam oportuerit in gratia, ubi in unitate eſſentiæ exprimitur trinitas perſonarum, ut regnum cœlorum ſic a Deo ipſo ſibi reconciliatum intelligeretur, ut quod Pater, ex quo omnis πατρια nominatur, mittendo Filium ſuum dilectum cum atteſtatione æternæ voluntatis fundaſſet. Filius a Patre miſſus redimendo in ſuſceptæ humanæ carnis veritate aſſeruiſſet; illud itidem Spiritus ſanctus a Patre in nomine Filii miſſus ſanctificando in figura linguæ igneæ informaret.

2. Cor. 5. Galat. 4. 2. Tet. 1. Epheſ. 3. Joan. 3. Matth. 17.

Quis autem ille ſit Spiritus, quia Deus eſt, nequit cogitatione comprehendi, tantum abeſt ut verbis explicari poſſit. Paracletus tamen eſt ex ſacro evangelio & Spiritus ſanctus. Spiritus quidem Dei, advocatus & conſolator hominis. Dextræ Dei digitus, Spiritalis hominis unctio. Primum in Deo donum, ſummum in homine munus, procedens a Patre & Filio ab æterno, amborum ineffabilis nexus, miſſus a Patre in nomine Filii in tempore, humanorum cordium artiſſimum vinculum. A quibus procedit amor eſſentialis, ab eiſdem mittitur caritas participabilis. A quibus procedit nihilo minor, ad quos mittitur infinito major. Unde procedit ſecundum naturam immanens, quo mittitur per gratiam inhærens. Ex proceſſione Deus donans, ex miſſione divinum datum. In proceſſione nullibi non ſemper exiſtens ſecundum præſentem eſſentialem potentiam, in miſſione ubi non erat aliquando cohærens ſecundum inhærentem accidentalem gratiam. Proceſſione extra omnia, ſed non excluſus: intra, ſed non incluſus: Miſſione a peccatoribus propter eorum demerita velut ſecluſus, in ipſis autem juſtis ſimul cum illorum meritis quodammodo concluſus. In proceſſione a nemine in propria forma unquam viſus, natura uniformis, in miſſione varie in alienis figuris nonnunquam apparens, gratia multiformis.

Luc. 3. Jo. 8. 14. 1. Cor. 6. Act. 2. Heb. 2. Qui fuerit miſſus. Joan. 14.

Atque ut de aliis apparitionibus in præſentiarum taceamus, ut velut jacta ſunt fundamenta, de ea nunc dicamus, ubi ædificatio Dei coronidem accepit. Ubi inquam, Spiritus ſanctus a Patre in nomine Filii miſſus, cum complerentur dies pentecoſtes effuſus ſuper omnem carnem ad eos venit, qui erant omnes pariter in eodem loco. O mira inſinuatio univerſitatis unitæ & unitatis univerſæ: *Erant omnes pariter in eodem loco.* Potuit ne, vos oro, patres ſanctiſſimi, verbis aliis expreſſius deſignari una illa unius ſponſi columba? Unum illud unius Spiritus corpus? *Erant*, inquit ille, cujus laus eſt in evangelio, *omnes pariter in eodem loco*: erant in regno cœlorum *omnes* quoad fidei & ſacramentorum communionem, *pariter*, quoad concordem caritatis connexionem, *in eodem loco*, quoad mutuum in neceſſitatibus auxilium: Ut cum in idipſum pro invicem ſoliciti alter alterius onera portarent, ſic adimplerent legem Chriſti. Erant, inquam, in corpore Chriſti *Omnes*, quoad plenam membrorum integritatem. *Pariter*, quoad membrorum ad ſe invicem confeſſionem. *Ibidem*, quoad membrorum cum capite conſpirationem: ut ita vere eſſent conſummati in unum, ſervantes unitatem Spiritus in vinculo pacis. Hoc autem unicum & Dei regnum, & Chriſti corpus an non illa eſt una ſancta catholica & apoſtolica eccleſia? Expendamus obiter id quod proxime præceſſit, unde hæc, quæ nunc dicuntur, pendent. Iſti enim qui erant omnes pariter in eodem loco, illi ipſi ſunt fratres, in quorum medio, *erat autem turba hominum fere centum viginti*, exurgens Petrus expoſita propheticæ prædictionis veritate, complendum tunc duodenarium apoſtolorum numerum paulo ante ſtatuerat.

ANNO CHRISTI 1563.

2. Cor. 8. 93. diſt. 1. legimus de conſ. diſ. 4. c. Eſt unitas.

1. q. 1. c. multa.

1. Cor. 12. Galat. 6. 1. Cor. 12. Coloſ. 2. Joan. 17. Epheſ. 4. Epheſ. 1. Act. 1.

O mirum hæc dictantis Spiritus ſancti conſilium! Quis tam emotæ mentis, & a communi judicio alienus fuerit, qui hic non intelligat, non videat, non tangat, & plenæ univerſitatis catholicæ eccleſiæ in ipſo numero ſymbolum, & diſpenſandæ hierarchiæ eccleſiaſticæ in re geſta rationem? An non etiam elementarii pueri norunt, 120. ex decuplato, 12. conſtitui? Quis autem Chriſtianorum neſciat, fuiſſe a Chriſto domino electos duodecim apoſtolos, velut duodecim acquiſiti populi principes, & tanquam duodecim civitatis Dei fundamenta? Divino ut Deum decebat conſilio ex mirifica ipſius duodenarii perfectione reſultantis ex multiplicatione 3. & 4. primorum ſcilicet numerorum in divinitate & natura. Quorum ego myſticas rationes etiam ex Pythagoreorum ſchola petitas, ſed minime inſtituto ineptas variis exemplis naturæ, legis & gratiæ pro virili illuſtrandas ſuſciperem, niſi vel lucem Soli addere, vel ſus Minervam docere inſtituti oblitus viderer voluiſſe. Unicuique autem duodecim apoſtolorum ſuus tribuitur denarius, qui univerſitatis numerus ab omnibus eſſe conceditur, non modo quod omnes ſpecierum differentias in eo latere ſubtiliter diſputet Academia conſentiente Lyceo: verum etiam quod nulla ſit inventa unquam natio, quæ ſupra decem numerando aſcenderit. Id quod ſatis evidens ſignum videtur, commiſſam fuiſſe in univerſum ſingulis apoſtolis indefinitam facultatem, in eo quod omnibus præcipitur, ut euntes in mundum univerſum prædicarent evangelium omni creaturæ. Sed tamen in pari electionis conſortio, diſparem fuiſſe conditionem, & in ſimili legationis honore diſcretionem quamdam poteſtatis.

Joan. 11. 15. Luc. 21. Pſal. 44. Luc. 6. 9. 21. Apoc. 21.

Epheſ. 4. Mar. ult. Anacl. ep. 2. diſtin. 22. Sacroſanctæ clementes di. 80. in illis.

Quæ ſanctorum patrum ſententia eſt, vel ex illo uno facile colligitur, quod Petrus, ſuper quo potiſſimum, ut ſoliditſſima petra fundata fuit eccleſia Chriſti, & cui præ ceteris traditæ claves regni cœlorum, mandatam ſibi ſpecialius ovilis dominici curam agere jam hic ſuo ipſius jure ante miſſionem Spiritus ſancti videatur, dum ſponte ſua exurgens in medio fratrum ſacram ſcripturam cum auctoritate decernendi interpretatur: Quod propheticæ prædictionis

verum

Ad quos miſſus ſit Spiritus ſanctus.

Joel. 2. Act. 2. Cant. 6. Epheſ. 4. Matth. 20. 22. 23.

Leo ep. 84. Alex. 14. q. 1. Audivimus. Acto. 1.

ANNO CHRISTI 1563.

verum sit complementum dogmatizans statuit: complendæ veritatis tempus & modum divinitus definit: assumendum proinde in apostolatum, qui primus est in ecclesia gradus, duodecimum quemdam constituit: Ex quorum autem numero eligendus ille sit, præcipiens determinat; & alia hujusmodi facit, unde non leve sumas argumentum, fuisse primam & summam in apostolatu Petri auctoritatem & confirmandi in fide catholica, & statuendi in moribus Christianis, & regendi in Hierarchia ecclesiastica. Quæ quidem facultas tametsi ab ipso divino Christi Spiritu ecclesiæ velut corpori suo in præcipuis ejus membris fuerit communicata, nihilominus tamen ita dominus ad omnium apostolorum officium pertinere eam voluit, ut in beatissimo Petro omnium apostolorum summo principaliter collocaret, ut ab ipso quasi a quodam capite dona sua velut in corpus omne diffunderet.

Leo epist 89. dist. 29. c. ita dominus.

Quâdo missus Spiritus sanctus.

In quo quidem ordine fundatam & dispositam ecclesiam universam a Deo Patre in ipso Christo Jesu domino nostro (ne recens aut humanum suspiceris inventum) Spiritus sanctus suo manifesto & celebri adventu confirmavit & constabilivit: *Cum complerentur dies pentecostes.* Non sine magno numeri mysterio. In quinquagesimo enim die completio perfectissimi numeri quadrati, hoc est, septenarii in seipsum ducti, designatur. Septies enim septem efficiunt quadraginta novem. Cujus tamen completio ad sequentem pertinet quinquagesimum addita monade, quæ præsentis sæculi meta, & futuri initium perpetuitatem sub octavæ diei dominicæ rationem continens, sic præsentia terminat, ut nos ad æterna intromittat. Quemadmodum horum numerorum mysticam rationem pulcherrime multis adhibitis & rationibus & exemplis ad hoc ipsum institutum accommodans Gregorius Nazianzenus (solet enim ille, ut reliqui omnes antiqui patres, libentissime spatiari in hujusmodi numerorum sacramentis exponendis) appositè tradit, quinquagesimum diem apud Hebræos vocari sanctum: annum autem quinquagesimum jubilæum, ubi omnium fit restitutio & ab integro renovatio. Conveniunt profecto hæc omnia mirifice hujus diei solemnitati.

Naz. ser. de pent.

Verum enimvero si nobis aliquid addere liceret ex ea, quam initio proposuimus, naturæ & gratiæ analogia, sed tunc in magno, nunc autem in parvo mundo, fortassis non usquequaque inepte diceremus, optime missum manifesto ignis signo Spiritum sanctum quinquagesimo a resurrectione, hoc est, decimo die ab ascensione domini. Ubi jam ille quadantenus fuerat a Christo datus, juxta eam, quam physici doctiores observant in fœtu humano perfectam & manifestam animationem quinquagesimo, imperfectam autem & latentem quadragesimo a conceptione die post intermediam præparationem & organorum quamdam distinctionem ad excipiendam animam, quæ actus organici corporis est, necessariam, a virtute decisi seminis quod artifex generationis a medicis appellatur, mirabiliter anticipatam. Ut pari modo ecclesia divinum semen dicatur primum ceu sata & progenita in paraseeve ex latere Christi in profluente inde cum sanguine aqua (cui seminariam omnem virtutem usque adeo philosophi tribuunt, ut physicis dicta censeatur aqua, a qua omnia sint, poetæ Citheream Venerem fabulentur ortam ex spuma maris, & ut aliqui addunt, cœlesti cum sanguine mista) tertia deinde die velut concepta & plene genita, ut ideo omnes qui ex baptismali aqua regeneramur, in morte, sepultura, & resurrectione Christi renati dicamur: post per quadraginta dies, quibus ars Patris Christus apostolis apparens loquebatur de regno Dei, velut in dies magis exculta & erudita, accepto etiam interim Spiritu sancto, sed & tanquam imperfecto quodam & occulto modo; postremo cum complerentur dies pentecostes susceptо ad plenum & publicè Spiritu illo in figura ignis, non Jovem, sed Deum nostrum designantis, per cujus inspirationem factus fuit olim homo in animam viventem, informata, animata, ac vegeta constansque fuerit, consummata quadam & divina virtute etiam ad edenda publice, quoniam opus esset, prodigiosa miracula. An quam publicam inspirationem spectasse videtur Helisæus, cum rem difficilem, duplicem Heliæ Spiritum postulabat. Itaque in illis jam ante inchoatum munus nunc accipit adjectionem largitatis. Quam cum sæpe alias discipulis Christus promisisset, tum maxime, quando in cœlos ascendens *præcepit eis, ab Hierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem patris.*

ANNO CHRISTI 1563.

Rom. 6.

Act. 51.

Joan. 20.

Act. 2.

4. Reg. 2.

Joan. 4. Ubi ad ecclesiam missus Spiritus sanctus.

Ubinam, vos obsecro, sanctissimi patres, conveniebat magis ad ecclesiam mitti Spiritum sanctum, quam in Hierusalem civitatem Dei viventis, & si Nicephoro credimus, in domo Joannis apostoli, aut ut aliis magis placet, in ædibus Joannis Marci evangelistæ, & in superiore parte domus? Hic jam obruor magnitudine materiæ, & velut opprimor a gloria. Ut enim nihil accommodatius ad exornandam ecclesiæ dignitatem afferri potest, quam civitatis sacerdotalis & regiæ sanctitas, virginis Joannis gratia, partis superioris excellentia: ita si hoc ipsum argumentum foret per omnes suas partes dilatandum & amplificandum, nullum fere unquam esset habitura oratio modum.

Niceph. lib. 6. Apoc. 21.

Quid Spiritus sanctus missus.

Quare memor instituti mei, memor etiam dignitatis vestræ, satis esse duxi, si cum digitos intenderim ad fontes perstringam quomodo Spiritus sanctus venerit. Cum, inquam, *factus est repente de cœlo sonus tanquam advenientis Spiritus vehementis, & replevit totam domum, ubi erant sedentes, & apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, sedit que super singulos eorum, & repleti sunt omnes Spiritu sancto & cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis.* O inexhaustum mysteriorum Dei pelagus! Quot audis verba, quot dispungis incisa, quot disterminas membra hujus sacræ lectionis: tot perennes fontes, tot profunda flumina, tot redundantia maria sacramentorum divinorum tremebundus venerare. O summa & ineffabilis evangelicæ gratiæ legis præstantia! Percute omnia naturæ spatia. Scrutare omnes legis Mosaicæ scripturas: invenies munera aliqua, quæ similitudinem quamdam cum his habere videantur, sed illa quidem sparsa, & sua fere quæque singulis exiliter exhibita, rudia & inchoata: hæc tamen omnia simul omnibus affatim concessa, perfectiora sane singula, consummatissima vero cuncta, atque ut unum satis sit pro multis exemplis, age, libet jam, Judææ, modum collatæ populo tuo legis, de quo usqueadeo insolenter etiam nunc gloriaris, cum superiori componere, ut intelligas fuisse illic velut prima adumbrata lineamenta, hic autem vivos expressos colores. Fuit quidem vestra quinquagesimo die post liberatum populum a servitute Ægyptiaca

Joan. 19. Act. 2.

Exod. 19.

ANNO CHRISTI 1563.

ptiaca divinitus data : ſed per manum Moyſis in vaſta & horrida eremo. Noſtra autem in die pentecoſtes poſt redemptum genus humanum a tyrannide diaboli, ſed per inſpirationem ipſius ejuſdem Dei promulgata in florentiſſima civitate ſancta. Veſtra in abrupto montis præcipitio: Noſtra in ſublimi domus cœnaculo. Veſtra cum fumoſa clangorum caligine : Noſtra cum ſplendido linguarum igne. Iſta in tenebris, & procellis : Hæc lucente prorſus die: Iſta tumultuario populo, & vix oculos in montem terrificum levare audienti: Hæc diſcipulis ſedentibus & ſumma cum manſuetudine totis e cœlo propitio pendentibus. Denique fuit lex Moyſis in lapideis tabulis ſcripta a vitando potius malo rigide coercens graviſſimo comminato ſupplicio: Lex autem gratiæ in humanis cordibus inſculpta, ad agendum magis bonum novos Spiritus addens inæſtimabili propoſito præmio.

Quid Spiritus ſanctus miſſus eccleſiæ profuerit.

Id quod repentinum in ſuſcipientibus factum miraculum, omnium quæ unquam fuerint maxime mirandum confirmat mirifice. Stupet hic Judæus ſacramentorum novitate & linguarum varietate commotus. Miratur jam multo magis Græcus in barbaris piſcatoribus ſubitam divinam ſapientiam & extemporaneam dicendi facultatem, dum pro Chriſti ad eccleſiam ſuam promiſſo, mittitur Spiritus ſanctus a Patre in nomine Filii, replet totam domum, ſedet ſuper ſingulos, complet omnes gratia divina, dat eloqui variis linguis magnalia Dei: Imo docet omnia, ſuggerit quæ Chriſtus dicturus erat: Multa enim ille, dum ſuam eccleſiam cum diſcipulis converſus inſtitueret habebat dicere, quæ tunc rudes animi portare non poterant. Tametſi omnia quæ audierant a Patre, nota fecerat eis, ſed quæ & quatenus eos ſcire tunc oportebat, qui craſſa ut dicitur Minerva, tanquam tyrones diſcipuli erudiendi, & lacte, non ſolido cibo velut parvuli nutriendi erant: attamen cum venit Paracletus cœleſti calore confirmans, excelſa gratia corroborans, divina virtute conſtabiliens Chriſti diſcipulos, qui erant omnes pariter in eodem loco, docuit in illis unam ſanctam catholicam & apoſtolicam eccleſiam omnem veritatem. O ſingularis eccleſiæ Chriſti dignitas! Cujus vix exilem quamdam umbram tandem aſſequutus eſt juge, pertinax & indefeſſum philoſophorum ſtudium, ut ideo ſapientiſſime ex omnium ſapientum conſenſu dixerit Democritus, veritatem in altiſſimo & tenebroſiſſimo puteo jacere ſubmerſam, eam omnem facto repente de cœlo ſono docetur eccleſia Dei? Atque ita docetur, ut non tam doctrinam didicerit, quam doctorem ipſum ex oratione Filii ad Patrem penes ſe retinuerit, qui maneat cum illa in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non poteſt accipere. Hæc ergo eſt lex noſtra, quæ ſcripta eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis. Hæc doctrina noſtra, unctio Spiritus ſancti docens nos de omnibus, ut non neceſſe habeamus, ut aliquis nos doceat, qui non eodem ſpiritu inſpiratus loquatur ſanctus Dei homo, minime autem is qui foris eſt. Hic legiſlator, hic magiſter noſter, Spiritus Dei qui habitat in nobis, qui omnia ſcrutatur etiam profunda Dei.

Joan. 14.
2. Cor. 13.
Rom. 5. 2. 1. Joan. 2. 2. Pet. 2. 1. Cor. 2.

Eant jam iſti iniqui rerum eccleſiaſticarum cenſores, & alia importune quærant expreſſa legis & doctrinæ divinæ verba, quam quæ ipſa ſancta eccleſia catholica vel tanquam jam olim expreſſa, ſed in ſuo ſenſu haberi vult, vel quæ nunc exprimit pro temporum neceſſitate ex revelatione inhabitantis Spiritus ſancti, magiſtra facta veritatis, columna & firmamentum. Hoc autem magiſterium exercere illa, quanam commodiore ratione poteſt, quam quæ per totum orbem diſperſa eſt, in eumdem pariter locum legitime congregetur? Juxta quam rationem ſignificari etiam eccleſiam ipſam in iis, ſuper quos Spiritus ſanctus deſcendit in die pentecoſtes, quoſque etiam docuit, ut dictum eſt, omnem veritatem, non modo rei geſtæ veritas & conſenſus ſubindicare, ſed ipſa verborum ſeries & conſtructio præ ſe ferre videtur. Quinimo ſublimiorem quamdam congregationi legitimæ convocatæ conceſſam prærogativam, & hoc ipſum Spiritus ſancti factum ſatis indicat, & illa Chriſti domini doctrina comprobat, ubi promiſit ſe affuturum in medio illorum, qui duo vel tres fuerint nomine ipſius congregati. Quod & ipſa apoſtolorum praxis confirmat, præſertim illa, quando D. Paulus judicat in nomine domini noſtri Jeſu Chriſti congregatis Corinthiis & ſuo ſpiritu, cum virtute domini noſtri Jeſu Chriſti tradere inceſtuoſum hominem ſatanæ. Hinc videtur optimo ductu effici, ut illa catholicæ Dei eccleſiæ per adventum Spiritus ſancti donata ſuprema & divina auctoritas illi etiam ſacro conventui communicata ſpecialius ſit, ubi caput & potiſſima membra pariter in eodem loco legitime congregata dicere ſimul vere poſſint: *Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis*. Non modo quod non poſſit alia ex omnibus fidelibus fieri in unum pariter locum convocatio, nec quod, & ſi poſſet, non tamen debeat, tanquam contraria & adverſa inſtituto & rationi ſacri concilii & catholicæ apoſtolorum conſuetudini, verum etiam propter illam, quam obſervamus apud utrumque teſtamentum ſacerdotalis in populo Dei præeminentiam & energiam, in iis præſertim quæ ſunt ad Deum. Unde neceſſario conficitur, ut cum in multis aliis, tum in hoc ipſo maxime ſacerdos pro univerſo ſibi ſubdito populo habeatur. Ubi ſcilicet fit conſenſus inferiorum ad ſupremum & conſpiratio multorum in unum. Siquidem hic imprimis verum illud eſt philoſophorum proloquium, & communis animi conceptio : Unumquodque illud eſt, quod in ipſo potiſſimum eſt.

Act. 15.
Exod. 16. Luc. 10. Ezech. 5.

Hæc igitur eſt œcumenici ſacri concilii legitime convocati ſumma dignitas, ſublimis auctoritas, divina poteſtas per Spiritum ſanctum catholicæ eccleſiæ divinitus communicata. Ubi caput & membra præcipua, ſummus Romanus pontifex, vel ejus vicem gerentes legati, & ceteri eccleſiæ majores antiſtites vere catholicam & univerſalem eccleſiam repræſentant omnes pariter in eodem loco.

Dist. 15. c. ſicut.

Quæ ſi ita ſunt, ut quidem ſunt, *O inſenſati Galatæ*, ad iſtos ſub hoc ficto nomine nunc etiam noſtra ſe convertat oratio, *quis vos faſcinavit non obedire veritati*, & ſacri Tridentini concilii paterna monita, ut a benignitate Spiritus ſancti profecta, non verenter & grataner ſupplices accipere, iſtius quæ apud vos longe lateque diu, multumque graſſatur (atque utinam non longius ſerperet virulenta contagio, quod ſiccis oculis nequeo ſatis dicere) pernicioſiſſimæ animorum peſtilentiæ præſentanea antidota & unica remedia? Quid, an non Tridenti ſunt, quod vos ineptiſſime objicitis, catholici omnes? Ubi interſunt, qui non minus digne, quam legitime vices gerant omnium? Ubi illuſtriſſimi ſanctæ apoſtolicæ ſedis legati, plena ſummi Romani pontificis, qui ex ſucceſſione Petri principis apoſtolorum, eſt ipſius

3. Reg. 8. 1. Mac. 4. 30. 17. dist. per tot. 24. q. 1. c. quoniam

ANNO CHRISTI 1563.

sius ecclesiæ catholicæ fundamentum & caput, pro Christo vicarius, potestate & vice muniti ordine suo & merito præsident. Imo ubi ipse idem multo magis re, quam nomine Pius pontifex optimus maximus præsens esse optima ratione dici potest, ut qui pro ea, quam commissæ sibi divinitus ecclesiæ Dei vivi habet solicitudinem ad sanctæ Tridentinæ synodi patres, dum illos ad eam solicitudinis partem in quam vocati sunt, etsi sponte sua currentes, ut alacrius currant paterne incitat, novos etiam addens animos subinde mittat, non minus vere verba, quam jure auctoritatem apostoli usurpans. *Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judico ut præsens in nomine domini nostri Jesu Christi congregatis vobis & meo spiritu, cum virtute domini nostri Jesu.* Ubi, inquam, intersunt omnes ecclesiæ Dei sacratissimi antistites, præcipua Christi corporis membra, ex omni gradu principalis in hierarchia ecclesiastica ordinis, ex omni fere provincia late patentis in monarchia sæculari ditionis. Intersunt, inquam, in tam frequenti numero omnes, quum nemine excepto, nemine excluso, ad quem jure pertineret, non cantum communibus sanctæ apostolicæ sedis mandatis convocati sint omnes, verum etiam privatis imperatoris, regum & principum monitis cohortati sint, qui magis idonei viderentur, adhibitis præterea quam plurimis sacræ theologiæ & divini humanique juris doctoribus, viris pientissimis ac undecumque doctissimis. Quorum etiam fere omnium catholicorum principum clarissimi oratores merito quidem suo tantorum dominorum personam decenter sustinentes hic adsunt, ut adjutores, fautores, & assertores auctoritatis, dignitatis, & libertatis sacri concilii.

1. Cor. 5.

Imp. Constantin. in syn. Nicæ. Theod. in synod. Ephes. 1. Mart in syn. Chalced. Act. 4. 1. Cor. 1. Philip. 2. 3.

Quid, inquam, an non etiam isti omnes pariter sunt in eodem loco, quorum sit cor unum & anima una: In quibus nullæ contentiones, nulla schismata: qui idem dicant, idem sentiant, idem sapiant, eamdem caritatem habentes, unanimes, perfecti in eodem sensu, in eadem sententia? Apagete cum vestro isto præpostero & impio judicio, qui aliud & sentitis, aut judicatis de sanctissimis nostris patribus. Quos magnam partem ab extremis terrarum finibus nulla bonorum dispendia, nullas itinerum difficultates, nulla salutis & vitæ incommoda veritos per mare, per terras, per tot discrimina rerum, ad vos, ad vos fere ipsos adduxit, invexit, inter horrendos rigentium Alpium scopulos inclusit, in istas Tridentinas Germaniæ fauces volentes ingessit una vestræ calamitatis commiseratio, una fidei catholicæ assertio, una disciplinæ Christianæ instauratio, una, inquam, una, mihi credite, diffusa per Spiritum sanctum in illorum cordibus Christiana caritas: quæ non quærit quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi. An igitur dubitabitis, ut, cum compleantur dies pentecostes, & hi patres sancti in nomine Jesu Christi pro catholica Dei ecclesia sint legitime congregati omnes pariter in eodem loco, etiam si non fiat repente de cœlo sonus, nec appareant dispertitæ linguæ tanquam ignis, quæ in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus: nihilominus tamen latenter miro suo, quo solet, modo se sanctis insinuare pectoribus, Spiritus sanctus a Patre in nomine Filii missus repleat totam hanc sanctam domum Tridentinam, ubi illi sunt sedentes, & perseverantes omnes unanimiter in oratione: sedeat super singulos, & perseverantes omnes unanimiter in oratione: sedeat super singulos, & repletos omnes cœlesti gratia doceat omnia, suggerat quæcumque Christus ipse dixerit: ut jam in ferendis suffragiis, in dicenda sententia libere loquantur, prout Spiritus sanctus dederit eloqui illis.

ANNO CHRISTI 1563.

Quid ergo causamini? quid hæretis, o miseri, quominus accedatis in meliorem jam sortem & conditionem benigne vocati? Prophani, ad expositum totius sanctitatis Capitolium: Ignari, ad apertam omnis veritatis scholam: Perditi, profligati, desperati, ad obvium universæ salutis asylum? Quid veremini? quid timetis? An fortassis schismatici apostolicæ Petræ soliditatem, quam sæpe impie concutere & proscindere estis conati? Atqui adsunt illius indulgentissimæ matris illustrissimi legati, qui vos vere pœnitentes & conversos facile & benigne in ejus communionem & sinum complectentur. An etiam seditiosi imperatoriam & regiam majestatem, quam furore magis, quam consilio inique nonnunquam læsistis? Atqui adsunt clementissimorum imperatoris, regum, & principum clarissimi oratores, qui libenter supplicibus vobis & veniam petentibus illorum nomine offensas condonabunt. Revertimini ergo, revertimini vos, vos appello, quorum adeo infelix & infausta est conditio, ut nec vestrum audeam proferre nomen, genus, aut patriam: Revertimini, inquam, ad Pium episcopum & pastorem animarum vestrarum, qui inventas quæ perierint oves, impositurus est in humeros suos gaudens, & veniens convocaturus amicos & vicinos ad mutuam de vestra salute congratulationem.

Revertere & tu quoque quisquis es tandem ad te conversus vel conscientia tantorum malorum, quorum præcipuus fueris fautor, vel etiam auctor vere prodigus tui ipsius & tuorum, atque confisus de summa & obvia piissimi patris benignitate detestatis hæresibus, execratis flagitiis ad pedes prostratus ex intimo cordis recessu clama: *Pater peccavi in cœlum & coram te.* Ne dubita: ibit obviam longe venienti, irruet in amplexus & oscula: ornabit vestibus & annulo nudum: excipiet lautissimo convivio famelicum: choreas ducet, & ludos aget festivus cum jucunda illa acclamatione: *Manducemus & epulemur, quia hic filius meus mortuus erat, & revixit: perierat & inventus est.* Quod ut istis miseris donet in Spiritu paracleto sancto per Jesum Christum dominum nostrum, pater ille misericordiarum & Deus totius consolationis, agite jam, patres sanctissimi, pro sancto totius ecclesiæ more, pro sacri concilii hujus instituto, pro innata vestra omnium pietate, clementissimam illius majestatem supplices hoc præsertim die instantius oremus, cum ecclesia dicentes: Mentes istorum, quæsumus domine, paracletus, qui a te procedit, illuminet, & inducat in omnem, sicut tuus promisit filius, veritatem. Qui cum eodem Filio in unitate ejusdem Spiritus sancti vivis & regnas Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

ANNO CHRISTI 1546.

CXX.

SENTENTIA DOM. GUILIELMI de Prato, episcopi Cauarinensis, de residentia prælatorum. Dicta in congregatione concilii Tridentini V. Idus Januarii anno MDXLVI.

REVERENDISSIMI atque illustrissimi domini, vosque venerandi patres, si hic animi mei sententiam super decreto de residentia nobis oblato aliquanto latius explicavero, vestræ dominationes reverendissimæ dignabuntur me patienter audire, & mea dicta boni consulere. Nam decretum ipsum etsi videatur sapienter B compositum, & forsitan ecclesiis Italiæ satis profuturum: tamen quia morbus, cui veluti medicina opponitur, per universum orbem longe lateque grassatus est, mihi videtur ceteris regionibus, & præsertim nostræ Galliæ, per istud decretum non perinde satisfactum. Idcirco rem ipsam qua potero brevitate, & qua decet humilitate altius repetam, ne cum apparuerit princeps pastorum, in me competere possit illud: *Væ mihi quia tacui.* *Isai. 6.*

In primis nobis magnopere verendum est, patres, non solum ne hic operam nostram luserimus, verum etiam ne Christiani orbis malum auxisse videamur, quod equidem non dubito factum iri, si, quod absit, de ista residentia nunc C frigide & superficialiter, statuerimus: etenim hoc pacto nec Deo, nec conscientiis nostris, nec summo pontifici, nec denique orbis expectationi satisfaceremus. Cum tamen hic simus spectaculum facti mundo, angelis, & hominibus: Primo non satisfaceremus Deo, quia illi exactissimam sumus reddituri rationem pro animabus, quæ defectu & culpa complurium prælatorum non residentium pereunt. Nos, inquam, proculdubio pro illis sumus rationem reddituri, quoniam in hac synodo sacrosancta sumus constituti tanquam speculatores, &, ut sic dicam, Christianæ reipublicæ censores, eo fine, ut hunc errorem re vera intolerabilem cum reliquis corrigamus atque tollamus, & huic gravissimo morbo medeatur in D primis. Quid igitur si, quod Deus avertat, dissimulaverimus, & nescio quo timore hominum, neglecto timore Dei: aut nescio cujus privati commodi cupiditate nunc fuerimus tergiversati? nunquid sic trepidantes timore, ubi non est timor, divinum effugiemus judicium? Nonne nos potius manebit illa non tam prophetica quam divina sententia: *Sanguinem ejus*, nempe vel unius solius animæ perditæ, *de manu speculatoris requiram*? Itaque, patres, quasi nunc simus in morte, & Deo rationem reddituri, ponamus ante oculos districtum illud judicium, & posthabito timore atque amore hominum, rem ipsam tanquam Deo proponente & spectante, imo præsidente & vindicaturo, tractemus ex animo & ma- E gno zelo: alioqui væ nobis, quia Deus non irridetur. *Ezech. 33.*

Secundo, si hanc residentiam tantum perfunctorie tractaverimus, conscientiis nostris non faciemus satis: quæ nisi cœcæ sint, aut prorsus desipiant, ne dicam insaniant, multarum pereuntium animarum, & multorum scelerum sentient se reas, nimirum eorum omnium, quorum rei fuerint ii, quicumque ex hac nostra dissimulatione nacti fuerint occasionem atque licentiam non residendi, sed perseverandi in errore. Cumque A talibus non solum sit reddenda ratio neglecti gregis (quæ tamen vehementer est pertimescenda) sed etiam spoliati, & fructuum perceptorum, & plerumque velut a decoctoribus perperam expensorum, quum interim, ut dicitur in sexto decretalium, clerici non residentes non sint domini fructuum, & eos restituere teneantur, cum inquam, talibus omnium ejusmodi in districto judicio Dei sit reddenda ratio, erit & nobis cum eis, si nunc dissimulaverimus, idque quantumvis nos ipsi resederimus. Quandoquidem dicetur nobis: *si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas*, & illud: *digni sunt morte non solum qui ea faciunt, sed & qui consentiunt facientibus.* *Psal. 49.* *Rom. 1.*

ANNO CHRISTI 1546.

Tertio non satisfaciemus voto & jussis sanctissimi domini nostri papæ. Tantum abest ut ejus sanctitatem hic ullo pacto offendi posse credam, si tantam non residendi licentiam, & gregem suum, non pascendi sustulerimus, tanquam abusum omnium calculis intolerabilem. Beatissimus enim ille ac sapientissimus pater, non alia ratione nos convocavit, quam ut in tollendis erroribus atque abusibus sibi consilium præberemus, & essemus auxilio. Et in hoc ille pro be sanctissimeque fungitur illo summo munere suo. Cur igitur nos ei nostram operam negaverimus, & nostro defuerimus officio? Nam si defectu bonæ voluntatis id fecerimus, ut ex præmissis patet, non sapimus: sin defectu potestatis (ut forsitan arbitrantur nonnulli) utique non minus desipimus. Quid enim est hoc concilium, & quomodo est œcumenicum, si de isto tam pernicioso horrendoque abusu tollendo non possit plene statuere? An non est legitime congregatum? Nunquid acephalum est, & sine capite? nequaquam. Cum igitur ex omnibus suis constet patribus, nempe capite, hoc est, sedis apostolicæ auctoritate, & reliquis membris, & nullum sit schisma in hujusmodi corpore, cur non posset de hoc abusu prorsus abolendo exacte constituere, & omnes & singulos delinquentes cogere in ordinem?

Nam, si & neglexerimus, patres, quemadmodum ultimo loco dicendum restat, impossibile est, ut Christiani orbis justæ & necessariæ expectationi satisfiat. Quare mea quidem sententia non modo oportet, sed & necesse est, ut de residentia ista hic aliquid constituatur exactius, quam in concilio Lugdunensi aut Lateranensi, aut ullo alio veterum conciliorum fuerit unquam constitutum: & quam (cum bona venia dixerim) in decreto nobis oblato constituatur. Siquidem per tantam non residendi licentiam orbis gravissimum malum in dies latius serpit. Quis enim ignorat, hac captata occasione magna ex parte hæreses esse natas, & auctas mirum in modum, in diesque magis ac magis augeri? Nec videntur facturæ finem, donec hanc occasionem quærentibus, occasionem amputaverimus. Quæ omnia non ignorat mundus; quare perquam difficile foret ei amplius verba dare. Expectat itaque & merito expectat, ut non pulchris verbis, ne dicam frigidis, sed re ipsa tantus & tam pestifer tollatur abusus, idque radicitus: & ut quilibet pastor cum suo grege cogatur residere, imo quilibet beneficiatus (modo ex ipso decenter vivere possit) in suo beneficio.

Porro id meo quidem judicio nullatenus fieri poterit, nisi hic quatuor aut quinque exacte constituantur. Atque ita constituantur, ut necesse sit ea observari ab omnibus, cujuscumque sint gradus aut dignitatis, etiam si fuerint cardinales. Nam nullos reperio exemptos ab illo generali non

tam

ANNO CHRISTI 1563. 1. Petr. 5.

tam Petri quam Christi præcepto: *Pascite qui in vobis est gregem Dei*: idque demum veris pastoribus, & non mercenariis, satis persuadere deberet pastoris & mercenarii differentia, a Christo ipso benedicto descripta in evangelio.

Censeo igitur, hæc in primis hic necessario decernenda esse.

Primo beneficiorum, & maxime episcopatuum pluralitas ab omnibus tollatur funditus. Quod ita censeo necessarium, ut optem memoriam istius pluralitatis oblivione sempiterna deleri: tanquam avaritiæ clericalis (ob quam tam male audit ordo sacerdotum) primogenitam & omnium malorum Lernam. Verum ne ministris ecclesiæ congrua stipendia, carnaliaque, ut loquitur Paulus, desint iis qui residere non possent si haberent beneficia, loco beneficiorum poterit pensio aliqua assignari, videlicet qualis & quanta, ubi & quibus videbitur, & æquum erit: idque fiat a pontifice & monarchis, qui talium opera indiguerint.

Secundo, posthac nulla ratione dispensetur cum ætate minoribus. Nam ex hoc dispensationis abusu infiniti alii nascuntur abusus.

Tertio exactius etiam corrigantur illorum abusus, qui prætextu studii non tantum triennio (ut aliquando toleratum est) sed fere per omnem vitam suam, aut per renovationem dispensationis suæ, aut alio quovis fuco, absunt a grege sibi credito. Qua ratione statuatur severius, ne posthac beneficia conferantur, nisi moribus, literis, & ætate dignioribus, inveniaturque modus, quo id inviolabiliter observetur?

Quarto, nulli fiat facultas sectandi aulam alicujus principis, nisi forte princeps ipse ex speciali atque ardua causa aliquem ad se vocaverit, aut apud se retinuerit, idque dumtaxat ad tempus.

Quinto, instituantur hic delinquentium in hujusmodi correctores, qui sub pœnis in jure contentis, & aliis novis, si opus fuerit, cogant omnes & singulos huic salutari parere decreto, cui muneri mihi videntur fore idonei reverendissimi domini cardinales, sed ii soli, qui, si fuerint episcopi, in suis residebunt episcopatibus. Verum quia *litera occidit, spiritus autem vivificat*, & quia anima legis est ratio, &, ut ait quidam, legibus opus est lege, non intelligo episcopos veluti compedibus ferreis aut statuarum more in suis ecclesiis esse constringendos, adeo ut nulla ratione extra diœcesim suam pedem ponere possint, quacumque premente necessitate. Sed quod si forte ad parvum tempus coacti fuerint exire, citius revertantur, & nequaquam sectentur aulam, aut vagentur per orbem, aut alibi sedeant suo neglecto grege, interim tamen frui poterunt & naturali & evangelica libertate, sed simul urantur zelo domus Dei.

Addam sextum, nempe quod deputentur ex diversis nationibus: aliqui ex patribus, qui cum reverendissimis dominis legatis, decreto perfectiori, secundum voluntatem patrum intersint conficiendum: Confectum vero si videatur reverendissimis dominis legatis per manus aliquorum episcoporum mittatur ad summum pontificem. Qui episcopi sanctitati illius consilium sententiamque sacrosanctæ synodi exponant: & vicissim illius beneplacitum nobis referant, ut ejus nobis amplius indicata voluntate ad honorem omnipotentis Dei, animarumque salutem strenue procedamus ulterius. Arbitror autem sanctitatem ejus non solum gratum habiturum, quod nos impedimenta, quæ nos a diligenti nostri pastoralis officii executione interdum remorantur, funditus sustulerimus, verum etiam ipse pro sua incomparabili bonitate & sapientia, prorsus abolenda. ut confido, curabit obstacula illa, quæ Romæ inter aliquos cancellariæ & pœnitentiariæ ministros obstant, quo minus ipsius sancto desiderio, atque ecclesiæ Dei ædificationi satisfiat: & quæ ipsius sanctitatis, piæ mentis & voluntatis fructus arcent aut abigunt: sicque esuriens Christianus populus salubribus commendatisque Romanæ ecclesiæ fructibus vesci poterit, & non vetitis illis, quibus nunc interdum non sine offendiculo pascitur.

ANNO CHRISTI 1563.

Hæc sunt, patres sapientissimi, quæ mihi cum primis videntur constituenda de residentia: atque ita constituenda, ut si quispiam scilicet neglecto Dei timore, itemque Dei & virtutis amore, non observarit, pœnis juris, atque etiam, si & ubi æquum videbitur, beneficii sui amissione mulctetur, atque plectatur: sic non frigidam aut sterilem, verum quam plurimum utilem constituere poteritis residentiam: quod ut fiat equidem per viscera misericordiæ Dei nostri vos oro atque obtestor patres, idque ne ii qui ante hujus concilii apertionem in suis residebant diœcesibus huc venisse videantur, & decem & octo totos menses hic sedisse cum suo & suarum ovium detrimento, ad tandem audiendum superficialem quamdam atque inutilem de residentia constitutionem.

Item ne decreti de justificatione majestas hac ratione vilescat, & nos merito simus ludibrio omnibus: interea vero iste pestifer non residendi abusus serpat in immensum, sed in primis nostro malo. Agite igitur sic, patres, ut cum de residentia ista decreveritis, ut ita loquar, non videamini caput aliquod hydræ amputasse, quo videlicet ex uno malo improvide damnato nascantur plura. Hæc autem propterea dixerim, quod arbitrer multo fore satius atque utilius, hac de re prorsus tacere, quam frigide decernere, proinde postremo loco id oro, patres, ut cum negotium hoc, utpote de residentia decernendi utiliter intra diem proximæ sessionis mihi videatur non posse absolvi, differatur in aliam proximam sessionem. Nam mihi videtur esse opus tam arduum, ut etiam unius integræ sessionis locum sibi merito vendicare possit. Atqui quoniam jam convenit inter patres, ut in qualibet sessione cum clarificatione dogmatum semper aliquid simul statueretur de moribus reformandis, & nunc non potest materia ista residentiæ tam brevi tempore expediri, cum re vera sit maxime ardua, idcirco in calce decreti de justificatione, sacrosancta synodus expresse, & scripto polliceatur, se materiam residentiæ in proxima sessione subsequente ante omnes alias tractaturam, & confecturam, sicque quantum capio, Deo & hominibus fumus satisfacturi.

CXXI.

BRACHII MARTELLI FLORENTINI, episcopi Fesularum sententia, quæ declarat regulares sine licentia episcoporum, nec in monasteriis, nec extra monasteria debere fungi officio prædicandi.

ÆQUUM esse arbitror, pontifices, ut hi qui sanctissimi & beatissimi Pauli Romani pontificis maximi vocatu, in concilium publicum venerunt,

ANNO CHRISTI 1563.

venerunt, quique tantum itineris ac laboris susceperunt, totque sumptus atque incommoda sustinent, & sustinuerunt, ut communem Christi causam communi quoque consilio & ratione tuerentur: debeant profecto sua inter se consilia, & rationes habere communes, quæ non privatim ac separatim a paucis, sed conjunctim & publice ab omnibus intelligantur. Idcirco concilia fiunt, ut conciliemur, non ut dividamur: & ut doceamur invicem & doceamus, non ut ignoremus inter nos quid agatur a nobis, & ignoremur. Quod si non possumus uno in conventu publico plures audire & loqui, loquantur pauci & audiantur pauci, vicissim alio die alii: & conventus publice sæpius fiant, & frequentiores. Ita sine molestia omnia facile ac breviter expedientur. Et quoniam in re nunc maxima atque gravissima omnes versamur, quæ ad omnium episcoporum jura divina, & humana pertineat, dignum esse censeo & maxime necessarium, ut ab omnibus publice audiatur, quid quisque de ea re sentiat. Equidem quæ apud me habeo in decreto nobis proposito, nova & magna in medium proferam, ut ab omnibus audiantur, neque puto fas esse, nec velle arbitror hanc sanctam synodum cuiquam præsertim episcopo pro episcopis dicenti in concilio episcoporum publico adimere potestatem publice prosequendi juris sui, & violare libertatem loquendi: esset enim acerba nimis & crudelis episcoporum conditio.

Primum igitur propositi decreti nova forma, non nova sententia, nullam mihi novam causam adfert mutandi sententiam meam, sed accuratius tuendi causam vestram, ne contra vosmetipsos, contra statuta patrum, contra divina jura legem ferre, & alienas opes firmare cogamini. Neve demum omnis hujus concilii vis in nos vertatur, & totum, ut dicitur, istud æs cudatur in caput nostrum, & qui infinita quotidie onera sustinemus, ac nova exactionum ratione adinventa decumarum nomine acerbissime premimur atque exhaurimur, pædagogos modo, & grammaticos, & theologos, & concionatores, & lectores nescio quos magistrorum nomine compellamur quanta voluerint ipsi mercede conducere, nostrorum fructuum reliquiis alere, nostra eos & sacerdotum nostrorum inopia sustinere, ut exhaustis penitus atque exinanitis copiis nostris alienam opem indige quærere, & ab aliorum nutu pendere necessario cogamur.

Quamobrem mihi omnino non placet, quicquam de sanctissimorum episcoporum muneribus tractari, nisi prius ipsi episcopi fuerint in suis episcopatibus libere atque integre restituti.

Deinde illud de regularibus monachis (quos ego honoris causa nomino) non placet, quod nusquam placuit mihi, ut in episcoporum diœcesibus ullo in loco etiam in monasteriis suis sine permissu, & licentia episcopi ullus fungatur in prædicando episcopi munere. Id quod contra omnino statui videtur in hoc decreto, dum dicitur, ut regulares monachi ab episcopo non in monasteriis suis prædicaturi, sed extra suorum ordinum ecclesias tantum licentiam petant. Ecclesiæ enim nomen novo modo ibi pro monasteriis usurpatur, quod idem etiam eis in omnibus immunibus parochiis per ipsorum parochos liceat obtinere. Ita pontifices, ut nesciamus an ipsa etiam propriæ sedis nostræ ecclesia, quæ dicitur cathedralis (nam & hæc suas habet immunitates) an, inquam, cathedralis ecclesia nostra satis tuta nobis a prædicatione regularium ac libera relinquatur. O rem auditu alperam atque intolerandam: legem feremus in concilio publico, quæ publicorum conciliorum leges evertat? Et qui in corrigendis abusibus versamur, omnium abusionum sentinas commovebimus?

ANNO CHRISTI 1563.

Non puto vos hæc a me fingi aut temere dici existimare, pontifices: sed operæ pretium est ipsius verba decreti paulo diligentius considerare: sunt enim ita aptata atque connexa, ut ab eorum aliquo quasi artificiose conscripta & composita videantur ad mentes vestras aurescque fugiendas. Ita enim, ni fallor, se habent: Ex regularibus autem, cujuscumque professionis fuerint, nemo extra ecclesias suorum ordinum, nisi vel per episcopum invitatus, vel de ejus beneplacito & assensu, vel ab eo licentia petita & obtenta prædicare audeat. Tandem, bone Deus! quot hic, & quantas, & quam varias facit disjunctiones, & quam se invicem destruentes? Conceditur enim hujusmodi disjunctis regularibus, ut omne id quod velint faciant tandem, cum quidquid maluerint possint eligere. Et quis erit ex regularibus adeo rudis atque ineptus, qui his disjunctionibus positis, dum concionari extra sua monasteria velit, petere ab episcopo licentiam laboret, cum possit tacito ejus consensu prædicare? Nemo licentiam ab episcopo ista lege petet, nemo isto decreto adibit episcopum, totam hujus decreti legem ad istorum regularium immoderatam privilegiorum licentiam roborandam & augendam factam esse, quis non videt? Quasi nihil quicquam intelligamus, nihil didicerimus unquam. Et quis est qui ignoret illud jam vulgare atque contritum: Earum nempe rerum quæ disjunctim pronunciantur, satis esse una tantum ipsarum partium esse veram. Additum est illud: Sine præjudicio parochorum. Videte, ut jam omnia misceantur & confundantur, ut nihil penitus inviolatum, nihil intactum de episcoporum jure relinquatur.

Sed videamus de verbo illo ecclesiæ, quod monasterii nomine positum est. Num mediocre damnum sub hac appellatione latere putatis? Vestra, pontifices, auctoritas petitur, vestra oppugnatur potestas, vestros parochos, quorum sibi jam curam & gubernationem arrogarunt regulares, volunt etiam in suam ditionem & potestatem redigere, nec verentur eripere administrationem episcoporum, tentare mansuetudinem hujus concilii, commutare totam ecclesiæ disciplinam. O confidentiam singularem! o consilia moderanda! Quare tollatur, mihi credite, de hoc decreto nova ista regularium monasteriorum loco suspecta nobis atque inusitata ecclesiarum suorum ordinum appellatio, quæ posita est nisi novo atque inusitato more. Vultis pro regularibus monachis contra vos ipsos decernere? Dematur omnino ista injuriosa & intoleranda licentia, quam sibi assumere regulares contendunt sine vestra licentia prædicandi, nisi velitis vos in diœcesibus vestris omnem & docendi & prædicandi vocem atque auctoritatem amittere.

At hoc habent ex privilegio, habent ex jure, ut prædicent regulares. Nimirum habent suum illud, quod dicitur, ingens mare atque immensum, cujus fragore nihil est quod perhorrescatis pontifices. Non enim ejus fluctibus ecclesiæ sanctæ navicula obrui potest, quamvis hoc tempore tot tempestates, tot procellas concitaverit perditorum

ANNO CHRISTI 1563.

nequitia aliorum (nam de bonis non loquor, A non queror, non disputo: plurimi enim sunt viri optimi regularium atque sanctissimi, omni honore & auctoritate dignissimi regulares, qui nobiscum jactantur, qui recta sentiunt, qui nobiscum omnino esse volunt, qui justitiam colunt, & pacem osculantur, regulares, quos ego secerno a reliquis, & libenter amplector ac veneror universos) Ad propositum revertor. Proferant, inquam, sua jura, sua privilegia ostendant. Videamus quid dicant, & quomodo. Non enim puto, horum privilegiis nobis adimi jus divinum, jus quæsitum, jus episcoporum, quod adimi nequit. Nolite igitur velle, quod fieri non potest: nolite alteri facere, quod vobis fieri nulla ratione velitis. Nolite nos ita tardo ingenio existimare, ut B ista sophismata sive paralogismata non intelligamus, putemusque vos vestris in monasteriis non populo nostro, sed fratribus vestris tantum, aut ipsis tectis ac parietibus esse concionaturos. Nolite adeo inhumaniter, ne dicam irreverenter, cum sanctissimis episcopis agere, ut nostras plebes docere sine permissu & consilio nostro cogitetis.

At cavetur in decreto, ut habeant literas suorum præfectorum, quas afferunt episcopo, & ea conditione prædicent. Præclara mehercule cautio, & valde episcopis honorifica? Quæso hortabunturne istæ literæ, an movebunt episcopum, an fortasse jubebunt, ut fieri solet universis & singulis, ne sit quisquam, quicumque C ille sit, qui impedimento sit suo concionatori? Jussu igitur aut monitu istarum literarum sanctissimi episcopi præfectorum fratrum dicto audientes erunt, cum nullum jus episcopis, nulla cognitio de istis concionatoribus relinquatur. Quin si rite se habeant literæ, etiam invito concionentur episcopo. Relinquitur igitur hoc tantum episcopo de literis ut cognoscat, scilicet an hæ rite & ordine sint conscriptæ, signa cognoscat, & manus an vera sit an adulterina. Egregium sane officium, & episcopo dignum. Quid igitur librarii munus aliud? contumeliosum honorem episcopis, o adversariam statuendi rationem!

Additum est nescio quid de coercendis his, qui D in concionando a fide aberraverunt. Hic ego jam illud quod notissimum est, non disputabo, quam non sit facile errantem aliquem & perniciosa docentem redarguere, propterea quod non solum habent isti tot latebras tantosque recessus, ut etiam deprehensi facile elabantur: sed veniunt ita sæpe ad fallendum instructi atque artificiosa concionandi ratione, ut vel eruditissimas quasque aures atque attentissimas non magno labore fallere, atque in dicendo præterire possint. Sed quæro utrum tandem ad ulciscendas oves nostras, an ad custodiendas vocati sumus. *Pascite*, nobis dictum est, *gregem*, & custodite, non vindicate. *Mihi* enim *vindictam, & ego retribuam*, atque occisarum ovium a nobis, non E occidentium luporum sanguis requiretur.

Vellem fieri posset sine offensione ordinis sui, nominaretur a me unus, qui proxime ac propinquis in locis, atque adeo pene in oculis auribusque hujus concilii, nefaria quædam atque intoleranda istorum privilegiorum fiducia fretus, docere in concione publica ausus est, ipso non solum invito, sed frustra etiam abnitente, & prohibente episcopo sanctissimo & clarissimo viro, qui hic adest.

Quæro, si modo ille jam dimisso aculeo capiatur (quamquam id optare potius est quam sperare: solent enim isti non effugere solum, sed penitus evanescere, ut nequeant inveniri) tamen, inquam, si capiatur, & debito afficiatur supplicio, quid supplicium istud allaturum sit medicinæ his, qui jam saucii sunt, non satis intelligo. Sed mihi non statuo quemquam esse nominandum, ne forte aliquid novæ dissensionis alienissimo tempore videar commovere. Vos tamen pro vestra sapientia, pontifices, potestis considerare, quanto cum periculo totius religionis nostræ vel perturbandæ, vel evertendæ, istæ privilegiorum concessiones permaneant. Nam dum passim omnibus regularibus sine ullo discrimine conceduntur, addito etiam, ut sine permissu ac licentia vestra possint, ubicumque libuerit, in suis monasteriis prædicare, illud profecto non obscure agitur, ut etiam sine delectu non modo concionum, sed etiam reliquorum sacrorum regulares domini toto terrarum orbe constituantur. Nullus enim fere in orbe locus, in quo non isti suas sedes suaque domicilia collocarint, & si quocumque, quandoque cum potestate, nullo delectu habito, mittantur, id quod se habere dicitant, ut etiam peccatorum veniam condonare, & ipsa quoque nefaria scelera expiare auctoritate apostolica possint: dubitatis vos, pontifices, quin omnia in religione Christi miscere, & rerum novarum causam quærere turbulenti & pernicioſi eorum aliqui audeant? nisi forte existimetis, omnes modeste suis concessionibus usuros.

ANNO CHRISTI 1563.

Cum hic nonnulli etiam in concilio contineri se non potuerint, quin in episcopos concionari ausi sint, & Christi fabulam agere, & nostram. Ignoscite, pontifices, ignoscite, si de tam perspicuis rebus diutius disputavi. Non enim hoc feci, ut vobis molestus essem, aut quod de vestra sapientia, quæ summa est, non summe conderem. Verum necessario mihi faciendum putavi, ad explicandam illam tantam & tam variam in decreto disjunctionum, exceptionum, connexionum, infinitam pene, & coacervatam verborum copiam, quibus in recensendis atque examinandis vos commotos fuisse, pontifices, minime miror. Cum ista pauciſſimis verbis agi omnia possint, ut scitis vos, patres, qui sapienter decreta & jura tractatis. Quid enim aliud hic quæritur, nisi ut corrigantur abusus ad divinas scripturas pertinentes? Declaratum fuit præclare a patribus, abusum esse, non prædicari evangelium Christi a legitimis ejus prædicatoribus. Remedium est: Ut a legitimis ejus prædicatoribus evangelium Christi prædicetur. Lex ergo erit, ut legitimi prædicatores Christi prædicent evangelium. Quod si regulares monachi, ut ipsi afferunt, legitimi sunt, nulla fit eis hac nostra lege injuria. Decretum igitur fieri hujusmodi poterit.

Cum haud recte factum, & pernicioſum Christiano populo sit, ut in Christi ecclesia non prædicetur evangelium Christi a legitimis ejus ministris & prædicatoribus, statuit atque decernit hæc sancta synodus, ut deinceps sanctum Jesu Christi Dei ac domini nostri evangelium ab ejus legitimis ministris ac prædicatoribus pure, sincere, caste, catholice prædicetur: & si videtur, addendum esse etiam, ab eorum legitimis vicariis atque idoneis, quando ita necesse sit, poterit addi. Quid pluribus verbis opus sit, non sane intelligo: frustra enim, ut dicitur,

fit per

ANNO CHRISTI 1563.

fit per plura, quod fieri poteſt per pauciora. Nam videmus ſæpe plurima verba plurimam quoque confuſionem inducere. Simplex eſt enim veritatis verbum, vates dixerunt: nec varia indiget aut ſubtili nimium interpretatione. Caſta enim lex debet eſſe, ut ſcitis, & ſimplex, & integra, & quæ paucis plurima complectatur.

Velim accipiatur ſine offenſione quod dixero, ut enim dicam animo amiciſſimo: ut vere dicam, mihi videtur hoc decretum, non tantum prædicationem inſtituere, quantum etiam ipſum egregie prædicare. Sed dabitur nobis locus exercendi noſtrorum patrum præclara ingenia, & oſtendendi doctrinam & eloquentiam hujus concilii. Quare, ut ad propoſitum revertar, cum habeamus Chriſti inſtitutionem legitimam de prædicatione, habeamus majorum inſtituta, jura, exempla (plena eſt enim exemplorum omnis vetuſtas) videamus alia concilia publica atque legitima: videamus quid Chalcedonenſe illud maximum atque ſanctiſſimum de monachis ipſis, qui in civitatibus degunt, decernat: videamus Lateranenſe illud magnum & magnæ auctoritatis concilium, vocatu Innocentii tertii quid ſtatuat de prædicatione epiſcoporum: videamus etiam plurima recentiora, ne forte unum tantum aut alterum proferatur: videamus hæc, inquam, omnia, quid ſanctiſſimis epiſcopis, & quomodo ſtatuant in prædicatione. An volumus pro regularibus monachis modo formam totius eccleſiæ immutare, volumus jura, exempla, majorum inſtituta, leges contemnere? non cogitabimus quid epiſcoporum majeſtas, quid noſtri ordinis auctoritas, quid hujus concilii gravitas poſtulet?

Non queror hoc loco illud, quod uſitatiſſimum jam eſſe dicunt, totam hanc regularium mittendi concionandique rationem, quæſtuoſiſſimam atque indigniſſimam mercaturam: tantum hoc dico, conſiderandum in primis eſſe pontifices, utrum etiam prius cuſtodiendæ atque ſervandæ ſint divinæ juſſiones evangeliorum, an humanæ conceſſiones privilegiorum: prætermitto jam id quod ſciunt optime juris periti, privilegiorum rationem odioſam rem eſſe, & plane invidioſam: quamquam habere poteſt excuſationem aliquando vel hominum illorum, vel temporum, quibus conceſſa fuere: corrigi poſſunt, mutari poſſunt, tolli poſſunt, ſpem habent hi ſemper quibus videntur adimi ſua jura: relinquitur his ſcrupulus, quibus conceduntur.

Quod ſi per vos, pontifices, conciliari lege regularium privilegia comprobentur, nulla amplius ſpes nobis, nullus cuiquam iſtorum ſcrupulus relinquetur. Obtinebunt jure certo regulares, quæ adhuc incerta habent: & quæ nunc cum aliquo metu tenent, ſine ulla cura poſſidebunt. Conjungetur demum indigniſſima gratificatio cum acerbiſſima omnium epiſcoporum injuria. Cui quidem injuriæ, tanquam acerrimo hoſti, reſiſtite ac repugnate, pontifices, ut debetis: nolite pati violari jus veſtrum, plurimo majorum veſtrorum ſanguine & ſudore quæſitum: nolite maria ac tempeſtates pertimeſcere. Quandoquidem ejus vices epiſcopi geritis, qui mari ac tempeſtatibus imperavit. Nolite, quod majoribus acceptum, integrum, inviolatumque obtinetis, poſteris veſtris mutilum ac diminutum relinquere. Equidem quod ad me attinet, pro meo perpetuo ſtudio retinendæ auctoritatis veſtræ reſiſtam ſemper pro his, ac repugnabo, pontifices, nec permittam, quantum in me erit, a quoquam de jure ſuo ſanctiſſimos epiſcopos dimoveri. Nec ſcindi unitatem eccleſiarum ſingularum, neque in eccleſiam Chriſti inexpiabilem & pluſquam Babyloni-cam confuſionem induci.

ANNO CHRISTI 1563.

At vos Romanæ ſedis atque apoſtolici culminis legati ſanctiſſimi, voſque qui adeſtis in concilio principes, ipſius etiam Romani ſolii ampliſſimi patres, quæſo, quamquam nomine quidem & revera ſitis, ut debetis, merito cardinales, tamen nolite, obſecro, obliviſci vos partim aut eſſe, aut aliquando fuiſſe epiſcopos, aut certe omnes epiſcoporum bonis ac muneribus frui: nec eſſe gratitudinis veſtræ, neque humanitatis, ut permittatis ſanctiſſimos epiſcopos Chriſti & ipſi legatos, collegas quondam veſtros de ſuo jure ac miniſterio dimoveri, neque a quoquam in prædicatione evangelii diſturbari. Extremum eſt, quod a principio dixi: aut enim omnia ſunt epiſcopis nobis noſtra jura reſtituenda, aut nulla omnino ſunt nobis epiſcopis nova onera imponenda.

DIXI.

CXXII.

BRACHII MARTELLI FLORENTINI epiſcopi Feſularum ſententia de reſidentia epiſcoporum.

QUANTUM pertinet ad ea capita, quæ nobis proxime promulgata fuerunt, de epiſcoporum reſidentia, eorumque muneribus, ut ſanciantur, quoniam neque integrum diem habuimus ad tantam rem omnino conſiderandam: nihil aliud poſſum affirmare, niſi illud in primis mihi non probari, ut epiſcopi ad decernendum de ſuis maximis muneribus juribuſque ad ipſos pertinentibus, tanta temporis anguſtia adigantur. Deinde quoniam illud quod alias hoc loco dixi, gravibus epiſcopis, & fortibus, maxime vitandum videtur in lege ferenda, ne parti (ut dixi) eccleſiæ conſulamus, partem prætermittamus, ſed eam totam ſic complectamur, ut omnibus omnino provideatur.

Animadvertendum, mea ſententia, eſt niſi aliter explicetur, an his eccleſiis, quas ampliſſimi & clariſſimi viri cardinales obtinent, hoc noſtro decreto provideatur, quæ cum ſatis multæ & maxime populoſæ atque illuſtres ſint, ſi univerſæ eccleſiæ ordinandæ hoc loco præpoſiti ſumus, ſine gravi populi Chriſtiani jactura, & animarum noſtrarum pernicie eas prætermittere; ni fallor, non poſſumus. Aut igitur decernendum eſt, univerſæ eccleſiæ curam nobis non eſſe commiſſam: aut ſi ea commiſſa eſt nobis, tot populi & civitates, præſertim Italiæ, maximæ & nobiliſſimæ, tacita exceptione committere ut mercenariis traditæ relinquantur, mea quidem ſententia, non debemus. Non eo dico, pontifices, quin ſummi, & clariſſimi viri ad gubernacula eccleſiæ univerſæ regenda vocati, a ſummo pontifice ſuarum eccleſiarum cura, & gubernatione eximi poſſint, hoc certe facile credo: addo etiam illud, magnam eos fortaſſe partem fructuum illarum eccleſiarum pontifice jubente poſſe percipere: ſed quod eccleſiæ illæ & gregis illi idcirco aut a nemine præſente legitimo paſtore paſcantur, aut certe contra diſciplinam Chriſti paſcantur a mercenariis: hoc mihi difficillimum videtur ad perſuadendum. Quid enim commeruerunt populi illi maximi, ut ipſi mercenariis committantur: alii vero greges minoris momenti, ut paſtores habeant proprios provideatur? Lex igitur communis eſſe

ANNO CHRISTI 1563.

debet, præsertim ea, quæ ab universo orbis terræ concilio proficiscitur: jura enim utilitati communi, affirmant sapientes, non privatis commodis sunt metienda. Oro ut mihi ignoscatur, sanctissimi patres, si tantas res silentio præterire non possum; neque enim hoc loco debeo cuiquam consulere potius, quam officio & dignitati meæ.

Quod vero attinet ad id, quod reliquum est in his capitibus, fateor equidem me juris consultum non esse, fateor quam plurimos esse in hoc concilio viros virtute præstantes, qui me & sapientia, & ingenio, & omnium doctrinarum genere antecellant: sed tamen puto me aliquid aliquando in imperitiæ meæ tenebris conspicere posse. Quo fit, ut loco meo sententiam rogatus proferre non dubitem: vestræ semper correctioni mea dicta committens.

Animadvertendum hoc loco maxime esse, ne dum aliorum juribus accuratius quandoque cavetur, nostræ & conciliorum universalium auctoritati, ac juribus parum fortasse, pontifices, caveatur. Æquum enim esse censeo, & maxime placet, ut concilia universalia aliorum jura non adimant: sed ut sua ipsa jura auctoritatemque amittant, hoc mihi placere non potest. Puto ego, ni fallor, pontifices, universale concilium legitime congregatum, ad hoc præsertim, ut ecclesiæ collapsæ membra componat, & in pristinam formam dignitatemque restituat, id habere, ut suo ipsum jure præsidentibus in eo præsertim apostolicis legatis amplissimis, possit exemptiones, privilegia, & cetera id genus impedimenta ita removere, ut episcopi liberi, atque integre in suis episcopatibus restituantur, resideant, hoc est, ut membra ipsa ecclesiæ disjecta atque divulsa ita suis in locis reponantur & sint, ut sua munia obire, suaque officia per se valeant exercere.

Atque hanc esse veram & propriam hujus corporis ecclesiæ reformationem existimo, sanctissimi patres, quod si privilegiorum, & exemptionum, hoc est legibus solutionum incommoda, atque impedimenta de episcoporum diœcesibus partim non removeantur, partim de his ita statuatur, ut episcopi non possint munera atque officia sua in his per se proprie exercere, sed tanquam suffecti ad id tantum, ac delegati, quod ajunt, certo quodam modo, certisque conditionibus ea sint executuri: non video, quæ sit ista ordinandæ ecclesiæ ratio, aut cur non maxime juribus conciliorum atque episcoporum omnium derogetur. Quod quantopere cavendum sit, vobis pro vestra singulari sapientia considerandum relinquo, sanctissimi patres.

Quod si prodesse non possumus hoc tempore ecclesiæ universæ, saltem oro ne noceamus: & si privilegia, & exemptiones tollendæ non videntur, precor tamen ne confirmemus. Neque id, quod privato jure obtinetur a multis, committamus, in Tridentina synodo, ut publico concilii jure ac perpetuo possideatur. Possidebitur autem, si nostra hac conciliari lege comprobabitur. Comprobari vero videntur ea, & perpetuo confirmari, quæ hujus concilii universalis decreto statuimus non esse removenda.

Illud postremo in capite quinto, ni fallor, loco quod positum est, nulli videlicet episcopo liceat pontificalia in alterius diœcesi exercere sine ordinarii loci expressa licentia, addito & in personas eidem ordinario subjectas, animadvertendum maxime puto. Ne forte aliqui eorum, qui immunes sunt, uti capitula sunt, & multa collegia, multique conventus fratrum & aliorum, ne possint inquam, invito episcopo proprio, alios episcopos immunitatis nomine accersere, qui pontificalia in alterius diœcesi exerceant, quod sine proprii episcopi injuria & perturbatione fieri nequit, scriptum est enim: qui episcopos perturbat aut contristat, Christum ipsum perturbat, patres amplissimi, atque contristat.

Quod si habere hoc dicantur ex privilegio, non debemus committere, ut id habeant etiam lege conciliari: cum hoc videatur magis, ut puto, ad confundendam, quam ad ordinandam ecclesiam pertinere.

Dicerem hoc loco multa, pontifices, nisi scirem eadem, atque etiam plura vobis in mentem venire. Non enim est putandum, summo concilio orbis terræ in re tam perspicua consilium intelligendi defuisse: neque perspicere posse, quantopere retinenda sit episcopis hoc præsertim tempore constantia, gravitas, perseverantia, & repetenda vetus illa conciliorum severitas, si velitis vestros omnes labores, ne ad nihilum recidant, providere. Quando vobis hujus sacri concilii facultas data sit, ut quantum fidei, quantum virtutis, quantum gravitatis, in episcoporum ordine sit, populo Christiano declarare possitis: quam facultatem, si amiseritis, frustra fortasse aliam postea requiretis.

Concludo igitur mihi non placere, non modo ut aliqua lex a nobis sanciatur, quæ communis non sit: aut aliquid statuatur, quod episcoporum aut conciliorum juribus, atque auctoritati præjudicium parere possit: sed neque omnino, ut quicquam de sanctissimorum episcoporum muneribus decernatur, atque innovetur, nisi prius ipsi episcopi fuerint in suis episcopatibus libere atque integre restituti. Oro autem Deum optimum maximum, id quod etiam maxime spero, ut scilicet, a Christi caritate non avellamur, atque in sententiis dicendis, quod sentimus, id audeamus.

CXXIII.

ORATIO FUNEBRIS DE LAUDIBUS Joannis Medicis, S. R. E. cardinalis: habita VII. Kal. Decembris MDLXII. *a Petro Victorio in ede divi Laurentii Florentiæ.*

Si quis unquam secum de imbecillitate rerum nostrarum dubitasset: esseque aliquid in ipsis virium ac firmitatum credidisset, hic gravi hoc acerboque nuncio accepto, erroris stultitiæque suæ admoneri potuit: planeque intelligere, nihil esse incertius rebus humanis: nihil, quod tam facile dilabatur ac fluat, & quum venti nostri valde secundi, fortunæque prosperæ videntur, tunc maxime instare nobis aliquod immensum malum, vicinamque esse perniciem atque exitium ipsarum.

Utinam hujus rei minore nostro cum damno documentum haberemus: Deusque immortalis potius fecisset, ut in illo turpi errore permaneremus, quam ipsum e pectore tanto incommodo luctuque depulissemus. Sed certe decipere quemlibet non insipientem etiam hominem potuisset status, vere eximius ac florens hujus optimi atque innocentissimi adolescentis, cujus immaturam mortem hodie lugere hic debemus. Ille namque initio sui cursus, quum tamen jam magnam spem magnarum suarum virtutum commovisset: sæpeque specimen aliquod maximi ingenii, raræ eruditionis, præclaræque indolis dedisset, subito extinctus est, nobisque miserabiliter ereptus.

Erat

ANNO CHRISTI 1563.

Erat ſane in te (quanto hæc cum dolore loquor) ſanctiſſime juvenis, ætas, erant vires, erat corpus vegetum, quod diuturnam vitam, & eam quidem integram, atque omni dolore carentem, pollicetur. Erat præterea diſciplina domeſtica, quæ regere ipſam, viamque obſtruere morbis atque omnibus ipſorum tentationibus facile poſſe videretur. Sed hæc omnia vicit importuna quædam vis ac tempeſtas ſæviſſima, quæ invidit nobis tam præclarum bonum: inciditque ac fregit ſpes omnes noſtras, bene, ſapienterque conſtitutas.

Fuit profecto Demetrius ille Phalereus, ob ſtudia doctrinæ, & ob rempublicam Athenienſium quam optime digeſſit, ac præclaris etiam legibus ornavit, in primis clarus ac nobiliſſimus, fuit, B inquam, Demetrius ſapientiſſimus vir, cui quum Euripides ſua quadam in tragœdia dixiſſet, nullius fortunati hominis opes, reſque admodum proſperas eſſe ſtabiles, ſed ſpatio tantum unius diei perdurare: nonnullaque alia addidiſſet in eam ſententiam, laudato judicio eruditiſſimi illius poetæ, inquit: Cetera omnia vere prolata eſſe, melius tamen eum dicturum fuiſſe, ſi non diem unum terminum ipſarum eſſe, ſed momentum & quaſi punctum temporis affirmaſſet. Sed his relictis, quæ ab optimis ingeniis ad erudiendos homines edita ſunt, propius accedamus ad atrocem hanc plagam contemplandam, & eam, ſi ulla ratione poſſumus, ſanandam. Video vos optimi & honeſtiſſimi cives magno, juſtoque dolore com- C motos, quibus moleſta eſt graviſque hæc ingens jactura: vel potius repentina & inopinata calamitas: intelligoque vos non tantum angi interitu indigniſſimo hujus caſtiſſimi adoleſcentis, quem in oculis ferebatis: cuique & longam vitam & omni decore ornatam optabatis, ſed etiam dolere vicem optimi principis, qui orbatus eſt eo filio, quem unice amabat: & in quo etiam multas ſuas magnaſque ſpes non ſine cauſa collocabat.

Eſt ille quidem conſtantiſſimus omnium, & admirabili quadam animi magnitudine præditus. Sed nullus eſt tam fortis vir, quem non moveat hujuſcemodi aliquis ſubitus & inexpectatus caſus, & e ſtatu pene mentis dejiciat. Aliud quoque eſt, quod, ut in malis, conſolationem ei affert, quod non eſt ipſi novus hic dolor, ſed aſſuetus eſt his malis tolerandis. Quamquam hæc ægritudo acerbiſſima omnium eſt: magiſque pectus ipſius fodit ac labefactavit. Ah ſæva fortuna nimis iniqua es, nimiſque tibi in ipſum indulges: quem non ceſſas tam ſæpe violare, & nimis crebro hujuſcemodi aliquo vulnere deformare. An vires tuas in hoc oſtentare vis? patefacereque omnibus, quanta tibi poteſtas ſit nocendi? ſatis hoc jam ſatiſque experti ſumus, & quæ ſit tua temeritas, exploratum habemus. Deſine igitur, & quem aliis omnibus rebus ornaſti: comite tamen adjuncta tibi, vel duce potius, ſapientia, noli hac in parte vexare: & quantum ſit imperium tuum in bonos, improbe declarare. Quantam E fuiſſe putatis ægritudinem matris, lectiſſimæ atque optimæ fœminæ, quæ prope e gremio ſuo ſibi illum abſtrahi vidit, hauſitque oculis hunc dolorem acerbiſſimum? Sed quum nulla tanta vis orationis ſit, qua ipſa impelli poſſit, ut mœrorem nunc luctumque deponat, ſatius eſſe arbitror id pertranſire: totumque hoc ſapientiæ ipſius ac gravitati relinquere. Quantus etiam fuerit amor in illum ſororis, quæ una e multis ſupereſt, noviſtis: illam ego audio conflictari, nec ratione ulla dolorem ejus poſſe mitigari. Nam vir ipſius,

A nobiliſſimus ac fortiſſimus homo, Paulus Jordanus, ingentem ægritudinem robore animi ſuperavit: extremumque hoc munus amoris, adverſante illa, ipſi exhibuit: ac præſentia ſua, ſuorumque omni genere luctus mœrorem declarantium, funus hoc honeſtavit. Qui tamen & ipſe modo, cum ei nunciatum eſſet uxorem intercluſa anima inter manus ancillarum collapſam, vixque poſſe illius miſeræ animum revocari, eo ſe repente proripuit. Majorem vero fratrem fortunatum judico, qui longe nunc abſit: præſenſque huic ſævo ſpectaculo non adfuerit: minus enim nos tangunt, quæ auribus accipimus, quam quæ oculis cernimus. Eodem pacto fato functas ſorores morte ſua felices extitiſſe arbitror, quæ in hunc dolorem ſervatæ non ſint: quarum tamen interitus nobis tunc valde luctuoſus fuerit. Sed nos præſentia tantum, & quæ ante oculos ſunt intuemur: quæ futurum tempus ſecum vehat, magna cœcitate animi providere non poſſumus.

ANNO CHRISTI 1465.

Auſim etiam affirmare, Pium IV. pontificem maximum iniquiſſimo animo hanc rem tuliſſe: & ſi ille proprio dolore, domeſticoque funere hoc tempore oppreſſus eſt, qui hunc optimum juvenem ornavit, & in ampliſſimorum antiſtitum ordinem, quum majus ei nihil dare poſſet, cooptavit. Amarat illic quidem ſemper eum, præclareque de ipſius natura, moribuſque exiſtimarat; nec tam ut patris voluntati ſatisfaceret, tanto honoris gradu ipſum in ea ætate decorarat, quam quia conceperat animo mirifica quædam de indole ipſius: illumque ſperabat, ut nomine ac vultu, ita etiam factis ac prudentia Leonem X. relaturum. Quæ opinio de virtute ipſius in animo pontificis maximi valde aucta eſt (ſi creſcere illa, ampliorque fieri ullo pacto poterat) quum primum ille Romam profectus eſt: in omni enim ſermone colloquioque cum eo, prudentiam ipſius gravitatemque perſpexit: animumque ſublimem, ac magna ſemper altaque cogitantem cognovit.

Redit hoc loco mihi in mentem, quod literis ab antiquis mandatum eſt de Alexandro Philippi filio, qui poſtea magnus appellatus eſt: quum enim puer adhuc eſſet, venerunt in Macedoniam Perſarum legati abſente patre, quibus a ſe acceptis, D ſæpe Alexander cum ipſis congreſſus, ita illos ſibi comitate ſua & iis, quæ quæſivit ex ipſis, devinxit ac ſtupore implevit, ut magnopere eum admirati ſint: magiſque a rege ſuo de pueri illius acriore ingenio, quam de Philippi jam ſenis timeri oportere judicaverint: neque enim aliquid puerile, aut puſillum, ſed longitudines viarum, itineriſque illius rationem exponi ſibi voluit: ac de rege etiam ipſo non pauca interrogavit, quomodo ſcilicet ille regni fines tueretur, & quales eſſent copiæ Perſarum: in quibuſque poſitæ vires ac robur exercituum ipſorum foret. Paria igitur fuere, quod ad magnitudinem & gravitatem ipſorum pertinet, colloquia ac ſermones hujus noſtri ſpectatiſſimi adoleſcentis cum ſapientiſſimo & omni veneratione digno ſene. Nec ſane oportet valde mirari, omni tempore regum filios plurimum judicio ac gravitate præſtitiſſe ſuis æqualibus, quod optime norunt etiam veteres tragici poetæ, ſapientes viri, & qui omnibus in rebus, id quod veriſimile eſſet, ſectabantur: illi enim ætatem eam ſemper finxerunt ſingulari prudentia præditam: ſæpeque ab illa dicta ac facta ea faciebant, quæ multo plures annos, majoremque uſum rerum requirebant. Sed magnam vim habet e ſapientiſſimis viris procreatum eſſe, & in plena conſilii ac dignitatis domo eſſe itidem educatum.

ANNO CHRISTI 1563.

Non tacebo etiam, quod vere prædicare possum, quodque cognitum esse plurimis scio, quanta fuerit ejus eo tempore, quo Romæ vixit, continentia in contemnendis corporis voluptatibus, quanta constantia in omnibus illecebris libidinum repudiandis: illic enim, in magna copia proborum & honestorum virorum, nunquam defuerunt quidam impurissimi homines, qui his artibus adolescentes aggrediantur: teneramque eam ætatem objecta omni specie libidinum expugnare conentur, sed plus apud eum valuit naturæ integritas, optimaque disciplina, quam ulla illorum artificia ac doli. Quæ sane omnia, quum ad aures pont. maximi perveniissent, qui diligenter ipsum servabat, ac quæcumque diceret, aut faceret, ad se referri mandarat, amori illi veteri in eum tanquam faces admovebant. Observantia autem in illum hujus optimi juvenis quanta eo tempore fuerit, vel potius pietas, & vera quidem sinceraque pietas, non solum tanquam in alterum parentem, sed etiam quasi Deum quemdam: certe locum illius ac sedem in terris obtinentem, inde etiam intelligi potest, quod extremo vitæ suæ tempore, paulo antequam e vita excederet, in eo omnem mentem cogitationesque suas defixas habebat: & ita demum totus in ipso occupatus erat, ut de officio etiam ipsius disputaret, & tanquam animum ipsi stimulo nullo egenti, addere contra ipsius acerrimos hostes non dubitarit. O admirabilem atque inauditam sanctissimi juvenis, vel adolescentis potius, probitatem dicam, an sapientiam, sive utrumque? quem neque recordatio bonorum, quæ relinquebat, sollicitarit: neque propinqua mors, quæ viros quoque & fortes sane, præstantesque etiam viros commovet, perturbarit: sed de officio tantum, ac proprio munere ejus personæ, quam sustinebat, cogitarit.

Hæc igitur fuerunt extrema verba, quæ edidit, hoc ipso sermone prolata, & nulla pene voce immutata. Quum enim primum ad divos Petrum Paulumque mentem atque orationem direxisset, rogavit illos suppliciter, ut sibi adessent apud Deum Opt. Max. studioque suo efficerent, ut piam sedem salutaremque animo suo præberent, statimque tanquam ad præsentem Pont. Max. quem animo cernebat verba fecit: a quo etiam, veluti vere Dei Opt. Max. qui nobis salutem dedit, vicario postulavit ea, quæ moris est eo tempore postulare: ut sibi scilicet ignosceret, manuque sua sibi propitia se expiaret, atque omni labe purgaret. Quibus jam editis, altiore voce, & ita vehementi, ut pene omnis qui restabat spiritus cum ea consumptus sit, inquit: Noli Pont. Max. pertimescere: noli impetum ullum adversariorum reformidare: noli de eventu horum malorum tecum dubitare: quamvis enim cuncta Germania, Britannia, Gallia conspirarint in perniciem Romani principatus, ac veræ Christianorum pietatis, nunquam tamen tantum virium habebunt, ut Petri navim, quamvis contrariis ventis agitatam, ac pene fluctibus, scelere illorum, demersam, evertere possint, ac justo gubernatore spoliare. Quin potius ipsi impii, non apud inferos tantum, sed hic etiam sui parricidii pœnas luent, ac maximis meritisque suppliciis afficientur. Quis unquam tam admirabilem constantiam ab illa ætate expectasset? quis tantam gravitatem tam firmas illic radices egisse existimasset? quis tantum mortis contemptum in adolescente reperiri posse credidisset? sed nihil est, quod non efficiat natura, de quo supra disputatum est, nisi malis moribus, pravisque opinionibus depravetur: quum accedit autem disciplina institutioque vera, tunc eximii inde fructus exoriuntur, ac sito quidem omne illud provenit, quod in aliis, qui naturæ conatum studio nullo adjuvissent, serius idemque imperfectius extitisset.

ANNO CHRISTI 1563.

Sed domum jam, unde multum digressi sumus, redeamus: Romamque ac pontificis maximi, cujus fortasse augustissima persona, in re tam tristi tractanda, nimis abusi sumus, relinquamus. Erat sane jam antea cuncta civitas dolore magno commota: statimque ut tristis hic nuncius venit, summi, medii, atque infimi mirum in modum affligi cœperunt. Quum vero auditum esset appropinquare mortuum eum, quem vivum videre maluissent, universi se illi ad portam obvios effuderunt. Erat, inquam, civitas antea mœsta, sed ut visum est pheretrum, quo vehebatur: atrataque illius cohors, quæ supremum hunc ipsius honorem comitata est, gemitu ac ploratu omnia complens, majorem in modum ægritudo publica aucta est: cunctaque undique clamoribus ac lamentationibus personarunt, nec facile aliquis tantam vim doloris, tamque horribilem plangorem, & quasi mugitum quemdam qui non adfuisset, complecti animo posset. Nobiles illi atque honesti viri clamabant, se mitissimum atque humanissimum dominum perdidisse: & qui de commodis ipsorum toto animo semper cogitabat. Multitudo nostrorum, quæ magna astabat, quasi respondebat se deliciis suis orbatam esse, & eo, quem sibi quandoque magno ornamento futurum confidebat. Nam fletus familiarium quantus fuerit, si qui forte illic non adfuistis, quum in urbem ingressi sunt, facile ex præsenti ipsorum mœrore intelligere potestis, qui ægre sibi hoc in loco ab effusa lamentatione temperant, ac præ se ferunt omni suo aspectu tristitiam infinitam. Sed illi, ut spero, quum docti viri ac prudentes sint, ægritudini vim adhibebunt: frenosque injicient dolori, quod etiam mihi videor posse polliceri de ceteris, qui ex hoc acerbo casu incredibilem dolorem susceperunt, qui multi mortales sunt, atque omnes fere qui in his aut propinquis regionibus vivunt. Quis enim tam durus, & inhumanus est, qui non valde hujus morte indoluerit; statimque ut audivit, non toto corpore contremuerit? Debetis igitur & vos prudentissimi cives, quum pium hoc munus obieritis, mœrorem vestrum minuere, luctuique ac lacrymis modum aliquem facere. Nam, quod consolari omnes debet: in primis autem parentes, ut majore sapientia præditos; veroque ipsius bono magis gaudentes, putare debemus ipsum a Deo optimo maximo evocatum: & ex his tenebris miseriisque esse ereptum.

Si namque prisci illi, qui veræ pietatis rudes erant, putabant deos diligere eum, qui parvus mortuus esset, quanto magis nos ita sentire debemus, quibus penitus cognita est egregia conservatoris nostri voluntas erga nos, curantis sedulo nostras utilitates, atque in salutem hominum toto animo incumbentis: quamvis a mortalibus parum videntibus, aliquando ratio ipsius consiliumque ignoretur: ægreque illi ferant ea, quibus maxime lætari ipsos oportebat, ut in hujusce modi casibus plerumque contingit. Evocatum autem, & e terrenis in superas cœlestesque sedes sublatum, non tantum ne diutius in corpore, tanquam in custodia quadam, integerrimus ipsius animus vinctus esset, sive in busto quodam vivo defossus, sed ne versaretur amplius in his novis gravibusque malis: personamque quam gerebat, non posset ob discordias tumultusque intestinos, qui remp. Christia-

nam

ANNO CHRISTI 1563.

nam lacerant, cum dignitate tueri: vix enim humanis opibus medicina huic pesti adhiberi potest. Quod si ipsum non orbatum magnis vitæ commodis arbitrabimur, sed ex ingenti mole molestiarum divino consilio ereptum credemus, facile modum lacrymis adhibebimus: vel potius hac ipsius commutatione loci, migratioque in meliorem multo sedem gaudebimus. Quod ego vos facere prorsus oportere censeo, ac si facietis, rem dignam Christiana pietate & sapientia vestra geretis: & quæ mirifice conveniat spei, quam conceptam animo merito habemus de nova conditione vitæ, statuque undique beato hujus optimi & sanctissimi adolescentis.

Vos autem, sacerdotes optimi, & religiosissimi hujus fani custodes, qui tanta pietate, tantoque affectu operam huic funeri dedistis, precibusque vestris fortunatissimum iter hujus integerrimi juvenis adjuvistis, & tanquam viam illi munivistis, quum rem divinam absolveritis, in monumentis illis suorum majorum ipsum manibus vestris collocate, quæ cum multis modis ornata sint, & studio etiam optimi opificis fabricata, majorem quidem certe splendorem capient ex uno hoc corpore hujus castissimi juvenis, quam ex omni alia materia, & arte, unde conflata sint. Nam illud ipsum bustum, quo ipse illatus fuerit, erit ad omnem memoriam posterorum ara probitatis: allicietque præter cetera, oculos ad se spectantium: nec ulla unquam ætas viso illo, de laudibus ipsius conticescet: quanta enim vis admonitionis sit in locis, & quam libenter homines visant monimenta, in quibus honore magno digni homines siti sint, ac reliquiæ aliquæ ipsorum conditæ, notum est. Nunc autem, quum quantum in me fuit, officium tibi meum præstiterim: & partes etiam aliorum ornaverim, mihi ipsi si prospiciam, reprehendi non possum. Præsertim cum jam tanquam cum quodam novo Deo, ac cœlestes sedes incolente, agendum sit: hujuscemodi enim mihi species tua objicitur: ac videor videre te una cum purissimo illo grege divinorum ministrorum exultantem.

Quare te rogo, sanctissime juvenis, ut mihi ignoscas, si quum tuas laudes toto pectore celebrare voluerim, atque hoc sane onus mihi impositum fuerit, quod tamen firmioribus humeris dignum erat: ne dum eas, ut debebam, augere potuerim, aut saltem ut erant, sine ullo ornatu exponere, potius ipsas contriverim, ac valde tenuitate ingenii mei extenuaverim: multa enim fuere, quæ conatum hunc meum impediverint. In primis autem magnitudo ipsarum: nec enim exiguo hoc temporis spatio ipsæ enumerari potuerunt. Quæ res etiam fecit, ut non auderem de paucitate dierum, imo horarum quæ mihi datæ sunt ad meditandum queri: si namque tua virtus ulla alicujus accurata oratione satis explicari posset, justam causam accusandi illos habuissem. Deinde mœror qui me, ut ceteros omnes, primo confecit, ac vehementer perturbavit: sed etiam memoria imbecilla, ut in sene, causa hujus, aliis tamen magis quam tibi, damni esse potuit: aliaque nonnulla, quæ in re minime necessaria, omittenda decrevi: quum enim animi mei sensus præclare nunc tibi cognitus sit, & quæ semper fuerit voluntas mea erga te nunquam fallere potuerit, spero te mihi, sedulo hoc roganti, ignosciturum: qui nihil unquam alicui, quod honeste a te peteretur, negare consueveris. DIXI.

CXXIX.

ANNO CHRISTI 1563.

ORATIO IN FUNERE HIERONYMI Seripandi cardinalis amplissimi, habita Bononiæ in ædibus Divi Jacobi, ab Ægidio Marchesinio, Dominicano, Bononiensi lectore, IV. Nonas Aprilis MDLXIII.

VIDEO, V. B. vosque Augustinianæ religionis patres, misero casu mœstissimi, tantum me oneris hodie pro concione sustinere, ut videar ne cum de re mihi proposita orationem habere cœpero, tum vel doloris quem ex funere præsenti maximum capio, acerbitate succumbam, vel gravissimo sapientiæ vestræ judicio, ex spe dicendi deturbatus, cum perexigua orationis copia sit elargita, deficiam. Nam quis unquam satis lacrymabilem Hieronymi Seripandi cardinalis amplissimi, Eremitanæque familiæ Solis splendidissimi obitum deploret, sibique a lacrymis temperet, ubi plurima maximaque præstantissimi viri in rempublicam Christianam merita, vel animo suo versaverit, vel ea me recensente audierit? Quis cum tantarum virtutum monimenta nobis erepta esse senserit, non miserrime ferat, non vehementissime doleat? Quis præterea quantavis dicendi arte instructus, innumeras antistitis hujus dignissimi laudes, ac præsertim coram iis qui summa sapientia præditi sint, satis abunde oratione complectatur? Verum singulari vestra humanitate fretus, ac eo quod non tantum vos rei magnitudinis, sed & temporis angustiæ rationem habere credam, eo studio ad tanti cardinalis laudes prædicandas me convertam, ut quamquam in summo assiduoque dolore versor, tamen sperem ejus obitum eo minus nobis fore luctuosum & acerbum, quo magis intelligimus, eum nec mortis telo confodi potuisse, nec ulla hominum oblivione posse deleri.

Nam si is qui semper & alta spectavit, & æternam Dei immortalis sedem animo contemplatus sese ad verum decus, & gloriam meditandam, dies ac noctes evexit, humanorumque præmiorum spe contempta, in rerum divinarum contemplatione versatus est, quo ad beatorum oras tutius ac velocius pervolaret, minime & hominum interitu obrui, & oblivione posteritatis extingui potuit, profecto quanta vi animi possum, non verebor felicissimam hujus præclarissimi viri memoriam concelebrare, & vobis coram, qui (quod ejus conspectu orbati estis, maxime affecti esse videmini) proclamare, Hieronymum Seripandum, & sanctissimum, & optimum patrem, & cardinalem maximum, non esse mortis vi exhaustum, sed cum deorum commercio perbeatum, tum æterna immortalique vita frui, id quod re ipsa ne præstem, an verbis tantum pollicear, quæso pro vestra in viros bonos pietate, obsecroque, ut attento, libentique animo paucis audiatis.

Hieronymus Seripandus, patria Neapolitanus, parentibus clarissimis ortus, primum ut sapere cœpit virtutis amore inflammatus, totum se a pueris Augustinianæ religioni devovit, cui data sibi a parentibus venia obligatus, eum suæ vitæ cursum traducebat, ut paucis post annis, ad eam suorum laborum frugem pervenerit, ut jam summis patribus carissimus esset, qui maximam de se spem cunctis admoveret, & ad vitæ sanctitatem colendam, & ad rerum divinarum humanarum-

ANNO CHRISTI 1563.

narumque disciplinam percipiendam. In tantam itaque spem evectus, Romani Ægidii Viterbiensis cardinalis, eremitarum ordinis summi patris accitu proficiscitur: publicoque religionis certo munere aliquot dies functus, jam omni disciplinarum genere eruditus, Bononiam magistratus lauream susceperturus, quo docendi auctoritatem consequeretur, sese recepit, qua honorificentissime cohonestatus summum almi hujus cœnobii doctorem (Gabriele Veneto ordinis magistro annuente) aliquot annos egit. Tum Pauli tertii pontificis maximi jussu Romam reversus, vicarius ordinis primum, deinde summus religionis Augustinianæ moderator, ac pater, miro cum omnium plausu creatus est. Quam provinciam ubi sanctissime integerrimeque gereret, eo venit, ut ejus fama virtuteque monitus Paulus, hominum, ut nostis, spectator elegantissimus, decreverit eum cardinalem inaugurare, id quod præstaturum se re ipsa significasset, nisi novitate quadam temporum impeditus, eum ea dignitate ornandum, in aliud tempus prorogare maluisset.

Paucis post annis ordinis comitiis Bononiæ, eo imperante, habitis, ibi cum sui præsentiam facere non potuisset, quod interim gravissima valetudine opprimeretur, per procuratorem publicum egit, ut patres intelligerent, se summo ordinis magistratu sponte abdicasse, hujusque sæculi oneribus fessum, velle se residuum vitæ tempus, rerum divinarum contemplationi accommodare. Quod quamquam omnes ægre ferrent, plerique autem admirarentur, potuisse illum in animum inducere, ut quæ alii magna vi retinerent, ipse sponte deponeret: quæque alii plurimi facerent, ipse negligeret assecutus, quietam vivendi rationem nactus, multos ante annos Cæsari notus, quod cum de re sacra concionantem Neapoli audierat, sibique ob eam rem totum devinxerat, ab invictissimo imperatore Aquilanæ ecclesiæ episcopus decernitur. Is recusans, quod minime honorum cupidus esset, nullaque humanarum rerum spe teneretur, publica regni legatione qui fungeretur, habitus a civibus dignus, ad imperatorem pro reipublicæ salute legatus mittitur: ad quem ubi venisset, non prius passus est imperator ab eo sibi reipublicæ civiumque causam exponi, quam Salernitano sacerdotio honestatus, archiepiscopum se creari permitteret, quam Cæsaris summam & elementiam, & benignitatem (quod frustra munus illud legationis obiisset, nisi eo sacerdotio se a Carolo voluisset ornari) ubi renuere nequivisset, iis ab imperatore munificentissimis impetratis, quorum causa legatus fuerat missus, Salerni archiepiscopus designatus, in patriam revertitur, civibusque iis quæ a Carolo afferret, expositis, Salernum profectus illius ecclesiæ eam curam in administranda republica sacra gessit, ut boni pastoris nomen suo sibi quodammodo jure vendicarit.

Interim Dei optimi maximi munere superstes sanctissimus ac beatissimus pater Pius quartus, qui eo uno præcipue uti vellet, quod ejus ope speraret, se jam inclinatam & prope jacentem rempublicam nostram erigere posse, decrevit re ipsa præstare, quod Paulus tertius facturum se pollicitus erat. Romam igitur accersitus, in sacrum cardinalium conventum maxima cum amplissimorum patrum lætitia cooptatur, inde ut vir idoneus & qui ad maximas res gerendas videretur accommodatus, a pontifice maxime probatus, ad publicam religionis Christianæ synodum pontificiæ sedis auctoritate, legatus Tridentum mittitur. Quo cum venisset, a collegis suis honestissime exceptus, cum nullis laboribus frangeretur, nullis oneribus premeretur, ita reipublicæ Christianæ provinciam suscepit, ut eo uno tanquam præcipuo ac firmissimo ecclesiæ fundamento, cui tota res sacra niti videretur, tum defendenda componendaque crederetur. Jam quæso, præstantissimi Bononienses, nonne præsul hic sanctissimus eam ob rem natus esse videretur, ut peracto hujus vitæ cursu sola virtute duce, quam unam adamavit, amplexusque est, iis se curis tradiderit, quibus & aditus ad cœlum pateret, & immortalitas vitæ compararetur? Nonne, inquam, talem se gessit, ut non mortalium aliquis, sed ut castissimum omnium virtutum exemplar eum se præstaret, qui & cunctis prodesset, & Christi causam pro viribus tueretur, & cum divo Paulo se quoque profiteretur cursum consummasse, fidem servasse, in reliquo sperare repositam esse sibi coronam justitiæ, quam profecto reddet ei suisque similibus in ea die justus judex? Quis non videat solem hunc orbi terrarum illuxisse, ut esset quem sequeremur, & ad perennis gloriæ palmam consequendam, & ad certissimam vitæ cœlestis in terris reducendæ regulam comparandam? O cardinalem sapientissimum, imo religionis Christianæ singulare decus & ornamentum, quem non potuisti tuæ sanctitatis vestigia sequutum ad divinarum rerum amorem accendere, ad humanarumque contemptum impellere? Quem non consuetudo suavissima delectavit, non morum probitas inflammavit, non sermonum castitas ad Deum pie colendum, religionemque intrepide servandam animavit? Verum mecum perpendite, viri Bononienses, quo cardinalis sanctissimus progrediatur, eum sub extrema hora Christi militem agentem fortissimeque ac invictissime in mortis agone concertantem videamus.

Jam igitur cum venisset summa dies, ac ineluctabile tempus, senio fere confectus, quod ætas jam gravissimis oneribus, quæ quotidie pro religione tuenda sustinebat, impar esset, legatum pro concilio Tridenti fidelissimum agens ardentissima febri corripitur, cognoscitque acerbitate doloris optatissimam horam accessisse, quæ eum carnis vinculo dissociaret, & corporis nexu dissolveret, & cum Christo redemptore, quem unum perpetuo castissimeque coluit, copularet. Tum urgentis morbi impetum eo animo se aspernari visus est, ut dum febris fervore æstuaret, ejusque vi paulatim consumeretur, non dolori succumberet, quem summum patiebatur, non mortem extimesceret, quam præsentem cernebat, sed cum virum se fortissimum in perferendis laboribus præstaret, divinaque virtute sustentaret, totum se, ut qui placidam vitam traducere videretur, castissimis rerum divinarum sermonibus, piisque admonitionibus tradit, postulatque ut hi quos caros habet sibi assideant, non ut infirmo sibi gravissimeque laboranti obsequantur, sed ut laborum suorum testes amplissimi, secum humana fata negligant, mortisque timore omisso, hujus vitæ exitum commententur, & extremæ diei statum forti magnoque animo ferant, cœlumque intueantur, ad cujus spectaculum contemplandum cum nunquam curventur in terram, tum semper altas mentes teneant, erigantque se tanquam angelorum comites, ad Deum optimum maximum pie casteque colendum, utque qui solum divina suspiciant, non se cum ex hominum commercio emigrare oportet, vita extingui, animique vigore privari arbitretur,

ANNO CHRISTI 1563.

ANNO CHRISTI 1563.

tur, sed sperent, credantque iis qui pie sanctæque vixerint, certum esse in cœlo ac definitum locum, ubi beati ævo sempiterno fruantur, atque id propter nullas ob sui desiderium lacrymas fundant, maxime vero in ea re sui erga illum benevolentiam amoremque declarare, ubi lætentur quod ex vinculis hujus corporis tanquam e caliginoso carcere evolaverit, brevi in eam requiem evehendus, ubi nullus est labori locus, nullus morti impetus relictus, sed immortalitatis corona donatus, perpetuos beatæ vitæ fructus e liberalissima, munificentissimaque manu Dei percipiat: secum præterea cœli ac terræ moderatori gratias agant, qui maxima in eo adjuvando utatur clementia, quod cum eum carceris hujus custodia celebriter liberaret, tum id & ea tempestate faceret, & in eo loco præcipue, quo instaurandæ religionis ergo venisset. Hæc tanta animi caritate, tanta vultus hilaritate, tanto dicendi studio recensebat, ut non febris fervore maceratus, non valetudinis vi jam prope exhaustus crederetur, sed quamquam in summo corporis dolore versaretur, tamen dubios assidentes relinqueret, plus ne in morte virtutis, quam in ante acta vita ostenderet.

Sapientissime ad hunc modum, atque suavissime ubi suos & ad pietatem, & ad justitiam, & religionis Christianæ defensionem cohortatus esset, monuisset que ut terrestria tanquam inania, ac caduca bonorum simulacra contemnerent, cœlestia vero, quorum spe nunquam fallerentur, si ea sequi voluissent, vehementer optarent, corporis nexu soluto cum maximo omnium desiderio, incredibilique lacrymarum profluvio, septuaginta jam & sex annos natus e vita exivit. O Seripandum cardinalem sanctissimum, vivendique ac moriendi exemplar tutissimum, num te extinctum collachrymemur, qui ut sydus fulgentissimum ad supremas beatorum oras evectum perpetuo nitore effulgeas? declarat tuus quam felicissimus ex hac vita discessus. Num te morientem doleamus, an ipsos potius tua sanctissima consuetudine destitutos elugeamus? O præsidium Christianæ religionis firmissimum, quibus verbis tui memoriam recolamus, quibus officiis tua in rempublicam Christianam merita prædicemus? Utinam tuæ probitatis vestigia sequamur, lugendique loco assiduam operam demus, ut & tuorum verborum vim memoriæ commendemus, & tuorum exemplorum sanctitatem re ipsa præstemus.

Vos vero Eremitani ordinis patres ac fratres optimi, ne flete Hieronymum Seripandum cardinalem clarissimum nunc magis quam antea vestrum: ne vestram in eum pietatem lacrymis explete, sed ut ejus, qui de vobis vestraque religione semper est benemeritus, memores gratissimi, Hieronymum Seripandum & funebri hac pompa, ut cœpistis, concelebrate, & literis ac piis sermonibus consecrate: ea spe ducti, vos non eo orbatos esse, qui ad meliores sedes est delatus, sed sanctissimis ejus precibus tutissimos factos, ob idque ad cœlum vobis aditum patere, ut quem in terris patrem optimum experti estis, eum in cœlis jam immortalitate donatum, ut alterum Augustinum, religionisque vestræ conservatorem, ac protectorem æternum colatis.

CXXV.

ANNO CHRISTI 1563.

ORATIO HABITA IN SESSIONE octava sacrosancti concilii œcumenici Tridentini, per reverendissimum D. Franc. Rechardotum, episcopum Atrebatensem, anno MDLXIII.

SI quis rerum nostrarum non ignarus, rei Christianæ statum apud se consideret, conferatque cum priscorum temporibus: facile videat, iisdem nos detrimentis urgeri, quæ Hierosolymorum urbem, templum, religiones cepisse, sacri auctores tradiderunt. Ex quo id quoque conjectura perspici potest, cervicibus nostris idem fatum imminere, quod fuit, non solum illius urbis amplissimæ, sed templi omnium cultissimi ac religiosissimi. Illud enim, non admodum diu posteaquam structum est a suis cultoribus desertum, sacrorum voluminum literis accepimus. Quo tempore, Hieroboami perfidia, ad vitulos aureos itum est. Idem vero magno nostro damno sensit, ac nunc quidem sentit ecclesia, per desertores impios, qui apostatas angelos secuti, ut sectas perditionis introducerent, se a nobis per summum scelus revulsere. Idem templum, Athalianæ tyrannidis imperio, vetustate prope collapsum, ornatum ordinem, & elegantiam amiserat: totumque brevi concidisset: nisi ad instaurandas ruinas, animum sanctus sacerdos Jojadas cum rege suo contulisset. At quis non videt, eos reipublicæ morbos, quos per ætatem & incuriam contraxit, certum nobis exitium portendere: nisi quis instaurator accesserit, qui vegetem illum succum, ac nativum sanguinem ejus corpori restituat? Patuit idem templum omnibus hominum improborum injuriis: prædonum, qui diriperent: profanorum, qui violarent: sæviissimorum hostium, qui funditus everterent. In quibus malis fuit illud sane maximum, quod nemo inter populares principesque viros vel sibi consilium ullum sanum capere, vel prophetis salutaria monentibus auscultare potuerit. Nos vero, quamquam non eo miseriarum pervenimus, ut nostrum nobis exitium sit potius lugendum, quam timendum: cum tamen pares desertiones, ruinasque perferamus: illud reliquum scilicet in consultatione est positum, qua ratione provideri possit, ne quod in prospectu est naufragium nos exsorbeat. Ille enim Deus, qui veteri Israele rejecto, ex paganitatis lapidibus, ipsi Abrahæ filios excitavit: Ille ipse, sponsæ suæ, columbæ suæ, ecclesiæ suæ, falice domicilium in desertis barbarisque gentibus parare poterit. Quare, dum locus nobis aliquis ad deliberandum est reliquus: in eam omnino cogitationem vobis est descendendum: ne in oculis vestris, tot vulneribus acceptis, nutans labansque respublica concidat. Me vero ut ea de re, hoc tempore ac loco, dicendum susciperem, maxime commovit magnitudo periculi: quod si hujus esset generis, cui nulla opera vestra, consilio, prudentia, possit occurri: non equidem committerem, ut nobis oratione supervacanea tædium afferrem dicendo. Vederer enim mersis perditisque rebus, post naufragium, navigationis instaurandæ consilium afferre. Sed cum plurima nobis argumenta, spem minime vacuam, ex his calamitatibus emergendi faciant: non eorum sic absterrebor oratione,

qui

ANNO CHRISTI 1563.

qui omnia conclamata esse prædicant: quoniam & vos bono esse animo cupiam, & quæ sum arbitratus hoc tempore, salutem ecclesiis afferre posse, paucis exponam. Dicam itaque, minime quidem diserte aut eloquenter: sed breviter ac dilucide. In quo sic benevolentiam vestram & attentionem requiram, non quasi sim novum aliquid, ac non prius auditum, sed quod utile tamen sit, & in primis necessarium dicturus.

Quam itaque in rem maxime amplissimus iste vester consessus incumbere debeat, ne oblatam opportunitatem sanandæ ac liberandæ reipublicæ deserat: Isaias prophetarum disertissimus ostendit: quo loco gentilibus suis primas generis Judaici stirpes & origines ad imitationem proponit. *Attendite*, inquit, *ad petram, unde excisi estis: & cavernam laci, unde estis præcisi. Attendite ad Abraham patrem vestrum: & ad Saram, quæ vos peperit.* Putate, patres, hac voce prostratam atque afflictam ecclesiam, bonorum omnium conventus, manes ac cineres majorum, angelos ecclesiæ custodes, Christum patronum pontificem salutis omnium, opem vestram & officium requirere. Biennium totum plus minus exactum est, quod hæc sanctissima synodus parturit: estque in omnium expectatione quid tandem pariat. Absit tandem ab ejus pietate, ut truncum aliquid aut mutilum edat in lucem. Solidam enim prolem, & integrum partum requirimus. Absit ab ejus fide & integritate, ut Ismaelem, qui novas in familia turbas excitet. Pariat autem quæ libera est, liberæ filium Isaachum, gaudii domestici fontem: ejus ortu optimus quisque, atque adeo orbis terrarum recreatus lætitiis omnibus incedat. Id autem ut consequamini patres: ut quod optatis unice, rempublicam improborum civium motibus misere dissectam ac deformatam æquis legibus instauretis: *Attendite ad petram, unde excisi estis*: contemplamini, quibus initiis res Christiana creverit: quibus fundamentis nixa steterit: quibus architectis, templum domini (quod estis vos) structum, positumque fuerit: *Attendite ad Abraham, patrem vestrum*. Quidni, Abrahami nomine, Petrum appellem: Parentem scilicet omnium gentium, quotquot Christo nomen dederunt, dabuntque olim? Quidni Paulum? qui tot populos, gentes, provincias, Christo & ecclesiæ genuit? Quidni reliquos apostolos, patres, martyres, quorum est virtute perfectum, ne limes imperii Romani (quod tum maximum erat) suis terminis evangelicam prædicationem cohiberet? *Attendite ad Saram*, quæ vos peperit, priscam illam sanctorum ecclesiam, principem gentium: columnam, & firmitatem veritatis: quæ cum abjecta prius, sterilisque esset prole, felicitate, libertate, eam quæ virum habebat synagogam, maximis spatiis antevertit. Hoc exemplar oculis subjicite: atque ex eo lineamenta duo formandæ ac refigendæ reipublicæ deducite. In moribus, legibus, institutis præsentis ecclesiæ, veram illius, & omnibus numeris expressam imaginem reddite.

Infinita autem erit oratio, si singula, quæ ad imitationem hoc loco dici queunt, expressero: si quod ea aurum quæsierit, quodque contempserit: si quas opes ambierit: quasque neglexerit: si quibus gemmis nituerit, quasque abjecerit: si quas voluptates amaverit, quasque oderit, recensuero. Sed non sunt hæc hujus temporis: ætas enim ingravescens hujus labentis sæculi, tam accuratum fortasse virtutis & continentiæ genus ferre vix potest. Proponamus maxime hoc loco ex priscorum moribus, quæ & facile, & in primis salutariter imitari possimus: doctrinam, religionem, disciplinam: quæ propria sunt, connexa, & conjugata ordini, atque unctioni nostræ munia. Illud enim triplex prophetarum, sacerdotum, regum, dignitatis culmen, quod apud veteres unctione tradebatur: ad nostræ ordinationis sacramentum, quodammodo pertinet. Quo sacramento, prophetæ, sacerdotes, & reges, inaugurati sumus: ut in prophetica dispensatione, doctrinam: in sacerdotio, religionem: in regia gubernatione, disciplinam conservemus.

ANNO CHRISTI 1563.

Quarum rerum concentu & harmonia eadem majores nostri edidere miracula: quæ & psaltes ille in Elisæo: & David in Saulis dæmonio, longe prius adumbrarunt. Ille enim pulsu citharæ donum prophetici spiritus excitavit: hic spiritum Dei malum, qui Saulem crudeliter agebat, simili modulatione compressit. In illo autem lacratissimo ecclesiæ choro, admirabilis & concors doctrinæ, religionis, & disciplinæ concentus: Dæmonum ludibria: artes satanæ, hujus sæculi principis dominatum, qui tum latissime radices egerat, non ex unius hominis visceribus, sed ex populis, regnis, gentibus fortissime profligavit: & uberrimum paracleti donum, per sæpe ad homines elicuit, quo docti, ac stabiliti piorum animi, in scopum felicitatis propositæ, prompti semper & alacres, ablumptis veteris Adami sordibus intenderent.

Hanc itaque, patres, musicen, reipublicæ nostræ imprimis congruentem, quæque omnes ecclesiæ regundæ modos ac numeros continet, in usum restituite: si quidem id optatis (quod certe optatis maxime) & mendaces ex reipublicæ spiritus abigi (qui se in nobiles ecclesiæ provincias, impiorum hominum ministeriis insinant) & ex paracleti fontibus, ad nostri nominis homines, perenni cursu torrentes emanare. Hoc agite patres, nam ille fortis armatus semel ejectus dominatu suo: semel pulsus ex atrio & arce, quam occupaverat: redintegratis viribus, consilioque de reditu cum septem spiritibus se nequioribus inito: rursus in domum, unde exierat, vacantem otio, magnis se conatibus proripit. Jam Deus, pertæsus impietatis hominum mente corruptorum, spiritus sui charismata revocat: neque enim calvarias columbæ, sed corvi subeunt. Doctrinam igitur (quæ primas reipublicæ gubernandæ partes obtinet) conservatam illam quidem ad nostra tempora: sed partim ab impiis corruptam, partim neglectam ab ociosis castius explicari, tradique diligentius optamus. Est quidem in horreo domini evangelici tritici perennis annona: Et in promptuariis ecclesiæ panis minime deest, quantum ad omnes ætates, familiæ satis est. Sed eum panem filiis a patribus more majorum frangi volumus: eumque neque impostura Pharisaicæ fermento vitiatum (quod solent hæretici) neque melle lenocinii sæcularis illitum (quod faciunt hypocritæ, & illusores magistri) sed sale, id est sapientia conditum: oleo, id est, numinis aspiratione perfusum.

Repetamus hoc unum memoria, patres: ex quo tempore, doceri a nostri ordinis hominibus in ecclesiis est desitum, ordini nostro quantum probri ac dedecoris, reipublicæ quantum damni & incommodi accesserit. Balaamum, stultum ac vanum ariolum, asina stupidum ac iners animal insaniæ redarguit. Rude vero & indoctum

vulgus

ANNO CHRISTI 1563.

vulgus e popinis, taberniſque ſutoriis, potoriis, fabrilibus emerſum, ſacrorum ſibi voluminum explicationem, myſteriorum ſcientiam, arcanorum perſpicientiam vendicat. At quo detrimento? quantum vix ullum majus, poſt homines natos, cepit eccleſia: ut deterrimus quiſque quantum audacia, ſuperbia, temeritate valeat: id in eam rem contulerit, ut in eccleſiam, nova ac non prius audita paradoxa comportaret, & certiſſimis oraculis venditaret. Quo ſcelere & flagitio quid gravius peſtilentiuſque dici cogitarive poteſt? Efficit itaque, patres, ut hæc Chriſtianæ doctrinæ lampas, jugis perenniſque ſacerdotii noſtri miniſterio, fulgeat in eccleſiis. Sed quoniam neque ſine religione doctrina: nec religio ſine diſciplina poteſt ſubſiſtere, facile judicatis, ubi per vos habita doctrinæ ratio fuerit, habendam ſimul eſſe cum diſciplinæ, tum vero religionis: Quam religionem neque ab Egeriæ nymphæ congreſſu: neque ab antro Cretico Minois, ad fraudem popularis inſcitiæ: ſed a Chriſto, ſempiterno Dei verbo, ad ſalutem & immortalitatem animorum accepimus. Si aurum ſpectamus in templis: ſi gemmas in tiaris: ſi ſumptum atque cultum, in ceremoniis, atque in his ſi tota eſt & verſatur religionis Chriſtianæ ratio: certe magno nos intervallo majores noſtros (apoſtolos intelligo) vincimus. Sed ſi in cultu animi (qui fide & caritate conſtat) recta omnis religio conſtituitur: quis non videt, priſcorum pietatis umbras quidem ad noſtra tempora reſtitiſſe?

Ceterum rem ipſam (quæ veritate fit & ſpiritu) non quidem paſſim, aut in omnibus, ſed in pleriſque tamen exoleviſſe: eſt præclarus uſus ceremoniarum in eccleſia, idemque perneceſſarius, modo ſcienter, attente, graviter procures: quibus plebs, & docetur, ſi eas explices: & afficitur, ſi religioſe ſerves. Sed cum ſigna ſint veri & arcani cultus, quem unum Deus maxime reſpicit: hic cultus ſi deeſt, quicquid agit, fugitque hypocriſis, hoc ipſum certe eſt, Caini aram paleis imbuere: quodque inquit Iſaias: qui mactat pecus, quaſi qui canem excerebret: & qui recordatur thuris, quaſi qui benedicat idolo. Gerat igitur animus, ante omnia, Chriſtiani characteris inſigne: ſitque ejus pietatis, quam fronte profitemur, verum in corde puro domicilium, de conſcientia bona, & fide non ficta. Religio autem quænam integra, utiliſque eſſe poteſt: niſi in moribus officium diſciplina retineat? Eſt ſane purioris doctrinæ præcipuus uſus in eccleſia: Eſt cultus & rerum divinarum laus eximia. Sed niſi licentiam inter homines diſciplina cohibeat: niſi rebelles animos caſtigatio reprimat, nihilo plus proficitur, quam ſi famelicos leones oratione aut pictis rerum imaginibus lenire contendas. Quod enim monſtrum in natura tam ſævum, tamque indomitum ac præceps, quam eſt humana vitioſitas? Quæ, ut Proteus ille Virgilianus, omnium in ſe pro re nata belluarum formas & ingenium induit: ut ſæpenumero leones, feritate: lupos, ingluvie: canes, invidia: hircos, libidine: verſutia ſerpentes ſuperet. Quare, ut id monſtri frenemus, patres, quandoquidem nulla arte cicurari poteſt, diſciplinæ in eccleſia pia revocetur ſeveritas: quæ quam ſit neceſſaria, utinam ex alienis potius, quam ex noſtris incommodis oſtendi poſſet.

Sed veluti manifeſtum eſt, maxima orbis imperia Babylonicum, Perſicum, Macedonicum, Romanum, retenta diſciplina ſtetiſſe: neglecta, concidiſſe: ſic fateri neceſſe eſt, tot malis numquam potuiſſe eccleſiam opprimi, ſi ſua diſciplinæ conſtitiſſet auctoritas. Cui ſi beneficio veſtro ad nos quaſi poſtliminio redire liceat: ſi per vos ſuam dignitatem atque auctoritatem recipiat: tum integritas in moribus, probitas in negotiis, fides in pactis, æquitas in judiciis, atque in omni vitæ genere ſanctitas elucebit. Tum illa malorum colluvies, quæ in omnes Chriſtiani nominis ordines ſe latiſſime fundit, in ſuum præceps baratrum citiſſime refluet. Tum lætiſſimus ille dies illuceſcet, qui regeneratam aurei ſæculi nobis innocentiam adferet. Tum noſtri ſæculi Saules, qui extrema ordini noſtro meditantur: quique in res, fortunaſque noſtras involant, victi ac molliti, muſicæ hujus per vos reſtitutæ conſenſu, & omnem vitæ actionem ex veſtro præſcripto component, & ſe vobis fautores ac nutricios (quod inquit Iſaias) præbebunt: ſuiſque vos ſpoliis ornabunt.

ANNO CHRISTI 1563.

Sed hæc vos compendia non moveant, patres: moveat maxime Chriſti ſacerdotis, patroni, regis noſtri, non tam judex, vindexque oculus, quam pius ac benevolus, effectus: cui uni, jure clientulæ, gratitudinem: propinquitatis, caritatem: ſacerdotii, pietatem: redemptionis, omnia debemus. Moveat maternum eccleſiæ, quæ ſqualens & abjecta ſua vobis vulnera retegit: & in ſummis periculis ſuis, vos alumnos, vos filios, vos ſponſos, ad opem ferendam compellat. Moveat vos commune deſiderium, ſalus publica, bonorum omnium expectatio: qui in ſinum veſtrum ſpes ſuas omnes effundunt. Quod ſi quid ad excitandos ſpiritus rei bene gerendæ valeat occaſio, ſi quid favor numinis: ſi quid quæ in promptu ſunt adminicula: ſpectate, patres, quantum vobis adjumenti promittat principum virorum in utroque ordine, & eccleſiaſtico & laico, promptum officium, pium ſtudium, fortis animus: ac in primis Pii quarti, pontificis maximi atque optimi, paterna eccleſiarum ſolicitudo, ac virtus plane heroica. Cui proxime ſuffragatur & reſpondet Cæſaris, regum, principum ſanctus conatus. In quibus, Philippi Hiſpaniarum regis, potentiſſ. atque piiſſ. religio pietaſque mirifice prælucet. Quos omnes minime fruſtra natos, ſed a Deo orbi terrarum ad eccleſiæ propugnationem donatos judicare debemus.

Spectate ex adverſo, quantum hæreticorum cauſæ deceſſerit, noſtræ quantum acceſſerit, ex illa immaniſſima petulantia: qua ſuo furori bonorum omnium juſtiſſimum odium concitarunt. Quod odium quamquam eſt vi, igni, ferro in noſtra viſcera ſæviſſime diſtricto, conflatum, tamen hac parte & nobis prodeſt, at illi obeſt plurimum: quod ea crudelitate teſtatum reliquerint, ſe in ejus angeli caſtris militare, quem Joannes, Abbadon. id eſt, everſorem, exterminatorem, vaſtatorem, nuncupavit. Quid? an periculum nobis ullum tantum ab hoſtibus impendere poteſt, quod non e veſtigio Chriſtus depulerit? Modo domeſticas ſordes, quibus nobis eſt iratus, eruamus: eligat ſeptem illa ſua capita draco, quibus ſempiternum cum eccleſia bellum gerit: incendat tyrannos ad crudelitatem: acuat ſynagogam ad odium: inflet mundi hujus ſapientiam ad ſuperbiam: novos Mahumetes excitet: novos Turcas e deſertis Scythicis evocet: Hæreticos omnes ad noſtram perniciem aggreget: Antichriſtum ipſum filium perditionis, ſuis ſpiritibus imbuat: quid efficiet, dicente Chriſto, portas, id eſt, poteſtates inferi, non evicturas? Ceterum in caſtris Davidis noſtri Chriſti, minime deſunt viri fortiſſimi raræ &

inuſi-

ANNO CHRISTI 1563.

innúitatæ virtutis, eruditionis eximiæ, quos multos lætus conſpicio: qui arcem Gebuſei, claudoſque & cæcos, id eſt, omnia hæreticorum conceptacula fortiſſime atque feliciſſime ſubvertant. Stet igitur ad eam tranquillitatem, quam expetimus: inſtaurationem, quam optamus; pacem & concordiam, quam quærimus; omnia nobis e cœlo exprompta eſſe præſidia, modo nos neque conſilium in negocio: nec voluntas in officio: nec fortis, conſtanſque animus, in labore & periculo deſtituat. DIXI.

CXXVI.

ORATIO HABITA IN SESSIONE *nona, & ultima ſacri concilii Tridentini, celebrata duobus continuis diebus tertia & quarta Decemb. an.* MDLXIII. *Pio IV. Pont. Max.*

A. R. P. D. Hieronymo Ragazzono, Veneto, epiſcopo Nazianzeno, & coadjutore Famaguſtano.

Hic ſummatim recenſentur omnia in concilio Tridentino definita, quæ ad pie credendum, & ad bene vivendum pertinent.

Pſal. 48. AUDITE *hæc omnes gentes, auribus percipite omnes qui habitatis orbem.* Tridentinum concilium jam diu cœptum, aliquando intermiſſum, diſtractum varie atque divulſum, nunc demum, ſingularis Dei omnipotentis beneficio, ſumma atque incredili omnium ordinum ac nationum voluntate connectitur atque perficitur. Dies hæc quidem feliciſſima Chriſtiano populo illuxit, in qua templum domini diſturbatum frequenter ac diſſipatum reficitur & abſolvitur: & navis hæc una bonorum omnium ex maximis, ac diuturnis turbinibus, atque fluctibus tuta in portu collocatur. Quam utinam conſcendere vobiſcum ii voluiſſent, quorum in primis gratia hæc ipſa navigatio inſtituta fuit: atque ædificii hujus conſtruendi participes extitiſſent, qui hoc nobis negotium exhibuerunt, majoris nunc profecto lætitiæ cauſam haberemus. Sed noſtra id certe culpa non accidit.

Nos urbem hanc in Germaniæ faucibus, id eſt, in domus illorum fere limine poſitam elegimus: nos cuſtodiam nullam nobis, ne ſuſpicionem illis aliquam minus liberi loci daremus, adhibuimus: nos eam fidem publicam illis conceſſimus, quam ſibi ipſi compoſuerunt: nos hic illos perdiu expectavimus, neque hortari ac rogare unquam deſtitimus, ut ad veritatis lucem cognoſcendam accederent. Verum illis etiam abſentibus, ſatis ut puto a nobis conſultum eſt. Etenim, cum duo eſſent, in quibus ægris atque infirmis illorum animis medicina fuit adhibenda: alterum fidei catholicæ, ac vere evangelicæ illis in rebus, quæ in dubium ab ipſis vocantur, quæque opportunæ his temporibus viderentur, explicata & confirmata, disjectis omnibus ac diſſipatis errorum tenebris, doctrina, alterum diſciplinæ eccleſiaſticæ, cujus potiſſimum depravatione illi ſe a nobis defeciſſe affirmant, reſtitutio: utrumque, quantum in nobis fuit, pro temporum horum ratione, cumulate præſtitimus.

ANNO CHRISTI 1563.

Principio enim ſancta hæc ſynodus (facta ex laudabili majorum noſtrorum conſuetudine ſuæ fidei profeſſione) ut quoddam quaſi fundamentum futuris actionibus poneret, & quibus teſtimoniis atque præſidiis, in dogmatibus ſanciendis nitendum eſſet, oſtenderet, veteris ac novi teſtamenti libros, qui eſſent ſine ulla dubitatione recipiendi, antiquorum conciliorum probatiſſimorum exemplo, pie & prudenter enumeravit: ac, ne de verbis quidem ulla ex variis verſionibus oriri poſſit difficultas, certam ac definitam de Græcis & Hebræis tranſlationem approbavit.

Hinc omnium hæreſum caput atque arcem aggrediens, de humanæ naturæ corruptis initiis ea ſtatuit, quæ veritas ipſa, ſi loqui poſſet, exprimeret.

De juſtificatione deinceps (res magna, & cum ab antiquis, tum a noſtri temporis hæreticis mirum in modum oppugnata) ea definivit, quibus & pernicioſiſſimis eo in genere opinionibus occurreretur, & recte ſentiendi ratio miro quodam ordine atque admirabili ſapientia (ut in illis Dei ſpiritum facile agnoſcas) demonſtraretur. Præſtantiſſimo hoc poſt hominum memoriam decreto hæreſes fere univerſæ jugulantur, & quaſi caligo a Sole diſcutiuntur ac diſpelluntur, eaque claritas, iſque ſplendor veritatis apparet, ut tantum lumen quin videat, diſſimulare jam nemo poſſit.

Subſecuta eſt ſalutaris ſeptem divinorum eccleſiæ ſacramentorum tractatio: primum ſimul de omnibus, poſt de unoquoque ſeparatim. Hic vero quis non videt, quam diſtincte, explicate, abundanter, illuminate (& quod caput eſt) vere tota cœleſtium horum myſteriorum ratio contineatur? quis in tam magna, multiplicique doctrina, quid aut ſequendum, aut fugiendum ſit, poteſt ullo modo deſiderare? Quis in illis omnibus errandi locum aut occaſionem inveniet? Quis denique de ſacramentorum horum vi atque virtute dubitare in poſterum poterit, cum gratiam illam, quæ illis ipſis quibuſdam quaſi ſtillicidiis in fidelium quotidie mentes illabitur, tunc nobis affuiſſe tam copioſe perſpiciatur?

Acceſſerunt ad hæc de ſacroſancto miſſæ ſacrificio, & de communione ſub utraque ſpecie, & baptiſmo parvulorum, decreta: quibus quidem nihil ſanctius, nihil utilius, ut de cœlo lapſa, non ab hominibus compoſita videantur.

Adjungetur his hodie certa de indulgentiis, de purgatorio, de ſanctorum veneratione, invocatione, imaginibus, & reliquiis doctrina, qua non ſolum hæreticorum fraudibus & calumniis obſiſtetur, ſed piorum etiam catholicorum conſcientiis plane ſatisfiet.

Hæc de rebus ad ſalutem noſtram pertinentibus, quæ dogmata appellantur, fauſte, ac feliciter erunt peracta: neque aliud quicquam præterea in genere a nobis hoc tempore expectabatur.

In eorum autem quibuſdam adminiſtrandis cum nonnulla eſſent, quæ non rite omnino ac recte ſervarentur, accuratiſſime, patres ampliſſimi, curaſtis, ut pure illa, & caſte, atque ex moſe, inſtitutoque majorum tractentur. Ita omnem ſuperſtitionem, omnem quæſtum, omnem (ut dicunt) irreverentiam a divina miſſarum celebratione abſtuliſtis: vagis, ignotis, & criminoſis ſacerdotibus ſanctum hoc offerre ſacrificium inter-

interdixistis : rei hujus sacratissimæ usum a privatis domibus & profanis in sacra & religiosa loca revocastis : molliores cantus, & symphonias, deambulationes, colloquia, negotiationes a templo domini summovistis.

Ita ecclesiastico unicuique gradui leges illæ a vobis præscriptæ sunt, ut tradito illis divinitus ordine, abutendi nullus utique locus relinquatur.

Ita nonnulla matrimonii impedimenta, quæ ansam quasi quamdam ad violanda ecclesiæ præcepta dare videbantur, removistis : facilem veniæ consequendæ viam minus legitime connubii fœdus ineuntibus intercludistis. Quid de furtivis tenebricosisque matrimoniis commemorem ? Equidem ita sentio, si alia nulla causa convocandi concilium fuisset (quæ multæ & maximæ fuerunt) propter unam hanc id omnino fuisse faciendum. Nam, cum res hæc ad omnes spectet, neque ullus in orbe terrarum universo angulus reperiatur, quem labes hæc non invaserit, curandum merito fuisset, ut communi huic malo, communi etiam consilio provideretur. Innumerabilium, patres sanctissimi, & gravissimorum delictorum, ac scelerum occasio, prudentissima ista vestra, ac prope divina sanctione penitus ablata est, & Christianæ reipublicæ gubernationi sapientissime consultum.

Accedet ad hæc utilis in primis ac necessaria multorum in purgatorii, sanctorum venerationis, invocationis, imaginum & reliquiarum, atque etiam indulgentiarum ratione abusuum interdictio, qui ipsarum pulcherrimam faciem inquinare, atque turpare mirum in modum videbantur.

Altera vero pars, in qua de labenti ac prope cadenti ecclesiastica disciplina fulcienda erat agendum, diligentissime etiam absoluta fuit, atque perfecta.

Eligentur in posterum ad ecclesiastica munera obeunda, qui virtute, non ambitione, præstent, quique populi commodis, non suis inserviant : & prosint potius, quam præsint.

Enunciabitur atque explanabitur frequentius, & studiosius verbum domini, omni ancipiti gladio penetrantius.

Aderunt suis gregibus, & invigilabunt episcopi, ceterique, quibus animarum cura commissa est, neque extra creditam sibi custodiam vagabuntur.

Nihil cuiquam proderunt aut ad impure & flagitiose vivendum, aut ad male & perniciose docendum privilegia : nullum sine pœna crimen, nulla sine præmio virtus relinquetur.

Pauperum & mendicantium sacerdotum multitudini optime provisum est : certæ unusquisque ecclesiæ, statutoque operi, unde ali possit, ascribetur.

Avaritia, quo nullum vitium est tetrius, præsertim in domo Dei, ab ea omnino tollettur : gratis sacramenta omnia, ut par est, conferentur.

Ex una ecclesia plures, ex pluribus una, ut populi commodum & ratio postulabit, constituetur.

Eleemosynarum quæstores, ut appellant, qui sua, non quæ Jesu Christi quærentes, magnum nostræ religioni damnum, magnam infamiam afferebant, ex omni hominum memoria (quod summæ felicitatis loco ponendum est) penitus evellerentur : Hinc nostra præsens calamitas sumpsit exordium : hinc serpere infinitum malum, manareque in dies latius non desistebat : neque occurri illi adhuc multorum conciliorum cautionibus ac provisionibus potuit. Quamobrem quis non nisi sapientissime factum dixerit, ut membrum hoc, in quo sanando diu ac multum frustra laboratum est, ne reliquo corpori noceret, excideretur ?

Porro Deo cultus tribuetur purius & accuratius, atque ita, qui ferunt vasa domini, mundabuntur, ut ad sui imitationem alios trahant, In quo præclare illud fuit excogitatum, ut, qui sacris essent initiandi, iis moribus atque literis in unaquaque ecclesia a prima ætate instituerentur, ut quoddam quasi virtutum omnium seminarium illud existeret.

Jam vero provincialibus synodis restitutis, visitationibus ad populorum utilitatem, non ad querelam & sumptum revocatis : Tradita pastoribus regendi suos, atque pascendi commodius facultate : Pœnitentia publica in usum revocata : Hospitalitate tum ecclesiasticis hominibus, tum piis locis indicta : In curatis sacerdotiis conferendis memorabili, ac pene cœlesti ratione constituta : Beneficiorum (ut ajunt) pluralitate sublata : Hæreditaria sanctuarii Dei possessione prohibita : Modo excommunicationibus impositio ac terminato : Primis judiciis iis in locis, ubi lites oriuntur, assignatis : Singularibus certaminibus interdictis. Omnium hominum ac sacrorum in primis luxuriæ, cupiditati, atque licentiæ fræno quasi quodam, quod excuti non facile possit, injecto : Regibus ac principibus sui muneris diligenter admonitis : Aliisque rebus hujusmodi prudentissime sancitis : quis non videt vestras vos, patres optimi, hac etiam in re partes cumulatissime executos ?

Actum sæpe est in superioribus conciliis de fide nostra explicanda, moribusque corrigendis : sed nescio an unquam diligentius, atque distinctius.

Hic præsertim hoc biennio, ex omnium populorum ac nationum, in quibus catholicæ religionis veritas agnoscitur, non solum patres, sed oratores habuimus ? At quos viros ? Si doctrinam spectemus, eruditissimos : si usum, peritissimos, si ingenia, perspicacissimos ; si pietatem, religiosissimos : si vitam, innocentissimos. Numerus is quoque fuit, ut, si præsentes Christiani orbis considerentur angustiæ, frequentissima hæc omnium, quæ antea fuerunt, synodus appareat. Hic singula omnium vulnera detecta, mores expositi fuere : nihil dissimulatum est : nostrorum adversariorum argumenta & rationes ita tractatæ, ut eorum tum causa, non nostra, agi videretur. Tertium nonnulla, atque etiam quartum discussa : summa sæpe contentione certatum : eo scilicet consilio, ut, quemadmodum igne aurum, ita quibusdam quasi luctationibus veritatis vires ac nervi probarentur. Quæ enim inter idem sentientes, idemque spectantes discordia potuit existere ?

Quæ cum ita sint, licet optandum (ut initio dicebam) summopere fuisset, ut una cum illis hæc agerentur, quorum potissimum causa tractata sunt : absentium tamen etiam incolumitati atque saluti ita provisum est, ut alia ratione provideri, si adfuissent, non potuisse videatur. Legant illi, quæ de fide nostra statuimus, ut Christianum hominem decet, humiliter : &, si lumen eis aliquod fulserit, ne faciem avertant : &, si vocem domini audierint,

dierint, corda ſua non obdurent. Ac, ſi ad communem matris eccleſiæ complexum, unde ſe illi diſtraxerunt, redire voluerint, clementiam omnem ac miſericordiam tribuendam non dubitent.

Sed præcipua illa ratio eſt, P. A. diſſentientes a nobis animos conciliandi conſentientes in fide atque officio retinendi: ſi, quæ hoc in loco verbis ſancivimus, re ipſa in noſtris eccleſiis præſtemus. Leges etſi optimæ ſunt, muta tamen res eſt. Quid Hebræo populo Dei ipſius ore iatæ leges profuerunt? Quid Lycurgi leges Lacedæmoniis, Solonis Athenienſibus, ad libertatem retinendam, quam ob cauſam erant conſcriptæ, utilitatis attulere? Sed cur externa atque antiqua nimis commemoro? Quæ ad bene beateque vivendum inſtituta atque præcepta ex unius Chriſti domini noſtri vita, atque doctrina deſiderare aut poſſumus, aut debemus? Quid autem fuit a majoribus noſtris omiſſum, quod cum ad recte ſentiendum, tum ad præclare agendum pertineret? Medicamentum quidem ſalutare compoſitum ac paratum jam diu habemus; verum, ſi morbum debet expellere ſumendum eſt, ac per venas in omne corpus diffundendum. Poculo hoc ſalutis nos primum inebriemur, cariſſimi, & vivæ atque loquentes leges ſimus, & norma quaſi quædam ac regula, ad quam aliorum actiones & ſtudia dirigantur: atque ita ſibi unuſquiſque perſuadeat, nihil e Chriſtianæ reipublicæ commodo ac dignitate ſucceſſurum, niſi, quantum in ſe ſit, ſtudioſe præſtiterit.

Id curandum nobis cum antea fuit, tum multo erit in poſterum accuratius. Etenim, ſi magiſtri noſtri, ac ſalvatoris exemplo facere prius debebamus, quam docere: poſtquam docuimus, quin faciamus, quæ eſſe poterit excuſatio? Quis ferre nos, ac pati poterit, ſi, cum non eſſe furandum demonſtraverimus, ipſi furemur, ſi, cum non mœchandum, mœchemur? Sanctos a ſancto concilio: innocentes atque integros ab integritatis præceptis & innocentiæ: firmos in fide atque conſtantes a fidei noſtræ firmata doctrina diſcedere maxime convenit. Ac tales quidem expectant nos populi noſtri, qui noſtrum jam diu reditum ſuſtinentes ea ſe ipſi ratione conſolabantur, fore, ut hanc temporis uſuram majori præſente ſtudio ſarciremus. Sed fiet id a vobis, ut ſpero, patres ſanctiſſimi, diligenter: &, quemadmodum hoc in loco feciſtis, ita etiam domi ſatis Deo atque hominibus faciętis.

Nunc (quod hujus temporis eſt) Deo primum ipſi maximo, atque immortali, maximas atque immortales gratias & agamus, & habeamus, qui non ſecundum peccata, quæ fecimus, neque ſecundum iniquitates noſtras retribuit nobis: ſed diem hunc lætiſſimum, quem videre multi concupiverunt, nobis non ſolum videndum, ſed etiam celebrandum incredibili cum totius Chriſtiani populi aſſenſu atque approbatione, ſua magna benignitate conceſſit.

Pio deinde IV. ſummo noſtro atque optimo pontifici gratiæ perpetuæ ac ſingulares habendæ ſunt: qui, cum primum beati Petri ſedem aſcendit, tanto ſynodum hanc inſtaurandi deſiderio exarſit, ut in eo ſuas omnes curam & cogitationes defigeret. Nuncios ſtatim viros probatiſſimos ad indicendum illis nationibus atque provinciis concilium miſit, pro quorum in primis ſalute convocabatur. Hi Aquilonis partes prope omnes peragrarunt, rogarunt, obſecrarunt, obteſtati ſunt: tuta omnia atque amica promiſerunt: atque id etiam egerunt, ut in Angliam trajicerent. Legatos poſtmodum pietate ac doctrina præſtantiſſimos, cum intereſſe ille ſynodo, ut mirum in modum cupiebat, non poſſet, huc miſit: ex quibus duos (quorum memoria in benedictione eſt) ſtatuta die, tametſi nulli fere epiſcopi conveniſſent, hic eſſe voluit. Hi, atque additus eis paulo poſt tertius, novem menſes, atque eo amplius, juſtum ad ſynodum inſtituendam epiſcoporum numerum hoc in loco nihil agentes expectaverunt: cum nihil aliud pontifex ipſe aut ageret, aut meditaretur, quam ut patres quamplurimi, quam optimi, quam primum accederent, & Chriſtiani nominis reges omnes ac principes ſuos huc oratores mitterent: ut communi omnium voto atque conſilio communis hæc cauſa graviſſima omnium atque maxima tractaretur. Quid vero poſtea omni cura, ſolicitudine, ſumptibus prætermiſit, quod ad concilii hujus amplitudinem, libertatem & commodum pertinere aliquo modo videretur? O ſingularem paſtoris ac patris noſtri pietatem, atque prudentiam O! ſummam etiam ejuſdem felicitatem, cujus auctoritate, atque auſpiciis jactatum hoc diu & agitatum concilium conſtitit, & conquieſcit!

Te Paulum III. te Julium, mortuos appello, quam diu, quantoque ſtudio videre, quod nos videmus, exoptaſtis, quot in eam rem ſumptus, quot labores inſumpſiſtis? Quamobrem vere tibi atque ex animo, Pie ſanctiſſime ac beatiſſime gratulamur, quod tantam tibi lætitiam, tantam tuo nomini laudem (id quod maximum divinæ in te benevolentiæ argumentum eſt) dominus reſervavit: quem nos precibus omnibus ac votis ſupplices oramus: te nobis incolumem, pro eccleſiæ ſuæ ſanctæ commodo atque ornamento, & quam citiſſime reddat, & quam diutiſſime conſervet.

Sereniſſimo etiam imperatori gratias agere, & gratulari jure optimo debemus. Ille potentiſſimorum Cæſarum, qui propagandæ Chriſtianæ religionis miro quodam deſiderio flagrarunt, animum, ut locum referens, urbem hanc ab omni periculo liberam conſervavit, & nos ut tutam tranquillamque pacem traheremus, ſua vigilantia perfecit: magnamque noſtris animis ſecuritatem aſſidua trium ſuorum legatorum ſummorum virorum præſentia, ac prope pignore attulit. Ille de noſtris his rebus pro ſua eximia pietate ſolicitus mirifice fuit. Ille a ſe atque a nobis diſſentientes homines, ex obſcuriſſimis, in quibus verſantur, tenebris, eruere, atque ad ſanctæ hujus ſynodi clariſſimam lucem aſpiciendam adducere maximopere laboravit.

Regum præterea Chriſtianorum ac principum in concilio hoc ampliſſimis ſuis legationibus ornando, ac ſuos veſtræ auctoritati faſces ſubmittendo, pia maxime voluntas grata nobis memoria proſequenda eſt.

Jam vero quis eſt, illuſtriſſimi legati & cardinales, qui ſe vobis debere plurimum non fateatur? Vos noſtrarum actionum duces optimi, ac moderatores extitiſtis. Vos ne noſtra aut in dicendo, at in decernendo libertas violari aliqua ex parte videretur, incredibili patientia ac diligentia curaſtis. Vos nulli corporis labori, nulli animi contentioni peperiſtis, ut ad optatum res exitum, quod alii multi veſtri ſimiles

miles fruſtra tentaverunt, quam primum perduceretur.

In quo præcipuam quamdam ac propriam lætitiam habere tu, Morone illuſtriſſime atque ornatiſſime, debes: qui cum vigeſimo ab hinc anno primum præclaro huic ædificio lapidem poſueris, extremam nunc manum poſt alios multos huic operi architectos adhibitos, feliciter, pro ſumma tua ac prope divina ſapientia, impones. Factum hoc tuum egregium ac ſingulare omnium ſermone perpetuo celebrabitur, neque ulla unquam ætas de tuis his laudibus conticeſcet.

Quid de vobis dicam, patres ſanctiſſimi, quam bene de Chriſtiana republica veſtris his præſtantiſſimis actionibus meruiſtis? quanta veſtrum uniuſcujuſque nomini commendatio, quanta gloria a Chriſtiano populo univerſo tribuetur? Vos vere patres, vere paſtores & agnoſcent omnes, & prædicabunt: vobis ſuam unuſquiſque vitam atque ſalutem acceptam libentiſſime referet. O diem illam populis noſtris jucundiſſimam atque lætiſſimam, in qua primum reviſere illis nos, atque amplecti a templi domini ædificatione redeuntes contigerit.

Sed fac, tu domine Deus noſter, ut tam eximiæ de nobis opinioni egregiis factis reſpondeamus, & ſemen hoc, quod in agro tuo ſeminavimus, uberem fructum afferat, fluatque ut ros, eloquium tuum: atque, quod fore aliquando pollicitus es, fiat temporibus noſtris, ut unum ſit omnium ovile, & unus paſtor, atque is potiſſimum Pius IV. in tui nominis gloriam ſempiternam. Amen.

PARS QUINTA,

COLLECTIONIS LOVANIENSIS.

AD PIUM IV. MEDICEM PONT. maximum in librum Reginaldi Poli cardinalis de concilio, Pauli Manutii Aldi F.

PRÆFATIO.

OPTIME conſuluit eccleſiæ ſuæ Deus, atque humano generi univerſo, cum in tanta rerum omnium perturbatione, & extremi jam periculi metu, vicarium te ſuum, Pie IV. inter homines conſtituit, ut omnibus malis prudentia tua mederetur, noſque a ſummis difficultatibus, vel impendenti potius exitio ereptos, ad ſummam tranquillitatem, & optatam antea magis, quam ſperatam felicitatem traduceret. Itaque nunc, tuis adducti præſtantiſſimis & conſiliis, & factis, maxime vero tua freti juſtitia, quæ tibi prima, & antiquiſſima virtus eſt, fuitque in omni vita, boni viri ex omnibus Italiæ partibus, atque etiam ex tranſalpinis gentibus multi ad Urbem confluunt; &, quia tuas omnes curas eo ſpectare vident, non ut anguſtis paucorum annorum terminis tuæ fructus beneficentiæ definiantur, ſed ut ad poſteros quoque perveniat: hic ſibi certam omnium rerum, ac fortunarum ſuarum ſedem domiciliumque conſtituunt.

Me quidem Venetiis, domeſtico patris mei reſtituendæ antiquitatis inſtituto, & honeſte ſatis, & commode viventem, nihilque minus, quam de migratione, cogitantem; quippe cum ab egregiis ſæpe civitatibus, atque adeo a ſuperioribus pontificibus ſemel & iterum optima invitatus conditione, nihil tamen unquam novi conſilii cepiſſem; tui pontificatus fama Romam facile perduxit. Nam, cum ab ſummo viro Hieronymo Seripando, cui tui ſapientia, debitum jam pridem ejus integritati, atque doctrinæ, in cardinalium collegio locum tribuit, literas accepiſſem, in quibus erat ſcriptum, cupere te, ſacros omnes libros, vel hominum incuria, vel improbitate corruptos, quam emendatiſſimos pervulgari, velleque in eo opera uti, & induſtria mea; ſpatii ad deliberandum nihil ſumpſi; ſtatim reſcripſi, cum tua voluntas maximæ legis vim pro ſumma tua non modo poteſtate, verum etiam ſapientia obtinere apud omnes debeat, ita me animatum, ita paratum eſſe, tibi ut in omnibus rebus libenter obſequerer, ſuſciperem, quæcumque velles, agerem, & præſtarem, quidquid poſſem. Quo quidem tempore non mihi aut ulla novorum commodorum, quibus tamen ducuntur multi, eſt injecta cupiditas, aut honorum ſplendor mentis oculos præſtrinxit: quamquam hæc ipſa cumulate & expectari a tua liberalitate poſſe, & omnibus præclare agentibus deferri a te ſolere intelligebam: ſed, cum audirem, eas artes, quarum fructus immortalitas eſt, longo intervallo te pontifice coli cœptas eſſe, ſuam religioni, ac veræ pietati dignitatem reſtitui, cedere virtutibus vitia, rationi amentiam, libidinem pudori, vim æquitati; hæc ego ſum ſecutus, hæc omnibus & commodis, & honoribus antepoſui.

Erat præterea mihi non modo laudabile, & honeſtum, ſed illuſtre etiam, & glorioſum, vocari a Pio IV. pontifice ad eam curam, ut ſanctiſſimorum virorum ſcriptis, quibus humano generi ſalutaris doctrina continetur, emendandis, edendiſque præeſſem. Quo in munere ſi mihi, non dico magnos labores excipere (quis enim bono viro labor eſt pro tuenda eccleſiæ dignitate, id eſt pro communi ſalute, recuſandus?) ſed ſi vitam ipſam profundere opus eſſet, egregie mecum actum putarem. Atque ego illam ſane incredibilem capio voluptatem, quod, cum præclarum eſſe nihil conſtet, quin idem operoſum, & perdifficile ſit, hac tamen in re, omnium pulcherrima, ac præſtantiſſima, plane omnes difficultates tua tum excellens liberalitas, tum ſingularis ſapientia ſuſtulit. Quis enim unquam tam libenter pecunias collegit, quam tu libenter effundis, ut exeant optimi libri, alii nondum editi, quorum documenta rectiſſimam ad fontem veritatis viam oſtendunt; alii ſic emendati, ne qua ſuperſit labes, quæ imperitorum animos objecta falſæ doctrinæ ſpecie, poſſit inficere? Quo quidem antea malo nimium graviter laboravimus: utinam iis remediis, quæ parantur omnino liceat convaleſcere. Quod ita facile conſequemur, ſi modo is qui optimarum, & maximarum auctor, perfectorque rerum eſt, affuerit Deus. Nam nos quidem, ut opibus valeamus, ut acumine mentis excellamus, quam tamen infirmi ſimus ad omnia, niſi præpotentis Dei ope fulciamur, quam plane cæci, niſi ejuſdem luce regamur, multorum turpiſſimus & miſerrimus exitus oſtendit. Quis porro affuturum eſſe Deum dubitet, ſi ſanctiſſimam illius doctrinam, quam præceptis declaratam plurimis, ſuo demum ipſe ſanguine, ſuæque mortis exemplo comproba-

vit, non verbo tantum profitebimur, sed vita etiam, & moribus exprimemus.

Hoc tu scilicet, Pie pontifex, illo primum vidisti die, quo te in excelsa ista sede, favente & approbante divino Spiritu, omnium cardinalium sententia collocavit: neque vero vidisti solum, quod tibi fortasse cum multis commune esse potuit, sed etiam, in quo propria tibi debetur laus, accurate præstitisti. Tu enim ipse tua temperantia, justitia, gravitate, constantia, quales esse alios oportet exemplum dedisti. Inde manavit statim ad propinquos, & affines tuos bene vivendi disciplina: quorum omnium incredibilis abstinentia, humanitas, pudor civitatem brevi correxit, & conformavit universam. Nunc in illam curam totus incumbis, ut reliquæ partes ecclesiæ, discordia laborantes, omni a te ratione sanentur. Serpit enim quotidie longius transalpinum illud malum, a quibusdam primo ignoratum, ab aliis postea neglectum, postremo a nonnullis etiam vehementer auctum. Sed, ut hoc placuit Deo, quo volente, aut saltem permittente geruntur ea, quæ cur ita fiant, causas indagare nostrum non est: sic eidem placebit, ut imminutam Christianæ reipublicæ dignitatem tua virtus, & sapientia in veterem integritatem, splendoremque restituat. Instat a te indictum, & institutum jam generale concilium: cujus ea ratio, ea vis, & consuetudo semper fuit, ut, sanctissimi spiritus interventu, dissidentes animos non concordia solum, & pace, verum etiam benevolentia, studioque conjungeret. Hoc tu nos, Pie IV. remedio servabis, errantemque gregem disjectum varia culpa, tanquam pastor optimus ad obedientiam revocabis, continebisque in officio, & observantia erga divinas leges tum perpetua sanctitate tua, unde hauriunt omnes exempla omnium virtutum, tum vero iis etiam edendis in hac urbe libris, quorum lectio malas & exitiosas evellit ex animis hominum opiniones, inserit eas, quæ si coluntur pietate, & beneficentia, uberrimos, & præstantissimos, & plane salutares fructus ferunt.

Atque hujus quidem tanti, ac tam præclari muneris initium unde sumi aptius potuit, quam ab eo libro, cujus argumentum & cum ratione temporum, & cum tuis consiliis ac studiis optime congruit? Quid enim tempora, quid status ecclesiæ poscit, quid tu optas, curave magis, quam concilium, quod unicum, & certissimum in tam gravi discrimine, tam propinqua communi peste superesse remedium videtur? At in hoc libro, quem tuo jussu primum emittimus, proxima ostenditur ad salutem via, spes omnis in confessione culpæ, in vitæ ac morum emendatione, in summa demum pontificis auctoritate collocatur. Quæ cum per se maxima sunt, & curandis Christianæ reipublicæ vulneribus utilissima: tum vero ponderis accedit plurimum ab eximia scriptoris innocentia, doctrina, dignitate.

Quis enim, quibus animi bonis, quibus industriæ, ingeniique ornamentis abundaverit, qui denique vir, quantusque fuerit Reginaldus Polus, aut ignorat, aut, si quam modo tantarum laudum partem habet cognitam, non earum memoria, & desiderio vehementer commovetur? potestne quisquam tam inops a judicio, tam aversus ab humanitate, tam plane ferus esse, ac ferreus, qui non intimis eum sensibus dilexerit, cujus non modo in studiis, in moribus, in sermonibus, sed in ipso plane aspectu omnis probitas, omnis luceret humanitas? De religione vero, deque Christiani hominis officio quid senserit, & judicarit, non aut in uno, alterove libro ita ostendit, ut in aliis unquam dissenserit: aut ita scripsit, ut aliter viveret: aut ita vixit, ut interdum sibi non constaret: sed omnia, literis ab illo prodita sine ulla exceptione semper laudarunt, hodieque laudant boni & sapientes viri, quorum directa ad veritatem ipsam, id est, ad unam Dei gloriam sententia nec obtrectandi studio, aut invidia flectitur, nec malevolentia, aut ambitione mutatur. Vitæ vero totius institutæ, & excellentem in omni actione, omnique fortuna pietatem, utinam, quam facile noverunt, tam libenter imitarentur multi. Opes, honores, clientelas, regum maximorum gratiam, & benevolentiam qui assequuntur, proxime ad felicitatem putantur accedere.

At ille, hæc omnia apud Henricum, Britanniæ regem, & jure propinquitatis, & multo etiam magis sua virtute cum possideret, ultro contempsit, ne turpissimas regis actiones, & adversantem Christi vicario sententiam probare, aut etiam adjuvare cogeretur, Patavii diu vixit, quamquam erat habitu naturæ prope divino, liberalibus tamen disciplinis vehementer deditus: &, eum eloquentiæ, atque philosophiæ pari studio flagraverit, in utra tamen magis enituerit, non facile est existimare. Illud certe constat, qui vel meliora, vel ornatiora scriberet, hac hominum memoria extitisse neminem. Quamquam id ei propositum fuit, eo direxit cogitationes omnes, atque curas, ut philosophiæ scientiam non tam scriptis, quam vita ostenderet. Itaque major, atque excelsior Patavii in tenui, & humili fortuna fuit, quam cum in regno omnibus copiis, & ipsius maxime regis gratia floreret. Hic, hic nimirum verus est, ac præstantissimus optimorum studiorum fructus, si quis a se ipso pendeat, si temporum vicissitudines non extimescat, si adversus hominum iniquitates, fortunæque injurias ratione, & virtute pugnet, quam in Polo constantiam, & sapientiam fuisse, quis ignorat? Metuendæ erant a rege potentissimo insidiæ, metuenda vis, propterea quod suscepta ecclesiæ causa, luculento illo de pontificis auctoritate libro, susceptum simul a se gravissimum ejus odium intelligebat. Deferebatur etiam quotidie magis a re domestica, fortunis exclusus amplissimis. Nemo tamen eum dejecto, aut demisso sensit esse animo, nemo vidit unquam tristiore vultu. In sermonibus, in consuetudine, in convictu, in tota denique vitæ ratione tranquillitatem mentis, quam habuerat antea, perpetuo retinuit. Nec defuere, quæ unquam speraverat, ac ne cogitaverat quidem, tantis debita virtutibus præmia. Nam cum ita viveret, ut in uno Deo omnia poneret, cetera, quæ mortales admirantur, infirma, caduca, inania duceret; cumque in illa Patavini gymnasii celebritate, domesticis otii sui finibus contentus, paucorum admodum consuetudine uteretur: brevi tamen, ut sibi viam facile virtus aperit, ita manavit fama de admirabili ejus prudentia, temperantia, doctrina, ut ad aures Pauli III. pontificis maximi pervenerit. Qui cum esset ea mente præditus, ut nemo unquam magis de ornanda egregiis cardinalibus ecclesia cogitaverit, eo judicio, ut nemo in delectu erraverit minus; commotus multorum non dubio sermone, Reginaldum Polum, disciplinæ Christianæ renovandæ causa, cum præstantibus aliquot viris ad Urbem accivit; eumque paulo post, non petentem, non optantem, prope etiam recusantem, cardinalem creavit. In hac dignitate, cum alios antea, se ipsum vicit omni genere laudis. Omitto singula-

rem

rem illam, cui par oratio reperiri nulla poteſt, in cæde matris acerbiſſima fortitudinem, atque conſtantiam. Unicum illi contra omnes injurias, omneſque calamitates conſcientia præſidium fuit: & in adverſis rebus jam antea didicerat eſſe fortis. Gravitatem eximiam, pari comitate conditam manſuetudinem, prudentiam, benignitatem in ſublevanda miſerorum inopia non attingo. Communia ſunt hæc, in quibus tamen præcipua quadam laude Polus excelluit.

Venio ad id, quod a cardinalis perſona proprie poſtulatur. Nam ubi primum ſacerdotio eſt ornatus ampliſſimo, non ille mentem, ut multi, cum fortuna mutavit; non ſericam veſtem, non argenteam ſupellectilem, non denique illuſtrem aliquam, aut opimam provinciæ præfecturam appetivit; ſed contempta prorſus rerum humanarum ſpecie, divina ſtudia, quæ antea non leviter attigerat, toto pectore complexus, de tuenda pontificii juris majeſtate, de augenda inter homines Dei gloria, de illuſtranda veritate dies noctesque cogitare cœpit. Quantum enim in ea philoſophia, qui a ſenſibus ducitur, erroris inſit atque obſcuritatis, cum antea non ignoraſſet, tum vero totus ad eam philoſophiam traductus, quæ cœleſtium bonorum cognitionem parit, clariſſime perſpexit. Jam illam, quæ colligitur ex rhetorum præceptis, eloquentiam, in qua præter ceteros antea floruerat, neglexit penitus, inanemque duxit, cum ſacrorum librorum voces, non aurium voluptati ſervientes, ſed ad intimas animorum partes, incredibili quadam ſuavitate penetrantes, exaudivit attentius. Nec vero quicquam habuit antiquius, quam ut a ſanctiſſimis eccleſiæ legibus diſcedentes, quoquomodo ad ſanitatem redirent: cum ipſe multos cohortatione ſua, conſilio, doctrina, nonnullos etiam lenitate quadam ad meliora conſilia converteret. Incidit tempus, cum de ſufficiendo poſt obitum Pauli III. pontifice habenda cardinalibus deliberatio eſſet: affuit Polus ita ſedato animo, ita cupiditatis & ambitionis expers, ut majore collegii parte pontificatum ad eum deferente, non ſtatim aſſenſerit, differendamque rem tantam in poſterum diem cenſuerit: fore enim, ſi probaret Deus, eumdem poſt aliquot horas cardinalium conſenſum: ſin minus, omnino ſibi, quod Deo diſpliceret, placere nihil poſſe. Scripſit etiam in eo conclavi præclara quædam de officio pontificis: quæ cum aliis ejus libris, quos Joannes Moronus, cardinalis, ob ſumma erga ſedem apoſtolicam merita, perpetuamque vitæ innocentiam clariſſimus, accurate ſervavit, propediem in lucem proferentur, quibus in libris cum ſpirare adhuc mens illa divini hominis & vigere videatur, afficimur non tam præceptis atque doctrina, quam recordatione tantarum virtutum, quas in illo vidimus. Vitæ clauſula fuit, in qua oſtendit lumen animi, ingeniique ſui, Britannica legatio. Nam cum in illa inſula per annos multos, duorum regum imperio, Henrici primum, deinde Odoardi ejus filii, legitimus Dei cultus, intermiſſis optimis ritibus, obſoleviſſet: tumque interitus Odoardi, ſuccedente ejus ſorore Maria, ſpem aliquam revocandæ pietatis & religionis attuliſſet, viſa eſt unius maxime Poli ſapientia rectam errantibus viam monſtrare poſſe, adjuncta præſertim auctoritate tanta, quantam nec ſine virtute dignitas ulla pareret, nec ſine dignitate virtus. In ea legatione optimos reginæ ſenſus confirmavit: principibus viris, & multitudini perſuaſit, ut novam hæreſim, Henrici nefaria libidine inductam, abjicerent, veterem ſacrorum diſciplinam, rationemque ſuſciperent, cum eccleſia, ſi ſalvi eſſe vellent, in gratiam redirent: unum eſſe Romæ, poteſtate ſumma, Chriſti vicarium, in quo creando commotæ Spiritu ſancto cardinalium mentes, ex vetere multorum ſæculorum inſtituto, traditæ per manus conſuetudine conſentirent: quæcumque ille ſanciret in terris, ea firma & rata in cœlo eſſe: cetera communi ſaluti vehementer adverſari, hominum ſeditioſorum, vel ſatanæ potius ipſius inventa, ut genus humanum ſi poſſit, univerſum perdat, ſuæque ſocios habeat plurimos infelicitatis & culpæ.

Manſit in officio & fide, quamdiu Polus & regina vixerunt, Britannica natio, utriuſque innocentia & ſanctitate, alterius etiam ſermonibus, præceptiſque commota. Poſtea cum utrumque Deus, cujus abdita conſilia non aſſequitur humana mens, ad cœleſtis vitæ præmia vocaſſet, lapſa eſt iterum, & concidit illa gens, deſtituta conſiliis, quibus antea nitebatur: jamque ad finitimas nationes pervaſit hæc peſtis, & dira contagio, nec videretur poſſe conſiſtere, niſi tua, Pie IV. pontifex maxime ſapientia ſingularis occurreret, Trideuti indicto concilio, Romæ omnibus rebus ad rationem, æquitatemque revocatis. Quod vero etiam eorum ſcripta, quos in beatorum numerum jure olim eccleſia retulit, integra, deletis omnibus maculis, pervulgari jubes, quod excellentem nobis Reginaldi Poli, amiſſa ejus voce, doctrinam reſtituis: mirum eſt, quam vehementer adjuves communem cauſam, quantum ſe tibi pro iſta mente, iſtaque cura, omnes homines debere fateantur, quantam ab ipſo Deo, qui tibi noſtram ſalutem commiſit, gratiam & benevolentiam ineas. Hæc ſunt illa merita, quibus hominum vita, breviſſimis circumſcripta finibus, ad infinitam memoriam propagatur: hæc illa nunquam ſatis laudata veterum pontificum inſtituta, quibus hanc nobis eccleſiam tam præclare fundatam, exſtructamque reliquerunt, quæ utinam, ſicuti propria tua ſunt, ita perpetua eſſe poſſent, nemo enim dubitat, quin, optare tibi perpetuam vitam, idem ſit optare nobis perpetuam felicitatem, nec vero cuiquam bono viro tanti eſt hujuſce lucis uſura, quin de ſua detractum aliquid vita libenter, ſi poſſit, in tuam conferat: ſed quoniam hac lege huc omnes ingredimur, ut aliquando diſcedamus, nec licet nobis in te uno ſingularem conditionem pro tua ſingulari beneficentia poſtulare: ſaltem ut quam diutiſſime te præſente perfruamur, & petimus a Deo ſupplices & futurum pro ſumma ejus erga nos clementia confidimus. Magna enim ſunt, quæ jam inchoaſti: majora tamen, quæ mente deſignas: nihil vulgare cogitas, nihil humile, nihil anguſtum: metiris omnia tua dignitate potius, quam communibus exemplis, præclare, non enim pontificiæ laudes in mediocritate verſantur: nec decet, qui poteſtate, & honore cunctis hominibus antecellat, eum ab ullo homine recte agendi cupiditate, ſtudioque ſuperari.

In te igitur, pontifex maxime, primum tuendæ, atque amplificandæ religionis, denique ejus otii conſervandi, cujus auctor & cuſtos antea fuiſti, ſita ſpes omnis eſt: a te honeſta ſtudia, a te liberales diſciplinæ, a te ipſa virtus ornamenta ſua repetit. Tu, quod facis, & feciſti egregie, perpetuo facies, ut omnes gentes diuturna pace, juſtitia, pietate foveas, urbem Romanam operibus magnificentiſſimis, & cum ipſa antiquitate comparandis, exornes, civitatem, tui ſtudioſiſſimam ſuperiorum temporum calamitatibus afflictam, perpetua benignitate recrees: denique tollas aliquando ex impe-

imperitorum animis dubitationem illam, quæ laudabilia multorum ſtudia remoratur, utrum res maximas fortuna poſſit ſine virtute perficere, an virtus, quo contendat ſine fortuna pervenire. De quo quid ſentires ipſe, oſtendit jam pridem tuæ vitæ ratio: nunc, ut omnes idem ſentiant, facile unus præſtare potes, reſtituta iis artibus dignitate, quæ te talem, tantumque fecerunt, ut quales ipſæ, quantæque eſſent, ope tua ſtudioque omnes mortales intelligerent.

REVERENDISSIMIS ET ILLUSTRISS. Joanni Mariæ cardinali de monte, & Marcello cardinali ſanctæ crucis, Tridentini concilii legatis, Reginaldus Polus cardinalis. S. P. D.

CUM negotii ipſius gravitas, & magnitudo, cujus mihi vobiſcum onus eſt commune, me crebro admoneret, ut accuratius de eo cogitarem, & quo firmius in mente inhærerent cogitata, ea literis mandarem: tum vero conjunctionis noſtræ ratio in eodem legationis munere, ut nihil vos in cauſa communi, quod quoquo modo ad ejus explicationem pertineret, cælarem, verum omnia vobiſcum communicarem, facile me adduxit. Itaque cum in urbe primum, ubi me poſt diſceſſum veſtrum ſummi pontificis benignitas menſem integrum retinuit, quod rationibus meis ita conducere arbitrabatur, vacatione ab omnibus publicis muneribus utens, me totum huic cogitationi dediſſem, plura autem in mentem venirent magna animadverſione digna, & cognitu perneceſſaria, ea quidem omnia, quaſi in capita quædam collecta, & per quæſtiones diſtincta, ad vos mittere ſtatui, non quidem ut opus a me perfectum, in tanta præſertim re, haberetis (hæc enim aut temporis brevitas patiebatur, aut, etiam ſi plus ſpatii eſſem nactus, tamen, opus ipſum aggrediens, cum mihi conſcius eſſem tenuis meæ in tali cauſa ſcribendi facultatis, id unquam me præſtaturum ſperare auſus fuiſſem) verum, ut teſtimonium meæ voluntatis haberetis, cupientes quidem maxime ſancti domini noſtri, qui me vobis duobus, præſtantibus doctrina & pietate viris, licet indignum, collegam tamen dedit, in tam præclara cauſa pro mea facultate, qualiſcumque ea ſit, inſervire. Hoc ſane potiſſimum in iis, quæ nunc ad vos mitto, ſcribendis ſpectavi.

Nec vero, quin ea vobis locupletiſſimum hujus rei teſtimonium datura ſint, dubito, in quibus ipſum conatum meum videbitis, opus vero tale, quale in omnibus majoribus ædificiis architectorum eſſe ſolet, cum aliorum judicio, a quibus illorum ars requiritur, ſatisfacere ſtudent. Formam enim totius futuri ædificii primum deſcribunt: quod ſane non opus, ſed adumbratio potius operis appellatur. Licet autem ipſe non architectus ſim, nec vero dignus, qui vel lapides feram ad tam magnificam fabricam, qualem nunc in animo habet ſummus templi ſacerdos inſtaurare, tamen vocatus ad concilium, in quo de magnificentiſſimi templi inſtauratione deliberatur (huc enim me una vobiſcum, vocat ipſum legationis munus) hac quidem in parte architectos templorum imitari ſtudui, ut formam ipſam primum quaſi atramento delineatam in medium afferrem, judicio veſtro ſubjiciendam.

Nec tamen in his, quæ ad vos mitto, eo ſum progreſſus, ut tam auguſti templi totam formam ante oculos ponerem: verum, ſi vel veſtibulum ipſum verbis adumbraro, ſatis quidem magnum fructum ex hoc meo labore tulero, hoc vero quale ſit, & quod ipſe ſentiam, ex iis, quæ ſcripſi, ut ſpero, facile intelligetis. Genus autem ſcribendi, quod in percunctando & reſpondendo eſt poſitum, ideo libentius ſum ſecutus, quod & ad brevitatem eſſet aptius, cui imprimis ſtudebam, & quod idem cum judicandi de omnibus, tum vero admonendi, & corrigendi majorem, & magis expeditam facultatem vobis daturum arbitrarer. Quod ut faciatis, in primis a veſtra pietate, ac doctrina & poſtulo, & exſpecto. Ac, ne diutius vos morer, prima erit quæſtio illa, quæ ad officii noſtri in tam amplo munere, quod nobis in concilio generali, ut Romani pontificis, & ſedis apoſtolicæ legatis, imponitur, explicationem pertinet. Sic ergo primum quæritur.

QUÆSTIO PRIMA.

Quænam ſunt legatorum Romani pontificis, & ſedis apoſtolicæ in conciliis generalibus partes?

RESPONSIO.

PRIMUM quidem, ut generatim dicamus, quæ omnibus legatis ſunt communes, a quocumque, & ad quoſcumque mittantur, nempe, ut optima fide exponant, quæ in mandatis habent ad eos, ad quos mittuntur: præterea, ut, quæ peragenda ſunt, pari fide, ac diligentia perſequantur. Quia vero legati Romani pontificis ad concilium generale hoc in primis mandatis habent, ut illius perſonam in concilio gerant, hoc primum erit eorum officii, & muneris, præſtare, nihil ut indignum illa perſona vel dicant, vel faciant: deinde, ut omnia digna tam verbis, quam factis, quantum in ipſis erit, agant. Sic quidem generatim ad propoſitam quæſtionem reſponderi poteſt: quæ ut diſtinctius, & explicatius intelligantur, primum explicari oportet, quænam ſint Romani pontificis in conciliis partes, & quam is perſonam gerat. Deinde, cum ii, qui a Romano pontifice ad concilium mittuntur, non tantum illius legati dicantur, verum etiam ſedis apoſtolicæ, ſecundo loco erit declarandum, quam vim habeat adjunctum nomen ſedis apoſtolicæ, num quid addat ad officium legatorum Romani pontificis, vel quo modo ſe habeat. Tertio loco, ut recte omnia, quæ ad hanc quæſtionem explicandam pertinent, intelligantur, cum ipſi legati ad concilium generale mittantur, dicendum erit, quodnam ſit hoc concilium quod generale appellamus, ex quo hominum genere conſtet, quam materiam ſubjectam habeat, quem denique ſcopum, quem finem ſibi proponere debeant ii, qui in ejuſmodi conciliis auctoritate vel præſunt, vel interſunt. Atque hæc quidem, quæ ultimo loco a me ſunt propoſita, ut ſuo ordine omnia diſtinctius tractentur, primo quærenda videntur, atque examinanda.

QUÆ-

QUÆSTIO SECUNDA.

Ex quo genere hominum conflatum eſt concilium, quod vocatur generale?

RESPONSIO.

EX eo quidem, quod in unius fidei in Jeſum Chriſtum, filium Dei vivi, conſenſum coit. Hoc vero illud genus hominum eſt, quod neque ex natione, neque ex lingua cognoſci, aut nominari poteſt, utpote quod nullum definitum locum, nullam certam linguam habeat. Sunt enim ex omni natione, ex omni lingua, atque ex omni loco congregati in unam fidem, omneſque ſimul populus Dei vocantur, quos ipſe Chriſtus uno nomine eccleſiam appellat, cum ei, qui primus profeſſus eſt hanc fidem, ac primus fuit, qui confiteretur eum eſſe Chriſtum filium Dei vivi, dixit: *Ego dico tibi, tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam.* Qui ergo ſuper hanc petram fidei, quam Petrus, tanquam prima petra in fundamento poſita, eſt profeſſus, ſunt fundati, hos eccleſiam ſuam Chriſtus hoc loco appellat, cujus partes ut unius corporis membra dicuntur, quicumque eamdem fidem profitentes, eorumdem ſacramentorum communione ſunt colligati. Conventus igitur hujus generis hominum conſultandi cauſa factus, de iis, quæ ad omnium & ſingulorum ſalutem, & ſtatum coram Deo, & hominibus pertinent, concilium generale, ut more loquendi eccleſiæ utamur, appellatur.

Matth. 16.

QUÆSTIO TERTIA.

Num ſatis eſt, ut quis ſit pars hujus eccleſiæ, vel concilii, quod fide in Jeſum Chriſtum, filium Dei vivi eſt congregatum, ſi ea fide ſit præditus, qua creditur, magnum fuiſſe prophetam Jeſum?

RESPONSIO.

MINIME quidem ſatis. Ut enim, qui Deum blaſphemantes, Chriſtum ſeductorem dicunt, quod faciunt Judæi, a ſocietate hujus eccleſiæ excluduntur: ſic etiam, qui Chriſtum virum, vel prophetam magnum, confitentur, at non Deum, in fundamento hujus eccleſiæ hærere non poſſunt, quæ non eſt fundata ſuper arenam. Ita vero eſſet, ſi ſuper fidem in Chriſtum dumtaxat hominem, quamvis ſanctum, fundata eſſet, ſed ſuper firmam petram, id eſt, ſuper fidem in Chriſtum Deum, & hominem, cujus fundamentum deficere non poteſt. Hoc quia non credunt Turcæ, qui tantummodo prophetam magnum Chriſtum fuiſſe confitentur, ideo a fundamento exciderunt, in quo ſoli illi ſunt fundati, qui in Jeſum Chriſtum, Deum, & hominem credunt. Et qui ita credunt, pars eccleſiæ, & illius membra dici poſſunt. Ex hoc autem numero ſunt, qui corpus ipſum concilii efficiunt.

QUÆSTIO QUARTA.

Num omnes, qui ad corpus eccleſiæ pertinent, concilii generalis membra, vel partes erunt?

RESPONSIO.

MINIME id quidem: ad corpus enim eccleſiæ pertinent omnes, & ſinguli, quotquot in una fide in Jeſum Chriſtum filium Dei conſentiunt. Hi vero, quia numero ſic creverunt, ut tanquam arena, quæ eſt in litore maris, cui eos ſcriptura comparare ſolet, dici poſſint, nec convenire quidem in unum locum, nec vocari propter multitudinem poſſunt. Utrumque autem ut fiat, concilium generale eſt neceſſarium, & ut vocentur, qui in eo ſententias ſunt dicturi, & ut ad certum locum vocentur, ob idque vocentur, ut conſilia conferant, & ſententias dicant de iis, quæ ad totius populi Dei, & ſingulorum ſalutem in eccleſia pertinent. Quod ſane in tam infinita multitudine nec fieri poteſt, nec debet,

Oſee 1. Pſal. 138. Rom. 4.

QUÆSTIO QUINTA.

An, ſi omnia in conciliis ad utilitatem eccleſiæ referantur, quæ conſtat ex univerſo populo Dei, nullæ erunt ipſius populi partes in decernendo, in prohibendo, vel jubendo ea, quæ ipſius cauſa in deliberationem vocantur.

RESPONSIO.

NULLA ſane. Nec enim ſtatus eccleſiæ eſt ſtatus popularis, in quo populi ſuffragiis, quæ ad rem populi pertinent, vel jubentur, vel vetantur. Quamquam nomen ipſum eccleſiæ id videtur ſignificare: quaſi diceres, concionem, vel conventum populi. Sic enim apud Græcos, quorum linguæ proprium eſt hoc verbum, ſuos illos conventus in iis civitatibus, in quibus jus imperandi penes populum fuit, eccleſias appellatas legimus: At ſpiritus Dei in ſcripturis loquens cum populum Dei eccleſiam appellat, non hoc nomine deſignat, quaſi concionem populi, qui jus habet imperandi ſed conventum ejus populi, qui gratiam habeat parendi. Sic apoſtolus Paulus, cum ſummam apoſtolatus ſui & legationis ad gentes explicat, dicit eam fuiſſe, ut ipſi, fidem gentibus prædicanti, obediretur: & ad Hebræos, quicum novo gentilium populo per fidem erant conjuncti, ac pars eccleſiæ facti, ita ſcripſit: *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubjacete illis: Ipſi enim pervigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.* Quamquam quidem nomen eccleſiæ Chriſti, more loquendi uſitato ipſius eccleſiæ, non ſolum multitudinem fidelium, quaſi gregem, complecti videtur, ſed ipſius etiam multitudinis duces, & paſtores, qui omnes ſimul unum populum, & gregem efficiunt, ſub uno duce, & paſtore Chriſto. Si vero de populo ſeparatim loqui volumus, & de ejus in hac eccleſia auctoritate, ea quidem ejuſmodi eſt, non ut ipſe aliquid ſtatuat, jubeat, aut vetet, ut in populari ſtatu fieri ſolet, ſed, prorſus, ut juſſis eorum obtemperet, qui ad ipſum paſcendum, tanquam paſtores ad gregem, verbis domini ſunt miſſi. Atqui hi ſunt, qui corpus ipſum concilii generalis, in quo de ſalute totius gregis conſulitur, efficiunt.

Num. 20. 1. Par. 29. Pſal. 21. 1. Cor. 14. Rom. 1. 2. Theſſ. 3. Hebr. 13. Matth. 18.

QUÆSTIO SEXTA.

An, ſi penes rectores, & paſtores populi Dei jus omne ſtatuendi, vetandi, & jubendi in omnibus conciliis erit, populi autem dumtaxat parendi, paucorum dominatum eccleſiæ ſtatum dicemus, quem Græci ὀλιγαρχίαν appellant, in quo pauci dominantur, multitudine illorum imperio ſubjecta?

RESPONSIO.

ABSIT. Principes enim gentium dominantur eorum: vos autem non ſic, inquit ipſe princeps paſtorum ad paſtores a ſe delectos. Eſt vero ſtatus eccleſiæ, unus principis ſtatus, quem Græci μοναρχίαν vocant, nec tamen unius hominis imperantis, quales ſunt monarchiæ ab hominibus inſtitutæ,

Matth. 20.

stitutæ, sed unius Dei & hominis, qui est Christus, dominus omnium nostrum, quem Deus pater posuit caput super omnem ecclesiam, in qua ipse rectores & pastores posuit, qui eam regerent, & pascerent nomine ejus, non suo ipsorum, ut in oligarchia humana fit, atque etiam in regio statu, horum autem conventus in unum certum locum consultandi causa pro re populi Dei, & totius ecclesiæ, concilium generale dicitur. *Ephes. 1.*

QUÆSTIO SEPTIMA.

Cur generale dicitur, si non omnibus, qui sunt ex populo Dei, conferendi consilia, & dicendi sententiam locus pateat?

RESPONSIO.

PATET quidem locus omnibus & singulis exponendi, si quid vel sibi, vel ecclesiæ opus esse censeant, sed decernendi non omnibus patet: verum iis tantum, quibus rectionem animarum ipse unicus pastor & rector dedit. Ideo vocatur generale, quia non solum legitime & in Spiritu sancto congregatum, universam repræsentat ecclesiam, verum etiam, quia non de rebus unius populi aut nationis in illo agitur, sed iis, quæ ad omnium salutem pertinent, quicumque Christi fidem per universum orbem sparsi profitentur: utcumque locis & imperiis sint divisi: atque ideo a Græcis ejusdem conventus ἐνοδοκουμενικὰ appellatur, quasi dicas, orbis terræ concilium, in quo per pastores suos, qui per orbem terræ sunt sparsi, populos, & nationes, fidem suam profitentes, aliquo modo convenire dicere possumus.

QUÆSTIO OCTAVA.

Quando primum fieri cœpta sunt concilia generalia?

RESPONSIO.

EX quo tempore Spiritus sanctus super omnem carnem effusus est, & gentibus ostium fidei apertum, idque perfectum, quod Johel futurum prædixerat, tunc scilicet cum Christus ascendens in altum, captivam duxit captivitatem, deditque dona hominibus per Spiritum sanctum. *Joel. 2. Ephes. 4.*

QUÆSTIO NONA.

Quid appellas effusionem Spiritus sancti? an non etiam super populum Judæorum ante Christi adventum effusus est Spiritus sanctus? an non eorum concilia, quæ tum ad universum populum Dei pertinebant, qui etiam ecclesia appellabatur, cujus nominis honorem illa sola natio ante Christi adventum obtinebat, generalia dici possunt? *Num. 10. 3. Reg. 17.*

RESPONSIO.

MINIME sane, idque ob hanc causam, quia nondum facta erat effusio Spiritus sancti, quam tum fieri intelligo, non cum se impertit per gratiam alicui populo, sed cum adeo plene effundit, ut nihil, quod ad sanctificationem illius populi peragendum pertineat, in occulto ecclesia relinquat. Ante Christum enim omnia fere, quæ ad sanctificationem pertinebant, sub velamine legis latebant, quæ umbra erat futurorum: in Christi vero morte, scisso velamine templi, simul etiam umbra legis sublata est, & via sanctorum, fidei doctrina propalata, facta est perfecta sanctificatio, omniaque promissa Dei ad populum per universum orbem sparsum, quæ prius latebant, illustrata sunt, atque expleta: itaque dicere possumus, tum demum Spiritum sanctum effusum esse, cum omnia sua consilia de populi salute Deus per Spiritum suum ecclesiæ revelavit: sicut inquit apostolus in ea oratione, quam ad presbyteros ecclesiæ Ephesinæ, ab illis discessurus, habuit: *Omne Dei consilium notum feci vobis.* Et, ad Corinthios scribens, gratulatur, ita eos repletos esse omni scientia, ut nihil eis desit expectantibus revelationem Jesu Christi. Judæis autem multa defuerunt, revelanda postea per Spiritum. Quin etiam apostolos ipsos multo ante ascensum Christi latuere, quæ eis per Spiritum sanctum aperienda erant, quem Christus, postquam ascendit in cœlum, misit, abundeque in eos effudit: per quem plene Dei voluntatem de suo populo per orbem sparso cognoverunt, quomodo is scilicet, in omnibus ad honorem Dei, & propriam sanctificationem regi deberet, ideo tum primum cœperunt concilia generalia fieri, quæ non solum præsentia Spiritus, qui ne veteri quidem populo abfuit, sed ejusdem quoque effusio super omnem carnem fecit, ante vero hoc tempus, quia Spiritus Dei sanctificans, in uno populo coarctabatur, ac ne in illum quidem suam vim satis effundens, ideo illorum conventus minime concilia generalia dici potuerunt: nec vero ille populus propriæ ecclesiæ nomen obtineret, sed potius synagogæ. Apud gentes etiam qui suo ille spiritu se regebant prorsus humano, nullum concilium generale dici potest coactum fuisse, etsi olim in unum locum universum hominum genus conveniisse scriptura tradat. *Act. 20. 2. Cor. 1.*

QUÆSTIO DECIMA.

An unquam convenit, universum hominum genus in unum locum ad concilium vocatum? an locus tantæ multitudinis capax? an modus inveniebatur, quo vocari omnes possent?

RESPONSIO.

SIC prorsus, convenerunt enim in campum in terra Sennar, tum quidem satis capacem universi generis, quod nondum se in tantam multitudinem profuderat, quantam posterior ætas vidit. Vocati autem sunt ab ipsis inter se, cum dixit alter alteri, unusquisque proximo suo: Venite, faciamus nobis civitatem, & turrim, cujus culmen pertingat ad cœlum: & celebremus nomen nostrum, antequam dividamur in terras. Hoc enim fuit decretum illius concilii, quod Deus una cum ipso concilio dissipavit, confundens linguas, & dividens eos in universam terram: quamquam Deus quidem tum opus eorum magis dissipavit, quam concilium, licet enim propter confusionem linguarum ab opere destiterint: illius tamen concilii decretum in animis hominum ante effusionem Spiritus sancti nunquam est abrogatum, quod enim tum dicebat unusquisque proximo suo: *Venite celebremus nomen nostrum*, &c. hoc unusquisque adhuc ex Spiritu sancto non renatus, & sibi ipse, & aliis dicit in omnibus conciliis, nactusque hujus decreti observandi facultatem nunquam id quidem non exequitur. Est enim decretum universi generis humani, ex quo nata sunt omnia mundi regna: quibus regnum Christi se opponit, eaque evertit: atque ob hanc causam instituta sunt concilia generalia ecclesiæ Christi, ut hæc ipsa gentium concilia disturbentur: quod quidem effici non potest, nisi per Spiritum sanctum: itaque ex more loquendi ecclesiæ Christi constat, non satis esse, quo fiat *Genes. 10.*

conci-

concilium generale, ut omnes simul gentes in unum locum convenia nt, sed necesse esse, ut Spiritu sancto vocante co nveniant, ipsoque dictante, atque omnes actione s dirigente, consilia conferant, & ex præscripto il lius decreta faciant.

QUÆSTIO XI.

Quid est, quod more loquendi ecclesia dicimus in Spiritu sancto indictum concilium? quove argumento ejusmodi concilium dignoscitur?

RESPONSIO.

HOC quidem maxime, cum in eo cogendo is, qui ejus rei jus obtinet, solum Dei in Christo honorem spectat, & salutem non unius vel hominis, vel populi, vel nationis, sed omnium simul, quicumque Christi fidem per orbem utcumque dispersi profitentur: tale enim concilium generale, legitimum, atque in Spiritu sancto indictum esse dicimus, quod si unius alicujus hominis honor respicitur, vel plurium, etiam si universi generis honor respicitur, ut concilium illud Babylonium respexit, vel utilitas, si fieri possit, secluso Dei honore, hac in parte est concilium humani spiritus, &, quidquid per hunc spiritum statuitur, contrarium est decretis conciliorum generalium ecclesiæ Christi, quæ illud in primis sibi propositum habent, ut impia hujusmodi decreta abrogent & aboleant.

QUÆSTIO XII.

An satis est, ut fiant concilia generalia in Spiritu sancto, si quovis modo respiciatur ad honorem Dei?

RESPONSIO.

MINIME quidem satis. Hoc enim quodam modo fecerunt Judæi in suis synagogis: respiciebant enim ad honorem, & voluntatem Dei, ostensam in lege, & in promissionibus. Sed nunc Spiritus ille, qui se effudit super omnem carnem, & qui præest conciliis generalibus, transcendit legem, & respicit honorem Dei in Christo, & salutem, & sanctificationem populi, non in legis litera, sed in ipso Christo exhibitam, & per Christum in lege promissam, & ostensam, atque impletam.

QUÆSTIO XIII.

Quid ergo tractant concilia generalia?

RESPONSIO.

IN summa quidem tractant ea, quæ perti ent ad honorem Dei in Christo, & ad salutem populi in eodem Christo, hæc vero tractant, cum fidem in ipsum Christum, filium Dei vivi, explicant, & confirmant, cum caritatem ordinant: ut dixit sponsa: *Ordinavit in me caritatem.* Hæc autem satis in genere dicta, ut intelligatur, quid nomine conciliorum generalium in ecclesia Christi significetur, quam vim, & quem scopum habeant: quæ omnia tum clarius intelligentur, cum magis ad ipsa decreta conciliorum explicanda descendemus, quod tum faciemus, ubi nonnulla, quæ ad personas pertinent eorum, qui præsunt, & intersunt in ejusmodi conciliis, explicaverimus.

Cant. 2.

QUÆSTIO XIV.

Quænam sunt partes Romani pontificis in conciliis generalibus?

RESPONSIO.

VICARIÆ Christi partes, quatenus Christi, principis pastorum, & episcopi animarum nostrarum, quo nomine eum divus Petrus appellat, personam gerit.

QUÆSTIO XV.

Quænam sunt Christi partes, quatenus ejusmodi personam gerit?

RESPONSIO.

EÆDEM, quæ Dei patris, pastoris personam, sibi sumentis in medio ovium dissipatarum, ut inquit Ezechiel propheta. *Ezech. 34.*

QUÆSTIO XVI.

Quæ tandem sunt hæ Dei partes?

RESPONSIO.

NEMPE illæ, quas propheta exponit his verbis, cum ait sub persona Dei: *Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum, & cessare eos faciam, ut ultra non pascant gregem, nec pascant amplius pastores semetipsos: & liberabo gregem meum de ore eorum: & non erit ultra eis in escam: quia hæc dicit dominus Deus: Ecce ego ipse requiram oves meas, & visitabo eas, sicut visitat pastor gregem suum in die quando fuerit in medio ovium suarum dissipatarum. Sic visitabo oves meas; & liberabo eas de omnibus locis, in quibus dispersa fuerant in die nubis, & caliginis; & educam eas de populis: & congregabo eas de terris: & inducam eas in terram suam; & pascam eas in montibus Israel, in rivis, & in cunctis sedibus terra: in pascuis uberrimis pascam eas, & in montibus excelsis Israel erunt pascua earum: illi requiescent in herbis virentibus, & in pascuis pinguibus pascentur super montes Israel. Ego pascam oves meas, & ego eas accubare faciam, dicit dominus Deus: quod perierat, requiram: & quod abjectum erat, reducam: & quod infirmum fuerat, consolidabo: &, quod pingue & forte, custodiam: & pascam illas in judicio, &c.* *Ibidem 2,*

QUÆSTIO XVII.

Quodnam genus pascendi intelligit hoc loco propheta.

RESPONSIO.

DUPLEX genus, alterum, quod pertinet ad pabulum salutare præbendum, & est opus miserentis pastoris; alterum, quod versatur in judicio, & absolvit, vel condemnat. Ac de priore quidem sic ait Isajas: *Miserator eorum reget eos, & ad fontes aquarum potabit eos,* Hoc autem genus statim sequitur accubatio gregis, quam Deus etiam promittit, cum dicit: *Pascam oves meas, & eas accubare faciam.* *Isaj. 49.*

QUÆSTIO XVIII.

Quo tandem modo hoc fit, & quando?

RESPONSIO.

CUM singuli ex grege in suum locum & ordinem ducuntur, ut significant verba illa prophetæ in persona Dei pastoris prolata: *Quod perierat, requiram: &, quod abjectum erat, reducam: &, quod confractum fuerat, alligabo: &, quod infirmum erat, consolidabo: &, quod pingue & forte est, custodiam.* Hæc enim omnia sunt opera pastoris miserentis: quæ qui perturbant, non statim quidem relinquuntur a pastore; sed castigantur ad ipsorum salutem. Atque hos Deus dicit se pascere in judicio.

QUÆ-

QUÆSTIO XIX.

Quid eſt, paſcere in judicio?

RESPONSIO.

DECLARANT hoc prophetæ verba, quæ ſequuntur: *Ecce ego judico inter pecus, & pecus, arietum, & hircorum. Nonne ſatis vobis erat, paſcua bona depaſci? Inſuper & reliquias paſcuarum conculcaſtis pedibus veſtris: & cum puriſſimam aquam biberetis, reliquam pedibus turbabatis: & oves meæ iis, quæ conculcata pedibus veſtris fuerant, paſcebantur: & quæ pedes veſtri turbaverant, hæc bibebant. Propterea hæc dicit dominus Deus ad vos: Ecce ego ipſe judico inter pecus pingue, & macilentum, pro eo quod lateribus impingebatis, & cornibus ventilabatis omnia* B *infirma pecora. Salvabo gregem meum, & non erit ultra in rapinam: & judicabo inter pecus, & pecus.* Ex his verbis plane intelligitur, quid ſit, paſcere, non ſolum in miſericordia extra judicium, ſed in judicio & juſtitia, & quomodo id faciat Deus, tanquam judex caſtigans, & abſolvens eos, qui legitimum & purum gregis pabulum corruperint, vel oves e grege cornibus expulerint; itemque eos, qui ordinem & accubationem gregis turbarint. Idemque eſt, qui pingues ſalvat, & cuſtodit. Quo pacto vero cuſtodiantur, oſtendunt prophetæ verba in perſona Dei, cum ait: *Et ſuſcitabo ſuper eos paſtorem unum*, &c.

QUÆSTIO XX.

Quando Deus has partes paſtoris egit?

RESPONSIO.

TUM maxime quidem, cum Chriſtum, germen David, unicum paſtorem dedit, qui has omnes partes egit.

QUÆSTIO XXI.

Quando Chriſtus has egit partes in paſcendo grege? Quando ſe paſtorem illum unum a Deo patre datum ad ſalutem gregis oſtendit?

RESPONSIO.

Matth. 3. AB eo tempore, quo Deus pater præcurſoris Joannis judicio eum univerſo populo patefecit, cum teſtimonium Joannis ſua voce confirmavit, dicens: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui: ipſum audite.* Tunc enim Chriſtus cœpit oves Dei verbo, & exemplo paſcere: in quo perſeveravit, dum manſit in terris evangelizans regnum Dei, & operibus verbo conſentientibus ſe verum paſtorem a Deo miſſum oſtendens, quod etiam magis in morte pro gregis ſalute ſuſcepta *Act. 2.* comprobavit, maxime vero poſt mortem, miſſo cœlitus ſuo & patris Spiritu ad ſuggerenda & confirmanda omnia, quæcumque in vita docuerat: E in quo ſe verum, & æternum pontificem, ac paſtorem eſſe, omnibus, qui ex grege Dei ſunt declaravit. Inſtituit autem exercere paſtoris officium ad exemplum Dei paſtoris, propoſitum ab Ezechiele propheta, cum malos paſtores ab officio rejecit: cum ejecit e templo vendentes, & ementes: cum, *Væ illis*, dixit, *qui, clavem ſcientiæ habentes, nec ipſi intrabant, nec alios ſinebant intrare*: *Marc. 11. Luc. 11. Joan. 10.* cum omnes, qui ante eum fuerant, fures, & latrones fuiſſe affirmavit: cum reliquit domum eorum deſertam, & ex omnibus deſertis, in quibus *Matth. 23. Idem 11. Luc. 7.* erant oves diſperſæ, eas reduxit: cum claudos, A cœcos, mutos, ambulare, videre, & loqui fecit: ſic enim, quod confractum erat, conſolidavit: cum denique verba vitæ illis dedit: id quod teſtatur ſe feciſſe in ſua ad patrem oratione paulo ante mortem, quam ut paſtorem, & plane divinum paſtorem decuit, pro ovium vita ſubire voluit. Sic vero patrem alloquitur, quaſi rationem reddens eorum, quæ pro officio paſtoris in vita geſſerit: *Pater ſancte, ſerva eos in nomine tuo, quos* *Joan. 17.* *dediſti mihi, ut ſint unum, ſicut & nos. Cum eſſem cum eis in mundo, ego ſervabam eos in nomine tuo. Quos dediſti mihi, ego cuſtodivi, & nemo ex illis periit, niſi filius perditionis.* Et iterum: *nunc cognoverunt, quia omnia, quæ mihi dediſti, abs te ſunt: quia verba, quæ dediſti mihi, dedi eis, & ipſi acceperunt ea, & cognoverunt vere, quia a te exivi.* Pavit autem eos in miſericordia: quemadmodum ipſe teſtatur ſe non veniſſe in mundum, ut judicet *Idem 3. Matth. 12. Iſaiæ 42.* mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum, qui linum fumigans non extinxit, nec arundinem quaſſatam confregit. Accubare item fecit gregem, cum ſedere illos fecit, ut ait Iſajas, in pulchritu- *Iſaiæ 32.* dine pacis, cum pacem ſuam illis dedit, quam *Joan. 20. Idem 14.* mundus dare non poteſt: cum Spiritum paracletum *Act. 2.* dedit: cum, ut manſiones diſtribueret, quas di- *Joan. 14.* cit multas eſſe in domo patris ſui, ut ſervaretur *Epheſ. 4.* ordo in eccleſia ſua, non omnibus eadem dona tribuit, nec eadem munera commiſit, ſed *quoſdam poſuit in eccleſia; primum apoſtolos, ſecundo prophetas, tertio doctores, deinde virtutes, exinde gratias* C *curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, ſermones, interpretationes.* Præſtitit autem Chriſtus, quæ ad officium paſtoris pertinent, *Luc. 9.* cum gregem ſalutari cibo paſtum accubare fecit. Id quod ſecundo loco Ezechiel Deo, paſtoris munere fungenti, tribuit. Pavit vero in judicio, quod tertio loco propheta commemorat, cum non ſolum in ſua ipſius perſona ligandi, & ſolvendi po- *Matth. 16.* teſtatem exercuit, ſed eamdem etiam eccleſiæ ſuæ miniſtris dedit.

QUÆSTIO XXII.

An paſtoris munus, gregem in judicio paſcentis, ſignificari intelligis, & contineri in poteſtate ſolvendi, D *& ligandi?*

RESPONSIO.

SIC prorſus. Qui enim ſolvit, & ligat, is judicium quoddam exercet: perinde enim facit, ac ſi abſolveret, vel condemnaret. Differt autem hoc judicium, quod in poteſtate ſolvendi, & ligandi a Chriſto data continetur, ab aliis judiciis, quæ hoc idem faciunt, ſed ab humana poteſtate proficiſcuntur: quod hæc ſæpe ad damnum & perniciem ejus, qui abſolvitur, vel condemnatur exerceri poſſunt, & ſolent: illud vero nunquam ad perniciem, ſed ſemper ad ſalutem exercetur. *Non enim*, inquit apoſtolus, *habemus po-* *2. Cor. 10.* *teſtatem ad deſtructionem, ſed ad ædificationem.* Chriſtuſque hanc ipſam poteſtatem exercens dixit, ſe *Joan. 12.* non veniſſe, ut judicaret mundum, ſed ut ſalvaretur mundus per ipſum. Non enim venit, ut *Idem 10.* mactaret, & perderet, ſed ut mactatum reſuſcitaret, & perditum recuperaret. Ac licet genus judicii id eſſe intelligatur, quod poteſtate ſolvendi & ligandi ſignificatur: tamen qui hac poteſtate utitur, non dicitur judicare tantum, ſed paſcendo judicare, & judicando paſcere: quia omnia ſemper, quantum in ipſis judicibus eſt, ad eorum ſalutem cedunt, in quos judicia exercentur, ut exemplum Corinthii fornicatoris, a *1. Cor. 5.*

Paulo

Paulo apoſtolo ſatanæ traditi, perſpicue declarat: quem ideo ſcribit apoſtolus a ſe traditum ſatanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus fieret. Sic Alexandrum ærarium dicit a ſe traditum ſatanæ, ut diſceret non blaſphemare. In ſumma de ſua poteſtate ſcribit, ſe nihil poſſe contra veritatem. Hæc vero poteſtas eſt divina, maxima poteſtas, quæ non conceditur omnibus paſſim, qui a Deo poteſtatem ſibi datam habent, ſed de iis tantum, qui in fide myſterium ſuum exercent. Ceteris enim permittitur, ut multa contra veritatem agant, & ſuam poteſtatem ad perniciem aliorum convertant. Ad hanc autem corrigendam, & tandem abolendam, Deus Filium ſuum cum poteſtate Patris, & veri paſtoris ad ſalutem hominum miſit. Atque hoc ſane modo, quod tertio loco per prophetam Ezechielem in munere paſtoris a Deo mittendi eſt promiſſum, Chriſtus per miniſtros ſuos perpetuo implet, cum id primum quidem eſſe per ſe impleverit: tum vero demum omnes partes implevit promiſſionum Dei de paſtore uno ad cuſtodiam gregis mittendo, cum ſe ipſum ſuſcitavit paſtorem unum. Hoc enim ultimo loco in promiſſis Dei de ſuo paſtorali officio apud eumdem prophetam exponitur, eſtque illud, ſine quo reliqua promiſſa locum non habent. Cum vero Chriſtus hoc implevit, tunc ſe in eo verum Deum, & verum hominem oſtendit, in quo Deus, quæcumque ad boni paſtoris officium pertinerent, impleverat.

1. Tim. 1.

2. Cor. 13.

QUÆSTIO XXIII.

An, ſi Chriſtum omnes partes unici illius paſtoris ad ſalutem ſui gregis, a Deo promiſſi, in ſe impleſſe dicamus, & perpetuo adhuc implere, cum ſit pontifex, & paſtor in æternum factus, ſimul etiam dicere licebit, eum vicaria hominis perſona in gubernanda eccleſia ſua uti? Nec enim hoc recte dici videtur: quando quidem vicariæ perſonæ in officiis, & muneribus ſubſtituuntur, cum abſunt illi, quorum propria eſt eorum munerum procuratio, non cum adſunt, ſicut Chriſtus ſemper adeſt gregi ſuo, quemadmodum ſe affuturum ipſe promiſit his verbis: Ecce enim ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi.

Matth. 28.

RESPONSIO.

ADEST quidem ſemper gregi ſuo Chriſtus, ſed ſpirituali, non corporali, viſibilique præſentia. Grex vero Dei, ut inquit Ezechiel, homines ſumus. Homines autem, qui & ſpiritu, & corpore conſtant, indigent non ſolum præſentia paſtoris, qui eos regat in ſpiritu, ſed qui etiam gubernet in exterioribus officiis, ac muneribus, quæ per hominem corporis miniſterio obiri poſſunt, & debent.

Ezech. 34.

Itaque Chriſtus cum corporis ſui præſentia, quod ad gubernandi gregis rationem attinet, nobis ſubtraxit in cœlum aſcendens, inſtituit qui paſtoris officium ejus loco, corpus ipſe gerens, ad utilitatem ſui gregis exerceret: non quod ille non poſſit omnia in ſpiritu, & per ſpiritum ſolum efficere, quemadmodum etiam efficit: per Chriſti enim Spiritum ſemper omnia perficiuntur, quæcumque in vicaria illius poteſtate ſalutariter aguntur: ſed quia ſic eſt divina voluntas, & talis noſtra natura, quæ indiget viſibilibus, & corporeis rebus, ut per hæc ad inviſibilia trahatur. Tantaque eſt Dei bonitas, ut ſe imbecillitate naturæ noſtræ conformare velit, quam uſque ad mortem portavit, ut omnia ſanctificaret. Ideo, quemadmodum in fundanda eccleſia, licet ſolo nos ſpiritu ſalvare poſſet ſine infirmitatis noſtræ aſſumptione, corpus tamen aſſumere voluit, ut corpus ſanctificaret: ſic, licet eccleſiam, tanquam corpus, & ſponſam ſuam, per ſpiritum ſolum regere, & ſanctificare poſſit, & ſanctificet, tamen viſibilia ſacramenta, tanquam inſtrumenta ſpiritus, & vaſa, inſtituit, per quæ homines ſanctificationem acciperent: &, quamvis in iis etiam, quæ ad miniſteria ſacramentorum pertinent, per ſe ipſum vel per angelos ſuos, qui ſunt adminiſtratorii ſpiritus, omnia perficere poſſet, tamen miniſterio hominum uti voluit.

Heb. 1.

Ut ergo in ceteris facit, quæ pertinent ad fundationem, vel miniſterium ſingulorum in eccleſia, ſic etiam in eo munere, quo cura omnium geritur, quod erat, atque eſt ipſius Chriſti proprium, tanquam capitis omnium. Et ſi enim per ſe in ſpiritu omnia ſupplere poſſit, atque etiam quod ad vim & virtutem conferendam attinet, ſuppleat: tamen, qui ejus loco tanquam paſtor paſtorum eſſet, unum aliquem eſſe voluit. Atque hunc quidem ab eo inſtitutum fuiſſe Petrum intelligimus, qui curam univerſalis eccleſiæ haberet, viceſque ipſius in terris gereret, & poſt Petrum deinceps, qui Petri ſedem tenuerunt, ac tenent. Hoc vero minus mirum, & magis conſentaneum conſilio Dei Patris, & Chriſti, qui gubernat eccleſiam, videbitur, ſi, quodnam ipſius Spiritus conſilium in ortu Chriſti fuerit, conſideraverimus.

Matth. 16. Matth. 21.

In eo enim cum nullum humanum opus, nullum viri munus extaret, quod totum erat Spiritus ſancti opus, ac munus: tamen, ut homo apud homines locum viri teneret & viri appellationem haberet, Spiritus Dei conſilium fuiſſe in Joſephi perſona videmus, qui & vir Mariæ, & Chriſti pater eſt dictus: Si ergo in gubernatione eccleſiæ, ubi opus & Dei & hominis ſimul extat, dicamus ab ipſo Chriſto inſtitutum fuiſſe, ut, quod hominis eſt, per hominem gubernetur: quid magis conſentaneum ſpiritui ejus dicere poſſumus? Talis vero fuit Petrus eccleſiæ, qualis Joſeph Mariæ: vel potius talis Petrus ſponſæ Chriſti, quæ eſt eccleſia, qualis Joannes matri Chriſti. Ut enim hanc Chriſtus moriens in cruce Joanni commendavit, &, quaſi teſtamento, ejus cuſtodiam reliquit: ſic quidem poſt reſurrectionem a mortuis, cum corporis ſui præſentiam hominibus eſſet ſubtracturus, Petro, quaſi ſub forma verborum teſtamenti, eccleſiæ ſuæ cuſtodiam commendavit, cum diceret: *Petre, ſi me amas plus his, paſce oves meas.* Hæc vero ita ſe habere, cum multa ſcripturæ loca, tum vero, optima ipſius ſcripturæ interpres, Dei providentia in eventu & ſucceſſu rerum ſeſe oſtendens, maxime confirmat.

Luc. 2. Matth. 1. Luc. 3. & 4. Joan. 19. Joan. 21.

QUÆSTIO XXIV.

Quibus tandem ſcripturæ verbis, vel argumentis, oſtendi poteſt, Chriſtum vicarias ſuas partes Petro dediſſe?

RESPONSIO.

PLURIMIS quidem: nos vero, qui, quantum poſſumus, brevitati nunc ſtudemus, & ut, quam minimum fieri poſſit, ab eo, quod primum nobis propoſuimus, diſcedamus, quod erat, ut notas potius rerum, quam explicatiorem doctrinam aliquam, ſcriberemus, tribus illis locis contenti erimus, in quibus unici paſtoris animarum noſtrarum Chriſti, Dei, & homi-

hominis, tres partes expressas, omnesque uni Petro commendatas agnoscimus.

QUÆSTIO XXV.

Quænam sunt tres illæ partes?

RESPONSIO.

PRIMÆ quidem, ut, quorum pastor futurus esset, eorum simul esset pater. Talis enim pastor fuit Christus, primum scilicet pater, deinde pastor. Qualis vero pater fuerit Christus, declarat Isajas, multa enumerans honoris ejus nomina: Patrem illum vocat futuri sæculi: quod videlicet principium, & generator futurus esset illorum, quos hæredes regni cœlestis fore divina providentia instituerat. Similem honorem & potestatem Christus Petro dedit, cum eum principium fecit novi & cœlestis populi: de quo dicit propheta in persona Dei, & Christi: *Formabo mihi populum, qui laudem annunciet.* Principium vero tum fecit novi populi, & quasi patrem creavit, cum ei dixit: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo ecclesiam meam.* Dixit enim Christus Simoni Bar-Jonæ: *Tu es Petrus*, atque hic ilatim factus est Petrus, & prima petra in fundamento ecclesiæ posita, super quam ecclesia ædificaretur. Ædificatio autem ecclesiæ nihil aliud est, quam multitudo filiorum ecclesiæ, ejusdem fidei consensu congregata, non confusa, sed ordinata, tanquam civitas quædam sub unius principatus forma. In ædificatione enim forma significatur. Petræ vero nomen materiam significat, non quamvis, sed solidam, & duraturam, super quam quidquid ædificatum sit, etiam contra vim, atque impetum fluminum, & ventorum perdurare possit. Quo nomine significatur, duraturi populi eum futurum patrem: id quod satis declarat verbum promissionis, quod subjungit Christus, ecclesiæ superædificatæ stabilitatem ostendens. *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, quemadmodum quidem prævaluerunt contra eum, qui principium, & pater terrenæ generationis fuit: qui cum non ex petra, sed e luto factus esset, ne primum quidem impetum ventorum per inferorum portas irruentium sustinere potuit: verum statim cum universa sua prole, & generatione cecidit. At non talis Petrus qui ex petra excisus fuit, non ex luto factus: & ideo in petra ipse manens, & in petra primum fundatus populi in omne tempus duraturi principium est factus. Qua in re quo pacto Christi personam referat, etsi satis quidem per se patere potest: clariora tamen erunt omnia, si ut Petrum videmus nomen Petræ in fundamento positæ commune cum Christo habere, ejusque personam referre, ceu patrem futuri sæculi, sic in modo etiam generandi filios futuri sæculi eumdem cum Christo ejusdem virtutis participem videamus.

Isaja 9.

Isa. 43.

Matth. 16.

Genes. 2.

Genes. 3.

QUÆSTIO XXVI.

Quo modo dicis functum esse Petrum vicariis Christi partibus in generatione novi populi?

RESPONSIO.

EO quidem modo, quem Christus ipse ostendit iis verbis, quæ ei dixit, cum illum primam petram faceret, super quam ecclesia ædificaretur, tanquam multitudinem filiorum ostendens, quorum ipse Pater futurus esset, ni virtute non sua, sed primæ petræ, quæ excisa est de monte sine manibus, & patris futuri sæculi. Hæc vero sunt Christi verba ad illum: *Et tibi dabo claves regni cœlorum: & quidquid solveris super terram, erit solutum & in cœlis: & quidquid ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis.* Quæ omnia pertinent ad facultatem, & modum generandi novos filios, qui regni cœlorum cives, hæredes essent futuri. Per potestatem enim solvendi, & ligandi hoc fit. Qua nimirum potestate fretus Paulus apostolus, ad Corinthios scribit: *Etsi multos pædagogos habetis, tamen non multos patres. Ego enim per evangelium vos genui.* Verum ante eum Petrus & genitus ipse est. Et alios genuit, tanquam prima petra factus, & pater universi generis hominum, qui in nova generatione numeratur. Licet enim Paulus scribat, sibi creditum fuisse evangelium præputii, sicut Petro circumcisionis: *Qui enim*, inquit, *operatus est Petro in apostolatum circumcisionis, operatus est mihi inter gentes*: tamen non Paulus primus genuit gentes in verbo, sed ante eum Petrus, ut verba ipsius Petri testantur in Actis, eum ait: *Viri fratres, scitis, quia elegit Deus a temporibus antiquis per os meum audire gentes verbum Dei.* Primas ergo partes suas Petro Christum dedisse, ut esset loco primæ Petræ in ipso Christo positæ, qui est solida petra, & fundamentum cœlestis ædificii, eidemque virtutem etiam dedisse, ut pater esset futuræ sobolis, ex his satis constare potest.

Dan. 2. Matth. 16.

2. Cor. 4.

Gal. 2.

Act. 16.

QUÆSTIO XXVII.

Quænam sunt secundæ partes patris, & pastoris?

RESPONSIO.

UT filios, & gregem conservet, eosque a malo tueatur: quas in oratione sua ad patrem Christus ostendit se impleviſſe, cum ait: *Ego servavi eos in nomine tuo: quos dedisti mihi, ego custodivi, & nemo ex illis periit, nisi filius perditionis.* Hanc vero potestatem Petro, tanquam suo vicario, se dedisse significavit, tunc cum præsentibus etiam ceteris apostolis, de eo loquens, quod omnibus usu venturum esset, ut a satana tanquam triticum cribrarentur, unum tamen Petrum appellans dixit: *Simon, ecce satan expetivit, ut vos cribraret, tanquam triticum. Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Tu vero conversus, aliquando confirma fratres tuos.* Quibus verbis aperte Christus ostendit, ut superioribus verbis patrem eum fecerat, ita nunc eumdem a se tutorem, & defensorem factum esse.

Joan. 17.

Luc. 22.

QUÆSTIO XXVIII.

Quænam sunt tertiæ partes patris, & pastoris?

RESPONSIO.

UT in lucem jam jam editos, & a malo defensos, bono etiam augeat, salutarique cibo pascat. Has item partes Christum Petro dedisse, vel maxime ex eo liquet, quod Christus paulo ante suum ad cœlum ascensum dixit, cum jam corporis sui præsentiam gregi suo subtracturus esset, atque opportunissimum videretur de persona vicarii sententiam suam apertis verbis declarare: Nam tum quidem, ut apud Joannem est scriptum, cum simul adessent ceteri apostoli, & discipuli, quasi Petrum e medio

illorum

illorum ſevocans, accepta ab eo confeſſione amoris, ſic ipſum eſt allocutus: *Si me amas plus his, paſce agnos meos*: nec vero ſemel hoc dixit, ſed iter, eadem confeſſione reddita, per hunc amorem, tanquam ſi teſtamento hæredem ſui paſtoralis officii relinqueret, obteſtatus eſt, & dixit: *Si me amas, paſce agnos meos*: &, quaſi non ſatis apertis verbis univerſum gregem ipſo Petro commendaſſet quod ei tantum agnos commendaſſet, qui juniores eſſent, adjungit, *paſce oves meas*. Licet autem hæc, quæ Petro dicuntur, ad cetèros etiam paſtores omnes pertineant, tamen voluiſſe Chriſtum hæc omnia in eo uno, tanquam in vicario capite, conſpicua eſſe, ut per eum in reliquos derivarentur, primum quidem oſtendit adoptio nominis, qua primo loco utuntur, qui hæredes, & ſucceſſores eligunt. Chriſtus enim Cephæ nomen, quod interpretatum eſt Petrus, Simoni prius vocato impoſuit. Petræ autem nomen ipſi Chriſto in divinis literis tribui conſtat: deinde, quæ huic nomini auctoritas eſt conjuncta, ea utendi facultatem illi dedit, cum fratres ejus fidei confirmandos commendavit, ut eos ab inſidiis ſatanæ tutaretur: Cum oves præterea, & agnos univerſum ſuum gregem ejuſdem fidei, & amori tradidit, ut liberatum ab inſidiis inimici bono & ſalutari cibo paſceret: Hæc vero apud eos, qui nimium contentioſi non ſint, ſatis eſſe poſſunt, quæ vicarias Chriſti partes in terris Petro in univerſum gregem ab ipſo Chriſto datas declarant, præſertim cum etiam rerum experientia poſt Chriſti ad cœlum aſcenſum oſtenderit, hanc Petrum vicariam illius poteſtatem cum in conciliis, tum in univerſum ipſum gregem exercuiſſe.

Joan. 21.

Joan. 1.

1. Cor. 10.

Luc. 22. Joan. 21.

Act. 12. 16.

QUÆSTIO XXIX.

An ullum generale concilium, Petro adhuc vivo eſt celebratum?

RESPONSIO.

ET maximum quidem, in quo has tres ſimul, patris, tutoris, & paſtoris, partes Petrum, Chriſti perſonam gerentem, exercuiſſe conſtat.

QUÆSTIO XXX.

An non temporibus Conſtantini primum cœpta eſſe concilia generalia, hiſtoriæ omnes prodiderunt, quorum primum tradunt fuiſſe Nicænum?

RESPONSIO.

TRADUNT quidem Nicænum fuiſſe omnium primum, quia reges, & populi de quibus propheta acerbe conqueritur: *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania? Aſtiterunt reges terræ, & principes convenerunt in unum adverſus dominum, & adverſus Chriſtum ejus*: tum primum, relicto hoc concilio, quod erat concilium malignantium, libenter ſe audire oſtenderunt prophetæ verba, quibus eos eodem loco ſic admonet: *Et nunc reges intelligite: erudimini, qui judicatis terram: ſervite domino in timore, & exultate ei cum tremore: oſculamini filium, ne quando iraſcatur dominus, & pereatis de via juſta*. Quia ergo Conſtantinus primus non ſolum hanc diſciplinam apprehendit, ut oſcularetur Filium, & ſerviret Deo in timore & exultatione, ſed in oculis omnium gentium concilium coegit pro gloria Filii contra eos, qui conſpiraverant adverſus dominum, & adverſus Chriſtum ejus: ſecumque populos, & nationes, quæ laudem domino annunciarent, primus adduxit: ideo hoc concilium, cui interfuit ipſe imperator, primum in oculis omnium gentium, & maxime generale viſum eſt. Sed non a Conſtantini temporibus concilia generalia cœpta ſunt, verum jam inde ab eo tempore, quo, ut ſupra diximus, Spiritus Dei non ſuper unam gentem, ſed ſuper omnem carnem ſe effudit, ſtatim poſt effuſionem ſanguinis Chriſti, qui non pro unius populi, aut nationis, ſed pro totius mundi peccatis eſt mortuus. Quare, ſimul atque conjunctio facta eſt in una fide gentium, & Judæorum, qui tanquam duo populi univerſum mundum complectebantur, illud concilium, in quo primum, de utrorumque ſalute actum fuit, coactis in unum locum eorum paſtoribus, concilium primum generale fuiſſe, merito dicimus. Tale autem fuit concilium Hieroſolymitanum, in quo Petrus vicarias Chriſti paſtoris partes, quas ſupra commemoravimus, omnes ſe peregiſſe, & verbis, & factis oſtendit.

Pſal. 2.

QUÆSTIO XXXI.

Quo tandem modo?

RESPONSIO.

DIXIMUS, tres præcipuas Dei paſtoris partes Chriſtum erga ſuos, dum in terris verſaretur, egiſſe: primas, ut eos quaſi pater procrearet: ſecundas, ut in lucem editos a malo tueretur, atque ſervaret: tertias ut bono & ſalutari cibo aleret. Has item omnes partes a Petro, Chriſti vicario, impletas fuiſſe, ex iis, quæ ipſe in hoc concilio dixit, facile colligimus: cujus hæc ſunt verba in actis apoſtolorum: *Viri fratres, vos ſcitis, quia ab antiquis diebus Deus in vobis elegit, per os meum audire gentes verbum evangelii, & credere*. Hinc apparet, quo modo primas partes, ac primum illud munus patris & paſtoris impleverit, quod ante ei promiſerat Chriſtus, cum diceret: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam*. Per os enim ejus elegit Deus gentes audire verbum fidei, per quod in Chriſto regenerarentur. Id quod magis etiam explicat, cum adjungit: *Et, qui novit corda, Deus, teſtimonium perhibuit, dans illis Spiritum ſanctum, ſicut & nobis: & nihil diſcrevit inter nos, & illos, fide purificans corda eorum*. Qua de re ait Jacobus apoſtolus: *Voluntarie enim nos genuit verbo veritatis, ut ſimus initium aliquod creaturæ ejus*. Et Paulus: ſacramentum illud, per quod in Chriſto renaſcimur, vocat lavacrum regenerationis, ubi inquit: *Cum autem benignitas, & humanitas apparuit ſalvatoris noſtri Dei, non ex operibus juſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit per lavacrum regenerationis, ac renovationis Spiritus ſancti, quem effudit in nos abunde per Jeſum Chriſtum, ſalvatorem noſtrum, ut, juſtificati gratia, ipſius hæredes ſimus ſecundum ſpem vitæ æternæ*. Hic vero totus explicatur regenerationis modus, quem Petrus in ſuo verbi miniſterio primus expreſſit.

Act. 15.

Matth. 16.

Jac. 2.

Tit. 3.

Secundæ erant partes, ut confirmaret, ac tueretur fratres, & filios, quos ſatanas expetiverat, cribrare, & jam inceperat, non quidem cribrare, ut purgaret, (hoc enim fecit Petrus) ſed ut triticum, cum palea admixtum, cribrando, ac ventilando perderet. Legem enim cum verbo evangelii admiſcuit, tanquam paleas cum tritico;

Luc. 22.

quæ quasi in cribro simul posita separat, ac purgat Petrus, cum ait: *Nunc autem quid tentatis Deum imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque nos, neque patres nostri portare potuimus?* Et sic oves defendit a noxio satanæ pabulo.

Tertias vero partes explicat, salutare illis proponens pabulum, & in optima eas pascua deducens, cum rejectis cœremoniis, quæ legis palea erat, ait: *Per gratiam domini nostri Jesu Christi credimus salvari, quemadmodum & illi.* In hæc igitur fidei, per quam salvamur, explicatione agnos simul, qui ex gentibus erant, & oves Israel conjunxit, & salutari cibo utrosque pavit: quæ dum faceret, patris simul, & pastoris partes egit: quæ sunt vicariæ partes, quas a Christo acceperat.

QUÆSTIO XXXII.

An hoc concilium generale dici potest, in quo una tantum Judæorum natio interfuit, nulli autem ex gentibus? nec enim legimus, huic concilio interfuisse quemquam alium, præter apostolos, & seniores, qui erant Hierosolymis: qui omnes ex Judæorum natione fuerunt.

RESPONSIO.

At vero, cum legatos ecclesiarum gentium interfuisse constet (tales enim fuerunt Paulus & Barnabas, qui ab ecclesiis gentium ad apostolos, & seniores Hierosolymam missi erant) cum etiam ipsi apostoli essent, quos Christus principes pastores in omnes terras constituerat, sic eos dimittens. Ite, & prædicate evangelium omni creaturæ, cum ad componendas controversias illas, quæ de fide & lege exortæ fuerant, concilium illud coactum esset, eaque in eo tractarentur, quæ ad universæ ecclesiæ pacem pertinerent: cum denique munus decidendi omnes controversias ille obtineret, cui vicarias suas partes in universum gregem Christus dederat: merito generale hoc concilium dici potest, & primum: quia in hoc primum consultandi causa de iis, quæ ad universum corpus ecclesiæ pertinerent, principes ecclesiæ pastores convenerunt.

QUÆSTIO XXXIII.

An hoc concilium, ut tempore, sic etiam auctoritate primum fuit, & dignitate?

RESPONSIO.

Fuit sane, idque duplici de causa: primum quidem propter dignitatem eorum, qui interfuerunt, qui iidem fuere, quorum beati oculi viderunt, & aures audierunt, quæ multi reges, & prophetæ, cum id maxime desiderarent, non viderant, nec audierant. Audierunt vero, & viderunt in verbis, & in perfectissimo exemplo unici illius pastoris, ad salutem omnium gentium promissi, omnia, quæ ad regendum gregem Dei pertinebant, a quo & mandatum, ut ejus exemplum in pascendo sequerentur, & virtutem ex alto, ut sequi possint, acceperant. Auctoritate ergo præstitit omnibus hoc concilium propter dignitatem personarum, quæ illi hanc dignitatem attulerunt, ut esset quasi typus, & forma omnium conciliorum, quo scilicet respicientes qui deinceps concilia celebraturi essent, omnia, quæ vel ad eos aliquo modo pertinerent, qui conciliis præesse, & interesse debent, vel etiam ad modum decidendi omnes controversias, quæ materiam conciliis celebrandis dare solent, tanquam in archetypo, ut rite & ordinate celebrari possent, perspicerent.

QUÆSTIO XXXIV.

Quo pacto tanquam in archetypo, in hoc concilio Hierosolymitano cernuntur ea, quæ ad personas pertinent eorum, qui in ceteris conciliis interesse solent?

RESPONSIO.

Hæc plane intelligemus, si diligentius adverterimus, quænam personæ illæ fuerunt, quos in hoc concilio interfuisse, & sententias dixisse, memoriæ proditum est. Sunt autem in quadruplici, ut videtur, genere: quæ tamen omnes unum genus efficiunt dispensatorum mysteriorum Dei. Primum enim genus constituit persona Petri, alterum Pauli & Barnabæ, tertium Jacobi: quartum vero genus intelligo eos facere, qui generatim nominantur seniores.

QUÆSTIO XXXV.

An sic omnes personæ comprehensæ sunt saltem in genere, quæ huic concilio interfuerunt?

RESPONSIO.

Minime quidem omnes. Nec enim principem personam nominavimus, quæ eadem est, quæ virtutem & robur ceteris omnibus dat. Illi enim sunt tantum ministri, quos modo diximus: qui vero omnibus præest, is principem personam, non ministri, agit. Est porro idem, cujus nomine concilium vocatur, & cujus nominis auctoritate addita, decreta conciliorum rata habentur. Hic sane est Spiritus sanctus, qui idem est Spiritus Christi, & Spiritus Dei Patris, cujus organa sunt reliqui omnes, qui præsunt in conciliis, cum rite fiunt.

QUÆSTIO XXXVI.

Quo modo inter se distinguuntur ceteræ personæ, quas in quadruplici genere posuisti, in quibus primam numerasti personam Petri? Quid vero tandem in persona Petri videmus, quod in reliquis non videamus?

RESPONSIO.

Hoc sane primum, quod proprium est ejus qui primas partes in conciliis tenet, ut finem imponat controversiis, easque dirimat, ut concludat, & auctoritate sua dimittat concilium. Quæ omnia ex verbis scripturæ videmus in illo concilio Petrum fecisse. Sic enim est scriptum: *Cum autem magna conquisitio fieret.* Quæ verba *Act. 5.* significant, magnam primum altercationem de iis, quæ decidenda essent, in concilio extitisse: quam Petrus sic repressit, ut verba quæ sequuntur ostendunt: *Surgens autem Petrus dixit ad eos: Viri fratres*, &c. Quæ cum dicit, sententiam concilii, & sententiam Spiritus Christi primus pronunciat, atque concludit. Hoc autem videmus in persona Petri, quod in ceteris non videmus. Secundo, loco videmus in eodem vicariam potestatem, & curam quamdam præcipuam utriusque populi. Nam cum ii, qui ex circumcisione erant, iis, qui ex gentibus credidissent, ut eadem fides communis secum erat, sic quoque idem legis onus commune esse vellent, ille, tanquam judex, & pastor utriusque populi, qui jam unus esset factus, jugum legis

sic

sic ab utrisque detraxit, ut ejus sententiæ in hoc A resistentes magna verborum auctoritate deterruerit, cum eos graviter increpans sic ait: *Quid tentatis imponere jugum*, &c. Quibus verbis se vere Christi vicarium ostendit: qui venit ut cœremonias, grave legis jugum, a suis tolleret, ac pro eo suum leve & suave eisdem imponeret. Auctoritatem vero, quam ei Spiritus Christi dederat, valuisse in hac causa, illud maxime indicat, quod nemo ausus fuit in concilio se ei opponere, sed, ut est in actis, Petri sententia pronunciata, *tacuit omnis multitudo*: cum tamen constet, in illa multitudine fuisse Pharisæos aliquot, qui extra concilium pertinacissime contrariam semper sententiam defendissent, & hanc oppugnassent: verum illi tum auctoritate Petri B commoti, tacuerint: qui vero postea verba fecerunt, omnes ejus sententiam approbarunt. Cum autem hæc in Petri persona videmus, omnium eorum, qui in Petri cathedra successerunt, partes in conciliis videmus: quæ maxime in hoc extare debent, ut controversias dirimant, ut gravitatem oneris a populi Dei cervicibus detrahant, & ut concilium dimittant, omniaque auctoritate Petræ fidei, in fundamento ecclesiæ positæ, faciant. Sed hoc ad modum decidendi controversias pertinet, de quo post dicemus. Nunc vero non tam de modo, quam de personis loquimur, quæ interesse solent in conciliis, quas omnes iis personis, quæ in Hierosolymitano concilio interfuerunt, significatas esse diximus, C & tanquam in archetypo concilio designatas, atque expressas.

QUÆSTIO XXXVII.

Quid in Pauli & Barnabæ personis animadvertimus, qui secundo loco verba fecerunt in alio concilio?

RESPONSIO.

In his quidem eorum personam agnoscimus, quorum est referre ad concilium de iis, quæ pacem ecclesiarum turbent: quemadmodum illi retulerunt de controversiis, quæ fuerant in ec- D clesiis gentium excitatæ per eos, qui erant ex circumcisione, ad quas decidendas concilium est congregatum. Horum autem oratione videmus significatum esse officium eorum omnium, qui pro pace ecclesiarum ad concilium mittuntur: quorum partes sunt, ut tam opus satanæ, quod totum in fidei puritate tollenda versatur, quam opus Dei ad eamdem confirmandam exponant, demonstrentque, quantum fieri possit, ea quæ ipsi re ipsa de gratia Dei ad confirmandum robur fidei sunt experti in illis ecclesiis, a quibus sunt missi: quemadmodum Paulus, & Barnabas miraculis per ipsos editis fidem, & sententiam Petri confirmarunt. Huc enim pertinet omnis eorum oratio, ut signis, miraculis, atque operibus con- E firment, eam esse Dei voluntatem, & veritatem inflexibilem, quam Petri fides proposuit. Horum autem verbis, per opera confirmantibus doctrinam fidei a Petro expositam, succedit oratio Jacobi, qui eamdem confirmat per scripturas. In Jacobi vero persona significari intelligimus personam singulorum episcoporum, quibus certæ ecclesiæ sunt commendatæ, quorum officium in conciliis per ipsam Jacobi orationem satis etiam significatur.

QUÆSTIO XXXVIII.

Quid tandem extat in Jacobi persona, quod ad episcoporum, qui singulis præsunt ecclesiis, personam, & officium in conciliis declarandum pertineat?

RESPONSIO.

Hoc primum, ut Petri doctrinam de fide confirment, quemadmodum Jacobus fecit: hoc enim commune omnium, & singulorum episcoporum esse debet: deinde, si privatæ eorum ecclesiæ aliquid vel consuetudine, vel lege receperint, quod non adversetur sinceritati doctrinæ fidei, verum ejusmodi esse videatur, ut eo sublato, periculum sit, ne caritatis vinculum rumpatur. Hoc quidem ut quisque in sua ecclesia experitur, sic proponere poterit, quemadmodum Jacobus fecit: qui cum Hierosolymorum esset episcopus, quæ civitas ex gente circumcisionis tota constabat, licet, quod ad ipsam veritatem pertinebat, abunde, idque per scripturas, declarasset, per fidem Christi legis jugum ab iis, qui Christi fidem acceperant, excussum fuisse, & in hoc Petri sententiam confirmasset: tamen, quia videbat, si gentes hac libertate in omnibus uterentur, ut nulla ab eis ratio veteris Judæorum consuetudinis haberetur, quibus cum fide jam conjuncti erant, caritatem inter eos firmam manere non posse, sed suas potius oves per contemptionem moris sui scandalum passuras, huc ad concilium retulit, ut, quæ ex antiquis eorum moribus, salva fidei doctrina, ad retinendam pacem, donec magis adolesceret fides, observari possent, ea ab utroque populo observarentur. Qua in re nec ab ipso Petro, nec a reliquo concilio repulsam tulit: verum in hanc sententiam decretum, ipso Spiritu sancto dictante, suffragiis omnium est factum, ut nihil ultra oneris gentibus imponeretur, nisi ut abstinerent ab iis, quæ immolarentur idolis, a suffocato, & sanguine, itemque a fornicatione. Hoc vero onus erat caritatis, non fidei onus: quod quale sit, & quo pacto hæc distinguantur, postea, ut spero, explicabimus. Nunc in eo versamur, ut ex personarum diversitate, quæ jus dicendi sententias, decernendi, ac judicandi in illo concilio Hierosolymitano habuerunt, quod archetypum, exemplumque reliquorum omnium conciliorum fuisse intelligimus, scrutemur, ad quos maxime pertineat in ceteris conciliis eodem jure uti.

Huc autem quærendo pervenimus, ut intelligamus corpus ipsum concilii ex illis constare, qui curam gregis habeat: ut in exemplo Petri, apostolorum, ac seniorum videbimus, qui in hoc Hierosolymitano concilio interfuerunt. Licet autem, quod ad munus prædicandi verbi attinet, par auctoritas, & eadem mandata omnibus apostolis a Christo data esse videantur, cum illis dixit: *Ite in mundum universum, prædicate evangelium omni creaturæ*: tamen in hoc concilio, in quo Petrus ipsius Christi vices gessit, ceteri apostoli eorum potius personam referunt, qui in partem solicitudinis sunt vocati, quam eorum, quibus una cum Petro per orbem prædicandi evangelii cura est commendata. Tales autem posterioribus sæculis agnoscimus fuisse, & nunc esse, primates, archiepiscopos, episcopos, abbates. *Marc. 16.*

Quas vero Petri videmus primas partes fuisse, ut doctrinam fidei ante omnia explicaret, quæ explicatio tanquam fundamentum esset ad dis-

solvendas omnes controversias, has dicimus esse præcipuas partes Romanorum pontificum qui in Petri locum succesſere, in omnibus conciliis, ut ante omnia, & contra omnes procellas controversiarum, fidei Petri explicationem proponant, atque opponant: ceterorum vero omnium, qui in conciliis interſunt, ut hanc fidem non ſolum probent, ſed omnibus argumentis confirment. Hoc autem fundamento conſenſus in una fide facto, tum quidem, ſi quæ ſint in ſingularum eccleſiarum moribus, vel antiqua conſuetudine, vel lege introducta, quæ etſi non uſquequaque nudam illam fidei ſinceritatem referant, modo tamen ei non repugnent, tum nec ſe difficilem præbere debet is, qui Petri locum tenet, in aſſentiendo infirmitati gregis, donec fides magis adoleſcat: nec tacere debent, qui in ſingulis eccleſiis præſunt, infirmitates gregis ſui, ſed in concilio proponere. Cujus rei exemplum in Petri, & Jacobi perſonis, ac ſententiis, atque in ipſo concilii decreto habemus. Sed hæc magis pertinent ad modum componendi controverſias: de quo nunc, quoniam de perſonis ſatis dictum videtur, quærendo inveſtigare conabimur.

QUÆSTIO XL.

Qua ratione & via uſi ſunt, qui in concilio Hieroſolymitano præfuerunt, ad componendas controverſias? Ex illius enim conciliis exemplo dixiſti modum elici poſſe omnium diſſenſionum, quæ ad religionem pertinent, ſedandarum.

RESPONSIO.

Hoc quid facilius intelligemus, ſi, quo auctore controverſiæ in eccleſiam irrepſerint antea, ac perpetuo irrepant, dixerimus. Hunc autem Chriſtus oſtendit, cum prævidens, ac prædicens zizania, quæ inimicus homo ſuperſeminaturus eſſet in agro eccleſiæ ſuæ, tritico prius ab optimo agricola ſato, eum ipſum, qui curam eccleſiæ relicturus erat, ſic alloquitur: *Simon, ecce ſatanas expetivit vos, ut cribraret ſicut triticum.* Satana ergo impulſore intelligimus omnes in eccleſiam introduci controverſias: quas quidem tollendi modum unum futurum Chriſtus ipſe ſignificavit, illum ſcilicet, cum ſtatim ſubjicit. *Ego autem rogavi pro te* (Petrum appellans) *ut non deficiat fides tua: & tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* Unum hunc modum oſtendit Chriſtus diſſolvendi omnes controverſias, nempe unam illam Petri fidem, oratione ſua ad patrem nixam, ac roboratam. Et ſane hoc Hieroſolymitanum uſum in maxima omnium controverſia tollenda.

Matth. 13.

Luc. 22.

QUÆSTIO XLI.

Quo pacto per hanc Petri fidem in illa concilio ſedata ſunt controverſia, ut ex eodem, quid in ceteris conciliis fieri debeat, in quibus de componendis controverſiis agitur, exemplum capi poſſit?

RESPONSIO.

Hoc, ut prorſus intelligamus, quemadmodum jam ex Chriſti verbis auctorem omnis diſcordiæ, & controverſiæ cognovimus, ita, quidnam ſit, quod controverſas cauſas faciat inter homines, ex communi hominum ſenſu inveſtigandum eſſe. Hoc vero conſtat inter omnes, qui contendunt: quicumque auctor fuerit contentionis, eum ſemper hanc contendendi cauſam præ ſe ferre, quod ſibi ab eo, quocum contendit, aliquid ſit detractum, quod vel ad honorem, vel ad commodum ipſius pertineat, vel denique quod ei aliquo modo carum ſit, aut jucundum, ob idque contendere, ut ſibi ſatisfiat in eo, quod ita eſt detractum. Hinc omnium controverſiarum cum in religione, tum in rebus civilibus cauſas, originemque duci, communis vita ſatis docet. Nam qui religionis cauſa contendit, is ſemper aliquid de honore Dei & pietate detractum ab eo, quocum contendit, arguit: qui rerum civilium cauſa, ob honorem, vel commodum ſibi detractum, litem ſe intendere præ ſe fert, vel ob utrumque, aut denique ob id, quod quoquo modo carum, gratumve habeat: finem vero contentionis apud homines non malignos (cum malignis enim fruſtra quæritur pax) tum fore, cum ea, quæ ablata judicantur, integra reſtituuntur.

Hoc omnium controverſiarum fundamento patefacto, ad illam controverſiam conſiderandam revertamur, quæ compoſita eſt in concilio Hieroſolymitano, ex cujus compoſitione exemplum reliquas omnes componendi, quæ in eccleſia naſcuntur, capi poſſe diximus. Videamus autem primum ejus originem: quam facile intelligemus, ſi prius perſonas eorum cognoverimus, qui ejus excitandæ auctores fuere. Simul enim intelligemus, quænam erit controverſia.

Act. 15.

De iis autem, a quibus illa excitata eſt, ita ſcriptum eſt in Actis: *Surrexerunt autem quidam de hæreſi Phariſæorum, qui crediderunt, dicentes: Quia oportet circumcidi eos* (populum gentilem intelligentes) *qui fidem receperant: præcipere quoque eis, ſervare legem Moyſis.* Quales porro fuerint Phariſæi, divus Paulus in ſua ipſius perſona ſatis explicat, cum, ad regem Agrippam verba faciens, vitæ ſuæ præteritæ rationem reddit in hunc modum: Et quidem vitam meam a juventute noverunt omnes: quoniam ſecundum exactiſſimam ſectam noſtræ religionis vixi Phariſæus. Cur vero exquiſitiſſimam ſectam, omnium appellet, in epiſtola ad Galatas, de ſe ipſo etiam loquens, ſic declarat: *Audiſtis enim converſationem meam aliquando in Judaiſmo: quoniam ſupra modum perſequebar eccleſiam Dei, & expugnabam illam, & proficiebam in Judaiſmo ſupra multos æquales in genere meo, abundantius æmulator exiſtens paternarum mearum traditionum.* Tales ergo erant apud Judæos Phariſæi, qui ſeverius obſervarent paternas traditiones: ex quibus qui converſi fuerant ad fidem, ii, priſtinæ adhuc ſectæ veſtigiis inſiſtentes, cum viderent gentes, quæ fidem receperant, legis obſervatione ſolutas in populo Dei numerari, hic quidem conqueri, & contentiones movere cœperunt: ob id vero conquerebantur, quod detrahi in hoc & honori Dei, qui legem dederat, & ſibi ipſis putabant, qui ſe per legem, quod eam exactius aliis ſervarent, cum ceteris gentibus, tum etiam genti ſuæ præſtare exiſtimabant. Hæc fuit illorum querela: quæ quo modo per concilium ſublata fuerit, nunc quæramus.

Galat. 2.

QUÆSTIO XLII.

Quomodo per concilium Hieroſolymitanum de fide, & legis obſervatione quæſtiones ſublatæ fuere?

RESPONSIO.

Ut in ſumma dicam per verbum fidei, & caritatis. Eodemque modo apud omnes non malignos omnes omnium temporum controverſiæ

troversiæ sedari possunt. Quod sic erit apertum, si naturam verbi fidei in Jesum Christum, filium Dei vivi, primum aliqua ex parte declaraverimus, deinde caritatis.

QUÆSTIO XLII.

Quomodo per concilium Hierosolymitanum de fide, & legis observatione quæstiones sublatæ fuere?

RESPONSIO.

NIHIL prosus, si loquamur de iis discordiis, quas multo inter se homines exercent. Immo contra videmus, Christi fidem prædicatam semen discordiarum cum omni genere hominum, pacem vero cum Deo secum afferre.

QUÆSTIO XLIII.

Quid tandem inest in natura verbi fidei, quod illud profitenti dissidium cum omnibus pariat?

RESPONSIO.

HOC scilicet, quod homini omnia auferat, quæcumque humano judicio vel honorifica, vel commoda, vel denique quoquo modo grata, aut jucunda esse possunt. Nec vero solum externa bona aufert, cujusmodi sunt divitiæ, honores, amici, propinqui, parentes, sed legem ipsam Dei, atque ipsum tandem hominem a se ipso abstrahere, ac divellere profitetur. Sic enim auctor ipse fidei palam dixit, cum hominem per fidem ad se vocaret: *Qui non odio habuerit patrem, & matrem, non est me dignus: & qui non reliquerit patrem, & matrem, adhuc autem & animam suam, non est me dignus.* Quæ cum ita sint, quid mirum, si discordiarum segetem fidei verbum secum afferat? Quid mirum, si universus orbis contra sinceræ fidei prædicatores omni tempore conjuret? Id quod Christus ipse auctor fidei, cum discipulos suos, hujus doctrinæ magistros, in orbem mitteret, illis eventurum prædixit: *Et eritis, inquit, odio omnibus hominibus propter nomen meum*: nullum excipiens genus hominum. Idemque naturam hujus fidei, quam apta esset ad discordias suscitandas, magis explicans, dicit de se ipso, qui cum verbo fidei venerat: *Nolite arbitrari, quia venerim pacem mittere in terram. Non veni pacem mittere in terram, sed gladium. Veni enim separare hominem adversus patrem suum, & filiam adversus matrem suam, & nurum adversus socrum suam, & inimici hominis, domestici ejus.*

Luc. 14.

Luc. 21.

Matth. 10.

Ut autem summatim dicamus, qui summas tantum rerum, & argumentorum attingere, non doctrinam aliquam explicare hoc scripto aggressi sumus: hoc prorsus inesse in natura fidei videmus, ut ab hominibus semper existimata sit ea omnia evertere, quæ præclarissima in rerum natura habentur, ut quæ, quo magis explicata sit, hoc magis talis existimetur, sicut leges etiam cum humanas, tum divinas labefactare, & quasi naturam hominum, atque omnes bonos mores, & consuetudines abolere, atque extinguere videatur. Hæc enim omnia objecta sunt & Christo, & discipulis ejus primis verbi fidei seminatoribus: cum tamen nihil horum re vera sic evertat, ac tollat, ut non omnia cujuscumque generis fuerint bona propter eam, & per eam amissa, vel relicta, multo copiosiore mensura reddat, ac restituat. Nec enim illos audiendos esse ullo modo censemus, qui sic solam fidem prædicant, ut piis caritatis actionibus detrahant: qui ignavis nihil agendi, impigris ad actiones male agendi occasionem, & licentiam suo perverso loquendi modo præbent: quos non tam perverse quidem, quam impie prædicare fidem existimamus, dum vel parum curare, vel prorsus contemnere leges, & majorum instituta docent. Nec enim, quam prædicabant apostoli, per quam justificantur impii, fides ejusmodi fuit, sed quæ per caritatem operatur. *Numquid autem*, inquit apostolus, *legem per fidem destruimus? Absit: sed statuimus.* Quæ ergo legem roborat, quæ lucet, quæ divitem facit hominem in bonis operibus, quæ destructa instaurat, hanc fidem illam esse dicimus, quæ Jesum Christum redemptorem recipit.

Galat. 5. Rom. 3.

Nec tamen negamus, etiam ex hac quoquo modo prædicata occasionem scandali sæpe arripi ab hominibus sui amantibus, quales magna ex parte omnes sumus. Hoc vero est, quod hactenus diximus, fidem prædicatam apud homines, eorum scilicet culpa, atque malitia, tumultus potius, quam pacem initio gignere, & ob hoc solum gignere, quod nemo suorum bonorum spoliationem libenter audiat, sed pro iis omnibus libenter pugnent. Hoc autem primum est in officio fidei, ut hominem humanis bonis spoliet: quorum loco divina postea tradit, & hominem tandem in integrum restituit. Sed hanc moram non fert hominis sui amantis impatiens natura: & ideo ad nomen spoliationis clamor statim, & tumultus oritur, ad quem sedandum una duntaxat relinquitur, nempe prædicatio caritatis, verbo fidei conjuncta: quæ eadem est, per quam apostoli controversiam illam magnam de fide, & lege in concilio Hierosolymitano sustulerunt.

QUÆSTIO XLIV.

Quo tandem modo sublata fuit illa controversia?

RESPONSIO.

CUM Deo redderet, quod Deo debitum esset, & homini, quod homini, id vero per explicationem verbi fidei, & per decretum caritatis est factum.

QUÆSTIO XLV.

Quo modo fidei verbum reddit Deo, quod est Dei?

RESPONSIO.

CUM totam spem salutis in uno Deo patre per unum Jesum Christum, filium ejus, ponit, id vero Petrus tanta vi orationis facit, explicans salutis nostræ fundamentum, ut interponentes legem in partem salutis, tentatores Dei appellet, legemque ipsam onus non ferendum dicat, denique illam doctrinam, quæ hoc doceat, non doctrinam salutis, sed eversionem animarum esse concludat. Hoc ergo modo verbum fidei reddit honorem Deo in Christo, & per Christum, cum per fidem in Christo totum hominem, quasi holocaustum, Deo immolat, Deo autem, & hominibus quod debetur, reddit, cum legem a fide removens, eam tradit caritati. Injuriam enim tam Deo, quam hominibus facit, qui legem prorsus solvit, præsertim cum, lege sublata, ne commercium quidem homini cum homine, esse possit, in lege autem suam Deus gratiam coram hominibus lucere velit. Majorem vero injuriam facit cum Deo, tum hominibus, qui legi justificationem tribuit, cum sibi hujus gloriam Christus sine lege vindicet: onusque intolerabile hominibus imponitur, cum lex sua propria virtute in partem salutis cum fide se immiscet, & ideo, ut Dei Patris honori in Christo, & hominum saluti, & consolationi, atque imbecilli-

becillitati ad ferendum tantum onus consulatur, legis jugum a fide ad caritatem transfertur: cum caritate vero conjuncta lex jam non jugum grave, sed suave est. Et sic omnibus, quod debetur, facile redditur: omnesque controversiarum causæ tolluntur, quemadmodum in illo concilio Hierosolymitano factum videmus: in quo hoc videmus: cum lex a fide remota caritati traderetur, tantum abfuisse, ut illa ab iis negligeretur, quibus sic est tradita, ut ad minutissima quæque legis observanda iidem promptos se ostenderint. Id quod decretum illud communi omnium consensu factum de abstinendo a suffocato, & sanguine, & idolothytis, quæ minima erant in lege, maxime declarat. Per illud autem, quod ex caritate factum est, decretum, omnis scandali materia est sublata, & quæ Dei erant, Deo, & quæ hominum, hominibus reddita. Si vero hæc, quia brevius, ideo obscurius sint dicta, quæramus iterum de iisdem.

QUÆSTIO XLVI.

Quid est, quod dicis, legem, quæ omnia nostra opera complectitur, in parte fidei, per quam pacem habemus apud Deum, minime ponendam, sed caritati tutam subjiciendam? quo modo hæc intelliguntur?

RESPONSIO.

Hoc quidem modo ab omnibus intelligentur, si unusquisque suum ad salutem ingressum, qui est ingressus ad Deum patrem, & ad Jesum Christum, primum consideret, deinde egressum ad homines propter salutem aliorum. Illum enim efficit fides ascendens, hunc caritas descendens, quæ a vera fide proficiscitur, & cum ea, si tamen sit, conjuncta est, itaque descensus ad homines propter eorum salutem est caritatis effectus, sicut ascensus ad Deum fidei. *Accedentem enim ad Deum oportet credere*, ejusmodi sane ingressum & egressum videtur significasse Christus, cum dicit se ostium esse, per quem qui introierit, *salvabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua inveniet*.

Hebr. 11.

Joan. 10. & 10.

QUÆSTIO XLVII.

Qualem dicit esse ingressum per fidem ad Christum? quomodo autem in hoc ingressu excutitur jugum legis?

RESPONSIO.

Eo sane modo quo homines solent vitam ipsam per fidem excutere. Simul enim cum vita excutitur jugum legis: quandoquidem lex non dominatur in homine, nisi quam diu vivit. Quod si mortuus fuerit, solutus est a legis jugo: nos autem per fidem in baptismo simul cum Christo morimur. *Quicumque* enim, ait apostolus, *in Christum Jesum baptizati sumus, in mortem ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem*, &c. Quocirca fides per mortem ingreditur ad vitam, & sic per amissionem omnium, quæ in vita honorifica, utilia, aut jucunda esse possunt, ea tamen spe, ut vita nobis reddatur in Christo melioribus bonis affluens. Talem enim Christus vitam promittit quærentibus eam in ipso, & suam relinquentibus. Verum hoc nimis durum iter naturæ hominis videtur. Quamvis enim, vitam feliciorem assequi, nobis semper sit in votis, spoliari tamen nolumus, sed, ut inquit apostolus, supervestiri. Fides vero totum hominem spoliat. Quare hoc iter naturæ nostræ non potest non maxime durum videri, donec Christum ipsum totum amplexetur. Quamquam prorsus ne ingredi quidem, nec vero gressum Christum versus convertere quisquam poterit, nisi Christi Spiritum in se ante habuerit, qui gressus moderetur, & moveat. Verum in principio, quia Dei Spiritu movetur, tanquam infantulus nescit a quo portetur: sicut scriptura dicit in persona Dei: *& ego, quasi nutricius Ephraim, portabam eos in brachiis meis, & nescierunt, quod curarem eos*. Idem accidit parvulis in fide, ut portentur a Deo, & Spiritu Christi, id ipsi tamen ignorent. Ille autem spiritus, quo primum agi videntur, a Spiritu Christi videtur alienus. Est enim spiritus timoris: & is quidem omnibus tanquam stimulus est, qui eos in via ad vitam cœlestem contra blanditias vitæ terrenæ incitet: qui tum quidem maxime adest, & vehementius sentitur: a quo nemo liberatur, donec tandem in Christi morte summam Dei patris dilectionem erga se fidei oculis videat, donec videat, quod dilectus discipulus dixit, qui & vidit, & manibus tractavit de verbo vitæ. Dixit autem: *In hoc apparuit caritas Dei in nobis, quoniam filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per ipsum*. Hoc ergo videns anima fide plena, se ipsam videlicet in Christo tam immenso amore comprehensam, simulque contrarium sibi chirographum, nempe ipsam peccati legem, per hanc mortem deletum, quo nihil unquam terribilius humano animo coram Deo objici, & opponi potest, quatenus se quidem amari videt, timorem incipit deponere, & ejus loco amorem concipit: nec tamen sic timore deponit, ut non plures, & justiores timendi causas videat, quam antea unquam suspicari potuerit, quippe quæ gravitatem casus sui, & totius humani generis magis intelligit, periculum commune omnium, & privatum suum certius aspicit, terrorisque plena videt omnia etiam ea, quæ prius tutissima videbantur: ita ut hic primum timorem domini didicisse sibi videatur, hic primum intellexisse, quid, & pro quo timendum sit, majorem vim inimici, quam antea unquam, perspicere.

Osee. 11.

1. Joan. 1.

1. Joan. 4.

Luctam enim sibi videt instare non solum *adversus carnem & sanguinem, sed adversus principes ac potestates, adversus mundi rectores, tenebrarum harum contra spiritales nequitias in cœlestibus*. Quæ omnia videns, nisi simul videret eum, per quem omnia nostra peccata sunt nobis remissa, *qui delevit, quod adversus nos erat, chirographum, affigensque illud cruci, & expolians principatus, ac potestates, traduxit confidenter palam triumphans illos in semetipso*: jam quidem, quo propius ad Deum accederet, eo magis timore tabesceret. Sed hos videns triumphos ab eo peractos, a quo se tam immenso amore complexam sentit, & ut sibi via ad Deum Patrem tuta pateret, hæc omnia a Filio Dei, qui idem fuit filius hominis, tam magnifice, & salutariter fuisse gesta: hic quidem contra timorem se armare incipit, & confortari in domino, atque in potentia virtutis ejus. Arma vero jam non hominis, quæ vana & fallacia sunt, sed Dei, quæ ut potentissima sunt, sic numquam fallunt, quoties egredi jubetur, sumit: mandatum enim egressionis jam expectat. Quamvis autem omnium suavissimum experiatur, in eo acquiescere, in quo omnem timorem deposuit: quum se tamen sponsam per fidem agnoscat ejus viri, quem, licet regem omnium, cœli claustra tenere non poterunt, caritate perpetua, atque immensa homines amplectentem, quin, se ipsum quasi exuens, in terram descenderet, forma servi accepta, ut homini, servo peccati facto, & morti æternæ addicto, vitam, & libertatem restitueret, ac locum, & regnum

Ephes. 6.

2. Cor. 10.

Hier. 31.

Philip. 3.

regnum in cœlo daret: hic quidem exemplum, & A
Ephes. 6. voluntatem ſponſi ante oculos habens, atque ejus ſpiritum hauriens, ſtat etiam ipſa ad egreſſum parata, accincta lumbos in veritate, induta lorica juſtitiæ, & calceata pedibus in præparationem evangelii pacis, hanc enim ſolam cauſam egrediendi ad homines, ut pacem afferat omnibus ad quoſcumque mittatur, agnoſcit, quia eamdem in ſponſo agnovit, expectat vero nutum ſponſi & domini: quo annuente, ſumens ſcutum fidei, & galeam ſpei ſalutis cum gladio ſpiritus, quod eſt verbum Dei, ſtatim læta progreditur: quamquam ſane nuſquam oculos foras convertere poſſit, quin omnia contraria, omnia paci adverſantia videat, ſtatim enim ærumnæ, anguſtiæ, nuditas, pericula, perſecutiones, & gladius ſeſe ei offerunt, & opponunt. Sed nec propter hæc, cœleſtibus armis induta, terretur, verum cum eo, qui hæc certamina maxime eſt expertus, ac ſuperavit, dicere audet: *In omnibus autem his ſuperamus propter eum,* Rom. 8.
qui dilexit nos, quare nec pugnam detrectat, ſed ea ſpe aggreditur, ut in ipſo certamine etiam vires ſibi augendas fore non dubitet: quemadmodum 1. Cor. 1. 1. Cor. 12. Rom. 8.
apoſtolus Paulus ſibi inter pugnandum auctas fuiſſe fidem, & ſpem, multis locis teſtatur, maxime vero ubi ait: *Certus ſum enim, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque poteſtates, neque præſentia, neque futura, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare a caritate Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu domino noſtro*. Hæc vero tunc ſatis dicta ſint, ut aliquo modo intelligatur, qualiſnam ſit vel ingreſſus noſter ad Deum in Chriſto per fidem, vel egreſſus ad proximum cum eodem per caritatem, & quo pacto læta, ac ſalutaria utrobique paſcua inveniantur: denique, ut ſciamus, quemadmodum in hoc ingreſſu anima fidelis non prius in ſpiritu timorem deponere incipiat, quam jugum legis peccati in eodem ſpiritu ab ſe remotum ſentiat: hic enim primum illam gaudere, & pacem habere ad Deum incipere, poſtquam ſe juſtificatam apud eum in Chriſto ſentit: ac tunc quidem illam egredientem nihil unquam libentius recipere, quam legis jugum, jam non fidei, ſed caritatis humeris impoſitum, & ideo jucundiſſimum.

QUÆSTIO XLVIII.

Quo argumento cognoſcitur quis jugum legis per fidem excuſſiſſe?

RESPONSIO.

HOC maxime, & certiſſimo, quo quis ſcilicet ad omnem juſtitiam implendam, & ad omne legis perficiendum opus ſe promptiorem & alacriorem præbet.

QUÆSTIO XLIX.

Utrum hæc alacritas jugum legis excuſſum declarat, E
an potius, magis quam antea hominem legi ſubjectum?

RESPONSIO.

UTRUMQUE ſane declarat: quia hæc alacritas proficiſcitur a ſpiritu, qui datur credentibus. Spiritus vero promptus eſt ad omnia facienda, in quibus voluntas declaratur, ad utilitatem proximi: & quia lex hanc voluntatem maxime declarat, ideo maxime ut legem exequatur, eſt promptus, eſt autem idem ſpiritus, qui & legi dominatur, & ſervit.

QUÆSTIO L.

Qualis tandem eſt hic ſpiritus?

RESPONSIO.

EST Spiritus ſanctus, Spiritus paracletus, Spiritus filiorum Dei, *in quo clamamus, abba pater*, Rom. 8.
Spiritus dilectionis, ex quo maxime cognoſcuntur, qui maxime cum Chriſto per fidem ſunt mortui: qui vere Chriſti diſcipuli ſunt. *Ex hoc* enim, inquit Chriſtus ad ſuos, *cognoſcent homines, quod diſcipuli mei eſtis, ſi diligatis invicem*. Eſt autem hic Spiritus, qui diſcipulos Chriſti intus per B
fidem factos, foras per caritatem educit, ut cognoſcantur ab hominibus ad gloriam Dei. Atque hi quidem ſunt, quibus & ingredientibus, & egredientibus paſcua promittuntur. Denique eſt idem ſpiritus, qui in omnibus conciliis generalibus, & in omnium fidelium cordibus præeſt, ſemperque præeſſe debet, qui maxime ſe oſtendit præſidem fuiſſe in concilio illo apoſtolorum Hieroſolymis coacto, de quo nunc tam multa diximus.

QUÆSTIO LI.

Quo modo ſe talem oſtendit?

RESPONSIO.

EX illuſtratione veritatis fidei, rejicientis jugum legis, & ex reſumptione legis per ſpiritum caritatis. C

QUÆSTIO LII.

Ubi apparet legem reſumptam fuiſſe?

RESPONSIO.

IN verbis decreti ipſius concilii, in quo ſic eſt ſcriptum: *viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis, ni-* Act. 15.
hil vobis imponere oneris, præterquam hæc neceſſaria, ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorum, & D
ſanguine, ac ſuffocato, ac fornicatione. Horum enim omnium prohibitio ad legem pertinebat. Quare cum ea fidelibus interdicit Spiritus, legi etiam ſubjicere eos quodam modo videtur.

QUÆSTIO LIII.

Quo tandem modo?

RESPONSIO.

PER caritatem. *Dilectio* enim, inquit apoſtolus, *eſt plenitudo legis*: &, *qui diligit proxi-* Rom. 13.
mum, legem implevit.

QUÆSTIO LIV.

An, cum in eodem decreto contineatur, ut abſtineant a ſuffocato, & ſanguine, & idolothytis, itemque a fornicatione, ideo vero hæc prohibentur, quia neceſſaria videbantur, a quibus uterque populus abſtineret, nos eamdem cauſam utriuſque prohibitionis fuiſſe intelligemus? Vel tam neceſſarium fuiſſe abſtinere a ſuffocato, quam a fornicatione?

RESPONSIO.

MINIME quidem. Nec enim eamdem cauſam utriuſque prohibitionis fuiſſe intelligimus, nec eodem modo utramque eſſe neceſſariam, ſed

unam

Isa. 42. unam ad tempus, alteram in omne tempus. Prohibentur enim sanguis, suffocatum, & idolothyta, ne quod infirmum est, magis infirmetur, ne linum fumigans extinguatur, aut calamus quassatus confringatur: quandoquidem propter illos facta est hæc prohibitio, qui ex circumcisione credentes, nondum ita fide roborati erant, ut veterem opinionem, qua hujusmodi cibis hominem contaminari judicabant, excutere possent: qui potius fidem adhuc teneram rejecturi videbantur, quam roboratam lege, & consuetudine sententiam, si severius cum illis, nondum matura fide, actum esset, quare horum infirmitatis causa, firmiorum caritati hoc onus caritas ipsa imponebat, ut a suffocato, & sanguine, ac similibus abstinerent, quæ lex imponebat, tanquam pædagogus pueris, contaminationem allatura. Cum vero interdicitur fornicatio iis, qui fidem receperant, longe alia ratio est, hæc enim interdicitur, quia non opinione, ut ciborum esus, sed revera contaminat hominem. Interdicitur autem, ne, jam per fidem sanctificatus, iterum contaminaretur. *Per fidem* enim, ut inquit Petrus, *Deus corda gentium purificavit, dans illis spiritum sanctum.* Quæ vero *intrant per os, non inquinant hominem, sed quæ exeunt ex corde: qualia sunt malæ cogitationes, adulteria, fornicationes*, &c. Hæc igitur prohibitio semper est necessaria: quia hæc est perpetua voluntas Dei, ut sanctificationem nostram ne polluamus. Prohibitio vero illa ciborum non est semper necessaria: quia non est perpetua Dei voluntas, ut ita fiat, verum tantisper, dum adolescat fides: itaque paulo post, augescente fide in ecclesia, prorsus est abolita, quemadmodum necessario quidem abolenda fuit. Ex quibus satis nunc colligere possumus, cur caritas tam falsam contaminationem, quam veram, tanquam necessaria quæ vetarentur, prohibuerit, ut saluti utriusque populi consuleret. Nec enim populus gentilis minus propensus in eam opinionem fuit, ut fornicationem, qua revera animi polluuntur, propter diuturnam in sordibus vivendi consuetudinem nullam contaminationem animis afferre judicaret, quam Judæi, ut id, quod speciem tantum, & umbram contaminationis haberet, tanquam re vera contaminaret, abhorrendum ducerent, utrumque ergo prohibuit caritas, unum ad tempus, donec prorsus umbra illa per lucem verbi fidei discuteretur, alterum in perpetuum, quia non in specie, sed revera contaminaret. Ex quibus concludere licebit, etsi idem decretum utrumque prohiberet, & ut necessaria quæ fugerent qui primi fidem receperant, prohiberet, tamen diversa ratione necessaria fuisse, & ob diversam causam prohibita.

Act. 15. Matth. 15. Marc. 7.

Thes. 4.

QUÆSTIO LV.

An concilia posteriora exemplum hujus concilii Hierosolymitani in decidendis ecclesiæ controversiis sunt secuta?

RESPONSIO.

QUORUM quidem decreta rata sunt habita apud populum Christianum, omnia hanc formam non solum in controversiis decidendis sunt secuta, sed eamdem etiam formam in personis retinuerunt, ut eædem quasi personæ in posterioribus conciliis, quæ in illo primo Hierosolymitano & præfuisse, & sententias dixisse, atque decreta fecisse recta, dici possint.

QUÆSTIO LVI.

Quo tandem modo id fieri posse intelligis, ut eædem personæ in omnibus legitimis conciliis & præsint, & interfint, quæ in primo interfuerunt, cum constet, omnes illos, qui in primo illo concilio interfuerunt, morte interceptos ne ad secundum quidem pervenisse?

RESPONSIO.

AT vero, qui in primo illo præfuit, & in omnibus aliis legitimis conciliis præest, morti minime est obnoxius, imo sic ipse mortem domat, frangit, ac destruit, ut mors ea, quæ morti sunt subjecta, delet. Est vero hic spiritus Dei, spiritus Christi: cujus virtute mortui suscitantur: per cujus potentiam Christus ipse suscitavit se ipsum: est idem, qui docet, ac suggerit omnia, cum in publicis conventibus, tum in privatis, quæ ad honorem Dei, & ecclesiæ utilitatem salutariter vel decernuntur, vel cogitantur. Idem enim est: *qui operatur in omnibus, & in singulis, prout vult.* Hujus vero organa sunt omnes ecclesiæ ministri. Quemadmodum autem hic in primo concilio Petrum elegit, cujus ore loqueretur, quæ pertinebant ad fidem illam salutarem, per quam ecclesia universa, & in ea singuli stant, & confirmantur, tam Judæis, quam gentibus, & omni hominum generi: ita etiam Petri sedem elegit, quam apostolicam esse voluit, unde gentes, & nationes Petri fidem, ab ejus successoribus eo modo explicatam, audirent, quo illa primitiis gentium ab ipso Petro fuit exposita. Sic etiam episcopos privatarum ecclesiarum elegit, & ceteros, quibus animarum curam commendavit, ut eodem officio fungerentur in omnibus conciliis, & conventibus ad confirmandam Petri fidem, quo functi sunt reliqui apostoli, & seniores in primo illo concilio Hierosolymitano, sic ut easdem quasi personas in omnibus legitimis conciliis omni tempore & præesse, & sententias dicere, atque controversias dissolvere, ac denique decreta caritatis plena ad ecclesiæ utilitatem facere, vere affirmare possimus.

1. Cor. 12.

QUÆSTIO LVII.

An, ut quisque Petri fidem tenet, sic eumdem etiam Petri locum in conciliis, & in conventibus tenere dicis?

RESPONSIO.

MINIME quidem. Nec enim Petrus persona privata fuit, ut Simon Joannis fuit: cujus personam gerunt singuli, qui fidem Petri habent, & beati cum illo dicuntur, sed non propterea Petri personam gerunt. Est enim hoc nomen auctoritatis: quod post confessionem fidei, quam is privatus, ut Simon Bar-Jona protulit, Christus illi addicit, cum diceret: *& ego dico tibi* (Simoni scilicet) *tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo ecclesiam meam.* Quod dum diceret, fecit etiam eum Petrum, & Petram, ex qua ad omnes privatos beatæ illius fidei doctrinam, tanquam aqua salutaris, diffueret. Hujus vero locum in conciliis, & in universa ecclesia obtinet, qui sedem Petri tenet: quæ eadem sedes apostolica appellatur, & sedes Romani pontificis. Et ideo qui a Romano pontifice mittuntur legati, non tam Joannis, aut Pauli, aut Leonis legati dicuntur, quæ nomina esse possunt privatorum hominum, qualem legati sedis apostolicæ, tanquam si ab ipso non Simone, sed Petro mitterentur, sedem apostolicam tenente.

Matth. 16.

QUÆ-

A

QUÆSTIO LVIII.

Quid sibi vult nomen sedis apostolicæ?

RESPONSIO.

IDEM prorsus, ac si diceremus, cathedram apostolicam. Cathedræ vero nomen auctoritatem docendi significat, ut verba Christi ostendunt, cum de iis loquitur, qui in cathedra Moysi sederunt, id est, de illis, qui auctoritatem habuerunt docendi, & interpretandi voluntatem Dei in lege scripta, quæ auctoritas primum a Deo data fuit: cui numquam successores defuerunt, qui eamdem exercent: de quibus dicit Christus: *super cathedram* B *Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi. Omnia ergo, quæcumque dixerint vobis, facite: secundum opera vero eorum nolite facere. Dicunt enim, & non faciunt*, &c. Illam vero cathedram, quæ fuit cathedra legis, typum intelligimus fuisse ejus cathedræ, quam Deus in Petri persona Romæ erexit, quæ fuit cathedra non legis literæ, sed doctrinæ Spiritus, quæ per os omnium apostolorum prædicata, cum totum orbem peragrasset, tandem Romæ sedem fixit: ubi sanguine duorum maximorum apostolorum confirmata videtur, & quasi testamento relicta ejus urbis episcopis, qui eamdem puram servarent, ut inde tanquam ex fonte quodam, rursus in orbem ad confirmandas ceteras ecclesias derivaretur, atque ideo sedes apostolica Romana ecclesia, vel C cathedra Petri appellatur.

QUÆSTIO LIX.

Cur potius ecclesiam Romanam dicimus cathedram apostolicam esse, & Petri sedem, quam Antiochenam, quam Hierosolymitanam, in quibus etiam Petrum docuisse constat? De Hierosolymitana sane scriptum est: verbum domini exiit de Hierusalem, &c.

RESPONSIO.

QUIA illa potius sedes apostolica dicenda est, quæ finem peregrinationis utrique apostolorum tum Judæorum, tum gentilium dedit, ex D qua seminato jam verbo, eoque ipsorum sanguine quasi rigato, & confirmato, ad sedem quietis sunt profecti, quam ceteræ ecclesiæ, ex quibus illi vel cum verbo primum egressi sunt, vel per quas transeuntes verbi doctrinam seminarunt. Exierunt vero ab Hierosolymis cum verbo, & per Antiochiam idem verbum seminantes transierunt, quod tum demum sedem suam fixam habuerunt in ea civitate, in qua ultimum, & maximum testimonium veritati verbi morte, & sanguine ipsorum dederunt. Hæc autem fuit Romana civitas. Hierosolymitana vero fuit cathedra legis, & ideo cathedra Moysis est appellata. Cum vero transactum esset tempus legis, verbum evangelii a Judæis zelatoribus legis repulsum, tum quidem dixerunt apostoli, *Vobis* E *oportet primum loqui verbum Dei: sed, quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes*. Atque ita etiam fecerunt. Demum vero apud primam sedem gentium primam sedem verbi collocarunt. Hæc autem sedes fuit sedes Romana, &, hanc Dei voluntatem fuisse, similibus argumentis ostendi, & confirmari potest, quibus Paulus, & Barnabas in concilio Hierosolymitano confirmarunt Petri sententiam de introitu gentium ad fidem sine lege, nempe miraculis, quibus Deus hanc suam voluntatem declaravit.

QUÆSTIO LX.

Quibus tandem miraculis declaravit Deus voluntatem suam de sede Petri?

RESPONSIO.

PRIMUM quidem illo miraculo, quo sanctus ille vir, idemque doctissimus, atque maximus, fidei, & gratiæ Dei prædicator, se in fide ecclesiæ Romanæ maxime confirmatum scribit, cum, repetitis jam inde a Petri morte usque ad suam ætatem urbis episcopis, perpetua tot sæculorum serie succedentibus, quibus sæculis ecclesia partim ab infidelibus gravissime fuit vexata, intelligeret, ceteris omnibus aliarum ecclesiarum episcopis sæpius deficientibus, Petri successores non *Iren. idem asserit.* modo nunquam a fide defeciisse, quamvis omnibus satanæ artibus tentati fuissent, sed ceteras ecclesias, in fide vacillantes, semper confirmasse. Hoc quidem, ut maximo Dei providentiæ miraculo, divus Augustinus scribit se in Romanæ ecclesiæ fide retentum esse, atque confirmatum. Quod profecto ejusmodi est, ut, quo magis quis secum consideret illorum temporum gravissimas ecclesiæ perturbationes, tanquam navi periculosissimo tempestatis genere per tot annos jactatæ, &, quibus confirmantibus in fide controversiæ omnes, tanquam tempestates sedatæ semper fuerint, animadvertat, hoc certius videat, in Petri successoribus uberius *Luc. 22.* impletum fuisse quod Petro Christus promisit, quam in ipsius Petri persona. Quod enim dixit Christus ad Petrum: *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: tu autem aliquando conversus confirma fratres tuos*: etsi post effusum Spiritum sanctum hæc *Matth. 26.* promissio eam vim habuit, ut Petri fides nihil unquam titubarit, tamen post hæc verba cum dominum suum abjuraret, eum non satis adhuc in fide firmum fuisse dicere possumus, nec vero multum laborasse post acceptum Spiritum sanctum in confirmandis fratribus in fide. Qui omnes tum per eumdem spiritum, communiter illis datum, confirmati fuerunt. Vel, si dicere volumus, ab eo etiam in concilio Hierosolymitano, sublata illa de fide, & lege controversia, maxime fratres confirmatos fuisse: tamen, si quis comparet perturbationes ecclesiarum, quibus multorum sæculorum continuatis ætatibus omnes ab hæreticis, satana cribrante, vexatæ sunt: & simul consideret, quo pacto a Petri successoribus fides semper sit confirmata: clarissime videbit, non minus verba promissionis de firmitate fidei ad Petri successores, quam ad ipsummet Petrum pertinuisse, ejusdem certe vim in illis illustrius esse patefactam, & Romanæ urbis episcopos præcipue illo promisso fuisse comprehensos, atque in eodem illam urbem significatam, ubi firmam sedem fides Petri esset habitura.

QUÆSTIO LXI.

An alia miracula afferri possunt, qua hoc idem confirment?

RESPONSIO.

PLURA quidem: illud vero maxime est insigne, quod ex Hegesippi, antiquissimi scriptoris, & temporibus apostolorum vicini, historia, *Hegesippus lib. 3. c. 2.* D. Ambrosio interprete, didicimus. Scribit enim, Petrum, Neronis sævitiam declinantem, idque hortatu fratrum de urbe relinquenda, ubi jam Chri-

Christi pastoris vicario munere fungi cœperat, cogitasse, atque adeo jam ad ipsam portam in fuga progressum, cum ei Christus ea forma occurrit, qua solent peregrini ad urbem adventantes: ad cujus aspectum Petrum primum obstupefactum, ut se paululum collegit, ipsum interrogasse, Domine, quo vadis? Dominum, vero respondisse, venio Romam iterum crucifigi. Quo responso Petrum admonitum, fugam repressisse, & in urbem revertisse. Agnovisse enim ex eo domini voluntatem, cum de genere mortis, quo eum secuturus esset, tum etiam de loco, in quo per mortem ipsum dominum esset clarificaturus. Nec vero mysterio vacare, quod Romæ Petrus martyrii coronam tulerit, vel illud declarat, quod Hierosolymis eamdem accipere Christus eum non permisit: verum, ut illic cum morti adjudicatus esset ab Herode, atque in carcerem conjectus, viam ei ad fugam patefecit, liberans eum per angelum suum e manu Herodis, atque ex omni expectatione populi Judæorum, sic, Roma ne fugeret, per se ipse viam ei intercluſit: ut, palmam martyrii in principe gentium civitate accipiens, sedem etiam verbi in eadem constitueret. Et sane de Paulo scriptum est in actis, ei Christum dixisse: *Oportet te & Romæ testificari de me*. Ut autem Christus ipse, cum adhuc in terris versaretur, admonentibus quibusdam, ut caveret sibi ab Herode, quod vellet eum interficere, respondit, *Non capit, prophetam extra Hierosolymam perire*: in hoc significans eum, qui venerat, ut legem, & prophetas impleret, non alio in loco, quam Hierosolymis, ubi tum cathedra legis, & prophetarum erat, vitam finiturum. Sic etiam, cum Petrum, licet captum ab Herode, & in carcerem inclusum, Hierosolymis vitam finire non permiserit, & Romæ finire voluerit, in eo sane videtur Romam cathedram evangelii vicario suo futuram satis significasse. Per mortem enim auctoritas cathedræ est constituta, & confirmata. Mors enim, pro Christi præsertim nomine susceptа, in omnibus sanctis omnia gloriosa, quæ de illis prædicantur, confirmat, sic ut, quæ martyria nominantur, natalitia simul sanctorum nominentur. Et ideo etiam Christus eodem in loco, ubi apud Joannem in evangelio cathedram docendi Petro commendavit, dicens: & ter idem repetens: *Pasce oves meas*: statim subjungit, quæ ad mortem ejus pertinent, *Amen dico tibi, cum esses junior, cingebas te, & ambulabas ubi volebas: cum autem senueris, extendes manus tuas, & alius cinget te, & ducet quo non vis*: in hoc significans, ut interpretatur evangelista, *qua morte esset Deum clarificaturus*. Hæc vero, quæ tum dixit Christus, a Petro non satis percepta in hoc miraculo, cum e fuga eum revocavit, omnia videntur & repetita, & explicata, maxime vero quod Christus in eo loco subjungit, *Sequere me*. Secutus est enim tum Christum maxime Petrus, cum, eo dicente se in urbem venire, ut iterum crucifigeretur, fugam reprimens ipse in urbem rediit, crucique est affixus. Cum autem hæc senior jam factus pateretur, eum ductum esse quo minime vellet, & ab alio cinctum, eidemque ab aliis manus extensas fuisse, plane constat.

Itaque omnium illorum Christi verborum sententiam, quæ primum Petro dicta quasi ænigmata videbantur, eventus rei clarissimam reddidit, & Petri cathedram Romæ Christi voluntate positam perspicue ostendit: id quod magis etiam confirmant, quæ in ejusdem verbis episcopis, Petri successoribus, mirabiliter eadem divina providentia Christus effecit, cum illis omnia, quæ Petro magnifica promiserat, modo quodam magis illustri præstaret, quam ipsi Petro sunt præstita: cam-demque hanc illorum sedem, quæ Petri cathedra appellatur, supra solium omnium imperatorum, & supra tribunalia omnium principum mundi in oculis omnium sublatam, quasi suo loco positam, collocaret.

Act. 12.
Act. 23.
Luc. 13.
Joan. 21.

QUÆSTIO LXII.

Quæ fuere tandem illa, quæ Petro a Christo promissa, illustriori modo successoribus ejus, quam ipsi Petro, sunt præstita?

RESPONSIO.

PLURA quidem Petro Christus promisit, omniaque magnifica, & quæ vicariam illam Christi potestatem maxime significarent: quorum aliqua supra recitavimus: in quibus illa fuere maxima, quod ei claves regni cœlorum cum potestate solvendi & ligandi eminenter sint traditæ; quod ipse conversus, conversurus esset fratres suos: quod eidem munus pascendi tam oves, quam agnos, in promissione sit mandatum: quod, cum a piscandi arte abduceretur, illud in promissis habuerit, *Ex hoc eris homines capiens*. Hæc vero omnia in Romanæ urbis episcopis, illustriore etiam modo, magisque admirando, quam in ipso Petro, impleta, eos plane veros Petri successores, & sedem Romanam veram Petri cathedram, divina voluntate constitutam, maxime confirmant. Quod vero ad illud ultimum promissum attinet, cum Petro Christus dixit: *Ex hoc eris homines capiens*, quod sane omnia complectitur, si vel Silvestri solius, Romanæ urbis episcopi, acta spectemus: quis non videt, majore cum miraculo homines ab eo captos, & ad fidem perductos, quam ab ipso Petro ullæ historiæ tradant?

Matth. 16.
Luc. 22.
Joan. 21.
Luc. 5.

QUÆSTIO LXIII.

Quo tandem modo id factum intelligis?

RESPONSIO.

HOC sane modo: quia, quos Petrus, quos etiam Paulus cepit, tales erant, quales scriptura commemorat: de quibus Paulus ipse, prædam suam explicans, sic ad Corinthios scribit: *Fratres, videte vocationem vestram: quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles*, &c. Qui vero ab episcopo Romano Silvestro capti fuerunt, aliud erat genus hominum: quod quidem captum Dei in Christo potentiam multo magis declarat.

1. Cor. 1.

QUÆSTIO LXIV.

Quod tandem illud genus hominum fuit?

RESPONSIO.

IDEM sane, quod Christus significavit, cum dixit: *facilius esse camelum per foramen acus introire, quam divitem, in regnum cœlorum*. Quo dicto cum valde perculsos discipulorum animos cerneret, ut subsequens eorum interrogatio declarat: statim enim eum interrogarunt, *Quis ergo salvus esse poterit?* Sic eis Christus respondit apud homines id quidem impossibile esse, apud Deum vero omnia esse possibilia: in hoc plane indicans, eximiam quamdam Dei potentiam ostendi, cum dives aliquis ad fidem convertitur. Quod si divites non sine eximia quadam Dei potentia convertuntur: quan-

Matth. 19.

to

to major potentia Dei oſtenditur, cum ipſos divitum principes, ipſos reges, & imperatores ad fidem converſos videmus? Quæ Dei potentia incepit ſe primum oſtendere in Silveſtro, pontifice Romano, majore quidem cum miraculo, quam in ulla hominum piſcatione a Petro facta. Immo, quod ad Petrum attinet, ne unum quidem ex hoc hominum genere piſcando ab ipſo unquam captum
Joann. 21. fuiſſe hamo verbi, memoriæ proditum eſt. Si vero magni miraculi loco narratur, quod de Petro & ſociis ejus piſcatoribus apud Joannem eſt ſcriptum, eos, cum fruſtra in piſcando noctem, nulla capta præda, conſumpſiſſent, ad verbum Chriſti, primo mane ſe illis oſtendentis, & in dexteram rete eos projicere jubentis, tantam piſcium multitudinem cepiſſe, ut jam non poſſent illud trahere præ multitudine piſcium: ſi illud item quod eodem loco admirabilem Dei potentiam notans, adjungit evangeliſta, Petro trahente rete plenum magnis piſcibus centum quinquaginta tribus, id ſciſſum non eſſe: hæc quidem videntur quaſi typus quidam piſcationis Silveſtri, Petri ſucceſſoris: qui re vera ſic rete apoſtolicum in dextram navigii jeciſſe videtur, Chriſto jubente, ut omnes ſuperiores pontifices, quod ad capiendos magnos illos piſces attinet, qui magni homines ſunt, quaſi nocte fruſtra piſcando laboraſſe videantur. Ut enim maxime laborarint, nullos tamen ceperunt. Silveſter autem, ad Chriſti vocem in virtute ejus verbi rete in dexteram jacto, magnum illum Conſtantinum cepit: & cum eo non centum dumtaxat quinquaginta tres, ſed chiliades magnorum hominum, tanquam magnorum piſcium, cepit, atque e turbulento & naufrago hujus mundi pelago ad terram traxit. Nec vero tam inſigne miraculum fuit, quod verbi Chriſti potentiam declararet, Conſtantinum in rete fide incluſum, & captum cum tot magnis viris fuiſſe, quam quod captus e rete non ſtatim exilierit, & quod fidem, tanquam rete, tot magni piſces non diſciderint, ac diruperint. Non minus enim admirabilem Chriſti potentiam fuiſſe intelligimus in retinendo Conſtantino, & reliquis ſimul cum eo per verbum fidei captis, quam in ipſo primum capiendo, in quo Chriſtus oſtendit magnam illam virtutem verbi, quam vicario ſuo, Petri ſucceſſori dedit, per quam in fide ut capti, ſic retenti magni iſti viri, tanquam magni piſces, fuerunt.

A magnis viris, quaſi magnis piſcibus, in hoc rete fidei & amoris incluſum, ad terram e fluctibus mundi trahens, ad hoc opus quaſi adjutores ceteros epiſcopos, ut facilius traheret, accerſiviſſet: hic primum tanta contentio inter ipſos epiſcopos eſt exorta cum de fide, tum privatis etiam de cauſis, ut prorſus hoc rete fidei, & caritatis e manibus piſcatorum elapſum appareret. Quare, ſi præda ſimul elapſa fuiſſet, quid mirum, quod ſi unus tantam vim ad retinendum habuit, ut ſimul prædam ad terram trahere potuerit, quod majus miraculum dici poteſt?

Sed, ut apertis verbis dicamus, quid mirabilius, quam quod ipſe Conſtantinus, adhuc in fide recens, cum tantam de præcipuo capite ſententiarum varietatem inter ipſos epiſcopos, præcipuos verbi fidei prædicatores, videret, eoſque ex mutuis querelis vacuos caritate facile judicaret, non vel fidem rejecerit, vel, ſi illam ex dono Dei ſe habere probarit, homines ſaltem, qui hujus prædicatores eſſent, caritate vacuos cernens, non contempſerit. Cum vero neutrum eum feciſſe conſtet, quippe qui in fide conſtans, homines ipſos propter mutuas eorum contentiones non modo non contempſit, ſed dignam materiam ad ſuam ſimul fidem, & caritatem exercendam, atque declarandam, judicavit: quis non in hoc agnoſcat potentiam virtutis Dei in Silveſtro, ſucceſſore Petri, ad Conſtantinum in terram, ſalvo ipſo rete, trahendum, cum non ſolum ipſe neophytus in tam validis contentionibus, tanquam ventis agitatus, non defecerit, ſed ſua fide, & caritate reliquos omnes confirmarit, ab illius ſcilicet ſucceſſore confirmatus, pro cujus fide ne deficeret, dominus oravit? Hic vero, id eſt, in illo concilio Nicæno, in quo Conſtantini fides explicata ſimul eſt, & confirmata, dicere poſſumus, lapidem illum reprobatum ab hominibus, præcipue vero ab Regibus
Pſal. 117. rejectum in caput anguli, a Deo fuiſſe electum, atque erectum, eique locum ſuum ſupra omnium principum, & regum terræ, atque imperatorum tribunalia ſublimiorem datum: quod factum intelligimus, cum Petri cathedræ gloriam Deus per Conſtantinum illuſtravit. Hæc autem quo modo ſe habeant, clarius, ut ſpero, in ſequentibus exponemus.

QUÆSTIO LXV.

Quam ob cauſam dicis, majus miraculum fuiſſe in retinendo Conſtantino in fide quam in eodem per verbum fidei capiendo?

RESPONSIO.

Ob hanc ſane, quod, qui ſocii, & adjutores ipſi Silveſtro, Petri ſucceſſori, & Chriſti vicario, ad Conſtantinum in fide & caritate retinendum eſſe debuiſſent, iidem ante ejus oculos quaſi naufragium ipſius fidei, & caritatis feciſſe viſi ſunt. Ii vero fuerunt reliqui epiſcopi, piſcatores hominum, quos Petri ſucceſſor adjutores ſibi, & ſocios accerſiverat. Cum enim duo ſint, quæ maxime homines intra eccleſiæ rete incluſos retineant, fides & caritas, ex quibus rete ipſum epiſcoporum, quo homines capiuntur, eſt confectum: cum ipſi piſcatores hoc ſibi rete a manibus elabi permiſerint, ſe ipſos ſimul in mare projicientes, quid de præda jam ſperari poteſt? Hoc vero factum in concilio Nicæno legimus. In quo Silveſter, Petri ſucceſſor, Conſtantinum cum ceteris

QUÆSTIO LXVI.

Quid tandem ſibi vult, quod dixiſti, petram ab hominibus reprobatam, in concilio Nicæno primum in caput anguli electam fuiſſe? An non ſtatim a Chriſti reſurrectione aliquot ſæculis ante Nicænum concilium id factum fuit? an non Chriſti verba illa, quæ prima poſt reſurrectionem cum diſcipulis habuit, hoc declarant? Cum dicit, data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra. Matth. 28.
Hoc enim mors Chriſti effecit; qua de re loquens apoſtolus ait: Quia fuit obediens patri uſque ad mortem, mortem autem crucis, ideo Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine Jeſu omne genuflectatur, cœleſtium, terreſtrium & infernorum. Quod ergo ad tantum honorem addere Nicænum concilium potuit? Philip. 2.

RE-

RESPONSIO.

NIHIL prorſus. Nec vero ullum concilium, quamvis ſanctum, nec ulla hominum decreta, quamvis juſta, & pia, ad Chriſti honorem qui coram Deo ſemper ſplendet, quidquam vel addere poſſunt, vel detrahere: ſed in oculis hominum magis minuſve eumdem poſſunt declarare, & illuſtrare. Quo magis vero is illuſtratur in oculis hominum, hoc clarius homines fontem vident æternæ ſuæ ſalutis. Quamobrem Chriſtus, ſuorum ſalutem patri commendans his verbis eum precatur: *Pater, quos dediſti mihi, volo ut, ubi ſum ego, illi ſint, ut videant claritatem meam, quam dediſti mihi, qui dilexiſti me ante conſtitutionem mundi.* Quod ergo diximus, petram ab hominibus reprobatam, in caput anguli erectam primum fuiſſe in concilio Nicæno, hoc ſic intelligimus, tum primum in conſpectu omnium gentium id declaratum fuiſſe, quod ſtatim a reſurrectione Chriſti in conſpectu angelorum & paucorum teſtium præordinatorum factum fuit, & cognitum. Nec enim ante illud tempus dicere poſſumus, petram illam in caput anguli prorſus in oculis hominum erectam fuiſſe, quamdiu ipſa gentium capita, ipſi reges & imperatores terræ non modo Chriſtum, tanquam caput ſuum, non agnoverunt, ſed ipſum ubique oppugnarunt, ſimul cum gentibus contra eum, & ejus legem, ac diſcipulos fremuerunt, dicentes: *Dirumpamus vincula eorum, & projiciamus a nobis jugum ipſorum.* Hoc vero non ſolum impie dixerunt omnia gentium capita jam inde a Chriſti morte uſque ad Conſtantinum ad fidem converſum, ſed crudeliter, nefarieque patrarunt, ipſos Chriſti ſervos, tot annorum perpetuo curſu, perſequendo, omnique ſuppliciorum, & mortis genere afficiendo. Quare, cum Conſtantinus primus fuerit, qui hunc gentium fremitum ſua auctoritate, & exemplo compeſcuit, qui Chriſtum non ſolum ut prophetam magnum, ſed ut verum Deum agnovit falceſque imperii ei, tanquam domino, & Deo ſuo, ſummiſit: (hoc enim eum feciſſe in concilio Nicæno, acta ipſius concilii declarant) hic primum lapidem illum, ab ædificantibus reprobatum, in caput anguli ſpectantibus gentibus, & nationibus, erectum fuiſſe, dicere poſſumus, & tum primum in poſſeſſionem promiſſæ a Deo Patre hæreditatis, de qua eſt ſcriptum apud prophetam: poſtula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ: Chriſtum perveniſſe cum ipſa capita gentium dominos appellabant, in poſſeſſionem, tanquam ſervos fugitivos, e fuga retractos, recepit. Cum vero fructum hujus poſſeſſionis Chriſtus ipſe experientia docet, Romanis pontificibus, Petri ſucceſſoribus, dederit per quorum miniſterium hanc hæreditatem eſt adeptus: cum omnia, quæ apud prophetas de gentium obedientia erga Chriſtum, & eccleſiam vaticinantes, ſunt ſcripta de earum muneribus, & donariis: quæ ad hanc ipſam obedientiam & ſervitutem declarandam oblaturæ eſſent, in Romana eccleſia perfecta eſſe videamus, ad cujus pontifices, tanquam ad Chriſti vicarios, tot ſæculorum ſerie gentes undique confluere ſolitæ ſint, ſive quid cum Deo agendum ſit, ſive cum proximo: in his, quæ ad pietatem pertinent, illorum tribunal tanquam ſupremum in terris tribunal, & Chriſti ipſius tribunal agnoſcentes: quid hic aliter dicere poſſumus, quam quod res ipſa loquitur, in ſede Romana primum conſpectam eſſe Chriſti gloriam apud gentes? In ea completum eſſe, quod Iſaias, prærogativam hujus eccleſiæ explicans, futurum prædixit his verbis: *Super te autem orietur dominus, & gloria ejus in te videbitur, & ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in ſplendore ortus tui.* Hæc enim magnifica promiſſa, quæ in aliis eccleſiis perſoluta non videmus, eccleſiæ autem Romanæ clariſſime, & abunde præſtita ſunt, quid aliud oſtendunt, quam hanc ſedem voluntate Dei eſſe conſtitutam: in qua quidquid honoris gentes, & omne genus hominum, quidquid obedientiæ filio ſuo præſtituræ eſſent, in oculis omnium conſpiceretur, ac plene intelligeretur, omnem poteſtatem cum in cœlo, tum in terra Chriſto fuiſſe datam propter obedientiam mortis in cruce exhibitam? Quod enim Romanæ ſedis epiſcopis tributum fuit, non illis quidem, ſed Petro tributum fuit. Nec vero Petro hoc tributum fuit: niſi quatenus vicarium Chriſti locum Petrum tenere noverant. Quod autem vicario honoris tribuitur, non illi, ſed ei, cujus perſonam gerit, tribui ſatis conſtat: ut hoc etiam conſtat, cum, domini abſentis voluntate, honores domini ſervo tribuuntur, in hoc quidem ab ipſo domino ſervum illum vicarium ſuum eſſe conſtitutum. Domini vero voluntatem fuiſſe, ut Petri ſucceſſoribus ii honores externi tribuerentur, qui ſibi in terris debebantur, magis declarabimus, poſtquam aliqua prophetarum oracula recenſuerimus, quæ de futura Chriſti, & eccleſiæ gloria inter gentes, multis ante ſæculis ſcripta ſunt, quam Roma jugum Chriſti ſuſcepiſſe, &, eadem, quo pacto in ipſa Romana eccleſia, & in ejus epiſcopis tandem perfecta fuerint, oſtenderimus.

Joan. 17.

Luc. 24. Joan. 20. Mar. 16. Act. 10.

Pſal. 21.

Pſal. 2.

Iſaiæ. 60. Pſal. 44. & 61.

Iſaiæ 60.

QUÆSTIO LXVII.

Quænam ſunt hæc prophetarum oracula?

RESPONSIO.

PLURA quidem paſſim in prophetarum ſcriptis inveniuntur, quæ gloriam Chriſti & eccleſiæ inter gentes futuram prædicant. Nos vero ea tantum, quæ apud prophetam Iſaiam leguntur, proferemus, qui clarius ceteris, & diſtinctius, non ſolum quæ ad gloriam Chriſti in terris pertinent, deſcribit, ſed etiam, quæ ad afflictiones, quas ſemper præponit, & quæ ſe mutuo ſemper conſequuntur, invicem conjungit. Hæc autem quamvis ad Chriſtum ipſum, unicum caput, & ad univerſam eccleſiam, quæ eſt corpus ejus, pertineant: tamen, ſi illuſtrius, & eminentius in Romana eccleſia, quam in aliis, eum ea, quæ ad afflictiones, tum vero quæ ad gloriam pertinent, impleta eſſe conſtet: eadem profecto illam in univerſa eccleſia capitis vicarii rationem, & auctoritatem obtinere perſpicue declarant: hujus vero generis ſunt, quæ de gentium primum, & regum converſione, & obedientia futura, ex eodem propheta paulo ante recitavimus, cum dicit: *Ecce tenebræ operient gentes, & caligo populos: ſuper te autem orietur dominus, & gloria ejus in te videbitur, & ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in ſplendore ortus tui.* Hæc autem quis legens, ſi oculos ſimul, & aures ad ea convertat, quæ vel in Romana eccleſia viderit, vel de illius actis ſcripta legerit, aut acceperit, non ſtatim agnoſat in illa perfecta eſſe ad verbum omnia quæ hic Iſaias tot ante

Iſaiæ. 60.

ſæcu-

sæculis futura prædixit? Quæ in nulla alia ecclesia conspici possunt, ne in ipsa quidem, Hierosolymitana, de qua nominatim loqui prophetа videtur: nec vero non vera sunt omnia, si ad Hierosolymitanam ecclesiam referantur, verum non ad illam, cujus lapides & structuras Christus videns flevit, cum diceret: *Veniet tempus, cum non relinquent in te lapidem super lapidem*, &c. Nec vero etiam ad illam, quam Moyses cathedram postea Hierosolymis positam gubernabat, sed ad eam, quæ vivis ex lapidibus structa crevit in templum domini, quæ a Spiritu sancto est gubernata. Nam quia Hierosolymis ædificata fuit Christi Spiritu ecclesia, hæc Romam per Petrum & Paulum apostolos est translata. Hi enim principes Hierosolymitanæ ecclesiæ Romam cathedram suam transferentes, eo simul omnem gloriam Hierosolymitanæ ecclesiæ promissam transtulerunt. Quibus recte illud prophetæ accommodari potest: *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram*. Filii enim Hierosolymitanæ ecclesiæ principes super omnem terram constituti sunt, cum, relicta paterna urbe, & paternis traditionibus, ac ritibus, quæ in Christo finem habuerunt, per Christi virtutem Romanos ipsos, rerum dominos jugo fidei ad Christi gloriam subjecerunt. Hanc vero illi gloriosam victoriam non statim sunt consecuti, sed multa ante passi, & per aliquot sæcula omni genere calamitatum, & contumeliarum ab ipsis principibus. Sic enim ad hanc gloriam inter gentes pervenit Romana ecclesia, ut Christus ad suam, qui, multa primum passus, ascendit in gloriam patris. Ita ecclesiæ Romanæ rectores cum plus malorum habuissent ceteris omnibus ecclesiarum rectoribus, quo propius aberant ab ipsis afflictionum fontibus, Romanis scilicet imperatoribus, quorum edictis omni genere calamitatum ecclesiæ premebantur, tandem ad Christi gloriam in terris pervenerunt, ut in omnibus Deus ostenderet, eos fuisse veros filii sui vicarios. Sic enim per trecentos fere annos continuos a Petri morte usque ad Constantinum imperatorem ab ipsis imperatoribus sunt vexati, ut tot annorum spatio, cui numquam deessent, qui Petri cathedram perpetua serie succedentes, regerent, vix tres numerari possint, qui sua morte interierint, sed omnes ab imperatoribus sint interfecti. Nec tamen interim sine victoria fuerunt: verum in mediis afflictionibus multos populos, in hisque multos Romanos vicerunt, sic ut in ipsa urbe Roma cathedram etiam suam ponerent. Sed obscura adhuc gentibus victoriæ gloria, & apud majorem civium partem ignobilis, & contempta hæc cathedra fuit: quam Deus tandem ad honorem filii sui primum in victoria Silvestri de Constantino, deinde posterioribus sæculis sic ornavit, atque illustravit, ut, quæ vetus Hierusalem de iis, quæ ad gloriam, & divitias mundi pertinerent a prophetis promissa expectabat (& consecutura quidem erat, si in obedientia, & fide permansisset, ad hanc enim refert Isaias omnia sua vaticinia, quæ magnifica illa promissa continebant) hæc omnia ad Romanam ecclesiam, ejus filiam, in fine fundatam, matre propter infidelitatem exhæredata, aperte constet esse translata, eidemque donata. Hæc vero nunc ipsa Isaiæ verba, quæ recitabimus, magis explicabunt, & confirmabunt, si res verbis comparentur, & ad rerum normam, quas omnes gentes in Romana ecclesia multis sæculis viderunt, ipsa verba examinentur.

Luc. 19. Matth. 23. Ephes. 2. Ephes. 2.

Psal. 44.

Luc. 24.

Isaiæ 60.

QUÆSTIO LXVIII.

Quanam sunt illa, quæ vetus Hierosolyma expectabat per prophetam Isaiam ecclesiæ sub nomine Hierusalem prædicata, & promissa, in quibus, Romana ecclesia, privata omni hæreditario jure Hierosolymitana, hæres permansit?

RESPONSIO.

PLURA quidem sunt, ut supra diximus: nos vero ea sic pauca contrahere possumus, si benedictiones interiores, & spirituales (ut more ecclesiæ loquamur) simul cum externis & carnalibus benedictionibus conjungamus, utraque enim Hierosolymitanæ ecclesiæ sunt promissa, quæ quia, spretis spiritualibus benedictionibus, corporales solas mente, & voluntate sequebatur, utrisque simul privata fuit. Romana vero quia spiritales sibi tantum proponebat, utrisque abundavit. Sed hæc ordine quodam, & eodem quem servat propheta, examinantes persequuntur: ut videamus, quo pacto, quæ ecclesiæ, & populo Israel sub nomine Hierusalem promissa olim fuerunt, in ecclesia Romana tandem gentibus sint persoluta.

QUÆSTIO LXIX.

Quidnam primum locum in illis promissis obtinet?

RESPONSIO.

HOC sane, quod nomine fœderis appellatur apud prophetam, cum dicit in persona Dei: *Hoc fœdus meum cum eis*, dicit dominus, *spiritus meus, qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo*. Hic enim spiritus est fundamentum omnium promissorum, est vero spiritus fidei, quem dicit apostolus communem sibi fuisse cum antiquis patribus, cum ait: *Habentes autem eumdem spiritum fidei, credimus: propter quod & loquimur*. Loquitur autem verbum, quod posuit Deus in ore ejus: quod non est verbum literæ, quale fuit veteris Hierusalem, sed *verbum spiritus*, quod, inquit idem propheta, *non recedet de ore tuo, & de ore seminis tui, a modo usque in sempiternum*.

Isaiæ 59. 2. Cor 8.

Isaiæ 59.

Est vero idem verbum, pro quo Christus, ecclesiæ suæ vicarium pastorem alloquens, dicit se orasse, ne deficeret. Hoc ergo primum est in promissis, quod præcipue persolutum esse in Romana ecclesia, lumen, quod per ipsam ceteræ ecclesiæ consecutæ sunt, atque illius perseveratio in fide satis declarat. Sequuntur enim statim in propheta post hoc in promissum verba Dei ad Hierusalem: *Surge: illuminare, quia venit lumen tuum, & gloria domini super te orta est: quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos, super te autem orietur dominus, & gloria ejus in te videbitur*. Deinde quia cum hoc spiritu fide est conjunctus spiritus dilectionis, qui est maxime prolificus, statim adjungitur in promissis, *Leva in circuitu oculos tuos, & vide: omnes isti congregati sunt, venerunt tibi: filii tui de longe venient, & filiæ tuæ de latere surgent. Tunc videbis, & afflues: & mirabitur, & dilatabitur cor tuum, quando conversa ad te fuerit multitudo maris, & fortitudo gentium venerit tibi*, &c. Hoc ergo promissum numerosæ prolis conjunctum est cum priori, post quod quasi ultimo loco sequitur. *Adducam filios tuos de longe, argentum eorum,*

Luc. 22.

Isaiæ 60.

& aurum eorum cum eis, nomini domini Dei tui, & ſancto Iſrael, quia glorificavit te.

Hic vero ſi quæramus, quem propheta alloquitur, quam eccleſiam appellet, cum dicit, *Leva in circuitu oculos tuos, & vide: omnes iſti congregati ſunt: venerunt tibi*, &c. Hic res ipſa, eventus rerum ſic pro Romana eccleſia reſpondebit, ut non alia interpretatione opus ſit, omnes enim, qui vel ad ſucceſſum rerum in Romana eccleſia reſpicere velint, ſtatim hæc omnia ei cumulate præſtita videbunt, ac perſoluta. Nec enim ulla majorem ſpiritum fidei habuit, nec firmius in fide perſtitit: nulla plures filios per verbum genuit, aluit, confirmavit: nulla rurſus majores opes, majores honores adepta eſt. Nec enim ulla unquam eccleſia ad hunc honoris gradum aſcendit, ut de ea dici poſſit, quod ſequitur in promiſſis apud prophetam: *Gens & regnum, quæ non ſervierit tibi, peribit*. Quam vere autem hoc dicatur de eccleſia Romana, conſenſus regnorum, & gentium, ad ejus obedientiam ſalutis ſuæ cauſa certatim olim accedentium, ſatis oſtendit. Quo vero eodem loco additur. *Et venient ad te curvi filii eorum, qui te humiliaverunt, & adorabunt veſtigia pedum tuorum*: quam multis ante ſæculis in eccleſia hoc vidimus, quod etiam nunc videmus, nempe filios regum, & imperatorum, quorum majores olim omnibus modis eam vexarunt, curvos, & venerabundos ad oſculum pedum Romanorum pontificum, Petri ſucceſſorum, accedere? Quo pacto autem hæc eadem eccleſia & mamillis regum ſit lactata, & lacte gentium nutrita, quæ ſequuntur in verbis prophetæ, divitiæ, & opes in ipſam voluntaria oblatione principum, & populorum congeſtæ, ſatis declarant. Hæc vero nunc ſatis ſint dicta, ut cum oraculis prophetarum, tum vero teſtimonio eventus rerum concludamus, eccleſiam Romanam voluntate Dei principem, & matrem eccleſiam eſſe conſtitutam, in qua in conſpectu omnium gentium gloria filii ejus in terris conſpiceretur, & quæ eumdem locum in novo populo, ex omni genere hominum congregato, teneret, quem tenuit, Hieroſolyma in veteri, qui ex una tantum natione conſtabat: id eſt, ut caput omnium aliarum eccleſiarum exiſteret, ipſique Hieroſolymitanæ civitati in hæreditate promiſſorum ſuccederet, atque eamdem appellationem haberet, quam olim ea ſibi ſoli vindicavit: quam ſignificat Iſaias, cum dicit, *Et vocabit civitatem domini Sion ſancti Iſrael*.

QUÆSTIO LXX.

An, ſi eumdem apud novum populum locum Romana eccleſia obtinet, quem apud veterem Hieroſolyma obtinuit, etiam ne illam unicum locum, quo populus conveniret ad adorandum, a Deo electam dicemus? talem enim a Judæis, & veteri populo Hieroſolymitanam civitatem habitam fuiſſe conſtat.

RESPONSIO.

Joan. 4. MINIME id quidem. Venit enim hora, inquit ipſe Chriſtus, a quo ut verum adorandi modum, & virtutem accepimus, quando non in monte hoc, Samariæ ſcilicet (ex opinione Samaritanorum loquens) neque Hieroſolymis, ut putabant Judæi, pater adorabitur, *ſed in ſpiritu, & in veritate*: quod tantumdem eſt dicere, remotis umbris, in veritatis luce, nullo certo præſcripto loco. Adoratio enim, quæ certum ſibi locum præſcribit, adoratio eſt umbratilis, non vera, nec ſpiritualis, nec enim ſpiritus, qui nihil ſpectat in adorando præter eum, qui eſt ubique, & omnia implet, ullo certo loco includi poteſt, atque ideo hoc tempus veræ, & ſpiritualis adorationis prævidens ſpiritu propheta Malachias dicit in perſona Dei: *In omni loco offertur nomini meo oblatio munda*, &c. Quare in hoc ſimilem Romanam eccleſiam, quæ in luce, & ſuper montem eſt poſita Hieroſolymitanæ, quæ umbra fuit fundata, dicere non poſſumus, verum in eo ſimillimam, quod ut ab ipſo Hieroſolymitana doctrina & modus umbratilis illius adorationis petebatur, quæ ſe tanquam magiſtram univerſo illi populo Dei præbebat, cum in cultu Dei docendo, qui illi tempori conveniebat, tum in corrigendis, atque caſtigandis iis, quæ ab ea forma, quæ in Moyſis cathedra docebatur, diſcedebant: parem atque adeo majorem auctoritatem, (quanto ſcilicet majori in re verſatur quæ omnem rationem veræ, & ſpiritualis adorationis complectitur) eccleſia Romana tenet: quam quidem auctoritatem tot jam ſæcula in novo populo, per univerſum orbem diſperſo, exercuit, ut rerum eventus jam inde ab eo tempore, quo Petri cathedra illic eſt poſita, ſingulis ſæculis declaravit, quibus tot hæreſes, tot ſchiſmata, tot abuſus in ritibus, & moribus eccleſiæ, ejuſdem unius auctoritate ſublata ſunt, & vera doctrina una cum optima morum diſciplina in eccleſia conſtituta: eamque ut magiſtram in omnibus, quæ ad religionem, & pietatem pertinent, omnia generalia concilia ſemper agnoverunt.

Malach. 8.

QUÆSTIO LXXI.

An concilia ipſa generalia hanc prærogativam Romanæ eccleſiæ ſemper agnoverunt?

RESPONSIO.

ILLA quidem concilia, quorum acta rata, & probata in eccleſia catholica fuerunt, ex quibus aliqua expreſſis etiam verbis hoc declararunt. Nulla autem ſua acta rata unquam fore judicarunt, niſi eadem auctoritate Romanæ ſedis eſſent confirmata. Quo nullum majus argumentum eſſe poteſt, omnia concilia tanquam principem ſedem, & magiſtram, ac caput eccleſiarum Romanam eccleſiam ſemper agnoviſſe. Quamquam non illa quidem a conciliis auctoritatem ſuam ſe habere agnoſcit, nec vero ab ullo populi conſenſu, aut principis voluntate, ſed illam a Chriſto in Petri perſona ſibi primum promiſſam, deinde vero ſe in plenam ejus poſſeſſionem veniſſe tum, cum Petrus, poſtquam Romæ aliquot eam annos exercuiſſet, tandem fugam ex urbe parans, ut dictum eſt, quaſi cathedram alio tranſlaturus, ne id faceret, a Chriſto eſt prohibitus, qui fugam ejus reprimens, eique in urbe moriendum fore ſignificans cathedræ ſimul ſedem firmam, eodem in loco futuram declaravit: quam maxime confirmavit Pauli primum prædicatio in urbe, deinde martyrium eodem in loco, & die, quo Petrus eſt mortuus. Illum autem cum divina providentia non minore cum miraculo Hieroſolymis ex inſidiis Judæorum, & morte liberarit, quam Petrum e manu Herodis in dem urbe, nec vero paſſa ſit, ut aut ibi, in Aſia ubi quotidie ſe mori ſcripſit, vitam uiret, ſed e

Hegeſip. lib. 3. c. 2.

Hiſt. eccleſiaſt. lib. 2. cap. 13.

Act. 12.

tot

tot periculis, atque adeo præsenti morte eum toties liberarit, & eo reservarit, ut Romæ tandem martyrii coronam acciperet: in hoc quidem satis videtur significasse, in horum duorum conjuncta morte, quorum alter gentium apostolus, alter præputii dicebatur, eamdem utriusque populi, atque ita universi populi Dei futuram magistram ecclesiam, ad quam omnes, tanquam ad unam sedem apostolicam, convenirent: omnes autem ecclesias per orbem dispersas tanquam in unam coaluisse, quarum caput esset illa, quam capita apostolorum sua & doctrina, & morte fundarunt. Hanc vero Dei voluntatem, & consilium fuisse, ut hæc una caput esset, eventus postea rerum, tot regum, populorum, & conciliorum generalium sequentibus sæculis consensus certissimum testimonium omnibus non contentiosis dare potest. Atque hæc quidem hactenus, quæ sine verborum contentione auctoritatem Romanæ ecclesiæ, cum in universa ecclesia, tum in conciliis generalibus ostendant.

Qui autem modus fuerit hujus prærogativæ potestatis exercendæ, in exemplo Petri, qui concilio Hierosolymitano interfuit, & præfuit, ut potuimus, jam ostendimus. Hoc vero illud concilium fuisse intelligimus, ex quo cetera omnia exemplum, & formam capiant, ad quam omnia sua decreta dirigant. Nec enim in summa aliud continent posteriora concilia, quam vel explicationes immutabilis illius fidei regulæ, quam primum illud Hierosolymitanum concilium præscripsit, vel decreta caritatis, quæ nulla certa regula contineri potest, ut quæ omnia omnibus se facit. In ceteris autem conciliis, quod ad personas attinet, quæ judicandi partes habent, idem sane genus personarum interesse solet, quod in primo judicasse, & decidisse omnes controversias legimus, ita ut interpretationes, & simulacra quædam illius unius omnia posteriora concilia recte dici posse videantur.

QUÆSTIO LXXII.

An Nicænum concilium formam illam Hierosolymitani concilii servavit, & quod ad materiam attinet, & quod ad personas?

RESPONSIO.

EAMDEM prorsus. Quod enim præcipue tractatum fuit in Nicæno concilio, ad explicationem illius fidei pertinebat, quam Petrus in primo illo Hierosolymitano est professus. Nec vero aliam materiam consultandi habuerunt tria illa posteriora concilia, quæ una cum Nicæno a sano illo viro Gregorio, Petri successore, non minori in veneratione habebantur, quam ipsa quatuor evangelia, ut quæ ipsam evangelii summam explicarent, & summam fidei Petri, expositæ in Hierosolymitano concilio. Nec enim vel Nicænum, vel tria subsequentia concilia cum divinitatem Filii, & Spiritus, & utramque naturam perfectam in Filio explicarent, aliud explicabant, quam Petri fidem, in primo illo concilio expositam. Omnes autem de fide quæstiones, quæ consueto more ecclesiæ primum locum in materia conciliorum obtinent, huc semper spectant. Cetera vero, quæ vel in Nicæno concilio, vel in aliis sunt tractata, omnia pertinent ad disciplinam in ecclesia constituendam: quæ hunc finem habet, ut omnis confusio, quæ dissensionis est parens, vitetur, & ordo caritatis servetur, quod alterum est ex illis duobus, quibus diximus omne officium pastoris contineri, ut scilicet gregem accubare faciat. Hoc vero pertinet ad verbum caritatis, quod in se omne genus canonum continet. Nec enim aliud sunt canones, quam regulæ quædam, disciplinam morum, & ordinis in ecclesia complectentes. Quæ omnia a Spiritu dilectionis ad ostensionem fidei proficiscuntur. Priores vero partes pastoris sunt eæ, quæ ad verbum fidei proprie pertinent, per quod grex in pascua introducitur. His porro duobus omnium conciliorum materiam contineri, eorum acta, & decreta perspicue declarant: quæ omnia exemplum & formam habent a primo illo concilio Hierosolymitano. Quod si in personis, quæ in illo interfuerunt, & in Nicæno, atque in posterioribus aliqua varietas videatur: tamen non tanta est, ut propterea negemus, primum illud tanquam exemplar posteriorum conciliorum nobis a Spiritu sancto fuisse propositum, quo, tanquam ad archetypum, respicere reliqua omnia deberent.

QUÆSTIO LXXIII.

Quodnam genus hominum est, quod in posterioribus conciliis interfuit, cujus in primo nulla habetur mentio?

RESPONSIO.

EST quidem illud genus hominum, quibus supra diximus difficillimum fuisse in regnum Dei ingressum: idque ex testimonio Christi confirmavimus, cum ait, *Facilius esse camelum introire per foramen acus, quam divitem in regnum cælorum.* Matth. 19. Nam si divites privati (de his enim tantum loquebatur tum Christus) tantam difficultatem ingrediendi inveniebant, quanto majorem hi divites inventuri erant, qui supremos magistratus gererent, circumfluentes non solum divitiis, sed honoribus, & voluptatibus, omnibus denique rebus, quæ hominem tumidum reddunt, & inflatum, ne per angustam fidei portam intrare possit? Quales sunt reges, imperatores, ac principes hujus mundi, qui aliquot sæculis post concilium Hierosolymitanum, vix ostium fidei apertum invenerunt, & ideo de illis in primo illo concilio nulla mentio est facta. Hoc vero magnum divinæ potentiæ in Christi nomine miraculum Petri successoribus, ut supra diximus, reservabatur, quod per manus Silvestri in Constantini conversione est ostensum. Nec enim minus miraculum hoc fuit, quam si leones, & ursos, aut tigrides habitare simul cum agnis videremus. Id quod futurum Isaias prædixit, de conversione principum hujus mundi vaticinatus, quos, suo loquendi more, ursos sæpe, & leones, ac pardos appellat, nominibus utens maxime eorum actiones exprimentes. Talibus enim revera extiterunt in gregem Dei fere omnes mundi principes, præcipue vero Cæsares, usque ad Constantini conversionem: in qua tam insigne editum est miraculum, ut, qui ante greges dissipaverant, & devoraverant, per Dei virtutem ad Christum conversi, ad tuendum ipsum gregem domini custodes efficerentur. Talem enim se præbuit Constantinus in Nicæna synodo, tales posteriores imperatores in posterioribus. Et hinc sane ortam dicimus varietatem personarum, quæ in primo, & in posterioribus conciliis invenitur. Quamquam quidem non hæc ejusmodi est, ut propterea formam mutatam dicamus, præsertim cum illi ipsi, qui cognoscendi controversias, decidendi, statuendi, ac componendi partes in primo concilio habuerunt,

runt, semper easdem in sequentibus tenuerint. Nec vero in ullo legitimo concilio unquam mutati sunt. In his enim posteriora primi illius exemplum semper sunt secuta. Imperatorum autem persona postea adjecta fuit sine ulla commutatione earum personarum, quæ in primo concilio interfuerunt, idque maximo divinæ potentiæ miraculo. Ac suum quidem locum, & munus a Deo in conciliis imperatores assignatum habent.

QUÆSTIO LXXIV.

Quod tandem hoc munus est?

RESPONSIO.

UT Christi, filii Dei, vicarias partes gerant. Hoc enim munus imperatoribus, Christi fidem professis, Deus ipse pater assignavit.

QUÆSTIO LXXV.

Quo modo Cæsares in conciliis generalibus Christi vicarias partes agere, idque Deo ipso jubente, dicis: si, easdem proprias Romani pontificis esse, omnia, quæ hactenus de ejus auctoritate in ecclesia dixisti, confirmant, consentientibus cum scripturis, tum miraculis, quibus suam Deus hac in re voluntatem declaravit?

RESPONSIO.

NON quidem sic proprium dicimus Romani pontificis, vicarias Christi partes, in conciliis agere, ut omnes ipse Christi partes in ecclesia occupet, nullas aliis relinquat. Imo, cum nullus sit in ecclesia, qui non aliquod sibi munus a Deo assignatum habeat (nec enim membra otiosa in ea Deus constituit) quatenus quisque in suo munere quidquid facit, ad honorem Dei refert (nemo autem in suo quidquam, sed omnes in nomine domini omnia agunt: hoc enim Christiana regula decet) eatenus Christi domini vicarias partes, cujus virtute omnia, quæcumque Deo patri sunt grata, peraguntur, eum gerere recte dicemus. Ita pontifex quidem Romanus ut caput sacerdotale, vicarias Christi, veri capitis, partes gerit, reliqui vero, ut reliqua membra. At Cæsarem, ut caput regale, Christi etiam vicarias partes agere, recte dicere possumus. Nec enim simplex potestas Christo fuit data: sed ut sacerdos, sic etiam rex & dicebatur, & erat. Rex quidem ab initio fuit, ut Dei filius: ut hominem autem se utramque potestatem accepisse post victoriam de morte, ipsemet testatur statim post resurrectionem, cum de se dicit: *Omnis mihi potestas tradita est in cœlo, & in terra.* Matth. 28. In utraque ergo potestate quin suos Christus vicarios habeat, dubitare non possumus: vicarias autem Christi regis partes in conciliis generalibus ad Cæsarem pertinere dicimus.

QUÆSTIO LXXVI.

Quasnam intelligis esse hujusmodi partes?

RESPONSIO.

EAS quidem, quas Christus ipse dum in terris versaretur, satis significavit, cum discipulos suos, quos principes super omnem terram ipse rex regum, & dominus dominantium constituerat, sine sacculo, & pera, ac sine ullo humano præsidio mittens, sola auctoritate regia perfecit, ne quid illis, quod ad vitam sustinendam pertinebat, deesset, sicut eorum ad ipsum responsio declarat, cum ab illis quæreret: *Quando misi vos sine sacculo, & pera, numquid aliquid vobis defuit?* Respondentes enim, *Nihil*. Hic ergo Christus satis se regem etiam terræ ostendit, magis vero, cum populum, se in solitudinem sequentem, & inopia cibi laborantem, non passus est domum inanem redire, sed saturum dimisit: tum vero maxime, cum suos discipulos, calumniis aliorum, & injuriis, atque violentiæ obnoxios, tanquam pusillum gregem, ut ipse eos appellat, ab omnibus his, quamdiu cum illis ut dominus & rex eorum versaretur, semper defendit. Luc. 12. In extremo autem vitæ actu, cum ad peragendas sacerdotis partes ipse se, ut agnus ad aram duci pateretur, tamen non sic oblitus est regiæ suæ potestatis, ut non saluti suorum prospiceret. Hanc enim potestatem tum ostendit, cum iis, qui ad se comprehendendum venerant, dixit: *Sinite hos abire*: sicque, ut incolumes dimitterentur, effecit. Quod ergo Christus humanis suorum necessitatibus, quod existimationi, quod saluti prospexit, qui omnes erant sacerdotes domini, in eos sane ipse regiam suam potestatem declarans, exemplum omnibus regibus dedit, quo pacto erga sacerdotes domini cum in conciliis generalibus, tum extra concilia se gerere debeant. Joan. 18.

Has vero partes Constantinus magnus maxime expressit: qui tales Christi sacerdotes invenit, quales Christo in terris versante, fuerunt, tanquam oves inter lupos. Inter medios enim hostes, ab omni humana ope, & præsidio nudos, indigentia oppressos, & omnium calumniis atque injuriis obnoxios invenit, quos ipse, pro imperatoria potestate, vicarias unici imperatoris partes gerens, his omnibus malis non solum liberavit, sed dignum sacerdotibus Dei locum, & auctoritatem eis dedit. Idemque, quænam essent partes imperatoris, vices Christi gerentis, in conciliis generalibus, maxime in concilio Nicæno declaravit: non tam quidem, cum necessitatibus sacerdotum abunde subveniret, & saluti eorum, atque incolumitati prospiceret, quę fane magna erant pietatis ejus, & potentiæ in terris testimonia, & fructus: quam cum mutuas eorum accusationes quotidie fere audiens, quæ ad privatas eorum de privatis injuriis querelas pertinebant, quæ facile indicabant, nec satis illos in fide confirmatos, & caritate vacuos, non propterea passus sit se aut e fidei fundamento deturbari, aut caritate spoliari, ut vel ipsos sacerdotes contemneret, vel eorum doctrinam nihili faceret: sed in hoc potentiam suam, a Deo sibi per Christum, & propter Christi gloriam datam, sic exercuit, ut cum eos in fide debiles inveniret, a quibus ipse confirmari debuisset, caritate illos vincens, in fide confirmarit, ac pacem eam mundo dederit, quæ Christi, domini sui, gloriam, cujus vices regias gerebat, maxime illustrarit.

Atque hic quidem in hoc uno Constantini facto vis omnis regii muneris, imperatoribus a Deo dati, in conciliis generalibus est expressa: cujus summa hæc est, ut pacem procurent verbo Dei. Ob hanc enim causam oramus pro salute omnium, qui in sublimitate constituti sunt, *ut tranquillam & quietam vitam agamus in omni pietate*, 1. Tim. 2. ut inquit apostolus, id est, ut tranquillum cursum verbum Dei habeat. De eorum enim tranquillitate, & quiete eo in loco loquitur apostolus, qui verbi vel ministri sunt, vel discipuli.

Quia

Quia vero hæc tranquillitas parari non potest, nisi cognitis prius, deinde examinatis difficultatibus de verbo fidei, & amotis omnibus contentionibus, idque communi ecclesiæ consensu: ideo hic primum necessitas concilii generalis existit. Et, quia nec in unum locum cogi principes pastores ecclesiæ facile possunt, nisi consentientibus & Cæsaribus, & principibus, in quorum regnis per diversas provincias, suas ecclesias, tanquam tot greges, dispersas habent, nec vero coacti diutius se tueri in conventu possunt, quin plurimis in rebus principum ope, & auxilio indigeant; ideo hic primum consensus Cæsarum in celebrandis conciliis rogari cœptus est, & eorum auxilium, ut rite, & ordine, ac sine periculo, & cum omni securitate omnia fiant, implorari. Hanc ob causam Silvestri pontificis Romani, & vicarii Christi, hortatu Constantinus magnus dicitur episcopos in concilium Nicææ indictum per edictum suum vocasse: quibus congregatis, sic ipse imperator Dei partes erga illos gessit, ut curarit, ne quid illis deesset eorum, quæ ad tuendam vitam necessaria essent, omniaque eorum securitati contraria depulerit, & eosdem plane tutos atque securos reddiderit.

QUÆSTIO LXXVII.

Christiani regis dumtaxat partes Cæsares in conciliis agunt, an vero etiam Christi pastoris.

RESPONSIO.

PRÆCIPUE quidem regis partes agunt: si vero dicere volumus, Christi etiam pastoris partes eos agere, idem prorsus dicemus. Tales enim sunt reges, quibus Christus suas partes commendat, ut sint iidem pastores: pascunt autem homines iis rebus, quas Christus eorum dispensationi permisit, id est iis, quæ pertinent ad corpus: quæ externa bona vocantur: quibus sustentatur vita corporis: ut sacerdos, qui idem est pastor, iis, quæ pertinent ad vitam spiritus, suum gregem pascit. Hujusmodi igitur pastoris personam gerens, simul cum sacerdote summo, & pastore in conciliis, principes, & sacerdotes, tanquam in caulas capita gregis, congregat imperator. Sic enim fecit Constantinus simul cum Silvestro in Nicæna synodo. Si vero ejusdem exemplo illam potentiam in conciliis generalibus adhibeant, per quam æmulationes, & contentiones sacerdotum, quæ sæpe in ejusmodi conventibus publicis gravius erumpere solent, frangere, & mollire possint, ut non modo ipsorum fides & caritas non lædantur, sed ad ceterorum animos iisdem confirmandos valeant: hic etiam Christi sacerdotis partes eos aliquo modo agere, vere dicere possumus.

QUÆSTIO LXXVIII.

An, si sacerdotum, & regum munera Christi instituto sunt divisa, nos recte sacerdotis partes regibus in conciliis tribuere possumus?

RESPONSIO.

ALIQUAS possumus, & sane debemus, quia sine his illi ne regium quidem munus rite obire possunt. Nec vero de regio solum munere hoc dicimus, recte illud aliquas sibi partes sacerdotales adjungere: sed de omni ministerio hominis Christiani plane affirmamus, ut rite fiat, necessarium esse aliquas sacerdotales partes adhibere, sine quibus nemo sane suum munus rite obire potest: quia nemo nisi his duabus partibus conjunctis vocationi illi, quæ communis est omnium Christianorum, pie inservire potest. Communis enim vocatio in omnibus, & singulis regiam cum sacerdotali potestatem conjungit, ut ostendunt illa verba primi vicarii, sacerdotis Christi, cum omnibus fidelibus dicit: *Vos autem genus electum, regale sacerdotium*, &c. A sacerdotis vero partibus omnes actionum nostrarum initium capimus. Et hic quidem primus est actus vitæ Christiani hominis, quæ oritur a sacrificio, & oblatione sui ipsius. Ex hac vero oblatione statim nascitur regia, in cujusque animo se sponte offerentis, occulta potestas, quæ tum demum exit in lucem, cum ad interius donum, & ad interiorem vocationem accedit externum Dei voluntatis signum, ex hominum consensu datum. Quibus autem utrumque jam obtigit, ii cum apud Deum, tum apud homines vel reges, vel sacerdotes recte & appellantur, & sunt. Potestatem enim in alios exercent. At, quibus nulla externa vocatio accedit, si sint ex numero Christianorum, qui suam vocationem sequuntur, ii quidem omnes spiritu reges sunt, atque etiam sacerdotes, sed in alios nullam potestatem habent, nisi quatenus privati monendo, vel obsecrando. Quod ergo pertinet ad id, quod diximus, Constantinum sacerdotis partes egisse in concilio Nicæno, cum ejus admonitionibus sacerdotes Dei cederent, has quidem partes ut privatus egit. Nec enim externo aliquo signo ad hoc munus vocatus fuit, quemadmodum regium & imperatorium, cui necessario adjunctum fuit sacerdotalis virtutis donum, sine quo regium munus nunquam rite exerceri potest. Omnes vero numeros imperatoris Christiani Constantinus in illo concilio prorsus implevit: quo pacto autem Christi vicarias partes præcipue gessit, ex his, quæ diximus, satis patere arbitramur. Sunt vero illæ quas Carolum V. imperatorem, religiosissimum principem abunde impleturum in hoc, quod ejus consensu indictum est, concilio, eo quidem magis ejus pietas nobis per multos annos explorata, hoc nos sperare jubet, & necessitas temporum id maxime flagitat. Hæc nunc satis erit in genere de officio imperatoris in conciliis dixisse: de quo, ut locus se offeret (offeret autem se maxime) ad majorem ejusdem explicationem sigillatim plura dicemus. Jam vero, cum de personis eorum, qui in omnibus conciliis intersunt, & præsunt, tam multa dicta sint de causa, quæ materiam præbuit convocandi hujus concilii, quod nunc est in manibus, tempus postulare videtur, ut aliquid quærentes dicamus.

1. Petr. 2.

QUÆSTIO LXXIX.

Quidnam est, quod materiam, & causam dedit hujus concilii, quod nunc indictum est, convocandi?

RESPONSIO.

HAUD simplex quidem causa fuit, sed varia, & multiplex: quæ tamen tribus illis capitibus, quasi terminis, quibus jam ab aliquot sæculis omnis materia conciliorum circumscribi solet, satis, qualis sit, explicatur. Quorum primum est, quod ad explicationem fidei dogmatum, & ad hæresum extirpationem pertinet: secundum, quod ad collapsam morum disciplinam restituendam: tertium, quod ad confirmandam pacem domesticam inter principes Christianos spectat, ut externo hosti infideli reipublicæ Christianæ perpetuo insidianti, facilius resisti possit. Hæc ergo in summa hujus concilii nunc indicti materia dici potest: quæ eo quidem amplior est, quo magis corrupta est

morum disciplina, quo pernicioſiora ſunt inteſtinorum bellorum ſemina, quo denique potentior eſt, ac paratior externus hoſtis ad invadendas Chriſtianorum provincias; ita enim omnia hæc mala his temporibus creverunt, & gravia ſunt, ut recte de eccleſiæ corpore, ſic affecto, idem pro majore ipſius parte dici poſſe videatur: quod Iſaias, flagella Dei in populum ſuum explicans dicebat: *omne caput languidum, & omne cor mœrens, a planta pedis uſque ad verticem capitis non eſt in eo ſanitas*, &c. Atque eo quidem hæc neceſſitatem imponunt graviſſimam cogendi concilii generalis, & difficiliorem reddunt, de excogitandis remediis deliberationem. Iſaiæ 1.

QUÆSTIO LXXX.

Quæ tandem modo remedia corpori tam graviter affecto ſalutariter adhiberi poſſunt?

RESPONSIO.

EO ſane modo, quo Deus adhibuit univerſo humano generi, cum, reſpiciens e cœlo, ut inquit propheta, vidit eum humani generis ſtatum, quem idem propheta eo loco ſic deſcribit: *Omnes declinaverunt: ſimul inutiles facti ſunt: non eſt, qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum: contritio, & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognoverunt.* Hoc ergo primum eſt in modo inveniendi, & adhibendi remedia, ut, qui Dei locum in terris gerunt, Dei etiam oculis populos his malis oppreſſos aſpiciant, demde id faciant, quod Deus ipſe exemplo ſuo faciendum oſtendit, cum genus collapſum inſtauravit. Pſal. 13.

QUÆSTIO LXXXI.

Quinam eſt hic modus, quo Deus humanum genus perditum reſtituit, principibus ipſis populorum imitandus?

RESPONSIO.

ILLE quidem, quem Chriſtus ſummus & ſacerdos, & rex, in ſuo exemplo omnes ſacerdotes, & reges, qui ſuam, & populorum ſalutem quærunt, ſequendum docuit, tum cum populorum omnium, qui ejus imperio, tanquam ſummo regi, & ſacerdoti, ſubjecti ſunt, peccata, tanquam ſacerdos, in ſe ipſe tranſtulit, & portavit, atque ita Deum patrem homini reconciliavit, ac genus perditum inſtauravit.

QUÆSTIO LXXXII.

Quid? quæſo: an ſummi hujus ſacerdotis, & regis vicariis, pontifici Romano, & Cæſari, proponendus eſt hic modus liberandi populum Chriſtianum a tot malis, quibus propter peccata nunc maxime vexatur, ut Chriſtum imitantes peccata ejus in ſe ipſi tranſferant, & pro illis Deum patrem deprecentur? Utrum vero hoc exemplum Chriſti facile eſt principibus ad imitandum an ejuſmodi potius, quod omnes humanas vires ſuperet? tantumne etiam preces principum valere exiſtimandum eſt, ut populis ſalutem pariant?

RESPONSIO.

PRECES quidem tantum valent, quantum unici illius deprecatoris, qui ſemper *exauditus fuit pro ſua reverentia*, virtute nituntur: *nec enim aliud nomen ſub cœlo, neque in cœlo datum eſt hominibus, in quo poſſint ſalvi fieri.* Quod vero de imitando hoc exemplo dixi in ferendis peccatis hominum, & hac ratione illis corrigendis, hoc quidem ſic intelligo, principes imitari hoc exemplum poſſe, non ſi ipſi ſuper ſuam innocentiam populorum peccata tanquam onus ſumant; hoc enim ſemel fecit Chriſtus, & ſolus facere potuit, quia ſolus erat inter mortuos liber, id eſt, ſolus inter peccatores juſtus: Principes vero cum liberi a peccato non ſint, ſed iiſdem, quibus populus vinculis peccatorum ligati, atque impediti, onus quidem populi hoc modo ipſi portare minime poſſunt, neque hac via Chriſti exemplum ſequentes, populi peccata portando Deum patrem placare. Quare, hac in parte minime imitari poſſe Chriſti exemplum in placando Deo erga populum, dicimus. Verum ob eam cauſam hoc exemplum Chriſti propoſuimus, ut intelligant principes, ſi ſummus rex & ſacerdos immaculatus, & innocens non eſt ipſe dedignatus peccatorum populi ſui primum ignominiam, deinde etiam pœnam ſubire, qui nunquam peccandi occaſionem dederat, ſed contra ſemper benefaciendi: quid ipſis, qui exemplo populos ſæpe corrupere, qui eis anſam peccandi ſæpe dedere, faciendum ſit? Quam minime eos dedignari oportet, pro populi ſui ſalute ſe reos facere, pro illis deprecari, & illorum in ſe transferre? Præſertim, cum nihil ſit, quod æque populos ad Deum poſſit convertere, & ad fontem gratiæ atque miſericordiæ adducere, quam pœnitentis animi ſignum, & exemplum in principe. Eo vero magis neceſſarium duximus, hoc exemplum magni regis, & ſacerdotis principibus ad imitandum proponere, quo vehementius omnes homines ab hoc maxime opportuno malorum remedio natura abhorrere ſolent, ut aliorum peccata in ſe ſuſcipiant; qui ne ſua quidem fateri volunt: ſed in alios potius transferant, imitantes prima illa humanæ & terrenæ generationis capita, qui primi in mundum peccatum introduxere; & introductum auxere, cum ſalutarem ſui erroris confeſſionem relinquentes, alter in alterum ſuum peccatum tranſtulit, vir in mulierem, mulier in ſerpentem. Per hunc autem modum peccatum crevit, cum peccato omne genus miſeriæ: a qua nunquam liberari potuimus, donec divina miſericordia hominem nobis dedit, qui idem Deus, & rex omnium fuit: qui non modo ſua in alios non tranſtulit, utpote qui ab omni peccato prorſus immunis eſſet, ſed ſuper ſuam innocentiam univerſi noſtri generis peccata omnia, tanquam ipſe omnium reus eſſet, recepit. Ex qua humilitate hoc ſtatim eſt conſecutus, ut omnium ſalvator eſſet. Quare hoc exemplum, qua poſſunt ratione, ſi imitentur ejus vicarii, ſacerdotes, reges: ſpes quidem maxima oſtenditur, eos per virtutem regis omnium, cujus vicarias partes agunt, ſalutis univerſi populi miniſtros ad Dei, & domini ſui gloriam futuros. Cum vero ſe reos populi peccatorum faciant, vere id quidem ipſi, & juſte ſunt facturi, quod Chriſtus fecit pro miſericordia, ſtatimque illis per hanc juſtitiam ingreſſus ad miſericordiam patebit. *Juſtus* enim, ut inquit ſapiens, *in principio ſermonis eſt ſui accuſator.* Nec vero ullum tot malis, quibus nunc vexatur eccleſia, ut omnia quærantur, præſentius remedium inveniri poteſt, quam in ipſi concilii exordio humilis ipſorum principum eccleſiæ peccatorum confeſſio, & ſui ipſorum accuſatio. Hebr. 5. Act. 4. Geneſ. 3. Prov. 18.

QUÆ-

QUÆSTIO LXXXIII.

Quid tandem istuc est, quod ais? an hoc ipse fundes? An probas? An tanquam remedium opportunum tot malis, quibus ecclesia est oppressa, proponis, ut summus pontifex, vicarius Christi, summi sacerdotis partes agens, qui in omnibus conciliis, tanquam judex, corrigendis aliorum erroribus præesse solet, in hoc concilio se reum alienorum peccatorum faciat, & judicio aliorum se subjiciat?

RESPONSIO.

NON hoc ego quidem suadeo, ut pontifex judicio subjiciatur concilii inquirentis eum, neque ullo pacto id probo: at nec cujusvis alterius: verum, ut sui ipsius judicio subjiciatur, hoc maxime opto, atque ut etiam in hoc judicio se ipsum condemnet. Hoc enim solum omni eum judicio, & divino, & humano, liberare potest, & ejus judicio in dijudicandis aliorum erroribus majorem vim tribuere. Denique, hæc vera est via, maximeque expedita, ad tollenda omnia, quæ nunc circumstant ecclesiam, mala, & pericula, atque ad firmam pacem & concordiam statuendam. O, si pontifex id ageret! O, si Cæsar! si hanc ingressionem in concilium ambo facerent, si hunc primum actum esse vellent, quid non boni sperari posset de ejusmodi concilio, in quo non minus certo argumento Spiritus sancti præsentia ad illud gubernandum, fructuoseque, ac salutariter celebrandum adesse cognosceretur, quam si in specie columbæ, super sacerdotum capita in linguis igneis sese ostenderet. Nec enim alia virtus, quam Spiritus sancti, talem conversionem animorum facere posset: cujus prima semper actio hæc est, cum mundum reformare statuit, ut mundum de peccato condemnet. Qui vero hanc ab eo condemnationem humili animo suscipiunt, salutem ab ejus misericordia simul suscipiunt. Quare, ut diximus, in concilio, quod salutis omnium causa cogitur, aptissimum hoc erit principium, quod quidem principium ejusmodi concilio, in quo pax, & salus omnium quæritur, egregie convenit. Ubi enim nullum in principibus signum pœnitentiæ ostenditur, parva quidem spes esse potest, per eorum ministerium Deum in populo pacem, & salutem efficere velle; sed potius timeri debet, ne illis tanquam flagellis utatur ad ecclesiam gravius affligendam, dicit autem ipse Spiritus: *Ad quem respiciam, nisi ad humilem, & contritum, & trementem verba mea?* Denique, si concilium reformationis ecclesiæ causa, ut uno verbo omnia complectar, indictum sit, tam in capite, quam in membris: si, reformare, non aliud sit, quam vel doctrinam, vel mores ad pristinam formam, a qua sunt dilapsi, revocare: cum hac ratione formandæ ecclesiæ usum videamus primum ipsius fundatorem, & formatorem, ut per pœnitentiam, quæ ad omne genus hominum pertinebat, veram formam induceret: eamdem sane viderur ab omnibus sequendam esse, præsertim ab iis, qui illius locum tenent, si reformare ecclesiam velint.

Isaj. 66.

Matt. 3.

Utile ergo quam maxime erit, incipere a pœnitentia capitum: qua quidem audita, reliqua mox membra, atque ea primum, quæ intersunt in concilio, deinde populi, & nationes omnes ad eamdem imitandam alacrius excitantur. Quale vero tandem esse hoc concilium, quam sanctum, quam glorioſum, quam non modo Nicæno, aut reliquis subsequentibus, sed ipsi quoque Hierosolymitano, in quo apostoli interfuerunt, fere comparandum, atque etiam, quanto major esset omnium ordinum, & pœnitentium numerus, quodammodo anteponendum? Quod si super uno peccatore, pœnitentiam agente, teste ipso ecclesiæ capite, ac domino, angeli in cœlis gaudent: quanto majorem novi gaudii materiam universum corpus ecclesiæ pœnitens, quæ crevit tanquam arena maris, angelis ipsis daret, ut iterum atque iterum id canerent, quod in Christi nativitate cecinerunt, *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax?* Hoc vero omnes sperare, & expectare maxime possumus, si capita ipsa primum virtute Spiritus in concilium per hanc portam ingrediantur. Est enim illa, per quam solam intrat, qui omnibus conciliis primo loco vocatur hymno illo decantato, cujus initium est, *Veni creator Spiritus*, &c. A quo omnia concilia consueto ecclesiæ more exordium ducunt. Frustra autem, quatenus ad singulorum salutem spectat, is vocatur, non patefacta confessionis injustitiæ nostræ porta: quæ eadem est porta pœnitentiæ. Hæc enim causa includitur a nobis Dei misericordia, sine qua nihil nec salutariter concipi, nec verbo, aut opere ad Dei gloriam, & ecclesiæ salutem perfici unquam potest.

Luc. 15.

Luc. 2.

QUÆSTIO LXXXIV.

Qua re maxime niti debet legatorum sedis apostolicæ spes de fructu & prospero eventu concilii?

RESPONSIO.

PROMISSIS quidem, & verbis omnibus Christi, ipsius ecclesiæ fundatoris, præcipue vero illis, quibus ad ipsum suum vicarium, sedis apostolicæ præsidem, usus est, cum ei futuras ecclesiæ procellas, tanquam navis tempestatibus jactandæ prædicens, sic eum alloquitur nomine appellans: *Simon, ecce satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum: ego autem pro te rogavi, ne deficiat fides tua.* His enim verbis ostendit fontem, & summam omnium ecclesiæ calamitatum, & perturbationum, quæ initium habent a voto satanæ, Christi ecclesiam cribrare, & quassare, expetentis. Hinc enim hæreses, hinc schismata, hinc omnia, quæ ecclesiam unquam turbavere, mala: quæ eo semper spectant, ut Petri fidem turbent, qua subversa, ecclesia simul, tanquam navis quædam fluctibus, obruatur, atque deprimatur. Contra vero hoc tantum periculum, quod innumerabilibus modis a satana intentatur, unum dumtaxat remedium suam Christus orationem, tanquam anchoram firmam, dedit, ut verba ejus ostendunt, cum ad superiora, in quibus periculum ostendit, consolationem adjungens dicit: *Ego autem pro te rogavi, ne deficiat fides tua.*

Hæc ergo illa est firma anchora, quæ nullis tempestatibus moveri potest: qua spes legatorum sedis Petri niti debet in omnibus conventibus & publicis, & privatis, si optatum exitum ad honorem Christi, & ecclesiæ utilitatem consecutura sit. Hæc enim spes neminem fallit. Quid est enim, quod ejus preces non sint impetraturæ, cujus potentia facta sunt omnia, qui semper exauditus est pro sua reverentia? Et sane, cum ille dominus omnium, ut tueretur ecclesiam, quam sibi fundavit, ad orationem, tanquam ad unicum remedium, confugit, idem nos, quo confugere debeamus in omnibus periculis, aperte docuit, nempe ad orationem in Christi nomine & spiritu adhibitam

Heb. 5.

bitam, non ad vires ingenii, non ad prudentiam A carnis, quæ inimica est Deo, non ad potentiam hominum, quibus maxime confidere homines solent. Hoc sane remedium illud est, quod omnia subsidia, sive divina, sive humana, ad se trahit, omnibusque vim suam salutarem infundit, ac tandem salutariter servire ecclesiæ omnia cogit, quare ad hoc semper respicere debent, sedis apostolicæ legati, qui pro bono ecclesiæ in conciliis præsunt, fructumque ex iis sperant, si spe sua fraudari nolint. Reliqua enim remedia sine hoc debilia sunt, cum hoc possunt omnia, cum vero dico, in robore, & vi orationis Christi omnem spem legatis de bono ecclesiæ, & fructu concilii reponendam esse, ipsorum orationem non excludo, verum necessario adjungendam intelligo. Non enim B Christus suam nobis orationem in omnibus periculis ad spem solam præsidii, sed maxime etiam ad imitationem tanquam exemplum proposuit. Nam, si dominus precibus ad impetranda bona nostra utitur: quanto magis nos servi, assidui in iisdem, & maxime supplices esse debemus? Verum, ut dominus, & servus inter se infinito intervallo distant, ac differunt: sic utriusque orationis forma, & modus maxime inter se differre debet.

Rom. 8.

QUÆSTIO LXXXV.

Quales debent esse orationes servorum Christi? Et qua in re intelligis diversam esse oportere formam orationis Christi, & servorum ejus? C

RESPONSIO.

IN hac quidem, quod oratio Christi justitia semper nititur, & ideo in sua ille oratione patris justitiam implorat, sua merita allegat, & per hæc nobis omnia pro justitia impetrat: nostra vero oratio audere non potest, nec sane debet, justitiæ mentionem facere, nisi cum ad Christum respicit, sed misericordia nitatur, oportet, quæ confessione peccatorum imploranda est. Et ideo Christus semper pro sua reverentia est exauditus: nos nunquam exaudimur pro nostra, ab ipsius Christi justitia separata, quippe qui propter summam nostram infirmitatem, atque injustitiam, ne misericordiæ quidem Dei mentionem facere auderemus, nisi reverentia Christi nobis animos daret, nosque orare juberet. Qualem vero esse oporteat orationem omnium servorum Christi, præcipue autem hoc tempore legatorum sedis apostolicæ exemplum sane orationis Danielis prophetæ, quod in scriptura extat, maxime docere potest, quamquam nobis quidem, exemplo alienæ orationis utentibus, illud maxime cavendum est, ne Spiritui sancto mendaces simus.

Joan. 17.

D

QUÆSTIO LXXXVI.

Cur hoc nunc ita mones? E

RESPONSIO.

OB hanc sane causam, quia in omni orationis genere, præcipue vero in ea quæ habetur ad Deum, hoc in primis observare oportet, ut mens orantium orationi respondeat, si mendaces esse nolumus. Quod si mentiri, turpe & periculosum est, propter Dei offensionem etiam apud homines: quanto id turpius erit, & periculosius apud Deum, cum longe majus, & impudentius peccatum sit, Deo mentiri, qui novit, & videt corda omnium, quam hominibus? Quare nunc, cum vellem exemplum proponere precum Danielis, quod imitarentur legati, admonendum duxi, hanc formam illis recte convenire, si formam spiritus Danielis habeant. Nec vero hoc præscribo, ut tanto spiritu præditi sint, quanto fuit Daniel, sed in desiderio saltem ei dispares ne sint, qui vir desideriorum ab angelo est appellatus. Dan. 9.

Viri ergo desideriorum sint, oportet, legati, ut illis oratio Danielis conveniat, viros autem desideriorum appello, qui ex animo honorem Dei desiderant, & liberationem populi Dei e laqueis satanæ a quo captivus tenetur: ut olim Daniel liberationem veteris populi, apud Babylonis regem servientis, desideravit: qui sane ob preces, vim ejus desiderii exprimentes, vir desideriorum ab angelo est appellatus. De legatorum igitur precibus, quibus uti in inchoando concilio debent, ut concludamus, sic prorsus dicimus, si cum Daniele vere atque ex animo desiderent populi salutem, ac liberationem e laqueis satanæ, & adventum Spiritus Christi ad instauranda omnia, sic eis maxime illius verba convenire. Talibus enim, hoc spiritu præditis, in scriptura tanquam præclarum aliquod exemplar orandi ipsa Danielis oratio est proposita. Si vero suum potius honorem, quam Dei, si suum magis, quam populi Dei, commodum desiderent, caveant in primis, ne verbis Danielis, vel aliis similibus utantur, caveant, si spiritus adventum non desiderant, ne cantent, quod primo loco in inchoandis conciliis cani solet, *Veni creator Spiritus*, &c. ne forte non creator, non consolator Spiritus, sed destructor & exterminator veniat. Talem enim mittere semper solet Deus iis, qui ficto corde eum invocant, nempe mendacem, & destructoribus destructorem. Si vero legati, ut sane dubitandum non est, adventum Spiritus vere, atque ex animo desiderant, si saltem concupiscunt, ut desiderent: tum quidem Danielis oratione, qua utantur ante hymnum invocantem Spiritum creatorem, nullum aptius exemplum proponi posse censemus: in illa enim precatione sub typo exprimuntur omnia, quæ in hoc rerum statu ecclesia nunc experitur: rebus certe, & personis verba ipsa mirum in modum conveniunt. 3. Reg. 22. 1. Cor. 10.

Quare, concludens ea, quæ a me generatim dici possint de officio legatorum, cum ceteris in rebus, tum vero in hac ipsa precandi forma, a qua exordium concilium capere debeat, precationem ipsam Danielis, in scriptura traditam, totidem verbis hoc loco adscribendam judicavi. *Et eravi*, inquit Daniel, *dominum Deum meum, & confessus, & dixi: Obsecro domine, Deus magne, & terribilis, custodiens pactum, & misericordiam diligentibus te, & custodientibus mandata tua. Peccavimus, iniquitatem fecimus: impie egimus, & recessimus, & declinavimus a mandatis tuis, ac judiciis: non obedivimus servis tuis, ac judiciis: non obedivimus servis tuis prophetis, qui locuti sunt in nomine tuo, regibus nostris, principibus nostris, patribus nostris, omnique populo terræ. Tibi domine justitia, nobis autem confusio faciei, sicut est hodie viro Juda, & habitatoribus Hierusalem, & omni Israel, iis qui prope sunt, & iis, qui procul in universis terris, ad quas ejecisti eos propter iniquitates eorum, in quibus peccaverunt in te domine, nobis confusio faciei, regibus nostris, principibus nostris, & patribus nostris, qui peccaverunt: tibi autem domino, Deo nostro, misericordia, & propitiatio, quia recessimus* Dan. 9.

mus a te, & non audivimus vocem domini Dei nostri, ut ambularemus in lege ejus, quam posuit nobis per servos suos prophetas. Et omnis Israel prævaricati sunt legem tuam: & declinaverunt, ne audirent vocem tuam: & stillavit super nos maledictio, & detestatio, quæ scripta est in libro Moysi, servi Dei: quia peccavimus ei. Et statuit sermones suos, quos locutus est super nos, & super principes nostros, qui judicaverunt nos, ut superinduceret in nos magnum malum, quale nunquam fuit sub omni cœlo, secundum quod factum est in Hierusalem, sicut scriptum est in lege Moysi, omne malum hoc venit super nos, & non rogavimus faciem tuam domine Deus noster, ut reverteremur ab iniquitatibus nostris, & cogitaremus veritatem tuam: & vigilavit dominus super malitiam, & adduxit eam super nos. Justus dominus Deus noster, in omnibus operibus suis, quæ fecit: non enim audivimus vocem ejus, & nunc domine Deus noster, qui eduxisti populum tuum de terra Ægypti in manu forti, & fecisti tibi nomen secundum diem hanc. Peccavimus, iniquitatem fecimus, Domine, in omnem justitiam tuam: avertatur obsecro ira tua, & furor tuus a civitate tua Hierusalem, & a monte sancto tuo. Propter peccata enim nostra, & iniquitates patrum nostrorum, Hierusalem & populus tuus in opprobrium sunt omnibus per circuitum nostrum. Nunc ergo exaudi Deus noster orationem servi tui, & preces ejus, & ostende faciem tuam super sanctuarium, quod desertum est, propter temetipsum. Inclina Deus meus aurem tuam, & audi: aperi oculos tuos, & vide desolationem nostram, & civitatem, super quam invocatum est nomen tuum. Neque enim in justificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis, exaudi domine, placare domine, attende, & fac no moreris propter temetipsum Deus meus, quia nomen tuum invocatum est super civitatem, & super populum tuum. Hæc Daniel in sua precatione, quibus adjungit: *Cumque adhuc loquerer, & orarem, & confiterer peccata mea, & peccata populi mei Israel, & prosternerem preces meas in conspectu Dei mei pro monte sancto Dei mei, ecce vir Gabriel,* & quæ sequuntur, quæ etiam ego addenda judicavi, ut admonerem primum quidem meipsum, deinde omnes, qui apud Deum pro populi ejus calamitatibus sumus deprecaturi, & pro bono publico, ut a nostrorum primum peccatorum confessione precum initium ducamus. Nec enim sanctiores sumus Daniele, quem Deus ipse in tribus illis deprecatoribus numerat, quorum preces pro aliis adhibitas apud se plurimum valuisse ostendit, cum dicit: *Si steterint apud me Noe, Job, & Daniel.* Ezech. 14.

Quocirca recte moneri videntur ii, qui pro populi calamitatibus sunt deprecaturi, ne hac orandi forma, quæ a confessione propriæ injustitiæ incipit, apud Deum Patrem uti erubescant, qua tantus propheta est usus: ne forte Christus, per quem omnia bona impetramus, eosdem deprecantes erubescat. Hæc autem orandi forma eo magis videtur inculcanda, quo certius experientia docti novimus, quam omne genus hominum a suorum peccatorum confessione natura abhorreat. Prompti enim omnes semper sumus vel ad nos ipsos excusandos, vel ad nostra crimina in alios transferenda. Quod quidem eo magis timendum est hoc tempore, quod videmus ipsos principes in sacerdotes, hos autem in principes culpam horum malorum, quibus ecclesia premitur, derivare, neminem vero priam libenter agnoscere. In qua contentione omnium superbissima, ipsique Deo maxime invisa, si perseveretur, parva quidem spes ullius fructus percipiendi ex hoc concilio esse poterit, e quo nihil expectari possit, nisi majorum forsitan perturbationum, & malorum accessio. Diu enim duraturas esse, timendum est, contentiones, & in conciliis, & extra concilia: neque unquam speranda requies a malis, nisi Deus pater Spiritum suum nos in hoc concordes primum faciat, ut omnes, & singuli ex corde nos peccatores agnoscamus, & ejus generis peccatores esse confiteamur, ut singuli fere singulorum ruinæ simus causa, unusquisque auctor ruinæ proximi sui, & ordo ordinum, in hoc enim si simus concordes, jam quidem concilium utiliter coactum, & apertum esse, jam portam ad ingressum Spiritus patefactam, nunquam dubitabimus dicere, immo ipsum Spiritum sibi portam aperuisse, qui nos etiam in reliquis concordes faciet, tandemque lætos ex ipso concilio dimittet. Quod ut fiat, ipsum Deum patrem per ejus amorem, quem suæ ecclesiæ verum caput & præsidem dedit, ut exhiberet eam sibi, tanquam sponsam gloriosam, sine macula, & ruga prostrati ante tribunal ejus misericordiæ supplices oramus, semperque orabimus. Huic vero capiti, & sponso ecclesiæ sit omnis gloria, honor, potestas, & imperium una cum Patre & sancto Spiritu per æterna sæcula. Amen.

Hæc habui, reverendissimi domini, quæ de negotio, quod mihi commune vobiscum est, omnium illo quidem gravissimo, & amplissimo, generatim ad vos scriberem: partim ut hoc vobis testimonium darem meæ voluntatis, ejusque desiderii, quo mirifice teneor, in tam præclara causa, & societate duorum præstantium pietate, & doctrina hominum, ejus pietati inserviendi, qui Christi vicarium in ecclesia munus gerens, conjunctim nobis suas partes in tam sancto munere dedit: partim, quia in iis, quæ communi consensu sunt peragenda, & vicarias interpretationes recipiunt, opportunum esse judicavi, meum vobis sensum nunc quam maxime aperire & declarare. Quod ut efficerem, quantum verbis consequi potui, elaboravi. Etsi vero in omnibus cum studium meum, & desiderium, tum vero operam a vobis probari exopto: tamen alterum horum ejusmodi est, ut in eo semper a vobis probari me, in altero non tam probari, quam in quo minus vobis satisfaciam, ab eisdem admoneri & corrigi cupiam. Hoc enim est, ut initio dixi, quod a vestra pietate, & doctrina in primis expecto. Si vero præter ea, quæ hactenus scripsi, major adhuc meæ sententiæ explicatio requiratur, præsertim in præcipuis capitibus illis, quæ totam fere materiam concilii, quod nunc indictum est, continent, quorum unum est, de modo reconciliandi Germaniæ populos, qui Lutherani vocantur, olim nobis amore, & obedientia, atque omni religionis jure conjunctissimos, nunc autem, quod ipsi aperte profitentur, maxime disjunctos, & rebelles: alterum, quo pacto ipsius ecclesiæ præcipua, vel potius omnia fere membra ad veterem disciplinam, & instituta, a quibus non parum declinarunt, revocentur. Quæ sane duo non inficior ejusmodi esse, ut multo majorem, & certiorem explicationem requirant, quam hactenus in iis, quæ generatim scripsi, complecti potuerim: hoc scitote, me, cum illas generales

quæstio-

quæstiones tractarem, de quibus supra scripsi, non tam quidem illud spectasse, ut in iis, quæ sigillatim in concilio sunt examinanda, meum vobis sensum explicarem, quam ut, qua porta ingrediendum sit ad ea tractanda, investigarem. Quod si, quæ huc pertinent, a meque scripta sunt, vobis probabuntur: quin ea simul facile pateant, quæ ad explicationem eorum desiderantur, quæ post ingressum in concilium examinanda sunt, haud sane dubito. Hæc enim ex illis, tanquam conclusiones ex principiis, pendent, & in iisdem latent. Nec vero ita sunt abscondita, ut ab eo, qui principia probarit, non facile eruantur. In quo tamen si a vobis operam meam requiri cognovero, non recusabo de his agere, præcipue vero de illis duabus quæstionibus, quas modo proposui. Quæ sane & maximæ sunt, & bene explicatæ, ac perceptæ, eam cognitionem, quæ necessaria est ad id, quod erit agendum, allaturæ sunt. Quod vero nunquam mihi ipse adhuc imperare potui, ut de ejusmodi rebus scriberem, præsertim quæ in alienas manus venirent (nec enim id, quum multi amici me admodum rogarent, ulli unquam concessi) hoc nunc ultro vobis offero. Quod ut facerem, adductus sum non solum officio, quo valde tamen impellor, sed ea maxime spe, quam mihi affert nostra hæc voluntatum conjunctio, quam in omnibus, quæ post meum ad vos adventum una tractavimus, magna cum animi mei voluptate sum expertus. Hæc vero est, quæ ut perpetuo conservetur, omni opera est enitendum: atque ut in universum ecclesiæ corpus eadem in Christo animorum consensio transfundatur, ab ipso Deo pacis per Jesum reconciliatorem in paracleto Spiritu assidue est nobis postulandum. Amen.

EJUSDEM REGINALDI POLI cardinalis de baptismo Constantini magni imperatoris.

QUÆSTIO.

An nos tam asseveranter, quæ de Constantini fide, & pietate scribuntur, Silvestri Romani pontificis pietati, & doctrinæ, qui eum in fide instruxerit, qui sacro fonte tinxerit, qui baptizatum in fide confirmarit, tribuimus, omniaque ejus præclare acta, præsertim illa, quæ ad religionem pertinent, vel in Nicæna synodo, vel alias ab eo gesta, ex fonte conciliorum Silvestri fluxisse affirmamus? Quem ne temporibus quidem Constantini fuisse, aliquæ historiæ narrant, magni vero nominis scriptores a Silvestro baptizatum fuisse prorsus negant, in quibus est Eusebius Cæsariensis, celebris sane scriptor, & æqualis illorum temporum, atque adeo ipsius Constantini familiaris. Is enim non Roma, ut Romanæ historiæ omnes, sed Nicomediæ extremo vitæ tempore eum baptizatum fuisse affirmat. Romæ vero a Silvestro minime fuisse baptizatum, quid magis confirmare potest, quam Constantii ipsius Constantini filii, locupletissimum testimonium quod in Actis Liberii, pontificis Romani, scriptum extat, qui non solum negat patrem suum a Silvestro baptizatum, sed, quia id asseverasset Liberius, eum exilio multavit. Quid igitur? An ullum firmius argumentum esse potest contra eos, qui a Silvestro baptizatum Constantinum asserunt, quam ejus filii de patris baptismo in hujus sententiæ assertorem severæ vindictæ testimonium?

Eusebius lib. 4. de vita Constantini.

Act. Liberii. c. 6.

RESPONSIO.

HISTORIAS quidem de Constantini baptismo dissentire non negamus: quia vero dissentiunt, ut veritas intelligatur, ipsorum scriptorum, qui diversa tradunt, auctoritas examinanda est, & ponderanda. Sunt autem, qui a Silvestro cum in baptismo Constantini, tum in Nicæna synodo omnem auctoritatem, & ministerium auferant, Eusebius Cæsariensis, & Sozomenus, ambo historiæ ecclesiasticæ scriptores satis nobiles. Quid vero Eusebius sentiat, jam a te dictum est. Sozomenus autem Nicænum concilium non Silvestro, sed Julio Romæ pontificatum gerente celebratum fuisse scribit. Lib. 2. hist. trip. cap. 1.

Verum, huic quem opponamus, habemus scriptorem eo multo celebriorem, & testem locupletiorem, cum ob sanctitatem, & doctrinam, tum vero, quia ipse magna pars concilii Nicæni fuit, ipsum magnum Athanasium, ecclesiæ Alexandrinæ archiepiscopum, cum celebraretur Nicænum concilium, Alexandri diaconum, ejusdem ecclesiæ archiepiscopi, quem pene auctorem ejus concilii dicere possumus. Hujus enim controversia cum Ario, & originem, & materiam concilii celebrationi dedit. Ejus ergo diaconus in illo concilio cum esset Athanasius, postea successor factus, in epistola quadam ad Marcum, Romanum pontificem, de injuriis Arianorum graviter conquerens, ex hac occasione in Silvestri mentionem incidit. Dicit enim, ad ceteras in se injurias hoc etiam Arianos addidisse, quod bibliothecam suam, in qua fuere canones concilii Nicæni, cremassent. Hos autem, quia meminerat, ab ipso concilio legatis Silvestri pontificis ad eum perferendos fuisse datos, nec dubitaret, quin in archivis Romani pontificis servarentur, ideo eosdem descriptos ex illis exemplaribus ad se mitti postulat. Hæc in Athanasii [a] literis, quas communes cum ceteris Ægypti episcopis ad Marcum dedit, qui Silvestro in pontificatu successit, scripta habent. Cujus vel unius testimonium satis esse debet ad refellendam Sozomeni sententiam, qui unus, ut videtur, ad Julii pontificatus tempora Nicæni concilii celebrationem transfert. Hunc vero redarguit non solum Athanasii testimonium, sed ipsius quoque concilii Nicæni ad ipsum Silvestrum [b] epistola, atque hujus ad eamdem responsio, item legatorum in concilio subscriptiones, denique acta synodi Romanæ ab ipso Silvestro coactæ, in qua omnia Nicænæ synodi decreta [c] comprobavit. Omnia vero hæc in vetustissimis conciliorum libris extant; quæ certissimo argumento concludunt, non solum æqualem illorum temporum Silvestrum fuisse, sed illius quoque absentis auctoritatem tantum apud omnes, qui in eo concilio interfuerunt, valuisse, ut non prius sua decreta, licet sanctissima, rata & firma judicarent, quam Silvestri sententia, & judicio, quod is sedem apostolicam tum obtineret, comprobarentur. Hoc enim ipsa verba epistolæ, quam ad eum hac de causa, omni verborum honore adhibito, scripserunt, declarant. Hæc autem satis dicta sint, ut tempora temporibus convenire intelligantur ipsius Nicæni concilii Silvestri pontificis, & Constantini magni. Tom. I. conciliorum in. cipit. Domino sancto.

[a] Verum eæ suppositiæ vide Tom. II. pag. 488.

[b] Tom. II. conciliorū, incipit. Beatissimo papæ. vide pag. 79.

[c] Ibidem pag. 417.

Si vero jam de baptismo Constantini quærimus, de ejus fide, a quonam doctus, & instructus, a quo confirmatus in fide fuerit: hic quidem negare non possumus, magni momenti Eusebii sententiam esse debere: qui non solum, ut diximus,

æqualis

æqualis fuit illorum temporum, ſed ipſe quo- A
que in concilio Nicæno primas partes egit: qui & epiſcopali munere clarus ipſe doctrina, tum fungebatur, & inter præcipuos Conſtantini familiares eo in concilio numerabatur. Hujus ergo auctoritatem omnibus in rebus, quæ in illo concilio acta memorantur, magni momenti eſſe debere, non negamus: verum hoc dicimus, multo majoris momenti futuram fuiſſe, ſi hoc non conſtaret, addictum illum ei ſententiæ fuiſſe, quæ in illo concilio damnata eſt, & quam in primis auctoritas Silveſtri, tum Romani pontificis, oppugnavit. Fuit enim ipſe Euſebius ſectæ, & opinionis Arianæ, quæ cum a Nicæna ſynodo, tum vero a Romano pontifice damnata, maximus aſ- B
ſertor. Nec vero eum ſuſpicione hujus impietatis liberat, quod ipſe, poſt damnatam in concilio illo Nicæno Arii ſententiam, in epiſtola quadam ad populum Cæſarienſem, cui epiſcopus præfuit, de fide, quam ſemper eſt profeſſus, ſcribens, dicit, ſe nunquam aliter docuiſſe, atque in ſymbolo Nicænæ ſynodi eſt explicatum: immo hoc ipſum maxime condemnat, quod enim ipſe docuerit, quid ſenſerit, ejus ſcripta, quæ adhuc extant, ſatis declarant, in quibus apertis verbis Arii ſententiam contra ſymboli Nicæni explicationem ſequi ſe oſtendit. Verum, ſive ante Nicæni concilii celebrationem ſcripta fuerunt, ſive poſt, nil prorſus ad cauſæ ejus defenſionem C
facit, cum præſertim manifeſte colligatur, eum cum Ario aliquando ſenſiſſe. Quod ſi ante ſcripta fuerunt, quam hoc concilium celebraretur: tum quidem verum eſſe non poteſt, quod ipſe in epiſtola ad Cæſarienſes ſcribit, negans ſe unquam aliter de fide docuiſſe, atque ſymbolum Nicænum præſcribat. Si vero poſt illud ſcripta fuerunt: tum ſane gravioris illum erroris hoc ipſum condemnat; ſi quidem, poſt promulgatam concilii ſententiam, quam ipſe in eodem concilio tandem probaverat, quam ſuam fuiſſe profitetur, etiam antequam ullum alicujus concilii de ea re decretum extaret, in contrariam defecerit.

Atqui, ſi quid veri ſimilius hac in re, in D
qua hiſtoriæ ipſæ non ſatis conveniunt, quærendum nobis erit, ſi hoc quærendum, quid de ſententia Nicænæ ſynodi in illa controverſia Alexandri, & Arii Euſebius ſenſerit, cur tam diverſa ſcripſerit de Conſtantini baptiſmo ab iis, quæ Romanis hiſtoriis habentur: hoc quidem ex iis, quæ, vivente adhuc Conſtantino, & quæ poſt ejus mortem ſcripſit Euſebius, maxime probabili conjectura colligere poſſumus, eam partem ſymboli concilii Nicæni, quæ Chriſtum ejuſdem ſubſtantiæ cum patre fide tenendum proponit, ab eo nunquam ex animi ſententia fuiſſe probatam, ſed, ut poſteriora ejus ſcripta ſatis ſignificant, adduc- E
tum illum potius auctoritate Conſtantini, qui illud ſymbolum fide eſt amplexus, a quo cum concilio conſentiente non auſus diſſentire, pro tempore aſſenſiſſe, & ſuam ſententiam, ut potuit diſſimulaſſe, ac propterea illam epiſtolam ad ſuos Cæſarienſes ſcripſiſſe, in qua quaſi invitus verba ad ſenſum decreti concilii accommodare videtur. Poſtquam vero Conſtantino ſucceſſit Conſtantius, qui non modo non averſabatur ſententiam Arii, ſed ita amplexabatur, ut illam oppugnantes oppugnaret, id quod in Liberii pontificis ob hanc cauſam damnatione ſatis oſtendit: hic quidem Euſebius in eo libro, quem de Conſtantini vita, ipſo Conſtantio imperante, ſcripſit, cum ut ſibi ſatisfaceret in ea opinione tuenda cui tacitus ſemper adhæſerat, tum ut ea ſcriberet, quæ principi non ingrata eſſe cognoſceret, audacius quidem ſe in ſcribendo effudit, ita ut, de controverſia Arii, & Alexandri ſcribens, non dubitaret dicere, parvi momenti prorſus eam fuiſſe, in verbis dumtaxat poſitam. Quare, qui hoc auſus eſt ſcribere, idque contra judicium ipſius Nicæni concilii, quod rem maximi fundamenti, & quo nulla major eſſe poterat, illam controverſiam fuiſſe judicaverat, contra etiam judicium Romani pontificis, atque hanc ſententiam ipſi quoque Conſtantino tribuere: quid mirum eſt, *Damaſus in vita Silveſtri. Gregor. Turon. in hiſtoria.*
ſi de Conſtantini baptiſmi tempore, loco, & miniſterio diverſa tradat ab iis, quæ in Romanorum pontificum actis continentur? Cum præſertim ſciret, ſe principis auribus eodem tempore grata ſcripturum, id autem tolleret, quod ſi in animis hominum perſuaſum maneret, veriſimiliter magnum eſſet cauſæ Arianæ præjudicium allaturum, maxime propter recentem pietatis Conſtantini memoriam: quem ſi, ſublata omni controverſia, conſtaret in fide Romanæ eccleſiæ, quæ Arium damnabat, fuiſſe baptizatum, hoc quidem maxime cauſæ eorum obfuturum videbatur, magnam etiam maculam nomini ipſius Conſtantini aſperſurum, ſi, quam pater, pietate clariſſimus, conſtanti fama fidem profeſſus fuerit, ipſe ab ea defeciſſe videretur & alienam ſequi. Quæ res effeciſſe videtur, ut Conſtantius ipſe, qui in defendendis Arianis partibus pertinax fuit, tam pertinaciter negaret patrem ſuum a Silveſtro baptizatum, ne patris in diverſa fide baptizati, ſumma apud omnes propter pietatis laudem auctoritas ejus ſententiæ, quæ eadem Arii fuit, pietatis famam detraheret.

Habuit ergo cauſam cum Conſtantius, tum Euſebius, quæ, illis ſtatuentibus Arii partes fovere, quaſi neceſſitatem impoſuit, cur Conſtantinum a Silveſtro baptizatum negarent. Liberius vero pontifex nullam neceſſitatem habuit, cur contra filium pernegantem id aſſoveraret, præter eam, quam veritas ipſa ſecum afferre ſolet: quæ ſi nulla fuiſſet, ſi non certa, & explorata, neceſſitatem potius habuit mutandæ ſententiæ, vel ſaltem diſſimulandæ, ne in principis indignationem incideret. Quare, quo hæc magis examinentur, quæ de Conſtantii indignatione adverſus Liberium affirmantem a Silveſtro baptizatum Conſtantinum, ſcribuntur, hoc quidem certius inveniemus, hanc ipſam indignationem Conſtantii magis confirmare veritatem eorum, quæ in hiſtoriis Romanis de Conſtantini baptiſmo ſcribuntur, quam oppugnare. Quamquam quidem, non tam quod Liberius *Act. Liberii cap. 6. pag. 371. ejuſdem editionis Tom. I. conciliorum Crabbi an. 1551.*
a Silveſtro Conſtantinum baptizatum, quam quod a lepra ſimul ab eodem curatum diceret, ira incenſum Conſtantium hiſtoriæ narrant. Nec enim tetrum fortaſſis lepræ nomen in patre libenter audire potuit. Utcumque vero ſit, ut hanc etiam cauſam ad indignationem ejus contra Liberium acceſſiſſe dicamus, ne ea quidem tanta fuiſſet, ſi nulla ejuſmodi opinio animos populi prius occupaſſet. Nec enim, ſi Liberius ſolus hoc dixiſſet, tanti ſibi æſtimandum unquam unius Liberii dictum judicaſſet

Tom. I. conciliorum, incipit Arbitramur &c. pag. 260. editionis Crabbi an. 1551.

Theo. lib. 1. cap. 21.

set Constantius, quin potius ut insanum contempsisset, si de tanta re, quam nulla prius apud populum opinio fuisset, cujus ipse testis esse non posset, tam asseveranter contra omnium sententiam, & pene sensum loqueretur. Hæc vero Constantii indignatio populum ostendit eamdem tunc habuisse opinionem: quam opinionem Constantinus cum suæ de fide sententiæ, & patris honori, ut ipse putabat, adversari videret, ideoque ex animis hominum delatam summopere desideraret, non poterat, non ægre ferre eam Romani pontificis auctoritate confirmari. Atque hinc nata videtur omnis illa indignatio, quam, ut verisimiliter credendum est, nunquam sponte subiisset Romanus pontifex, nisi ipsa explorata veritate esset coactus. Si vero verisimilia sequentes in reliquis, quibus historiæ secum dissident, quod magis probabile videatur, sequi volumus, & hanc ipsam causam subtilius examinare, præsertim in iis, quæ ad Constantini in fide institutionem pertinent, ut id solum quæramus, a quonam ille doctus, & instructus, a quonam confirmatus in fide fuerit: ut nulla testimonia extarent, præter id unum, quod modo commemoravi, de Silvestri pontificatu, æqualis illorum temporum, a quonam potius, quam ab Romano pontifice factum hoc dicimus, præsertim, cum ex historiis constet, tum primum Constantini animum Christi servitutis amore incensum, cum ad Romanam urbem armatus cum exercitu contra Maxentium adventaret, cum illi, tanquam alteri Paulo, in via se Christus ostenderet, non voce, sed signis eum appellans. Signo enim crucis ei claro cœlo ostenso, fidem ejus Christus ad se convertit. Si vero ipse Paulus apostolus, quem Christus voce ad vitam vocavit, ad alium tamen, qui eumdem verbis doceret, quid eum oporteret facere, est amandatus: Constantino, quem signo ad se Christus vocavit, præceptorem datum, a quo pleniorem de Dei voluntate cognitionem acciperet, est verisimillimum. Quod enim ex signo cognoverat, de quo in cœlo scriptum videtat, ἐν τούτῳ νίκα, magis id quidem ad spem victoriæ in prælio, quod instabat, per fidem potentiæ Christi confirmandam pertinebat quam ad spem salutis æternæ, quæ majori in periculo versabatur, per eumdem Christum consequendæ. De hac vero si ab aliquo edocendus esset, a quonam potius, quam a Romano pontifice, quem historiæ tradunt, ob persecutionem impii imperatoris, tum quidem in Soracte monte latitasse? Si vero ad pii imperatoris adventum e latibulis ad pastoralem curam urbis sua sponte illum exiisse, vel potius ab ipso Constantino, doctore indigente, fuisse evocatum, scriptores tradunt: quid hic non verisimile narratur? Præsertim cum de nullo alio, qui Constantinum mysteriis fidei initiaverit, ne illæ quidem historiæ, quæ tam præclari operis fructum Silvestro adimunt, mentionem faciunt. Si vero omnes in primo miraculo de signo crucis in cœlo conveniunt, hoc enim Eusebius ab ipso Constantino se audivisse etiam jurato scribit: cur non in ceteris Romanis historiis, quæ etiam per visum revelatum Constantino tradunt, & qui eum in fide erudiret, & locus, ubi is tum latitaret, fides adhibenda erit? probatæ fidei illas historias esse, vel illud satis mihi declarat, quod Hadrianus papa in quadam epistola, quam ad sextum concilium misit, easdem commemorat: quæ in actis illius concilii sunt insertæ & universo concilio probatæ.

Hist. eccles. lib. 6. cap. 9.

Eusebius lib. 4. de vita Constantini. Hist. trip. lib. 3. c. 12. Eusebius lib. 1. de vita Constan.

Nicæna Syn. 2. in princip.

Ut vero reliqua omnia scriptorum testimonia deficiant, aut minoris momenti ad confirmandam hanc sententiam de Constantini fide Silvestri opera confirmata, & aucta, existimentur, vel hoc unum sane, quod Romæ adhuc videmus in magnificis illis templorum ædificiis, ab ipso Constantino erectis, satis declarat, ipsum ad hæc impulsorem antistitem aliquem habuisse. Nec enim verisimile est hominem semper in armis versatum, tam magna animo unquam complexurum fuisse, quæ suæ religionis & fidei præclarissima monumenta futura essent, nisi prius consulto aliquo sacrorum perito antistite, qui eum de fide, deque omni cultu Dei, & sacrorum more edoceret. Si vero ab aliquo edoctus, institutus Constantinus fuit, a quo potius, quam a Silvestro, cujus pontificatus plurimos imperii illius annos est complexus? Tradunt enim historiæ, eum, cum imperante * Maximino pontificatum iniisset, paucis annis ante Constantinum imperatorem, quæ minimum, viginti duos, aliæ vero viginti quatuor annos in eo vixisse. Hic ergo si in quæstionem veniat, quo pietatis doctore Constantinus sit usus, si scriptores taceant, aut non satis probent, vel ipsa saxa, tot templorum præclara ædificia, ipsum baptisterium, magnifico opere ædificatum, clamabunt, quacumque ratione ad hæc excitatus fuisset, præcipuum tamen eorum auctorem, quæ Romæ pietatis monumenta sunt relicta, ipsum Silvestrum pontificem Romanum, eum habuisse. Quod si scripta etiam vel ipsorum Græcorum requirimus, qui Silvestri apud Constantinum in rebus religionis auctoritati testimonium præbent: ne hæc quidem desunt. Sunt vero eorum scripta a quorum animis Ariana impietas fuit prorsus depulsa, qui posterioribus sæculis scripserunt. Si vero plus auctoritatis Eusebii scriptis jure tribui debere videatur, quod is Constantini tempore vixerit: tamen non tam quidem id profuit ad veritatem cognoscendam, eum Constantino familiarem fuisse, quam ad eam prodendam obfuit, eumdem Constantino superstitem factum, Constantio, Romanorum pontificum propter Arii damnationem inimico regnante, scripsisse: adeo ut hac in re posteriorum judicium, qui cum Romanis historiis consentiunt, sincerius videri debeat: qui si id verum judicassent, quod Eusebius scripserat, non inviti illius sententiam essent secuti, cum ea præsertim non parvi momenti esse videretur adversus Romani pontificis dignitatem, quocum de honoris prærogativa contendebant. Cum vero extent Nicephori Callisti, Theophani episcopi Nicææ, & Georgii Cedreni, & Zonaræ, probatorum apud Græcos scriptorum, & Theodori Balsamonis Constantinopolitani diaconi & chartophylacis, qui etiam post aliquot annos Antiochiæ patriarcha factus est, clarissima in scripturis testimonia cum de baptismo Constantini ministro Silvestro celebrato, tum vero de ejusdem erga Romanam ecclesiam munificentia, quæ fere in omnibus cum Romanorum pontificum historiis consentiunt: hæc quidem quasi veritatis testimonia, ab inimicis prolata firmiora esse debent. Inimicos enim, & æmulos Romanorum pontificum potestatis Græcos, præsertim vero patriarchas Constantinopolitanos, permultos annos fuisse, satis constat,

Hoc ut & multa alia a veritate aliena.

Damasus in vita Silvestri.

ſtat, tum vero maxime, cum hi ſcripſerunt. Hæc autem nunc ſatis ſint dicta, ſi non ad perſuadendum illis, qui contra ſentiunt, ſaltem quæ oſtendant, non me levi de cauſa adductum, ut, quæ a majoribus tradita ſunt, vel de cœleſtibus illis donis per Silveſtri miniſterium Conſtantino exhibitis, vel de terrenis a Conſtantino Silveſtro & Romanæ eccleſiæ collatis, tam conſtanter ſcriptis aſſeverarem.

REFORMATIO ANGLIÆ, Ex decretis ejuſdem Reginaldi Poli cardinalis ſedis apoſtolicæ legati. Anno domini MDLVI.

REGINALDUS, miſeratione divina, ſanctæ Mariæ in Coſmedin ſanctæ Romanæ eccleſiæ diaconus cardinalis, Polus nuncupatus, ad ſereniſſimos Philippum, & Mariam, Angliæ reges, fidei defenſores, & ad univerſum Angliæ regnum, ſanctiſſimi domini noſtri papæ, & ſedis apoſtolicæ de latere legatus, ad perpetuam rei memoriam. Cum felicis recordationis Julius papa III. poſt allatum ei nuncium, ſereniſſimam Mariam, Henrici VII. filiam, tum Angliæ principem, quæ ſemper in recta fide, religioneque firmam ſeſe, atque conſtantem præſtitiſſet, ſummo conſenſu, atque una omnium voce reginam declaratam fuiſſe, in magnam ſpem adductus eſſet, fore, ut hoc regnum ad ſanctæ catholicæ eccleſiæ unionem, a qua complures annos ſeparatum fuerat, revocaretur, ut id quam primum fieret, nos, pro paſtorali ſuo officio, & paterna caritate, ſuum, & apoſtolicæ ſedis legatum de latere ad ipſam Mariam reginam, & univerſum hoc regnum miſit, quod onus licet humeris noſtris impar, tamen, ut ejus mandatis obediremus, divino favore, & gratia freti ſuſcepimus, atque eo promptius, quod etiam debita erga patriam caritas ad id nos impellebat: ac Dei quidem in primis benignitate, qui populum hunc miſericordiæ ſuæ oculis reſpicere dignatus eſt, tum ſereniſſimorum Mariæ reginæ, & Philippi regis, quem illi matrimonio conjunctum Deus in hac præclara & ſancta actione adjutorem eſſe voluit, & ad quem etiam idem Julius nos legatum poſtea declaravit, ſtudio, & opera, ſummaque erga ipſum Deum pietate effectum eſt, ut hoc regnum ad unitatem ſanctæ catholicæ eccleſiæ, & Romani pontificis obedientiam rediret: cumque poſtmodum, eodem Julio primum, deinde Marcello II. felicis recordationis, hac vita defunctis, reverendiſſimus dominus Joannes Petrus Carafa, epiſcopus Oſtienſis, ad ſummum apoſtolatus apicem aſſumptus fuiſſet, Paulus IV. nuncupatus, quem Deus eccleſiæ ſuæ diu ſervet incolumem, ſanctitati ejus placuit, ut in hoc legationis munere perſeveremus, ut ea, quæ jam in ejuſdem unitatis negotio confecta erant, magis ſtabilirentur. Utque eccleſia hæc Anglicana, quæ ob præteriti ſchiſmatis calamitatem in doctrina, & moribus valde deformata eſſet, ad veterum patrum, & ſacrorum canonum normam reformaretur.

Nos igitur, tum piæ ſanctitatis ejus voluntati obedire cupientes, pro legationis noſtræ munere ad ipſum reformationis opus nobis incumbendum eſſe ſtatuimus. Cumque, noſtro hac in re conſilio cum nonnullis epiſcopis communicato, cum ipſis contuliſſemus, qua ratione id facilius, & commodius effici poſſet: viſum eſt, univerſos hujus regni epiſcopos convocari oportere, qui & de abuſibus nos admonerent, & de eorum remediis nobiſcum ſimul conſulerent. Itaque tum ob hanc cauſam, tum ut eorum bonorum, quæ ſuperiorum temporum injuria ab eccleſiis ablata, ipſorum ſereniſſimorum regum pietate nunc eis reſtituta ſunt, ratio quædam, & diſpoſitio ad Dei gloriam, & cleri, ac populi utilitatem conſtitueretur, hoc potiſſimum tempore, quo in hac regia Londini urbe ad parlamentum epiſcopi totius regni & univerſus clerus provinciæ Cantuarienſis congregati eſſent, ſereniſſimis rege & regina pro ſua pietate id valde probantibus ſynodum epiſcoporum, & reliqui hujus regni cleri, qui provincialibus ſynodis de jure, vel de conſuetudine intereſſe conſuevit, bonæ memoriæ Othonis, & Othoboni, aliorumque ſanctæ ſedis apoſtolicæ in hoc regno legatorum, prædeceſſorum noſtrorum, exempla ſecuti, auctoritate apoſtolica, nobis hac legatione, qua fungimur, conceſſa, convocavimus, & celebravimus.

In qua ſynodo poſtquam omnia fere, quæ ad ipſorum bonorum eccleſiaſticorum diſpenſationem pertinerent, conſtituiſſemus, ad ea in reformationis cauſa conſtituenda, quæ magis neceſſaria videbantur, nos convertimus, eo quidem majore cura, & ſtudio, quod ejus ſanctitas literis, & ad nos, & ad univerſos epiſcopos ſcriptis, ad id vehementer hortata eſt: & ad ſanctorum patrum inſtituta, quantum ratio & infirmitas præſentis temporis pateretur, proxime accedentes, cum totius ſynodi conſilio & aſſenſu ea, quæ in ſequentibus decretis continentur, Deo adjuvante ſtatuimus, atque decrevimus. Univerſos igitur, & ſingulos hujus regni archiepiſcopos, epiſcopos, & ceteras eccleſiaſticas perſonas in domino magnopere hortamur, eiſque eadem auctoritate apoſtolica injungimus, ut has conſtitutiones, quatenus ad eorum quemlibet reſpective pertinent, diligenter obſervent. Iiſdemque archiepiſcopis & epiſcopis, reliquiſque eccleſiarum prælatis mandamus, ut eas a quibuſlibet, qui ſuæ juriſdictioni ſubſunt, obſervandas curent, inobedientes, & contumaces per cenſuras eccleſiaſticas, & alia juris remedia, invocato etiam ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis, compeſcendo: irritumque & inane decernimus, quidquid ſecus ſuper his a quoquam fuerit attentatum. Verum, quia difficile eſſet præſentes literas ad ſingula loca deferri, ad quæ mitti oportet, volumus, & auctoritate apoſtolica decernimus, ut tranſumptis earum, ſigillo alicujus perſonæ in eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, ea fides adhibeatur, quæ originalibus, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ, adhiberetur. Atque, ut hæc decreta, & conſtitutiones ad ſingulorum notitiam deducantur, univerſis locorum ordinariis eadem auctoritate apoſtolica præcipimus, ut ea per ſe, vel per alios in ſuis eccleſiis publicent, ſeu publicari faciant, quę poſt publicationem ipſam eos, ad quos pertinent, perinde arctent, ac ſi eis perſonaliter intimatæ fuiſſent.

DECRETUM PRIMUM.

De gratiis Deo pro reditu hujus regni ad ecclesiæ unitatem in missarum celebratione quotidie agendis, deque ejus rei memoria quot annis celebranda.

CUM totius deformationis ecclesiæ in hoc regno, & omnium malorum, quæ plurima superioribus temporibus acciderunt, causam merito agnoscamus hinc ortam esse, quod ab unitate, & doctrina ecclesiæ catholicæ recedentes, auctoritatem, & obedientiam pontificis Romani, Christi vicarii, & successoris Petri, pro cujus fide, ne deficeret, ipse Christus oravit, reliquimus, ad quam nunc immensa Dei misericordia post multos opinionum errores, & diuturnam vexationem reversi sumus: ne tanti beneficii immemores, & ingrati videamur, & ut initium faciamus a divino auxilio implorando, ut hoc ipsum beneficium in dies magis confirmet, & hanc in nobis fidem servet, & adaugeat, hoc primum cum præsentis synodi approbatione statuimus, & decernimus, ut per universum hoc regnum in omnibus dierum dominicorum, & festivorum, præter quam de festo duplici majori, missarum celebrationibus post alias collectas infrascripta etiam dicatur, quæ in missalibus hic posthac imprimendis inseri curabitur.

Cum autem bonæ memoriæ Othobonus, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis, & in his partibus apostolicæ sedis legatus, cum universis regni prælatis, prout in ejus constitutionibus legitur, pie sanciverit, ut pro pace, huic regno post varias dissensiones & intestina bella, quibus vexatum fuerat, restituta, quotannis per universum regnum solemnes fierent processiones, in quibus populus Deo de beneficio pacis accepto gratias ageret, & pro ejusdem conservatione preces effunderet: Nos, prædicti cardinalis, & legati tam piæ constitutionis exemplum secuti, statuimus, ut singulis annis in omnibus hujus regni civitatibus, oppidis, & locis in festo sancti Andreæ apostoli, quo die hujus regni cum Deo atque ejus ecclesiæ pax, & reconciliatio facta est, processio solemnis celebretur, in qua universi cujusque loci tam ecclesiastici, quam sæcularis ordinis Christi fideles convenientes tam insignis a Deo accepti beneficii memoriam renovent, seque eleemosynis, & aliis piis operibus gratos ostendant: utque eo ipso die in ecclesia, unde processio ducetur, inter missarum solemnia concio ad populum habeatur, qua hujus solemnitatis causa exponatur, vel ubi deerit qui concionetur, homilia, quæ de hac re edenda curabitur, per parochum plebi recitetur. Singuli autem locorum ordinarii operam dabunt, ut hoc decretum in omnibus suæ jurisdictionis locis sub pœnis eorum arbitrio irrogandis servetur.

DECRETUM II.

De constitutionibus, & dogmatibus, librisque recipiendis, rejiciendisve, & jus canonicum publice doceatur.

QUIA vero, post ejectam Romani pontificis, & apostolicæ sedis obedientiam ecclesiasticarum etiam legum auctoritas sublata est, atque ex eo falsi doctores admitti, & audiri, ac libri corruptæ doctrinæ passim legi cœperunt, quibus populus variis erroribus in doctrina fidei, & maxime sacramentorum, quæ præcipua sunt Christianæ religionis fundamenta, infectus est, simulque honestas vitæ, & cleri, & populi, & reliqua omnia, quæ ad rectam ecclesiæ disciplinam spectant, plane depravata sunt: cum ejusdem synodi approbatione omnia sacrorum tum generalium, tum provincialium a sede apostolica receptorum conciliorum decreta, & Romanorum pontificum constitutiones, item ecclesiasticas leges in hoc regno canonice editas, quatenus per præsentis synodi decreta immutatæ non sint, in pristinum, atque eumdem, in quo ante schisma vigebant, locum, vim, & usum reponimus, ac restituimus: &, ut hæc ab omnibus, ad quos pertinent, religiose, sancteque observentur, transgressoresque, secundum canones ipsos, prædictasque constitutiones puniantur, atque ut ipsum jus canonicum, uti antea, publice doceatur, statuimus, & mandamus.

Cum vero per eas constitutiones, quas bonæ memoriæ Otho, & Othobonus, olim in hoc regno sedis apostolicæ legati, itemque Cantuarienses archiepiscopi, in provincialibus synodis pro tempore edidere, iis, quæ ad clerum, & populum hujus regni in doctrina & moribus recte instituendum, & conservandum pertinent, specialiter provisum sit: ideo, ne quis possit in his minus observandis ignorantiæ excusationem prætendere, statuimus, ut non solum archiepiscopi, episcopi, decani, archidiaconi, officiales, & ceteri omnes ecclesiasticam jurisdictionem exercentes, dictas constitutiones, & eas item, quæ hac synodo latæ fuerint, habeant, sed etiam reliqui, quibus animarum cura commissa est, præter sacrorum bibliorum volumen veteris editionis, in Latinum versum, & alios libros ad munus suum fungendum necessarios, easdem constitutiones habere, & diligenter legere, &, si quid dubii in iis, quæ ad earum intelligentiam pertinent, occurrerit, peritiores consulere, & ex iis, quæ populum nosse oportet declarare, & exponere teneantur, sub pœna ordinariorum arbitrio iis, qui aliter fecerint, irroganda.

Ne autem pravæ doctrinæ librorum lectione populus posthac corrumpatur, juxta literas apostolicas, quæ quotannis in die cœnæ domini Romæ publice recitari consueverunt, omnes, qui hæreticorum libros, seu alias quomodolibet de fide suspectos, non impetrata a sede apostolica licentia, legant, aut habeant, aut imprimant, aut in hoc regnum importent, aut vendant, aut publice, vel occulte defendant, ac laudent, quocumque nomine & prætextu id fecerint, damnamus, & anathematizamus, atque, ut omnibus pœnis contra eos latis puniantur, mandamus: Statuentes etiam juxta generale ultimi Lateranensis concilii decretum, ne quis posthac in hoc regno librum aliquem, seu aliud quodvis scriptum, sub pœnis in eo decreto contentis, & aliis, prout delicti ratio exegerit, gravioribus imprimere, seu imprimendum curare audeat, nisi prius per loci ordinarium, vel per alium, seu alios ab ipso ordinario ad eam rem deputandos, diligenter lectum, & examinatum, & per ejus, sive eorum manus subscriptionem gratis apponendam, approbatum fuerit.

Omnes vero libros, sive traditiones, ad fidem & ecclesiasticam disciplinam spectantes, quas sancta Romana ecclesia ad hanc diem proba-

probavit, ac recepit, ſeu poſthac probabit, ac recipiet, cum omni pietatis affectu, & reverentia ſuſcipimus, & amplectimur, utque ab omnibus aliis ſimili obedientia, & veneratione ſuſcipiantur, ſub canonicis cenſuris, & pœnis ſtatuimus. A

Ut autem, omni ſuperiorum temporum errore ſublato, populus ſciat, quam doctrinam ſequi, quam fugere debeat, cum eadem hac ſynodo, juxta regulas & dogmata ſanctorum patrum, omnem eam fidem, quam ſancta Romana & apoſtolica eccleſia, omnium eccleſiarum mater, & magiſtra, tenet, & docet, reverenter ſuſcipimus, & amplectimur, idemque omnibus faciendum, & aperte profitendum eſſe decernimus: ac ſecundum generalis concilii ſub fel. rec. Innocentio papa III. celebrati, & aliorum conciliorum, & Romanorum pontificum decreta, & traditiones, ipſaſque literas apoſtolicas, quæ in die cœnæ domini legi ſolent, omnem hæreſim adverſus hanc ſanctam, orthodoxam, & catholicam fidem ſe extollentem, &, quicquid ab ea alienum eſt, damnamus, & omnino rejicimus: Omne dogma, quod cum eadem fide pugnat, ſeu non conſentit, credi, practicari, docerive prohibemus, ac vetamus: Univerſos cujuſcumque nominis ac generis hæreticos, qui aliter credunt, tenent, ac docent, quam eadem Romana eccleſia credit, tenet, ac docet, damnamus, & anathematizamus: Omnes item cenſuras, & pœnas, contra hæreticos & eorum fautores latas, nec non ordinarios, & ceteros omnes, ad quorum munus hoc ſpectat, in extirpandis hæreſibus negligentes, innovamus, atque omnino exequi præcipimus. Hortamur autem, & per viſcera miſericordiæ domini noſtri Jeſu Chriſti obteſtamur omnes, qui ſuperiori tempore in errores aliquos lapſi ſunt, nec dum reſipuerunt, ut ab eis recedere, & veritatem agnoſcere, atque amplecti velint, qui vero Dei gratia catholicam fidem retinuerunt, vel ad eam reverſi ſunt, ut perpetuo in eadem perſeverent. Verum, quia in iis, quæ ad doctrinam capitis eccleſiæ & ſacramentorum pertinent, hic maxime erratum eſt, veram unius doctrinæ traditionem, quæ in octava generali ſynodo Florentiæ ſub fel. rec. Eugenio papa III. celebrata, breviter, & dilucide explicata eſt, hic adſcribendam cenſuimus. B C D

"Tomi XXXI. pag. 1031.

Definimus, ſanctam " apoſtolicam ſedem, & Romanum pontificem, in univerſum orbem tenere primatum, & ipſum pontificem Romanum ſucceſſorem eſſe beati Petri, principis apoſtolorum, & verum Chriſti vicarium, totiuſque eccleſiæ caput, & omnium Chriſtianorum patrem ac doctorem exiſtere, & ipſi in beato Petro paſcendi, regendi & gubernandi univerſalem eccleſiam a domino noſtro Jeſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe, quemadmodum etiam in geſtis œcumenicorum conciliorum, & in ſacris canonibus continetur.

"Vide ejuſdem tomi pag. 1054.

" Eccleſiaſticorum ſacramentorum veritatem pro ipſorum Armenorum, tam præſentium, quam futurorum, faciliori doctrina, ſub hac breviſſima redigimus formula. E

Novæ legis ſeptem ſunt ſacramenta, videlicet, baptiſmus, confirmatio, euchariſtia, pœnitentia, extrema unctio, ordo, & matrimonium, quæ multum a ſacramentis differunt antiquæ legis. Illa enim non cauſabant gratiam, ſed eam ſolum per paſſionem Chriſti dandam eſſe figurabant: hæc vero noſtra & continent gratiam, & ipſam digne ſuſcipientibus conferunt.

Horum quinque prima ad ſpiritualem uniuſcujuſque hominis in ſe ipſo perfectionem, duo ultima ad totius eccleſiæ regimen, multiplicationemque ordinata ſunt. Per baptiſmum enim ſpiritualiter renaſcimur, per confirmationem augemur in gratia, & roboramur in fide: renati autem, & roborati, nutrimur divina euchariſtiæ alimonia. Quod ſi per peccatum ægritudinem incurrimus animæ, per pœnitentiam ſpiritualiter ſanamur, ſpiritualiter etiam, & corporaliter, prout animæ expedit, per extremam unctionem. Per ordinem vero eccleſia gubernatur, & multiplicatur ſpiritualiter, per matrimonium corporaliter augetur.

Hæc omnia ſacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & perſona miniſtri conferentis ſacramentum cum intentione faciendi, quod facit eccleſia. Quorum ſi aliquod deſit, non perficitur ſacramentum.

Inter hæc ſacramenta, tria ſunt, baptiſmus, confirmatio, & ordo, quæ characterem, id eſt, ſpirituale quoddam ſignum, a ceteris diſtinctivum, imprimunt in anima indelebile: unde in eadem perſona non reiterantur. Reliqua vero quatuor characterem non imprimunt, & reiterationem admittunt.

Primum omnium ſacramentorum locum tenet ſanctum baptiſma, quod vitæ ſpiritualis janua eſt. Per ipſum enim membra Chriſti, ac de corpore efficimur eccleſiæ: & cum per primum hominem mors introjerit in univerſos, niſi ex aqua & ſpiritu renaſcimur, non poſſumus, ut inquit veritas, in regnum cœlorum introire. Materia hujus ſacramenti eſt aqua vera, & naturalis, nec refert, frigida ſit, an calida. Forma autem eſt, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*. Non tamen negamus, quin & per illa verba, *Baptizetur talis ſervus Chriſti, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*: vel, *Baptizetur manibus meis talis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*, verum perficiatur baptiſma: quoniam, cum principalis cauſa, ex quo baptiſmus virtutem habet, ſit ſancta Trinitas, inſtrumentalis autem ſit miniſter, qui tradit exterius ſacramentum, ſi exprimitur actus, qui per ipſum exercetur miniſtrum, cum ſanctæ Trinitatis invocatione perficitur ſacramentum. Miniſter hujus ſacramenti eſt ſacerdos, cui ex officio competit baptizare. In cauſa autem neceſſitatis ſolum ſacerdos, vel diaconus, ſed etiam laicus, vel mulier, imo etiam paganus, & hæreticus, baptizare poteſt, dummodo formam ſervet eccleſiæ, & facere intendat quod eccleſia. Hujus ſacramenti effectus, eſt remiſſio omnis culpæ originalis, & actualis, omnis quoque pœnæ, quæ pro ipſa culpa debetur. Propterea baptizatis nulla pro peccatis præteritis injungenda eſt ſatisfactio, ſed morientes ante, quam culpam aliquam committant, ſtatim ad regnum cœlorum, & Dei viſionem perveniunt.

Secundum ſacramentum eſt confirmatio, cujus materia eſt, chriſma confectum ex oleo, quod nitorem ſignificat conſcientiæ, & balſamo, qui odorem ſignificat bonæ famæ, per epiſcopum benedicto: forma autem eſt: *Signo te ſigno crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*. Ordinarius miniſter eſt epiſcopus. Et cum ceteras unctiones ſimplex ſacerdos valeat exhibere, hanc non niſi epiſcopus debet conferre: quia de ſolis apoſtolis legitur,

gitur, quorum vicem tenent episcopi quod per manus impositionem Spiritum sanctum dabant, quemadmodum actuum apostolorum lectio manifestat. *Cum enim*, inquit, *audissent apostoli, qui erant Hierosolymis, quia recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum, & Joannem: qui cum venissent, oraverunt pro eis, ut acciperent Spiritum sanctum. Nondum enim in quemquam illorum venerat: sed baptizati tantum erant in nomine domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.* Loco autem illius manus impositionis datur in ecclesia confirmatio. Legitur tamen aliquando, per apostolicæ sedis dispensationem ex rationabili & urgente admodum causa, simplicem sacerdotem, chrismate per episcopum confecto, hoc administrasse confirmationis sacramentum. Effectus autem hujus sacramenti est, quia in eo datur Spiritus sanctus ad robur, sicut datus est apostolis in die pentecostes, ut videlicet Christianus audacter Christi confiteatur nomen. Ideoque in fronte, ubi verecundiæ sedes est, confirmandus inungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat, & præcipue crucem ejus, qui Judæis est scandalum, gentibus autem stultitia secundum apostolum, propter quod signo crucis signatur.

Tertium est eucharistiæ sacramentum, cujus materia est panis triticeus, & vinum de vite, cui ante consecrationem aqua modicissima admisceri debet. Aqua autem ideo admiscetur, quoniam, juxta testimonia sanctorum patrum, ac doctorum ecclesiæ, pridem in disputatione exhibita, creditur, ipsum dominum in vino aqua permisto hoc instituisse sacramentum: deinde, quia hoc convenit dominicæ passionis repræsentationi, inquit enim beatus Alexander papa quintus a beato Petro: In sacramentorum oblationibus, quæ intra missarum solemnia domino offeruntur, panis tantum, & vinum aqua permistum in sacrificium offerantur. Non enim debet in calicem domini aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed utrumque permistum: quia utrumque, id est, sanguis, & aqua, ex latere Christi profluxisse legitur: tum etiam, quod convenit ad significandum hujus sacramenti effectum, qui est unio populi Christiani ad Christum. Aqua enim populum significat, secundum illud apocalypsis, *Aquæ multæ, populi multi*. Et Julius papa primus post beatum Silvestrum, ait: Calix dominicus, juxta canonum præceptum, vino & aqua permistus debet offerri: quia videmus, in aqua populum intelligi, in vino vero ostendi sanguinem Christi. Ergo, cum in calice vinum, & aqua miscetur, Christo populus adunatur, & fidelium plebs ei, in quem credit, copulatur, & jungitur. Cum ergo tam sancta Romana ecclesia a beatissimis apostolis, Petro, & Paulo, edocta, quam reliquæ omnes Latinorum, Græcorumque ecclesiæ, in quibus omnis sanctitatis, & doctrinæ lumina claruerunt, ab initio nascentis ecclesiæ sic servaverint, & modo servent, inconveniens admodum videtur, ut alia quævis regio ab hac universali & rationabili discrepet observantia. Decernimus igitur, ut etiam ipsi Armeni se cum universo orbe Christiano conforment, eorumque sacerdotes in calicis oblatione paululum aquæ, prout dictum est, admisceant vino. Forma hujus sacramenti sunt verba salvatoris, quibus hoc confecit sacramentum.

Sacerdos enim, in persona Christi loquens, hoc conficit sacramentum. Nam ipsorum verborum virtute, substantia panis in corpus Christi, & substantia vini in sanguinem convertuntur, ita tamen, quod totus Christus continetur sub specie panis, & totus sub specie vini: sub qualibet quoque parte hostiæ consecratæ, & vini consecrati, separatione facta, totus est Christus. Hujus sacramenti effectus, quem in anima operatur digne sumentis, est adunatio hominis ad Christum. Et quia per gratiam homo Christo incorporatur, & membris ejus unitur, consequens est, quod per hoc sacramentum in sumentibus digne gratia augeatur: omnemque effectum, quem materialis cibus, & potus, quo ad vitam agunt corporalem, sustentando, augendo, reparando, & delectando, sacramentum hoc, quo ad vitam operatur spiritualem, in quo, ut inquit Urbanus papa, gratam salvatoris nostri recensemus memoriam, a malo retrahimur, confortamur in bono, & ad virtutum & gratiarum proficimus incrementum.

Quartum sacramentum est pœnitentia: cujus quasi materia sunt actus pœnitentis, qui in tres distinguuntur partes. Quarum prima est cordis contritio: ad quam pertinet, ut doleat de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero: secunda, oris confessio, ad quam pertinet, ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, suo sacerdoti confiteatur integraliter: tertia, satisfactio pro peccatis secundum arbitrium sacerdotis, quæ quidem præcipue fit per orationem, jejunium & eleemosynam. Forma hujus sacramenti sunt verba absolutionis, quæ sacerdos profert, cum dicit: *Ego te absolvo*, &c. Minister hujus sacramenti est sacerdos, habens auctoritatem absolvendi vel ordinariam, vel ex commissione superioris. Effectus sacramenti hujus est absolutio a peccatis.

Quintum sacramentum est extrema unctio: cujus materia est oleum olivæ per episcopum benedictum. Hoc sacramentum nisi infirmo, de cujus morte timetur, dari non debet. Qui in his locis ungendus est, in oculis propter visum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter gustum vel locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter gressum, in renibus propter delectationem ibidem vigentem. Forma hujus sacramenti est hæc: *Per istam unctionem, & piissimam misericordiam indulgeat tibi dominus, quidquid per visum*, &c. & similiter in aliis membris. Minister hujus sacramenti est sacerdos: effectus vero est mentis sanatio, & in quantum autem expedit, ipsius etiam corporis. De hoc sacramento inquit beatus Jacobus apostolus: *Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros ecclesiæ, ut orent super eum, ungentes eum oleo in nomine domini: & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum dominus: & si in peccatis sit, dimittentur ei.*

Sextum sacramentum est ordinis: cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur ordo: sicut presbyteratus traditur per calicis cum vino, & patinæ cum pane porrectionem: diaconatus vero per libri evangeliorum dationem: subdiaconatus vero per calicis vacui cum patina vacua superpositæ traditionem: & similiter de aliis, per rerum ad ministeria sua pertinentium assignationem. Forma sacerdotii talis est: *Accipe potestatem offerendi sacrificium in ecclesia pro vivis & mortuis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Et sic de aliorum ordinum formis, prout in pontificali Romano late continetur. Ordinarius minister hujus sacramenti est episcopus: effectus, augmentum gratiæ, ut quis sit idoneus minister.

Septimum

* Marcus medius excit 16. Jan. ad 7. Octob. an. 336.

Septimum est sacramentum matrimonii, quod A est signum conjunctionis Christi, & ecclesiæ, secundum apostolum dicentem: *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo, & in ecclesia*. Causa efficiens matrimonii regulariter est mutuus consensus, per verba de præsenti expressus. Assignatur autem triplex bonum matrimonii. Primum est proles suscipienda, & educanda ad cultum Dei: secundum, fides, quam unus conjugum alteri servare debet: tertium indivisibilitas matrimonii propter hoc, quod significat indivisibilem conjunctionem Christi, & ecclesiæ. Quamvis autem ex causa fornicationis liceat tori separationem facere, non tamen illud matrimonium contrahere fas est, cum matrimonii vinculum, legitime contracti, perpetuum sit. B

De custodia, & administratione sacramentorum, deque ecclesiarum dedicationibus certo die, & aliis festivis devote celebrandis.

CONSTITUTIONEM bonæ memoriæ Joannis archiepiscopi Cantuariensis, in concilio provinciali editam, qua pie, & provide statutum est, ut in qualibet parochiali ecclesia tabernaculum fiat cum sera & clavi, decens, & honestum, pro curæ magnitudine, & ecclesiæ facultatibus, ubi sanctissimum eucharistiæ sacramentum custodiatur, non in bursa, vel loculo, sed in panno lineo mundissimo, in pyxide decenti incluso, ita C ut sine ullo diminutionis periculo facile reponi, & eximi possit: atque ut ipsum venerabile sacramentum singulis hebdomadis renovetur, pœna etiam contra sacerdotes in eucharistiæ custodia negligentes statuta, hujus auctoritate concilii innovandam censuimus: eaque ut omnino servetur, decernimus: adjicientes, ut hoc tabernaculum medio altaris majoris ita eminenter, ut ab omnibus conspici possit, collocetur, & ita affigatur, ne facile a quoquam amoveri possit. Si vero in eo loco commode poni non potest, tum in altari, majori proximo, ac maxime decenti ponatur. Locorum autem ordinarii in suis ecclesiis initium hujus observationis facientes, ut in aliis idem fiat, providebunt, negligentes in hoc per ejus fructuum ecclesiæ portionis, quæ ad hujus rei confectionem D sufficiat, subtractionem, & alia juris remedia ad hoc decretum observandum compellendo. Nec alios propterea, quicumque præter rectores ad hujus rei contributionem tenerentur, exoneramus. Huic etiam constitutioni ob honorem corporis domini nostri Jesu Christi, qui est candor lucis æternæ, hoc addimus atque decernimus, ut juxta antiquam, & laudabilem ecclesiæ Anglicanæ, & aliarum provinciarum consuetudinem lampas, vel cereus coram eo continue ardeat. Ubi vero facultates ecclesiæ non suppetant, curent locorum ordinarii, quantum in eis est, ut facultas aliunde paretur, qua tam honesta, & pia consuetudo, quæ fere jam in omnibus hujus regni ecclesiis superiorum temporum injuria est sublata, renovetur. E Præterea omnes constitutiones ecclesiasticas, tam generales, quam hujus regni particulares, de custodia fontis baptismatis, chrismatis, & olei sancti, & de sacramentis ipsis, rite & recte, ac cum ea, qua decet, reverentia, administrandis latas, & promulgatas, innovamus, easque ab omnibus, ad quos ea res pertinet, sub pœnis, quæ in eis continentur, & alias etiam gravioribus arbitrio ordinariorum pro modo culpæ irrogandis, inviolabiliter observari decernimus.

De ecclesiarum dedicationibus certo die, ipsisque & aliis festis devote celebrandis.

UT in solemnitatibus dedicationum ecclesiarum, quas juxta antiquum hujus regni morem ubique primo die dominico mensis Octobris celebrari volumus, prophana & irreligiosa consuetudo vana spectacula edendi, comessationes, tripudia, & alia id genus faciendi tollatur, statuimus, ut episcopi diligenter provideant, ne quid tale posthac eo die, aliisve festis diebus fiat, sed populus audiendis divinis officiis devotus intendat, inobedientes autem per ecclesiasticas censuras, & alia juris remedia, invocato etiam, si opus fuerit, brachii sæcularis auxilio, compescant.

DECRETUM III.

De residentia episcoporum, & aliorum inferioris ordinis clericorum, & scholarium, collegiorum præfectorum.

CUM ecclesiæ reformationis initium ab eis fieri debeat, qui aliorum curam gerunt, in iis autem magnus hic vigeat abusus, quod multi eorum in ecclesiis sibi commissis non residentes eas mercenariis relinquunt, quæ res omnium fere malorum in ecclesia causam attulit: idcirco, ut hic abusus, quoad ejus fieri potest, tollatur: Primum omnes, qui cathedralibus etiam metropolitanis, aliisve inferioribus ecclesiis curam animarum habentibus præsunt, magnopere hortamur in domino, & per viscera misericordiæ Jesu Christi obtestamur, ut attendentes sibi, & universo gregi, in quo Spiritus sanctus posuit eos regere ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo, ad commissi sibi gregis salutem, cujus sanguis de eorum manibus est requirendus, debitam ei præsentiam exhibeant, & ab omni negotiorum sæcularium solicitudine vacui super ejus custodiam vigilent, atque ex apostoli præcepto in omnibus laborent, & ministerium suum impleant. Deinde, quia sæpe fieri videmus, ut quos Dei timor ad munus suum exequendum non movet, pœnarum metus impellat: omnes ecclesiasticas, tam generales, quam hujus regni particulares constitutiones, contra eos, qui non residunt, editas, innovamus: quos etiam usque ad ipsorum beneficiorum privationem inclusive ad residendum compelli volumus, & decernimus. Licebit tamen ordinariis juxta canonem fel. rec. Gregorii papæ X. in generali concilio Lugdunensi editum, gratiam dispensationis ad tempus concedere, prout causa rationabilis, & juri consona id exposcet.

Præterea, cum dignitates, personatus, & alia hujusmodi ecclesiastica officia, & ministeria in Dei ecclesiis ideo sint instituta, ut essent qui disciplinam ecclesiasticam, tanquam inspectores, & moderatores, conservarent, & augerent, quia videmus multos esse, qui, harum dignitatum, & officiorum emolumenta capientes, a propriis ecclesiis absint, nullamque eis operam impendant, non sine magno ipsarum ecclesiarum detrimento: idcirco, ut hi etiam ad suum officium præstandum compellantur, arctioribus ecclesiarum, & collegiorum statutis, & consuetudinibus in suo robore permanentibus, statuimus, ut posthac omnes decani, præpositi, & alii quascumque tam cathedralium etiam metropolitanarum, quam col-

legiatarum ecclesiarum dignitates, personas, officia, & administrationes, quocumque nomine nuncupentur, obtinentes, nec non scholarium collegiorum præfecti adsint in suis ecclesiis, & collegiis. Archidiaconi vero vel in archidiaconatibus, vel in ecclesiis cathedralibus, prout magis episcopo loci expediens visum fuerit, commorentur, ut debitam illis operam præstent. Si quis vero ultra vacationem, statutis ecclesiæ sibi concessam ab ecclesia, archidiaconatu, aut collegio suo abfuerit, tum, pro rata temporis absentiæ, in fructibus, quomodocumque sibi ratione officii, dignitatis, vel præfecturæ obvenientibus per ejus superiorem puniatur: atque hi in utilitatem mensæ ecclesiæ cathedralis, quæ pro scholaribus alendis jam erecta est, erigiturve, convertentur. Et, si longioris absentiæ ratio ita postulaverit, aliis juris remediis, etiam usque ad dignitatis, officii, vel præfecturæ privationem inclusive, juxta canonicas sanctiones, ad residentiam compelliatur. Liceat tamen iis, qui hujusmodi dignitates, & officia obtinent, ex causa rationabili, & juri consona, etiam per majorem partem capituli, seu collegii probata, de licentia superiorum ad tempus abesse.

Cum vero canonicatus, & præbendas in ecclesiis instituendi ratio, & causa hæc fuerit, ut, qui ad eos assumuntur, episcopo assistant, eumque in muneris sui functione, consilio, & opera adjuvent, & in divinis officiis celebrandis ecclesiæ, ex qua fructus percipiunt, inserviant, cumque pauci admodum sint, qui hæc præstent, ut prope jam ecclesiæ ipsæ ad solitudinem sint redactæ: statuimus & mandamus, ut posthac omnes canonici, tam cathedralium etiam metropolitanarum, quam collegiatarum ecclesiarum, qui ex fundatione, statuto, vel consuetudine in ecclesiis residere tenentur, ad personalem in eis residentiam per subtractionem fructuum, ex canonicatibus, & præbendis provenientium, pro rata temporis, quo ultra vacationem sibi statutis ecclesiæ concessam sine licentia superioris ex causa legitima, & quam major pars capituli approbaverit, abfuerint, ab eis auferendorum, & in utilitatem mensæ præfatæ convertendorum, & per alia quæcumque juris remedia compellantur. Qui vero ex fundatione, statuto, vel consuetudine ad residentiam non tenentur, si præbendam ad decem librarum annuum valorem ascendentem obtineat, nisi in ecclesia, ad quam præbenda spectat, unum mensem, vel eo plus, prout eorum superioribus visum fuerit, quotannis præsentes fuerint, & in habitu, per residentiarios ejusdem ecclesiæ canonicos geri solito, divinis officiis interfint, sextam partem proventus annui præbendæ suæ, in utilitatem scholæ prædictæ convertendam, quoties secus fecerint, amittant. Qui vero præbendam, quæ ad annuum viginti librarum valorem ascendit, obtinent, nisi & ipsi in ecclesia, ad quam præbenda pertinet, mensibus saltem duobus continuis, vel interpolatis, aut etiam pluribus ejusdem superioris arbitrio quotannis præsentes fuerint, & in habitu prædicto inservierint, ii sexta parte proventus annui præbendæ suæ, ad usum prædictum deputandæ, priventur, nisi hujusmodi fructus iis, qui divinis interfint, seu aliis piis usibus per ecclesiæ statuta, consuetudinesve, seu alias legitime sint jam applicati, quod & in aliis præcedentibus capitibus, ubi hac de re agitur, placuit observari.

Hoc insuper adjicientes, ut distributiones quotidianæ appellatæ, quæ ab interessentibus tantum percipiuntur, nemini, qui eisdem divinis non interfit, ex quantumvis justa causa, nisi ea talis sit, quæ expresse a jure, vel a statutis ecclesiæ probetur, concedantur. Eorum autem, quibus, studiorum gratia ad certum tempus indultum est, ne ad eos ordines promoveri teneantur, ad quos ratione beneficiorum, quæ obtinent promovendi essent, & ut absentes nihilominus fructus percipiant, quia plerique in nulla ex universitatibus, in quibus generale studium viget, sed in locis, ubi nullus est studiorum usus, atque exercitatio, commorantur, & non pauci etiam in studiis generalibus degentes, quidvis potius aliud agunt, quam ut literis operam dent: idcirco, ne dolus, & fraus hac in re cuiquam patrocinetur, omnibus locorum ordinariis mandamus, posthac, antequam ulli suæ jurisdictionis hujusmodi indulta concedant, diligenter inquirant, an is ad literarum studia sit aptus, & an eæ disciplinæ, quibus operam se daturum profiteatur, tales sint, quæ ei conveniant, & ecclesiæ futuræ sint utiles, & an temere, vel in fraudem hanc licentiam petat. Quam si, omnibus mature perspectis, illi concedendam duxerint, tum curent, ut sciant quibus in locis is degat, & quam vitam ducat, & quem in literis progressum faciat. Quod si otiose eum vivere, aut nihil in literis proficere cognoverint, & indultum revocent, & ad residentiam per subtractionem fructuum, & alia juris remedia compellant.

Quoniam vero beneficiorum pluralitas residentiam maxime impedit, & clericis materiam vagandi præstat: statuimus, ut, quicumque plura incompatibilia beneficia ecclesiastica de facto obtinet, unico, quod maluerit, retento (ad quod retinendum, in eventum dimissionis aliorum, seu alterius, ut sequitur, auctoritate apostolica nobis concessa, sine alieni juris præjudicio eum habilitamus) aliud, seu alia, quæ de jure tenere non potest, intra duorum mensium spatium, a præsentis decreti publicatione computandorum, in manibus sui ordinarii publice coram testibus resignet, & re ipsa dimittat: alioquin omnibus sit privatus, quæ ipso jure vacare, & ad ea obtinenda eum omnino inhabilem esse decernimus. Hanc autem per hoc breve spatium incompatibilium hujusmodi beneficiorum retentionem ex quibusdam rationabilibus causis, eadem auctoritate apostolica nobis concessa, duximus indulgendam.

Qui vero in posterum plura beneficia curam animarum habentia, seu aliter compatibilia, sine ejusdem sedis apostolicæ dispensatione, per modum unionis ad vitam, vel commendæ, vel custodiæ, præter eum modum, quem constitutio Gregoriana in concilio Lugdunensi edita permittit, aut alio quocumque nomine & titulo recipere, ac simul retinere præsumpserit: non solum secundo, & pluribus, quæ de facto obtinuit, sed etiam primo, quod canonice possidebat, sit ipso jure privatus. Omnes item alias sententias, censuras, & pœnas in constitutione fel. rec. Joannis XXII. quæ incipit, Audistis, & quibuscumque aliis tam apostolicis, quam provincialibus, & synodalibus, & apostolicæ sedis in hoc regno legatorum constitutionibus contra eos, qui hujusmodi incompatibilia beneficia obtinent, seu de illis provident, quoquo modo editas, innovamus, & debitæ executioni mandari præcipimus.

Ordinarii autem locorum eis, quicumque plura curata, aut aliter incompatibilia beneficia ecclesiastica

ecclesiastica obtinent, dispensationes suas exhibere omnino compellant, & alia agant, juxta constitutionem Gregorii XI. in concilio Lugdunensi editam, quæ incipit: Ordinarii: quam plane observari decernimus: Addentes, ut ipsi ordinarii etiam per idoneorum vicariorum deputationem, & congruæ portionis fructuum assignationem provideant, ut animarum cura nullo modo negligatur, & beneficia ipsa, debitis ministeriis non fraudentur.

DECRETUM IV.

Ut episcopi, reliquique curam animarum exercentes populo prædicent, parochique pueros prima fidei rudimenta doceant.

SED quoniam nihil, aut parum utilitatis allatura est episcoporum, & aliorum inferioris ordinis curam animarum habentium, in ecclesiis suis residentia, nisi iidem pastoris officio fungantur, quod potissimum in divini verbi prædicatione consistit: inolevit autem alicubi hic abusus, ut, episcopi munere prædicandi ad alios translato, in alia ipsi officia incumbant, contra apostolorum exemplum, qui dixerunt: *Non est aquum nos relinquere verbum, & ministrare mensis:* quod munus tamen cum in pauperibus alendis versaretur, maxime pium erat: idcirco cum hujus synodi approbatione statuimus, ut archiepiscopi, & episcopi omnes prædicationis verbi Dei munus per se ipsos obire, juxta Christi & apostolorum mandatum, & sacrorum canonum normam, teneantur: &, si quando legitimum aliquod impedimentum inciderit, quo minus id facere possint, tum, secundum statutum fe. re. Innocentii papæ III. in generali concilio editum, quod incipit: Inter cetera viros idoneos deligant ad hujusmodi prædicationis officium recte exequendum: rectores, item vicarii, & quicumque alii, curam animarum habentes, per se, vel per alios idoneos viros, si legitime ipsi impediti fuerint, saltem dominicis & aliis festis diebus plebem sibi commissam salutari predicationis cibo pascant. Quod si quis hoc necessarium prædicandi officium prætermiserit, postquam per superiorem monitus per unius mensis spatium muneri suo defuerit, per censuras ecclesiasticas, & alia juris remedia ad id ipse superior eum compellat, etiam aliquam honestam mercedem de fructibus ipsius ecclesiæ alteri, qui id præstet, assignando, donec principalis quandoque resipiscens officium suum impleat.

Huic autem prædicationis officio ita plane satisfactum erit, si non solum publice concio habeatur, sed privatim etiam pastor, quos ex grege sibi commisso a recta fide, vel a bonis moribus aberrare cognoverit, eos ad se vocatos paterne & cum omni caritatis affectu docendo, monendo, hortando, ac, si opus fuerit, deterrendo ad catholicam fidem, & rectam vivendi normam reducere conetur: qui vero & in fide, & moribus recte vivunt, in sancto eorum instituto confirmet. Quia vero sunt, qui non vocati ad prædicandum ipsi se ingerunt, cum tamen apostolus dicat: Quo modo prædicabunt, nisi mittantur? quos etiam Deus per prophetam reprehendit dicens: Ipsi currebant, & ego non mittebam illos, statutum fe. re. Innocentii papæ III. in generali concilio editum, quo sub anathematis, & aliis pœnis ei, qui in contumacia perseveraverit, infligendis, prohibetur, ne quis præter auctoritatem, ab apostolica sede, vel a catholico loci episcopo concessam, publice, vel privatim, extra quam regit ecclesiam, prædicationis officium usurpare audeat, observandum censemus.

Quos autem episcopus ad prædicandum mittet, eos de materia & modo prædicandi (multi enim in hoc officium abusus irrepserunt) cum omni pietate, & studio instruat. Hoc autem potissimum erit eis injungendum, ut in primis populum ad pœnitentiam adhortentur: quæ quidem eo magis necessaria est, quo gravius Deum offendimus, & majoribus ab eo beneficiis affecti sumus, hoc regno a pernicioſissimo schismate liberato: deinde contra ea vitia, & abusus, qui tum in doctrina, tum in moribus tempore ipsius schismatis viguerunt, quibus etiam nunc plerique sunt infecti, diligenter erudiat, moneatque.

Quia vero in multis ecclesiis concionatores desunt, ne populus propter rectorum, vicariorum, aliorumve, qui curam animarum habent, imperitiam necessario sanæ doctrinæ cibo fraudetur, quædam homiliæ a piis & doctis viris ex hujus synodi mandato de his præcipue, in quibus hic magis peccatum est, conscriptæ edentur, quas curati, qui ad concionandum idonei non erunt, loco sermonis plebi sibi commissæ plane & distincte legent.

Cum autem hic messis multa sit, operarii autem pauci, rogandus est in primis dominus messis, ut in vineam suam operarios mittat. Interim vero episcoporum erit, certos prædicatores deligere, qui omnia diœcesium suarum loca sic obeant, ut ne qua pars gregis salutari verbi Dei pabulo omnino fraudetur.

Hoc etiam eisdem agendum erit, ut quicumque curæ animarum sunt præfecti, pueros parochiæ suæ singulis saltem dominicis & aliis festivis diebus, certa hora, qua divinis officiis non erunt impediti, ad ecclesiam vocatos in primis fidei rudimentis, ac pietate, & obedientia erga Deum, & parentes diligenter instruant. Qui vero id prætermiserint, per ea juris remedia, quæ opportuna videbuntur, ad id compellentur.

DECRETUM V.

De vita, & honestate clericorum.

QUIA vero exemplum vitæ magnam auctoritatem verbo affert, estque velut quoddam prædicandi genus, ob id curandum est iis, qui aliis præsunt, ut ceteris, cum morum probitate, vitæque sanctitate, tum ea propriam domum recte gubernandi laude, quam in episcopis apostolus requirit, antecellant. Quapropter hujus regni archiepiscopos, episcopos, & reliquos omnes ecclesiarum prælatos per viscera misericordiæ Jesu Christi monemus, atque obtestamur, ut, juxta doctrinam apostoli, ita sobrie, caste ac pie vivant, ut ceteris eorum vita, & conversatio ad pietatem, & morum disciplinam exemplo esse possint. Nullo ipsi fastu, nulla pompa utantur, non vestibus sericis, non pretiosa supellectile: sit eorum mensa frugalis, & parca, non plus quam tria, aut ad summum quatuor (quod etiam magis, pro hujus temporis ratione, indulgendo, quam probando concedimus) ciborum genera, præter fructus, & bellaria, qualescumque hospites, aut convivas habeant, apponantur: reliqua mensæ condimenta sint caritas, sanctorum librorum lectio, & pii sermones. Domesticorum, & equorum numerosa, & superflua multitudine abstineant, ac tot

mini-

miniſtris contenti ſint, quot ad curæ ſibi commiſſæ adminiſtrationem, ac domus regimen, & ad quotidianos vitæ uſus erunt neceſſarii. Sint etiam de eorum moribus, & vita ſoliciti, ne ex alienis vitiis turpem contrahant infamiæ notam: curentque, ut laici ſibi inſervientes veſtitu, quod ad genera & colores veſtium attinet, modeſto, ac decenti utantur.

Ac ne hæc ſumptuum moderatio avaritiæ tribuatur, quidquid ex fructibus eccleſiarum, deductis iis, quæ earum oneribus ſuſtinendis, & ipſis, atque ipſorum familiaribus neceſſaria ſunt, ſupererit, id omne juxta illa, quæ beatus Gregorius papa Auguſtino epiſcopo de fructibus eccleſiæ diſpenſandis reſcripſit, ad pauperes Chriſti ſuſcipiendos, & alendos, ad pueros, & adoleſcentes in ſcholis & ſtudiis educandos, atque in alia pia opera ad Dei gloriam & proximi utilitatem, & aliorum exemplum diſtribuant. Sint patres pauperum, ſint orphanorum, viduarum, & oppreſſorum refugium, ac tutela. In ſacrarum ſcripturarum lectione, & in iis, quæ ad curæ ſibi commiſſæ regimen ſpectant, aſſidue verſentur: a ſæcularibus autem negotiis, & omnibus iis, quæ ordini clericali, juxta ſacrorum canonum inſtituta, minime conveniunt, abſtineant, ita ut in omnibus forma gregis vere facti agnoſcantur.

Hæc eadem reliquis etiam inferioris ordinis clericis ſequenda proponuntur: (æquum eſt enim, ut membra cum capite congruant) atque ut ii tales omnino ſint, ſtatuimus, ut locorum ordinarii curent, ut ea, quæ tam per ſacros canones generales, quam per ſedis apoſtolicæ legatorum, & provinciales hujus regni leges de vita & honeſtate clericorum ſancte & pie inſtituta ſunt, ſub pœnis in eis expreſſis, & aliis etiam ipſorum arbitrio irrogandis, ab omnibus ſuæ juriſdictionis clericis integre obſervenţur. Ac, ne quis harum rerum ignorantiam prætendat, iidem ordinarii, ut ea omnia, quæ magis neceſſaria videbuntur, in breve compendium redigantur, & cum adjectione pœnarum, & monitionibus debitis per publicas denunciationes, ſeu aliter ad omnium notitiam deducantur, curabunt. Ut autem quidam abuſus, qui in mores & vitam clericorum ſuperioris temporis vitio hic paſſim irrepſerunt, quoad ejus fieri poteſt, tollantur, de his quædam ſpecialiter, prout infra ſequitur, ſtatuenda cenſuimus.

Cum igitur perſonis regularibus profeſſis, itemque ſæcularibus in ſacris ordinibus conſtitutis, juxta ſacrorum conciliorum, & canonum ſtatuta, per antiquam ac laudabilem eccleſiæ conſuetudinem, uxores habere non liceat: quia nihilo minus plerique poſt profeſſionem emiſſam, & ſacrorum ordinum ſuſceptionem, omni Dei & legum timore poſthabito, matrimonia, quæ potius impudica contubernia ſunt appellanda, de facto contrahere non ſunt vetiti, in maximum religioſorum, & ordinis clericalis dedecus, & ſcandalum populi, & animarum ſuarum perditionem: ut tam pro præteritis, quam futuris caſibus hujuſmodi abuſui provideatur: eadem hac ſynodo approbante, nos omnia hujuſmodi matrimonia, tam a religioſis utriuſque ſexus profeſſis, quam clericis ſæcularibus, qui uſque ad ſacrum ſubdiaconatus ordinem inclusive pervenerunt, ut præmittitur, de facto contracta, damnamus, & reprobamus, ac minime de jure fieri potuiſſe, quin immo illicita, ac nefaria eſſe pronunciamus, & declaramus, mandamuſque univerſis hujus regni ordinariis, ut hujuſmodi perſonas de facto ita conjunctas, per cenſuras eccleſiaſticas, & alia juris remedia ſeparent, ac disjungant, neque ullo modo ſimul habitare permittant: ac contra omnes, quicumque hujuſmodi matrimonia defendere, ſeu in eis obſtinate perſeverare voluerint, juxta ſacrorum canonum normam ſevere procedant. Ac, ne in poſterum quidquam tale committatur, omnes conſtitutiones canonicas, tam generales, quam hujus regni particulares, contra hujuſmodi exceſſus latas, cum omnibus ſententiis, cenſuris, & pœnis in eis contentis, omnino exequendas ſtatuimus.

Præterea, cum pleræque hujus regni eccleſiaſticæ perſonæ, etiam eccleſiaſtica beneficia obtinentes, atque in ſacris ordinibus conſtitutæ, ſuæ conditionis immemores non ſolum habitum, & tonſuram ordini ſuo convenientem non gerant, ſed negotiis quoque ſæcularibus, atque exercitiis etiam vilibus, ac turpibus ſe implicent, nec horas canonicas perſolvant, nec in ſtudia literarum incumbant, aliudve omnino quidquam, quod ordini ſuo conveniat, agant, in ſacrarum legum contemptum, & clericalis ordinis dedecus: ſtatuimus, & decernimus, ut, quicumque in aliqua eccleſia præbendam ſeu cujuſcumque generis, vel appellationis beneficium eccleſiaſticum obtinet, habitum, & tonſuram clericales ſecundum canonicas ſanctiones gerere, & ab omnibus negotiis, atque exercitiis ordini clericali non convenientibus, ſeu aliter de jure prohibitis, omnino abſtinere, horaſque canonicas perſolvere, ac in ſtudia literarum incumbere, & alia quæ perſonæ ſuæ, & ordini, ac beneficio, quod obtinet, conveniunt, agere teneatur. Quod ſi quis ab ordinario monitus in hujuſmodi abuſibus perſeveraverit, is per quæcumque juris remedia, etiam uſque ad beneficiorum privationem inclusive, ſe corrigere, atque emendare cogatur. Et ſi in ſacris ordinibus conſtitutus fuerit, etiam ſi beneficium non obtineat, per eadem juris remedia ad prædictorum obſervationem nihilominus compellantur. Qui vero in minoribus tantum ordinibus conſtituti ſunt, ab illicitis & ſibi prohibitis exercitiis abſtineant: alioqui privilegiis clericalibus, juxta canonicas ſanctiones, priventur.

DECRETUM VI.

De eccleſiaſticorum ordinum collatione, & examinatione ordinandorum.

ETSI poſt divini verbi prædicationem nihil magis epiſcopo injunctum eſt, quam diligens & accurata in manuum impoſitione animadverſio, præcipiente apoſtolo, *Nemini cito manum impoſueris*, tamen, quia non ea diligentia, quæ tantæ rei convenit, adhiberi ſolet, ex quo ordinis eccleſiaſtici contemptus, & magna divini cultus diminutio oritur, eadem hanc ſynodo approbante ſtatuimus, ut omnes, & ſinguli locorum ordinarii nullum laborem in ordinum eccleſiaſticorum collatione recuſent: ſed per ſe ipſos, ſi legitime impediti non fuerint, alioqui per alios catholicos epiſcopos, cum omni ſtudio & caritate hoc munus exercentes, ſtatutis a jure temporibus, qui ex ſuis diœceſanis voluerint, & idonei cogniti fuerint, eos ordinibus initient: neminem vero ad alterius diœceſis epiſcopum, niſi ex cauſa neceſſitatis bene per eos explorata, ordinandum dimittant, idque poſtquam eum diligenter examinaverint, atque idoneum eſſe cognoverint.

Non putent autem epiſcopi ſe muneri ſuo ſatisfeciſſe, ſi eorum, qui ordinandi ſunt, examinatione ad alios rejecta, manus tantum ipſi impoſuerint,

rint. Ita enim plerumque fit, ut qui inutiles, & indigni sunt, eos, ab aliis temere, quos ea cura non admodum tangit, dignos judicatos, sacris ordinibus præter conscientiam insigniant. Quapropter omnes, & singulos episcopos in domino hortamur, ac monemus, eisque mandamus, ut ipsimet hoc munus examinandi omni studio, & diligentia exerceant. Si vero, quia multi ob diœcesium amplitudinem ordinandi sunt, aliorum auxilio indigeant, tum eorum opera utantur, quos pios, & doctos noverint, & quorum diligentiæ confidant: neque vero ob id Archidiaconos, aliosve, ad quos hoc munus pertinet, excludimus: imo vero eos assistere episcopis, eisque adjutores esse volumus. In examinatione autem eorum, qui ordinandi sint, hoc præcipue attendi debet, ne qua ii sint hæresi infecti, ut sint legitimis natalibus orti, & ætate a sacris canonibus requisita constituti, omnique defectu careant, propter quem jure ab ordinibus repellantur, sintque vitæ ac morum honestate, & probitate commendabiles, ac literarum scientia pro cujusque ordinis ratione præditi.

Est etiam diligenter animadvertendum, ne simulato, aut minus sufficienti quisque titulo promoveatur, qui postea in ordinis clericalis dedecus aut mendicare, aut quod maximè nefarium est, sacrosanctum missæ sacrificium quasi venale facere cogatur. Admonendi autem omnes, & hortandi in primis erunt, ne ad ordines suscipiendos accedant proprii commodi gratia, nec quærentes, quæ sua sunt, sed tantum, quæ Jesu Christi.

Ut autem hæc omnia accuratius fiant, qui promovendi erunt, maxime ad sacros ordines, multo ante ordinationis tempus suum desiderium episcopo significabunt, ut is de eorum statu, & conditione commode inquirere, & cognoscere possit: ac demum feria quinta, diem ordinationis proxime præcedente, se præsentent, ac dent nomina, eodemque & sequentibus diebus hora statuta diligenter examinentur. Afferant autem omnes de iis, quæ dicta sunt, certa, ac fide dicta testimonia non modo suorum parochorum, sed etiam præceptorum, aliorumque proborum hominum, qui ipsos bene noverint.

Et, ut ab omni peccatorum labe purgati, & qua convenit devotione ad sacros ordines suscipiendos accedant, peccata sua idoneo sacerdoti ante confiteantur, qui, eorum vitæ conditionem sedulo scrutatus, intelligat, an forte aliqua irregularitate, aut alio quopiam impedimento teneantur, ut expediat eos ab ordinibus vel omnino abstinere, vel quoad hujusmodi impedimentum tollatur, sumantque etiam die ordinationis sanctissimum eucharistiæ sacramentum.

Licet autem in minoribus ordinibus tam exacta cura non requiratur, nihilo minus & in his pro gradu, & ratione ordinis suscipiendi eorum omnium, quæ superius dicta sunt, habenda est.

DECRETUM VII.

De ecclesiasticorum beneficiorum provisione.

Cum ecclesiastica beneficia dignis tantum, & idoneis personis conferenda sint, quæ velint, & possint officium, propter quod beneficium datur, exequi: id quod docet exemplum apostolorum, qui cum diaconos septem electuri essent, convocata discipulorum multitudine dixerunt, *considerate, fratres, ex vobis viros boni testimonii septem, plenos Spiritu sancto, & sapientia, quos constituamus super hoc opus*: idcirco omnes episcopos, ad quos id spectat, admonitos etiam atque etiam volumus, ut, omni humano affectu, rationeque posthabita, eis, quos maxime idoneos, atque optimos invenire potuerunt, ecclesiastica munera, ea in primis, quæ aliorum curam habent annexam, conferant, atque committant, quærentes non quæ sua sunt, aut consanguineorum, ceterorumve ad ipsos secundum carnem quovis modo pertinentium, sed quæ Jesu Christi.

Cumque illud apostoli, *Nemini cito manum imposueris*, non tam ecclesiasticorum ordinum collationem, quam ministrorum institutionem respiciat: episcopi nemini ecclesiastica beneficia, maxime curam animarum habentia, nisi prius diligenti inquisitione & examinatione habita, committant. In qua eadem, & multo quidem magis spectari debent, quæ in ordinibus conferendis spectanda esse diximus, sana doctrina, ætas matura, item morum gravitas, & literarum scientia: præterea, an, qui præficiendus est, in iis saltem ordinibus, qui beneficii sibi committendi muneri conveniunt, juxta canonicas sanctiones, vel ecclesiarum statuta, seu beneficiorum fundationem sit constitutus, & an ambitione, avaritiave, aut alio humano affectu ad divina ministeria suscipienda accedat. Habeat autem unusquisque bonum testimonium hominum fide dignorum, cum quibus diutius versatus fuerit: & ab episcopo officii & oneris sibi impositi, diligenter admoneatur.

Cum vero ad beneficium, quod personalem residentiam postulet, assumendus est, perquirat episcopus, an is talis sit, qui & velit, & possit in eo residere. Nam si aliud beneficium incompatibile jam obtineat, sive quid aliud sit, quod ejus residentiam impediat: eum ne admittat. Quod si nihil tale obstet, tamen, ante quam eum beneficio præficiat, promissionem ab eo de personaliter residendo, etiam jurejurando recipiat, apposita pœna amissionis beneficii, si secus fecerit, incurrenda: quam promissionem, & juramentum in vicariorum provisionibus tantum recipi debere, juxta provinciales constitutiones declaramus.

Episcopis etiam curandum erit, ut a præfectis universitatum & collegiorum scripta habeant nomina eorum, qui moribus, & doctrina ad beneficia obtinenda idonei sint, ut, si quod beneficium vacaverit, sciant, quibus id statim conferre possint. Eos etiam omnem diligentiam adhibere oportebit pervestigandis hominibus doctis, & piis, qui sibi in ecclesiarum suarum regimine adjumento futuri sint.

Quoniam autem valde periculosa est diutina ecclesiarum vacatio, omnes episcopos in domino hortamur, ac monemus, ut beneficiis vacantibus, quorum collatio ad eos pertineat, etiam non expectato tempore a sacris canonibus præfinito, quam citissime possint, de idoneis rectoribus, & pastoribus provideant. Durante vero earum vacatione, procurent, ut ita gubernentur, ne quid detrimenti ipsæ, & plebes, si quas habent sibi commissas, patiantur.

Quæ vero de episcopis supra diximus, eadem ad alios omnes, quicumque non solum conferendi libere, sed eligendi, instituendi, seu quomodolibet de beneficiis ecclesiasticis disponendi facultatem habent, dicenda erunt, pœnis canonicis contra eos, qui indignos ad beneficia promoverint, innovatis.

DECRE-

DECRETUM VIII.

Ne concessiones juris præsentandi, seu advocationum fiant, neve in quempiam facultates disponendi de beneficiis vacaturis contra sacrorum canonum dispositionem transferantur.

Cum in fraudem statuti Lateranensis concilii de beneficiorum non vacantium dispositionibus, seu promissionibus nemini faciendis, multi in alios jus præsentandi, seu de hujusmodi beneficiis disponendi potestatem transferant, ut hic abusus, qui hic frequens est, & ex quo multa mala oriri comperimus, tollatur, cum præsentis synodi approbatione omnes juris præsentandi, seu eligendi donationes, seu advocationum concessiones ad beneficia vacatura, vel ea conferendi, seu quomodolibet de illis disponendi facultates per quoscumque quavis auctoritate vel dignitate fungentes, in posterum contra sacrorum canonum instituta fieri prohibemus: & si, quæ fient, eas irritas, & inanes esse decernimus. Et, si quis ecclesiastici ordinis jura & facultates ejusmodi, ut præfertur, in alium transtulerit, tum jure de ejusmodi beneficiis disponendi pro ea & altera vice sit eo ipso privatus, eorumque dispositio & ordinatio ad superiorem, qui in hoc non deliquerit, devolvatur. Quicumque vero ad aliquod beneficium vigore prædictarum concessionum, seu facultatum se per quemcumque præsentari, vel alio modo sibi provideri permiserit, seu consenserit, vel quomodolibet id obtinuerit, non solum eo sic obtento sit ipso jure privatus, sed sed ad omnia beneficia ecclesiastica obtinenda per quinquennium inhabilis fiat.

Præterea, omnibus locorum ordinariis inhibemus, ne quem vigore hujusmodi concessionum sibi præsentatum, vel electum, in dictis beneficiis instituant, seu confirment, sed eum, tanquam ambitiosum, & sacrarum legum contemptorem, repellant: volentes omnino, ut prædictum Lateranensis concilii statutum ab omnibus observetur, nec ei, sub pœnis, tam quoad actus nullitatem, quam quoad personas contra id delinquentes, superius annotatis, directe vel indirecte ullo modo, vel prætextu contraveniatur.

DECRETUM IX.

De simonia.

Cum detestabile simoniacæ pravitatis scelus, quod ex avaritia, quæ est idolorum servitus, & omnium malorum radix, oritur, tam divinæ scripturæ, quam sacrorum canonum auctoritas vehementer execretur, ac damnet: ut pestiferum hoc vitium, quod proximis temporibus maxime hic viguit, tollatur, præsenti hoc decreto omnem pecuniæ dationem, fructuum etiam minimæ partis donationem, prædiorum ad firmam seu affictum concessionem, omnem denique pactionem, promissionem, & conventionem, in cujuslibet beneficii ecclesiastici adeptione, vel circa eam quovis modo interpositam, rejicimus, atque damnamus: cum ecclesiastica beneficia gratis, libere, & sine ulla conditione vel sorde dari, & recipi debeant. Præsentationes vero, electiones, postulationes, institutiones, confirmationes, collationes, & cujuslibet generis beneficiorum ecclesiasticorum dispositiones, in quibus prædicta, vel unum aliquod ex prædictis directe, seu indirecte, non solum per eos, ad quos de ipsis beneficiis A dispone pertineat, sed etiam per eorum familiares, & quosvis alios intercessores, & mediatores interposita fuerint, nullam prorsus vim habere decernimus, ita ut non modo in ejusmodi adeptionibus nullum jus quisquam acquirat, verum etiam si quos inde fructus perceperit, eos omnes restituere teneatur, sitque eo facto ad omnia ecclesiastica beneficia in perpetuum inhabilis.

Personæ autem ecclesiasticæ, quæ alio modo ex prædictis in disponendo de beneficiis ecclesiasticis deliquerint, quacumque dignitate fungantur, sint eo ipso infames, & omni juris patronatus, seu qualibet alia de beneficiis hujusmodi disponendi facultate privati, atque hæc ipsa immediate ad superiorem, qui in prædictis non peccaverit, libere devolvantur. Laici vero patroni, qui B propter aliquod commodum, seu emolumentum ex his, quæ infrascripta juramenti forma exprimuntur, quemquam præsentaverint, in sententiam excommunicationis, & in alias ecclesiasticas pœnas incurrant. Qui autem in his quocumque modo intercessores, seu mediatores fuerint, ii sint eo ipso ad omnes actus canonicos inhabiles: &, si quid acceperint, ad restitutionem ejus alicui loco pio applicandi per sententias ecclesiasticas, & alia juris remedia compellantur.

Præterea, omnibus locorum ordinariis mandamus, ut etiam juxta provincialis concilii statutum ab eo, qui præsentatus fuerit, juramentum secundum formam infrascriptam recipiant. Item- C que se. re. Pauli papæ II. constitutionem, quæ incipit: *Cum detestabile*: & quascumque alias tam generales, quam hujus regni speciales ecclesiasticas leges contra simoniacos, non solum quoad beneficiorum provisiones, ut præfertur, sed etiam, quoad ordinum, & aliorum sacramentorum administrationem pure & sine aliqua labe faciendam latas, innovamus, atque, ut hæ inviolabiliter observentur, præcipimus. Juramenti autem per præsentatum præstandi forma talis est: *Ego N. præsentatus ad beneficium de N. juro ad hæc sacrosancta Dei evangelia, per me corporaliter tacta, quod propter prædictum beneficium obtinendum, aut præservationem ad idem habendum, aut acquirendum, neque ego, neque alia persona vice & nomine* D *meo, nec de consensu, aut scientia mea, patrono, seu alii cuicumque aliquid præmissorum nomine, aut intuitu promisimus, aut dedimus nec quidquam ejus rei gratia permutavimus, compensavimus, aut prius datum confirmavimus, apudve quemquam deposuimus, seu quidquam mutuavimus, seu elocavimus, priusve mutuatum, commodatum, depositum, aut elocatum, aut quocumque modo debitum remisimus, seu relaxavimus, nec de sanctuario, gleba, domibus, terris, prædiis, tenimentis, reditibus prædictæ ecclesiæ, fructibus vel decimis, aut oblationibus ejusdem præteritis, præsentibus, aut futuris, donationem, remissionem, locationemve promisimus, fecimus, aut inivimus, seu aliquis nostrum de mandato, scientia aut consensu meo promisit, fecit, aut inivit. Ita me Deus* E *adjuvet, & hæc sancta Dei evangelia.*

DECRETUM X.

De rebus ecclesiæ non alienandis, & bonorum inventario conficiendo, & officiis ecclesiasticis non locandis.

Ecclesiarum indemnitatibus in posterum omnino prospicere cupientes, hac eadem synodo

nodo approbante ſtatuimus, confirmationem ſe. A re. Pauli papæ II. de rebus eccleſiæ non alienandis, quæ incipit: *Ambitioſe*, ſub pœnis in ea contentis obſervari debere, quibuſcumque aliis tam generalibus, quam hujus regni particularibus eccleſiaſticis proviſionibus ſuper eadem re in ſuo nihilominus robore permanſuris.

Itemque archiepiſcopis, epiſcopis, & omnibus piorum locorum gubernatoribus, ſeu adminiſtratoribus, & aliis quibuſcumque perſonis eccleſiaſticis, eccleſiaſtica beneficia, quocumque nomine nuncupentur, obtinentibus, mandamus, ut infra ſex menſium ſpatium, a præſentium publicatione computandorum inventarium omnium bonorum mobilium, & immobilium, jurium, actionum, ac nominum, ſeu debitorum ad eccleſias, vel B pia loca, quæ obtinent, aut regunt, quovis modo pertinentium, cum eorum qualitatibus & confinibus coram pluribus honeſtis & fide dignis teſtibus in forma probante conficiant: quod quidem inventarium tertio quoque anno, & quoties in eadem eccleſia, ſeu pio loco alius quis ſuccedit, renovetur.

Hujus autem inventarii duo fiant publica inſtrumenta: quorum unum in propria eccleſia, ſeu pio loco, alterum, ſi ſit eccleſia metropolitana, apud capitulum, ſi cathedralis, apud metropolitanum, ſi vero aliarum inferiorum eccleſiarum, vel beneficiorum, vel piorum locorum, apud epiſcopum perpetuo cuſtodiatur. Metropolitani vero, aliive locorum ordinarii in provinciarum, & dioceſium ſuarum viſitationibus, ſive qui alii eorum vice viſitabunt, dicta inventaria apud ſe habeant, & diligenter inquirant, an eorum, quæ in inventario deſcripta ſint, aliquid deſit: quod ſi quid deeſſe compererint, id recuperare, ſeu ad jus priſtinum eccleſiarum revocare conſtituant, culpam, ſeu negligentiam cujuſlibet hac in re juxta canonicas ſanctiones ſevere puniendo: exceptis tamen ſemper iis quæ circa bona eccleſiaſtica, ante ab eccleſiis ablata, jam auctoritate apoſtolica ſtatuta ſunt, quibus per hoc nullo modo derogari volumus.

Præterea, conſtitutiones bonæ memoriæ Othonis, & Othoboni in hoc regno ſedis apoſtolicæ legatorum editas, ut dignitates, vel officia, de- D canatus, archidiaconatus, ſive proventus ex juriſdictionis ſpiritualis exercitio provenientes, nullo modo locentur, ſeu dentur ad firmam, innovamus, utque ab omnibus ſub pœnis in eis contentis obſerventur, præcipimus. Addimus etiam, ut reliqua beneficia ultra anni ſpatium ſine ulla innovationis ſpe ad locationem, ſeu firmam concedere nemini liceat, præter ordinarii conſenſum: quem is non ante præſtabit, quam, quibus perſonis, & ob quam cauſam hujuſmodi conceſſiones fiant, diligenter cognoverit.

DECRETUM XI.

Ut in cathedralibus certus initiatorum numerus educetur, ex quo, tanquam ex ſeminario eligi poſſint, qui digne eccleſiis præficiantur.

Cum magna ſit hoc tempore eccleſiaſticarum perſonarum penuria, præſertim idonearum, quæ eccleſiis, ſeu eccleſiaſticis muneribus vel præficiantur, vel inſerviant: atque huic incommodo nulla ratione magis occurri poſſit, quam ſi ſoboles quædam, & tanquam ſeminarium miniſtrorum ſaltem in cathedralibus eccleſiis inſtituatur, & conſervetur: hac eadem ſynodo approbante ſtatuimus, & decernimus, ut ſingulæ metropolitanæ, & cathedrales hujus regni eccleſiæ, pro cujuſque cenſu, & facultatibus, proque dioceſis amplitudine certum numerum puerorum alere teneantur.

In hunc vero qui cooptandi erunt, annos ſint minimum undecim, vel duodecim nati, qui & legere ſciant, & ſcribere, & quorum indoles, ac voluntas certiorem ſpem afferat, eos ſacerdotes futuros, & eccleſiaſticis muneribus perpetuo inſervituros.

Pauperum autem filios præcipue eligi volumus, neque tamen ditiorum excludimus, modo B ſtudium præſeferant Deo & eccleſiæ inſerviendi. Hi primum grammaticam diſcant: poſt, in ipſam metropolitanam, ſeu cathedralem eccleſiam adſciti, ſub cancellario eccleſiæ, aut alio docto, & gravi viro, qui ad hoc munus delectus ſit, in eccleſiaſtica doctrina, & diſciplina erudiantur. Horum claſſes inſtituentur duæ, altera provectiorum ætate, & literis, quos acolytos eſſe volumus, quibus, præter victum, & togam, quam liberalem vocant, mercedis etiam aliquid in ſingulos annos attribuetur: altera juniorum, quibus toga, & menſa tantum dabitur. Univerſi autem tam prioris claſſis, quam poſterioris, tonſura, & habitu clericali, eademque vivendi ratione utentur, & divinis in eccleſia officiis opportune inſervient. Porro C ex acolytorum claſſe quicumque ad ætatem legitimam perveneriat, & in moribus, atque in literis profecerint, ſacris ordinibus initiabuntur, & ipſi cathedrali, ſeu metropolitanæ eccleſiæ, in quocumque miniſterio epiſcopo, & capitulo commodum videbitur, operam ſuam navabunt: atque in his ut pro cujuſque merito beneficium aliquod eccleſiaſticum deferatur, ipſe epiſcopus, & capitulum curabit. In eorum autem locum, qui ex acolytorum claſſe ad ordines ſacros, & majora eccleſiæ munera adſciſcentur, ſubſtituendi erunt, qui ex claſſe inferiori moribus, ætate, ac literis proxime accedant.

Ad ſcholam grammaticæ, & alia commoda, diſcendi cauſa, admittantur alii etiam civitatis & D dioceſis pueri: qui tamen ſint honeſte educati, bonis moribus præditi: quibus eodem veſtitu, quo ceteris, utendum erit, atque eodem modo vivendum. Ex his autem, qui maxime idoneus erit, & eccleſiæ inſerviendi voluntatem præſeferet, in ejus locum ſufficietur, qui ex clericorum numero deſiderabitur. Et quia, ad hanc puerorum ſobolem alendam, neceſſe eſt, ut, quoad certa dos ex reditibus beneficiorum, quæ deinceps vacaverint, huic tam pio operi in perpetuum aſſignandorum, ſeu quo alio modo erit conſtituta, quod brevi factum iri ſperamus, cenſus aliquis annuus ad tempus provideatur, qui tam puerorum victui, quam præceptorum ſtipendiis ſufficere poſſit, ſtatuimus ut archiepiſcopi, & epiſcopi E omnes fructuum annuorum, quos ex proventibus epiſcopatuum ſuorum percipiunt, deductis decimis, ſubſidiis, & feudis, quadrageſimam partem cum ad ipſos pueros alendos, tum etiam ad mercedem ſolvendam magiſtris, qui eos in grammatica, & eccleſiaſtica doctrina & diſciplina erudient, in ſingulos annos pendant.

Quod item ab omnibus præbendas, vel beneficia quæcumque eccleſiaſtica aut jam obtinent, aut poſthac obtinebunt, fieri volumus, ac jubemus, ut ſcilicet ex fructibus beneficiorum ſuorum, quæ vel ſingula, vel plura ſimul, decimis, ſubſidiis, & feudis, ut præfertur, deductis, ad annuum cenſum

ſum viginti librarum aſcendant, partem quadrageſimam ad hos ipſos uſus in ea diœceſi, in qua beneficia obtinent, quotannis perſolvant. Id quod eos, licet aliis multis oneribus gravatos, pro ſua tamen erga Deum pietate, & in ejus eccleſiam, quæ nunc miniſtrorum idoneorum penuria magnopere deformatur, officio, & ſtudio haud gravatim facturos eſſe confidimus.

Præterea ſtatuimus, ut epiſcopus ſimul cum decano, & capitulo cathedralis eccleſiæ hujus puerorum ſcholæ curam gerant, certiſque hominibus negotium dent, ut hunc cenſum ab omnibus iis, qui ſolvere tenebuntur, in terminis, & locis, ac ſub cenſuris, & pœnis eorumdem epiſcopi, & capituli arbitrio ſtatuendis, exigant. Reliqua vero, quæ ad hanc ſcholam bene ac feliciter adminiſtrandam, tuendamque erunt ſtatuenda, quæ multa adhuc reſtant, in proxima convocatione, Deo favente, providebuntur.

Cum autem ad ſanam doctrinam, & bonos mores conſervandos maxime conducat, ut erudiendæ juventuti magiſtri rectitudine fidei, honeſtate vitæ, & eruditione commendabiles præficiantur: idcirco ſtatuimus, ut ne quis ulli ſcholæ in quocumque loco magiſter præficiatur, aut quomodo libet munus docendi ſuſcipiat, niſi prius a loci ordinario diligenter examinatus, ac probatus fuerit, deque iis libris admonitus, qui in ſcholis tam ad eruditionem, quam ad excolendos juventutis mores legendi ſunt. Qui vero huic decreto non paruerit, ſententiam excommunicationis incurrat, & munere docendi ad triennium prohibeatur. Eorum autem, qui jam ſcholis præfecti ſunt, fides, mores, & doctrina ſedulo examinentur: &, ſi tales reperti fuerint, quales in præſenti conſtitutione requirimus, confirmentur, & de omnibus ſupradictis admoneantur: ſin aliter, eos amoveri, & in eorum locum alios idoneos ſuffici mandamus.

DECRETUM XII.

De viſitatione eccleſiarum.

CUM eccleſiarum viſitatio ad vitia, & abuſus tollendos, ac rurſus ad bonos mores inducendos, ac legum eccleſiaſticarum vim & uſum retinendum non ſolum utilis, verum etiam neceſſaria ſit, cum præſentis ſynodi approbatione ſtatuimus, ut epiſcopi, & alii locorum ordinarii diœceſes, & loca ſibi commiſſa, juxta antiquam hujus regni conſuetudinem, ſingulis trienniis per ſeipſos, ſi legitime impediti non fuerint, ſin minus, per idoneos ſubſtitutos cum omni pietatis, & caritatis zelo viſitare non omittant.

In primis autem monemus omnes viſitatores, ut in viſitationibus ipſis ſecum eos tantum ducant, quorum opera neceſſario indigeant, & illos quidem tales, qui ceteris honeſtatis & probitatis exemplo eſſe poſſint, utque ad victum mediocri ſumptu ſint contenti, atque viſitationem, quam celerrime fieri poſſit, expediant, nec fruſtra alienis expenſis tempus conterant.

Hoc autem ordine viſitatio inſtituenda erit, ut primum civitas, deinde diœceſis, niſi forte aliter aliqua exigat neceſſitas, viſitetur. In civitate vero a cathedrali eccleſia inchoandum: deinde ad ſingulas collegiatas, poſtremo ad parochiales tranſeundum eſt: ubi non ſolum parochi, ſed ceteri etiam, ſi qui in parochiis commorantur, ſacerdotes & clerici evocentur. Viſitandæ etiam ſunt ſcholæ, & bibliothecæ, ac demum hoſpitalia diligenter perluſtranda.

In viſitatione epiſcopi verbum Dei proponent: ſacramentum chriſmatis, ſeu confirmationem conferent. Item, vel ipſi per ſe, vel alios, per eos ad eam rem delectos, in caſibus ſibi reſervatis, pœnitentia ſalutari impoſita, beneficium abſolutionis iis, qui eo indiguerint, & illud humiliter petierint, impendent, ad idque omnes paterno caritatis affectu invitabunt, atque hortabuntur.

In locis viſitandis deligantur in primis viri probi, bonæ exiſtimationis, & graves quatuor, aut quinque, pluresve pro cleri, & plebis multitudine, qui vitam, ac mores tam laicorum, quam clericorum probe noverint: iiſque etiam jurejurando aſtringantur, ut libere, omnique humano affectu remoto, ea indicent, & niſi probent ea, quæ referant, rejiciantur. In ſingularum autem parochialium eccleſiarum viſitatione infraſcripta omnia ſedulo inveſtiganda ſunt, atque inſpicienda: an ſacramenta munde, ac tuto cuſtodiantur, ſuoque tempore renoventur: an rite, recteque adminiſtrentur: an ſanctiſſimum Chriſti corpus ad ægrotos honorifice, & devote cum luminibus, tintinnabulo, & ceteris, quæ mos eſt adhiberi, deferatur: an matrimonia licite, & in eccleſia reverenter, proclamationibus præcedentibus, & tempore non interdicto contrahantur: an ipſi parochi habeant libros, in quibus nomina eorum qui baptizantur, cum compatribus, itemque defunctorum, & matrimonia contrahentium deſcribantur. Eccleſiæ autem, & altaria, ſi non ſint conſecrata, conſecrentur, ſi polluta, reconcilientur: omnia in eccleſia munda, ac decentia, & tuta ſint. Cœmeterium claudatur, ne beſtiæ ingredi poſſint: neve quo alio modo fœdetur. Si eccleſia, chorus, campanile, ſacriſtia, vel domus reparatione indigeat, iis mandetur, ad quos ea res pertinet, ut, quæ reparanda ſint, pro facultatibus eccleſiæ, ſeu parochiæ reparent, atque reſarciant. Præterea, inſpiciendum eſt, an omnia ſuppetant, quæ ad altaris miniſterium, & ad officia divina ſunt neceſſaria, calices, patinæ, corporalia, veſtes, libri, & reliqua: an miſſæ, & alia divina officia non ſolum rite, & recte, ſed etiam pie, ac devote celebrentur: an ſit unus ſaltem clericus, qui miſſæ cum mundo ac decenti ſuperpelliceo inſerviat: an libri, & ſcripturæ antiquæ, aliaque inſtrumenta, & privilegia eccleſiæ diligenter aſſerventur.

His omnibus accurate inſpectis, quæ ad eccleſiam pertinent: proximum erit, ut de miniſtris eccleſiæ, & aliorum clericorum quæratur: Ac primum, an rite, & recte ſint ordinati: an in ordinibus muneri ſuo convenientibus conſtituti. Tum de eccleſiarum, ſeu beneficiorum titulis cognoſcendum: an aliqui ſe intruſerint: an incompatibilia ſine ſufficienti diſpenſatione teneant: an reſideant, & officio ſibi commiſſo, tam quoad ſacramenta adminiſtranda, quam quoad miſſas, & alia divina officia celebranda, & anniverſariis perſolvendis, aliiſque oneribus ſibi impoſitis ſatisfaciant: an eccleſias proprias, ut alienis inſerviant, maxime feſtis diebus derelinquant: an populum ſalutari divini verbi cibo diligenter paſcant, & pueros prima fidei rudimenta doceant: an libros ad hæc, & alia, quæ ad officium curati ſpectant, neceſſarios habeant. De eorum vita, moribus, habitu, converſatione, familia inquirendum: an opera vilia, & ipſis non permiſſa exerceant: an in tabernis, aliiſve locis non convenientibus verſentur: an bona eccleſiæ, & jura tueantur: an egentibus ſubveniant: an ſint pacifici,

cifici, & ad tollendas inimicitias atque odia diligentes.

Poſtremo ad diſciplinam populi erit veniendum, advertendumque an in populo hæretici ſint, an inconfeſſi, an uſurarii, an concubinarii, aliive, qui in peccatis vivant, & inſordeſcant: an inter aliquos odia, & inimicitiæ intercedant: an ſint, qui quadrageſimam, aliave jejunia, feſta, & reliquos laudabiles eccleſiæ ritus non obſervent. Atque in licentiis apoſtolica, aliave legitima auctoritate conceſſis comedendi carnes, ova, & lacticinia tempore prohibito, ſive quid aliquid agendi præter conſtitutiones & morem eccleſiæ, inſpiciendum erit, an cauſæ expreſſæ, & alia narrata ſint vera, & an ipſius conceſſionis forma ſervata. Præterea, quærendum, an pia legata ſint, quæ executioni non mandentur: an populus devote in eccleſia verſetur, & integram miſſam attente reverenterque audiat: an inter divina officia fiant deambulationes: an patres familias liberos, & domum honeſte, & pie inſtituant, & gubernent.

Si ſint hoſpitalia: quo modo regantur: an eorum bona in pauperum uſus fideliter diſpenſentur: an ſancte, & pie in eis vivatur.

Si ſcholæ: de magiſtris quærendum, quos libros interpretentur, an recte officio ſuo fungantur. Simulque providendum erit, ne quis, ut præſenti ſynodo conſtitutum eſt, ad docendum admittatur, niſi prius ab epiſcopo probatus fuerit: &, ſi quis idoneus non ſit, amoveatur.

De bibliothecis inquirendum, an ſint in eis, vendanturve libri hæretici, aut aliter de jure prohibiti.

Si eccleſiæ habeant capitula, ſeu collegia, animadvertatur, an, qui dignitates, & præbendas in eis obtinent, tam divinis horis debite & devote celebrandis, quam ceteris in rebus, quæ ipſis incumbunt, præſtandis, muneri ſatisfaciant.

His ita perſpectis, & cognitis, viſitator, quæ recte ſe habebunt, laudabit, quæ ſecus, reprehendet, eaque uti corrigantur, atque emendentur, per cenſuras, & alia juris remedia, ſi opus fuerit, curabit: monebit autem omnes, ut officium ſibi commiſſum diligenter exequantur.

Metropolitani in ſuarum viſitatione provinciarum ordinem a felicis recordationis Innocentio papa IV. in conſtitutione, quæ incipit: *Romana eccleſia*: ſervabunt, & inter alia de his diligenter inquirent; an epiſcopi reſideant in ſuis diœceſibus: an prædicent verbum Dei: an ita vivant, ut eos decet: quemadmodum ſe gerant in ordinibus & beneficiis conferendis, deputandis confeſſoribus, exceſſibus eorum, qui ſuæ ſunt jurisdictionis, puniendis, in viſitatione diœceſum, ceteriſque ad officium epiſcopale, ac jurisdictionem, & adminiſtrationem in ſpiritualibus & temporalibus quomodolibet ſpectantibus, denique, an generales canones, & eccleſiaſtica hujus regni inſtituta obſervent: &, ſi quæ corrigenda erunt, quæ corrigi poſſint, corrigent: ſin minus, ad ſynodum provincialem referent: verum, ſi quid hujuſmodi erit, ad quod corigendum, ac reformandum majori auctoritate opus eſſe videtur, tum ad ſedem apoſtolicam recurrent.

Archidiaconi partem diœceſis, curæ ac fidei ſuæ creditam, in iis, quæ ad eos pertinent, ſecundum præſcriptam formam viſitent: graviora, & quæ per eos emendari non poſſint, ad epiſcopos referant. Operam autem dabunt, ut ea, quæ in viſitatione per epiſcopum ſtatuta ac mandata ſint, perficiantur: ac de iis, quæ perfecta fuerint, aut non perfecta, ſimulque de cauſis, quæ eorum executionem impediant, epiſcopum ſtatim admonebunt. Atque, ut iidem archidiaconi, qui epiſcoporum oculi appellantur, quod officii ſui, & muneris eſt, tam in viſitationibus, quam ceteris in rebus diligenter præſtent, conſtitutiones provinciales, ac bonæ memoriæ Othonis, & Othoboni, ſedis apoſtolicæ in hoc regno legatorum, hac de re pie, ac provide editas, cum præſentis ſynodi approbatione innovamus, eaſque omnino obſervari præcipimus.

Præterea conſtitutioni præfati Othoboni, qua præter cetera cavetur, ne archidiaconi ob crimen manifeſtum a ſubditis pecunias accipiant, ſed illud digna animadverſione puniant: hoc amplius addimus, atque ſtatuimus, ut ſi quis contra id facere audeat, pœna dupli ejus, quod acceperit, per diœceſanum epiſcopum multetur, eaque pecunia in utilitatem menſæ ſcholarium, in eccleſia cathedrali erectæ, vel erigendæ convertatur.

Ut autem eccleſiarum prælati officium correctionis, & reformationis eorum, qui ſuæ jurisdictioni ſubſunt, libere exercere poſſint, conſtitutionem felicis recordationis Innocentii III. in concilio generali editam, qua ſtatuit, ut iidem prælati ſuæ jurisdictioni ſubditorum exceſſus, appellatione remota, vel conſuetudine non obſtante, corrigant, & reforment, innovamus, & ab omnibus hic obſervari præcipimus. Datum Lambethi, prope Londinum Wintonienſis diœceſis, MDLVI. IV. Idus Febr.

PETRI FONTIDONII DOCTORIS theologi pro ſacro, & œcumenico concilio Tridentino adverſus Joannem Fabricium Montanum, ad Germanos oratio. "

" Apologia dicitur in editione Antuerpienſi Plautiniana anni 1574. cum qua Lovanienſem contulimus: emendavimus, locupletavimus.

Reſponde ſtulto juxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens eſſe videatur. Prov. c. 26.

ETSI ad aſſerendam ſacroſancti concilii Tridentini auctoritatem, & ad inſanam Joannis Fabricii Montani maledicendi libidinem comprimendam, fruſtra fortaſſe hic a nobis labor ſuſceptus eſſe videatur, cum & concilii auctoritas ſumma Spiritus ſancti præſentia, atque patrocinio, contra ſceleratorum hominum audaciam, tecta ſatis atque munita ſit, & Fabricii improbiſſima oratio omnium ſit bonorum virorum judicio opinioneque damnata, quam nemo eſt qui legat, qui non miretur, & monſtri ſimile ducat, repertum fuiſſe hominem, qui id fuerit aggreſſus, quod vel dæmonis ipſius fugiſſet & reformidaſſet audacia: ſed quoniam ad vos, o viri Germani, admonendos oblata hæc occaſio aptiſſima viſa eſt, non tam quidem ut homini ſcelerato, & improbo reſpondeam (quem omnes extremo potius ſupplicio, quam ulla reſponſione dignum arbitrantur) quam ut illuſtriſſimo eccleſiæ principi epiſcopo Salmantino, qui mihi hanc provinciam impoſuit, & piis etiam aliis, atque doctiſſimis viris, qui id a me impenſe flagitarunt, ſatisfaciam, tum vero ut tantam hujuſce rei indignitatem veſtris oculis objiciam: hunc mihi laborem ſuſcipiendum putavi. Ut ſi minus maternis eccleſiæ vocibus quæ veſtræ potiſſimum ſalutis ſtudio, hoc tantum

tum concilium cogendum curavit, si minus, illis lacrymis, quas vestri desiderio fundit, commovemini, tam improbis saltem, tam audacibus, tam nefariis, & sceleratis ministris, tamdiu vos servire (ut par est) indignissimum judicetis. Quid enim, obsecro per Deum immortalem, indignius fingi, aut excogitari potest, quam sapientem, generosamque Germaniam magna ex parte sic a veteri sua gloria degenerasse, ut se ab iis hominibus misere captivam duci patiatur? Quid turpius, quam iis parere præceptoribus qui dum se veros evangelii sectatores profitentur, sic omnem evangelicam modestiam exuerunt, ut ab omnibus evangelii potius hostes, quam vere cultores judicentur. Quid ignominiosius, quam istorum hominum causa, in eam infamiæ notam incurrisse, ut nullus sit, qui non eam aut tam cæcam, & stupidam arbitretur, quæ se decipi non sentiat, aut tam abjectam, quæ turpissimum istud servitutis jugum a sordidissimis hominibus liberis suis cervicibus imponi patiatur? Quod si nulla hactenus hujusmodi infamia laborasset, eam nunc illi vel maximam hac unica oratione Fabricius inussisset; quam qui legunt, cum cogitant esse in Germania hominem, quem plerique Germanorum (neque enim omnes istorum erroribus acquiescunt) tanquam Christi ministrum (si diis placet) suscipiant, & venerentur, quem virtutis ducem, atque magistrum sequantur, quem veluti probitatis, mansuetudinis, bonitatis, & evangelicæ modestiæ exemplum sibi imitandum proposuerint. Qui tamen sacrum, & œcumenicum concilium, maxima tamen frequentia, communi totius orbis consensu, summis & ardentibus Christianæ reipublicæ votis, sanandi ecclesiæ vulnera, instaurandæ religionis, & componendæ pacis studio coactum, quod vel angeli ipsi reverentur, ipse improbissimis contumeliis, & opprobriis lacessiverit. Cum cogitant esse in Germania aliquam rempublicam, tam barbaram, tam suæ dignitatis, & existimationis oblitam, quæ hujusmodi orationem prælo committi, & in publicum prodire patiatur: non illi quidem indignantur, sed dolent: non irascuntur, sed misericordia commoventur: & illa justissima indignatio, quam vel a mansuetissimo pectore tanti sceleris immanitas extorquere potuisset, in lacrymas & commiserationem versa efficit, ut omnes jam miseram conditionem & infelicissimam Germanorum sortem lamententur. Qui abstracti a via veritatis, & in errorum præcipitia devoluti, divina clementia, & omni cœlesti lumine destituti, & in profundum cæcitatis barathrum lapsi desperata jam prorsus salute esse videantur.

Itaque prius quam objectis ab illo criminibus, aut, ut verius dicam, improbissimis contumeliis respondeam, hujus tanti sceleris magnitudinem perpendamus, ut quibus hominibus serviatis cum ex istius impudentia deprehenderitis, si ulla scintilla antiquæ fidei, & religionis vestris in mentibus resedit, si ullus vobis veteris gloriæ sensus remansit, pœnitentia ducti & pudore aliquando suffusi lugeatis: & qui nullius unquam tyrannidem perpeti potuistis, jugum istud acerbissimum, quod falsa quadam libertatis specie homines novarum rerum cupidi vobis imposuerunt, concepta aliquando justissima indignatione repellatis.

Illud igitur in primis, ut ad te veniam, Fabrici, & primum tuæ audaciæ, & improbitatis testimonium producam: affirmare tibi ausim, neminem extitisse, qui cum tuam legerit orationem, non existimaverit, & certo crediderit nullum esse hominem in Germania, qui Fabricius Montanus appellaretur, sed sub hoc falso, & ementito nomine larvatum aliquem & scenicum satanæ ministrum delitescere: qui ut honori suo, & existimationi consuleret, suo etiam nomini pepercerit, quia neminem tam impudentem reperiri posse arbitrabatur, qui ejusmodi orationi, hoc est, qui tanto sceleri sui nominis titulum præfigeret. Sed illud abs te quæro principio, cum hæc in sanctam synodum scribere, aut potius evomere cogitabas, numquid ex Italia, Hispania Gallia, Hungaria, Anglia, Græcia, Dalmatia, Boemia, Polonia, Hibernia, ipsa Germania, ex toto denique orbe Christiano doctissimos, & gravissimos episcopos, alios etiam quamplurimos omnium literarum genere præstantes, & excellentes homines, florem, inquam, reipublicæ Christianæ in hunc locum confluxisse, sciebas, an non? Numquid Ferdinandi Cæsaris, omnium regum, principum Christianorum, & rerumpublicarum legatos hic adesse intelligebas, an non? Numquid eos omnes, non alio nomine convenisse, quam ut ecclesiæ saluti consulerent, & ruenti religioni Christianæ subvenirent, ignorabas, an non? Si non intelligebas, cur fuisti tam cæcus, & temerarius, ut quorum dignitatem summam, & studia sanctissima ignorabas, illorum conatus, & facta impudentissime reprehenderes? Si intelligebas, neque enim est credibile, ut quidpiam te inscientem & ignorantem fecisse fatearis: o scelus inexpiabile! o inauditam improbitatem! Quæ tanta insania, quæ tanta audacia, atque dementia tuum istum sceleratum animum potuit impellere, ut vinolentæ atque furentis orationis aculeos in eos exereres, quos lumina Christianæ reipublicæ agnoscebas? quæ tanta maledicendi rabies tuum istud sacrilegum pectus invasit, ut in totius orbis gentium sanctissimum, sapientissimumque senatum tam impudenter insultares? Numquid, Fabrici, cum hæc cæco furore meditaberis, ducenti quinquaginta, & eo amplius episcopi, & alii quamplurimi doctissimi homines ante tuos oculos versabantur, quorum si non sapientiam, auctoritatem, & canos revereri, tacita saltem de tua singulari improbitate judicia reformidare, & perhorrescere debuisses? Quod si hæc tibi in mentem veniebant, qua fronte hæc scribere ausus es? Non vultus concidit? Non erubuisti? Nihil te concilii majestas, nihil religio, nihil pudor, nihil tuum istud evangelium? Nihil modestia Christiana, nihil Christi exemplum, legesque moverunt? Paulus apostolus cum suum illud os sanctissimum improbissimi magistratus jussu, injustissime verberari videret, quod principem sacerdotum, paulo liberius, dealbatum parietem appellasset, pœnitentia ductus, hoc solum nomine se dignum venia judicavit, quod ignorantia lapsus divina præcepta violasse videretur: tu non sceleratum aliquem magistratum, sed Christi sanctissimos ministros, non unum, aut alterum principem sacerdotum, sed omnes ferme ecclesiarum omnium pastores, nulla lacessitus injuria, sed omni amoris, & benevolentiæ significatione provocatus, sceleratos, improbos, & impostores sciens & prudens appellabis? Si servus dominum, si filius parentem, si subditus magistratum vel verbo leviissimo violaverit, illum omnes omni supplicio dignissimum arbitrantur: tu cœtum omnium, quos habet Christianus orbis, gravissimum, tu tot patres, tot principes & magistratus impro-

Act. 23.

improbiſſimis contumeliis, & injuriis impune lacerabis?

Multi antiquis temporibus jam inde ab ipſis exordiis, & incunabulis naſcentis religionis, acerrimi eccleſiæ hoſtes extiterunt, qui miris illam modis, indigniſſimiſque vexarunt, qui atrociſſimas excitarunt tragœdias, qui maledictis, & opprobriis illius filios fuerint inſectati: ſed nullus unquam repertus eſt in tanta veterum hæreticorum ſylva, tam perfricta fronte, tam effrenata audacia, qui concilia contumeliis laceſſiverit, qui in illorum ſacroſanctam auctoritatem editis famoſis libellis fuerit debacchatus. Repete veteres hiſtorias, evolve antiqua ſcriptorum monumenta, revoca in memoriam Arios, Sabellios, Macedonios, Neſtorios: nullum unquam tanti ſceleris veſtigium, nullum reperies exemplum, quod ſequi, aut imitari potuiſſes. Pugnabat quondam Arius cum Athanaſio, Valentinus cum Irenæo, cum Origene Celſus, cum Hieronymo Jovinianus, cum Baſilio Eunomius, cum Aug. Pelagius: ſed cum ſynodis, cum conciliis generalibus, nullus unquam pugnavit hæreticorum tam apertis injuriis: tu ſolus inventus es, qui quod hæretici, quod latrones, quod Turcæ, quod barbari homines, quod ipſamet improbitas facere erubuiſſet, facere auderes. Quod ſi aliqua ſpe hoc tantum facinus eſſes aggreſſus, licet eſſes, ut es, improbiſſimus, non tamen ita perditus, & inſanus judicareris: nunc vero qua ſpe adduci potuiſti? Nunquid hac via tuam deploratiſſimam cauſam firmari, & ſtabiliri poſſe putabas? Quam ſi juſtiſſimam haberes, hoc ſcelere injuſtiſſimam reddidiſſes. Quo more? Quo exemplo? Quo prætextu? Quo colore? Nullo plane judicio meo, niſi quod, ut ego arbitrio, audacia, ſcelere, furore, & aliquo inſigni facinore, tanquam incenſo Dianæ templo, qui alioqui ignotus, & obſcurus deliteſcebas, celebris, & clarus eſſe voluiſti. Quamquam illius facinus cum tuo ſcelere nulla ex parte conferri poteſt.

Longo intervallo illius improbitatem ſuperaſti. Ille templum magnificum, & ampliſſimum a tota Aſia conſtructum, ſed tamen falſæ, & mentitæ Deæ templum incendit, ſed eo nomine fœlix fuit, quod nefanda dæmoniorum ſimulachra eodem ſimul involvit incendio: tu vero non ligna, aut trabes, non muta ſaxa, atque parietes, ſed vivos eccleſiæ lapides, firmiſſimas columnas Chriſtianæ religionis, ſanctiſſimos, inquam, paſtores, ipſa Spiritus ſancti templa, ſacrilegæ cujuſdam orationis facibus, quantum in te fuit, incendere voluiſti. O mentem ſacrilegam, quæ tantum facinus concipere: digitos ſceleratos, qui hæc ſcribere potuiſtis: cæcam rempublicam, quæ ea in manus hominum venire ad ſuum dedecus ſempiternum paſſa eſt. Nam ſi Nicander Argivorum rempublicam male moratam eſſe cenſuit, quod in ea liceret improbis de bonis impune male loqui: quid de illa præſens ſæculum, & poſteritas judicabit, quæ huic homini in ſacrum, œcumenicumque concilium hæc ſcribere, & prælo mandare permiſit?

Sed quoniam ego, viri Germani, non arbitror hunc hominem tam eſſe dementem, tam ſtupidum, tam nihil ſcientem, qui tantum in ſe ſcelus admittere, tantum honori ſuo, & exiſtimationi, infamiæ dedecus inferre decreverit, niſi aliquem ex hac audacia fructum percipere cogitaſſet: quid ille mihi ſenſiſſe, quid ſpectaſſe videatur, quo conſilio hoc facinus fuerit aggreſſus, explicabo. Illius detegam inſidias, ut intelligatis eum non tam aliquam excuſationem quæſiſſe, quam nullam poterat habere, quam latibula quædam inveſtigaſſe, quibus & ſuum ſcelus occultaret, & veſtris oculis in tam aperto crimine tenebras & noctem effunderet. Nam cum Carolo V. Cæſari invictiſſimo eſſent aliquando polliciti, ſe concilio adfuturos, & illius decretis obtemperaturos, non modo vocati poſtea venire recuſarunt, fidem ſervare voluerunt, ſed nefariis conſiliis, & armis illud diſſipare conati ſunt, ne cum illorum errores in lucem prodiiſſent, cum fraudes, quibus infœliciſſimæ plebi impoſuerunt, fuiſſent detectæ, concilii auctoritate, decretiſque victi, digni ſupplicio judicarentur: & vos cum ab illis deceptos fuiſſe intelligeretis, in eos, tanquam in proditores religionis, & veſtræ ſalutis hoſtes animadvertendum eſſe duceretis. Nunc vero cum tanta patrum frequentia, tanto animorum ardore, tanto ſtudio, & tam certa ſpe conciliandæ pacis, concilium coactum intueantur, cum videant ſe tam apertis indiciis benevolentiæ fide publica data a ſancta ſynodo vocari, ut laboranti eccleſiæ Chriſti communi auxilio, & opera ſubveniatur: veriti jam, ne, ſi toties ad hanc ſanctam, licet illis formidabilem arenam, provocati, tam celebris concilii juſſa contempſerint, & hanc toties oblatam palæſtram recuſaverint, vobis in ſuſpicionem veniant, ut par eſt, corruptæ a ſe, atque depravatæ religionis, veriti, ne hoc veluti præjudicio, tanquam cauſæ deſertores damnati videantur, in ſummas anguſtias conjecti, conſilii jam, atque rationis inopes, cæco quodam, & inſano furore correpti, in eas, mihi credite, voces proruperunt. Quid agimus? Nunquid tanti concilii tam piam & ſalutarem admonitionem contemnemus? ſed qua ratione effugiemus deſperatæ victoriæ ſuſpicionem? nunquid obtemperabimus? atqui jam ipſa nobis præſagit, teſtificaturque conſcientia, nos ſimul cum deplorata cauſa fore damnandos. Quod ſi evenerit, quid agemus? quid capiemus conſilii? quo nos damnati recipiemus? nunquid ad adverſarios, ut jam diu debitas illis pœnas perſolvamus? nunquid ad noſtros, a quibus tanquam eccleſiæ proditores repudiemur? Videte per Deum immortalem, viri Germani, quam cæca ſit improbitas: nulla alia via, in tanta rerum deſperatione commodior viſa eſt, quam ſi ſanctiſſimam ſynodum contumeliis afficerent, auctoritatem maledictis elevarent: firmam ſatis futuram ſuam cauſam, tectam abunde ſuam innocentiam ſunt arbitrati, ſi præterita flagitia novo nunc, & inaudito improbitatis genere cumularent.

Quid plura? placet hæc omnibus ſententia, quæritur ad hanc rem idoneus miniſter, unus inter omnes repertus eſt Fabricius, ceteris ad ſuſcipiendam hanc impiam cauſam laudacior, ad agendum impudentior, qui iis eſſet moribus, & ingenio, ut facile ſceleſto facinori ſceleſtiorem orationem adhiberet, qui omnes in hanc unam rem audaciæ nervos intenderet, qui ſe elaborata oratione, ad infringendam, & evertendam concilii Tridentini auctoritatem componeret, qua ſalva, ſe ſalvos eſſe non poſſe intelligebant.

Rem igitur aggreditur. Argumentum, quod & vobis decipiendis, & ſaluti cauſæ aptum ſibi viſum eſt, declamatorio more tractandum ſibi proponit, in quo vires ingenii & eloquentiæ, aut ſingularis potius impudentiæ, & im-

probitatis oſtentaret, concilium videlicet Tridentinum non poſſe a Chriſtianis hominibus ſine ſcelere frequentari. Colligit deinde argumenta ex loco, ex perſonis, ex fide publica, ex eventu: quæ quia per ſe non ſatis firma videbantur, contumeliis, injuriiſque munivit. Quæ dum oſtendo qualia ſint, vos obſecro, viri Germani, diligenter attendite: & quas hactenus iis Syrenum cantibus aures exhibetis, tanto cum diſpendio ſalutis veſtræ, eas nunc mihi veram vobis libertatem, ſalutem & fœlicitatem ex animo cupienti præbeatis, futurum equidem ſpero, ut ſi minus oratione noſtra perſuaſi, iſtorum ſaltem improbis factis, & verbis offenſi, vos a Chriſti ſuaviſſimo jugo ad iſtorum ſuperbiſſimam tyrannidem abſtractos, a dulciſſima pace, atque concordia ad diſſidia, atque contentiones traductos iniquo animo feratis, & tædia tandem hujus tam miſeræ, & diutinæ ſervitutis, & deſiderio veræ libertatis adducti, ad eccleſiæ matris cariſſimæ ſinum redeatis.

Montani argumentum.

Sed illud jam abs te quæro, Fabrici, ut ab ipſo tuæ orationis argumento exordiamur, cum concilium Tridentinum a Chriſtianis hominibus ſine ſcelere frequentari non poſſe affirmas, quid nomine Chriſtianorum intelligas: nunquid eos ſolos, qui ſunt veſtrarum partium, aut eos tantum, qui ſub Chriſti ſanctiſſimo vicario militamus, aut utroſque. (Quamquam non ego te in nos tam bene animatum eſſe exiſtimo, qui in Chriſtianorum numero cenſeas nos eſſe collocandos) ſi utroſque, o ſtultitiam, & improbitatem hominis ſingularem! Tunc clariſſimum imperatorem Ferdinandum, Hiſpaniæ, Galliæ, Hungariæ, Luſitaniæ, Poloniæque Reges: tunc ceteros orbis Chriſtiani principes, qui huic ſacro concilio per ſuos legatos interſunt, improbos & ſceleratos appellabis? Neceſſe eſt enim id fatearis, ſi concilium hoc a Chriſtianis ſine ſcelere frequentari non poteſt: niſi tu illos ſolummodo cenſes eſſe Chriſtianos, qui ab eccleſia catholica, qui a ſummo pontifice, qui denique ad vos a Chriſto defecerunt. Quod ſi ſic eſt, quemadmodum in extrema orationis parte diſertis verbis explicaſti, non intelligebas te imperatorem, reges, & principes Chriſtianos in hæreticorum numeros relinquere?

Niſi fortaſſe leviorem eſſe contumeliam judicaſti, illos hæreticos potius, quam ſceleratos appellare. Quæ iſthæc eſt dementia, quæ inſania, qui mentis ſtupor, Fabrici? Neque enim hic jam improbitatem, ſed ſummam ſtultitiam reprehendo, qui in ipſo limine, atque veſtibulo orationis, veluti cantherius in porta, tam turpiter impegeris, ut eos, quibus aſſentari magnopere cupiebas, quos tibi reddere propitios, quorum gratiam inire (ut ſtatim oſtendam) vehementer optabas: illorum contra te indignationem, inaudito contumeliæ genere provocaveris, qui eos aut hæreticos, aut ſceleratos eſſe dixeris. Sed ſit hoc ignaviæ, ſocordiæ, & ſtultitiæ tuæ, qui nobis ſtatim indicare voluiſti, te virum minime malum eſſe, ut cetera, quæ a te docentur, non tam callido, aſtuto veteratori, vafroque hoſti, quam ſimplici, vecordi, ſtulto, & inſano morioni tribuantur. Sed venio jam ad tuam præclaram orationem, in qua multa mihi neceſſario prætermittenda ſunt, ne eorum commemoratione piæ, atque Chriſtianæ aures offendantur. Ea etenim convitia, eas contumelias in ſanctiſſimum iſtum ſenatum conjeciſti, quæ ne iterum nominentur, reprehendi non poſſunt. Cogor itaque hæc in parte honori tuo ſervire, dum conſulo pudori meo.

Tuum ſilentium diuturnum, quo in tanta animorum contentione te hactenus uſum fuiſſe dicis, tranquillitati, & otio conſulentem, petulanti nunc adverſariorum procacitate expugnatum fuiſſe proclamas, quod ab iis, qui conventus Tridenti agitant, univerſi, & ſinguli, qui Chriſti evangelium prædicant, edicto, & fide publica, ſuperbe, & imperioſe nimis evocentur. Neque id eſſe mirandum, cum pro ea, quam ſibi uſurpant, auctoritate, regibus quoque & monarchis inſultent. Adhibes deinde maledicta, & contumelias, & ad obſiſtendum ſacri concilii conatibus claſſicum canis, ac veluti ſervos ad pileum vocans, licet non ad parandam, ſed ad conſervandam, & retinendam miſeram veſtram, & ſpurciſſimam carnis libertatem, tuorum ſatellitum, hoc eſt, eccleſiæ hoſtium animos accendis: &, ut ſeſe fortiter opponant Spiritui ſancto, ut obviam eant concilio Tridentino, quaſi ſcelus aliquando aggredienti, atque illi reſiſtant, adhortaris: & te, qui in hoc tanto bello contra veritatem ſuſcepto, non aliis armis, quam conviciis pugnare poſſe confidebas, merito ſane calonis partes acturum te polliceris.

Quid primum querar, viri Germani? aut quid potius primum doleam, & deplorabo? Nunquid hujus hominis ſummam perverſitatem & audaciam? Aut illorum miſerrimam ſortem, qui iis ducibus cæcis, & improbis ſervire coguntur, quorum veſtigiis inhærentes, in eorum foveas, & præcipitia devolvantur? Aut noſtrorum potius temporum conditionem infeliciſſimam, quæ hujuſmodi homines, non modo vivere, ſed florere, & aliis dominari, atque in unius tanti concilii auctoritatem invehi, & inſultare? Sed hæc duo extrema in aliud tempus reſervabo, huic homini reſpondebo. Altiſſimo igitur ſilentio, & profundo ſomno demerſus Fabricius hactenus jacebat, ſuis erroribus optime conſtitutis, & tanquam parta jam de adverſariis victoria veluti in ipſo ſinu gloriæ poſitus quieſcebat, & inter tot opinionum turbines, & tempeſtates, quibus Gallia, Germania, ceteræque provinciæ Chriſtianæ jactantur, miniſtris aliis ſolicitis, atque vigilantibus, ipſe ſolus otio, atque ſomno frui poterant: quia nihil, videlicet, erat, quod tantum principem excitare, tanti patroni ſilentium rumpere, & feriatam jam illius vocem extorquere mereretur. Cetera minora prælia, Calvino, Muſculo, Brentio, atque aliis infimæ claſſis ducibus permittebat. Ipſe princeps & anteſignanus ſe in difficiliora tempora & bella reſervabat: quia indignum eſſe ducebat tanto imperatore, ſi priuſquam ad triarios res eſſet devoluta, ipſe gladium educeret, & in aciem procederet. Unicum concilium Tridentinum, hoc eſt, univerſa eccleſia Chriſtiana illius ſanctiſſimum ſilentium rumpere, & expugnare potuit: unicum, atque ſolum concilium Tridentinum, dignum viſum eſt, quod iſtius Æneæ magni dextra cadere debuiſſet. O præclarum imperatorem, qui omnes Lutheros, Calvinos, Melanchthonas, Oecolampadios, Buceros, & reliquos tuænotæ duces, ſi non eruditione, induſtria, & calliditate, impudentia ſaltem, & ſtudio maledicendi, longe ſuperaſti. Næ tu Seriphia rana melius famæ tuæ, tuorum civium honori, & totius Germaniæ exiſtimationi antiquo illo tuo ſilentio

tio consuluisses: quam recenti hac, & improbissima voce, tuam alioqui perditam causam acrius vulnerasses, & tibi, tuisque omnibus sempiternum dedecus inussisses. Qua fronte, & quo ore sanctissimum concilium petulantiæ & procacitatis insimulasti? Qua audacia fidem publicam, qua illi, qui ab ecclesiæ sinu, magno cum ejus dolore, opera vestra avulsi sunt, tam pie, tam benevole, & tam amice accersuntur, superbam tu evocationem appellasti? Nam quod concilii patres eam sibi auctoritatem usurpasse criminaris, ut regibus atque monarchis insultent, facis tu quidem consulto, ut principibus atque monarchis assenteris: sine quorum præsidio, hæc tanta tua audacia impunita esse non posset. Hoc concilium secuti tui majores, quia istud hæresum monstrum sine patrocinio regum adolescere non posse videbant, summam illis in ecclesia auctoritatem deferentes, sacerdotium regno, spiritum carni, terræ cœlum, humanis potius divina servire, quam illorum auxilio carere voluerint: ut quoniam alia ratione illis non licebat, tyrannide saltem tuti esse possent. Illorum igitur hac via sibi gratiam conciliarunt, & suas hæreses eorum potentia, atque gladiis muniverunt: sceptra ecclesiæ, & illius spolia quibusdam principibus Christianis tradiderunt. Illi vero, qui facile sibi (ut est hominum ingenium) vel divinos honores deferri patiuntur, non Saulis, aut Ozæ supplicio, in longe minori scelere revocati, aut deterriti, illorum stultissimis argumentis, & nefariis consiliis persuasi, ex illorum sceleratis manibus, pastorales baculos accipientes, non modo se sacerdotes, sed summos etiam ecclesiæ sacerdotes, & principes dici, & haberi voluerunt. Testis est unus Henricus VIII. Angliæ rex, qui Sampsonis cujusdam vel levissimo verbo convictus, qui reges summos esse sacerdotes dicebat, quod beatus Petrus reges honorandos esse dixisset, eo processit insaniæ, vir alioqui excelsi animi & ingenii, ut ex acerrimo ecclesiæ propugnatore redditus hostis implacabilis, se tanquam supremum pastorem coli postularit edicto publico, tantoque odio, & indignatione in illos exarserit, qui se illius improbis conatibus, & edicto opposuerunt, ut hujus rei gratia duo illa Angliæ lumina & ornamenta, Thomam Morum, & Roffensem episcopum sustulerit, & universam insulam innocenti innumerabilium martyrum sanguine cruentaverit. Ex hoc fonte hanc nunc hausit assentationem Fabricius: qua principum sibi gratiam promereri, nos apud illos in invidiam adducere, & illorum contra nos studet indignationem concitare. Assentatores dicebat Pythagoras esse hostibus deteriores, quod magis sint insidiæ, quam apertum bellum pertimescendæ: quanto magis istorum adulatio vobis erit formidanda, qui non jam corporum vestrorum, sed animorum saluti insidientur? O clarissimi Germaniæ principes, vestram ego nunc sapientiam, constantiamque requiro, qui quondam Romani & pontificatus, & imperii firmissimæ columnæ, qui ecclesiæ Christianæ præsidia, qui propugnacula religionis semper fuistis, nunquid patiemini levissimis assentationibus perditissimorum hominum, sic vos agi transversos, ut illi causam suam ignominia vestra tueantur? Nunquid patiemini, sic vos illis esse ludibrio, ut errore vestro, atque dedecore se Christianæ religioni insultari posse arbitrentur? Patiemini, sic eos abuti auctoritate, atque potentia vestra, ut calamitosæ, & afflictæ ecclesiæ, quæ per vos

suam hactenus dignitatem, & splendorem conservabat, nunc per eosdem ab improbissimis hominibus extrema pericula & exitium comparentur? Patiemini istorum hominum audaciam vestris armis esse munitam, & ecclesiam Christianam indignis modis vexari? Quæ nullum aliud in vos scelus admisit, quam quod vestræ salutis desiderio flagrans, licet se tot ictibus hæresum sauciam, vulneratamque conspiciat, majori tamen erroris vestri, quam suæ calamitatis dolore confecta, non tam sua, quam vestra vulnera, non tam suas acerbissimas plagas, quam perniciem vestram, & miserabilem interitum dies, noctesque lamentetur.

Sed redeo ad te, Fabrici, qui postquam principum gratiam nefaria assentatione tibi conciliasse credidisti, & tuos milites ad prælium excitasti, eminus admonens esse pugnandum: quoniam illi, inquis, quos tuos hostes appellas, Tridentum, locum videlicet insidiis aptum, occupaverunt, Caudinis furculis non multum absimilem, quem sæpe vobis fraudi & damno fuisse criminaris. Primum illud a te scire velim: quæ sint istæ fraudes, & damna hoc in loco vobis illata: nunquid aliquando huic Tridentino concilio interfuistis? Nunquid aliquod de vobis unquam supplicium sumptum est? Nisi tu fortasse sanctissima decreta, quæ tunc ad ecclesiæ salutem ab illis patribus confecta sunt, fraudes, & incommoda vestra interpretaris, latronum & sceleratorum hominum more, qui justissimas & saluberrimas leges, quod suis conatibus obsistant, & supplicia comminentur, quod illis suum exitium contineri videant, fraudes & incommoda sua dicere consueverint. Quod si sic est, Fabrici, facile patiar istud a te sacrum concilium, & latibula, & insidias, & furcas Caudinas, & fraudes vestras appellari. Sed quam inepte insidias nuncupaveris, nonne vides? Quid, obsecro, hic tectum? Quid occultum? Quid simulatum? Quid fraudulentum? Nunquid non edictum summi pontificis diligentia, in omnes Christiani orbis provincias delatum est? Nonne reges omnes, & principes Christiani rogati, ut adesient? Nonne data publica fides? Nonne locus definitus? Non arma ad disputandum consignata? Nonne summa securitas promissa? Cur tu rem tam claram, tam apertam, tam patentem, insidias & fraudes appellas? Sed merito, Fabrici, has cautes, & prominentes scopulos exhorresis, inter quos sacrum concilium, petra, inquam, ecclesiæ firmissima, delitescat, ad quam ne aliquando tot errorum fluctibus jactatus impingas, jure optimo formidare debuisti, merito istas Alpium fauces, has, inquam, Tridentinas angustias, tanquam Caudinas furcas pertimescis: sed si pio, sinceroque animo, non hostili, & inimico hæc perpendere, Fabrici, voluisses, nihil antiquius, nihil tibi iis furculis Caudinis gloriosius duceres. In quibus non Samnitum contumelioso, sed triumphali ecclesiæ jugo collum subdere debuisses, quod non in aliquam vobis ignominiam, sicut illud Samnitum Romanis, sed in summam gloriam: non in decus aliquod, sed in honorem & laudem: non in servitutem turpem & miseram, sed in gloriosam, & dulcissimam libertatem redundaret. Jugum est hoc Christi suavissimum, quod a vobis insolenter excussum iterum piissima mater ecclesia vestris cupit cervicibus imponere.

Montani calumnia

Jam vero postquam id, quod tibi ex officio calonis incumbebat, præstitisti, ut a conviciis, & opprobriis orationem auspicareris, & sacrosanctam synodum maledictis onerares, prætermissa jam illa prima injuriarum velitatione, deposita illa calonica persona, graviorem assumens, quam diutius natura & ingenio reclamante sustinere non poteris. Te velle toti orbi contestatum facere polliceris, hujus concilii adeundi, justas, & idoneas causas aperiri nullas: innumeras vero & graves, ejus declinandi, atque fugiendi: & tamen prætermisso priori membro divisionis, ad secundum accessisti, quia videlicet, si gravissimas ejus declinandi causas ostendisses, nullas etiam justas esse veniendi contestatum esset. Nunquid tam cæcus es, Fabrici, ut in tantis ruinis afflictæ, & dissipatæ religionis, nullas tu solus adeundi concilii justas, & honestas causas invenias? Vides ardentem bello Galliam, & hoc tantum incendium a vobis esse excitatum cognoscis, vides perditam Angliam, atque profligatam: vides tuam Germaniam infinitis erroribus æstuantem: vides non modo hæreticis cum catholicis, seu cum aliis etiam hæreticis intestinum bellum esse susceptum: vides varias hæreses veluti furias toto orbe volitare: vides non solum ministros pseudoevangelicos inter se digladiare, sed imperitam multitudinem in varias sectas sic esse distractam, ut parentes & filii, patres & fratres, una jam domo contineri non possint: vides inde tot cædes, incendia, seditiones, templorum ruinas, urbium eversiones, promanasse: vides Christi tunicam vestra culpa scissam, atque dissipatam: vides altera ex parte spem unicam inveniendæ veritatis, reformandi ecclesiam, tollendi schismata, conciliandæ pacis, & extinguendi hoc tantum incendium, in uno concilio Tridentino esse collatam, atque hoc unicum semper fuisse perfugium, & aram calamitosis & afflictis ecclesiæ rebus: vides ecclesiam mœstam, & lugubrem vestris genibus provolutam & supplicantem, ut hoc sanctum concilium adeatis, & omnium consensu, opera & studio paci consulatis, & suis vulneribus medeamini: & nullas tu justas causas esse veniendi audebis dicere? Sed quid mirum, si homini tam perdito, & improbo, cui salus, nisi in ecclesiæ naufragio constare non potest, causæ, quæ ecclesiæ salutares, & sibi perniciosæ sunt, injustæ videantur? Sed quoniam te his maximis, & gravissimis causis comprehensum, & convictum videbas, ut etiam si fulgentes gladii, si ignes, tormenta, cruces, extrema denique omnia imminerent supplicia, forti & infracto animo essent adeunda, ut ruenti ecclesiæ subveniretur, mirum profecto est, ad quam levia pericula, & inanes quosdam metus confugeris, quibus vos vehementer deterreri contendis, quo minus ad concilium accedatis.

Non veniendi rationes a Montano in duas partes divisi.

Itaque omnes non veniendi rationes in duas a te partes video fuisse distributas: altera periculi magnitudo, altera vero contumelia veritatis comprehenditur: quia hæc, inquis, profecto in primis est periculosa, deinde vero in veritatem, in Deum, in proximum, contumeliosa. Periculi sane magnitudinem dicis fuisse quidem contemnendam exemplo martyrum, si aliquid utilitatis secum afferat, sed nunc discrimen esse certum certa cum impietate conjunctum, ita ut periculum a scelere separari non possit. Quis jam non rideat hujus hominis infantiam & stultitiam singularem, qui non intelligat se pugnantia dicere? Obsecro te, Fabrici, cur periculum certa cum impietate dicis esse conjunctum? Nunquid quia, ut inferius affirmasti, sequitur veritatis adjuratio? qua ergo ratione constanter polliceris te excelsum & erectum martyris animum, si esset opus, ad causam allaturum, si periculi magnitudine te a veritate avocari posse pertimescis? Cur certam impietatem appellas eam, quæ ex tua libera pendeat voluntate? Nisi fortasse qui tuum istud pectus inconstans, atque sacrilegum habes exploratum, impietati assuetum, & in eam propensum, atque proclive cognoscas, te nullo negotio in eam posse deduci arbitraris. Quod si eam ob causam, quam paulo inferius adducis, certam impietatem cum periculo dicis esse conjunctam, qua nefarium esse censes te iis cœtibus adjungere, qui cum pietate, & Christo bellum gerere statuerint, cujusmodi dicis esse concilium Tridentinum, o audaciam, & improbitatem: o dementiam hominis inauditam, qui dum impietatis crimen effugere conabaris, in atrocissimum sacrilegii scelus incidisti. Quæ major impietas fingi, aut excogitari potest, quam te tam sanctum, tam justum, tam innocentem judicare, ut sanctissimum concilium, quasi sceleratissimum tuo consortio indignissimum censeas? Quod sacrilegium majus, quam tot ecclesiæ pastores, tot principes Christianos, non modo impios, & sceleratos dicere, sed eos, qui se illis adjungunt, eodem impietatis crimine reos esse censere? Quæ detestabilior insolentia, quam improbissimum, sceleratissimum nebulonem sacro œcumenico concilio dicere audere: Recede a me quia mundus sum? O os impurissimum, o cœnum, o monstrum, o scelus ipsum & impietas, quibus etiam te aliis nominibus ac tanta improbitate dignis appellem, prorsus ignoro. Neque ulla esse arbitror, quæ sceleris magnitudinem possint exprimere. Nam linguæ, atque mentis officia inaudito flagitio superantur. Ite nunc, o viri Germani, atque horum magistrorum mansuetudinem, pudorem, & modestiam imitamini: imo pudeat vos aliquando talium ministrorum Sed obsecro te, Fabrici, nec enim tecum jam agam hostiliter, & inimice, quid est, quod impietatis notam pertimescas, si tu illorum factis, atque decretis non modo non consentias, sed te fortiter opponas, obsistas, atque reclames? Atqui dices, occludetur vox, indicetur silentium, crux, ferrum, flammæ parabuntur: esto ita, esset, Fabrici, quod tamen longe abest a pietate sacri concilii, & ab ea securitate, quam vobis fide publica pollicetur. Impietatisne tuæ, si sic esset, vestigium his aliquod appareret? Nunquid non eris officio tuo perfunctus? nonne credis te vera sentire, nos errare: te servire honori Christi, nos detrahere: a nobis lumen evangelicæ veritatis extinctum, a vobis e tenebris extractum, a nobis contemni scripturam, violari verbum divinum? Christi evangelium, mortem, sanguinem & gloriam conculcari? quæ igitur erit non jam impietas, sed major, & uberior laus, quam te iis hominibus obviam ire, qui hæc judicio tuo facere conantur? Quod si nihil profeceris, glorioſus erit conatus: quæ illustrior victoria? qui triumphus glorioſior? quæ martyrii corona præclarior? quam pro Christi gloria clarissimum mortis genus oppetiviſſe? nullum, dices, inde emolumentum ad nostros redundabit: atqui sanctissimi, & fortissimi martyres, ut probe nosti, quorum te imitatorem facile futurum affirmas, cum acerbissime torquerentur,

nullum

nullum aliud commodum quam Christi gloriam, A veritatis defensionem, & suæ salutis, & felicitatis spem ante oculos habuerunt, nec eam utilitatem spectarunt, quam essent tyrannis, & carnificibus allaturi: quos sæpe multo magis constantia, & illa sancta libertate exacerbabant, & eorum crudelitatem ad alios etiam trucidandos incendebant. Quamquam quod majus commodum esse potest, si illa, quæ defendis, vera esse arbitraris, quam ut tuo sanguine consignentur, tui etiam magis firmi, atque constantes reddantur, ad ea complectenda, quorum tu causa te morti devoveris? Quid tibi poterit esse gloriosius, quam si te illi in sanctorum numerum adscribant, & divinis honoribus, tanquam sanctissimum martyrem, prosequantur? cur ergo, B quod metu debiti supplicii, quod reclamante conscientia, quæ te damnatum jam esse proclamat, facere non audes fugiendæ impietatis causa, te nunc evitare mentiris? Credo ego te, Fabrici, cum hæc scriberes existimasse hic armatos esse satellites, hic fasces, secures, gladios, flammas, hic jam paratos esse carnifices, qui te raperent ad supplicium, omnia suspecta, omnia formidolosa, omnia tibi mortem comminari credidisse, aut finxisse te credere, ut & sacrum concilium apud tuos sceleris argueres, & justi alicujus timoris, licet falsam, & subdolam, excusationem prætexeres: ut si non vero, simulato saltem timore vos ab hac profectione merito retardari contenderes. Non hic homines C armatos, Fabrici, sed togatos: non belli, sed pacis auctores: non hostes, & inimicos, sed pios, & misericordes parentes salutis vestræ cupiditate flagrantes invenies. Nulla vis, nullæ insidiæ, nullæ fraudes, nullum hic vobis imminet periculum, aut comparatur, sed summa securitas, humanitas, pietas, sinceritas, ardens patrum studium non perdendi vos, sed sanandi.

Verum enimvero, hujus periculi, quod tantopere hic miles ignavissimus pertimescit, magnitudinem in primis in ipsa sede & loco concilii dicit delitescere: liberam aliquam asserit Germaniæ civitatem præstitui oportere, atque illam imperatoris, & omnium principum Germano- D rum fide, & auctoritate communitam. Iis enim terroribus conscientiæ hic martyr fortissimus concutitur, & agitatur, ut se nisi omnium principum Germanorum armis tutum, & securum esse non posse putet. Erras, Fabrici, si ulla tam injusta esse arma arbitraris, quæ impietati, & sceleri diu patrocinentur. Ubique tuta est, nuda, & inermis innocentia: armata impietas nullibi potest esse secura. Ipsi illi Germaniæ principes, qui concilium Constantiense suo patrocinio, & auctoritate protegebant, eosdem illos gladios, quibus libertatem concilii tuebantur, ad sumendum de Joanne Hus, & Hieronymo Pragensi majoribus vestris justissimum supplicium converterunt. Quomodo ergo te in libera Ger- E maniæ civitate tutum esse posse confidis, in qua exitum miserabilem conspicis eorum, quorum vestigia sequeris: nunquid solas Germaniæ civitates liberas esse arbitraris? nunquid tam eris audax & impudens, ut tu hostis ecclesiæ locum celebrare ecclesiæ præscribas, in quo concilium celebrare debeat? quis unquam hoc veterum fecit hæreticorum? exortas certis in provinciis hæreses concilia in eisdem celebrata deleverunt. Hinc Nicena, Africana, Toletanaque concilia: & alia etiam quamplurima extitisse legimus.

Cum ergo jam ipsas Lutheranismi radices Germanicum illud concilium Constantiense, illarum trunco combusto, exstirpaverit, cum nunc non solum Germania, Hungaria, atque Boemia, sed Anglia, atque Gallia, immo pene totus Christianus orbis, hoc communi morbo laboret, cum eo processerit incendium, ut in omnibus regionibus aut apertas flammas, aut obscuras aliquas, latentesque scintillas videamus: quis locus aptior celebrando concilio, quæ civitas accommodatior reperiri potuit Tridentina? quæ in ipsis Italiæ, Germaniæ, Galliæque finibus posita, quæ tot principum Christianorum, & aliquorum etiam Germanorum præsidio munita, facilem omnibus, & vobis potissimum aditum exhiberet, nisi vos non tam locum, quam causam suspectam haberetis? Sed quid ego hac de re plura? Sic enim existimo, Fabrici, si vel Augusta, vel Basilea, vel illud ipsum levissimorum, & sceleratissimorum transfugarum asylum Geneva, concilii sedes deligeretur, in extremam te Scythiam abderes, & ibi solum liberum locum esse diceres, non in quo libere sententiam ferre posses, neque enim id quæris, sed in quo libere petulantia ista uti, & inter illas etiam Scythicas nives libere scortari potuisses, neque enim liberum vos locum, sed dissimulandi flagitii rationem aliquam investigatis, ne se Germania deceptam a vobis, & circumventam agnoscat.

Sed quæ est ista tua improbitas, & stultitia? quia cum liberam nunc Germaniæ civitatem, principum Germanorum armis septam, concilio celebrando postulares, subinde inferas, ejusmodi esse concilii partes, qui neque imperatoris, neque principum auctoritate in officio contineri possint, quibus & reges, & imperatores hactenus fuisse ludibrio falso criminaris? nam si ab aliorum perfidia, & crudelitate (utar enim tuis verbis) nullus locus tutus esse potest: idem erit, cogi concilium Genevæ, ac si Romæ cogeretur, quid rejicis culpam in locum? cur non aperte tuam hanc mentem sceleratam explicas? quamquam quis est, qui non intelligat, nisi plane plumbeus sit, quid iis imposturis moliaris. Sed illud abs te quæro, Fabrici, quando concilium ludibrio habuit imperatores, & reges? quando non illos summo honore, & observantia prosecutum est? cur tam aperte mentiris? nunquid illos tam cæcos, & dementes putas, ut speres tam aperto mendacio, tam stulta assentatione nobis invisos, & tibi propitios reddere posse? Sed quamvis principum armis speres illos coerceri posse, nihil tamen apud illos tuti, nihil fidei esse causaris, quibus etiam si invitis ab aperta vi sit temperandum, ad eas artes se convertere proclive est, quarum Romana curia jam diu se magistram profitetur. Quid hoc est, Fabrici? quas tu mihi artes narras? quæ figmenta? quæ somnia, quæ tibi omnia formidanti metus suggerit? quomodo fidem publicam violatam fuisse monstrabis, ut inde conjecturam ducere possis? quando concilium aliquod iniquis artibus ad hæreticorum perniciem usum fuisse ostendes? profer aliquod exemplum, cur, quod nunquam factum esse vides, pertimescis?

Montani ratio.

At vero concilii patribus vel ea ratione non esse fidendum censes, quibus persuasum est, vos impune e medio posse tolli: vos quidem, Fabrici, & reliquos omnes, qui ad concilium

vocan-

vocancur, quibus publica fide cavetur, tantum abeſt, ut hoc ſacrum concilium capitali ſupplicio affici poſſe cenſeat: ut in eos, qui vel leviſſima vos affecerint injuria, graviſſimas pœnas eadem illa publica fide decernat. At vero rebelles, & pertinaces hæreticos, hoſtes religionis, perturbatores pacis, quibus decretum eſt, in antiquis erroribus permanere, ſacrorum conciliorum contemptores, qui ſuperſtites maxima damna eccleſiæ, & Chriſtiano populo poſſent inferre, hos quidem, judicamus, impune e medio tolli poſſe: & non impune modo, Fabrici, ſed ſancte, ſed juſte, ſed glorioſe. Nunquid, obſecro ſumptum de ſceleratis hominibus juſtum ſupplicium, tu crudelitatem appellabis? ſi medicus putrida, & emortua membra, quæ toti corpori interitum minarentur, non abſcinderet: ſi paterfamilias ſceleratos, & improbos ſervos, qui domum incendiſſent, ſubſtantiam omnem, & domini fortunas diſſipaſſent, filios trucidaſſent, nulla pœna afficiendos duceret: ſi magiſtratus latrones, adulteros, homicidas, incendiarios impune in republica verſari pateretur: nonne illum crudelem, impium, & reipublicæ hoſtem merito diceremus? vos vero, qui Chriſti ſigna deſeruiſtis: qui eccleſiam Chriſtianam, erroribus, & armis acerbe, & crudeliter vulneraſtis: qui filios ab ejus gremio, cum ſummo illius dolore, & lacrymis abduxiſtis: qui ſervitia concitaſtis, & illorum temeritatem, contra eccleſiam Chriſti, furore veſtro, & perſuaſionibus impuliſtis, & armaſtis: qui Solymanum, acerrimum Chriſti hoſtem, contra Chriſtum ſolicitaſtis: qui urbes incendiſtis, fana ſpoliaſtis: qui ipſas aras Chriſtianorum ſanguine cruentaſtis: qui tot Chriſtianorum animos e miſera ſervitute dæmonis ereptos iterum illius tyrannidi mancipaſtis, & æternis ſuppliciis addixiſtis: hoſtes Chriſti, vaſtatores eccleſiæ, depeculatores templorum, everſores urbium, fanorum ſpoliatores, labem denique atque perniciem Chriſtianæ religionis dicere non audebimus, e medio vos impune & juſtiſſime poſſe tolli? Nunquid crudele tibi videri debet, ſi afflicta, & calamitoſa mater eccleſia acerbiſſimum illum dolorem, quem filiorum morte concepit, hoſtium nunc ſupplicio lenire cupiat? nunquid principes Chriſtiani crudeles tibi videbuntur, ſi tantorum criminum reos, eccleſiæ judicio damnatos trucidaverint? Terra quondam indignabunda, ſe vindicem divinarum injuriarum exhibuit, & ingenti hiatu patefacto Core, Dathan, & reliquos ſchiſmaticos abſorpſit: & nunc reges Chriſtiani, cum divinam majeſtatem offenſam, obſcuratam Chriſti gloriam, vexatam & dilaceratam eccleſiam viderint: vos tantorum malorum auctores Dei contumeliam, & majorem eccleſiæ perniciem diutius vivere patientur? a muto, & inanimi elemento Deo illata contumelia indignationem extorſit, & a Chriſtiano pectore non extorquebit? Oza, quod arcam teſtamenti vel leviter attigiſſet: Ozias quod thus domino arrepto thuribulo adoleverit, divinam illico animadverſionem experti ſunt: & nos illos, qui popularem multitudinem, ſacerdotum Chriſti officium uſurpare voluerunt: qui in ſancta ſanctorum, ipſam vulgi fœcem immiſerunt: qui ſacra omnia turpiter profanarunt, immanes, & barbari cendi ſumus, ſi illos pro tantis ſceleribus pœna aliqua dignos judicemus? Quamquam piiſſima mater eccleſia manſuetiſſimum ſponſum Chriſtum imitata, qui non vult mortem peccatoris, ſed ut convertatur, & vivat: poſt acceptas tot a vobis injurias, & acerbiſſimas plagas, non vult interitu veſtro ſua curare vulnera, non optat ſalutem ſibi, hoſtium ſupplicio conſtare: quin potius cum vos interfici videt, corporum ſimul, & animorum veſtrorum, luctuoſum, & miſerabile funus acerbioribus lacrymis proſequitur. Nulla, mihi crede, ſuavior, nulla jucundior, ejus vulneribus medela adhiberi poſſet, quam ſi eos, quos materna indulgentia educavit, quos cœleſtibus, bonis & beneficiis ornavit, & nunc hoſtes acerrimos experitur, pœnitentia ductos, & ad ſe reverſos, in ſuo rurſus ſinu, atque gremio decumbentes videret: dici non poteſt, quanto perfunderetur gaudio: conſpectu ſane veſtro ſuaviſſimo, omnem priſtini doloris ſenſum, abjeciſſet, non vos plectendos ſed ornandos cenſeret: Athenienſium illa veteri lege, τῆς ἀμνηστίας, ſempiterna oblivione acceptas injurias ſepeliret. Hoc unicum illi ſolatium præteritæ calamitatis memoriam eriperet, & ejus lacrymas abſtergeret: immo quas hactenus copioſas, & acerbas interitus veſtri dolor exprimebat, nunc concepta de reditu, & ſalute veſtra lætitia, dulces, & uberiores expreſſiſſet. Redi igitur, Fabrici, in gratiam tam piæ, & officioſæ matris, quæ te ſummo amore, & caritate complectetur, neque amplius tuæ perfidiæ, neque vulnerum ſuorum recordabitur.

Juſta in hæreticos animadverſio.

2. Reg. 6. 2. Par. 26.

Ezech. 18.

Sed redeo jam ad te, qui cum nullum in loco periculum reperire potuiſti, quod vos ab hac profectione deterreret: ad patres, qui in hunc locum convenerunt, gradum facis. Qua in parte egregie ſane triumphat, & exultat oratio tua, nacta, ut exiſtimas, argumentum, ingenio tuo, moribus, & officio dignum, qui calonis partes in hoc tanto bello ſuſtinere voluiſti, neque ſatis tibi viſum eſt, ſi aliquos ex patribus contumeliis oneratos, niſi ſacrum ipſum concilium petulantiſſimis injuriis afficeres, & irrideres, quod in fide publica ſe ſacrum, & œcumenicum appellaverit: & ventoſos illos, atque ambitioſos titulos eſſe dicis. In primis, quid hoc, obſecro, Fabrici, ad eam, quam agis, cauſam pertinebat? Quid hoc ad illud periculum, quod vobis imminere criminaris? An, quod ſe concilium ſacrum & œcumenicum appellet, illico tibi venienti periculum capitis comparatur? Niſi fortaſſe, qui ſacra omnia profanaſti, ad unius ſacri concilii nomen exhorruiſti. An timuiſti fortaſſe, ne a calonis munere, & officio recedere, & ne non ſatis procax, & maledicus videreris, niſi & titulum etiam ipſum concilii primum dilaceraſſes? An qui nihil in cauſa præſidii reperiebas, ſaltare, aut inſultare potius extra chorum, evagari, inquam, extra cauſam, & in communem maledicentiæ locum, audaciæ tamen tuæ proprium & peculiarem, excurrere, & impudens potius, quam indiſertus orator videri voluiſti? Difficilis eſt ſane hujus tanti ſceleris reprehenſio: nam illud ſilentio præterire non poſſum, qui vehementer cupiam oſtendere, quo ſit progreſſa iſtorum hominum impudentia, ut eos, ſicuti par eſt, ut improbos, & ſceleratos, deteſtentur omnes, & vos, viri Germani, pudeat

Montani maledicta.

deat aliquando talium præceptorum. Explicare vero vix audeo, veritus, ne ipse etiam impudentiæ crimen incurram, si vel ea commemoravero, quæ salvo Christiano pudore commemorari non possunt. Sed nonnulla prætermittens, & hujus hominis improbitati, atque meo pudori condonans, reliqua, quæ vel etiam nominare religio est, quo brevius & modestius potero, si tamen res modeste fieri potest, reprehendam, & accusabo. Tune, Fabrici, sacrum & generale concilium, quod auspiciis Spiritus sancti cogitur, & illius præsentia cohonestatur, quod se sacrum & œcumenicum appellet, arrogans & ambitiosum esse clamabis? Tune concilium desertæ religionis, hostis ipse religionum omnium, tune ecclesiam catholicam oppressæ veritatis, oppugnator ipse evangelicæ veritatis accusabis? Non jam tot sanctissimorum patrum, qui huic interfunt concilio, auctoritatem, sapientiam, religionem objicio, quæ sceleratissimorum etiam hominum petulantissimas linguas, præter unam calonis Fabricii cohibere potuissent: sed ipsam Dei majestatem, quam suscipere, ipsum Spiritus sancti numen quod revereri, licet esses improbissimus debuisses, oppono. Nonne satis erat, summum pontificem, & ecclesiæ pastores indignissimis modis exagitasse, nisi in Spiritum sanctum ipsum, tam impie nunc esses contumeliosus? Nihil jam erit neque in terra, neque in cœlo tam sanctum, quod sacrilegam vestram maledicendi licentiam possit effugere? Quid igitur miramur, quamlibet sanctos, sapientes, & pios homines injuriis, & opprobriis ab istis onerari, quibus vel ipsa Dei majestas ludibrio jam sit? Nonne licebit per te, Fabrici, concilio, sacri, & œcumenici nomen, quod tam longi præscriptione temporis obtinuit, nunc suo sibi jure vendicare? Non tibi illorum verborum veniebat in mentem, quibus princeps apostolorum Petrus in Hierosolymitano concilio usus est: *Visum est Spiritui sancto, & nobis*. Quibus indicavit se, eorum, quæ decreta fuerant, ad conciliandam pacem, comitem & consiliarium Spiritum sanctum habuisse, & eumdem futuris conciliis præsentem adfuturum significavit? Quod si tu concilium hoc non legitime coactum, si ex una, aut altera tantum provincia vocatos episcopos, si nullo regum & principum Christianorum consensu, si alieno tempore, si importuno loco, si non justa causa convocatum ostendisses: tamen qui tot & tantos antistites tam impudenter infectareris, audaciæ & sceleris crimen effugere non posses: nunc vero cum iis de rebus nec verbum ullum feceris, nec facere potueris, cum videas sanctissimas cogendi concilii, antiquissimas leges fuisse servatas, cum nullum aptius tempus, nullus convenientior locus, nulla justior causa, nullum communius votum, neque ardentius studium instaurandæ religionis esse, aut desiderari possit: quæ ista est improbitas, quæ dementia, quis furor, ut tantum concilium, tam necessarium, tam opportunum, tam sanctum, tam improbis tu maledictis, injuriisque traduxeris? Nam quod concilii patres & paucos, & scenicos, & creaturas omnes summi pontificis dixeris, & quod se œcumenicos appellaverint, irriseris, sit alterum stultitiæ, alterum impudentiæ tuæ singularis. Hoc plane sæculo, quo tota Christiana religio in has angustias Europæ conjecta est, quarum etiam magnam partem Turcæ, & hæretici occuparunt, cur ducenti & quinquaginta patres, pauci tibi quidam episcopi videntur, cum pauciſſima concilia proferre possis, in quibus major pastorum numerus repertus sit? Quod vero a Romano pontifice creatos, scenicos, & pontificis creaturas per contemptum appelles, non quidem tu Fabrici, pontificis factum, sed Christi optimi maximi institutum reprehendis & irrides. Qui cum Petrum ecclesiæ suæ supremum pastorem tam apertis verbis declaravit, illius voluntate, consilio, atque auctoritate inferiores alios pastores creari: & certis provinciis præfici, atque consecrari decrevit.

Sed cogor jam improbissima convicia, quæ tu latronum, & nequissimorum hominum inducta similitudine, in hunc sacrum senatum conjecisti, silentio prætermittere, ut & piis auribus consulam, & pudori meo. Lateat per me hoc tantum scelus, quod si prodiret in lucem, vix posses illius invidiam sustinere: sed malo modestus, quam nimis vehemens, & acerbus reprehensor videri. Malo te hac infamia carere, quam me violati pudoris crimine laborare. Illud tibi, Fabrici, affirmare possum, me, cum ea legerem, sortem tuam infeliciſſimam doluisse, & non sine ingenti mœrore, & stupore illam orationis tuæ partem percurriſſe, considerantem reperiri aliquem in Christiana republica, qui se Christianum, evangelicum, solius divini verbi cultorem, qui se in sola Christi schola educatum, & edoctum, qui se mansuetudinis illius, & bonitatis imitatorem esse glorietur, tam furiosum, tam cœcum, tam amentem, qui cum illa tam impudenter in concilium effutiret, & exultaret, se tamen cum Christi præceptis, & illius modestia pugnare, qui se hac via Christi potius hostem, quam imitatorem exhibere, non animadverteret.

Concilii auctoritas.

Act. 15.

Aliud Montani maledictum.

Sed emergat jam oratio ex isto cœno, in quo diutius cum homine isto volutatur. Quamquam quo se vertet, ubi non in cœnum & lutum illi sit impingendum? Quid enim aliud istius os impuriſſimum tota sua oratione, quam turpissimum cœnum, & teterrimam sentinam convicium exhalat?

Venio nunc ad illam quæstionem juris & facti, in qua cum te cuperes jurisconsultissimum ostentare, ineptissimum rabulam prodidisti. Oecumenici concilii titulum Tridentino concilio convenire non posse contendis, ac proinde integrum non esse, œcumenici concilii nomine, cavere publica fide, cum id faciat, quod jure facere non potest: & perinde esse, ac si veterator aliquis privilegia conferat in optima quantumvis forma. Hujus vero criminis unicam illam probationem inducis, quod videlicet patres hujus concilii omnia sua ad Romanum pontificem, ceu ad caput referant. Quæ quam nequiter ab illo usurpentur, notius esse dicis, quam ut egeat probatione. Quid hoc est, Fabrici, rem longe difficillimam & graviſſimam, legum ipse & juris peritissimus ineptissimo argumento, & nequissima contumelia confirmatam satis & stabilitam esse putasti: an quod sacrum concilium Tridentinum, Pontificem Romanum, supremum ecclesiæ pastorem, Petrique successorem, agnoscat: & id faciat, quod Nicænum, Constantinopolitanum, Chalcedonense, quod omnia etiam alia sacrosancta œcumenica concilia fecerunt, omne illico jus, & potestatem amittet? An quod omnia ad illum, tanquam ad

summum

ſummum judicem, referant, ut illius cenſura, & auctoritate confirmentur, eam ad cauſam fides concilio ſublata, & illis omnis poteſtas erepta eſt? Quid concilio facies Nicæno, & Chalcedonenſi, quæ Divus Gregorius tanquam Dei evangelia, veneratur: quæ non ſatis decreta ſua firma judicarunt, niſi Romani pontificis fuiſſent auctoritate confirmata? Etenim ſacrum illud Nicænum concilium a Romano pontifice Silveſtro poſtulavit, ut quæ a tot patribus definita contra impiam, & ſacrilegam Arii hæreſim, & ſtatuta fuerant, ab eo confirmarentur. Quod quidem literæ ad illum miſſæ apertiſſime teſtantur iis verbis: Quoniam omnia, corroborata de divinis myſteriis eccleſiaſticæ utilitates, quæ ad robur pertinent ſanctæ eccleſiæ catholicæ & apoſtolicæ, ad ſedem tuam Romanam explanata, & de Græco redacta ſcribere confitemur: nunc itaque ad veſtræ ſedis argumentum accurrimus roborari. Et paulo poſt: Quidquid autem conſtituimus in concilio Nicæno, precamur veſtri oris conſortio confirmetur. Neque vero putandum eſt, concilium omnium celeberrimum ad Silveſtrum pontificem Romanum confugiſſe, niſi exiſtimaſſet, conciliorum decretis tantæ auctoritatis acceſſionem eſſe neceſſariam. Jam vero & frequentiſſima illa Chalcedonenſis ſynodus ſexcentorum triginta epiſcoporum, poſt longam cum hæreticis concertationem, poſt confecta decreta, quibus hæreſes damnabantur, licet beatiſſimi Leonis pontificis Romani legati interfuiſſent, eorum tamen, quæ geſta erant, rationem illi reddendam eſſe putavit, ut ejus auctoritate confirmarentur, & quaſi extrema adhibita manu conficerentur. Quæ quidem omnia, cum per literas expoſuiſſent, cum ejus auctoritatem impenſe commendaſſent, Petri ſucceſſorem, & quaſi quoddam ærarium Chriſtianæ fidei agnoſcens: Hæc, inquit, ſunt quæ tecum, qui ſpiritu præſenſeras, & complacere tanquam fratribus deliberaſti, & qui pene per tuorum vicariorum ſapientiam videbaris, a nobis effecimus. Indicamus vero, quia & alia quædam pro rerum ipſarum ordinata quiete, & propter eccleſiaſticorum ſtatutorum definivimus firmitatem, ſcientes, quia & veſtra ſanctitas addiſcens, & probatura, & confirmatura eſt eadem. Quibus quidem literis ſacræ ſynodi, pontifex ſanctiſſimus reſpondens illius ſe decreta probare, iis apertiſſimis verbis declaravit: Ne ergo, inquit, per malignos interpretes dubitabile videatur, utrum, quæ in ſynodo Chalcedonenſi per unanimitatem veſtram de fide ſtatuta ſunt, approbem: hæc ad omnes fratres, & coepiſcopos noſtros, qui prædicto concilio interfuerunt, ſcripta direxi, quæ glorioſiſſimus, & clementiſſimus princeps (ſicut popoſci) in notitiam veſtram mittere pro catholicæ fidei amore dignabitur, ut & fraterna univerſitas, & omnium fidelium corda cognoſcant, me, non ſolum per fratres, qui voeem meam executi ſunt, ſed etiam per approbationem geſtorum ſynodalium, propriam vobiſcum injiſſe ſententiam, in ſola, videlicet, fidei cauſa, quod ſæpe dicendum eſt, propter quam generale concilium ex præcepto Chriſtianorum principum, & ex conſenſu apoſtolicæ ſedis placuit congregari, damnatis hæreticis, qui ſi corrigi voluiſſent, nulla penitus reſideret de vera domini noſtri Jeſu Chriſti incarnatione

Concilium Nicænum Silveſtro.

Chalcedonenſe concilium Leoni.

Leo papa Chalcedonenſe concilio.

dubitatio. Unde ſi quis unquam auſus fuerit, vel Neſtorii perfidiam tueri, vel Eutychetis, ac Dioſcori impune dogmata defendere, & a catholicorum communione reſecetur, nec habeat ejus corporis participationem, cujus abnegat veritatem, fratres chariſſimi. Hæc Leo ille beatiſſimus, quæ apertiſſime teſtantur conciliorum decreta Romani pontificis auctoritate confirmari. Neque vero credibile eſt, ſanctiſſimum virum, quo nullus unquam ſanctior, ſapientior, aut moderatior fuit, hanc ſibi auctoritatem ambitioſe uſurpaſſe, aut illud concilium eam illi fuiſſe delaturum, niſi judicaſſet, ſibi illam divinitus fuiſſe tributam. Quid ergo? Hæc duo tanta concilia, quæ tantum honoris & auctoritatis pontifici Romano deferebant, omne illico jus, vim, & poteſtatem omnem perdiderunt? Quæ eſt iſta collectio? Quæ nova legum, & juris interpretatio?

Sed illud eſt magis ridiculum, quod neque concilio, neque pontifici fidem adhibendam, vel eam ob cauſam eſſe dicis: Quod cum pontifex reges, & imperatores a juramentis, pactis, & conventis abſolvat, qui vetat, quo minus eodem jure in propria cauſa fruatur? Deinde vero neminem eſſe ais, qui ignoret, Romanos pontifices juramentis, & bullis ſuis hactenus impune luſiſſe. Quid ego aliud huic non argumento, ſed maledicto reſpondeam, non invenio, quam quod quidam accuſatori ſuo reſpondit: An quod tu non faceres, ego faciam? Quod ergo tu perfide, & leviſſime transfuga non faceres, id ſummum eccleſiæ Chriſtianæ paſtorem, & monarcham, id ſacrum concilium facturum fuiſſe putabis? Nam quod Romanos pontifices juramentis luſiſſe criminaris, nonne oportuit, Fabrici, in graviſſimo flagitio, quod Chriſti vicario objiciebas, argumentum aliquod, aut ſignum, aut exemplum hujus ſceleris proferre? Non certum crimen notare: Non locum, tempus, & perſonam producere, ne tantum ſcelus a te conflictum videretur? Nunquid tibi hoſti capitali tam aperte & impudenter mentienti fidem habendam eſſe credidiſti? Jam vero ad convellendam fidem publicam ſtylum convertis. Nam cum Vergerius indictionem hujus concilii a Pio quarto pontifice maximo factam, ſuis jam fuiſſet ſcriptis furoris & impudentiæ plenis inſectatus, qua quidem Germanos, & reliquos, qui ab eccleſia Romana ſejuncti ſunt, dicebat minime fuiſſe comprehenſos, neque ad concilium vocatos: tu nunc eam ſumpſiſti provinciam, ut fidem publicam reprehenderes, & accuſares, & vos vocari a concilio non potuiſſe oſtenderes: veriti ſane, ne qui & indictionem, & fidem publicam viderent, cum tantum concilium cogi, cum vos tam amice & benevole vocari intuerentur, & vos non adfuiſſe cognoſcerent: culpam in vos proditæ religionis derivarent. Sed fruſtra hunc laborem ſuſcepiſtis: hos etenim duos teſtes veſtræ pertinaciæ, indictionem videlicet concilii, & fidem publicam, eccleſia Chriſtiana perpetuo eſt habitura: quos non modo præſens ſæculum, ſed ipſa etiam poſteritas intuebitur: quorum incorrupto teſtimonio, jure vos tanquam rebelles & pertinaces religionis hoſtes damnatos judicabit.

Hanc igitur in primis publicam fidem, obſcuram, ambiguam, & fraudibus plenam eſſe dicis: quod ego minime miror, ſi ita tibi videatur. Nam quid mirum, ſi qui jam apud ſe ſtatuit in veteri errore pertinaciter permanere, nec

sacri concilii admonitionibus, nec ecclesiæ decretis acquiescere, & scelerum conscientia pavidus, & tremens concilio non interesse: hic pietatem, dolos: sinceritatem, fraudes: lucem denique ipsam meridianam, noctem, & tenebras interpretetur. Primum illud tibi respondeo, Fabrici, antiquis temporibus hunc morem cavendi fide publica, in usu conciliis non fuisse. Non tanta unquam audacia, non tantus furor, non tam petulans, & furens hæreticorum fuit licentia: qui cum humana jura omnia atque divina violavissent, ut ad concilium venirent, iis securitatis præsidiis indigerent. Facilis aditus, & liber erat omnibus accessus: quia nulli veterum hæreticorum, sicuti vos nunc, cruentas innocenti Christianorum sanguine, manus ad concilium attulerunt. Scelerum igitur vestrorum magnitudo, vulnerata & meticulosa conscientia, quæ omnia etiam securissima reformidat, & expavescit, hanc nunc a sacro concilio publicam fidem extorquet. Illud etiam tibi deinde respondeo, summum pontificem, cum ad Germaniæ principes hac de re legatos mitteret, ab eis petiisse, ut ipsi arbitrio suo publicam fidem, qua vellent, forma conficerent, se illi libenter esse subscripturum. Quid amplius a vobis optari potuit? Si hæc forma displicebat, cur non aliam a vobis confectam exhibuistis? Cur hanc reprehenditis, cum liberum fuerit, quam velletis, obtinere? Quamquam hic nunc data publica fides ex voto etiam atque sententia vestra, ut audio, confecta est: ego sane affirmare ausim, Fabrici, nulla alia in re magis hoc sacrum concilium elaborasse, quam ut ea fides publica conficeretur, quæ plena esset amoris, & benevolentiæ, & quæ nullis calumniis patere posset: hanc dico fuisse illius mentem, hunc sensum, hoc omnium commune votum, hoc animo patres ad eam rem delecti fidem publicam facere voluisse, & confecisse: quam obsecro vos, viri Germani, diligenter inspicite, ut & sincerum, apertum, & candidum concilii sacri animum, & istius hominis meras calumnias deprehendatis. Qui cum omnia sibi intentare supplicium arbitretur, cum magnopere debitas suis sceleribus pœnas extimescat, nihil prius in hac fide publica reprehendendum duxit, quam illam clausulam, quæ de pœna in violatores constituit, quam obscuritatis, & ambiguitatis in se continere plurimum criminatur. Sic homini tam oculato, aut potius timore cæco, omnia obscura, & tenebricosa videntur.

Nolo rationibus contendere, agam tecum obsignatis tabellis: proferamus clausulam ipsam, quæ sic habet: Quod si sancta synodus, aut aliquis ex ea, vel suis, cujuscumque conditionis, vel status, aut præeminentiæ existens præscriptæ assecurationis, & salvi conductus formam, & modum in quocumque puncto vel clausula violaverit, (quod tamen avertere dignetur omnipotens) & sufficiens emenda non fuerit mox subsecuta, & ipsorum arbitrio merito approbanda, & laudanda, habeant ipsam synodum, & habere poterunt, incidisse in omnes pœnas, quas jure divino, & humano, aut consuetudine hujusmodi salvorum conductorum violatores incurrere possunt, absque omni excusatione, aut quavis in hac parte contradictione. Hactenus clausa. Quid, obsecro, hic, Fabrici, obscurum, & ambiguum? quod verbum obsoletum & antiquatum? Imo quid non explicatum & apertum? nonne pœnas omnes divino jure & humano, & consuetudine contra publicæ fidei violatores decretas, sancta synodus sibi & aliis apertissimis verbis comminatur? Cur non verbum aliquod obscurum? Cur non periodum ambiguam notasti? Cur quo in loco hæc tanta obscuritas delitesceret, non aperuisti? Sed revertamur ad illum, qui te quiescere non patitur, timorem tuum, quem jam non ex loco, non ex fide publica colligis, sed quem propter violatam ecclesiæ majestatem, propter scelera, & seditiones, quibus pacem totius orbis Christiani perturbastis, jure optimo videris concepisse. Fingis enim te jam adesse concilio, ante illorum astare conspectum, quorum dignitatem improbis factis & maledictis violaveris: fingis eos iniquo in te animo, & justa indignatione concepta, vel de te sumere supplicium: fingis te pavidum, & tremebundum omnia lustrare, omnia circumspicere, nullum advocatum, nullum intercessorem, nullum patronum videre, qui te in eo præsertim loco milite pontificio munito, defendat, & ex illorum manibus eripiat. O fortissimum martyrem, qui accepta publica fide in summa securitate summos terrores offendisti. Quæ Nemesis, quæ furiæ tuum istud pectus ita conscientia scelerum exagitant, ut ab aliis, qui nihil magis, quam tuam corporis & animi potissimum salutem exoptant, extrema tu omnia pertimescas? Nunquid hic tibi Phalaridis tauros esse putasti? Nunquid hic Nerones, Dionysios, Maximinos, Julianos adesse credidisti? Non hic ullos tibi infestos, & inimicos reperies, Fabrici: sed mansuetissimos patres, qui te summa caritate complectentur, & ecclesiæ matri conciliabunt: piissimos pastores, qui vos in suis humeris sublatos Christi gregi restituent: clementissimos medicos, qui vestris vulneribus medebuntur? Non hic patrono, non advocato, non intercessore indigebis: quos tu tibi hostes fingis acerrimos patronos, & defensores experieris.

Sed cur Tridentum armato pontificio milite septum esse dixisti? Cum nulli hic satellites, nulli adsint milites, ut potius verendum sit, ne in tantis insidiis & furore vestro parum videatur esse munitum? At vero illud videlicet te dicis extimescere, quod cum multa a vobis de corrupta ecclesiastica disciplina, de obscurata luce evangelicæ doctrinæ dicenda sint, quæ a vobis sine scelere taceri, a nostris sine furore audiri non poterunt, vereris, ne si illis vitæ, morumque turpitudinem objicias, & professos ecclesiæ hostes, quod necessarium esse putas, appellaveris, illorum animos exacerbes, & ipse læsæ securitatis crimine arguaris. Illud tibi in primis persuasum esse cupio, Fabrici, hujus concilii patres, in hanc unam curam, & cogitationem dies, & noctes incumbere, ut viam inveniant, qua laboranti ecclesiæ subveniatur: & omni errore, turpitudineque sublatis, antiquus illi splendor atque dignitas restituatur. Neque enim ullam aliam ob causam, ex omnibus provinciis, atque nationibus, in hunc locum convenerunt, quam ut rebus ecclesiæ optime compositis, & constitutis, revocata unitate, atque concordia, tam diu optata in Christo pace fruantur. Quæcumque ita sint, illud etiam existimare debes, nihil illis posse accidere jucundius, quam si eorum admoneantur, quæ vel ad puritatem evangelicæ doctrinæ restituendam, vel ad vitæ, atque morum veterem disciplinam revocandam spectant. Quod si tu, Fabrici, atque ceteri, qui vos doctrinæ & morum gravissimos

simos censores profitemini, pravos istos, & corruptos Christianæ reipublicæ mores, has tenebras, quas evangelicæ luci a nobis offusas fuisse dicitis, hæc denique tam atrocia ecclesiæ vulnera, huic sacro concilio Christiana modestia, ut par est, detegeretis: non modo non id vobis crimini daretur, quod ipse verebaris, sed immortales vobis gratiæ ab universo concilio amplissimis verbis agerentur. Sed quis est hic tam effrenatus & impotens animi tui furor, ut non speres te posse ulla ratione illa, quæ sentis, modeste patribus explicare? Nunquid non satis tibi esse videbitur, si candido & sincero animo, si verbis moderatis aperueris, quid in ecclesia pravum, quid corruptum, quid alienum a vera religione, quid evangelicis legibus adversum, quid disciplinæ veteris ecclesiæ parum consentaneum, quid denique censura & animadversione dignum, nisi gravissimos concilii patres, improbos, sacrilegos, & impuros, professos ecclesiæ hostes appellaveris? Latrones admoneri volunt; acerba nimis & immoderata oratione reprehendi molestissime ferunt, & tum, cum maxime omni supplicio dignissimi videntur, sibi honorem non deterri, sed insolentius appellari, & indignius tractari, iniquissimo animo patiuntur. Si ergo homines improbissimi, cum ad meliorem frugem revocantur, honorificis titulis appellari volunt: tu senatum totius orbis gentium clarissimum, sapientissimum, & sanctissimum, sine gravissimis & indignissimis contumeliis, nec nominare, nec admonere poteris? Sic omnem pudorem exuisti, ut a te tantus œcumenici concilii conspectus modestiam impetrare non possit?

Sed quamquam nihil horum, inquis, esset pertimescendum, istorum tamen patrum in vos odium, & crudelitas esset formidanda: quam quidem tantam esse dicis, quantam Gallia, & Anglia, & nescio quæ dira Vassejensis cædes testantur. Nonne satis erat, Fabrici, te hactenus impudentem ostendisse, nisi nunc etiam velles stultissimus videri? Qui illud adversariis audeas objicere, quod possit illico in vos, non sine maxima ignominia & scelere vestro retorqueri? Dic mihi, obsecro, quod signum apparet in Anglia nostræ crudelitatis? Aut quæ potius funesta vestri furoris vestigia in illa miserabili provincia non conspiciuntur? Quis, obsecro, tot clarissimos & sapientissimos in ea viros immaniter trucidavit? Cujus, obsecro, crudelitate triginta & eo amplius hominum millia cæsa jacent? Quis eam insulam tot clarissimis pastoribus miserabiliter orbavit?

Quis sacerdotes & monachos ab ipsis templis, & aris, ad quas confugerant, ad supplicium crudelissimum abstraxit? Quis hanc insulam, quam sanctissimus Gregorius, sine ulla humani sanguinis effusione ad Christi jugum, & ecclesiæ gremium adduxit, nunc atrocissima internecione civium ab ejus sinu, atque complexu crudeliter abduxit? Quis denique illam mortuorum corporibus, quis luctu, lamentationeque complevit, nisi acerrimus ille & immanissimus Christianæ religionis hostis, Henricus, quem vestra crudelitas contra Christum, & illius ecclesiam armavit? In Gallia vero quis miseras illas edidit strages, & edit quotidie alias, quæ tanto cum dolore ad auras nostras passim deferuntur, nisi vesana, & furibunda jam hæresis, quæ cum odium & crudelitatem diutius occultare, & incluſam continere non posset, arripuit arma sacrilega, strinxit gladios, & cives contra regem Christianissimum, filios contra matrem ecclesiam, insanissime concitavit? Nunquid æquum tibi videtur, Fabrici, ut catholici paterentur, se ab iniquis regni proditoribus, & religionis hostibus pecudum more impune trucidari? Nunquid illis per te non licuisset a templis, aris, & focis, ab uxoribus, liberis, fortunisque suis, hanc impiam, & funestam flammam, & istos furentes gladios arcere? Nunquid nostros eo nomine crudeles appellabis, qui vulnera a vobis illata (quemadmodum ille dixit) toto corpore non exceperint? Nem quod Vassejensem nobis cædem objecisti, credo ego te justissimam illam animadversionem significare, qua dux ille clarissimus Guisianus, acerrimus Christianæ religionis vindex, & hæreticorum hostis, in Vassejanos, non quidem tanquam in hæreticos, sed tanquam in dominum suum rebelles usus est. Quod quidem factum nescio quo possis jure reprehendere, nisi tu eos, qui hæretici sunt, in suos etiam principes contumelioſos esse posse arbitreris.

Sed ommittamus hæc, quæ quamvis vobis invidiosa, toto tamen orbi Christiano misera, atque luctuosa sunt. Quia licet sine maximo vestro scelere & ignominia vestra, sine dolore tamen nostro, & ecclesiæ lacrymis commemorari non possunt. Jam vero neque illud dicis esse dissimulandum, quod appendix illa, aut extensio ad alias nationes, quæ fidei publicæ addita est, tuo judicio fidem publicam datam Germanis, prorsus enervet, atque subvertat. Nam cum in appendice dicatur, eam formam, non nisi ad eos pertinere, qui ad ecclesiæ gremium redire voluerunt: ergo neque ad Germanos, nisi quatenus se velint cum ecclesia Romana conjungere. Quia, ut inquis, fides publica, cum forma, qua continetur, etiam terminatur. Miror sane te, Fabrici, sic fuisse obcecatum calumniandi cupiditate, ut cum omnia invertere, depravare, & tenebris involvere studeres, non animadverteris te ubique singularem simul stultitiam ostentasse: & tam ingeniosum reprehensorem, quam ineptum calumniatorem egisse. Nam qui fieri potest, ut hæc alicui sensato, & non prorsus amenti persuadere te posse consideres? Hæc enim publica fides duo hominum genera comprehendit: alterum Germanorum, quorum potissimum gratia concessa est, qui cum primi hujus tantæ seditionis auctores & principes extiterint, unde quidquid nunc est in ecclesia malorum promanavit: primi etiam accersuntur, tam apertis indiciis benevolentiæ, tam claris & evidentibus signis amoris, ut nullus esset, præter te unum, tam ferreus, qui non illis frangeretur, & qui non potius rationem aliquam referendi gratiam, quam calumniandi, & reprehendendi tantum beneficium investigaret. Alterum vero genus est eorum: qui in illis provinciis, regionibusque versantur, in quibus hoc vestrum evangelium docetur, & prædicatur publice & impune, ut in Anglia, & in nonnullis Galliæ locis, quibus etiam in hac appendice declaravit sacrum concilium, publicam fidem cum Germanis esse communem. Iis duobus hominum generibus, nullis adhibitis conditionibus, sed nude atque simpliciter, hac fide publica cavetur. Sed quoniam erat tertium genus eorum, qui licet sint vestris hæresibus infecti, degunt tamen in illis provinciis, in quas hæresis non aperte, sed obscure grassatur: nec prædicatur, aut docetur impune, ita ut ipsi

cum

cum ſuis erroribus latere cogantur : atque iſtorum hominum nonnulli deliteſcant, alii fuerint comprehenſi, & in carcerem detruſi, partim vero cum in ſuſpicionem veniſſent, ſibi fuga & exilio voluntario conſuluerunt : quorum ſtatuæ combuſtæ, bona publicata jam ſunt : volens ſancta ſynodus ſignificare, nulli viam redeundi ad eccleſiæ ſinum intercluſam eſſe, etiam illis transfugis & jure damnatis, ſed omnibus ad ejus clementiam non confugientibus, aditum patere.

Illos, quia fide publica non erant comprehenſi, excitat, & hortatur, ut reſipiſcant, quibus ſe benignam & miſericordem matrem futuram pollicetur. Nec tamen dicit illis publica fide caveri, ſed ab ea non excludi. Sed quia qua forma eſſet iis exhibenda, nondum conſtabat, & res maturo conſilio, atque deliberatione indigebat, illam in aliud tempus dicit eſſe rejiciendam. Cur ergo verba illa, Eos, qui ad eccleſiæ gremium redire voluerint, quæ iis ſolis dicuntur, quibus hac publica fide non cavetur, neque ad Germanos ulla ratione referuntur, tu ad infringendam hanc fidem datam Germanis cavillatorie tranſtuliſti? cur te toties mendacem & impoſtorem appellari vis? Nonne ulla ultima verba, quæ ſic habent, Nunc ſatis exiſtimatum eſt, ſi qui publice, quemadmodum in extenſionis forma lectum eſt, deſeruerunt eccleſiæ doctrinam, eorum ſecuritati, & forma (quam legi audiviſtis) proſpiciatur, aperte declarant ad illos, quos paulo ante nominavit, publicam fidem non pertinere? Quod ſi ea non includuntur, neque ad eos ſpectat: illa igitur, quæ de illis dicuntur, ad Germanos referri, & publicæ fidei obeſſe ulla ratione non poſſunt.

Hæc ſunt, viri Germani, ingentia illa pericula, quæ Fabricium alioqui fortiſſimum & conſtantiſſimum virum remorantur. Hi ſunt duo illi terrores, Tridentum videlicet, & fides publica, qui martyrem fortiſſimum vehementiſſime conturbant: hæc tantum illi metum incutiunt : hæc tam illi formidoloſa videtur, ut neque Laurentii craticulam, neque Catharinæ rotam, cum illis ullo pacto cenſeat eſſe conferendas: hæc ita magna ſibi pericula videntur, ut, ne ſe in illa conjiciat, veritatis patrocinium, veſtram & eccleſiæ ſalutem, & Chriſti gloriam putet eſſe deſerendam. Hæc ſentis, Fabrici, & Thraſonis more militem glorioſum agere, & te martyrum exemplo, vel extremis ſuppliciis ſubeundis, paratum eſſe dicere audebis? Non tu quidem, Fabrici, ad martyrii palmam aſpiras. Carior quidem tibi eſt ſalus, quam Chriſtus, aut eccleſia. Nunquam, mihi crede, committes, ut in martyrum veſtrorum numerum aſcribaris, cui publica fides extremum videtur eſſe ſupplicium. Eam igitur ob cauſam illi, qui concilium Tridentinum frequentant, ſcelerati ab iſto homine cenſentur : quod ſe videlicet in duo vitæ apertiſſima diſcrimina conjiciant, alterum ex loco, quia Trideuti concilium celebratur : alterum ex fide publica, quam ſuſpectam habet. Videte, per Deum immortalem, quales miniſtros, quam fortes, atque conſtantes, immo quam leves, & abjectos habeatis, quibus Tridentum in ipſis imperii finibus ſitum, & imperatoris auctoritate ſeptum, & quibus etiam ipſa ſit ſuſpecta ſecuritas. Nonne vobis hic metus & trepidatio aperte loquuntur, atque teſtificantur, quales jam in illorum animis conſcientiæ terrores verſentur? Magnam in omnem vitæ partem vis eſt conſcientiæ (ut ille dixit) ut neque timeant qui nihil commiſerint, & pœnam ſemper ante oculos verſari putent, qui peccarunt. Quod enim eſſe poteſt judicium ſceleris apertius, quam conſcientiæ timor, omnia etiam ſecuriſſima reformidantis?

Sed venio jam ad alteram hujus hominis egregiam excuſationem, qua probare ſtudet, ſe jure ab hac profectione deterreri, quia cum certo diſcrimine certam etiam veritatis abjurationem dicit eſſe conjectam. Et quoniam hac de re pauca quædam a me dicta jam ſunt, breviter me expediam. Sed quonam argumento hæc colligat, quæſo, diligenter attendite. Concilia, inquit, coguntur, ut vitia doctrinæ, atque morum emendentur : at vero nemo ſe debet illis cœtibus adjungere, qui circa res cum hoc fine pugnantes occupantur. Patres concilii Tridentini non illuſtrandæ, ſed obſcurandæ veritatis gratia, non reformandæ, ſed deformandæ eccleſiæ cauſa convenerunt: non ergo quiſpiam ſine ſcelere, ſe hujuſmodi cœtibus temere adjunget. Illud in primis ante quæro, Fabrici, ſi improbi homines & ſcelerati, facta conjuratione, ſuum regem occidere, civitatem incendere, cives trucidare, & regnum ipſum occupare per tyrannidem ſtatuiſſent: ſi eſſet aliquis egregius civis, qui re cognita, patriæ caritate commotus, ſe illi cœtui inſereret, non ut faveret, ſed ut iret obviam illorum furori, ut perſuaderet, ne tantum facinus aggrederentur, etiam ſi hoc cum maximo & apertiſſimo vitæ diſcrimine faceret: nunquid tu hunc ſceleratum & nefarium civem appellabis? Non arbitror te jam eſſe dementem, qui hoc dicas. Quomodo igitur te iis cœtibus adjungere judicas eſſe nefarium cum ſine periculo te poſſis illorum conatibus opponere, qui tuo judicio eccleſiæ deformandæ gratia convenerunt? Et, ut propius ad religionis cauſam accedamus, qui hominum conventus ſceleratiores illis, qui ad ſacra idolis facienda, ad delendum Chriſti nomen, ad obſcurandam ejus gloriam, & exſorbendum Chriſtianorum ſanguinem conveniebant? Fortiſſimos ergo viros, qui divino numine correpti, & ardentibus quibuſdam caritatis flammis incenſi, prodibant in medium, falſos illos eſſe deos unico, veroque Deo ſolo, ejuſque filio Jeſu Chriſto, illum honorem deferendum eſſe clamabant. Hujuſmodi, inquam, homines, qui ſe illis cœtibus pro Chriſti gloria cum evidenti capitis periculo immiſcebant, quorum ſanctam, immortalemque memoriam eccleſia veneratur, tu temeritatis & ſceleris inſimulabis? Impurum igitur, atque ſacrilegum dices Marem illum Chalcedonenſem epiſcopum, qui, teſte Sozomeno, cum eſſet oculis ob ſenectutem orbatus, audiſſetque Julianum apoſtatam in templo Solis diis gentium ſacrificare, ſe in frequentem turbam conjiciens, palam & acerbe imperatorem objurgavit: ad quem converſus imperator, cum dixiſſet, Abi tu potius ad Galilæum tuum (Chriſtum intelligens) ac jube tibi oculos aperire: tum Mares eadem conſtantia reſpondet, Deo meo, pro hac mea cœcitate gratias ago, qui ideo viſum ademerit, ne te apoſtatam, in Deum blaſphemum, omni virtute ſpoliatum viderem. Neſcio quid hic dicere poſſis, niſi vos non eo flagrare caritatis incendio, quo Paulus, ut iis vos pro Chriſto periculis objiciatis. Quid vero ſi nullum eſt periculum? quid ſi ſumma ſecuritas? quid ſi tanta veſtri, atque ſalutis cupiditas, ut etiam ſi patres hujus concilii deformatores eccleſiæ, proditores religionis fitis appellaturi, æquo id animo laturi ſint, &

veluti sapientis medici, eorumque phreneſi laborant, diſſimulatis atque neglectis injuriis, nihilominus veſtris vulneribus medelam ſint adhibituri? Vides ergo, Fabrici, nullam eſſe juſtam detrectandæ hujus provinciæ rationem, etiamſi patres dehoneſtandæ eccleſiæ ſtudio conveniſſe exiſtimares. Sed quibus, obſecro, indiciis, quibus ſignis hunc tu, tam depravatum animum patrum deprehendiſti? Nunquid decretis, ab illis jam editis? Atqui quo tempore hæc tu meditabaris, nulla extabant decreta. Nunquid ex antecedentibus? Cur non aliquid ab illis contra veritatem evangelicam & eccleſiæ dignitatem factum commemoraſti? Niſi qui credis omnia concilia deformandæ eccleſiæ cauſa fuiſſe coacta, idem de hoc faciendum eſſe judicium duxiſti. Quid ergo tanti ſceleris argues tantum concilium, & nullam rationem, nullum ſignum, nullum argumentum adduces? Nunquid in omnium patrum, qui hic adſunt, animos penetraſti, & abditas illorum omnium cogitationes, & intimos ſenſus inſpexiſti, ut dicere audeas, eos omnes tam iniquum animum ad eccleſiæ ſalutem attuliſſe? Tam eris iniquus æſtimator, ut nullum ex tot clariſſimis viris eſſe arbitreris, qui inveniendæ veritatis, & reformandæ eccleſiæ ſtudio teneatur? Tam eris improbus, ut cum Chriſtus Jeſus præcipiat, ne temere judicium de aliorum vita, factiſque feramus: cum admoneat Paulus, ne illis etiam, quæ ſpecie ipſa & aſpectu mala videntur, ſiniſtre interpretemur: cum Jacobus graviter illos reprehendat, qui fratrem judicant, & eos non jam hominum, ſed ipſius divinæ legis judices, & detractores eſſe dicat: tu non de factis fratris alicujus, ſed de internis cogitationibus, tot ſanctiſſimorum patrum tam temerarium & præceps, tam iniquum & ſceleratum feres judicium?

Matth 7.

Atqui, inquis, Romanus pontifex, non alia cauſa concilium, tot ſumptibus, tantis laboribus coegit, quam ut ruentem, fluctuantemque papatum, qui jam pridem mole ſua laborare cepit, ſuffulciat: & epiſcopi ipſi conceptis verbis in illius leges, voluntatemque jurarunt. Quæ iſthæc eſt, Fabrici, dialectica? Quæ argumentandi forma? Quid habet conſequens hæc ratio: pontifex Romanus cupit ſuam dignitatem eſſe ſalvam: epiſcopi jurejurando ſunt illi devincti: ergo, patres concilii Tridentini, obſcurandæ veritatis, & deformandæ eccleſiæ gratia convenerunt. Sed intelligo jam quid velis dicere: video, quo ſpectent: in quo ſcopum hæc tela dirigantur. Eo ſummi pontificatus odio conflagratis, ut eos, qui illius voluntate, imperioque coguntur, ſincerum animum ad curanda eccleſiæ vulnera adducere non poſſe judicetis: eccleſiam ſtare, niſi everſo ſummo pontificatu, non poſſe creditis: illam unicam eſſe eccleſiæ reformationem exiſtimatis, ſi Romanus pontifex ab illo loco, in quo illum Chriſtus collocavit, depellatur. O vos deceptos, deluſoſque Germanos, quibus vel hæc unica perſuaſio tantum hactenus malorum invexit, & in poſterum majora comminatur. Hæc vobis funeſtiſſimas excitavit tragedias, hæc clades acerbiſſimas edidit, hæc dulciſſimum eripuit otium, pacem abſtulit, bellum civile, ſervile, domeſticum & inteſtinum intulit: hæc omnia erroribus infinitis, inſaniſſimiſque complevit. Quæ quidem mala non aliunde (mihi credite) nata ſunt, quam quod eccleſiam Romanam, veritatis magiſtram, antiquæ religionis ſcholam, rectæ & incorruptæ fidei religioſiſſimam aram, columnam denique, atque firmamentum evangelicæ veritatis deſeruiſtis: & ſummum pontificem, quem Chriſti ſuæ eccleſiæ principem, & paſtorem ſupremum inſtituit: & totus orbis Chriſtianus jam inde ab ipſis eccleſiæ primordiis, ad hæc uſque noſtra tempora, Chriſti vicarium agnovit, non modo non veneremini, ſed odio pluſquam Vatiniano, & contumeliis improbiſſimis proſequamini.

Si te, Fabrici, argumentis, & non dementia, ſi ratione aliqua, & non potius inſania, atque furore hac in parte duci arbitrarer, agerem tecum, tanquam cum homine ſanæ mentis: oſtenderem, ſi nullam aliam ob cauſam, ii patres Tridentum conveniſſent, quam ut pontificiam dignitatem a vobis convulſam & labefactatam aſſererent, nullum futurum fuiſſe tam improbum, qui illorum factum reprehenderet, immo qui non ſanctiſſimum & honeſtiſſimum illorum ſtudium & operam judicaret: nunc vero cum tam inviſum & odioſum vobis ſit Romani pontificis nomen, ut vel eo audito, ſic accendamini, ſic ardeatis ira, ut ſanis inſanire & furere videamini: quis audebit, ea de re vobiſcum conferre, qui non pertimeſcat, ne ille etiam vobiſcum inſanire videatur? Nolo igitur tecum in hanc arenam deſcendere, ut de ſummo pontificatu contendamus: id, quod nunc ad cauſam pertinet, leviter attingam, ut quanto in errore verſemini, ipſo rerum eventu cognoſcatis. Nolo rem a primordiis repetere: prætermitto apertiſſimam Chriſti inſtitutionem: omitto optimam illam rerum publicarum adminiſtrationem, quæ omnia ad unius refert arbitrium: omitto ſacram illam Hierarchiam eccleſiæ, quam ab apoſtolis acceptam divus Dionyſius literis conſecravit: in qua non ille modo, ſed totius orbis Chriſtiani conſenſus ſummum pontificem in ſummo loco, veluti eccleſiæ principem, atque ſupremum paſtorem collocavit: omitto veteris legis, & Iſraeliticæ reipublicæ inſtitutum, quæ cum ſummum pontificem divino judicio fuerit adepta, illum in eccleſia Chriſtiana futurum adumbrabat: omitto œcumenica concilia, quæ ſemper Romano pontifici ſupremam in eccleſia poteſtatem detulerunt: omitto veteres eccleſias Græcas, Latinas, Africanas, Aſianas, quæ ſemper Romanam eccleſiam, tanquam principem & magiſtram ſecutæ ſunt: omitto antiquas hiſtorias, veteres annales, & monumenta: ſanctorum patrum teſtimonia prætermitto: unica tecum agam ratione, quam hæc nobis infeliciſſima tempora ſuggerunt, & ſubminiſtrant: qualem tu, Fabrici, reipublicam illam futuram eſſe arbitraris, in qua rege trucidato, improbiſſimus quiſque ad tyrannidem aſpiraret? Qualem navis illius curſum, in qua magna imminente tempeſtate, ſublato gubernatore, ad clavum ineptiſſimus quique conſideret? Qualem exercitum, qui jam cum hoſte conflicturus de auferendo duce cogitaret? Quales denique oves, quæ facta conſpiratione, ſe paſtoris imperio ſubducerent? Nonne futurum erat, ut reſpublica concideret? Ut navis fluctibus mergeretur? Ut exercitus in manus hoſtium veniret? Ut miſeræ oves diſperſæ, atque diſſipatæ, incertis curſibus per invia loca vagantes, in luporum ungues, atque fauces inciderent? Quæ ſi accidere videremus, nonne ex illa radice orta fuiſſe diceremus? Sed quid exempli gratia loquimur? Res ipſa clamat, Fabrici: converte oculos in Germaniam univerſam, Galliam, Poloniam,

Romani pontificis auctoritas aſſeritur.

Unga-

Ungariam, Boemiam, Angliam: vicinas provincias, atque regiones animo & cogitatione perlustra: incendia, cædes, strages populi Christiani circumspice: hunc tantum tumultum, quasi fremitum quendam concussi tempestatibus maris ausculta: tot erroribus miseram plebem fluctuantem tacitus ipse considera: quot hæresibus scissa, atque distracta sit, tecum expende: circumjacentes provincias, tot erroribus & tumultibus æstuantes, contemplare. Sed quid provincias dico? Vicinas domos intuere: quid domos commemoro? Tuum ipsius domicilium, atque cubiculum inspice, in quo si duo saltem estis, sicut esse arbitror (neque enim credibile est te sine uxore esse) si duo inquam estis, dissidere sane, neque in unam & eandem religionem consentire & conspirare necesse est: cum apud vos duo, idem per omnia sentientes, hactenus reperti non sint: sed quid ego cubiculum tuum dico? Tuum istud sacrilegum pectus explora: illud sæpe, tanquam fretum, & euripum aliquem diversis opinionibus æstuasse, neque perpetuo in eadem sententia permansisse (si verum fateri velis) reperies. Te testem appello, tuum ipsius judicium, testimoniumque requiro: dic, an per diem integrum in eodem errore constiteris? Fidem hic adhibebo, qui nulla alia in re tibi credendum putem? Quid hoc est, Fabrici? Unde hæc tanta fluctuatio? Unde tam varius spiritus erroris, atque vertiginis? Unde istæ furiæ proruperunt, ut Christiani milites non modo infinitis hæresibus dissideant, sed mutuis se jam vulneribus conficiant, nisi quod unius ecclesiæ principis, Romani, inquam, pontificis signa deseruerunt? Unde illos tot errorum procellis tempestatibusque jactari animadvertimus, nisi quod gubernatorem illum divinum clavo assidere non patiantur? unde miseras oves errantes per tot præcipitia ferri cernimus, nisi quod summo pastori baculum a Christo traditum eripere voluerunt: unde hæ omnes perturbationes, tumultus, hæreses, profectæ sunt, nisi quod, quemadmodum Africanus ille pastor & martyr inclitus dixit, sacerdoti Dei non obtemperatur? quid habes, quod hic opponas? quam tuam aliam horum malorum causam adduces? Leontius Antiochenus episcopus, auctore Nicephoro, in gravissima illa apud Antiochenos de religionis negotio dissensione, cum timens seditionem, sententiam suam aperte proferre non auderet, aliquando caput suum, canis floresæens, demulcens dixisse fertur: Nivem eam solutam lutum multum consecuturum esse: indicans eo capite sublato, quod sua auctoritate homines in officio continebat, dissidia civium in apertam seditionem evasura. Quanta igitur malorum sententia secutura sit, quantæ tenebræ Christianum orbem occupaturæ, si caput istud ecclesiæ universalis, Romanus, inquam, pontifex, a sede sua deturbaretur, testatur jam istud fetidum hæresum cœnum, quo nunc illi misere volutantur, qui illum non reverentur. Quæ cum ita sint, audes tu homo audacissime tot patres & pastores ecclesiæ reprehendere? ejus deformatores, veritatis & religionis hostes appellare, quod non animo evertendi summum pontificatum ad concilium accesserunt? quod ecclesiæ membra contra caput (sine quo fides, pax, religio salva esse non possunt) non conjuraverint?

Cyprianus. Leontius.

Jam vero quod nullam aliam ob causam tanto apparatu, a Romano pontifice concilium coactum esse dicis, quam ut omnia imperio suo subjiciat? Atque hujus rei testem rempublicam trium fœderum appellas. Si istum pontificis animum ex ejus reipublicæ testimonio deprehenderas, cur non illud protulisti? Cur tibi, tanquam Apollini Pythio, credi voluisti? Nam illa legatio tota est amoris plena, & desiderii salutis vestræ, pacis, & unitatis conciliandæ: nullum in ea vestigium hujus cupiditatis apparet: quamquam illa, quæ diximus, aperte declarant, atque testantur, nullam esse posse pacis spem, nisi omnes Romanum pontificem, Christi vicarium, & universalis ecclesiæ pastorem agnoscamus. Nam quod illum imperandi studio inflammatum hæc moliri criminaris, non tam ille, mihi crede, Fabrici de summo pontificatu (quem neque ipse inferorum portæ poterunt evertere) quam de salute vestra solicitus est: non tam dignitatis suæ, quam brevi relicturus est, amplitudinem exoptat, quam interitum vestrum, quem videt esse sempiternum, & ruinas ecclesiæ, quam sibi Christus commisit, lamentatur: & illius unitatem vestris unguibus discerpi, atque dilacerari dolet. Tu vero quod in tantis calamitatibus afflictæ matris ecclesiæ, in communi dolore, atque lacrymis, carminibus, ecclesiæ acerbis & summo pontifici contumeliosissimis, luseris, facis tu quidem, ut calonem, ut gnathonem aliquem & parasitum decebat, qui inter aliorum lacrymas canere & ridere soleat. Neque vero in tanta, tamque publica mœstitia totius Christiani orbis privatam lætitiam tu continere potuisti: sed illam versibus indicasti: non solum non commoveris ærumnis & lacrymis ecclesiæ, sed alias acerbiores illi comminaris: & veluti ex Delphica tripode, Satanici furoris insania correptus, de futuris illius majoribus miseriis vaticinaris. Quibus ego carminibus nihil aliud respondebo, quam quod sperem de divina misericordia, ut quæ soleat pati spiritum mendacem in ore prophetarum versari, & maledicam illorum aliquando mentem in melius commutare, hoc infaustum infelixque tuum vaticinium, utpote ab spiritu veritatis hoste profectum, mendax & falsum esse futurum, summique Dei clementia & horum sanctissimorum patrum industria ecclesiam, hac misera obsidione liberandam, teque improbissimum vatem victricis ecclesiæ pedibus conculcandum, sicut ducem illum Israelitarum, qui Elisei vaticinio fidem noluit adhibere.

Matth. 16.

Quod vero formam juramenti, quod summo pontifici episcopi præstant, aliquibus respersam mendaciis protulisti: & ea sic illos esse devinctos affirmas, ut necessario illius voluntati servire, & conatibus parere cogantur: primum quidem majorum tuorum vestigia sequeris, quibus corrumpendi, adulterandi, atque depravandi scripta omnia, unicum & præcipuum studium semper fuit; deinde vero nunquam tu, Fabrici, hanc formam tam inepte protulisses, nisi aliorum fide tua perfidia metireris. Nunquid, obsecro, auctorati milites, si quidpiam inique & injuste ab illis fieri præcipiat imperator, auctoramenti religione illi parere constringentur? Nunquid cives principi, scelus aliquod aggredienti, ob datam fidem & jusjurandum obtemperabunt? Et non potius mortem sustinendam arbitrabuntur? Illud mihi responde, Fabrici: si imperator aut princeps ille, quisquis est, cui tu pares, a te peteret, ut rempublicam proderes, essesne id facturus, an non? Si non: quod ergo tu furcifer non faceres, id tot atque tantos ecclesiæ pastores facturos existimabis? Si sic: illud jam a te quæro, nun-

Montani sententia.

quid jurisjurandi religione coactus id faceres, aut tua sponte & improbitate ductus? Si primum: eritne tam stupidus, ut ullo jurejurando divinas leges violare posse tibi persuadeas? Si secundum, tam eris improbus & iniquus de fide aliorum æstimator, ut non satis esse putes, te sceleratum & proditorem esse, nisi omnes etiam alios tui similes arbitreris? Quid ergo jusjurandum & fides data summo pontifici ab episcopis potest afferre impedimenti rebus ecclesiæ componendis, nisi illi aut tam stulti essent, aut tam improbi, sicut tu, qui sibi jusjurandum obstare crederent, aut assentari potius alterius voluntati, quam ecclesiæ saluti, & Christi gloriæ statuissent? Quamquam Pius IV. pontifex maximus, cui ob singularem pietatem hoc nomen inditum est, incredibili tantorum malorum, quæ in ecclesia Christi versantur, dolore commotus, incensus maxima cupiditate sanandi hæc vulnera religionis, magnis sumptibus & laboribus, concilio coacto declaravit, se in hanc unam rem mentem habere defixam, studium & cogitationem intentam, ut pax, atque concordia ecclesiæ, si sit opus, cum suarum rerum dispendio restituatur, tantum abest, ut concilii patres quidpiam in illius gratiam facere cogantur: cui nihil est gratum, nisi quod ad subveniendum ecclesiæ laboranti conducit.

Quod vero summum pontificem se minime concilio subjicere, sed concilii patres sibi subjectos habere, criminaris, & vitio vertis: quid hoc præsidii ad tuam causam potest afferre? quid ad probandum concilii patres non reformandæ, sed deformandæ ecclesiæ animo convenisse? præsertim cum inter pontificem maximum & concilium nulla hac in re dissidia, nullæ simultates intercedant: sed summa concordia & animorum consensione in ecclesiæ salutem ab omnibus incumbatur. Quod si ad refellendas, & refutandas vestras hæreses hæc quæstio aliquid adjumenti, atque præsidii esset allatura: in asserenda suprema Romani pontificis auctoritate omnem nunc meam operam & studium collocassem: sed quoniam tu rem hanc leviter attigisti, utpote qui non gravis & vehementis accusatoris, sed levissimi histrionis & minimi partes susceperis, & parum huic argumento, in quo versamur, sit accommodata, illam silentio prætermittamus, ut ad reliqua tua maledicta, impostura sque veniamus.

Colligis quamplurima non crimina, sed convicia, quæ quidem nullis adhibitis argumentis confirmas: quia videlicet dignus es, cui etiam impudenter mentienti fides adhibeatur: patres nimirum concilii se totos ad nutum Romani pontificis componere: concilia nihil aliud esse, quam formulam quamdam declarationis pontificiæ voluntatis: hæc & alia portentosa in nostris legi commentis: concilia præterea non convenire, ut dogma aliquod, de quo cum hæreticis est concertatio, definiatur, sed ut qui hæretici sunt, declarentur & condemnentur, idque in actis conciliorum haberi: eam deinde esse conciliis nostris consuetudinem, ut ab executione præpostere sumant initium: molesteque fers, vos a nostris hæreticos appellari, fortunasque vestras, & vos alienæ crudelitati, ceu prædam esse subjectos, pendenteque concilio in Germanos theologos sævitum fuisse, & ad hæc omnia probanda, quæ si in nos vere dicerentur, non mediocrem invidiam nostris conciliarent, nulla indicia, nulla signa, nulla adducis argumenta, nullam refers historiam, nullum testem citas: sed homo levissimus, & mendacissimus, Pythagoricam sibi auctoritatem usurpans, si ipse dixerit, fide sua, rem satis confirmatam arbitratur. Quod si tibi uni respondendum, aut hominibus doctis, qui in his quæstionibus versati, quæ a te objiciuntur, falsa esse cognoverunt, satisfaciendum solum esset, si te mentitum esse dicerem, hoc uno te verbo convictum, & me officio meo perfunctum optime fuisse omnes judicassent: nullis aliis argumentis, aut machinis esse opus, sed hoc unico ariete ingens illa tuorum mendaciorum & conviciorum moles corruisset: sed quoniam iis, atque aliis id genus fraudibus miseræ plebi impositis, quæ apertissima vestra mendacia pro divinis ducit oraculis: ut illorum errori occurram, breviter hæc a me refutanda, atque refellenda sunt.

Montani calumnia.

Etenim quod patres concilii se totos ad Romani pontificis nutum componere criminaris, vellem hic adesse, Fabrici, ut cum hujus sanctissimi senatus majestatem contemplareris, cum animadverteres, quam libere rogati sententias patres loquuntur: quam nihil illi, ut ecclesiæ vulneribus medeantur, etiam ipsius summi pontificis auctoritatem, quam alioqui reverentur, atque suspiciunt, vereantur: quam se fortiter, atque constanter opponant, si sit opus, & dignitas, atque salus ecclesiæ postulet: non dubito, quin hæc tam sancta libertas hanc tibi, quam de illorum constantia concepisti, siniſtram opinionem extorsisset: licet nihil ego hactenus accidisse viderim, quod ad restaurandam religionem pertineat, in quo pontifex summus patribus repugnaverit.

Sed, obsecro te, quis unquam nostrum dixit concilia esse formulam declarationis pontificiæ voluntatis? Apud quem hæc aliquando verba legisti? Cur non auctoritatem citasti? Cur pateris te toties mendacem & impostorem appellari? Quæ sunt illa conciliorum acta, e quibus apertissime constare dicis, concilia solum convenire, ut qui hæretici sunt, declarentur, & non ut dogma aliquod definiatur, quod in controversia positum sit? Ego sane, Fabrici, duo video esse hæresum genera, aut enim novæ sunt, & nunquam antea auditæ, aut antiquæ, & quæ cum jam conciliorum decretis percussæ, prostratæ, atque sepultæ jacuissent, iterum quorundam audacia & improbitate ex ipsis sepulcris extrahuntur. In novis quidem hæresibus extirpandis illum semper tenuit morem ecclesia, ut coacto concilio, reque prius diligenter examinata, atque discussa, deinde concilii sententia, & auctoritate definita, decreta demum conficerentur, quibus hæreticorum dogmata profligata, & veritas ipsa catholica confirmata permaneret. Sic Arii dogmata a concilio Nicæno, Macedonii a Constantinopolitano, Nestorii ab Ephesino, Eutyhii a Chalcedonensi, Donatistarum, Manichæorum, & aliorum hæreticorum monstra extincta fuisse videmus. Quod cum ita sit, non intelligo, Fabrici, ex quibus conciliorum actis collegeris dogmata a conciliis non definita, sed eos, qui jam erant hæretici, ecclesiæ hostes fuisse declaratos: nisi fortasse cum hæreses omnes, ex depravata sanctarum scripturarum intelligentia, & siniſtra illarum interpretatione nascantur, & concilia Spiritus sancti lumine illustrata illas optime interpretentur: unde fiat, ut quoniam ipsius scripturæ sacræ testimonio, quasi divino judicio, ut hæretici convicti & damnati erant, concilii sententia, atque decreti, declarari dicantur. Quod si sic accipiatur, non vi-

Concilii cogendi causæ.

deo,

deo, quo jure a te possit reprehendi. At vero damnatis, atque sepultis hæresibus, cum rursus excitantur, longe diversa ratione occurrere ecclesia consuevit. Neque enim novas condit leges, nec conficit nova decreta: sed ad antiqua confugit, renascentes hæreses ad illa exigit: nec denuo illorum auctores damnat, sed ecclesiæ jam judicio damnatos esse demonstrat: quia indignum conciliorum majestate esse existimat, ut quæ ab illis sancte atque sapienter decreta sunt, iterum disputationi subjiciantur. Sic Gelasius Acatium, qui se, non coacto concilio, indicta causa, damnari clamabat, jure damnatum ostendebat, quod non novas, sed damnatas jam hæreses sequeretur. Sic Marcianus imperator, qui concilio interfuit Chalcedonensi, non sine summa injuria concilii fieri dicebat, si quæ ab illo semel decreta fuissent, iterum in quæstionem vocarentur. Sic Felix non nova decreta in illos dicit esse statuenda, qui veteres errores sequuntur.

Quæ cum ita sint, Fabrici, cum hæreses omnes, quas e fœtidis sepulcris pestis illa ecclesiæ Christianæ Lutherus extraxit, emerserint ex veteri hæreticorum sentina: cum nulla deinceps a vobis hæresis inventa, aut excogitata sit, quæ non jam multis antea seculis ecclesiæ sit judicio, decretisque damnata, cum non jam in Germania Lutherus, sed Pelagii, Manichæi, Donati, Nestorii, Eunomii, Aerii, Simones, Valdenses, Sabellii, Menandri, Basilides, Arii, Vigilantii, Joviniani, ceteræque extinctæ, sed nunc ab inferis in lucem extractæ furiæ versentur: quid mirum, si qui damnati jam sunt, ecclesiæ nunc & religionis hostes declarentur. Quæ vobis fit injuria, si quæ decreta & statuta jam sunt, non iterum definiantur? Cur vobiscum injuste atque crudeliter agi clamabitis, si eos, quorum magistros justissimo affectos supplicio legimus, discipulos & sectatores eodem etiam plecti debere judicemus? Sed o summam animorum vestrorum perversitatem, o incredibilem ecclesiæ Christi clementiam, quæ licet per vos suos veteres hostes excitatos & armatos contra se videat, & antiqua illa obducta jam & obligata vulnera summa vestra crudelitate, & maximo suo dolore a vobis refricari sentiat: in tanta tamen acerbitate animi, summam retinens clementiam, non vult vobiscum agere severe, non iis legibus uti, quæ justissimam in vos animadversionem decernunt: sed suarum injuriarum oblita, vestri interitus dolore commota, vos, quorum salutem dies, noctesque suspirat, ad se inaudita nunc vocat clementia & mansuetudine. Cupit iis de rebus vobiscum agere, atque conferre, & in illam antiquam arenam majorum vestrorum sanguine tinctam iterum descendere, ut vobis satisfaciat & gratificetur. Itaque vos, tanquam piissima mater, ut ad concilium veniatis, obsecrat & hortatur: vos vero, veluti aspides surdæ, iis clementissimis ejus vocibus aures obturatis. Cavete, ne qui mansuetissimæ nunc sponsæ misericordiam contemnitis, sponsi postea, justissimi judicis, severitatem experiamini.

Jam vero non video, cur moleste ferre debeatis, vos a nostris hæreticos appellari: nam illud mihi, Fabrici, obsecro, respondeas, quinam erunt hæretici, si vos catholici? Quinam Antichristi, si vos Christiani? Qui ecclesiæ hostes, si vos filii? Ipsam verbi vim & vocationem considera: mores veterum hæreticorum contemplare: fontes ipsos, unde vos errores hausistis, intuere: confer antiquorum temporum seditiones, tumultus, cædes, strages in ecclesia editas ab hæreticis cum iis, quæ nunc in Christiana republica culpa vestra versantur: & reperies, antiquas hæreses umbras quidem fuisse, quarum nunc vivas, & expressas imagines videamus. Quod cum ita sit, tu hanc tam justam, tam debitam hæreticorum compellationem, injuriam interpretaberis? Tu illos præterea, qui vos omni supplicio dignos esse censent, crudeles appellabis? Tu illorum æquissimam sententiam, tanquam injustam, & iniquam, reprehendes, qui putant hæreticos vita, bonisque privandos? Nam si, quemadmodum ille dixit triplici de causa justissime homines occiduntur, ne nobis superstites sint contumelioſi, ut alii etiam suppliciorum metu deterreantur, tum vero quia illis mori multo est melius, qui viventes, nec a Socrate, Pythagora & Musis ipsis corrigi potuissent: cum hæretici non modo contumelias, sed cædes, non solum corporum, sed animorum interitum miserabilem intulerunt: cum tam cœca pertinacia, & insano furore ferantur, & in pejus semper proficiant, errantes, & quamplurimos alios, ut dixit Paulus, in errorem pertrahentes: cum experimento constiterit, aliquorum supplicio multorum audaciam & improbitatem compressam fuisse, non erit æquum in hujusmodi homines animadverti? Si prophetam, qui populum a vero Dei cultu, somniis quibusdam, atque præstigiis ad colendum gentium deos traducebat, interfici: si non obtemperantem summo sacerdoti, de medio tolli: si blasphemum eductum extra castra lapidibus obrui Deus quondam jure optimo præcipiebat: si pecuniæ publicæ falsarii omnium sententia juste trucidantur: Si violatores justitiæ, jure etiam occiduntur: cur non pseudoevangelicos, & pseudoprophetas, qui tot idola, quot hæreses fabricarunt, in Deum & in sanctos contumelioſi: qui summum pontificem Romanum Christi vicarium, non modo non revereantur, sed improbissimis maledictis insectantur: qui divinas scripturas corruperunt: qui religionem turpiter defœdarunt, non sine crudelitatis nota interfici posse dicemus?

Justa hæreticorum supplicia.

2. Tim. 2.

Deut. 13.

Deut. 17.

Levit. 24.

Quod si hoc supplicii genus, quo nunc utitur ecclesia, tibi crudele esse videtur, damna simul hoc crimine crudelitatis sanctissimos illos patres, qui ecclesiæ saluti hæreticorum internecione consulendum duxerunt: damna acerrimum illum ecclesiæ propugnatorem, hæreticorum fulmen, Hieronymum, qui putridas carnes censuit esse resecandas: neque aliunde tantum illud incendium Arii temporibus excitatum in ecclesia fuisse dicit, quam quod parva illa scintilla prius, quam illas flammas, quæ totum postea orbem populatæ sunt, excitasset, opportune compressa, & extincta non fuerit: damna illud ecclesiæ clarissimum lumen, Augustinum, qui cum primo ab illorum extremo supplicio abstinendum judicasset, deinde cum apertissima commoda eorum nece in ecclesiam redundare conspiceret: Nullus, inquit, nostrum vult hæreticum perire, sed aliter non meruit domus David pacem, nisi extincto Absalon: sic ecclesia si aliquorum perditione ceteros colligit, dolorem materni sanat cordis, tantorum liberatione populorum: damna Gregorium illum magnum, qui impium quendam magum a Romanis combustum fuisse, tanquam optime factum, commendavit: damna etiam Dioscori illam Alexandrini gloriosam vocem, in concilio editam Chalcedonensi, omnium judicio commendatam: qua hæreticos, non pœna modo

2. Reg. 19.

aliqua, ſed flammis dignos eſſe clamavit. Scio Chriſtum optimum maximum hujuſmodi violatores evangelicæ puritatis, iſtos perturbatores in numero publicanorum & gentilium habendos eſſe dixiſſe. Scio Paulum poſt primam & ſecundam admonitionem hæreticum declinandum: & etiam Elymam Magum, qui Sergium Paulum proconſulem avocabat a fide Chriſti, cœcitate ab apoſtolo fuiſſe percuſſum. Scio Joannem apoſtolum, ne vel ſalutem hæretico diceremus, præcepiſſe: idque facto confirmaſſe, cum ne Cherinthum hæreticum conveniret, e balneis receſſiſſe, memoriæ proditum ſit, dicentem ſe extimeſcere, ne balneæ ipſæ, in quibus Cherinthus lavaretur, corruerent, & ingreſſos opprimerent. Cenſuit vir ſanctiſſimus hæretici illius ſceleratiſſimi impuriſſimam præſentiam, qua balneæ inficiebantur, quam vindex ſcelerum ira Dei perpetuo comitabatur, ab illis eſſe declinandam, atque fugiendam, ne forte eadem cum illo ruina involverentur. Scio Polycarpum beatiſſimum illum & conſtantiſſimum martyrem, Joannis evangeliſtæ diſcipulum, obviam aliquando factum Marcioni, cum ab eo rogaretur, ut agnoſceret dogmata Marcioniſtarum, dixiſſe: Agnoſco ego ſatanæ primogenitum. Tanta enim tunc, ut inquit Euſebius, apoſtoli, eorumque diſcipuli in religione tuenda, utebantur cautela, ut ne verbi quidem communionem cum aliquo eorum, qui a veritate declinaverant, catholicos habere paterentur. Scio in ipſis incunabulis naſcentis eccleſiæ, hoc primum in hæreticos decretum fuiſſe ſupplicium, idque tunc graviſſimum fuiſſe judicatum, & merito. Quod enim poterat tunc eſſe acerbius, quam quo tempore tanto animorum ardore, tanta caritate, tanto ſtudio, ad infantem eccleſiam, undique populus confluebat, quo tempore, tanto cum gaudio in eccleſiæ ſinu Chriſtiani homines quieſcebant, tanto cum dolore evellebantur, aliquem ſic excludi ab illo dulciſſimo conſortio, ut ab amicis, a parentibus, a fratribus indignus congreſſu, confabulatione & conſuetudine judicaretur? Sed quia nondum hæreticorum inſania eo proruperat, ut contra matrem eccleſiam gladios eriperet, & principum arma concitaret: quia nondum etiam gladii imperatorum ſerviebant evangelio, ut dixit Auguſtinus, eccleſia illa ſolum animadverſione utebatur: at vero, cum ſe hæreſis erexit, potentium hominum animos ſibi conciliare, eccleſiæque pacem & tranquillitatem turbare cœpit, Chriſtiani principes in eam ſeverius animadvertendum eſſe judicarunt, quod alia via pax conſtare non poſſet. Hinc Conſtantinus Arianos, Innocentius primus Cataphrygas, Gelaſius & Anaſtaſius Manichæos exilio damnarunt: hinc Richaredus Hiſpanorum rex eoſdem etiam Arianos honore militari, & omni in republica munere liberi hominis ſpoliavit: hinc Theodoſius & Marcianus imperatores varia ſupplicium genera adverſus hæreticos decreverunt: & tandem totius jam Chriſtiani orbis conſenſu & ſancta conſuetudine juſtiſſimo plectuntur mortis ſupplicio. Quod enim mortis genus in tot veſtris ſceleribus vindicandis, tam acerbum excogitari poteſt, quod merito crudele poſſit appellari? Neque enim eccleſia pia mater, ſed crudelis noverca dici poſſet, ſi has peſtes vivere, & inter filiorum latera cum tanto illorum periculo verſari pateretur. Sed vos Epicureorum more, qui eam, quam vehementer reformidabant, divinam providentiam, nullam eſſe dicebant, ut liberius ipſi illo turpiſſimo voluptatum cœno volutarentur, iſtud hæreticorum extremum ſupplicium, quod tantopere exhorreſcitis, in ſacris literis minime reperiri clamatis: illoſque crudeles ducitis, qui vos tam ſevera animadverſione caſtigandos arbitrantur. Sed eccleſia ſancta ſponſi dulciſſimi Chriſti veſtigia ſecuta, qui eos, qui in Spiritum ſanctum & apertam veritatem erant contumelioſi, in hoc ſeculo a Romanis opprimendos, & in futuro etiam æternis pœnis afficiendos eſſe prædixit, hæreticos præſentibus nunc, & deinde ſempiternis flammis dignos judicavit.

Matth. 18. Tit. 3.

Act. 13.

Quæ pœna adverſus hæreticos antiquitus decreta.

Jam vero quod concilia præpoſtere ab executione initium ſumpſiſſe, & quod pendente concilio in theologos Germanos ſævitum eſſe criminaris: nonne oportuit, Fabrici, quando illud factum fuerit, oſtendere? Et quinam illi eſſent theologi, in quos ſit animadverſum, a quibus, quo loco, & quo tempore, & quam ob cauſam id factum eſſet, indicare? Cur tam aperte mentiris? Niſi tu fortaſſe illos intelligis, qui fidem datam Carolo V. Imperatori maximo ſervare noluerunt, in quos utinam ille, ut illorum exigebat perfidia, ſeverius animadvertiſſet. Sed clementiſſimus imperator maluit miſericors, quam nimium ſeverus videri: & in ſumma illa potentia & juſta indignatione ſummam bonitatem ſuam & manſuetudinem conſervavit, arbitratus eos, ut par erat, clementia potius, quam ſeveritate facilius flecti, & ad eccleſiam adduci poſſe.

Sed venio jam ad illam tuam atrociſſimam querimoniam, quam a majoribus veſtris ad vos hæreditario jure dicis promanaſſe: Quod cum eccleſia Romana doctrina morumque vitiis turpiter deformata ſit: nunquam tamen ulla reformationis ſpecies a noſtris impetrari potuit: ſed eos, qui rogationem hanc ad patres deferre auſi ſunt, indigniſſime acceptos & contumelioſe repulſos multis conſtare documentis affirmas. Quæ tamen cum non proferas, neque probes, eodem, quo hactenus, mendacii crimine arguaris, neceſſe eſt. Neque eſt quod mireris, aut moleſte feras, ſi hoc eodem a nobis telo ſæpius vulnereris, qui vix unam, aut alteram lineam ſine apertiſſimo mendacio percurras. Sed ne hanc unam rem, in qua vos omnem ſpem victoriæ collocaſtis, & quam nunc unam veſtris erroribus, veluti clypeum, obtenditis, ſilentio præterire videar: oſtendam, Fabrici, nullo vos argumento oppugnari vehementius, quam eo, quod firmiſſimum cauſæ veſtræ propugnaculum exiſtimatis: ut in quo potiſſimum noſtros ſceleris argui, & inſimulari creditis, in eo præcipue ſummam veſtram improbitatem deprehendi, atque convinci videatis. Significas enim, quod multi veſtrarum partium apertiſſime confiteantur, vos eam maxime ob cauſam, ab eccleſia Romana deſciviſſe, quod ea turpiſſimis abuſibus corrupta, atque depravata ſit. Principio quidem non novum, neque inauditum, neque iſtorum ſolummodo temporum crimen eſt, Fabrici, abuſus, improbos mores & corrumpendæ optimæ diſciplinæ ſtudium, in eccleſia Chriſti verſari, quemadmodum novum non eſt, hæreſes etiam in ea reperiri: infantem adhuc eccleſiam, & in ipſis cunis vagientem, ut probe noſti, Simones, Nicolai, Cherinthi, Hymenæi, & Phileti jugulare conabantur: nondum ab ore apoſtolorum illa Chriſtianæ philoſophiæ puritas & ſinceritas exciderat, cum non deerant Ananiæ, Saphiræ, Galatæ, Corinthii, Epheſii, & alii innumerabiles, qui eam cupiditate, atque avaritia

Cauſam reddit Montanus, quare hæretici ab eccleſia diſceſſerint.

abuſibus,

abusibus, & pravis artibus corrumperent, & contaminarent. Nunquam defuerunt in ecclesia scelerati & improbi homines, qui divina & humana jura violarent: nunquam defuerunt sacrilegi, qui rebus sacris ad turpem quæstum abuterentur: nunquam defuerunt violatores divinarum legum, sacrorum profanatores, incorruptæ, castæque illius disciplinæ nefarii corruptores. Testantur id Pauli epistolæ, & apostolorum canones, antiquissimorum conciliorum decreta, vetustissimorum patrum acerbæ reprehensiones, quibus & vitia acriter increpabant, & abusibus obviam ire conabantur. Ea etenim est naturæ nostræ imbecillitas, & cæcitas humanæ mentis, quæ facile & ruat præceps in vitia, & in errores prolabatur. Neque enim evangelicis præceptis, neque ecclesiastica disciplina, neque magisterio Spiritus sancti indigeremus, si neque abuti cœlesti doctrina, neque ullo nos scelere commaculare possemus. *Matth. 18.* Quod si scandala, quæ sunt maxima animorum vulnera, Christus, vitæ magister, in ecclesia sua necessario futura esse prædixit: si hæresim, qua nullum est crimen detestabilius, veluti quandam fatalem pestem, Paulus apostolus futuram prædicavit, quæ ecclesiam infestaret, quæ cujusque fidem, & constantiam tentaret & experiretur: quid mirum, si alia scelera & abusus exoriantur? patitur hæc bonitas divina, ut ignoscendo, suam nobis clementiam summam, & misericordiam ostendat. Sed dices, nullo unquam tempore tot atque tanti abusus: nunquam depravata sic vetus disciplina: nunquam sic omnes ecclesiæ ordines corrupti & dehonestati fuerunt. Nolo tecum hac de re pugnare, Fabrici: nolo præterita tempora cum nostris conferre: nunc recensere veteres ecclesiæ plagas: nolo secula illa commemorare, in quibus vix ullus reperiebatur angulus totius Christiani orbis, in quo non modo morum integritas, sed neque doctrinæ puritas conspiceretur. Lateant hæc antiqua vulnera, jam longo temporis obducta decursu, quæ sine ecclesiæ acerbissimo dolore refricari non possunt: quamvis ea, quæ nunc a vobis illata sunt, longe sint acerbiora: sed solum ut intelligamus, quantum sit vestrum scelus, donemus hoc tibi, Fabrici, nunquam sic fuerint corrupti mores, nunquam tot abusus: nunquam sic fuerint avaritia, sacrilegia, rapinæque dominatæ: nunquam sic dehonestata, deformataque respublica Christiana: quid ergo? ecclesiam deserendam & affligendam putabitis, quod in ea homines improbi & scelerati reperiantur? Fidem, religionem, Christum denique ipsum damnabitis, quod ejus sanctissimis præceptis perditi quidam homines abutantur? Quod ejus cœlestem doctrinam, quemadmodum dicebat Theodorus quidam Athenienſis, a se manu dextra mortalibus traditam ipsi accipiant sinistra? Cujus, obsecro, tam inauditæ improbitatis est, hoc uno nomine ecclesiam deseruisse, fidem prodidisse, novis hæresum monstris pacem & tranquillitatem ejus turbasse, omnia erroribus infecisse, crudelitate, cædibus, incendiis omnia funestasse: quod effrenata quorundam hominum cupiditate aliqui sint abusus in Christi ecclesiam invecti? Cujus tam furiosæ dementiæ pessundare ecclesiam penitus voluisse, quod quidam leges divinas in privatos usus, quæstumque converterint? Nunquid optime ecclesiæ saluti consultum fore putastis, si vos illi acerbiora vulnera infligeretis? Nunquid abusus hæresibus, tanquam medicaminibus, sanari posse existimatis? Nunquid morbis, interitu mederi voluistis? Quid mali meruit ipsa religio Christiana, quod in vos scelus admisit ecclesia, ut propter quorumdam hominum peccata, tot a vobis illatas calamitates, & acerbissimas plagas, veluti alicujus magni flagitii rea, tanquam supplicia quædam, sustinere cogatur?

1. Cor. 11.

Hæc omnia vos scelera admisistis, qui propter quosdam abusus ecclesiæ ab illa defecisse confitemini. Inferre igitur hujus rei mentionem nulla ratione, Fabrici, debuisses, ne majora vestra vulnera detegeres: etenim quo nos telo gravissime vulnerari putabas, eo tuę causæ lethalem & mortiferam plagam intulisti. Antiquas hæreses excitastis: novas quasdam estis commenti: pacem ecclesiæ turbastis: populos, atque provincias ab ecclesiæ complexibus abduxistis: inauditæ crudelitatis exempla in nostros edidistis: ea admisistis scelera, quæ neque cogitatione comprehendi, neque cujusquam oratione explicari possunt: sed nullum majus excogitari potest, nullum fingi impudentius, quam quod hoc argumento vestra scelera tueamini, & hac ratione justum bellum ecclesiæ vos indicere & inferre posse arbitremini. Utinam eam de vobis spem ecclesia concipere posset, Fabrici, ut quemadmodum propter quasdam ejus maculas illam vos deseruisse causamini, nunc illis expurgatis ad ejus gremium rediretis, cum & Pius IV. pontifex maximus tanto studio istud reformationis negotium fuerit aggressus: cum lustrata Romana curia, quæ Christianorum animos poterant offendere, removerit: & cum hoc etiam sacrum concilium in eam unam curam & cogitationem incumbat: fieri fortasse potuisset, ut vos sanos & ecclesiæ restitutos videremus. Sed eo jam progressi estis, ut etiam si nihil esset in ecclesia corruptum, nihil depravatum, de reditu tamen vestro non esset sperandum: illud est enim hæresis ingenium, quæ natura insolens, atque superba est, ut facilius flammas & crucem sustineat, quam ut ab errore suo divelli patiatur. Vincere cupit: comburi potest, convinci non potest: pertinacia obstat, se victam agnoscere erubescit. Itaque quos arrogantia abstraxit ab ecclesia, quo minus ad eam revertamini, vel unicus hic nefarius jam pudor prohibebit. Illius etenim magistri vestigia sequimini, qui cum se apertissime convictum viderit, ne a suo veteri instituto depelli turpiter videretur, maluit superbus & pertinax a Deo & hominibus ecclesiæ hostis judicari, quam ab hæresibus modeste discedere: sed tamen vi ipsa veritatis coactus, cum a magnis & excellenti ingenio viris oppressus teneretur, latentem animi morbum tandem indicavit, & in illam vocem, indicem incredibilis pertinaciæ, superbiæque prorupit: res hæc nec propter Deum cœpta, nec propter Deum finienda est.

Vereor sane, ne ista potius hæreditaria pertinacia, quam abusus ecclesiæ redeundi vobis aditum intercludat. Sed quid illud ad causam, Fabrici, pertinebat, quod vitam clericorum, tot diris vitiis esse contaminatam, ut honeste nominari non possint? Vetus est ista querela, & non istorum solummodo temporum: quod quidem antiquorum patrum adversus corruptos sacerdotum mores scripta testantur. Queritur Augustinus, eos ab antiqua vitæ puritate, & propriarum rerum abdicatione degenerasse: dolent alii patres innumerabiles, quos recensere esset operis infiniti, sacerdotum ordinem corruptelarum illecebris depravatum esse. Itaque horum liberæ & acerbæ reprehen-

henſiones, quibus eos in officio continere conabantur, declarant, non defuiſſe unquam in eorum vita, quod merito poſſit reprehendi. Et eo acerbius ſancti illi patres eorum improbos mores accuſabant, quod in populi ſummam peccandi licentiam redundarent: qui cum curioſis oculis ſacerdotum vitam obſervet, quod illos facere videt, ſibi licere arbitratur. Etenim illorum vitia maxime conſpicua, & pernicioſa ſunt, quorum vitia, tanquam virtutis exemplum, ceteris eſt ad imitandum expoſita. Sæpe namque quod in aliis leve videtur, in ſacerdotibus ſcelus inexpiabile judicatur. Hinc effectum eſt, ut qui eorum mali ſint, improbiſſimi, & ceteris nequiores habeantur, & ut antiqui illi patres tam acriter in eos inveherentur. Neque deſunt nunc, Fabrici, apud nos, qui doleant diſſolutiorem eſſe vitam clericorum, qui reprehendant, qui hæc lugeant, qui corrigi & emendari cupiant, qui medelam ſtudeant adhibere: neque mediocris cura ab hoc ſacro concilio corrigendis ſacerdotum moribus impenditur. Sed non oportuit te tam ſtultum eſſe, qui exiſtimares, illos homines eſſe deſiiſſe, qui clerici effecti ſunt, ita ut nulla prorſus in re peccare poſſint. Nunquid eos cum ſacerdotio omnem naturæ imbecillitatem exuiſſe putas? Sed intelligo quid velis: cœlibatum ferre non potes. Sed nihil mirum, qui hanc ab illo hauſeris ſententiam, qui ſe non magis a libidine, quam a ceteris naturæ excrementis cohibere poſſe profiteretur. Sed ſint hæc in veſtris ſordibus.

Alia Montani calumnia.

Omitto reliquas contumelias, quæ in ſacerdotum ordinem, & eccleſiam Romanam improbiſſime conjeciſti: cur in concilii promulgatione continuationis & non integræ actionis mentionem factam eſſe dixiſti? Longe tu quidem aliud ſentires, ſi, cum primum Tridentum ventum fuit, quorundam patrum juſtam indignationem vidiſſes: qui cum graviter & iniquo animo ferrent, non aperte continuationis factam fuiſſe mentionem, obnixe poſtulabant & inſtabant, ut ejus fieret aperta commemoratio prius, quam reliqua, quæ erant pertractanda, aggrederentur: ut quemadmodum res futura erat, ſic etiam verbis continuatio exprimeretur. Qua ergo ratione illi tam moleſte tuliſſent, continuationis factam mentionem non eſſe, ſi vera ſunt, quæ a te nobis objiciuntur? Tu vero vel eo ſolum nomine continuationis verbum reprehendis, quod eo ſignificetur, ea, quæ jam definita ſunt, pro ratis judicatis, atque concluſis habenda ſic eſſe, ut de integro in quæſtionem vocari neque poſſint, neque debeant.

Atqui pleraque eorum ejus generis eſſe dicis, quibus Chriſtiana fides e fundamentis evertatur. Primo quidem iis verbis, Fabrici, prodis ſingularem tuam arrogantiam & impudentiam, qui ea, quæ a ſanctiſſimo tot patrum concilio, poſt longam & exactam diſputationem, ad eccleſiæ ſalutem & incolumitatem decreta ſunt & ſtatuta, ea tu ſolus ad convellendam & labefactandam eccleſiam excogitata, & appoſita fuiſſe, audeas dicere. Atque ut illud, quod jam a me paulo ante dictum eſt, omittam, non poſſe videlicet, quæ ſemel ſunt judicio ſynodi decreta, ſine illius graviſſima injuria in quæſtionem iterum vocari: quis tandem, obſecro, Fabrici, futurus finis eſſet controverſiæ, ſi hic aditus veſtris calumniis pateret? Quid eſſet firmum in eccleſia, ſi quæ ſunt a ſanctis conciliis definita, novis quotidie diſputationibus ſubjiciantur? Quæ ſunt illa concilii Tridentini decreta, quibus Chriſtiana fides e fundamentis evertitur? Cur non illa nobis indicaſtis? Cur non unum, aut alterum protuliſti? In re tam gravi, tibi de tanto concilio, tam ſceleratum, tam arrogans & impudens judicium ferenti, nulla adducta ratione credendum eſſe putabas? Sed fruere nunc hac improbiſſima licentia, Fabrici: debacchare in hoc ſacrum concilium: ejus ſtatuta ſanctiſſima irride, ſubſanna, exagita, ut lubet: ſpero equidem futurum, idque mihi de divina miſericordia polliceor, ut iis decretis, quæ a vobis nunc irridentur, hæreſim veſtram jugulatam & extinctam, vos victos atque proſtratos, eccleſiam ſalvam & incolumem ſimus conſpecturi. Quod ſi hæc tempora miſerrima & turbulentiſſima hanc nobis voluptatem abſtulerint, poſteris non auferent. Differri hæc ſpes poteſt, auferri non poteſt. Nunquam ſuis promiſſis, neque eccleſiæ precibus deerit clementia ſummi Dei: eundemque exitum hoc concilium, quem Nicænum, habiturum exiſtimo. Magna tunc contentione ab hæreticis res agebatur: nullum non illi lapidem movebant: principes, ſicuti nunc vos facitis, ſolicitabant: epiſcopos catholicos acerrime inſectabantur: ſumma ſolicitudine curabant, ut in exilium mitterentur: regum & imperatorum gratiam in primis ſibi conciliabant: bella acerbiſſima eccleſiæ, illorum armis, atque potentia adjuti, inferebant, nihil magis efficere ſtudebant, quam, ut ſi fieri poſſet, decreta Nicæni concilii delerent: & ad id efficiendum conciliabula ab illis Epheſi, Arimini, Mediolani cogebantur: ſed cum illa eſſent oracula Spiritus divini, qui non patitur ſuas leges ulla improbitate convelli, tanta vis illorum fuit, ut ipſa omni patrocinio deſtituta omnium ferme regum præſidio armatam hæreſim ſuperaverint & everterint. Vides nunc in eccleſia, Fabrici, hos tumultus a vobis excitatos: vides multorum principum potentiam, contra eccleſiam furore veſtro concitatam: vides eorum gladios catholicorum ſanguine ſtillantes: vides hujus ſacri concilii decreta a veſtris miniſtris convelli, deſpici, & irrideri, non dubites quin illis & veſtrarum hæreſum perniciei, & eccleſiæ ſalus, & Chriſti gloria contineatur.

Jam vero ubi in ſanctiſſimum pontificem, in ſacrum concilium virus illud conviciorum evomuiſti, ad reprehendendam formam illam, qua ſe patres uſuros pollicentur in dijudicandis, definiendiſque controverſiis, gradum facis. Quod ut intelligamus, quo jure, aut ut rectius dicam, qua potius injuria facias, libuit eam ſubjicere, quæ ſic habet: Cauſæ controverſiæ ſecundum ſacram ſcripturam, & apoſtolorum traditiones, probata concilia, & catholicæ eccleſiæ conſenſum & ſanctorum patrum auctoritates, in prædicto concilio Tridentino tractentur. Quinque igitur judices honorarios componendis controverſiis hoc ſacrum concilium præeſſe decernitur: primo loco ſcripturam ſupremum judicem ſtatuit: apoſtolicas deinde traditiones: tertio probata concilia: quarto eccleſiæ conſenſum: poſtremo vero patrum non diſſentientes ſententias: quis iſtorum judicum a te merito repudiari poteſt? Quis eorum eſt ſuſpectus? Quis corruptus? Nam cum multa ſint, ut ſtatim oſtendemus, eccleſiæ adminiſtrationi neceſſaria, quæ divinis literis non ſunt aperte comprehenſa, nonne erit opus ad aliquem ex quatuor reliquis judicibus confugere? Sed quoniam tu, Fabrici, multa hic involvis, quæ cum falſa ſint, & ineptiſſima, & a noſtris jam proſli-

gata;

gata : quæ tu nunc, veluti oracula quædam, A etiam si unde dicerentur, firma satis esse credidisti : quæ si ego explicare nunc, & refellere voluissem, præter institutum agerem, & nullum esset hic liber finem habiturus, præsertim cum illa sic jam fuerint nostrorum libris coovicta, atque refutata, ut vel ipsi vestrarum partium duces, & antesignani herbam, ut ajunt, nostris porrigere, & victas manus præbere coacti sunt : non est, quod ego nunc recum in hoc pulvere deiudem amplius, in quos tuos duces victos, & sub jugum jam missos fuisse conspiciam. Illa tantum ego breviter complectar, quæ ad te ex hoc jam stadio depellendum pertinere videbuntur.

Scriptura primum locum obtinet.

Principio quereris, vos ab scripturis ad traditiones, a certo videlicet ad incertum traduci : B non video, qua id fronte dicere sis ausus, cum scripturam a sacro concilio in primo loco, tanquam supremum judicem ideas esse collocatam, ut significaret, illa omnia, quæ in divinis literis aperte continentur, quæ nullas calumnias, nullam hæreticorum tergiversationem patiuntur, summa, ut par est, veneratione esse complectenda : ita ut scriptura sacra sententiam ferente, indicendum esset reliquis judicibus silentium. Quod si tu omnia, quæ in quæstionem venire possunt, oraculis divinis expressa fuisse probasses, si ostendisses omnibus rebus, saluti necessariis aperta in sacris literis testimonia, reperiri, quæ trahi in varios sensus, atque detorqueri non possent, C quod a vobis passim fieri videmus : si monstrasses, nos auctoritate divini verbi neglecta, ad solas traditiones confugere, merito vos a certo ad id, quod non ita certum est, rejici diceretis : nunc vero cum sacrum concilium scripturam in primo loco posuerit : nonne illam in primis censuit consulendam ? Quod si ejus rei, de qua quæreretur, aut nullam, aut subobscuram illa mentionem inferret, quatuor reliquos judices, tanquam illius, & divinæ voluntatis interpretes, consultissime adhibendos esse putavit. Quis ergo hoc sanctissimum concilium jure potest reprehendere, nisi qui tam cæcus & impudens fuerit, ut cerdonis potius, lanii, sutoris, cetarii, & aliorum id genus hominum privato sensui, quam omnium con- D ciliorum, & ecclesiæ judicio, quam vetustissimorum patrum sanctissimo choro credendum arbitretur ? Atqui, inquis, scripturam sacram, ipsissimum videlicet Dei verbum, literis comprehensum, perfecte, abundeque in se continere salutis capita universa : ideoque certam & unicam illam, infallibilemque examinandorum dogmatum regulam esse. Hoc ecclesia negat, Fabrici, tu asseris. Cur tibi potius, quam ecclesiæ fidem adhibendam existimas ? Cur tuam, quam ecclesiæ auctoritatem majorem esse vis ? Pythagoræ discipuli unius hominis auctoritatem omnibus philosophorum rationibus & argumentis anteponebant ? Cicero Platonis unius auctoritate, nulla adjecta ratione, frangebatur, & illi potius, quam E omnibus scholis, gymnasiisque philosophorum credendum putabat : & tu sanctissimæ & sapientissimæ matris ecclesiæ majestate non commoveberis ? Tu illi dicenti multa fuisse a Christo, & ejus apostolis, tradita, quæ non sunt evangelicis literis commissa, non credes ? Miror te, Fabrici, cum hæc diceres, quid hic tibi objici posset, non cogitasse. Nam ut interim patrum innumera testimonia prætermittam, cum quibus te hac in parte apertissime pugnare convincerem, ut illud etiam omittam, quod si omnia salutis capita divinis essent literis comprehensa, non amplius magisterio Spiritus sancti, quem Christus ecclesiæ doctorem promisit, indigeremus : quid, obsecro, Fabrici, magis est saluti necessarium, imo quod est nostræ religionis & salutis caput & fundamentum, quam credere hæc evangelia, hanc sacram scripturam, esse divinum illud Christi verbum, quod ab illius ore sanctissimo processit ? Quis hoc docuit homines Christianos ? Nunquid ipsa sola scriptura divina ? Minime. Quid ergo ? Si nunc Anabaptista quispiam tecum in arenam descenderet, (nisi tu etiam ex illorum es grege, qui sibi potius, quam scripturæ sacræ credendum arbitrantur) si ille, inquam, a te postularet, quis tibi persuaserit, ut Matthæi, Marci, Lucæ, at- Traditio que Joannis evangelio fidem potius adhiberes, quam Thomæ, Philippi, Matthiæ, Bartholomæi, quid esses dicturus aliud, quam te sic ab ipsis exordiis nascentis ecclesiæ & apostolis traditum accepisse ? Quo alio argumento patres concilii Nicæni ad asserendum illud verbum ὁμοούσιον, quod in sacris literis minime reperiri Ariani clamabant, usi sunt ? Quo item alio concilium illud magnum Chalcedonense, ad probandas duas in Christo ᵛ voluntates, ubi apertum ᵛ Naturas ; scripturæ testimonium non supperebat ? Quid, si peteret, cur fidem illis tribus symbolis, apostolico, Nicæno, & Athanasii adhiberes ? ex quo Dei expresso verbo, descensum Christi ad inferos, duas in Christo naturas in unica divina persona copulatas, sacræ triadis unitatem deprehenderes ? Unde perpetuam Mariæ Dei matris virginitatem, unde verbum illud θεοτόκου, unde baptizatos ab hæreticis non esse iterum baptizandos ? Quid si instaret & urgeret, ut illi expressum Dei verbum proferres, quo baptismum infantibus necessarium & salutarem esse probares ? Quid ageres ? Quo te verteres ? Non dubito, quin cum Luthero & Philippo Melanchthone ad arcem traditionum confugeres, nisi malles cum Bucero scripturam misere vexare, atque torquere, aut cum Calvino nescio quas nugas, & meras impostura meditari.

Quod si vobis, cum apertum Dei verbum non potestis reperire, integrum est, aliqua scripturæ testimonia, quæ in multiplices sensus flecti possunt, adhibita aliqua interpretatione, vestræ causæ accommodare, & illud Dei verbum expressum dicere : cur id antiquis patribus, cur ecclesiæ, cur id œcumenicis conciliis, licere non vultis ? Nihil est enim, quod ecclesia sancta docuerit saluti necessarium, quod non ex aliquo fonte sanctarum scripturarum deduxerit : sed malit, cum id obscurum delitescebat in scriptura, ad apertissimas apostolorum & antiquas ecclesiæ traditiones confugere, quam ad ea testimonia, quæ hæreticorum versutia cavillari, & in alios sensus torquere potuisset. Itaque nos, Fabrici, divinam scripturam non vocamus in judicium, neque illi traditionem, tanquam adversarium, quemadmodum ipse criminaris, objicimus, quæ cum scriptura de auctoritate contendat. Nos quidem sanctam scripturam, qua divina sapientia, qua lumen clarissimum tenebris nostris, qua spes omnis Christianorum, qua pravis affectibus antidotus, qua divina voluntas & nostra salus continetur, amplectimur, suspicimus, & veneramur : scholam Spiritus sancti, vitæ magistram, fontem nostræ felicitatis agnoscimus : sed illud credimus & confitemur, divinum illud verbum quod est ipsa æterna sapientia, quod ex ore Christi, qui est spendor patris, processit, a quo vo- Omnia salutis necessaria ex aliquo fonte scripturarum deducuntur.

luit

luit Deus ſpem omnem pendere mortalem, quod in corda potius noſtra, quam lapideas tabulas voluit incidi, non omne fuiſſe iis monumentis ſcripturarum, quas nunc habemus, comprehenſum. Credimus apoſtolis, evangeliſtis, eccleſiæ antiquis patribus Græcis, atque Latinis id aſſerentibus. Credimus Chriſtum Dei filium nihil ſcripſiſſe, ſed & viva voce & exemplo innocentiſſimæ vitæ, divinæ ſapientiæ arcana & bene vivendi formam mortalibus tradidiſſe. Credimus ejus legatis, quos in univerſum orbem miſit, ſicut ille miſſus erat a patre: quos audiendos, quibus eam, quam ſibi fidem adhibendam eſſe dixit: qui multa nobis, quæ ſcripta non ſunt, quaſi per manus poſterorum tradiderunt: a quibus leges coacto concilio, latas ad conciliandam pacem, quæ legi, quam evangelio conſentaneæ potius videbantur: Sacramentorum formas immutatas: Diaconos, quorum nulla fuiſſet a Chriſto facta commemoratio, inſtitutos fuiſſe videmus, eamque auctoritatem eccleſiæ ſuæ ſanctæ Chriſtum reliquiſſe. Credimus Joanni diſcipulo chariſſimo Chriſto, dicenti, multa Chriſtum docuiſſe, quæ conſignata literis non fuerint, ſed tradita vivæ vocis oraculo. Credimus Paulo apoſtolo, qui verbum iſtud divinum, non literis ſolum, ſed traditionibus definivit. Dicimus illud verbum, quod nobis divini ſcriptores literis expreſſum tradiderunt, multis in locis arduum eſſe, atque difficile, abditos plerumque in eo ſenſus & reconditos deliteſcere, ad quos aditus omnibus patere non poſſit. Dicimus tantam fuiſſe illius verbis non ſcripti, ſed in mentibus apoſtolorum a magiſtro impreſſi, vim & auctoritatem, ut verbum illud literis comprehenſum, ad illud, tamquam ad Lydium lapidem, exigeretur: quod nobis princeps apoſtolorum Petrus declaravit, qui quemadmodum memoriæ proditum eſt, Marci evangelium, ad illud verbum, quod audierat a Chriſto, & animo ſuo alte infixum retinebat, exegerit. Dicimus eccleſiam ſanctam diu ſine ſcripto vixiſſe, & floruiſſe, & in dignoſcendis ſcripturis, morem illum & conſuetudinem apoſtolorum fuiſſe ſecutam, ut quemadmodum apoſtoli in examinandis ſcriptis eorum, qui Chriſti doctrinam literis conſecrabant, utebantur illo verbo non ſcripto, ſic ipſa apoſtolicas traditiones adibat & conſulebat, atque illis judicibus vera evangelia ab ſpuriis & nothis ſeparabat. Hanc rationem ſecutus Serapion, ſi Euſebio creditur, evangelium illud, quod divi Petri nomine circumferebatur, rejecit: quod non eſſet apoſtolicis traditionibus conſentaneum. Dicimus tanto habitas in pretio fuiſſe traditiones, ut Irenæus ſine ſcripturis eccleſiam conſiſtere, ſine traditionibus vero non poſſe judicaverit: & Sylvanus epiſcopus, ut refert Theodorus, cum Conſtantium tyrannum ad fidei ſanioris defectionem hortantem, ſibi mortem etiam minitantem audiret: Poteſtatem quidem habes, inquit, nos puniendi: nos autem patrum ſtatuta non ideo deſtruemus. Quibus verbis indicavit, quanti faceret traditiones, quarum conſervandarum gratia, vel mortem diceret eſſe contemnendam. Longum eſſet commemorare, quæ ab Epiphanio, Baſilio, Dionyſio, Ignatio, Polycarpo, Clemente Alexandrino, & ceteris eccleſiæ ſanctæ luminibus in hanc ſententiam de traditionibus dicta ſunt: quæ ſi animadverteſſes, non eſſes in eas tam impudenter debacchatus. Concilium etiam Epheſinum contra Neſtorium coactum, quia corruperant ac depravarant ſcripturas hæretici, ad traditiones, tanquam ad integros & incorruptos judices, confugiſſe, & reliqua magna & antiqua concilia hunc morem ſemper tenuiſſe legimus. Neque vero ſolum catholici iis armis adverſus eccleſiæ hoſtes pugnabant, ſed hæretici etiam ipſi ſuos errores, illis potiſſimum tuebantur. Teſtes ſunt Euſebius Nicomedienſis, Artemon, Baſilides, Carpocrates, Marcion, Valentinus, qui hæreſes ſuas, quas vel aliquo ſanctarum ſcripturarum prætextu, ſicuti vos nunc facitis, confirmare potuiſſent, ſolis eas traditionibus aſſerere conabantur, ſe ita ab ipſis apoſtolorum diſcipulis accepiſſe dicebant, quod illud unicum, firmiſſimum eccleſiæ fundamentum eſſe arbitrarentur. O nefaria hæreticorum calliditas, atque verſutia: illi ſcripturæ teſtimoniis deſtituti, traditionum ſe præſidio tuebantur: vos vero apertiſſimis apoſtolorum traditionibus, doctorum antiquorum auctoritate, communi eccleſiæ conſenſu, omnium jam præteritorum ſeculorum judicio damnati, nos ad unicum ſcripturæ tribunal veteratorie provocatis: omnia extrema adjumenta illius interpretationi neceſſaria removetis: proprium cujuſque ſenſum, & mediocrem tantummodo diligentiam cum pio, & ſincero animo conjunctam adhibendam eſſe dicitis, & eam, quam veſtris turpiſſimis erroribus, vel repugnantem atque reluctantem ſervire cogitis, quam ream facitis, judicem nunc unicum controverſiarum eſſe vultis.

Traditiones.

Illam facilem, apertam, expeditam, omnibus etiam rudibus & agreſtibus hominibus, patere dicitis, nos vero, Fabrici, novimus & confitemur illam multis in locis arduam, atque difficillimam eſse: idque nobis ipſorum ſanctorum apoſtolorum teſtimonia: immenſi labores patrum doctiſſimorum in ejus interpretatione collocati: rerum ipſarum cœleſtium, atque divinarum, de quibus diſſerit, magnitudo: abditiſſima myſteria, quæ in ea deliteſcunt, ſtylus ipſe, character, & forma dicendi, & quod eſt apertius argumentum, id quidem veterum hæreticorum, & veſtra nunc potiſſimum in ejus interpretatione diſſidia teſtantur. Scimus, Chriſtum id apertiſſime ſignificaſſe, qui prophetas in eccleſia interpretes divinorum oraculorum reliquerit. Novimus ſcripturam, non ſemper ſui interpretem eſſe: quod ipſi contenditis, cum ſæpe incidant loci, qui primo aſpectu ſecum pugnare, & ſe invicem jugulare videantur. Scimus privatum cujuſque ſpiritum, quamlibet innocentia & caritate munitum vitæ, illius intelligentiæ aſsequendæ ſatis non eſse, cum multos ex antiquis doctoribus, cum Origenem, Tertullianum, Cyprianum, Irenæum & alios quamplurimos a recta illius interpretatione aliquibus in locis deflexiſse conſpiciamus. Scimus Apollinares, Sabellios, Novatianos, Manichæos ſuas hæreſes ſcripturæ teſtimoniis probare fuiſſe conatos: quod utique nunquam accidiſſet, ſi ea ſic eſſet aperta, ut nulla legentibus dubitandi ratio ſuboriri poſſet. Neque ullum aliud inter catholicos & hæreticos erat diſcrimen, quam quod illi ſincere, hi vero perperam & ſiniſtre ſcripturas divinas interpretarentur. Proferebant, inquit Vincentius Lirinenſis, apoſtoli divinæ legis exempla, proferebant & hæretici: proferebant apoſtoli pſalmorum auctoritates, proferebant & illi: proferebant apoſtoli ſententias prophetarum, & illi nihilominus proferebant: ſed cum ea, quæ ſimiliter protulerant, interpretari non ſimiliter cœpiſſent, tunc ſimplices a ſubdolis, tunc infu-

Scripturæ ſacræ difficultas.

infucati a fucatis, tunc recti a perverſis, tunc poſtremo veri apoſtoli a falſis apoſtolis diſcernebantur. Novimus Arianos, qui teſte Baſilio, ſcripturam apertiſſimam eſſe dicebant, & Demeritas, qui hanc etiam hæreſim a Sadducæis hauſerant, eccleſiæ jam judicio, auctore Epiphanio, fuiſſe condemnatos. Experimur pernicioſiſſimam, & turpiſſimam hæreſim eſſe exiſtimare, aditum cuivis patere ad intelligentiam ſanctarum ſcripturarum: cujus cauſa tot pugnas & ſeditiones exortas, & illum vertiginis ſpiritum, Germaniam & reliquas provincias jactaſſe videamus, cum aliter Zuingliani, Lutherani, Anabaptiſtæ, Sacramentarii, Adamitæ, & cetera hominum portenta, unum atque eundem ſcripturæ locum dilacerent, torqueant, & corrumpant potius, quam interpretentur. Quid hoc eſt, Fabrici? In omnibus veſtris provinciis, in omnibus oppidis, in ſingulis domibus, inter veſtra latera contentiones acerrimæ de legitimo ſenſu ſcripturarum verſantur. Vides pugnantes Lutheros cum Sacramentariis, utroſque cum Anabaptiſtis, & Adamitis: & dicere audes, illas eſſe apertiſſimas? Pugnabat etiam aliquando de uno, aut altero ſcripturæ teſtimonio Hieronymus cum Auguſtino: & tu id apertum eſſe dices, in cujus interpretatione non modo hæreticorum, qui vim inferre literis divinis conſueverunt, ſed ſanctiſſimorum hominum, qui ſincere lumen evangelicæ veritatis inveſtigabant, tanta fuerit digladiatio? Nos vero credimus eccleſiam catholicam, columnam eſſe veritatis, a cujus latere Chriſtus nunquam diſcedat: cujus comes individuus, cujus doctor, atque magiſter ſit Spiritus ſanctus: cujus lumen divinum in ſacris potiſſimum conciliis eluceat: cujus præſentia cohoneſtantur, patrocinio foventur, luce veritatis illuſtrantur, ut neque hactenus erraverint, neque errare poſſint, neque, ut tu mentiris, ſe mutuis decretis, velut illatis vulneribus, confecerint. Quæ quia non profers, neque ego in illis refellendis elaborabo: ſatis eſt dicere, te fuiſſe mentitum, ut pari, qua objecta ſunt, facilitate refellantur.

Credimus ergo, Fabrici, concilia ſacroſancta incorruptos eſſe judices veritatis: veros, atque legitimos divinarum ſcripturarum interpretes, nuncios divinæ voluntatis, quæ Dei nobis mentem aperiant: quæ obſcurioribus ſcripturæ locis lumen inferant: quæ exortas in eccleſia tempeſtates componant: quibus qui non obtemperant, merito Chriſti & eccleſiæ hoſtes judicantur. Tu vero omnia divinis literis comprehenſa: ſolo Dei verbo eccleſiam colligi, atque diſcerni: concilia non modo errare poſſe, ſed jam ſæpius turpiter erraſſe: ſummos pontifices nihil hactenus boni feciſſe arguis, & nihil boni deinceps facere poſſe improbiſſime vaticinaris: antiquos patres ad ſolam nos ſcripturam relegare mentiris. Et hæc quidem omnia, quæ graviſſima ſunt, quæ difficillima, quæ contumelioſa, cum nullis aliis argumentis, quam tua unius, calonis ſcilicet, auctoritate confirmes: quod aliud reſponſum, quam illud Æmilii Scauri ſperare poteris, nunquid tibi potius, quam eccleſiæ catholicæ credendum putas?

Sed cum te ex illo jam loco depulſum eſſe videres, & intelligeres aperte non de ſcripturæ ſacræ auctoritate, quam omnes ſummam eſſe conſitemur, ſed de illius legitima interpretatione controverſiam eſſe, ut in hanc arenam nobiſcum deſcendas, æquos tibi dari judices poſtulas: te facile oſtenſurum polliceris, vos multo ſincerius ſcripturam interpretari, antiquaſque interpretandi leges fuiſſe ſecutos. Qui ſunt, obſecro, ii æqui judices, Fabrici, quos tibi dari poſtulas: quorum arbitrio lites & ſimultates dirimantur? Scriptura trahitur in varios ſenſus: concilia a vobis irridentur: traditiones ſubſannantur: patrum interpretationes traducuntur, & illorum auctoritas contemnitur: qui ergo reliqui jam judices reperiri poſſunt, quorum arbitrio cauſa committatur? Si locus aliquis ſcripturæ ſit excutiendus, & poſt inſpectos ipſos Græcos & Hebræos fontes, poſt diſcuſſam ſingulorum verborum energiam, poſt inducta alia ejuſdem ſcripturæ ſacræ teſtimonia, quæ aliquid adjumenti illius interpretationi poſſent afferre, poſt collata exemplaria, poſt diligentiſſimam inveſtigationem veræ atque germanæ interpretationis, adhuc quiſque ſuam ſententiam, ut ſæpe videmus contigiſſe, pertinaciter & mordicus tueatur: quo judice res componetur? Quo arbitrio pars altera convincetur? Nonne vides, Fabrici, nullum futurum eſſe finem controverſiæ illis judicibus rejectis, quos ſacrum concilium ſanctiſſime excogitavit, & tu injuſtiſſime reprehendis? Qui enim alii judices incorruptiores, & ſapientiores, graviores excogitari poſſunt, iis, quos concilium conſtituit? Quod ſi illi tibi non placebant, cur eos, quos tibi optabas exhiberi, non nominaſti? noſſe vehementer cuperem, Montane, cui ſis addictus hæreſi, in cujus tot magiſtrorum verba juraveris: niſi tu fortaſſe (quæ eſt veſtra audacia, atque licentia) non contentus erroribus ab aliis inventis, novum aliquod monſtrum aluiſti, novam aliquam ſectam commentus es. Neque enim ſe jam quiſpiam veſtrum miniſtri nomine dignum arbitratur: niſi ipſe etiam novi aliquid attulerit, quo & ipſe celebris habeatur, & novum jugum miſeris Germanis imponat, & afflictæ eccleſiæ Chriſtianæ novum etiam vulnus infligat. O improbiſſima licentia, Deo inviſa, hominibus perniciosa, & religioni exitialis. Merito Tertullianus præter pictoriam & poeticam, tertiam dixit hæreticam jam licentiam commemorari poſſe.

Sed illud, inquam, noſſe cuperem, nunquid eſſes Anabaptiſta, Adamita, aut Sacramentarius, aut qua ex ſchola prodieris earum, quas vix jam poſſumus numerare. Quamquam, quantum ego conjectura aſſequi poſſum, ex illo latronum aſylo Geneva, ex equo illo Trojano, unde tot eccleſiæ hoſtes prodierunt, proceſſiſti. Meo etenim judicio Calviniſta es, cujus magnopere mihi ſtudioſus videaris: qui omnia, quæ in hanc ſceleratam orationem contuliſti, ex illius inſtitutione fueris mutuatus. Si quiſpiam igitur Lutheranus de præſentia Chriſti in ſacroſancto Euchariſtiæ ſacramento, ſi Anabaptiſta de infantum baptiſmo tecum decertaret, ſi ſcripturæ ſanctæ a te teſtimonium apertum exigeret, quo baptiſmus infantibus neceſſarius probaretur, cum tu illud: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei, protuliſſes, ille contra illud oppoſuiſſet: Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, & illud etiam: Qui crediderit & baptizatus fuerit, quid ageres? Quam interpretationem adhiberes, qua illum repugnantem, reluctantemque convinceres? Qua ratione nudis illum ſcripturæ verbis redargueres? Qui nullum alium judicem, quam expreſsum Dei verbum eſse patiaris? Quid diceres, cum hic te tuo gladio jugulatum videres? Quid futurum

Matth. 28. Marc. 16.

rum erat, Fabrici, nisi ut cum neque tu illum, neque ille te in suam posset sententiam pertrahere, longa concertatione de fatigari, ira deinde incensi, mutuis demum affecti contumeliis discederetis? Quod si tota nobis colluctatio de scripturæ interpretatione futura est, ut tu aliquando vel invitus, victus tamen ipsa veritate fateri coactus es: quis sanctior illius interpres & hujus controversiæ judex esse poterit, quam illa jam inde a principio nascentis religionis ad hæc usque nostra tempora, ecclesiæ Catholicæ constans & perpetua consensio, quam nulla potuit hæreticorum versutia & calliditas, sicut ipsam scripturam, corrumpere, aut depravare? Quis æquior judex apostolica traditione, apostolicis scriptis, & veterum scriptorum monumentis consignata? Quam ecclesia Christi, tanquam certissimam regulam, agnovit, illæsam, atque inviolatam conservavit, & tanquam optimum intelligendis scripturis interpretem adhibuit? Quis judex incorruptior testimoniis sanctorum, & antiquorum patrum Græcorum & Latinorum, qui partim vicini temporibus apostolorum, sinceram illam, atque puram evangelicæ legis intelligentiam ex illorum purissimis fontibus hauserunt: partim summa vitæ innocentia, fide, sanctitate & pietate exornati, omnibus naturæ, & literarum ornamentis instructi, splendore divini spiritus illustrati, jugi & magno labore totas suas ætates in studio sanctarum literarum contriverunt, & in intimos illius sensus penetrarunt: qui cum sint ab odio & ira & humanis affectibus remotissimi, & suis nunc in libris nobis apertissime loquantur, integre, & incorrupte judicabunt? Quis denique incorruptior, quis oculatior? Quis sanctior, aut sapientior judex cogitari potest, aut unquam fuit ab ecclesia Catholica difficillimis, periculosissimisque suis temporibus adhibitus, quam concilium œcumenicum, quod vel tuus etiam ipse Calvinus optimum scripturæ interpretem agnoscit, & illa quatuor prima se dicit cum magno Gregorio supplicem venerari? Hos igitur judices cum rejicis Montane, & alios tibi dari postulas, qui nulli sunt, nec esse possunt: quid aliud indicas, quam te jam istam palæstram, proprio judicio damnatum, extimescere, atque detrectare, quam te optare paulo ante simulabas? Quid enim potest esse dementius, quam judices poscere, & nullos probare? Quis te tantus oppressit stupor, ut has insidias a nobis detectum iri non putares, & hujusmodi præstigiis & impostoris crederes te posse Germanis imponere, & curiosis nostrorum oculis pulverem offundere, ne perditam jam vestram & causam & mentem intueantur, qui hæc temere & ineptissime jam effutiatis, ne nihil dixisse, ne ipso silentio victi videamini?

Optimi scripturarum interpretes.

Sed quoniam intelligebas, maximam semper fuisse conciliorum vim ad hæreses profligandas, & hoc, quod Tridenti sæpe jam coactum, & vestris insidiis intermissum, magnis tandem laboribus, maxima totius orbis Christiani consensione conflatum est, extremum vestræ miserimæ causæ vulnus futurum pertimescis, nervos omnes orationis ad illud evertendum contulisti: cujus ut auctoritatem infringeres, nullis argumentis, nullis rationibus, sed improbissimis contumeliis usus es, ne ab illo calonis munere, quod initio tibi impositi, discederes. Concilium non modo errare posse, sed sæpius erasse, ejusque venerabile nomen in satanæ synagogam cadere posse, idque satis & calonis auctoritate, & maledicto probatum esse arbitraris. Exemplum ex evangelio Joannis, quasi telum aliquod arripuisti (nam sæpe scripturam sacram furori vestro & maledicentiæ servire cogitis) quod quidem antea Calvinus usurpaverat, sed tu illud ab ejus manibus arreptum, adhibita impudenti paraphrasi, in sacrum istud concilium contorsisti, ut ostenderes, te illo, licet ceteris sis rebus inferior, maledicendi tamen studio, audacia, & improbitate esse longe superiorem. Quem quidem ego locum impudentissimum libenter silentio prætermittam: quia non modo facile patior, sed nobis puto glorioſum, nobis a vobis hoc genere orationis superari, præsertim cum hæc vestra maledicta, quæ sunt indices apertissimi vestræ improbitatis, & testes mentium sceleratarum, hominibus sanæ mentis, aperte loquantur & testificentur vitam vestram impuram, atque doctrinam non posse a tam impudenti & illoto sermone dissidere: ut nemo jam sit tam cæcus, aut tam stupidus, qui non videat, iis hominibus credendum non esse, quos sic exagitat insania, sic furor agit transversos, ut numquam sani, neque sobrii loqui videantur: in quorum libris nulla prorsus evangelicæ modestiæ species appareat. Itaque quod ceteri iniquo animo ferre solent, cum ecclesiam Romanam, cum sacrosancta concilia tot onerata contumeliis ab iis hominibus intuentur: ego non ægre sustineam, tum quod præstet injuriam pati, quam inferre, cum illum habeamus mansuetissimum præceptorem, qui injurias acerbissimas incredibili patientia pertulit, & discipulos suos tunc beatos dixit esse futuros, cum maledictis afficerentur: tum etiam quod in iis magnum nobis ad evertendas vestras hæreses præsidium intelligam esse collocatum. Futurum enim spero, ut cum Lutherum in primis, cujus pectus furiæ omnes videntur occupasse: cum reliquos etiam auctores, qui, illius vestigiis inhærentes furorem etiam imitantur, posteri perlegerint: cum universa eorum scripta conviciis respersa sic esse viderint, ut in illis non ullum pudoris, aut Christianæ modestiæ vestigium, sed veteris comœdiæ licentia conspiciatur, ex quibus insanam illorum mentem deprehendent: cum altera ex parte, mansuetudinem illam & bonitatem Christi Jesu in mentem revocaverint, se iis hominibus credere, & Christianos simul esse non posse judicabunt: cum humilitatem Christi cum istorum superbia, cum illius mansuetudinem cum istorum furore, modestiam cum effrenata licentia, bonitatem summam cum summa improbitate contulerint, non hos quidem Christianos, sed antichristos, non Christi discipulos, sed hostes censebunt: non iis magistris se tradent instituendos & excolendos, quos viderint tot animi morbis laborare: nisi quispiam fuerit tam insanus, qui medicis phreneſi laborantibus æternam suam felicitatem judicet esse credendam. Sis ergo, per me, Montane, furiosus: sis impudens, maledicus & conviciator: nostram causam agis, & tuam prodis: nolo tecum injuriis decertare, ne ejusdem criminis reus esse videar.

Matth. 5.

Montani calumnia.

Sed venio jam ad extremam orationis tuæ partem, in qua nobis (ut tibi videtur) profligatis, ad ea præscribenda, quæ ad res vestras optime componendas & moderandas spectant, te accingis: qua in re singularem stultitiam, sicuti hactenus impudentiam, prodidisti: sed mirum est, quam subdita metamorphosi ex calone censor evase-

evaſeris: & qui antea calonis te partes acturum esse fueras pollicitus, nunc graviſſimam Catonis perſonam velis ſuſtinere. Ampliſſimis verbis & gravibus ſententiis orationem exornas, humana, atque divina jura tibi commiſſa esse gloriaris, illorumque rationem tibi esse reddendam: ſed ſubito qui illam veterem perſonam obliviſci non poteſt, qui hanc natura, & ingenio tuo reclamante ſuſtineas, depoſita cenſoria gravitate, illico ad ſcurrilem & calonicam maledicentiam reverteris. Nam cum quibuſdam objectionibus reſpondere decreviſſes, quarum prima eſt illorum miniſtrorum, qui tibi dicere potuiſſent, cur non Tridentum petimus, ut religionis cauſam cum patribus conferamus, & in commune pertractemus? quid enim glorioſius? quid fructuoſius hac profectione, ex qua pax & concordia ſperari poſſet? huic tam juſtæ & tam ſanctæ expoſtulationi nihil aliud reſpondes, quam te neque poſſe, neque velle id facere: quia auctoritas a Romano pontifice, Chriſti & eccleſiæ ejus jurato hoſte dependeat. O impudentiam hominis inauditam: tu illum, quem Chriſtus eccleſiæ ſuæ ſanctæ ſupremum voluit esse paſtorem, quem concilia omnia, jam inde ab illo primo Nicæno, quem antiqui patres, quem ſedes omnes patriarcharum & epiſcoporum, toto Chriſtiano orbe diffuſæ, ſummum Chriſti vicarium agnovere, & debita ſunt veneratione proſequutæ: a quo ſemper, tanquam a capite in membra, incorrupta ſemper, ſincera & integra fides in reliquum eccleſiæ corpus promanavit: cui omnes eccleſiæ ordines, cui omnes Chriſtiani principes, tetrarchæ, imperatores, tanquam ſupremo eccleſiæ principi, Chriſti vices gerenti, collum faſceſque ſubmiſerunt: tu, inquam, omnium, quos terra ſuſtinet, ſceleratiſſime, Chriſti juratum hoſtem appellabis? Sed quid ego tibi homini infeliciſſimo, & miſerrimo indignor, cujus potius miſereri, cujus ſortem lamentari debuiſſem? Omitto reliquas contumelias, quas in hoc ſacroſanctum concilium conjeciſtis, quod te faſtidire, negligere, & tanquam cœtum malignantium fugere, declinare, averſarique impudentiſſime jactas: accedo ad præclaram illam repetitionem tuam ex omnibus confarctam & conſarcinatam argumentis, quibus vos ab hoc concilio non prohiberi modo, ſed arceri cauſaris.

Montani maledictio.

Continuationis clauſula veluti objecto vallo, vos ab eo excludi criminaris, cum oſtenſum jam ſit pontificem maximum, ab illo verbo abſtinuiſſe: & ſummam esse improbitatem, velle ea, quæ ſanctiſſime a ſacro concilio decreta ſunt, in diſputationem iterum, quæſtionemque vocare. Sed cur legatos & theologos Germanorum principum ægre interceſſione Caroli V. potentiſſimi imperatoris in concilium admiſſos, a diſputatione tamen excluſos esse mentiris? Cum potius tanta illa imperatoris potentia, & inſtaurandæ religionis tam ardens ſtudium, vix potuerit a vobis obtinere, ut pauci quidam & illi muti theologi Tridentum mitterentur: a quibus poſtea concilii patres, cum eos ſæpe amice, atque benevole ad diſputationem, & reddendam ſuæ doctrinæ rationem provocaſſent, nullam vocem extorquere potuerunt. Teſtis eſt Brentius, qui Tridentum ingreſſus amiciſſime exceptus, rogatus etiam ſæpiſſime, ut ſuam mentem patribus explicaret, ut ſententiam diceret, in diſputationis arenam per multos menſes provocatus, ex loquaciſſimo tamen verſus in Harpocratem, ſuæ cauſæ Pythagorico ſilentio conſulendum putavit. Siluit quouſque accepit, Mauritium cum exercitu numeroſo OEnipontum veniſſe: & quo tempore concilii patres, illius adventu perturbati, nulla jam alia de re, quam de fuga cogitabant, prodit veluti ex aliquo gurguſtio acerrimus ille cauſæ veſtræ propugnator: & tum demum ſe audiri poſtulavit, cum audiri non potuit. O præclarum miniſtrum & defenſorem, a quo veſtra cauſa non niſi maximo tumultu & concilii fuga, vocem, & illam nihil jam profuturam, expreſſit. Neque vero tunc eo conſilio petebat dari ſibi locum dicendi, ut violatæ a ſe & diſſipatæ religionis rationem redderet: ſed ut interim patres ab hoſtibus intercepti furentibus Mauritii gladiis objicerentur.

At vero leges a concilio præſcriptas, & decretos judices vobis obſtare dicis: quia nihil certi esse poterit unica certitudinis regula ſublata. Quæ iſta eſt aut cæcitas, aut impudentia potius, ut cum videas, ſcripturam divinam, ut ſæpe jam diximus, ſacro concilio, tanquam ſupremum judicem, in primo & principe loco fuiſſe collocatam, dicere audeas, certitudinis regulam e medio fuiſſe ſublatam? Sed patres nimirum concilii, quos tibi hoſtes fingis vehementer extimeſcis: quos aſſeris in perniciem veſtram diſertis verbis conjuraſſe: qui ubi, re diſcuſſa, atque definita, acta ſemel concilii in codicillos retulerint, vos ter maximos hæreticos esse clamabunt, & omni ſuppliciorum genere dignos cenſebunt: tum pavor, metus, trepidatio, & illa flamma, qua Joannes Hus & Hieronymus Pragenſis exarſit, ante tuos oculos obverſatur. Iſtos plane terrores, Montane, non tibi quidem patres concilii, quorum vota & ſtudia caritatem potius & pacem, quam odium & crudelitatem ſpirant, qui non perniciem vobis aut optant, aut moliuntur, ſed veſtræ ſalutis amore, atque deſiderio flagrantes, vos vivere potius, & ad eccleſiam redire, quam non modo mortem, ſed nec ullum quidem diſcrimen ſubire cupiunt, qui ſaluti veſtræ ita publica fide conſuluerunt, ut etiam ſi in hoc judicio convinceremini, liberi poſſetis in patriam commeare, ſed tua conſcientia ſaucia, atque vulnerata conjecit: & tamen, cum eo ſis animo tam trepido, tam meticuloſo, qui ipſam etiam ſecuritatem, veluti ſuſpectam, reformidet, audes homo leviſſime, ſanctiſſimum illum & robuſtiſſimum martyrum nomen toties uſurpare & in ore habere, quos hac in parte imitari te impudenter jactes? Audes dicere, te illorum ſequi veſtigia, qui cauſas ſuas apud iniquos judices egerunt illi quidem, ſed numquam detuleruntque, & te martyrem, ſanctiſſimum vero concilium tyrannum appellare? Audes tu hoſtis eccleſiæ, cauſam tuam cum Pauli apoſtoli, Athanaſii, Cyrilli, & Nazianzeni, qui acerrimi hæreticorum hoſtes, & religionis aſſertores extiterunt, improbiſſime conferre? Maximus Hieroſolymitanus antiſtes ab Antiochena ſynodo abſtinuit: Athanaſius a Tyria fugiendum, & ad Seleucianam minime veniendum duxit: quia nec auctoritate Romani pontificis coactæ, & ad evertenda ſacroſancta decreta concilii Nicæni erant conflatæ: quas non ſynodos, ſed ſatanæ comitia merito judicarunt.

Sed quæ iſta tua eſt impudentia, ut audeas dicere te illorum exemplo hæreticorum conventicula (ſic enim appellas concilia ſacroſancta) hæreticus ipſe declinare? Quando illi, obſecro,

œcumenicum concilium ducentorum quinquaginta episcoporum frequentia, summi pontificis auctoritate coactum, imperatoris, regum prope omnium, principum Christianorum, & rerum publicarum legatis exornatum, hæreticum, sicuti tu nunc facis, appellarunt, & ab illo abstinendum judicaverunt? Cur hanc injuriam sanctissimis illis patribus intulisti? Cur cum tanta illorum contumelia quæris tuæ causæ præsidia? Non satis est, eos omni honore, veneratione & patrocinio spoliasse, nisi hæreticos etiam feceris, & illorum gloriosum & immortale nomen, qui extra omnem invidiæ aleam positi, sempiterna felicitate fruuntur, gravissimo hæresis vulnere cruentasses? Non satis est ecclesiam, concilia, Romanos pontifices, præsentia & præterita sæcula vestræ maledicentiæ patuisse, nisi in cœlum ipsum, & in cives illos glorioſos cœlestis Hierusalem sitis contumelioſi?

Jam vero vel eo solum nomine vobis in concilium veniendum non esse contendis, quod jus convocandi synodos ad pontifices neque divino, neque humano jure pertineat. Illud ab te in primis quæro, Fabrici, cum duæ sint reipublicæ partes, quibus illa regitur, & conservatur, justitia, atque religio, justitiæque ministri principes sint, religionis antistites: si cogendi, atque celebrandi eos conventus, qui ad justitiam optime administrandam pertinent, facultas penes principes est, idque ipsa dictat ratio, atque natura: cur jus convocandi synodos, quæ religionis causa coguntur, ad pontifices non pertinebit? Cur istud jus imperatoribus defertis? Cur munera Christianæ reipublicæ perturbatis? Supremus ecclesiæ pastor, & religionis Christianæ, primus & summus antistes, pontifex Romanus est: concilia unicum semper remedium extirpandarum hæresum, & instaurandæ religionis fuerunt: quis ergo est tam stupidus, qui non intelligat concilii convocationem, quod est unicum religionis perfugium, & anchora sacra, ad illum potissimum pertinere, cui tuendæ & conservandæ religionis cura commissa sit? Concilium Nicænum primum sanctissimum & antiquissimum hanc suis decretis auctoritatem Romano pontifici deferebat, & tu auferes? Testis est Athanasius epistola ad Felicem papam, & Galla Theodosii Augusti mater scribens filio, qui memoriæ prodiderunt concilium Nicænum decrevisse, sine Romano pontifice, neque cogi debere, neque celebrari synodum, ejusque legatos principem in ea locum obtinere. Testes sunt Osius, Vincentius, & Victor, qui illi concilio nomine Silvestri pontificis Romani præfuerunt, & primi illius decretis subscripserunt. Testis est Marcellus & Damasus. Testes etiam sunt Valentinianus & Marcianus Augusti, qui a Leone pontifice Romano, ut concilium cogeret, missis legatis, & precibus adhibitis impetrarunt. Cum ergo ii maximi Imperatores hoc a summo pontifice postulaverint, quod ad eum hoc jus cogendi concilium pertinere arbitrarentur: cur tu hanc facultatem, quam a se relegarunt clarissimi & religiosissimi principes, & Romano pontifice sua sponte detulerunt, per vim ab illo auferes, & iis repugnantibus etiam, atque reluctantibus tribues? Antiquis illis temporibus in maximis hæreticorum insidiis, quibus Christiani homines premebantur, quod secunda Ephesina synodus declaravit, cum ecclesiæ antistites sine præsidio imperatorum, ut religioni subvenirent, tuto convenire non possent, pontifices maximi, ut securitati & libertati patrum consulerent indictioni concilii imperatoris nomen & auctoritatem addiderunt: ut cum imperatoris potentia septum, atque munitum concilium ecclesiæ hostes animadverterent, sibi ab aperta vi, atque violentia temperarent: ut hac ratione illorum, quos neque religio, neque pudor poterat cohibere, improbos conatus, imperatorum auctoritas, armaque reprimerent. Hinc vester error, qui scripta omnia depravatis, & in vestram causam per fas, aut nefas detorquere soletis promanavit: quamquam non hunc ego errorem, sed improbitatem interpretor: neque estis tam cæci, qui hæc non videatis: sed, ut principibus assentemini, quorum patrocinio magnopere indigetis, hæc & alia iis similia excogitatis. Illud præterea magno vobis impedimento esse dicis, quo minus hoc iter veniendi ad concilium ingrediamini: quod videlicet præsentia vestra principes Christianos, qui etiam ad concilium evocantur, & venire recusant, injuria afficeretis, & pontificem Romanum, quantum in vobis est, contra illos armaretis: reliquos vero Christianos, qui sibi ab hoc congressu graves ob causas temperarunt, judicio vestro longe iniquissimo gravaretis: vobis præterea infensos, & pontifici magis invisos redderetis. Idque exemplo principum Germanorum confirmas, qui in conventu Neoburgensi, putida pontificis postulata, satis animose repulerunt, mirari se dicentes, quæ illius esset impudentia, qui illis quoque præscribere non verecundaretur, a quibus proculcatæ religionis accusaretur ipse. Reliqua maledicta prætermitto, quæ ab illo conventu in summum pontificem jactata refers: quæ quidem ego a te conficta, & illi falso tributa esse arbitror: ut tanti cœtus auctoritate tuam impudentiam tegeres, ut maledicentiæ conventum principum comitem habere videreris. Neque enim est credibile ordinem principum, amplissimum & gravissimum, qui solet etiam suis hostibus capitalibus modeste (ut par est, & ut illum decet) respondere, eorumque legatos benigne, atque humiliter excipere, qui denique eos, quos intestino prosequitur odio, quorum sanguinem exsorbere cupiat, moderatis verbis appellare consueverit, tam acerbo & iniquo animo in Romanum pontificem, sanctissimum Christi vicarium, fuisse, ut eum tam apertis & insignibus injuriis, quas tu illi affingis, fuerit prosequutus. Magnam tu igitur injuriam illis principibus intulisti, quos tui similes facere conatus es: quorum dum gravitatem, atque constantiam studes commendare, hoc illis responsum tribuens, indignum Germanica nobilitate, & pietate Christiana, infamiæ dedecus sempiternum inflixisti. Sed quid mirum, si qui summam laudem in maledicentiam collocavit, eam clarissimis Germanorum principibus tribuat? Quid mirum, si de conservanda principum gratia tam estis soliciti, sine quorum præsidio, non modo impudentes esse, ut estis, sed neque usura hujus lucis frui, nec communem hunc spiritum vobis ducere licuisset. Non itaque miror, si eos, quorum armis indigetis, summos pontifices faciatis, & summa reverentia, atque observantia prosequamini. Sed illud dignum est summa admiratione, tantum fuisse tuum stuporem, ut tantis principibus illa tribueris maledicta, quæ sibi tribui latrones erubuissent.

Illud

p) sacrum volebat dicere vel amicam.

Illud vero jam extremum minime dicis esse prætermittendum, quod quia omnium erat maximum & graviſſimum impedimentum, quod vos remorari poterat, quo minus Tridentum veniretis, in extremam orationis partem reſervaſti, ut altius infixum Germanorum mentibus permaneret, quod, quoties in memoriam revocarent, vos merito ab hac profectione abſtinuiſſe cenſerent: quo quidem uno & Chriſti gloriam obſcurandam, & eccleſiæ dignitatem prorſus dicis fuiſſe infringendam. Sed cupio iterum ex te audire, Montane, quod ſit iſtud tam atrox & tam inauditum ſcelus, quod veſter adventus in Chriſtum & in eccleſiam eſſet admiſſurus. Cogar, inquit, cum in arenam deſcendero, cum illud tenuero ſuggeſtum, quo mihi ſententia dicenda eſt, in ipſo veſtibulo diſputationis, cogar, inquam: quid hoc eſt, Fabrici? Nunquid cogeris veritatem deſerere? Atqui nihil eſt, quod crimen iſtud verearis, qui non modo eam deſeruiſti, ſed indignis modis vexaſti. Numquid cogeris in Chriſti leges, in evangelium, in Deum & in ſanctos eſſe contumelioſus? At vero nihil eſt, quod timeas, qui prodifor Chriſtianæ religionis, Chriſti ſigna deſeruiſti: evangelium profanaſti: leges divinas & ſcripturam ſacram corrupiſtis: ſanctiſſimam virginem Mariam Dei matrem, & ſanctos illos omnes ſupernos ſpiritus, non modo honore nudaſti & veneratione, ſed conviciis & maledictis affeciſti. Longe majus, inquit, eſt flagitium, quod horreſco, cogar etenim in illa pergula, patres concilii Tridentini, reverendiſſimos appellare. O ſcelus incredibile, o facinus inauditum: merito, Montane, Germaniam potius infinitis erroribus ſcatere, diſtrahi, atque dilacerari Chriſti tunicam, univerſam rempublicam Chriſtianam bellis inteſtinis ardere patieris, quam ut tantum in te & tam inexpiabile ſcelus admittas, ut concilii patres honoris gratia reverendiſſimos appelles. Ite nunc, o viri Germani, & iis miniſtris, tam piis, tam religioſis, tam modeſtis, tam circumſpectis obtemperate: quam chara veſtra ſalus eſt iis hominibus, qui illam periclitari, & eccleſiam univerſam peſſundari, facilius ſe paſſuros eſſe profitentur, quam ut modeſti ſint: & tamen hunc tam barbarum, tam impotentem, imo tam impudentem dominatum, fertis vos æquo animo: & hanc miſeram & voluntariam ſervitutem, alioqui liberi & generoſi, ſuſtinetis. Sed ut ad te revertar, Montane, quæ eſt iſta tua tam immoderata & effrenata maledicendi libido, quæ iſta eſt plus, quam Thraſonica impudentia, ut nec in tanto conſpectu a te modeſtiam impetrare poſſe confidas? Tam eris Montanus & agreſtis, imo tam ſtupidus & plumbeus, ut tuam modeſtiam in Chriſti & eccleſiæ dedecus redundare credas? Dic mihi, obſecro, cum illud ſuggeſtum teneres, qua tibi præfatione utendum putabas? Si non reverendiſſimos, numquid latrones eras appellaturus? Cur ſi eos reverendiſſimos diceres, honori Chriſti & eccleſiæ detrahi exiſtimaſti? Numquid Chriſtum aut eccleſiam reverendiſſimam unquam appellari audiſti, ut ſi alios hæc honorifica compellatio transferretur, ſumma illis injuria illata fuiſſe videatur? Quæ iſta dementia, quæ ſtultitia, quæ impudentia?

Et tamen cum iis, atque ſimilibus argumentis fueris uſus, ad probandum concilium Tridentinum a veſtris ſine ſcelere frequentari non poſſe, ovanti ſimilis aut debacchanti potius triumphum ante victoriam canens dicere audes: Montanus. Evici adhuc, ut arbitror, profectionis noſtræ idoneas cauſas reperiri nullas, quamplurimas vero eaſque graviſſimas adverſari penitus, ideoque hoc concilium ſine ſcelere a noſtris frequentari nullo modo poſſe. O præclaram victoriam! o egregium triumphum dignum laudibus & acclamationibus tuorum militum! Quod ſi te ſtulto furore & audacia omnes eccleſiæ hoſtes viciſſe diceres, merito ſane hunc tibi triumphum depoſcere, & tuum iſtud ſacrilegum caput lauri virentibus foliis exornatum, domum referre potuiſſes. Et ſi reliquis tui ſimilibus furioſis miniſtris, qui oratione tua, ne Tridentum venirent, non indigebant, te id perſuaſiſſe contenderes, non utique repugnarem: ſed hominibus ſanæ mentis tantum abeſt, ut id probaveris, ut iſto tuo famoſo libello apud illos cauſam noſtram juſtiorem, tuam injuſtiorem, reddideris, tuis majorem, invidiam, tibi majus omnium bonorum odium conciliaveris. Namque a te, remotis contumeliis adducta ſunt (ſi ulla tamen ſuperſunt) latebræ quædam ſunt, ut oſtendimus: quibus occultare & tegere perditam & deploratam cauſam voluiſti, & in quibus improbitas veſtra Germanorum oculis ſubducta, deliteſceret, ne ſi recuſaretis reddere rationem huic tanto concilio ejus, quæ in vobis eſt, perfidiæ, ipſa jam conſcientia victi & ſilentio veſtro damnati videremini.

Hæc tua cæca pertinacia, Fabrici, quæ tuum animum odio Romanæ eccleſiæ inflammatum, & variis erroribus æſtuantem, nihil boni videre, nihil moderati gerere ſinit, quæ te cogit conceptas ſemel opiniones mordicus tenere, & veritatem jam ipſam ſanis & ſinceris oculis cernere non patitur, magno tibi eſt impedimento, quo minus, quæ omnibus ſancta & neceſſaria, præterquam tibi uni, videntur, ſolus ipſe non videas. Nam ſi hoc tantiſper depoſito, aut compreſſo furore, rem hanc ut erat æquum, pie, Chriſtiane, & prudenter expendere voluiſſes: non utique in tantis miſeriis afflictæ religionis dicere auſus fuiſſes, vos nullas cauſas frequentandi concilium reperire. Quando obſecro, plures & graviores, non dici modo, ſed neque excogitari, aut fingi potuerunt? Quando tanta & tam urgens neceſſitas? Quando turbulentior in Chriſtiana republica perturbatio conſpecta? Quando tantus hæreticorum furor? Ferventior errorum æſtus? Quando tot diſſidia, tumultus, odia, cædes & immanis crudelitas inter ipſas Chriſtianorum aras verſata eſt? Quando matris eccleſiæ tot corpus ſaucium ita, & crudeliter vulneratum unquam fuit: e cujus viſceribus tela a vobis infixa, ægre jam a catholicis revellantur? Quando concilium opportunius cogi & celebrari potuit? Quando major in eo patrum frequentia, doctiſſimorum theologorum multitudo, ardentius ſtudium componendæ pacis, communius votum auditum? Quando adverſarii tam amice, tam benevole, tanta cum ſecuritate vocati? Quando locus, tempus & occaſio convenientior oblata eſt? Carolus V. imperator immortalitate, æterniſque laudibus ob ſingularem pietatem & res clariſſime geſtas digniſſimus, & Franciſcus Gallorum rex clariſſimus & Chriſtianiſſimus, in illo fœdere ſanctiſſimo, Cauſæ juſtiſſimæ cogendi concilii.

quod aliquando conciliandæ pacis ſtudio certis conditionibus pepigerunt, nullam aliam viam, eam ſtabiliendi & confirmandi in toto orbe Chriſtiano reperiri poſſe putarunt, quam ſi hoc, quod celebratur, concilium cogeretur: tu vero Montane, id, in quo illi clariſſimi principes unicam componendæ pacis ſpem ſitam eſſe exiſtimarunt, ſine ſcelere frequentari non poſſe impudenter dicere audebis? Ex ultimis Aſſyriæ finibus Abdyſus, Aſſyriorum patriarcha, cum eſſet a clero ejus provinciæ creatus ſupremus illarum provinciarum antiſtes, accedente conſenſu illorum populorum, qui regionem Tigri fluminiproximam incolunt, cum ſe Romam contuliſſet, ut pontificem maximum Petri ſucceſſorem, Chriſti vicarium agnoſceret & veneraretur, & ut illi muneri, ad quod a ſacerdotum ordine, plebis conſenſu, fuerat aſſumptus, ab eo conſecraretur, ejuſque judicio, tanquam eccleſiæ principis, & auctoritate confirmaretur, cum audiſſet, tanta patrum frequentia concilium celebrari, tanto exarſit ſtudio veniendi Tridentum, ut illico iter arripere decreverit, niſi illum deſertæ oves ad ſe vocaſſent, & niſi pontifex maximus majore illa objecta neceſſitate illum ab ea, qua tenebatur magna cupiditate veniendi depuliſſet; quia nihil antiquius, nihil ſibi jucundius accidere poſſe dicebat, quam ſi huic cœtui ſanctiſſimo intereſſe contigiſſet; neque antea Roma diſceſſit, quam ſua ſponte, adhibito jurejurando, polliceretur ſe decreta œcumenici concilii Tridentini excepturum ſumma veneratione, eaque populis Aſſyriorum cum aliorum conciliorum decretis obſervanda traditurum. Cujus ego jusjurandum & reliqua, quæ cum illo geſta ſunt, libenter hic ſubjeciſſem obſignata publica fide, niſi accepiſſem illa jam prælo commiſſa ad vos eſſe delata, ut intelligeretis, quam ſine ulla diſciplina, ſacramenta, ritus, ceremoniæ, quas a Thoma & Thadæo, ſanctiſſimis apoſtolis traditas Aſſyrii acceperunt, & conſervarunt, Romanæ eccleſiæ diſciplinæ conſentaneæ, & ut ille vir, veluti ſincerus incorruptuſque teſtis, erroribus veſtris objiceretur: ut cum ejus religionem cum ea, quam vos damnatis, conſentire videretis: non jam vos Romanos pontifices, ſed apoſtolos: non Romanam, ſed apoſtolicam eccleſiam inſectari intueremini. Qui plane Abdyſus divino mihi conſilio Romam miſſus fuiſſe videtur, ut & pontificem Romanum, & ſacrum iſtud concilium illa tanta veneratione proſecutus, hanc vobis perfidiam veſtram & improbitatem exprobraret. Quid ergo? Ignoti homines in ultimis Aſiæ receſſibus poſiti, non alia ratione, quam majeſtate illa ſucceſſoris Petri commoti illius pedibus provolvuntur, & vos tot ab eccleſia Romana beneficiis affecti, ingrati in illam & contumelioſi reperiemini? Illi concilium Tridentinum venerantur, & vos injuriis afficietis? Illi eccleſiam Romanam, tanquam matrem, atque magiſtram, amplectuntur, & vos illius gremio educati, divinis illius legibus inſtituti, non ſolum odio & maledictis proſequemini, ſed armis jam & inaudita crudelitate vexabitis? Omnes totius orbis Chriſtiani nationes & provinciæ concilium iſtud opportunum & neceſſarium judicarunt, & vos illud negligetis: & non modo nullas ad illud veniendi cauſas vos reperire dicetis, ſed & veſtra præſentia indignum putabitis?

Sed illud eſt longe majus flagitium tuum, Fabrici, quod, hoc tanto tam frequenti & œcumenico concilio neglecto, Germaniæ principes ad cogendum aliud in Germania non concilium, ſed impiam conjurationem adhortaris. Quod quantum ſit ſcelus, non dixiſſe modo, ſed cogitaſſe, miror te, Montane, non vidiſſe. Nam coacta jam generali ſynodo, in qua Cæſaris, & principum omnium Chriſtianorum legati, in qua tot eccleſiarum paſtores reperiantur, ut pauci ex toto Chriſtianiſmo deſiderentur, velle aliud concilium cogere, quod ex fœce illa & colluvione transfugarum coflectum, illi opponatur, quid aliud, obſecro, eſt, quam ſtudere, novos tumultus in Chriſtiana republica concitare: novum inferre ſchiſma, novas furias immittere, omnia ſurſum, deorſumque jactare: velle denique afflictam & corruentem religionem penitus extinguere, atque funditus delere? Quamquam illud abs te quæro, Fabrici, quorſum iſtud concilium cogere exoptas, qui concilium controverſiarum judicem eſſe non poſſe contenderis? qui concilia non modo errare poſſe, ſed ſæpius erraſſe, & ſe mutuis vulneribus confeciſſe jam dixeris? Cogetur, dices, ut ſcriptura judex ſit, ut videatur, quid ex verbo Dei habeamus: quia Chriſtianum, inquis, eſſe nequit concilium, quod actiones ſuas ad Chriſti & apoſtolorum regulam ſacris literis comprehenſam non exigit. Nonne vides hunc ſibi etiam ſcopum ſacrum iſtud concilium præfixiſſe, cum ſcripturam primum, atque præcipuum judicem eſſe voluit, & reliquos illi quatuor judices, veluti interpretes adhibuit? Quod ſi hoc tantum concilium, tanta frequentia, doctrina, auctoritate judex eſſe nequit, quonam modo manipulus ille male cohærentium, imo diſſidentium & digladiantium miniſtrorum judex eſſe poterit? O egregium concilium, ſi modo cogeretur! o præclaram illam cohortem prætoriam miniſtrorum, ſi aliquando conveniret! Operæ pretium eſſet videre, quo conſilio, qua pietate, atque modeſtia res ageretur; quæ ſynodus, qualis eſſet futura, ſi quando (quod Deus avertat) ex Montani voto cogeretur. Dum vobis expono, viri Germani, quæſo, diligenter attendite, ut me non prorſus amentem, aut mendacem fuiſſe vatem intelligatis.

Quale hæreticorum concilium.

Ab aliquo igitur ex iis principibus, quos ſummos ſibi pontifices fecerunt, indicetur concilium & promulgabitur: vocabuntur ex omnibus locis, ex omnibus ſcholis ſordidi & furioſi miniſtri: (quamvis nullum ego eſſe arbitror tam amplum, aut tam ſpecioſum theatrum in Germania, quod ex ſingulis ſectis ſingulos miniſtros capere poſſit) aderunt Lutherani, Anabaptiſtæ, Sabbatarii, Clancularii, Arrabonarii, Energici, Adiaphoriſtæ, Dæmoniaci, Stancariani, Antinomi, Inferiani, & cetera infinita monſtra ex variis, repugnantibuſque naturis conflata. Omitto rixas illas, quæ principio excitabuntur, cum de loco certabitur. Lutheranis primum ſibi deberi clamantibus, tanquam primis auctoribus: Anabaptiſtis vero & ſacramentariis, ut magis furioſis & amentibus illum ſibi poſtulantibus. Videre videor illam turbam primum argumentis contendere, ira poſt excandeſcere, omnia deinde clamoribus replere, conviciis ſubinde, & demum pugnis digladiari. Quod ſi evenerit, ut hæc prima velitatio & pugna componatur, quod minime de illorum furore arbi-

arbitrior ſperandum, placato hoc primo tumultu, cum indignabundi, admurmuranteſque conſederint, cum fuerit ſilentium indictum, dogma illis aliquod proponetur, ſententiæ rogabuntur: cum ex tanta multitudine ne duo quidem fuerint reperti, qui idem ſentiant, quanta tunc, obſecro, ſequetur altercatio? Quantus tumultus? Quantus clamor? Quod ſi quiſpiam forte dixerit: Hoc in primis eccleſia Romana probat, quantumvis pium, catholicum, religioſum, evangelicum, vel hoc uno nomine audito eccleſiæ Romanæ, furore univerſa correpta ſubſellia clamabunt, Anathema eccleſiæ Romanæ, Anathema eccleſiæ Romanæ. Quod ſi quiſpiam alius ſubjecerit, hoc ab œcumenico concilio Tridentino definitum & decretum eſt, idem illum clamor, idem maledictum conſequetur, anathema concilio Tridentino. Quamquam timendum illi erit, qui vel concilium Tridentinum, vel eccleſiam Romanam nominaverit, nec non ſolum convicia, ſed ſanguinarias illorum manus experiatur. Atqui dicet aliquis, hoc expreſſum eſt in epiſtola Pauli ad Hebræos: ſed ſubjiciet alius, jam pater ille ſanctiſſimus & unicus ariſtarchus, ſcripturarum Lutherus, arrepta virgula cenſoria, illam epiſtolam utpote hæreticam, & falſo titulo Paulo tributam, ab ordine divinarum ſcripturarum removit. Sed id legimus in epiſtola Jacobi: illam etiam ſtramineam idem ille Eſdras divinorum librorum cenſor appellavit. Id nobis Machabæorum libri tradiderunt: non ſunt canonici. Locus eſt expreſſus in evangelio Joannis: non eſt accipiendus in hunc ſenſum, longe diverſus eſt ſenſus, vis & energia verborum: non legitur in vetuſtis codicibus: additum eſt ab interprete, non ſic habent Græca exemplaria: in quibuſdam antiquiſſimis exemplaribus aliter legebatur. At vero ſic univerſa eccleſia Chriſtiana hactenus eſt interpretata: lapſa eſt. Sic concilia definierunt: ſed dicet Montanus, illa non ſolum errare, ſed quantumvis œcumenica ſint, in ſatanæ ſynagogam cadere poſſunt. Sic ſanctiſſimi, doctiſſimi, & vetuſtiſſimi patres, Cyprianus, Irenæus, Auguſtinus, Hieronymus exponunt: homines ſunt, falli poſſunt. Sic nobis apoſtolicæ traditiones teſtantur: nugæ ſunt. Quid ergo? Prodeant in medium illa quinti evangelii clariſſima lumina, Lutherus, Zuinglius, Caroloſtadius, Bucerus, Oecolampadius: qui ubi nominabuntur, aſſurgent omnes, & aperto capite, venerabundi illorum ſacroſanctam auctoritatem ſuſpicient, & rejectis conciliis, contemptis patribus, excluſis apoſtolicis traditionibus, eccleſiæ conſenſu & conſuetudine neglecta, toti eccleſiæ catholicæ & apoſtolicæ ἐυτὸς ἑφὰ, unicam, inquam, Lutheri auctoritatem opponent. Itaque cum adverſus eccleſiam Romanam illis erit pugnandum, unicum omnium votum, una mens, unicus animus & communis erit illius furioſæ turbæ conſpiratio.

At vero ubi Lutherus cum Zuinglio, Calvinus cum Melanchthone congredietur: cum agetur de libero arbitrio: & quidam cum Luthero & Calvino dixerint nullum eſſe liberum arbitrium, & proditionem Judæ, Davidis adulterium ita opus eſſe Dei, ſicuti Pauli converſionem: contra vero Melanchthonici id horribile mendacium & Manichæorum furorem clamaverint, cum prodierint ſententiæ, diverſæ & innumerabiles, de juſtitia Chriſtiana, & ſacramentorum numero, de conſtitutionibus eccleſiaſticis, de cæremoniis eccleſiæ, de judicio, de præmiis bonorum, malorumque ſuppliciis, cum Davidici nullum eſſe futurum judicium univerſale, Anabaptiſtæ futurum quidem, ſed animas e corporis vinculis ſolutas, ad illud uſque tempus dormire, & dæmones ſimul cum illis & ſuppliciis extrahendos, & ſempiterna felicitate donandos contenderint: cum Servetiani & Libertini, carnis reſurrectionem minime futuram cum Sadducæis, Menandro, atque Simone affirmaverint: cum non modo diverſorum auctorum, ſed ejuſdem varias repugnanteſque ſententias alii protulerint, ut de numero ſacramentorum, de communione utriuſque ſpeciei, quam quidam neceſſariam, & a Chriſto inſtitutam dicent, idque Lutherum ſenſiſſe, alii repugnabunt, agetur res obſignatis tabellis: proferent illi confeſſionem Saxonicam Vuittembergenſem. Ii vero ſermonem de euchariſtia, & librum de captivitate Babylonica (licet omnia illis ſcripta ſint Babylonica) quot tunc furiales voces excitabuntur? Si præterea de ſacramento ordinis, de matrimonio, de pœnitentia, de ſacrificiis, de veneratione, cultuque ſanctorum inciderit ſermo, ſimilis exorietur conflictatio. Ubi vero ſcripturæ locus aliquis proferetur explicandus, atque exponendus, quibus clamoribus, quo tumultu, & fremitu certabitur undique? Omnes ſcripturam ſacram apertiſſimam eſſe communi voce clamabunt: interim tamen eam, quam univerſi facilem, claram, & cuivis perviam confitebuntur, ſingulis ſuis commentis, veluti Cimmeriis tenebris, involvent. Nam cum hic ſuum ſenſum affixerit, alius repugnaverit: cum hic dixerit, ſe ſincerum animum & mediocrem diligentiam quod ſatis eſt, ad inveſtigandam veram illius intelligentiam attuliſſe: alius vero melioribus ſe literis, acriori ingenio, majori induſtria, ſincerioribus oculis ad inſpiciendam divinam mentem acceſſiſſe contenderit: & nemo interim auſus fuerit Auguſtinum, aut Hieronymum nominare, ne riſu excipiatur, ne audiat, Homines fuerunt: nemo concilia, ne reſpondeatur, Errare poſſunt: ſuum quiſque tantummodo ſenſum teſtem appellabit: quia videlicet ille ſolus errare non poteſt. Hic pejerabit illam eſſe germanam interpretationem, quam adhibet: alius ſuam contendet eſſe legitimam. Cumque nullus alius judex adhibeatur præter ipſam ſcripturam, & illa taceat, licet miſere ab illis torqueatur & dilaceretur, quid aliud ex hac pertinaci contentione ſperari poterit, quam ut excandeſcentibus ira & inflammatis animis, mutuis convitiis eorum ora verberentur? Quanta tunc, Deum immortalem, conflictatio? Quantus clamor? Subſelliorum fragor? Quantus animorum æſtus & furor? Quales contumeliæ & opprobria conſequentur? Hic erit extremus actus hujus furioſæ tragœdiæ: hic enim eſſe ſolet diſcordiarum exitus. Quod ſi ulla cataſtrophe erit expectanda, duobus, meo judicio, confectis decretis, hæc Babylonica ſynodus terminabitur: alterum erit, ut eccleſia Romana anathemate juguletur: alterum, ut ſint tot ſenſus, quot capita. Quod enim aliud monſtrum a diſcordia, atque furore gigni poteſt? Numquid perperam vaticinari videor, Fabrici? Neminem ego eſſe arbitror, qui immen-

immenſum illum hæreſum veſtrarum Oceanum, qui errorum procellas, quibus jactamini, perſpexerit, qui non me vera prædicere fateatur.

Quæ cum ita ſint, Montane, cum intelligas nullum alium exitum hujus fabulæ (quam tu concilium appellas) eſſe poſſe præter hunc: qua fronte auſus es Germanos principes ad cogendam ſynodum inducere, & eos ab hoc ſanctiſſimo & œcumenico concilio ad furioſam iſtam conſpirationem traducere? Cum igitur oſtenſum jam ſit, graviſſimas & maxime neceſſarias cauſas celebrandi ſacrum iſtud concilium extitiſſe, illaſque ad vos potiſſimum, quorum gratia coactum eſt, pertinere: cum aperte fuerit a nobis commonſtratum, illas quas tu non veniendi rationes adduxiſti, diverticula quædam & latebras eſſe, quibus clariſſimæ luci tenebras & noctem offundere, Germanis imponere, & deploratæ veſtræ cauſæ prætextum aliquem adhibere voluiſti: qua in palæſtra ſi pudor violatus, ſi modeſtia læſa aliqua in parte a nobis eſt, tua id accidit culpa: qui tam petulanter & immodeſte ſacrum iſtud concilium, & pontificem maximum fueris inſectatus, ut non potueris, nec debueris, moderatius reſponſum expectare: quid, inquam, aliud jam reſtat, niſi ut te per Chriſti crucem & ſanguinem obſecrem, obteſterque, Fabrici, ut memineris te ſacro baptiſmate initiatum, auctoratum Chriſti militem in ejus & eccleſiæ verba, legeſque juraſſe: memineris, te ex illa aqua emergentem piiſſimæ matris eccleſiæ manibus exceptum ſtola innocentiæ candidiſſima exornatum, veluti puriſſimam hoſtiam, Deoque gratiſſimam, conſepultum Chriſti morti, & ejus ſanguine perfuſum, oblatum inter Dei filios, hæredes regni cœleſtis, coheredes Chriſti cooptatum fuiſſe: memineris, te non poſſe Deum, patrem agnoſcere, niſi eccleſiam illius ſponſam matrem agnoveris: recordare, quanto ſtudio & caritate materna, te infantem primo in ejus gremio ludentem aluerit: recordare, te ſanctiſſimis illius præceptis inſtitutum, maximis ab illa beneficiis affectum fuiſſe: memineris, nunc eam a te deſertam, incredibili dolore confectam, te a ſe divulſum, a cœleſti hæreditate deturbatum, ex chariſſimo filio acerrimum hoſtem redditum ingemiſcere. Quod in te illa unquam tantum ſcelus admiſit, ut relictis ejus caſtris, atque vexillis, infeſta, atque infœlicia ſuorum hoſtium ſigna & arma ſequereris? Cur fidem potius perfidis transfugis, quam matri adhibendam cenſes? Cur tibi potius ſalutem tuam, quam illi credis? Peritiſſimi medicorum cum aliquo gravi morbo corripiuntur, ſibi vitam & ſalutem ſuam credere non audent, ſed alios medicos acerſunt: qui licet non ita docti ſint, ſicuti ipſe eſt: quia tamen ſani ſunt, ſana eorum conſilia ſequantur: tu cum ægritudine animi, omnium pernicioſiſſima, labores, te ſolum conſules? Piiſſimæ & ſapientiſſimæ matris medicam manum a tuis vulneribus repelles? Nullus clementior, ſapientior, oculatior, nullus tui amantior medicus ea reperiri poteſt. Majore te, quam tu te ipſum, amore complectitur: non tanto ſtudio tu ipſe proſpicis: non tu quidem majore dolore, neque acerbioribus lacrymis tua vulnera, quam illa proſequitur. Si pietatem requiris, mater eſt: ſi caritatem, ſponſa Chriſti: ſi ſapientiam, Spiritus ſancti diſcipula. Quid amplius in medico requiris? Tuam ne ſalutem, & fœlicitatem, aut miſeriam ſempiternam tibi potius, quam eccleſiæ catholicæ committes? Qui ſi nihil aliud haberes, quam quod perturbato & ſaucio animo ſis, licet eſſes omnium mortalium ſapientiſſimus: tibi nunc ſuſpectus eſſe, & alios conſulere debuiſſes. Sed dices, te ſanum quidem eſſe, & eccleſiam non modo ægram, ſed inſanam. O ſummam cæcitatem, nullum eſt, Fabrici, lethalius animi vulnus, quam vulnus non agnoſcere: & deſperata ſalute cum ſis, te ſanum & incolumem putare. Nullum eſt inter divina ſupplicia gravius & acerbius, quam cum patitur homines in hanc perſuaſionem incidere. Longe eſt ab ſpe ſalutis, cui ipſe morbus ſalus eſſe videtur. Sed prætermittamus jam eccleſiam, concilia, traditiones apoſtolorum; non jam, Fabrici, cauſam iſtam ad ſcripturæ ſacræ, ſed ad Chriſti Jeſu ſupremi judicis tribunal deferamus: diem illum formidabilem, quem effugere non poſſumus, & brevi conſpecturi ſumus, nunc nobis ante oculos proponamus, fingamus ante illius nos aſtare conſpectum: &, ut ipſe confidentius accedas, fingamus etiam eccleſiam Romanam, cujus ego auctoritatem ſuſpicio & fidem amplector, hactenus erraſſe; te vero, qui ab ea ad illius hoſtes defeciſti, vera ſenſiſſe: illumque judicem a nobis hujus noſtri facti, atque inſtituti rationem exigere: ego ſane hanc illi eſſem rediturus, quam non ingratam, immo gratiſſimam ſperarem, & confiderem, eſſe futuram: Tu domine, nos eccleſiæ tuæ ſanctæ obtemperare juſſiſti, & cum aliquando tuos apoſtolos futuros eccleſiæ principes alloquereris. Qui vos audit, dicebas, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit: tu ſponſam tuam dulciſſimam, parentemque noſtram eccleſiam paſtoribus, evangeliſtis, doctoribus, prophetis & rectoribus exornaſti: iis me parere præcepiſti, parui: horum doctrinam amplecti: amplexus ſum: iis credere, credidi: horum ſequi veſtigia, ſecutus ſum: quid ergo? Quia tuis parui mandatis & miniſtris, ſi ipſi falſi ſunt, ego pœnas luam? Numquid me debui illis opponere, quos tu mihi præfeciſti? Qui obedire debui, de tuis legibus & illorum præceptis inſolenter judicarem? Quis mihi veritatem explicaret: ſi concilia fefellerunt? cui meam ſalutem crederem: ſi mater eccleſia meam perniciem meditabatur? Quis mihi lumen præferret, & erranti viam fœlicitatis indicaret: ſi apoſtoli & eccleſiæ paſtores ſanctiſſimi & vetuſtiſſimi, quos tu lumina appellaſti, mihi tenebras offuderunt? Numquid ego illis ſapientior, aut ſanctior eſſe potui, aut debui, ut tuæ voluntatis, tuarumque legum me potius, quam illos, interpretem adhiberem? Nullam tu aliam gratiorem Deo victimam eſſe dixiſti, quam obedientiam: idque tu domine obediens patri, uſque ad mortem crucis acerbiſſimam, tuo exemplo confirmaſti. Recordabar etiam, quantis eos beneficiis affeciſſes, qui divinis præceptis, qui parentibus, qui paſtoribus, miniſtriſque tuis paruiſſent: contra vero graviſſimis ſuppliciis in rebelles & contumaces a te fuiſſe animadverſum: memineram te pœna capitali illum plectendum decreviſſe, qui Dei ſacerdoti non obtemperaſſet; memineram Saulem & regno, & vita ſpoliatum, quod Samueli non paruiſſet: noveram te Danieli inter ſumma Iſraelitici populi flagitia illud commemoraſſe, quod Prophetis, qui divinam voluntatem regibus

Matth. 5.

1. Reg. 15.

Deut. 17.

1. Reg. 15.

Dan. 9.

& po-

& populo interpretantur, credere noluiſſet. Iis ergo commotus & exemplis & legibus tuis, malui cum apoſtolis, cum paſtoribus, conciliis, cum eccleſia tua ſancta errare (ſi modo obedientia error appellanda eſt) quam mecum, aut cum aliis vera ſentire. Quid enim aliud facere debui? Illis ne fidem non adhiberem, quorum tu me fidei credidiſti? Mihi ſoli crederem, & illos contemnerem? Qui etiam ſi vera, ceteris deceptis, ſentirem, arrogantiæ tamen, atque ſuperbiæ crimen, quo nullum eſt deteſtabilius, effugere non poſſem. Si eccleſiæ tuæ ſanctæ obtemperaſſe, ſi illi credidiſſe flagitium eſt, me reum hujus criminis agnoſco. Si qui credunt eccleſiæ, damnantur: qui non credunt, præmiis afficiuntur: cur nos illi parere juſſiſti?

Cur eos, quos crudeliſſimo mortis genere, & effuſo innocentiſſimo tuo ſanguine, æterno patri conciliaſti, in tantas anguſtias conjeciſti: ut ſi obedierint eccleſiæ, condemnentur: ut ſi non obtemperaverint, tibi infenſi & inimici reddantur? Cur pateris, eos in tanto diſcrimine & errore verſari? Quod me ſupplicem & obſequentem eccleſiæ, ſanctiſque conciliis præbuerim, dignum æterno ſupplicio judicabis? Qui obedientiæ præmium ampliſſimum ſperabam, acerbiſſimam pœnam ſuſtinebo? Quæ ſpes ſalutis miſeris & calamitoſis illis hominibus reliqua eſſe poteſt, qui nihil aliud unquam audierunt, neque didicerunt, niſi quod eccleſia juſſiſſet: ſi qui illi credunt, pœnis ſempiternis adjudicantur? Quod ſi eam ob cauſam, quod obediens eccleſiæ fuerim, cenſes eſſe damnandum: non invitus ſupplicium iſtud ſuſtinebo, ne tibi unquam inobediens fuiſſe videar. Non arbitror, Fabrici, honeſtam hanc meam defenſionem, etiam ſi errantem eccleſiam & concilia ſecutus fuiſſem, judicem illum æquiſſimum, cui nullum eſt ſacrificium obedientia jucundius, repudiaturum eſſe. Tu vero iis, meo judicio, verbis tuam cauſam ages: quę quidem ego ex hac tua oratione colligam, ne illa a me conficta fuiſſe queri poſſis. Ego, domine, cum lumen evangelii tui papiſtarum improbitate extinctum eſſe animadverterem: cum viderem concilia ſæpe turpiter erraſſe: mutuis ſe decretis confeciſſe: in ſatanæ nonnumquam ſynagogas cecidiſſe: tuam eccleſiam a veteri tua diſciplina fœde degeneraſſe: iſtoſque pontifices (in Siricium nempe, Gelaſium, Leonem, Innocentium, Gregorium & alios digitum intendens) frequentiſſime fuiſſe deceptos: eaque præcepiſſe, quæ tuis legibus erant adverſa: reliquos vero Romanos antichriſtos, juratos eccleſiæ hoſtes, religioniſque proditores nihil unquam boni feciſſe, neque deinde facturos fuiſſe: iſtoſque doctores, Hieronymum, Auguſtinum, Baſilium, Chryſoſtomum & alios, utpote homines, in ſcripturarum interpretatione ſæpiſſime hallucinatos, cum per tantas eccleſiæ, conciliorum, pontificum, doctorumque tenebras, lucem ipſam evangelicam Helias ille ſecundus, Lutherus (quem miror hic non adeſſe) curioſis oculis inſpexiſſet, ne te deſererem, qui veritas es, qui Deum potius, quam homines audiendos eſſe dixiſti, illius doctrinam, qui mihi Deus quidam eſſe videbatur, complexus ſum: & cum pati potius debeamus ſcandalum naſci, quam ut veritas deſeratur, ego, cui in tam ſupina, tamque diutina tot ſæculorum ignoratione lux iſta evangeliſtæ veritatis affulſit, non modo paſſus ſum oriri ſcandala: ſed concilia & pontifices, tanquam veritatis hoſtes, contumeliis & opprobriis, ut par erat, exagitavi: traditiones illas, aut potius nugas tuorum apoſtolorum neglexi: humana omnia decreta repudiavi, & deceptam ab illis imperitam multitudinem, ſolis evangelicis verbis erudivi: eccleſiam ſcindi, & cruentari antiquam potius religionem, quam evangelicam veritatem interire paſſus ſum. Eccleſiæ nos parere juſſiſti, ſed non ejus erroribus: conciliis, ſed non falſa docentibus: apoſtolis & doctoribus, ſed non a tuis verbis declinantibus. Quorum errores cum ego manifeſte deprehendiſſem, mihi ſoli potius vera ſentienti, quam illis omnibus mentientibus credendum putavi. Qui ergo me pro veritate illorum erroribus conſtanter oppoſui, eamque ab illorum injuriis vindicavi, & in libertatem aſſerui, immortalitatis præmium illis cultoribus promiſſum & mihi jure debitum non obtinebo?

Putaſne, Fabrici, hanc illi defenſionem gratam eſſe futuram, cui nihil eſt inviſum magis inſolentia, nihil humilitate gratius?

Redi igitur, ad te Montane diei hujus acerbiſſimi, & maxime pertimeſcendi frequens ſubeat tuum animum cogitatio: reſipiſce tandem, & piiſſimam matrem eccleſiam, veritatis columnam & firmamentum agnoſce: diſcute hanc odii nebulam & furoris tuæ mentis oculis offuſam: & veritatis ſplendidiſſimam lucem in eccleſia, atque conciliis potiſſimum ſplendentem intuere: contumacem omnem arrogantiam Deo inviſam, & veritati infeſtam depone: & Chriſti in cruce pendentis humilitatem & obedientiam aſpice & imitare: conſidera tecum ipſe, & expende in tantis tempeſtatibus ſeditionum, & hæreſum procellis, quibus fluctuant veſtra gymnaſia, in illis errorum fluctibus, in illo diſcordiarum & vertiginis ſpiritu, quo, vobis auctoribus, Germania jactatur, neque Deum, neque veritatem poſſe reperiri. Neque enim in commotione dominus, ut dicebat angelus Heliæ, ſed in Spiritu auræ tenuis, neque in illo vento doctrinæ, quo leves & inconſtantes homines circumferuntur, veritas unquam evangelica reperta eſt. Quod ſi ubi duo Chriſti nomine congregantur, ibi Chriſtus eſt. Dic mihi, obſecro, qua ratione ubi duo miniſtri non modo Chriſti nomine non conveniunt, ſed neque ſatanæ nomine in eamdem hæreſim conſpirant, Chriſtus aderit? Ubi vero ille non eſt, veritas eſſe non poteſt. Nam quum veritas inimica diſcordiarum, amica pacis, & otii ſit, neceſſe eſt, vos, qui jucundiſſimam pacem tota Germania, expuliſtis, ſimul etiam cum illa exterminaſſe veritatem: ut merito veritatis & pacis hoſtes judicemini. Memineris perturbatores pacis Chriſti diſcipulos non eſſe, qui pacem, morti proximus, apoſtolis ſuis teſtamento legaverit: qui eam omnibus, qui vere Chriſtiani ſunt & appellantur, hæreditario jure reliquerit: qui illam in ore ſemper geſſit, & vivens, moriens, atque reſurgens impenſe nobis commendavit. Veni in concilium, quod unius eſſe poteſt auctor recuperandæ pacis, & murus firmiſſimus tuendæ publicæ tranquillitatis: revertere ad eccleſiæ ſinum, unde cum ingenti illius dolore, & magno tuo malo divulſus es: redi in illius gratiam, quam de te optime meritam ingratiſſime deſeruiſti: miſerere ſi non afflictæ & calamitoſæ matris, quæ lugubris & lacrymabunda, filiorum ſuorum a vobis trucidatorum ſanguine perfuſa, ſupplices

Montanus quibus verbis ſuam cauſam agat.

3. Reg. 19.

ad

ad ſponſum duciſſimum tendit quotidie manus, & ab illo ſuorum ſimul atque veſtrorum vulnerum medelam efflagitat: miſerere ſi non ejus, quæ ſuorum malorum oblita, veſtrorum dolore confecta pro ſalute veſtra preces & lacrymas fundit: miſerere ſi non ruentis & prope jam everſæ religionis, ſi non tot animorum æterna morte, veſtra culpa pereuntium, ſi non tot Chriſtianorum, qui paſſim crudeliſſime trucidantur, quorum effuſus ſanguis divinas aures crebris pulſat clamoribus: tui ſaltem ipſius, Fabrici, miſerere, quem pro deſerta religione, pro pace violata, pro ſciſſa, atque dilacerata tunica Chriſti, pro hoc denique extremo maximoque flagitio, quod hac impia oratione tua in ſacrum iſtud œcumenicum concilium admiſiſti, horrendum Dei judicium, indignatio divina, & acerbiſſimum, idemque ſempiternum ſupplicium expectat. Sed vos ego jam ad extremum appello ſacri Romani imperii electores, principeſque Germaniæ clariſſimi, qui in tuenda Chriſtiana religione principem ſemper locum & auctoritatem tenuiſtis: qui ab eccleſia Romana magnis, & immortalibus beneficiis exornati, pro tantis in vos illius meritis, nunc illis & diſciplinam, & patrocinium deſerere, & veſanis quibuſdam, atque tragico illo Oreſte dementioribus miniſtris potius, quam ſanctiſſimæ, & ſapientiſſimæ matri, & de vobis optime meritæ credere voluiſtis. Multa quidem ego nunc ad elevandam iſtorum miniſtrorum auctoritatem, quam magnam apud vos adepti ſunt, afferre potuiſſem: quibus ſi patientes aures adhiberetis, non dubito, quin illorum doctrina & auctoritas ſuſpecta vobis & inviſa redderetur. Poſſem vobis ſectas innumerabiles proferre, quibus ſciſſa eſt & diſſipata Germania: quæ apertiſſime teſtantur & clamant, & oculatis hominibus palam & aperte videntur indicare, ubi tot ſint diſſidia, veritatem evangelicam, & veram Chriſti religionem eſſe non poſſe. Poſſem illorum libros in medium producere, in quibus, qui ſe evangelicos profitentur, tanto ſtomacho, tanta rabie & furore loquuntur, ut ne dæmones quidem, ne dum Chriſtiani ita unquam locuti fuiſſe videantur. Poſſem oſtendere, quam ſit indignum Germanica ſapientia & nobilitate perpeti vos tot tyrannides quot hæreſes, tot tyrannos quot miniſtros veſtris animis dominari: qua quidem ego indignitate ſoleo mirari vehementer excelſam illam, vereque regiam virtutem veſtram, iſtarum Syrenum cantibus jam diu conſopitam, excitatam aliquando non fuiſſe, & turpiſſimum iſtud tot hæreſum & hæreticorum dominatum a veſtris cervicibus non repuliſſe. Poſſem illorum fraudes, atque fallacias detegere, quibus efficere conati ſunt, ut venenum iſtud mortiferum blandius in veſtros animos irreperet. Libertatem etenim carnis, veluti fucatam quandam, petulantemque meretricem, & blandam conciliatricem, veſtris oculis & ſenſibus objecerunt, quæ ſuis lenociniis veſtræ aſſentaretur imbecillitati, & perſuaderet poſt Chriſti mortem licere quidem vobis eſſe Sardanapalos: quæ totum illud moleſtum pœnarum, & ærumnarum pondus a veſtris delicatis humeris in Chriſti ſervatoris noſtri humeros transferret: quæ ſeverioris illius diſciplinæ, quam a majoribus accepimus, nervos omnes elideret: quæ, neglecta illa aſpera & acclivi virgultis & tribulis impedita virtutis ſemita, per amplam & ſpacioſam voluptatum & deliciarum viam liberum & jucundum excurſum pollicereturr quæ jejunia, nuditatem, abſtinentiam, verbera, & omnem illam caſtigationem, qua petulantis carnis impetus frenantur, condemnaret: quæ lacrymas illas dolore peccatorum expreſſas, quibus ira Dei placari ſolet, impias eſſe doceret: quæ denique omnia pietatis opera ſacrilegam ſimulationem eſſe diceret. O cæcam improbitatem, o impudentem & nefariam hominum perverſitatem! Chriſtus innocentiſſimus, ut illam corporis gloriam conſequeretur, acerbiſſima ſubiit tormentorum genera: *hæc enim* (inquit Lucas) *oportuit Chriſtum pati, atque ita intrare in gloriam ſuam*: & ego peccatis & ſceleribus coopertus æterna corporis & animi beatitudine fruar? ille verberibus cæſus, clavis crucifixus, luxatis membris, ſpinis, ferro, & opprobriis acerbiſſime vulneratus, tinctus ſuo innocentiſſimo ſanguine ad patrem aſcendit: & ego illitus & perfuſus voluptatum turpiſſimo cœno in conſortium angelorum evolabo? quod ille tantis laboribus eſt adeptus, ego nullo conſequar negotio? Clamat Chriſtus: *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Quibus verbis non rebus fluxis, atque caducis deliciis, voluptatibus & noſtræ voluntati renunciare præcipit, & ſublata cruce, hoc eſt, laboribus & injuriis patienter exemplo ſuo toleratis illius vitam voluit imitari: & nos illorum improbiſſimis conſiliis acquieſcemus, qui nos a tam apertis Chriſti verbis ad deliciosam vitam & inanem quandam confidentiam traducere conantur? Chriſtus Jeſus digito nobis viam commonſtrat, quam ille tinctam ſuo ſanguine reliquit, per quam ingredi deberent illi, qui ejus veſtigia ſequerentur. *Chriſtus* etenim (ut inquit princeps apoſtolorum Petrus) *paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus*: & ego iſtorum hominum veſtigiis inhærebo, qui nos molliſſimis greſſibus blandæ libertatis præcipites agunt in vitia, & in æternæ miſeriæ barathrum devolvunt? Poſſem iſtorum, qui ſe evangelicos jactant, immanem crudelitatem referre, qui ſi vere eſſent evangelici, veri evangeliſtæ Chriſti manſuetiſſima præcepta ſequerentur, qui evangelium non armis obtrudi repugnantibus, ſed obedientibus & pacificis modeſte voluit promulgari: illi vero non tam de promulgando iſto ſuo evangelio, quam de conciliandis ſibi principum animis, de obtinendis illorum armis ſoliciti ſunt: quibus hanc novam tyrannidem tueantur, & noſtrorum ſanguine ſaturentur. O conditionem noſtrorum temporum miſeram, & calamitoſam. Chriſtus injurias accipiendo, atque ferendo, ſuas hominibus leges promulgavit: ii vero inferendo, non injurias modo, ſed cædes atrociſſimas, ſuos errores Chriſtianorum animis cupiunt inſerere. Ille acerbiſſima morte & innocentiſſimo ſuo ſanguine evangelium conſignabat: ii vero ſuum evangelium alieno interitu & cruore conſignare cupiunt. Hoccine eſt eſſe aſſertores Chriſtianæ religionis, & non potius hoſtes capitales? Poſſem objicere veſtris oculis hanc miſeram eccleſiæ faciem, iſtorum miniſtrorum erroribus, & crudelitate deformatam, atque dehoneſtatam. Poſſem Germaniæ ruinas, Angliam Chriſtianorum ſanguine redundantem, recentia nunc Flandriæ vulnera & incendia, Galliæ inteſtina & crudeliſſima bella, reliquarum provinciarum acerbiſſimas plagas explicare: quæ quidem cum a veſtris miniſtris inflictæ ſint, apertiſſime teſtantur, quam ſit eorum evangelium Chriſti evangelio

Luc. 24.

Luc. 9.

1. Petr. 2.

gelio consentaneum : cum hoc pacem, vitam, modestiam, mansuetudinem : illud vero bellum, mortem, furias, cædes, & flammas in orbem Christianum intulerit. Possem vobis antiquos illos sanctissimos viros & principes Germaniæ clarissimos commemorare, quorum alii sapientia & sanctitate vitæ ecclesiam Romanam illustrarunt, alii incredibili animi virtute, potentia & victricibus armis ab hostium iliam injuriis vindicaverunt : qui si modo reviviscerent, iis vos plane verbis increparent. Quid agitis filii? Quo ruitis? Quis vos ab ecclesia, cujus nos præcepta secuti sumus, abduxit? Quis a nostris institutis & præceptis abstraxit? An ideo hæc a nobis arma & principatum accepistis, ut quibus nos armis ecclesiam defendimus, vos eam oppugnaretis? Ideo templa nos ereximus, ut a vobis everterentur? Illa exornavimus, ut vos expoliaretis? Ideo pacatam & tranquillam religionem vobis reliquimus, ut illam a perditis hominibus turbari, sursum atque deorsum ferri pateremini? Nos ecclesiam sacrosanctam Romanam religionis nostræ parentem, de Germania benemeritam, nostræ fidei commissam, coluimus, honoravimus, tutati sumus: & vos illam patriæ & avitæ virtutis obliti, injuriis & armis insequimini? Nunquid nobis aut mens, aut consilium, aut pietas defuit: ut a nobis degenerare gloriosum judicetis? Sic illos majores vestros clarissimos viros vobiscum agere & loqui credite, quorum vos nec auctoritate frangi, nec pietate moveri, nec oratione leniri indignum est. Sed illud est longe indignius, quorumdam vos potius ministrorum improbis persuasionibus, quam domesticis & gloriosissimis majorum vestrorum exemplis commoveri. Quod quam æquum, quam honorificum vobis sit, vos ipsi judicate. Nec enim ego illum arbitror vere esse Germanum, qui sic a pristina illa & robusta virtute antiquorum Germanorum desciverit, ut sic blandis Epicureorum quorumdam assentationibus flecti, vincique patiatur: & illorum auctoritatem, totius ecclesiæ catholicæ auctoritati putes esse anteferendam. Verba aurea Vincentii Lirinensis. Ille, inquit Vincentius Lirinensis, est verus germanus catholicus, qui veritatem Dei, qui ecclesiam, qui Christi corpus diligit: qui divinæ religioni, qui ecclesiæ Dei nihil præponit; non hominis cujuspiam auctoritatem, non amorem, non ingenium, non eloquentiam, non philosophiam : sed hæc cuncta despiciens, & in fide fixus, stabilis permanens, quidquid universaliter antiquitus ecclesiam catholicam tenuisse cognoverit, id solum sibi tenendum, credendumque decernit : quidquid vero ab aliquo deinceps præter omnes, vel contra omnes sanctos, novum & inauditum subinduci senserit, id non ad religionem, sed ad tentationem potius intelligat pertinere. Quibus quidem verbis Vincentius effigiem & simulacrum nostrorum temporum expressisse, & vos admonuisse videtur.

Possem vobis iram divinam, comminationes prophetarum, & miserrimas strages populorum eorum, qui Christianam religionem violarunt, commemorare. Possem Asiæ, Africæque provincias, oppida, civitates, ob desertam ecclesiasticam disciplinam dirutas, eversas, & immanissimarum gentium objectas crudelitati.

Possem Græciam beatam quondam, atque florentem provinciam, nunc vero spoliatam omni dignitate, & splendore, quæ simul cum puritate religionis, amplissimum quoque imperium amisit, vestris oculis offerre. Quæ quidem cum testes sint locupletissimi animadversionis divinæ, similem Germanis exitum exemplo suo comminantur. Etenim violatæ religionis, misera servitus solet esse supplicium. Plenæ sunt exemplorum scripturæ sanctæ, quæ vobis nunc magnum debuissent terrorem incutere, ut quamvis erecto & excelso animo sitis, illum tamen, in cujus manus incidere horrendum est, reformidare debeatis. Est enim magnanimi viri, & ejus, qui nihil timeat, Deum timere: qui sæpe fortes ab imbecillis, potentes ab infirmis, armatos ab inermibus vinci, & in servitutem redigi patiatur. Quod quidem nunc vobis, viri Germani, vehementer pertimescendum est.

Nolo itaque hæc omnia & alia quamplurima, quæ magna & gravissima sunt, quæ vestrum hunc ab ecclesia discessum vobis exprobrant, quæ vos ab his ministris delusos esse testantur, recensere : illud solum vos obsecro, & obtestor, clarissimi viri, ut in memoriam revocetis illa duo, vobis ab ecclesia collata amplissima beneficia, quibus nulla ampliora ab hominibus sperari, nulla majora hominibus conferri possunt. Beneficia Germanis collata a Romanis pontificibus.

Christi etenim religionem, & sacros Romani imperii fasces, quibus nihil habet magnificentius terrarum orbis, ab ecclesiæ Romanæ, & summorum pontificum manibus accepistis. Deinde illud etiam vos oro, ut in afflictam, sauciam, calamitosam, & lacrymantem matrem ecclesiam convertatis oculos: &, si in excelsis, liberalibus & gratis animis ullam habet vim acceptorum beneficiorum memoria & recordatio, ærumnosæ & de vobis tam benemeritæ matris, misereamini. Etenim Germaniam delusæ, atque perditæ gentilitatis cæcis erroribus occupatam Romani pontifices, effuso in eam evangelicæ lucis splendore, ad veri Dei & Christi filii ejus cognitionem adduxerunt. Nam, ut interim Martialem, Savinianum, Potentianum, & Altinum beatissimi Petri apostoli, primi Christi vicarii, & pontificis Romani discipulos prætermittamus, qui ab eo in Transalpinam missi regionem, Gallias & inferiorem Germaniæ partem evangelico lumine illustrarunt, & Chilianum etiam missum a Conone summo pontifice, qui Christi nomen & leges in Germaniam inferret, sanctissimus Gregorius secundus Germaniam idola adhuc venerantem, ante illas dæmonum statuas prostratam, atque jacentem, misso Bonifacio monacho sanctissimo, atque doctissimo viro, ad aspiciendam evangelicam lucem erexit, & magnam Germanorum multitudinem Romam venientem benignissime exceptam suis manibus, vir ille religiosissimus, & gloriosissimus sacro baptismate initiavit : Saxones vero idolorum etiam cultores, Hadrianus primus Caroli Magni invictissimi Gallorum regis præsidio a simulacris ad verum Dei cultum abstraxit : quos antea Sergius primus ad eum amplectendum fama virtutis, & sanctitatis excitaverat: Leo tertius, Ansgarii abbatis & beati Sigfridi opera & industria, prolapsam iterum in idem crimen Germaniam, & denuo ad idolorum genua procumbentem sublevavit, & ereptam ex impia illa dæmonis tyrannide in libertatem asseruit. Quod quantum fuerit beneficium, vobis expendendum relinquo. Neque enim quidpiam esse potest invisius Deo, aut contumeliosius, quam sibi debitum honorem simulacris Gallorum & Germanorum primi apostoli.

mulacris deferre: neque beatius quidpiam homi- A
nibus, dum in terris versantur, accidere, quam
verum Deum nosse, atque illum pure & caste
venerari. Neque vero solum hoc tantum bonum,
quod ad animorum vestrorum salutem pertine-
bat, ecclesiæ Romanæ acceptum referre debetis:
sed illud etiam Romani imperii sceptrum, quo
Germania ceteris totius orbis nationibus clarior,
& illustrior reddita est. Etenim jus illud creandi
imperatorem Romanum, Gregorius quintus trans-
tulit a Francis ad Germanos, ut quorum fidem,
pietatem, religionem in ecclesiam & pontifices
Romanos, studium & operam in maximis diffi-
cultatibus, & difficillimis temporibus fuerat ex-
pertus, eorum fidei, atque potentiæ committe-
ret ecclesiæ patrocinium, ut eam ab omnium B
hostium, tyrannorum, inquam, & hæreticorum insidiis vindicarent. Sed nunc jam, proh dolor! cogitur externa quærere auxilia, ut dignitatem suam contra illorum injurias tueatur, quos sibi patronos & defensores adoptaverat: cogitur plagas mortiferas & insanabiles perferre ab illis impositas, quos ipsa lethalibus animi vulneribus liberaverat: cogitur suismet armis, quæ vestris manibus ad suæ salutis defensionem commisit, excipere toto corpore vulnera acerbissima: &, quod est miserabilius, cogitur videre vos carissimos suos filios eisdem gladiis & flammis, quibus illius fortunas incenditis, & corpus vulneratis, acerbiores plagas, & majora incendia vestris animis inferre. O miserum, at- C
que funestum, & matri præsertim luctuosum spectaculum! Et tamen cum sæpe ob alia longe minora crimina jus creandi imperatorem aliis nationibus abstulerit, & ipsos etiam imperatores ab imperii sede deturbaverit, nunc in tanta animi & vulnerum suorum acerbitate maluit in suis injuriis connivere, quam aliquid in vos decernere severius. Non modo electores, sed, quod majus est, potentissimos ipsos, ingratos tamen, imperatores, & qui in illo honore imperii Romani ad ecclesiæ dedecus & Christi contumeliam abutebantur, pontifices Romani anathemate sæpe ferierunt, & imperii dignitate privaverunt.

Etenim Gregorius septimus Henricum ter- D
tium percussum primum anathemate, imperii deinde honore mulctavit, quod improbis factis ecclesiæ pacem perturbaret: ille vero ad se reversus cum sui eum erroris, atque scelerum pœnituisset, & nudis pedibus per nivem & glaciem incedens, supplex ad Gregorii pedes venire decrevisset, tribus tamen diebus pontificis janua prohibitus, tandem ad Canosii oppidi portas in agro Rhegiensi, sui erroris veniam impetravit. Alexander tertius Fredericum primum ob schisma excitatum in ecclesia Venetiis ad publicam pœnitentiam adegit. Innocentius tertius Othonem quartum imperio dejecit, quod fidem ecclesiæ datam prodidisset, & jusjurandum violasset. E

Jam vero Fredericum secundum, summis beneficiis ab ecclesia Romana exornatum, cujus pater Henricus quintus Siciliæ regnum a Cœlestino tertio. & imperium acceperat, ab Innocentio tertio benigne & amanter educatum, & ab Honorio tertio in supremum imperii fastigium evectum, ingratum postea summis pontificibus, a quibus fuerat ornatus, & ecclesiam hostibus armis persequentem, ab Honorio anathemate percussum, Innocentius quartus Siciliæ, Apuliæque regnis primum spoliatum, imperio demum exauctoravit. Severa tunc animadversione imperatorum insolentiam comprimebat ecclesia, & non solum in illos excommunicationis fulmina vibrabat, sed abdicabat imperio: & quemadmodum sceptrum imperatoribus iniquis, sic etiam jus creandi imperatores nationibus auferebat. Nunc vero in majoribus suis injuriis, incredibili usa misericordia, neque illum quidem spiritualem gladium in imperii electores, auctores tantorum malorum, eduxit, quo a suis altaribus & Christianorum consortio suos hostes arcere consuevit: quia Germaniæ principes resipiscentes, & ad se redeuntes se visuram, & complexuram sperat. Hac alitur & sustentatur spe, quam sibi de virtute vestra pollicetur, quæ erga vestræ salutis auctores gratos & acceptorum beneficiorum memores efficiet. Tum vero & Ferdinandi Cæsaris clarissimi & religiosissimi imperatoris pietas incredibilis vestros animos ad sui imitationem incitabit: nec enim est æquum, eos ab imperatoris religione dissidere, qui non alio nomine, quam tuendæ religionis gratia jus istud acceperunt, & monstri jam simile videatur, imperatorem acerrimum esse patronum ecclesiæ Romanæ, nonnullos vero electores, ejus hostes implacabiles.

Imperii translatio.

Leo tertius ob imminentes ecclesiæ calamitates, & urbem hostium incursionibus objectam, & armis vexatam, & oppressam, cum imperatores Constantinopolitani, opportune jam tantis illius malis subvenire, alioqui ipsi hostibus circumventi, nec molem tantam imperii, nec potentissimorum adversariorum impetum possent sustinere, nullo illorum crimine, sed quia id Christianæ reipublicæ ratio postulabat, imperium a Græcia transtulit in Galliam: & Carolum Gallorum regem religiosissimum, & clarissimum virum imperatorem creavit. Cum ergo pontifices Romani a Græcia in Galliam, a Gallia in Germaniam pro temporum & periculorum ratione fasces imperii transtulerint: cum plures imperatores ob excitatos in Christiana republica tumultus & seditiones ab imperii fastigio sæpe deturbaverint, & alio in eorum locum suffecerint, quia indignum putabant, eos sceptrum imperii tenere, qui cum religionis propugnacula, conservatores pacis, & ecclesiæ patroni esse debuissent, illius tranquillitatem ambitione, cupiditate, & studio propagandi imperii, perturbarent: nunc etiam si videt has funestas flammas, quæ universas pene Christianas provincias misere populantur in Germania exortas, atque inde profectas in ceteras nationes irrepsisse: etsi videat vos, qui eas quamprimum extinguere deberetis, non modo non compressisse, sed fovisse, & illarum excitatores vestris armis protexisse: noluit tamen piissima mater, eam, quam in alios, in vos exercere severitatem: noluit vos hactenus aut spoliare dignitate, aut hostes censere: noluit supplicio vestro & ignominia suo mederi dolori, sed summa patientia (ne desperare de salute vestra videretur) in maximis suis injuriis voluit connivere. Itaque ii omnes pontifices Romani, Leo, Hadrianus, Clemens, Paulus, Julius, Marcellus, Paulus, & nunc demum Pius quartus sibi, & ecclesiæ a Germanis illatas injurias æquo animo toleraverunt: & quo majoribus opprobriis, & contumeliis affecti sunt, eo majore misericordia commoti, non acerba illa medicamina, quibus in curandis iis morbis ecclesia hactenus usa est, exulceratis

ceratis illorum vulneribus adhibuerunt, sed incredibili clementia omnia alia remediorum genera experti sunt: non severitate, sed indulgentia usi; non tam deterrere, quam allicere; non tam urere & resecare membra, quam fovere voluerunt: non hostes declararunt, non jus imperii abstulerunt, sed literis amoris & benevolentiæ plenissimis, ad componendam pacem provocarunt: legatos sæpe miserunt, ad concilia vocarunt, omnia tentarunt, omnia experti sunt, ne potius tanquam cum obstinatis hostibus, quam cum filiis errore aliquo lapsis agere viderentur. Quia futurum sperabant, ut Germania excitata aliquando tantorum beneficiorum recordatione, sese erigeret, durum istud & multiplex jugum hæreticorum excuteret, & illam pacem amaret, quæ in ea versatur ecclesia, in qua una fides, & unus spiritus, non in qua tot fides, quot ministri, reperiantur.

Quæ cum ita sint, cum vos, clarissimi Germani, ecclesia Romana a deorum simulacris abstractos, ad unius, verique Dei cultum adduxerit, dæmonis mancipia Christiana libertate donaverit, omnia vobis consequendæ æternæ felicitatis præsidia contulerit, & ornamenta amplissimæ dignitatis: cum nullum beneficii genus prætermiserit, quod ad vos præter ceteras nationes exornandos pertineret: &, quod est illustrius, suæ in vos voluntatis & beneficentiæ, & vestri in illam parum grati animi argumentum: cum ab iis, quos majoribus sibi beneficiis devinxerat, se crudelius vulnerari sentiret: non de vindicta, sed de remedio vulnerum vestrorum cogitavit; vobis iratis & armatis non se illa armis opposuit, sed lacrimis; & quorum manibus dilacerabatur, illorum misericordiam & auxilium implorabat.

Quid ergo? tam crudeli in illam vos animo nunc eritis, tam inhumano, tam immemori acceptorum beneficiorum, ut illius neque calamitatibus, nec lacrymis moveamini? In tam benesicam matrem non ingrati modo, sed impii reperiemini? Vestris genibus provolutam & obsecrantem, ut concilio Tridentino adesse velitis, ut ministros venire cogatis, ut sanandæ religionis & componendæ pacis rationes arbitrio tantæ synodi permittatis, superbe contemnetis? illam ante vos prostratam, sua vulnera explicantem, beneficia, quæ vobis contulit, commemorantem, amplexantem vestra genua, & ab illo cursu, quo in ejus perniciem ruitis, retinere cupientem, insolenter & inhumane a vestris genibus repelletis?

Ira inflammati & ardentes homines, cum supplices ad se venientes suos intuentur, non solum illis parcere, sed misereri, sublevare, & beneficiis prosequi solent: vos matrem tam piam, tam bene de vobis meritam, supplicem & collacrymantem majore crudelitate vexabitis? nonne oportuit jam illius vos miseriis saturatos & expletos esse? frustrane vos illa aspectabit? vos intuebitur? vestram fidem implorabit? jacentem, afflictam, supplicantem, non modo non sublevabitis, sed affligetis amplius & opprimetis?

O miseræ matris infelicia beneficia apud Germanos collocata! o curam illam, atque custodiam animorum vestrorum infaustam & luctuosam! quæ exitum tam miserabilem sortita est, ut qui ab illa immortalibus bonis fuerant exornati, crudeliores in illam hostes reperiantur; qui laboranti subvenire debuissent, illi potissimum excidium, atque vastitatem intentent; quos oportebat suarum calamitatum dolore frangi, ii nunc luctuosas illius exequias læti & alacres prosequantur. Itaque non tam illi suorum templorum excisio, non bonorum direptio, non sacrorum depopulatio, non tam filiorum cædes, quam hæc tanta indignitas misera & acerba est; non tam illa suas ruinas, quam interitum vestrorum animorum luget; non tam stragem suarum fortunarum, quam illam victoriam, quam de vobis reportat hostis, vestræ salutis & suæ dignitatis, lamentatur. Quod vos a se abstractos videat, quod suis beneficiis ingratos experiatur, hoc illius animum vehementer excruciat, hoc illam suspirare, gemere, lacrymas effundere, & exclamare facit cum sponso. Audite cœli, auribus percipe terra: filios educavi & exevi: ipsi autem spreverunt me. Quos ab idolis dæmoniorum abstraxi, ad hæresum nunc idola revertuntur; quos in libertatem asserui, iterum miseræ servituti mancipantur; quos eripui ab æterna morte, vix nunc ipsi materno sanguine satiantur; quos ornavi, me crudeliter spoliant; quos imperii Romani fascibus illustres feci, i, si me omni dignitate orbare conantur; quos mihi putabam unicum esse perfugium, extremum moliuntur exitium. Cujus jam fidem implorabo, si filii carissimi fidem prodiderunt? ad quem confugiam, si ab illis ejicior? quo me recipiam, si ab illis expellor? quis miseræ opitulabitur, si illi oppugnant? Tu domine Jesu Christe, spes unica, solatiumque miseriarum mearum, qui me sanguine tuo abluisti & decoraiti: qui te nunquam meis rebus, saluti, atque dignitati defuturum promisisti; qui tam sapiens es, ut noveris; tam potens, ut valeas; tam bonus & misericors, ut velis sponsæ afflictæ & laboranti subvenire: tu inquam, dulcissime Jesu, qui solus potes, ecclesiæ tuæ miserere. *Isaiæ 2.*

Tam duri, atque ferrei eritis, viri Germani, ut hic acerbissimus dolor & querelæ justissimæ, calamitosæ matris non molliant animos vestros? videte per Deum immortalem, ne his ecclesiæ lacrymis, & gemitibus Deus aliquando commotus, excitatus & incensus ira, ad sumendum de vobis supplicium convertatur. Cavete ne istam puniendi tarditatem, collecta majore indignatione, supplicii gravitate compenset: & qui soleat in maximis hominum sceleribus diutius connivere, iræ thesauros diuturnitate temporis, scelerum magnitudine collectos, in vestram aliquando perniciem effundat. Ecclesiam catholicam magnis ad se clamoribus vos evocantem audite. Sacrum istud & œcumenicum concilium Tridentinum, quod vestros ministros tam amanter accersit, & publica fide illorum securitati prospexit, quod solum tantis malis mederi potest, unicum arbitrum & judicem agnoscite. Existimate hanc Dei & ecclesiæ extremam vocem jam esse, vos admonentem & adhortantem, ut resipiscatis: ut hos ministros tantorum malorum, & discordiarum auctores ad concilium venire cogatis, ut pax illa Christiani populi, iis discordiis sepulta, revivisçat, & ecclesiæ dignitas emergat ex iis fluctibus domesticarum seditionum: ne, si hoc tantum, tam frequens, tam necessarium concilium negligatis, dissidia & æternum bellum voluisse videamini. Si doctrinæ vulnera sanare cupitis, adsunt medici peritissimi: si abusus delere, novam ecclesiæ faciem inferre, & collapsum Christi templum reficere, adsunt architecti clarissimi, quorum opera templi ruina, & ecclesiæ vultus reficiantur. Ne patiamini

mini hanc occasionem divinitus oblatam, e manibus excidere; qua sublata, quid futurum putatis? nisi ut, cum nulla sit jam doctrinæ Christianæ pars, quæ non vulnus aliquod a vestris ministris acceperit, cum omnes reip. Christianæ partes convulsæ & labefactatæ sint, brevi universam Germaniam novis quotidie nascentibus erroribus dissipatam, bustum quoddam religionis, & legum divinarum, exemplum denique severitatis divinæ redditam conspiciatis? ut clarissima provincia, sicut ille dixit, quæ erat antea casta & incorruptæ sacrarium veritatis, impium, ac turpium errorum lupanar fœdissimum efficiatur? Intestinis odiis ardere videtis jam eos, quos Christus mutua caritate voluit ardere; bellis domesticis conflagrare, quos placidissima pace Christus gaudere, & illam potissimum suos discipulos colere, & complecti voluit: quasi parum sit Turcarum armis ecclesiam affligi atque vastari. Omnia denique perturbata, excisa, & prope jam eversa videtis. Mysticum hoc Christi Opt. Max. corpus dissipatum, pulcherrimum istud ædificium ecclesiæ, quod Christi sanguine coagmentatum est, hiscere jam, atque dissolvi cruore nostro intuemini. Unica est illud restaurandi, atque reficiendi via, pax & concordia Christianorum. Noluit quondam Deus, nisi composita primum pace, sibi templum consecrari: Itaque post domitas multas gentes atque nationes, cum nullus audiretur jam armorum strepitus, neque quispiam contra populum Israeliticum arma caperet, sed omnes vicinæ provinciæ conquiescerent: Salomon templum illud amplissimum erexit, & domino consecravit; atque idem sæpe ab hostibus eversum, pacis beneficio refectum est. Videt nunc ecclesia Christi, spem unicam componendæ pacis in hoc sacro concilio Tridentino sitam & collocatam esse: ad eam vos amplectendam invitat: qua conciliata, quemadmodum templum illud Hierosolymitanum, inimicorum multoties incursionibus dirutum, ex dissipatis & collapsis lapidibus, rursus erectum & restitutum est: ita nunc templum istud, Christi, inquam, corpus, quod est ecclesia, luxatum & mutilum, ex languidis, emortuis & abscissis membris reficiatur iterum & renovetur: ut, instaurato hoc ædificio, omnes, consentientibus animis, unica eademque instructi doctrina, eadem spe erecti, iisdem caritatis vinculis & amoris flammis incensi & colligati, Christo capiti adhærentes & agglutinati, ejusque vicarium pontificem Romanum, totius ecclesiæ principem & pastorem, hujusque sancti templi pontificem Max. venerantes, dulcissima & optatissima pace perfruamur: quam vobis, viri Germani, in Christo Jesu domino nostro opto sempiternam.

APPENDIX

EA COMPLECTENS QUÆ IN EDITIONE LOVANIENSI NON EXTANT.

I.

PAULI PAPÆ III. BULLA.

Indicit supplicationes seu processiones pro celebratione concilii, adhortatur ad jejunia, plenariam indulgentiam largitur.

PAULUS EPISCOPUS servus servorum Dei. Ad futuram rei memoriam.

Isaiæ 58. CUM prophetæ vox nostris in auribus jugiter insonet, clama, ne cesses: idque præcipuum munus, ex onere nostris injuncto humeris, licet his impari, nobis incumbere agnoscamus: ipsa præsentium temporum calamitate, ac hæresum undique pullulantium pernicie, in intimis adeo pulsamur præcordiis, ut nobis ipsis, pro sancta universali ecclesia, ac dominici gregis nostræ curæ crediti, salute, nunquam satis operæ, laboris, ac solicitudinis, adhibere posse videamur. Tot igitur, ac tantis turbinibus aliquando sedandis, nullum æque salutiferum, ac præsentissimum remedium comperiri semper existimavimus, quam sanctissimi œcumenici concilii celebrationem indicere, ad sananda scilicet catholicæ ecclesiæ vulnera, ab impiis infidelibus reprobisque hæreticis eidem inflicta. Una igitur hac ratione, sacratissimam synodum a nobis Tridenti jamdudum indictam, hodierna luce aperiri mandavimus: eam fine optimo, Spiritu sancto adjuvante, conclusum iri, & optatam orbi Christiano salutem allaturam denique sperantes. Oecumenicum autem cum sit concilium, hoc decet a cunctis Christi fidelibus, humili & contrito corde, devotisque precibus celebrari: ut quos adesse coram opus fuerit, hi multorum orationibus adjuti, gratius in rebus catholicæ fidei, dictæque universalis ecclesiæ reformationis ibi peragendis, omnipotenti Deo exhibere valeant obsequium. Quamobrem omnes Christi fideles hujusmodi hortamur, ac in domino requirimus, ut posteaquam hæ nostræ literæ ad eorum manus pervenerint, & per locorum ordinarios publicatæ fuerint, diligenter peccatorum suorum perscrutatione & examine præviis, se ad ecrum confessionem, in hebdomada earumdem literarum publicationem immediate sequenti, de more ecclesiæ subeundam præparent, & illa confiteantur: quartaque ac sexta feriis ipsius hebdomadæ, nec non die sabbati jejunent: dominica vero die proxime sequenti sacratissimam domini nostri Jesu Christi eucharistiam sumant: Deum ex intimis cordis, pro Christianorum omnium pace, & pro salutifero, & tranquillo, ac fructuoso ejusdem sacrosancti œcumenici concilii progressu & perfectione, orantes. Ac ut præfatos Christi fideles ad hoc etiam præmiis cœlestibus invitemus, omnibus, & singulis Christi fidelibus ipsis qui præmissa adimpleverint, & processionibus, ac supplicationibus, quarta & sexta feriis, ac sabbati die prædictis, eo ordine qui in alma urbe nostræ Romæ observatus extitit, publice habendis, interfuerint: aut qui adversa valetudine, seu alio impedimento legitimo detenti, ac abbatissæ, priorissæ, & mona-

ANNO CHRISTI 1546.

& monasteriorum quorumcumque moniales, etiam sub clausura existentes, & eisdem processionibus interesse nequeuntes: si eleemosynam, juxta eorum devotionem, & facultatem, alicui pauperi Christi pie fuerint elargiti; aut si inopes extiterint, dominicam orationem, cum salutatione angelica, quinquies recitaverint, & præmissorum loco, pias ad Deum preces devote effuderint: ejusdem omnipotentis Dei benignitate, ac misericordia, beatorumque ejus apostolorum Petri & Pauli auctoritate freti, plenissimam omnium peccatorum suorum veniam, & remissionem, misericorditer in domino concedimus, & elargimur. Et ut hæc omnia ad plurium notitiam pervenire valeant, simulque Deus ipse misericors a quamplurimis exoretur: omnibus patriarchis, archiepiscopis, episcopis, & aliis ecclesiarum prælatis, ut cum primum eædem præsentes literæ ad eorum manus pervenerint; eas, seu earum transsumptum, manu alicujus prælati, seu personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ, subscriptum, ubique per eorum provincias, ecclesias, civitates, & diœceses, absque ullo quæstu, cum gratiis, concessionibus, & indulgentiis, ibidem contentis, gratis publicari faciant, in virtute sanctæ obedientiæ præcipiendo mandamus: constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, & aliis contrariis non obstantibus quibuscumque. Volumus autem, quod hujusmodi processiones, & supplicationes, unica tantum vice, in civitatibus, terris, castris, & locis, in ecclesiis in quibus præcipua animarum cura injuncta reperitur, duntaxat fiant & habeantur: præsentibus, postquam in urbe, ac provinciis, ecclesiis, civitatibus, & diœcesibus prædictis, publicatæ fuerint, ac quarta & sexta feriæ, ac dies sabbati hujusmodi præterierint, minime valituris.

Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno incarnationis Dom. MDXLV. Idibus Decemb. pontificatus nostri anno duodecimo.

II.

PAULI PAPÆ III. EPISTOLA ad episcopos & abbates aliquot Helvetiæ.

Monet ne diutius differant proficisci ad concilium.

PAULUS PAPA III. SERVUS servorum Dei venerabilibus fratribus, Sedunensi, & Curiensi, episcopis: ac dilectis filiis, sancti Galli, & sanctæ Mariæ de Valle, necnon sancti Urbani, & aliis Abbatibus, in Helvetiorum, & suorum confœderatorum dominio commorantibus salutem, & apostolicam benedictionem.

QUUM omnes Christianitatis prælatos ad universale concilium Tridenti indictum, pro nostro illorumque officio studiose convocamus, & cogimus: tum vos præcipue ecclesiam Helveticam referentes, cujus nationis populos tanquam peculiares sedis apostolicæ filios, & libertatis ecclesiasticæ defensores, speciali amoris nostri prærogativa complectimur. Idcirco a vobis tanto studiosius excipi, & ad effectum deduci debet, quantum ipsum concilium apertum, celebrarique cœptum, Gallicis & Hispanis ac Italis prælatis, & aliis in dies confluentibus, frequens jam est: ita ut vos suppudere possit, tam vicinos, tam longinquis in conveniendo fuisse pigriores. Quod autem vestra natio non parva sui parte infecta hæresibus, remedio ipsius concilii magis indiget, nulla in vobis mora quamprimum conveniendi esse debuisset. Quam nunc tarditatem, celeri debetis diligentia compensare. Itaque remittentes istuc dilectum filium Hieronymum Franchum, nuncium nostrum, has ei ad vos dandas, iterataque missione vos monendos ac hortandos duximus: apostolica auctoritate, tenore præsentium monemus & hortamur, ac in virtute sanctæ obedientiæ, & sub vinculo juramenti in vestris promotionibus præstiti, ceterisque sanctorum canonum districtionibus vos urgemus, ut quantocius, & omni mora postposita, ad dictum concilium proficisci, ibique ad pacem universalem, sanationemque, & unionem vestrorum populorum, inter cetera omnibus studiis intendere debeatis, impleturi vestrum officium, & nobis post Deum, rem gratam, & acceptam facturi: sicut idem Hieronymus nuncius hæc latius explicabit, cujus verbis plenam habebitis fidem. Datum Romæ apud sanctum Petrum, sub annulo piscatoris. Die XI. Aprilis MDXLVI. pont. nostri anno duodecimo.

ANNO CHRISTI 1546.

III.

PAULI PAPÆ III. EPISTOLA AD HELVETIOS.

Hortatur, ut religionem retineant, & promovendo concilio allaborent.

DILECTI filii, salutem & apostolicam benedictionem. Pro nostra & prædecessorum nostrorum erga devotiones vestras, totamque istam fortissimam nationem benevolentia, quæ facit, ut semper nos vestri memores, vestrorum commodorum atque bonorum summam rationem habeamus: non dubitamus, quin vobis quoque in animo & memoria infixum sit, quanta fuerit, ut qui semper nostris judiciis, nostrisque stipendiis vos honestaverimus; vestra autem virtus, & vestra fides nunquam prædecessoribus nostris, & nobis, ulla in temporum varietate defuerit. Atque hanc tantam, & tam arctam inter nos amicitiæ conjunctionem, quæ utrique parti & honori fuit semper, & commodo: fuerunt tamen vafri, & insidiosi homines, perturbatores legum morumque bonorum, iidemque sanctæ catholicæ & apostolicæ religionis corruptores, qui separare & divellere conati sunt. Quibus tantum favit perfidus humani generis hostis, ut ex ista fortissima & nobis carissima natione aliquos tamen a nobis potuerit avellere, magno cum dolore nostro, tanquam a sinu & complexu amantissimi patris dilectissimos filios. Quorum jacturam atque damnum etiam nunc lugere & lamentari non desistimus, desiderantes & Deo restitui, & nobis: quos nostræ curæ, diurnæque & nocturnæ cogitationes, omnibus precibus apud Deum, & assiduis lamentationibus requirunt. Illud tamen Deo ejusque divinæ bonitati & clementiæ referimus acceptum: quod pars de vobis in fide erga ipsum Deum, & erga sanctam matrem ecclesiam perstitit, nec se alienari a cultu veræ & Christianæ religionis passa est. In quo Deus misericordiæ dominus, & vobis qui integri remansistis, de spiritu suæ sapientiæ effudit: & si qui gentis vestræ decepti & inducti improborum sermonibus, in alienum sensum abjerunt, illis tamen exemplum ante oculos positum esse voluit constantioris & melioris partis, per quam aliquando possint facilius resipiscere, & reverti ad eam sanctam fidem, quam patres ipsorum omnesque avi & majores perpetuo cursu veterum sæculorum

ANNO CHRISTI 1546.

in catholicæ ecclesiæ gremio tenuerunt. Cujus Dei voluntatis maximum est argumentum, quod pax & concordia inter vos ne dissidio quidem religionis, ex quo solent asperrimæ seditiones oriri, infringi aut violari potuit: quam pacem vestram & conjunctionem, nos optimum signum vestræ probitatis, & optatæ ac speratæ nobiscum consensionis habemus. At nobis quidem jam inde a nostri pontificatus initio omnia tentantibus ac molientibus, quo his dissidiorum atque hæresum domesticis malis occurreretur; quum & pro pace inter Christianos principes reconcilianda, sicut notum vobis est, plurimum laborassemus, & lenibus primo remediis scribendo, hortando, monendo, iniquos hæreticorum animos placare studuissemus, postquam cetera non satis processerunt, ad summum & maximum omnium hujusmodi malorum remedium, œcumenicum & generale concilium indicendum devenimus. Et quoniam in Germania maxime hæc hæreticorum prava seges pullulabat, locum concilio habendo Tridentum elegimus, juris & nationis Germanicæ civitatem: ad quam illi commode venire, tutoque commorari in ea, & tueri, si vellent, partes suas possent.

Speravimus enim, id quod erat sperandum, in tanta concilii generalis auctoritate, cui semper reges Christiani, & populi plurimum detulerunt, in tanto conventu venerabilium episcoporum, qui ex omnibus nationibus illuc collecti de summa fide catholica auctore Spiritu sancto essent acturi, neminem fore tanta impietate præditum, qui non se tantiæ, divinæ magis quam humanæ, auctoritati submitteret: qui non rejectis falsis suggestionibus improborum, judicium universum catholicæ ecclesiæ suspiceret. Quam etiam nunc spem, dilectissimi filii, de vobis retinemus, pacemque illam inter vos, quam omni laude dignam paulo ante diximus, tanquam ansam divinitus nobis datam accipimus, ad conglutinandos iterum vestros cum Deo & nobiscum animos: quum & qui fideles ac constantes e vobis manserunt hoc certe animo obtemperandi sacro concilio sint futuri, & qui non sua culpa, sed quodam credulitatis errore (qui sæpe etiam bonis incidit) prolapsi sunt, auctoritatem œcumenici concilii, & ejus Spiritus sancti qui concilium regit, non contempturi esse videantur. Ad quod nos concilium, tanquam ad cœlestem senatum quemdam, cui Deus præest, eumque ipsemet & moderatur & gubernat, devotiones vestras, sicut etiam ante fecimus, & invitamus, & adhortamur. Quod vero nobis præter omnem spem & expectationem accidit, ut inveniretur inter Germanos non pauci, etiam de numero eorum qui se dicunt esse principes, qui œcumenici concilii gravissimam auctoritatem, potiusque divinam, ut diximus, quam humanam, ita superbe insolenterque despicerent, ut non modo ad id se accessuros negarent, sed contumeliis & maledictis petulantibus atque nefariis, omnem conciliorum sanctitatem improbissime insectarentur: seque nec concilii decretis staturos, nec illius auctoritati tantulum delaturos dicerent: id nobis, ut vere loquamur, maximo dolori fuit. Vidimus enim hanc perditorum contumaciam, summam nobis necessitatem afferre, ut de vi atque armis esset cogitandum: cum nec tantum animarum interitum, quæ hæresum venenis quotidie inficiebantur, nec conculcationem totius, non magis ecclesiastici, quam Christiani nominis atque honoris, possemus amplius perferre. Quod alterum nobis, pastorale officium, caritasque paterna, quam erga omnes fideles Dei filios atque nostros gerimus; alterum locus atque honor, & summi pontificatus dignitas non permittebat. Sed nobis sæpe cogitantibus quid agendum esset, Deumque precantibus, ut is divini sui consilii nobis lumen offerret, opportune accidit, ut carissimus in Christo filius noster Carolus Romanorum imperator semper Augustus, cujus erga Deum omnipotentem & sanctam catholicam apostolicamque fidem singulare semper extitit studium, & præstantissima pietas, impiorum sceleribus eisdem fere quibus nos offensus: & quod, cum concilium Germanicæ nationi, ipsius præsertim postulatione & opera a nobis datum esset, qui id contemnebant, ipsius quoque & factum & auctoritatem videbantur contemnere, sicut quidam aperte petulanterque faciebant; armis sibi constitueret violatæ fidei catholicæ sanctitatem ac unitatem esse vindicandam. Cui nos occasioni tanquam nobis ab Deo sine ulla dubitatione oblatæ, studiose nos adjunximus, summique imperatoris optimam voluntatem omnibus nostris, & sanctæ Romanæ ecclesiæ opibus atque auxiliis juvare constituimus: Deo hanc nostram operam & actionem tribuentes, cujus numen honoremque defendimus. Nec volumus committere, ut si lente negligenterque nos geramus, is postea tot filiorum animas hæreticorum perfidia in interitum abductas, e nostra manu requirat. Quem animum nostrum, & totam consilii nostri rationem, voluimus vobis, dilecti filii, nostris literis facere notam. Primum, ut vobiscum, tanquam cum eis, quos carissimos habemus, curas & sollicitudines quæ nos premunt, communicaremus: deinde, ut vos etiam hortaremur, ac rogaremus, ut animis piisque votis & voluntatibus vestris nobiscum esse, hoc est, cum Deo, & cum Christiana religione velletis. Nam cum multa de vobis eximia & præstantia facta possint commemorari, nullum tamen futurum est præstantius, quam hoc, si cum Deo veterem conjunctionem, & amicitiam, quam majores vestri sancte coluerunt, aut servaveritis, aut reconciliaveritis: si sedi apostolicæ, quæ vos semper illustrare atque ornare conata est, pristinum vestrum amorem & cultum reddideritis: si nobis, qui vos paterna dilectione prosequimur, in hac dicta causa juvanda & promovenda, vestra studia vestraque auxilia adjunxerit. Quæ omnia ut cum vestro summo commodo & utilitate fiant, & Deum omnipotentem, & vos ipsos, carissimi filii, omni studio rogamus atque cohortamur. Datum Romæ apud sanctum Marcum, sub annulo piscatoris. Die III. Julii MDXLVI. pontificatus nostri anno duodecimo.

IV.

CONCIO R. P. FRATRIS *Bartholomæi Carranzæ de Miranda, Hispani, ordinis Prædicatorum, habita ad Synodum Tridentinam, prima dominica quadragesimæ, anni* MDXLVI.

Domine si in tempore hoc restitues regnum Israeli? Act. cap. I.

VERBA hæc, reverendissimi patres, apostolicæque sedis vicarii, pastores observandissimi, doctissimique viri, scribit Lucas in actis apostolicis, quæ recensui, ut essent orationis, quam apud vos habiturus sum, mihi fundamentum. Cum mecum evolvo præsentem reipublicæ Christianæ statum, evolvo autem sæpissime, & insignem ejus immuta-

ANNO CHRISTI 1546.

mutationem: in diversa trahor. Nam, ut verum fatear, vix adduci possum, ut credam, cum res hominum intueor, facili alveo omnia processura. Rursum cum Dei potentiam cum pari benignitate conjunctam animadverto, omnia mihi polliceor, ni vererer ne nostri mores adeo distorti obstarent. Itaque cum me extricare non possum, ad Christum Jesum unicum veritatis oraculum soleo confugere, & ab eo sciscitari, quibus verbis & in præsentia vestra usus sum. Et quamvis vos omnes intellexisse animadverto, unde hæc verba deprompta sint: non tamen gravabor, dummodo per vos liceat, locum ipsum sacræ scripturæ indicare.

Ascensurus Christus ad superos, unde venerat, in unum locum coegit discipulos suos. Illi igitur ubi convenissent, percontabantur illum dicentes: *Num in tempore hoc restituis regnum Israeli?* Rogabant certe de terreno hoc & temporali regno, nondum immutati ex alto: & communi Judæorum cœcitate laborantes, hujus mundi gloriam, atque aulæ splendorem, putabant esse regnum cœlorum, & Christum expectabant illius terrenæ Sion restauratorem futurum. Subegerant enim jam totam Palæstinam Romani, & juxta oracula prophetarum, pro illis in Judæa alienus ab Israele imperabat Herodes. Venerat jam redemptor orbis, absoluto opere, quod demandarat illi pater, redibat. Sed cum nondum Israelitico regno restituto abiret, hoc ipsum rogabant apostoli, quod & alii duo discipuli venientes Emauntem dixerant: Nos sperabamus quod esset redempturus Israel.

Ingens aperitur campus loquendi, in quo modus mihi potius quærendus est, ne & ipse re tam multiplici obruat, & vos injusta oratione fatigemini, quam verendum ne argumento destituar. Temperabo igitur mihi, ac vestri, quam par est, habebo rationem, & illud tantum ob oculos ponam, quam gravem jacturam ecclesia fecerit, non solum terrarum & nationum, quæ Christiano nomine censebantur, verum etiam priscorum morum, quibus perditis necesse fuit ad hoc devenire calamitatis. Et erit, ut intelligo, bipartita hodierna oratio; una parte de imperio agi temporali, altera vero de spirituali. Utemur enim hoc loquendi modo, & utrumque imperium vocabo, dum universam Christianitatem, quam late olim patebat, bonis viventem moribus significare volo. Quo facto intelligetis procul dubio, me non sine magna causa subinde fluctuare, dum dubito, quo pacto possit ecclesia in integrum restitui, ac non temere Christum interrogare, an hoc tempore restituat regnum Israeli. Solus enim verum respondere potest, & facere. Quod si qualibet in re nihil agere possumus sine ope divina, optimo quodam jure hodie summus ille artifex, mentium nostrarum illustrator, invocabitur, qui & extincta corda nostra accendat, & accensa suo igne inflammet. Veni creator Spiritus, mentes tuorum visita, &c. Et sicut ex ordine Seraphico mandasti unum qui correpto calculo ex altari emundavit labia Esajæ, lega ad me alterum, qui carbone igne tuo accenso, adurat præcordia mea, depuret labia mea, & auferatur iniquitas mea, ne cum venero ante tribunal Christi, dicam: *Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum.* Spiritus alme non peto Ciceronis verba, sed ea quæ postulabat Paulus, cum scribebat Ephesiis, *ut detur mihi sermo in apertione oris mei*, ut cum fiducia audeam loqui, quæ ad Dei gloriam, & ædificationem ecclesiæ oportet me loqui. Et profecto si quando alias commodum fuit a Christo optimo maximo hoc quærere: hac die commodissime debet, ut in ipso, quod ajunt, temporis articulo. Refertur enim hodie patres, in evangelica lectione, & velut oculis subjicitur celeberrima illa monomachia, non alicujus ducis humani, sed Jesu Christi Dei nostri, nec cum vulgari hoste, sed cum exercitatissimo, & juratissimo in perniciem humani generis. Nunc etiam pro ecclesia luctatur hoc concilio duce.

ANNO CHRISTI 1546 Evangelium.

Non ab re igitur quæremus, an hostes sit superaturus, & in regnum restituturus Israelem. *Ductus est*, inquit Matthæus, *Jesus in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo.* Conveniebat autem Christum tentari, ut discerneremus nos in tentationibus vincere, & ut haberemus pontificem per omnia tentatum, qui posset compati infirmitatibus nostris. Hoc evangelium totius ecclesiæ corpori accommodatum est, quoniam Christus quidem tentatus est, sed vicit. Ecclesia autem adhuc tentatur, quia victore Christo, & de morte, & satana acto jam triumpho, mox serpens ille antiquus aggressus est cum ecclesia facere, quod molitus est cum imperatore nostro. *Matth. 4.*

Ideo semper vel impiorum, aut tyrannorum aperta pugna, vel hæreticorum occulta persecutione, ac tandem regno mundi tentata est, & nunc etiam tentatur. Quid autem olim egerit cum Christo, tam notum & explicatum est ex historia evangelica, ut supervacaneum videatur in præsentia vestra quicquam de eo dicere. Veniam ad ea quæ assumpto Christo ad patrem, satanæ opera passa est tam in temporali quam spirituali regno, respublica Christiana, de quibus me primum dicturum sum pollicitus: si hoc tantum admonuero, per Israelem in divinis scripturis non infrequenter populum fidelem designari. Is autem populus partim temporaliter militat, & regnat in terris, & partim cum suo rege Christo triumphat in cœlis. Potissimum autem gaudet principatu quodam spirituali, & divino sibi peculiari, nam terrenum & temporalem principatum habet non tantum Israel, hoc est, fidelis Deo populus, sed etiam Esau, & ceteri ejus ordinis infideles populi: frui autem cœlesti & spirituali regno, soli Israeli concessum est.

Distributio orationis.

Invocatio Spiritus sancti.

Psal. 5.

Ephes. 6.

Profecto salvatore, & imperatore nostro ad superos, Israel, hoc est, populus fidelis, qui tunc ante missum Spiritum sanctum manebat in terris, angustis admodum terminis claudebatur: quippe qui totus in Hierosolymitano illo cœnaculo continebatur, teste Luca, qui ait: *Erant omnes unanimiter perseverantes in oratione, cum Maria matre Jesu. Erat autem turba hominum simul fere centum viginti.* Post decem autem dies hausto Spiritu sancto, mox dilatatus est populus Israel, & extendit tentoria sua per orbem universum, dispersi discipuli: præcipue autem apostolorum eximii Petrus & Paulus, quorum alteri credita est Judæa, alteri vero gentium provincia demandata, velut strenui quidam duces, per omnes terras mariaque volitantes, fere omnes gentes redegerunt sub jugum Christi, ut Paulus de se refert, scribens Romanis. *Ita ut a Hierusalem per circuitum usque ad Illyricum repleverim evangelium Christi.* Tandem ejus opera, & aliorum apostolorum in omnem terram exivit vox evangelii, & ab oriente usque ad occidentem propagata est ecclesia, ita ut brevi temporis curriculo jam in toto orbe regnaret Israel. O beata sæcula, quæ viderunt in Israele suam gloriam! sed non diu passus est satan, ut tanta felicitate frueremur. Ab eo die quo victus est a Christo, contendit esse victor nobiscum, continuo suscitavit

Prima pars orationis de regno temporali ecclesiæ.

Act. 1.

Rom. 15.

ANNO CHRISTI 1546.

hæreticos & incircumcisas gentes, quæ perpetua pugna exercent ecclesiam. At nunc patres, quis poterit sine magno animi dolore commemorare in quas redacti simus angustias? amisimus totam Ægyptum, amisimus Ciliciam, Syriam, utramque Asiam, ad quas regiones vas electum divinus Paulus portarat nomen Christianum. Satanæ opera jacet desolata Africa, ubi olim splendebant illa Christianæ religionis fulgentissima sydera, Tertullianus, Cyprianus, Augustinus, & ejus ordinis alii; & bona Europæ pars abjecta, ac deserta jacet sine rege, sine lege, sine moribus, sine ullo Christianæ religionis consortio, ubi tot civitates, tot populi, tot imperatores, tot reges, & principes cultu veræ fidei, & morum splendore præstantissimi, ubi tot celeberrima Christi, & sanctorum ejus templa, in crudelissimam jam Turcarum & Barbarorum ditionem devenerunt: ita ut per tot annos nihil audiamus aliud, quam Israelis & regni Christiani diminutionem, & excidia. In omnium memoria est Constantinopolis expugnatio, in qua imperator Orientis obtruncatus est, & quod reliquum nobis erat orientalis roboris, ac splendoris, amisimus. Ubi sunt, patres, patriarchales illæ sedes, & ecclesiæ catholicæ arces munitissimæ? Antiochena, in qua primum Petrus, & post alios, nunquam pro dignitate laudatus divinus Ignatius, qui tot & tantos pro Christiana fide tulit labores? Alexandrina, in qua primum Marcus, post alios acerrimus ille nostræ religionis propugnator Cyrillus tandiu sedit? Hierosolymitana, in qua Jacobus frater domini? Constantinopolitana, in qua tot sanctissimi ac eruditissimi viri Christiane regnarunt? ubi sunt ecclesiæ illæ Corinthiorum, Ephesiorum, Colossensium, Galatarum, ad quas tam sedulo scribebat Paulus? ubi sunt illa duo splendidissima imperia, in quibus tam feliciter regnabat Israel? Infelix Græcia, quæ olim humanarum rerum arbitra, atque omnium doctrinarum inventrix, tam miserè corruisti! Usque adeo abhinc ducentis annis pertinaciter castam, & sanctam Hilarii, Athanasii, Chrysostomi, Cyrilli, Epiphanii, Basilii, utriusque Gregorii, & aliorum sanctorum patrum doctrinam deseruit: ut ea deserta collapsa sit religio, qua collabente, ita tota cum imperio suo miserrime interiit. Hæc omnia loca amitti, ac devastari, & tamdiu in potestate infidelium esse passi sunt principes Christiani, dum quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi, dum quisque simultatibus privatis indulget.

Carptim hæc attigi, patres, ut eorum memoriam refricarem, quæ viventibus majoribus nostris accidere: quæ vero nostra ætate gesta sunt, neminem esse arbitror adeo supinum, qui non omnia habeat in numerato. Vidimus amissam nostra tempestate celebrem illam insulam Rhodum, Italiæ & Hispaniæ partes aliquot depopulatas. Vidimus occupatam Hungariam, & occisum pium regem Ludovicum, nobis videntibus. Mahumetus hic Turcarum princeps, & nostræ religionis hostis, Austriæ bonam partem invasit & diripuit: & continuæ Christianorum cædes & lacrymæ clamant in cœlum, & sanguis fratrum nostrorum effusus ad dominum de terra vociferatur: vindica domine, vindica domine sanguinem nostrum qui effusus est. Quis Christianus hæc audiens non perhorrescat? O saxea Christianorum pectora, si cum hæc intelligunt, non commoventur! Domine num in tempore hoc restituis Israeli tot populos & tot regna? Sed cum de terreno ac temporali regno tecum agam, vereor ne mihi dixeris, regnum meum non est de hoc mundo. Andio; sed video nescio quo nexu hæc duo invicem colligari, & tam amice conjurare, ut vix contingat, alterum ab altero separari. Sed jam ad alteram nostræ orationis partem transeamus.

ANNO CHRISTI 1546.

Ad cognoscendam, patres, Israelitici regni destructionem spiritualem, necesse est ejusdem constructionem intelligere, in qua Joannem apostolum in suis revelationibus audiamus, qui ait: *Et ego Joannes vidi sanctam civitatem Hierusalem novam, descendentem de cœlo a Deo, paratam, sicut sponsam ornatam viro suo. Et audivi vocem magnam de throno dicentem: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitavit cum eis.* Magnum & admirabile est, quod hic Joannes vidit, proinde dum illud vult omnibus esse persuasum, ob majorem rei fidem ipsum nominat dicens: *& ego Joannes, &c.* Jam ergo quid viderit, & quid sibi velint ab eo visa, diligenter inquiramus. *Vidi*, inquit, *sanctam civitatem Hierusalem, &c.* Quæcumque hic auditis ad impollutam Christi sponsam, & ecclesiam Israelis pertinent. Primo autem dicitur sancta, id est, non profana, non jam carnalis, sed spiritualis, a mundi spiritu sejuncta, & consecrata Deo: id enim designat, sancta. Secundo dicitur civitas Dei, in qua Deus ipse regnat & agnus; civitas, inquam, spiritualis, divinis gubernata legibus, non humanis. Eas enim non agnoscit mundus, quas illi rex ejus Christus præscripsit, cum veluti pro tribunali sederet in monte dicens: *Ego autem dico vobis, non resistere malo: sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram: & ei qui vult tecum in judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium: & volenti mutuare a te, ne avertaris. Audistis quia dictum est, diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum: ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, orate pro persequentibus & calumniantibus vos, ut sitis filii patris vestri, &c.* Has leges ignorat mundus & damnat, tantum abest ut statuat, vel probet: has tamen venerantur & observant qui volunt esse incolæ hujus regni, sunt autem omnes fideles Dei & electi, quemadmodum Paulus scribit Ephesiis: *Vos estis cives sanctorum & domestici Dei.* Tertio appellatur civitas hæc Hierusalem, nihil simile habens cum illa terrena, præterquam quod ejus nomen ipsi competit, & quod illa corporea in nonnullis typum gessit hujus spiritualis, utpote in eo quod perpetuos hostes habuit, gentium populos, & templum Dei in ea fuit: sic nimirum & in ecclesiam Dei, regnum Israelis, insurgunt incircumcisæ gentes, & verum templum Dei est in ea, in qua sola est fides, & verus Dei cultus, & ratio etiam nominis huic regno maxime congruit. Vox Hebræa, visionem pacis, sive concordiæ significat: & ubi magis vera pax & concordia, quam inter vos ecclesiæ filios, & hujus regni cives? Jam superest ut quartum declaremus, nempe quid est quod hæc civitas dicitur nova? Primum observate, omnia quæ ad Christum pertinent, nova in scripturis appellari, uti Esajas de eo prædixit: *Vocabitur tibi nomen novum, &c.* & Hieremias: *Feriam domui Israel fœdus novum, &c.* & Joannes ex domino refert: *Mandatum novum do vobis*: & ita de aliis. Nova, inquam, dicuntur omnia, propterea quod hæc humana cum his quæ domini nostri Jesu Christi sunt collata, velut vetera, consumpta, debilia, & infirma sunt. Deinde illa nova sunt, quia a carnis & sanguinis communione sunt aliena. Item dicitur civitas nova, quod juxta aliarum morem haudquaquam sit. Illæ nimirum sunt lapi-

Secunda pars orationis de regno spirituali ecclesiæ collapso. Apoc. cap. 21.

Matth. 5.

Ephes. 2.

Isaj. 62. Hierem. 31.

Joan. 13.

deæ,

ANNO CHRISTI 1546.

dæ, uno loco circumscriptæ, uno tempore conclusæ, plenæ etiam inter cives dissidiis, criminibus, rapacitate, mendaciis, adulteriis, carnales per omnia. Ista vero nihil tale habet, quandoquidem est spiritualis & una, nullo tempore conclusa, nullo certo loco, nulla ratione aut gente, nullo denique populo determinata, sed una palmites suos in orbem universum per tempora quælibet præterita, præsentia, & futura extendit: & quæ a formatione Adæ primi hominis ad finem usque sæculi eadem fuit, & est, & erit semper, sub uno capite conditore generis humani, & redemptore filio Dei. Illæ dissidiis plenæ: ista spiritus unione plena, caritate, pace, ac reliquis cœlestibus & spiritualibus charismatibus. In aliis regnis nulla gloria, nisi juxta carnem & sanguinem; in regno Israelis gloria quidem & immensa, sed non vana, nec caduca, sed vera, solida & firma. In aliis regnis gloriantur cives, sed de multitudine divitiarum, de vana sanguinis nobilitate: cives autem hujus regni nihil tale. Ex quorum persona dixit magniloquus Paulus: nos *gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei, non solum autem, sed & gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur*, &c. Rom. 5. Illi nobilitate carnis. Ad istos cives ecclesiæ, dicit Paulus: *Videte, fratres, vocationem vestram, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus* &c. *Ignobilia & contemptibilia elegit Deus, ut non glorietur omnis caro in conspectu Dei.* 1. Cor. 1. Illi in sapientia & scientia: at isti, hoc est, fideles, nihil minus. Ad quos scribit Paulus: Fratres, *scriptum est, perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo.* Ibid. Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi? sunt quidem in hoc regno sapientes, nobiles, & potentes, sed multo aliter: nimirum non juxta carnem, sed juxta legem domini; nobiles non juxta sensus vanitatem, sed secundum judicium Dei. Illi gloriantur in perituris, temporalibus, & caducis divitiis, isti autem gloriantur magis & gaudent de paupertate. Ad quos scribit Jacobus, Jac. 5. dicens: *Audite, fratres mei dilectissimi, nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, & hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se?* Sunt quidem & hic divites, sed alio modo, nempe verioribus & solidioribus divitiis. Quos nos pecuniosos & locupletes appellamus, illi divites quidem vocant, sed hujus sæculi, ut hac nota intelligas spurias has esse divitias, illas proprias & germanas. Olim disceptatum est inter principes & sapientes hujus sæculi, ubinam sita esset humana felicitas. Quidam dixerunt sitam in divitiis, alii in voluptatibus putaverunt esse, alii in potestate, alii in honoribus aut humana gloria arbitrati sunt esse ponendam, denique totus mundus consentienter clamabat beatos esse divites, felices potentes, & qui vitam præsentem transigunt in voluptatibus & deliciis. At Christus rex noster qui novum formabat regnum, ut faceret omnia nova, veluti damnans has voces, contra e fugestu clamavit. Matth. 5. *Beati pauperes, quoniam ipsorum est regnum cœlorum, beati qui lugent*: Luc. 6. *beati eritis cum vos oderint homines*, &c. & deplorandos esse judicavit eos, quos mundus beatificat. *Væ vobis divitibus, qui habetis hic consolationem vestram. Væ vobis qui ridetis, quia lugebitis.* Et Jacobus Jac. 5. ejus discipulus ad eosdem: *Agite nunc divites, plorate ululantes in miseriis vestris, quæ advenient vobis.* Merito igitur civitas hæc nova, & regnum novum, in quo sunt omnia nova, & cujus rex clamat: Apoc. 21. *Ecce venio, ecce facio omnia nova.* Postremo dicitur *descendens de cœlo*. Omnia in hoc regno sunt cœlestia, omnia spiritualia & divina; omnia desursum ad eam veniunt: unde bene & desursum atque etiam sursum esse dicitur hæc civitas. Apostolus Galatis scribens: *Illa autem quæ sursum est Hierusalem, libera est, quæ est mater nostra.* Et quotquot ad eam pertinent sunt de superis, alii vero ex infernis. Illi cœlestes, isti vero terrestres. Descendit ergo olim de cœlo, sed qua ratione? qua gloria? quo decore? Galat. 4.

A Deo parata: Maximus est qui paravit, & adornavit eam: quantum ergo fuisse putatis illius apparatum? nimirum non fuit vulgaris, inanis, aut juxta hominis sensum. Minor est omnis sermo, quam ut de his pro dignitate quisquam loqui valet.

Sicut sponsam ornatam viro suo. De quo apparatu in mysterio dixit Psaltes: *Astitit regina a dextris tuis, in vestitu deaurato, circumdata varietate*. Figuratur quoque ille idem apparatus mirifica illa templi Dei, & tabernaculi, quod sub lege fuit, exornatione. Sed qua ratione a Deo parata est? *velut sponsa*, quæ sponso suo traditur, ut in nuptiis fieri solet. Quod Christus sit sponsus, & ecclesia sponsa, manifeste tradit Baptista. *Qui habet sponsam, sponsus est.* Joan. 3. Hoc quoque Salomonis cantica testantur, quæ non dissimili apparatu ipsum sponsum proponunt nobis ornatum: *Filiæ Hierusalem venite & videte regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua.* Cant. 3. Et ne quis ambigat an ad ecclesiam Christi hæc pertineant, subjungit Joannes: *Et audivi vocem magnam a throno de ea dicentem: ecce tabernaculum Dei cum hominibus*: Apoc. 21. sive tabernaculum dicas, sive ecclesiam eam appelles, nihil interest. O felix & beata Hierusalem! beati qui viderunt hanc novitatem tuam! Sed soli illi viderunt, & videbunt, qui fuerint spiritu Christi renovati. O quam felix qui videbit tecum! Repleberis gloria sponsi tui, & illius impollutis, sanctis, divinisque amplexibus frui incipies. O quam beatus qui vocabitur ad nuptias tuas! quando scilicet traderis viro tuo: sed cui viro? nempe agno, regi summo, Deique filio, ipsi gloria in sæcula. Amen. Psal. 44.

Tertia pars orationis.

Forsan tacitus considerabit aliquis, quorsum hæc dicam. Audistis, patres, quale Christus statuerit regnum suum: tale cum venerit requiret a vobis. Audistis quibus civibus, quibus legibus, quo apparatu constitutum fuerit regnum Israelis. Peregre autem abeunte rege suo juxta parabolam evangelicam, vos, patres, reliquit vicarios suos, vos episcopos domus suæ, vos speculatores, vos vigiles, vos doctores, vos custodes hujus civitatis, vos duces hujus militiæ, vos gubernatores hujus regni, vos pastores hujus gregis, vos patronos hujus familiæ, vos sponsos hujus ecclesiæ. Vestri muneris erat vigilasse super custodia hujus civitatis, vestrum erat juxta præscriptas a Christo leges regnum hoc gubernasse, vestrum erat facere ut juxta illas irreprehensibiliter viveret fidelis populus, ad vos pertinebat servasse sponsam hanc Christi sanctam, impollutam, eisdem ornamentis ornatam, quibus Christus illam reliquit. Fingite nunc, patres, redire Christum (redibit autem cito) & requirere sponsam suam qualem vobis reliquit: quam obsecro illi restituetis? num hanc ad hunc angulum orbis contractam? num hanc profana pompa & apparatu sæculari superbientem? num hanc quæ palatiorum magnificentia etiam cum principibus decertat? num omnium deliciarum temporalium copia affluentem? hæccine est civitas illa sancta a mundi spiritu sejuncta? hæccine est civitas illa Dei, divinis gubernata legibus? ipsissima. Heu! quan-

ANNO CHRISTI 1546.

tum ab illa mutata! Hæccine est civitas illa nova? nunc universa in ea cum ethnicis & barbaricis civitatibus video communia, & antiqua: antiqua in ea regnat avaritia, vetus dominatur ambitio, ad delicias & divitias aspirant, & suspirant in ea cives universi. Heu, heu, patres, quis hæc cogitare audeat? hæccine est civitas illa perfecti decoris, & gaudium universi orbis? hæccine est illa tota pulchra & decora? nunquid est quo minus possimus illam dicere totam deformem? de qua Esajas dicit: *Omne caput languidum, & omne cor mœrens: a planta pedis usque ad verticem non est in ea sanitas.* Hæccine est illa Noemi, id est, formosa? audite quid dicat: *Ne vocetis me Noemi, id est, pulchram, sed vocate me mara, hoc est, amaram, quia amaritudine valde repleviſtis me, egressa sum plena, & vacuam reducitis me. Cur ergo vocatis me Noemi, quam dominus humiliavit & afflixit omnipotens?* Ubi sunt ornamenta tua, quibus parabaris sponso tuo tradenda? ubi sunt monilia tua, quibus ornabaris sponsa Christi? ubi fides illa, quæ etiam mortuos suscitabat? ubi charitas? ubi contemptus ille vitæ, & rerum præsentium? ubi ardor ille mortis, & rerum cœlestium? ubi sitis illa videndi regnum Dei? ubi amor ille paupertatis? nunc *omnes* (ut olim dixit Hieremias) *student avaritiæ, a minimo usque ad maximum, a prophetæ usque ad sacerdotem, cuncti faciunt dolum.* Ubi olim regnabant castitas, & innocentia, nunc regnant ambitio, luxuria, dominandi cupiditas, & vanitas. Heu, heu patres, quis eam siccis oculis contemplabitur? quis hæc consideret sine lacrymis? o cives Hierusalem, o cives hujus regiæ & sanctæ civitatis, quis hæc intelligens non commoveatur? Quis, si Christianus est, hæc audiens non perhorrescat? Quis non miserebitur matris suæ? & ego cum Hieremia precabor. *O utinam caput meum aqua, & oculus meus fons lacrymæ, & plorabo interfectos filiæ populi mei.*

Isaj. 1.

Ruth. 1.

Hier. 6.

Hier. 9.

Tædet pigetque, patres, fidem, pietatem, religionem nostris temporibus ita tepuisse, & pene dixerim contabuisse, ut vix earum ulla vestigia sint reliqua: & fervorem in majorum nostrorum animis insitum tantopere deferbuisse, ut cum Hieremia dicere cogamur: *Egressus est a filia Sion omnis decor ejus. Principes ejus facti sunt ut arietes non invenientes pascua, abierunt absque fortitudine ante faciem subsequentis. Viderunt eam hostes, & deriserunt sabbata ejus.* Mores vero & instituta majorum nostrorum pro lege tenenda nunc spreta jacent, prævaricatores divinarum legum, ecclesiasticarum traditionum contemptores, impune cervicibus elatis incedunt, fides in bona orbis nostri parte extincta est, in reliqua admodum exigua parte adeo languet, ut vix vera indicia appareant. Caritas enim ubique friguit, abusus in dies magis crescunt: immo & abusus abusum invocat, & animus abusibus & sceleribus astrictus, non facile ab eis divelli potest.

Thren. 1.

Hujus tantæ immutationis, hujus tam immensi lapsus a vobis, patres, exigetur ratio, cum sistemini ante majestatem judicis. Considerate, obsecro, divinam illam sponsam filii Dei ad genua vestra provolutam, non ornamentorum suorum splendore fulgentem, sed lugubri indutam veste, totam squalore confectam, lacrymisque perfusam, ad vos, patres, clamare, obnixeque postulare, ut quæ nostro vitio, & neglectu vestro deformata est, jam tandem reformetur. Totus orbis Christianus expectat, patres, quid agatis. Et fortasse ejus generis sunt ecclesiæ morbi, quorum curatio longiorem moram non ferat, & tam lenta remedia admovere sit periculosum. Gravissima consideratione pensate, patres, quid agatis, crastina morituri, crastina parituri ante majestatem Dei, & sistendi ante tribunal illud tremendum salvatoris nostri Christi, in quo severissima horum omnium a vobis exigetur ratio. De manu vestra requiram hæc dicit dominus per Ezechielem. Qui habet aures audiendi, audiat. Ponite in cordibus vestris verba hæc: dicam iterum: sanguinem omnium pereuntium de manu vestra requiram: requiram, inquam, dicit dominus. O tremenda verba hæc! fulmina sunt, non verba, & tamen ab ore domini. Aperuit dominus os asinæ ut moneret Balaam prophetam: potuit dominus aperire os hujus peccatoris ut commoneret vos. Mementote eorum quæ dixerim vobis: testis ero eorum quæ hodie significavi vobis, cum pariter venerimus ante dominum, quando inutilis erit omnis conatus, & sera pœnitentia.

ANNO CHRISTI 1546.

Sed quid ago? quid frustra consumor cum hominibus laborans? contra id quod in principio proposueram? Ad te, salvator, mea se convertat oratio. Domine, num in tempore hoc restituis regnum Israeli? num in hoc tempore sub sanctissimo Paulo III. instauras ecclesiam tuam? num per præsentem senatum reparabis regnum tuum? Audio quid dicas. Non est tuum nosse tempora, vel articulos temporum, quos pater in suo ipsius constituit arbitrio. Ingenue fateor, non est hujus vermiculi, non est hujus peccatoris, secretum regis intelligere. Verum illud non poteris prohibere, quin si non interrogando, saltem rogando interpellem clementiam tuam. Domine, instaura, quæso, in diebus nostris regnum Israelis. Domine, qui voluisti appellari omnium rerum innovator, innova quæsumus ecclesiam tuam. Restitue spiritum illum antiquum, quem donasti patribus nostris. Domine, suscita nobis salvatorem aliquem. Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, cito anticipent nos misericordiæ tuæ, quia pauperes facti sumus nimis. Adjuva nos Deus salutaris noster, & propter gloriam nominis tui libera nos, & propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum. Domine, quando Israel premebatur in Ægypto, post quadringentos annos, clamavit ad te, & suscitasti Mosen qui pascebat gregem soceri sui, & per eum liberasti de durissima servitute populum fidelem. Collecto ad patres suos Mose, suscitasti Josue filium Nun, qui pugnaret pro Israele: & nunc domine ad te clamat fidelis populus, emitte Phinea aliquem, qui zelo se opponat pro domo domini, & cesset hoc flagellum. Domine octo annis laboravit Israel serviens regi Mesopotamiæ, & clamavit ad te, & suscitasti eis salvatorem Othoniel fratrem Caleb minorem, quem repleviſti spiritu tuo, & liberavit Israelem. Domine dum Sisara Chananæus per viginti annos vehementer vexaret Israelem, suscitasti, domine, Debora & Barach, qui restituerunt Israeli suum regnum, & quievit in pace per multos annos. Et nunc, domine, a ducentis annis & supra premitur ecclesia tua, quamvis non opprimitur: mitte quæso salvatorem aliquem, cesset jam contemptus iste legum tuarum. Nunquid non sunt adhuc completæ iniquitates nostræ? Domine, cum humiliatus esset Israel in conspectu Madian, & opprimeretur ab eo septem annis, clamavit ad te, & exaudisti eum, qui per Gedeonem liberasti eum de manu Madian & Amalech. Rursus cum vexaretur ab Ammon rege, suscitasti illi Jephte, per quem liberasti Israelem ab Ammonitis. Rursus per Samsonem liberasti eum a Palæstinis, & per David regem liberasti ab oppressione Goliath, & per angelum ab exercitu

Pſal. 98.

Oratio Danielis in Babylone quando captivos tenebatur Israel.

ANNO CHRISTI 1546. exercitu Assyriorum, fugato Sennacherib rege, cum in summo discrimine obsideretur civitas Hierusalem. Et nunc te invocamus, tuum imploramus numen, tuam oramus clementiam, Christe servator, qui vicisti satanam in deserto, fer opem ecclesiæ tuæ: oppugnatur domus tua, non expugnetur. Respice senatum hunc tuo nomine congregatum, respice hos patres, respice principes nostros: ne spectes ad me, meique similes, per quos funduntur preces. Non sum ego qui precor; per me infinita piorum multitudo, per me precatur ecclesia tua. Obsecro te, domine Deus, & magne, & terribilis, peccavimus in cœlum, & coram te iniquitatem fecimus, impie egimus, receſſimus & declinavimus a mandatis tuis, ac judiciis: tibi domine justitia, nobis autem confusio faciei. Inclina, Deus meus, aurem tuam, & audi: aperi oculos tuos, vide desolationem nostram, & civitatem hanc, super quam invocatum est nomen tuum. Neque enim in justificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis. Exaudi domine, placare domine, attende & fac: ne moreris propter temetipsum, Deus meus. Dixi.

V.

ORATIO ALPHONSI SALMERONIS theologi de societate Jesu in concilio Tridentino habita, die festivitatis divi Joannis evangelistæ, ann. M. D. XLVI.

ANNO CHRISTI 1546. TAM præclarum & augustum est Christiani evangelistæ munus, reverendissimi ac illustrissimi domini, patresque amplissimi, ut in eo qui illud integrum absolutumque præstare velit, in hoc præsertim conventu vestro, & maximo, & sapientissimo, præter vitæ sanctimoniam, ætatis ac morum gravitatem, dicendi exercitationem, ante omnia non mediocre cœlestis spiritus donum merito desideretur, a quo uno, & quæ dicenda sunt cordi dicentis cœlitus suggerantur, & lingua qua illa aptis ac vivis verbis, in audientium persuasionem proponantur, cum actionis pronunciationisque venustate donetur. Cum autem iis omnibus præsidiis, quæ evangelicum præconem constituunt, meipsum diligenter explorans, pene destitutum cernerem: deterritus profecto muneris amplitudine & difficultate, in ipso orationis nostræ limine deficerem, nisi alio mentem revolvens cogitarem, & eorum apud quos mihi dicendum est, spectatam humanitatem, singularemque benevolentiam; & Deum ipsum optimum maximum, in cujus unius gloriam huc dicturus accessi; demum beatum ipsum ac dilectum discipulum Joannem, de quo hodie verba facere, & a glorioſa fauſtaque diei hujus solennitate, & ab enarrati evangelii historia commonemur. Quid enim Joannes erat, antequam a Christo vocaretur, nisi fortunæ conditione ignobilis, genere contemptibilis, arte piscator, mente rudis, moribus peccator, literis idiota, ætate puer, lingua Galilæus? verum posteaquam in Christi consortium adsciscitur, ad sinum familiariter admittitur, & super domini pectus recumbens, purissimum illum ac cœlestem spiritum hausit, repente in verum tonitrui filium dextera excelsi mutatus, perfectissimus atque omnibus numeris absolutus evangelista evasit.

De hujus igitur tam sublimis hominis laudibus (si tamen hominem, & non angelum appellare fas sit) non certe prout ipsius dignitas & magnitudo postulat, sed prout nostri ingenii fert exiguitas, mihi hodierna die dicendum est. Quod ut cum fructu aliquo præstare valeam, divinus Spiritus mihi prius implorandus est, seduliſque precibus ac votis efflagitandum: quem ut mihi donari contingat, de veteri & probato ecclesiæ more, ad singularem illam virginem mihi confugiendum esse duxi, quæ vera & germana illius esse mater promeruit, a quo velut a capite omnis spiritus in ecclesiæ membra diffunditur, quæ & hunc de quo locuturi sumus Joannem, in peculiarem filium, ad Christi moribundi vocem singulari privilegio adoptavit: quæ denique cum omnium Christianorum sit pientissima mater, nullique unquam pio se corde roganti desideratum patrocinium denegaverit, hunc ipsum Spiritum, quo tantopere in præsentiarum egemus, supplici corde a nobis invocata, & angelico eloquio reverenter salutata, facili negotio impetrabit. Ave.

Et si Deum maximum, immensum, infinitum, & per se beatum, nulla capere valeat humana mens aut cogitatio (unde, neque congruis honoribus, ut conditorem venerari, nec debito amore ut parentem diligere, nec condignis laudibus ut benefactorem celebrare potest) non propterea tamen nobis cessandum est, vel a prædicanda illius majestate quæ cunctis rebus supereminet; vel a commendanda illius singulari beneficentia, quam cum erga omnes creaturas commendabilem ostenderit, in sanctis tamen suis cum admirabili æternæ suæ potentiæ, inscrutabiliſque sapientiæ ostensione, non cæcis specialiter declaravit. Hinc est, quod frequenter & a scripturarum apertissimis sententiis, & ab ecclesiæ sanctæ probata consuetudine, & a sanctorum patrum exemplis, ad sanctos Dei honorandos atque laudandos invitamur: quod nimirum laudare sanctos, nihil sit aliud, quam Deum, qui illos gratuita sua bonitate ac munificentia sanctos effecit, vel singularia & eximia dona, quæ ab eo *a quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum* acceperunt, laudibus celebrare. Cum ergo Joannes evangelista, quamplurima, eaque rara atque ingentia beneficia, ab eo qui illum singulariter diligebat, acceperit: nostrum esse duxi, ea vobis, patres, ante oculos ponere, & quatenus ab omnibus ob tanta Dei dona prædicandus, & a vobis ecclesiæ pastoribus, speciali ratione sit imitandus, orationis nostræ tenuitate complecti. *Jacobi 1.*

Principio itaque de speciali Christi in Joannem dilectione, quæ primum & summum donum est, & ceterorum omnium basis & fundamentum, recta ratione, oratio nostra auspicari debet. Quid enim est, cum omnia mente, animoque lustraveris, quod dici aut cogitari possit majus atque excellentius quam Dei amor? Cum quo semper Deus amans, seipsum ingenti liberalitate creaturæ rationali donans, & sui eam amoris participem faciens, ad consortium quoddam, & quasi æqualitatem admittit, ut dicere valeat: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Quid fortius aut potentius caritate, quæ ab invicto Deo promanans, incogitabili atque ineffabili vinculo diligentem cum dilecto conjungens, a creatura quæ ex se universa vanitas erat, insuperabilis atque inexpugnabilis efficitur? ita ut in certissimæ fiduciæ verba prorumpat. *Quis nos separabit a caritate Christi?* Quid tandem suavius aut jucundius Dei dilectione, nostrum frigidum pectus ad redamandum excitante? quæ sinceras, & nulla ratione fucatas animi voluptates parit: *Cant. 16.* *Rom. 8.*

qua-

ANNO CHRISTI 1546.

quarum ſuavitatem vere nemo novit, niſi qui accipit.

Joannes igitur, tam præclari, tamque excellentis doni non ignarus, nec de tanto beneficio ingratus, in hoc titulo dilectionis ſancte & humiliter ſuperbiens, non ſemel gloriatur, dum ſolus de ſeipſo in evangelio teſtari non formidat; hic eſt diſcipulus ille, quem diligebat Jeſus. Ingens profecto gloria, digniſſimum pariter & dulciſſimum nomen, ampliſſimus atque illuſtriſſimus titulus, angelis venerandus, dæmonibus formidandus, eccleſiæ paſtoribus optandus, cunctis denique hominibus laudandus, atque prædicandus. Quem diligebat, inquit, non quem diligit, aut quem dilexit: quia nimirum Chriſti amor, ſicut principium non novit, cum ſcriptum ſit, *in caritate perpetua dilexi te*: ita nullis unquam temporum finibus clauditur, nulla amoris noſtri tepiditate remittitur, nulla denique humana ingratitudine ſeparatur. Quare non ſine grandi amoris hujus teſtimonio, ſoli Joanni ſuper domini pectus quieſcere datum eſt: ut intelligamus Chriſtum in corde, ac intimis pectoris ſui viſceribus, quaſi unice dilectum, ſemper illum geſtaſſe atque complexum fuiſſe.

Jerem. 31.

Cæterum ne vanum hunc aut ſterilem amorem fuiſſe quiſquam cogitare valeat: in primis, quæ natura eſt amoris, manifeſtationem Dei in ipſo Joanne peperit. Sic enim per hunc ipſum dilectum diſcipulum Chriſtus aſſerit: *Vos dixi amicos, quia quæcumque audivi a patre meo, nota feci vobis*. Porro hanc manifeſtationem etiamſi nulli credentium pro ſuo captu & modulo Deus deneget, cum fides ipſa manifeſtatio quædam ac revelatio Dei ſit: raram tamen & inſignem in Joanne fuiſſe, non levibus argumentis colligimus. Cui enim plura, aut majora, aut admirabiliora fidei noſtræ myſteria, purioribus oculis ſpectare, aut dignioribus verbis ea aliis tradere conceſſum eſt? Hic eſt enim admirandus tonitrui filius, qui altiſſimum & inſcrutabile trinitatis myſterium penetrans, ab exordio evangelii ita intonat: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum*. Hic eſt qui Verbi in condendo mundo potentiam, & in eo ſervando atque moderando ſapientiam, magnificis ſed ſuccinctis verbis perſtringit. *Omnia*, inquit, *per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt*. Hic eſt qui aquilinis oculis incarnationis adorandum & ineffabile ſacramentum perſpiciens, tantæque rei ſignificandæ verba imparia eſſe cognoſcens, ita brevi ſermone complectitur: *Et Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis*. Hic eſt, cui in ſinu domini recumbenti, & mors prædicta eſt, & proditor diſcipulus revelatus: qui ceteris fugientibus, juxta crucem ſtare promeruit, & oculatiſſimus omnium myſteriorum teſtis fieri, ut cum tanta verborum emphaſi ſcribat: *Quod erat ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectaverunt de verbo vitæ*. Hic eſt qui reſurgentis gloriam pleniſſime novit. Nam & citius Petro cucurrit ad monumentum, & vocem domini jam ſuſcitati, ut pote cordi ſuo magis impreſſam magiſque familiarem, celerius intellexit, dum Chriſto in littore ſtante, Petro dixit, dominus eſt.

Joann. 15.

Joann. 1.

1. Joan. 1.

Hic denique eſt, qui deitatem Verbi contra Ebionem & Cerinthum, & ceteros ſui temporis pullulantes hæreticos, certam indubitatamque tradere intendens, in ſublimi illo evangelio totus eſt in hoc uno articulo, a quo ſumma totius noſtræ fidei pendet, comprobando, inculcando, & ſtabiliendo. Dum enim docet, Chriſtum æternitatis duratione patri eſſe parem; potentia edendi ſigna, dum aquas in vinum vertit, illo non eſſe inferiorem; virtutem ſervandi atque regenerandi perditum mundum illi infuiſſe; ſecreta cordium, ut in Samaritana patet, ſcrutari; de illo uno, qui omnia quæcumque pater facit, ſimiliter & ipſe operatur, ſcripturas teſtificari, Moyſemque ſcripſiſſe, panem eſſe vivum & cœleſtem, vitam æternam mundo præſtantem; doctrina quam a Patre hauſit, eſſe admirabilem, atque inſuperabilem; poteſtate condonandi peccata, in abſoluta liberataque adultera, quod ſolius eſt Dei, inſignem; beneficentia præſtandi ſanitates ſingularem; nullis Judæorum machinis capi poſſe eum, quem Pater unice ſanctificavit, & miſit in mundum; mortuos fœtentes ac quatriduanos ad vitam revocare; acclamationem ſoli Deo exhiberi ſolitam, in ſolenni palmarum die ſuſcipere; apoſtolis omnia quæ ſibi illiſque eventura erant, prædicere; diligentium mentibus ita illabi, ut in eis manſionem faciat; Spiritum ſanctum diſcipulos confortantem, atque in credentium cordibus Chriſti gloriam teſtificantem, polliceri; ſectatores ſuos ſui viſione felicitatem pariente coronare, incredibili patientia atque longanimitate, Judæorum turpiſſimam ſibi mortem inferentium impetus frangere; ſeipſum a mortuis gloriosum excitare; Spiritum ſanctum peccata remittentem, ſuo flatu apoſtolis donare; eccleſiæ ſuæ curam Petro committere: nonne Chriſtum, Dei eſſe Filium, atque illi homouſion, evidentiſſimis invictiſſimiſque rationibus oſtendit? nonne doctiſſime & argutiſſime in calce evangelii concludit: *Hæc ſcripta ſunt ut credatis, quoniam Jeſus eſt filius Dei, & credentes vitam habeatis in nomine ejus*. Mitto quæ de futuræ eccleſiæ ætatibus, & variis ejus ſucceſſibus in admiranda illa ſua revelatione prodit, ut intelligamus nihil eorum, quæ a naſcentis eccleſiæ primordiis hactenus geſta ſunt, aut poſtmodum in extremum uſque diem gerentur, dilectam illam & puriſſimam animam ignoraſſe.

Joan. 20.

Magna igitur ratione, & inter apoſtolos dilecti diſcipuli nomen habere dignus fuit, cui tanta revelata & patefacta ſunt: & inter ſancta quatuor illa animalia, aquilæ typum implet, dum & volatu amoris ceteros antecellit, & purgatiſſimis atque perſpicaciſſimis mentis oculis, ad inacceſſa & humanæ menti imperveſtigabilia deitatis arcana rimanda, ſpectanda, atque illis tradenda, excellenti privilegio admittitur.

Cum autem ea ſit boni pulchrique nativa & genuina vis, ut contemplantium animos non aliter ac magnes ferrum ad ſe trahere ſoleat: cum Chriſtus ipſe, qui ſummum & abſolutum eſt bonum, totiuſque pulchritudinis fons perennis atque inexhauſtus, menti Joannis ſeſe tam inſigniter inſinuaverit, atque oſtenderit: continuo rapuit cor ejus ad ſe, & dulciſſimi amoris ſui potentia inebriavit, atque vulneravit. Hæc eſt enim natura amoris, ut amorem parere ſoleat, eumque vel ab invito exſculpere valeat. Quanta, quæſo, bone Deus, amoris flamma cor Joannis occupaverat? cujus gratioſiſſimum nomen certiſſimum amantis eſt indicium: cujus inſignia facta, inſignem erga Chriſtum teſtificantur amorem: cujus verba, quæ certiſſimus cordis index in non fictis eſſe ſolent, nihil aliud ſpirant quam amorem: cujus familiaris ſermo hic erat, filioli diligamus

ANNO CHRISTI 1546.

gamus alterutrum: cujus evangelium mixis modis dilectionis verbum subinde cum magna legentium suavitate atque fructu inculcat: cujus prior catholica epistola unicum prædicandæ atque commendandæ caritatis scopum respicit; in qua tam alte de caritate philosophatur, ut eum ipsum esse amorem prodat: *Deus* (inquit) *caritas est, & qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo*: cujus denique minæ & reprehensiones nihil tam severe feriunt, ac odium fraternum: *Qui non diligit* (inquit) *manet in morte, & qui odit fratrem suum, homicida est*: certa ratione colligens, ab illo, tanquam peste quadam exitiali, omnium scelerum lernam facile proficisci.

1. Joan. 4.

1. Joan. 3.

Quod si *ex abundantia cordis os loquitur*, & affectus dicentis ex sermone ejus metiendus est: tanti amoris magnitudinem vobis ipsis, patres, æstimandam relinquo. Ego enim quantum assequi ingenio possum, nullam arbitor mentis cogitationem complecti, nullam orationis vehementiam, vel tenuem ejus particulam explicare posse. Quamobrem nos, quibus a longe potius rem hanc venerari, quam prope intueri datur, ipsi Christo atque Joanni, in se comprehendendam prætermittentes, ab effectibus ipsis, quasi vestigiis quibusdam & conjecturis, amorem hunc tam insignem perscrutari, atque illum vobis proponere conabimur: si modo paucis prius vos admonuero, qua ratione doceamur omnes, quotquot Christo nomen in baptismo dedimus, quod discipuli illius & dilecti sumus. Discipuli quidem, quod omnes illum unum de cœlo donatum accepimus, & præceptorem & magistrum, ac jugiter per fidem nos instruentem habeamus: dilecti vero, quod nos singularibus gratiis ornaverit, exemerit a servitute peccati, emancipaverit a diaboli tyrannide, vindicaverit a multis tam imperiosis & pudendis dominis, quibus in Ægypto serviebamus; adoptaverit demum in nominis sui & hæreditatis consortium.

Matth. 12. Luc. 6.

Hæc autem cum omnium sint, potissimum tamen ad patres ecclesiarum spectant, quorum est ita esse Christi discipulos, ut meminerint se esse aliorum magistros: quibus propterea plura mysteria regni Dei nosse datum est, ut se deamatos a Christo intelligentes, & ex amore ad pastorum dignitatem vocatos, amore Christi gregem pascant; amorem sincerum erga oves gerant; amorem, quæ plenitudo legis est, de cathedra doceant; amorem cum primis ab ovibus exigant; amorem erga personas servantes, vitia redarguant; amoris vexillum in omnibus suis studiis erigant: denique vita magis quam amore ovium privari, glorioſum ducant, memores divinæ sententiæ: *Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus suis*. Vobis igitur, patres, qui componendis & sarciendis religionis gravissimis discordiis, in hanc legitimam & œcumenicam synodum convenistis, caritate ante omnia opus est, ut privatis commodis posthabitis, unius Christi, maximi pontificis, invictissimique imperatoris nostri gloriam, insanis dogmatibus, corruptisque ac perditis moribus nostris obscuratam, pene dixerim sepultam, atque adeo propter nos apud infideles male audientem, candido & puro animo quærentes, illustretis, atque propagetis; sponsæque suæ languenti atque sordescenti, pristinam valetudinem, primitivamque speciem ac venustatem restituatis. Redeat igitur per vos velut postliminio in Christi ecclesiam sanctissima illa atque invictissima Christi caritas, in qua una & dogmatum fidei puritas, & morum repurgatio, totiusque ecclesiæ sanitas atque renovatio consistit.

Joan. 7.

Sed redeo ad Joannem, cujus eximium in Christum amorem ex familiari ejus sequela conjectare possumus. Cum enim ea quæ violenter amamus, non lentis gradibus, sed velocissimo quodam cursu, & quasi volatu, persequamur: unde sponsa dilecti amore vulnerata, apud Salomonem introducitur magno affectu, anxiisque desideriis sponsum suum quæritans, deque illo omnes percunctans: ad hunc modum Joannes Christi manifestatione & amore tractus, tam promptum expeditumque se præstitit ad ejus sequelam, ut ad simplex ejus verbum, *sequere me*, relictis retibus, & navi cum patre, sine ulla mora aut cunctatione secutus sit eum. Quam sequelam tam firmam individuamque servavit, ut nunquam a latere ejus aut viventis, aut morientis, aut suscitati, discesserit, & specialis ejus assumptio ut secreta cerneret, & præsentia ejus ad crucis horrendum supplicium, & factum confectandi suscitatum Christum, de quo hodie loquitur evangelium, manifestissime probant.

Quod sane nobilioris cujusdam & dignioris, quam animo & spiritu exhibuit, sequelæ, & per quam se verum Christi discipulum probavit, indubitatum argumentum fuit. Sequutus est enim Joannes Christum, in intellectus perspicacia, in amoris vehementia, in puritate mentis, in corporis integritate, in jugi prædicationis ministerio, in frequentia signorum, in tenera & ad omnia sequaci ætate Deo dedicanda, in tolerandis cum gaudio contumeliis, in perferendis constanti animo mortis toties sibi intentatæ periculis.

Omnibus igitur Christum profitentibus, cum necessaria sit hæc sequela: illam tamen strictam & de prope præstare debent episcopi, ut dum oves pastorem suum subsequuntur, Christum ipsum pastorum omnium principem sequantur. Ad quam sequelam pastores omnes hodie Christus in Petro adhortatur, cum illi universis ovibus jam præfecto ait, *sequere me*, & iterum, *tu me sequere*. Verum proh dolor! quantum, & quam deplorandum malum est, cum pastor, vel principem tenebrarum satanam ducem habet; vel a longe cum Petro dominum sequitur! Quid est, quæso, patres sapientissimi, a longe sequi Christum? nisi formidare potius principum potentiam, quam illum qui solus animam potest mittere in gehennam: ecclesiæ suæ præsentiam subtrahentem, in aulis principum conseneſcere: videre lupum venientem, & vili animo fugere: non se ponere murum, cum sævit plaga, pro domo Israel, pusillanimitate ductum: talentum creditum in terra abscondere: moram faciente domino, percutere conservos & ancillas: edere, bibere, & inebriari, inferiores, ut longe sint a regno Dei, suo exemplo cogere: ignorare scripturas divinitus inspiratas: quasi contemptibile erubescere evangelizandi munus: denique ad mercenaria lucra spectare, ad delicias resolvi, ad laudes intumescere, ad inanes & leves injurias conturbari, ad ancillæ vocem Christum nescire, & pernegare. Date igitur operam, patres, ut Christum quamproxime sequamini: illiusque vestigia, certissimum salutis consequendæque immortalitatis iter præmonstrantia, teneatis. Nulla ratione ob depravatas quasdam vivendi consuetudines, a satana introductas & conserva-

ANNO CHRISTI 1546.

servatas, a sequela domini, aut declinando, aut pedem referendo.

Quia vero admissi ad Christi sequelam, pluribus modis in ea, per imbecillitatem naturæ, culpam committimus: solet cœlestis ille & benignissimus magister sincero illo amore, qui nescit arridere aut connivere malefactis nostris, suos interdum corripere. Examinat enim omnem filium, quem capit: & quos amat, arguit & castigat. Dilectus igitur Joannes pluries prolabi, & humana pati permissus est: ut quod ex se erat agnoscens, quantum Christi gratiæ deberet, intelligeret.

Primo enim ambitionis morbo tangitur, & primas sedes in Christi regno eum fratre affectans, severa objurgatione repellitur: *Nescitis*, inquit, *quid petatis*. Deinde, invidiæ stimulis, uritur, & zelo humano in quemdam dæmonia ejicientem, & Christum non sequentem, quasi pro domino agens, audit: *Nolite prohibere: qui enim non est adversus vos, pro vobis est*. Tertio in amarum vindictæ desiderium impingit, dum in Samaritanos quosdam, quod Christum noluissent accipere, indignatus dixit: *Vis dicamus, ut ignis descendat de cœlo, & consumat illos, sicut & Helias fecit?* sed conversus dominus, ut vultu ipso plusquam verbis affectum illum vere carnalem comprimeret, illum cum fratre increpans, ait: *Nescitis cujus spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare*. Demum dum cum Petro & Jacobo fratre, tempore quo erat vigilandum, & orationi instandum, dormit, somnolentiæ arguitur: *Non potuistis, inquit, una hora vigilare mecum?* Verum hæc, patres, non tantum propter illum, sed etiam propter nos scripta esse censendum est. Dum enim in hoc mundio peregrini versamur, & continuis carnis, mundi, Satanæ arietibus impetimur: succumbimus plerumque, manus damus, & in multis omnes offendimus. Quamobrem, quod majus dilectionis testimonium exhibere potest clementissimus pater, quam si nos jugiter admonere non desinat, paterno affectu corripiens nos doceat, *meliora esse vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis?*

Matth. 20. Luc. 9. Luc. 9. Ibid. Matth. 26. Prov. 27.

Cum ergo tentator ille nunquam dormiat, nunquam cesset, sed semper obambulet, quasi leo fame rugiens, captans & venans quem devoret: quatuor potissimum telis adversus eos, qui in Joannis locum & dignitatem sufficiuntur, congreditur. Nam insatiabilem dominandi appetitum suggerit, dum ad altiora subsellia, ad pinguiora sacerdotia, ad sublimiora ecclesiarum fastigia, blanda, sed improba suggestione, anhelare facit. Hoc autem, quid aliud est, quam miro illius serpentis astu, primas sedes in Christi regno, quod est ecclesiæ, cum Joanne ambire? Verum hic affectus multos proh dolor! seducens, & præcipitans, magno animo a nobis repellendus est, sermonisque Christi memoria comprimendus. Nescimus enim quid petamus. Nescimus quam ardua periculosaque provincia sit, pro dignitate munus præstare apostolicum. Nescimus Satanæ cogitationes, cujus opera quamplurimi in pinnam templi eriguntur, ut cum majori ignominia & graviori lapsu præcipites ruant.

Ex hoc ambitionis fonte prodit vicinum aliud & exitiale malum. Nempe malignus zelus & invidia, in confratres, & eos qui pari aut simili honore potiuntur contentio, ex qua pullulant odia, detractiones, murmurationes, fratrum contemptus, mutua contradicendi studia, controversiæ de amplioris potestatis jurisdictione, inanes & quasi pueriles æquandi, aut superandi fratrem, in scientiæ, eloquentiæ, potentiæque ostentatione, conatus. Hæc autem pernicioſissima pestis longissime abesse debet a Christiano pastore, qui Christum audit dicentem: *Quicumque voluerit inter vos major fieri, erit vester minister: & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus: sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam in redemptionem pro multis*. Boni ergo & non invidentis pastoris vox est, cum Mose dicere: *Quis tribuat, ut omnis populus prophetet, & det eis dominus Spiritum suum?* & cum Paulo: *Quid enim dum omnimodo sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuncietur? & in hoc gaudeo, sed & gaudebo*.

ANNO CHRISTI 1546.

Matth. 20. Num. 11. Philip. 1.

Peccatur item a pastoribus, qui ignem de cœlo descendere faciunt, dum potestatem ab agno mitissimo ad consolationem & ædificationem animarum acceptam, in tyrannidem convertunt, qua timeri magis ut principes, quam amari ut parentes volunt: qua dominari, quam ministrare, qua denique tonsores ovium, ne dicam deglubitores, magis esse quam pastores affectant. Unde illæ populi querelæ, utinam non tam veræ, quam miseratione dignæ, quod oneribus opprimitur, facultatibus spoliatur, cordibus affligitur, & inopia verbi Dei cruciatur. Cum austeritate imperatur ei, & cum potentia, & ad quemvis undecunque quæsitum colorem gladius potestatis stringitur, & ad virgam cum gaudio venitur: quam tamen Paulus non nisi cum magno animi dolore multisque lacrymis, exemplo suo docet esse accipiendam. Dum enim Corinthios invitus punire cogitur, ita scribit: *Timeo ne iterum cum venero humiliet me Deus apud vos, & lugeam multos ex iis, qui non egerunt pœnitentia, super immunditia, & fornicatione, & impudicitia quam gesserunt*.

2. Cor. 12.

Ultimo in Joanne dormientes reprehenduntur pastores qui non vigilant super custodias gregis, qui cum sibi ipsis indulgent, & magna diligentia cultum corporis, ventris saturitatem, proventuum incrementa, splendorem supellectilis, principum favores curant, quasi gravissimo quodam somno oppressi, non vident, quod in agro sibi colendo a domino dispensato, inimicus homo superseminat zizania: non advertunt, quod agni a maligno oculo fascinantur, quod oves a lupo disperguntur, rapiuntur, mactantur, devorantur: quod arietes non solum lateribus & humeris in mutuum exitium impingant, sed, quod admirandum est, cornuum rebellione ipsos pastores petant. Vigilandum itaque vobis est, patres, & orationi vacandum, & divinam vocem, vos hodie adhortantem, ne ambitione pugnetis in Deum, invidia contendatis in pares, tyrannidem exerceatis in subditos, somnolentia indulgeatis vobis ipsis, benigne cum Joanne suscipite: atque hos quatuor verissimos, & nocentissimos ecclesiæ hostes, de medio templi Dei, ubi turpius & potentius regnant, & cum majori & multorum exitio, vestra authoritate, vestrisque conciliis fugate, profligate, exterminate.

Sed quia non satis est ad digne fungendum apostolico munere, episcopum irreprehensibilem esse, nisi idem etiam omni virtutum genere sit ornatus: expendite jam qua ratione Joannes in magnis, quibus quamplurimi insolescere & rugere so-

ANNO CHRISTI 1546.

re ſolent, fuerit examinatus. Probatur enim a dextris, dum ſolus ſuper domini pectus recumbit, dum tertius introducitur ad ſuſcitationem puellæ; & in monte, Chriſti transformati ſplendidam lucidiſſimamque faciem cernit: dum cum aliis duobus ad hortum admittitur, & ſingularis Chriſto morienti adſiſtit. Hæc ſane maxima & ingentia in ſe ſunt, ſed myſteriis longe ſuperiora. Nam quid aliud nobis hic ſuper domini pectus recubitus ſignificat, quam verum prælatum non habentem ub. caput reclinet, in ſolo Jeſu pectore, atque in ſcripturis, quæ illius puriſſimum & candidiſſimum pectus referunt, quaſi in tutiſſimo nido, & tranquilliſſimo portu poſſe quieſcere? a quo uno & cordis munditiam, & amoris fomenta, & animarum zelum, & divinæ gloriæ ſitim, & doctrinam paſcendi, & arcanorum reſerationem, & mundi contemptum, & robur conſtanter patiendi haurire valeat.

Porro cum paſtores in ſcripturis nomen illud ampliſſimum angelorum habeant, quorum eſt juxta altiſſimam Dionyſii Theologiam purgare inferiores, illuminare, atque perficere: ſacerdos qui angelus domini exercituum eſt, in hoc ſe vocatum intelligat, ut plebem ſibi commiſſam a ſcelerum ſordibus & legis tranſgreſſionibus purget: & hoc eſt cum Joanne puellæ ſuſcitationi adſiſtere. Etſi enim Chriſtus ſolus ſit, qui in peccatis mortuos ad vitam revocet: vult tamen ad ſapientiam ſuam & benignitatem commendandam, prælatum adhibere, qui ſacramenti miniſterio in re alioqui altiſſima ſibi cooperetur: in cujus rei typum, ſuſcitato a ſe Lazaro, adſtantibus miniſtris dixit; *ſolvite illum, & ſinite abire.* Debet etiam ſe ad docendum in eo loco poſitum intelligere, ut cuncta fidei myſteria aperiat, & patefaciat, ut ad hunc modum ſuos verbo & ſcripturis illuminando, oſtendat ſe Chriſti gloriam in monte vidiſſe, & magnificam illam vocem & de nube delapſam, de Chriſti myſteriis & excellentia inſtruentem audiviſſe.

Joan. 11.

Denique ad eum ſpectat, ſolidiorem cibum ſuis jam mundatis atque inſtructis proponere, & ad perfectionis arcem eos adhortari, quæ maxime in patientia, quæ opus perfectum habet, conſiſtit. Unde perfectorum eſt illa vox: *Non ſolum autem, ſed & gloriamur in tribulationibus.* Hoc ergo Joannis & ſui ordinis virorum eſt, durare in perſecutionibus, & ad tolerantiam paſſionis, & crucis Chriſti imitationem ſuo exemplo inferiores permovere.

Rom. 5.

Verum poſtea quam dominus ſuos probavit, illoſque fideles invenit, ſupra longe majora conſtituere conſuevit. Hinc eſt, quod fideliſſimo Joanni pretioſiſſimum & ingentem theſaurum vicinus morti de cruce committit, nempe matrem. Cujus adventum tam ardentibus deſideriis patresſitierunt, cujus præſentia exultat cœlum, cujus non [illegible]eretur infernus, cujus patrocinio fulcitur eccleſia, cujus memoria recreantur juſti, & animantur peccatores. Committit, inquam, illi matrem, ut & vices Joſeph, ut creditur, jam defuncti, in cuſtodia, obſequio, ſolatioque ſuppleret, & ſe illi in filium amantem, obſequentem, reverentem, illique opportune ſubvenientem, loco ſui exhiberet. Quod tam ſingulare beneficium ille agnoſcens, ex illa hora ad Chriſti imperium accepit illam in ſuam. Vobis etiam, patres, de cruce commiſſa eſt eccleſia, quam ſanguine ſuo, ſanguine inquam, ſuo dominus acquiſivit: & niſi vos ſurdos Chriſti voci & imperio exhibeatis, debet unuſquiſque veſtrum illam in ſuam accipere, & non aliter erga eam ſe gerere, quam faceret obſequentiſſimus filius erga cariſſimam matrem.

ANNO CHRISTI 1546.

Quod ſi ſemper neceſſarium fuit affectus & opera filiorum eccleſiæ impendere, nunc profecto noſtri temporis ratio vehementer poſtulare videtur. Quando enim Chriſti eccleſia gravioribus odiis, magiſque inveteratis impugnata fuit? aut quando plures hoſtes in ſuam perniciem magis juratos atque devotos perpeſſa fuit? Nam & multi ex his, qui pro ea ſtare videntur, non ſincere & pure, ſed ob emolumenta temporalia, ob honores, ob carnis commoda diligunt. Quando majori aut magis obſtinata rebellione pugnatum eſt in eam, quam his noſtris infeliciſſimis temporibus? quibus neſcio ſi unquam fuerunt infeliciora. Nam divinæ leges perfricta fronte invertuntur, humana jura a ſciolis quibuſdam impudenti audacia abrogantur. Petri ſedes antichriſti regnum vocatur, ſacroſancta conciliorum authoritas vilipenditur, ſanctorum patrum doctrina conculcatur, ut judices illos in illam iniquorum vocem conſpiraſſe: *Dirumpamus vincula eorum, & projiciamus a nobis jugum ipſorum.* Quando honori eccleſiæ magis detractum? nam a multis filiis irreverenter contemnitur, graviſſimis verborum injuriis cæditur, dentatis & ſatyricis calamis in eam ſcribitur: denique improbis & nefariis factis in ejus excidium undique curritur. Quando tandem magis a filiis ſuis, non ſolum non debitis ſubſidiis adjuta, ſed etiam ſuis bonis ſpoliata fuit, quam deploranda hac noſtra tempeſtate?

Pſal. 2.

Quæ tanta flagitia & ſacrilegia ab Aquilone, unde panditur omne malum, in eam commiſſa narrat, ut ea vobis commemorare, nonniſi cum magno animi dolore & horrore, valeam. Nempe eccleſiarum bona direpta, templa ſolo æquata, monaſteria, non ſolum ſuis proventibus & incolis deſtituta, ſed etiam funditus everſa: ſacerdotes Chriſti exſibilatos, Deo dicatas virgines ſub ſpecie matrimonii conſtupratas; colendas divorum imagines rejectas, venerandos martyrum cineres contemptos, ſacroſanctum euchariſtiæ ſacramentum, tanto ſæculorum conſenſu firmatum, plusquam ſatanico auſu exploſum atque conculcatum. Et tam late pervagatum eſt hoc incendium, ut nullus fere in eccleſia Dei angulus intactus immuniſque relictus ſit. Ubi enim nunc inter eos qui catholici dicuntur, germanus ille populorum ad ſuos paſtores amor? quos non ſecus ac lupos, ac tyrannos horrent & averſantur. Ubi inferiorum obedientia? qui paſſim ac libere majoribus objectant. Medice, cura te ipſum: qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in nos lapidem mittat: *Amice, ejice primum trabem de oculo tuo, & tunc perſpicies, ut educas feſtucam de oculo noſtro.* Ubi ſacerdotii reverentia? uſque adeo enim degeneravimus, ut facti ſimus in deriſum omni populo, canticum illorum tota die. Ubi prompta illa & propenſa plebium voluntas? quæ ſeipſas ſpoliabant, ut Chriſti eccleſias fundarent, ornarent, ampliſicarent. Periit profecto, periit.

Matth.

Quare nimirum impoſſibile eſt, quæ a majoribus veſtris in ſudoribus, in vigiliis, in jejuniis atque lacrymis parta ſunt, ea nunc in deliciis, in ſomnolentia, in crapulis, in luxu, atque pompa conſervari. Doleo, patres, talem vobis eccleſiæ faciem deſcribere, ſed cogit me juſtus zelus, & obſervantia, quam erga vos gero, ita loqui deſiderantem, ut niſi de eccleſia actum eſſe velitis, ec-

cleſiam

ANNO CHRISTI 1546.

clesiam ipsam in matrem accipiatis, sicut Joannes matrem domini accepit in suam. Accepit, inquam, in suam, non in novercam, aut inimicam, ut hæretici & schismatici faciunt, qui & aperto Marte, & secretis cuniculis ejus excidium moliuntur: non in servam aut ancillam, ut ii faciunt, qui duro jugo, minis imperio, viga ferrea, tyrannico terrore, illam miserabiliter opprimunt: non in pellicem, ut ii qui fornicario complexu illi copulantur, quales sunt, qui tantum quæ sua sunt quærentes, dignitates ecclesiasticas venantur: qui quid sit esse pastorem, ignorantes, apostolicum officium in his rebus externis situm esse putant, quibus improbi abundant, quibus latrones sunt divites, tyranni sunt formidabiles. Accipienda est ergo in venerandam matrem, in legitimam sponsam, cui sincerus amor debitum honorem atque opportuna subsidia pariens, propter Christum prompte & hilariter est exhibendus.

Quamobrem hic finem dicendi facio, si prius vos ut patres mihi observandissimos, obsecraverim obtestatusque fuerim, ut in ipsum Joannem, quem in exemplar perfectissimum, & ut aquilam ad volandum provocantem, vobis proposuimus, oculos vestros defigatis, exempla virtutum, quibus episcopi eminere debent, ab eo petentes. Si ergo ille puellæ suscitandæ adsistit, si in montem ascendit, si ad vigilandum & orandum in horto recipitur: ita & vos memores estote vocationis vestræ, ut sitis bonus odor Christi in omni loco, & quantum in vobis est, odor vitæ in vitam, non mortis in mortem. Ascendite in montem excelsum vos qui evangelizatis Sion: exaltate in fortitudine vocem vestram, curate, ut qui non sapiunt, sapiant; & qui sapiunt, non desipiant: & qui desipiunt, resipiscant. Vigilate, attendentes vobis & universo gregi, tanquam rationem severissimam de illo reddituri incorruptissimo atque inexorabili judici, sanguinemque ovium perditarum de manu speculatoris requirenti. Orate, ut vigilantibus vobis Christus vires addat, ut possitis cum ejus digito omnia adversus vincentes, quod glorioissimum est & vere apostolicum, in tribulationibus pro ecclesia toleratis gloriari. Si tandem in fidem Joannis traditur mater de cruce, ad hunc modum reputate sacrosanctæ synodo per Spiritum sanctum commissam esse ecclesiam, ut illam nunc mœrentem, & Christum quasi de novo in suis crucifixum cum dolore & luctu spectantem, in matrem vestram accipiatis; ut jacentem authoritatis vestræ brachiis erigatis; ut nutantem sincera fidei & dogmatum doctrina; tanquam firmissimæ columnæ fulciatis; ut ei egenti, subsidio sanctorum canonum, quibus collapsa reparentur, obliqua dirigantur, deformiaque reformentur, subveniatis; denique ut ei jugem vestram præsentiam atque operam exhibentes, hactenus pastoribus suis destitutam consolari, atque confortare possitis. Dixi.

Mich 4.

VI.

JOANNIS BAPTISTÆ CAMPEGII Bononiensis, Majoricensium episcopi, oratio de religione tuenda, ad concilium Tridentinum.

QUod erat optandum, sanctissimi patres, & quod unum ad teterrimam pestem, per totum terrarum orbem diutius pervagatam, nec non ad invidiam nostri ordinis infamiamque sedandam maxime pertinebat: id, divino primum consilio, deinde summi pontificis, summique imperatoris pietate, studio, ac diligentia, datum atque oblatum videtur. Etenim pestifer ille serpens, cujus veneno jampridem tota fere Germania infecta erat, Britannia contabuerat; jam Italiam versus, ceterasque Christianas provincias, & nationes paulatim alas expanderat, ac bonam populi partem contagioso aspectu pernicioseque afflatu impune tabefecerat. Nos vero, qui populorum pastores, qui religionis propugnacula, qui reip. Christianæ firmamenta, quique adeo terrarum orbis lumina, splendoresque habebamur: hactenus impietati ludibrio fuimus, nec pietatis offensionem omnem vitavimus. Inveteravit enim jam, & penitus in mentibus hominum insedit opinio, populis quidem perniciosa, nobis vero admodum, quæ per universum fere orbem, omnium Christianorum sermone percrebuit, episcopos, atque pastores, non ut pastores jam, sed ut mercenarios, mercedem tantum spectare, sibi cavere, sua procurare, cetera negligere; irrumpant licet lupi, grassentur per ovile, necent, auferant, dum sibi cautum sit, pastores nihil ultra quærere, ne tantillum quidem oneris subire, si genium vel minima voluptatis parte sint defraudaturi.

Quæ sane voces, aliæque hujusmodi, utinam patres, ut falso, & a perditis passim hominibus jactabantur, ita in multorum animis locum ac sedem non obtinuissent. Etenim melius illi fortasse suæ saluti consuluissent, & nos, tanta apud bonos suspicione, apud improbos vero infamia, minime laboravissemus. Dicant enim, quæso, quantum temporis prætermissum est, ex quo hujusmodi pestis, ac flamma cœpit hominum animos pervagari, quin summorum pontificum vigilantia, invictissimi imperatoris pietate, pluribus amplissimorum cardinalium legationibus, episcoporum labore ac diligentia illi, loco ac tempore, pro viribus non sit occursum. Ac ni optima principum consilia, gravis semper reipublicæ fortuna interrupisset, quæ illorum animos a cœpto cursu, pulcherrimisque conatibus retardasset, & ad alias res primo quoque tempore capessendas revocasset: profecto talis morbus & incendium, eorum studio, virtute, ac procuratione penitus fuisset extinctum. Sed non plus illi omnes, quam una temporum perversitas, potuere.

Quarum rerum equidem multa, eaque præclara testimonia, patres, adducerem; quibus scilicet pontificibus, quibus temporibus, quibus locis, & quoties fuerit congregata synodus, quod unum remedium tantis malis adhiberi posse videbatur; quoties rursus, bellis sive gerendis, sive impendentibus, aut aliis quibusdam difficultatibus, eadem interrupta sit, atque impedita: ni vererer orationem meam dilatare, quæ infinita esse posset: atque etiam ut omnem prorsus occasionem in hac parte insolentius volitandi, ac insultandi vehementius devitem: præsertim cum vos ipsi, omnibus rerum omnium certissimi ac locupletissimi testes esse possitis. Non enim, ut cetera omittam, semel aut iterum, sed persæpe e variis orbis partibus maximis vestrum rerumque vestrarum incommodis, ac periculis conveniistis.

Nunc vero ipsius summi pontificis, piissimique imperatoris egregia voluntas, singularisque virtus, quibus non laudibus, quibusque honoribus decorandæ videntur? qui cum statim restituta synodo, multæ iterum tempestatum species, turbulentissimæque armorum procellæ toto

pro-

propemodum orbe, terra marique excitatæ consurgerent, omnibus pro Christi ecclesiæ fluctuante pro nihilo habitis, frequentem illam religionis rem tractare, hoc agere, ad hoc tantum negotium incumbere, & volunt, ut par est, & jubent. Quippe eo rabies hæreticorum evasit, ut, nisi illis saltem hoc tempore obviam iretur, omnia ab eorum profanis latratibus, venenatisque morsibus discerpta fuissent, ac lacerata.

Venit igitur, patres, tempus jamdiu nobis expectatum atque exoptatum, & populo Christiano illuxit aliquando illa dies, de qua in orationis initio dixeram, & in qua, divino freti præsidio, & horum ipsorum principum auspiciis, studio ac diligentia hostes confundere, scissa dogmata resarcire, periclitanti ecclesiæ opem ferre, ejusdem authoritatem prope intermortuam renovare, susceptam nobis maculam falso improborum judicio delere, existimationem nostram jampridem amissam gentibus & nationibus reconciliare; & errantes, lapsos, ac denique fractos & debilitatos piorum animos monere, erigere, & confirmare plane valeamus. Non est enim amplius, non est metuendum, mihi credite, patres, quin ea, quæ hujusmodi temporibus, rebus omnibus omissis, tam forti, tamque alacri animo cœpta sunt, per admirabilem prudentiam, conjunctosque eorumdem principum animos & voluntates, ad pulcherrimum exitum non perducantur; præsertim illorum studium & diligentiam, vestra vigilantia, quemadmodum facitis, perpetua comes & socia consequatur.

Quæ quo pacto ad has res, & hoc potissimum tempore sit adhibenda, paucis expediam: non quo, patres, id vos ignorare arbitrer: neminem enim in hoc gravissimo pariter & sanctissimo consessu adesse intelligo, cujus summam prudentiam, & conjunctam cum pietate sapientiam non admirer: sed quoniam id mihi oneris impositum est, ut ex hoc loco apud ornatissimos, eosdemque doctissimos viros, verba faciam. Quod etsi longe vires meas exuperare sentio, tum propter rei magnitudinem, & hujus authoritatem loci, tum etiam propter imbecillitatem ingenii, & nullam prorsus ad agendum facultatem, cum mihi ipsi semper persuaserim nihil huc, nisi perfectum ingenio, atque elaboratum industria afferri oportere: tamen ne id quod semel suscepi, propter animi infirmitatem videar omnino deponere, expectationemque vestram oratione mea diutius suspensam tenere, de hac eadem vigilantia pauca & breviter dicere aggrediar; cum nullum aliud argumentum in mentem venire potuerit, quod pro loci, temporis, personarumque dignitate, commodius a me possit tractari. Quæ dum persequor, quæso vos, amplissimi patres, pro humanitate vestra, quæ summa est, ut quemadmodum hactenus feciſtis, me benigne attenteque audiatis.

Equidem, patres, cum universam rem animo complector, onusque nostrum mecum diligentius ipse considero, non eadem mihi videtur nostra, ac ceterorum principum ratio. Quamvis enim unaquæque potestas, ut ait apostolus, a Deo sit constituta: non tamen omnes in eadem arena versamur. Illi enim terrena, nos cœlestia; illi fluxas, & momentaneas, nos stabiles & sempiternas opes; illi corporum, nos animorum salutem; illi denique parum fortasse, nos maxime necessaria populis procuramus. Elaborandum est igitur, patres, & ex eo omnes industriæ nostræ nervi sunt adhibendi, quod in primis præstare debemus, ut quanto uberiora, splendidiora, Deoque optimo maximo gratiora ceteris omnibus sunt hæc, tanto majori cum diligentia hoc tempore, hoc, inquam, tempore peropportuno, & maxime omnium necessario, a nobis rite atque integre administrentur. Etenim si illa iis artibus facile retinentur, quibus initio parta sunt; sunt autem parta multorum hominum studiis & laboribus: quid de his existimandum est, patres, quæ unius tantum & Dei & hominis nocturnis diurnisque vigiliis, immensis sudoribus & cruciatibus, atque adeo pretiosissimo sanguine de sævissimi hostis manibus sunt extorta?

Illud præterea, patres, in mentem venit, principes ipsos partis opibus & imperiis, & cæsis ac fugatis hostibus, omnia pacata, omnia tranquilla possidere; mœnibus præterea præsidiisque circumunitos neminem amplius formidare. Nobis vero infirmis atque imbecillis, & cum hoste munitissimo ac sempiterno dimicantibus, semper in stationibus, in excubiis, in armis, in laboribus degendum est: ne leo ille rugiens, qui semper circuit, semper explorat, semper aliqua in incautos excogitat stratagemata, ovem aliquam, non auro, neque argento, sed, ut paulo ante dicebam, pretiosissimo sanguine redemptam, devoret.

Illud etiam, patres, præ oculis semper habendum censeo, nos esse a Deo constitutos terræ salem, mundi lumina, civitates supra montem positas, atque in omnium conspectu, in omnium ore versari; abolito sale, omnia insipida remanere, extincta luce, statim tenebras oboriri; ruente civitate, ceteras opes in eamdem ruinam trahi. Patiemur igitur, patres, Dei ecclesiam, Christi sponsam, Spiritus sancti domicilium, apostolorum ædificium, communem matrem, tanto excidio, oscitantia nostra desidiaque, corruere? Absit, patres, ut talentum illud nostræ fidei abeunte domino commissum, terra inutiliter abditum, nostra pereat socordia, ne redeunte domino, & rationem ab oscitantibus exposcente, in exteriores tenebras conjiciamur. Ethnicus ille poeta, patres, dum universæ Græciæ imperatorem pro una muliere, & eadem adultera, bellum gerentem inducit, figmentis quibusdam admonet, illi, cujus consilio omnia nituntur, & cui totius exercitus salus commissa est, semper esse vigilandum. Nos autem, quibus verum illud, atque divinum oraculum perpetuam pollicetur beatitudinem, si, ut frugi servos decet, etsi prima, etsi secunda vigilia venerit dominus, invenerit vigilantes: his temporibus bellum pro aris & focis gerendo dormiemus? aut muliercularum more compressis manibus totum diem sedentes otiabimur? minime, patres, minime inquam: at illud potius meminerimus, hunc illum nobis peroptatum illuxisse diem, quo, si viri erimus, & plane viri, sicut esse debemus, sublata humeris cruce, Christi sanguine insigniti, fidei lorica induti, ac sanæ doctrinæ gladio præcincti, ejus ecclesiæ nos acerrimos propugnatores habeamus, ut demum victis, ac spoliatis hostibus, non Jovis, sed veri Dei templa, non Romana, sed cœlestia capitolia triumphantes ascendere valeamus.

Nitendum est etiam, patres, in quo vigilandum, laborandum, sudandum omnino nobis est, si vigilantissimi pastoris officium atque partes omnes sustinere volumus, ut patientiam, perseverantiam, animi magnitudinem, & caritatem supremi pastoris, qui se nobis, tanquam speciosissimum exemplar semper, & in singulis quibusquo actionibus imitandum proposuit, quoad ejus fieri

poſſit, imitemur. Quod etſi arduum, & longe omnium difficillimum eſt: tamen in rebus præclariſſimis, & humanas vires excedentibus, prima ſequendo, ſemper honeſtiſſimum fuit, & habitum eſt, in ſecundis, tertiiſque conſiſtere; id, quod nobis, eo præſertim auſpice & adjutore, poterit aliqua ex parte contingere; ſi pro Dei gloria, & populorum ſalute conſervanda, ipſius veſtigiis inſiſtentes, vitam ipſam & ſanguinem, nedum cetera omnia, cum uſus venerit, profundere non dubitaverimus; ſi præſertim hoc tempore, rebus omnibus confuſis ac perturbatis, & ventis quibuſdam reflantibus, animo non defecerimus, ſed in Chriſti cauſa defendenda, quantum in nobis fuerit, perſtiterimus. Quam ſi per ipſorum temporum, vel hominum quorumdam malitiam, tueri non dabitur; opprimi nos onere officii potius eligamus, quam tam piam, tam ſanctam, tam ſalutarem, tam illuſtrem provinciam ſuſtinendam, nobis impoſitam, & alias quidem ſæpe ſuſtentatam, aut propter perfidiam abjicere, aut propter ignaviam deſerere. Si demum noſtra conſilia & cogitationes omnes, ad augendam religionem, moreſque inſtaurandos retulerimus, & in mediis tenebris, fluctibus, ac tempeſtatibus, in Chriſtum ſemper, tanquam in cynoſuram, intuiti fuerimus; quicquid deinde evenerit, forti, conſtantique animo toleraturi, & nobiſcum præclariſſime actum exiſtimaturi, ſi digni habiti fuerimus pro Chriſti gloria probra & contumelias pati.

Hæc eſt illa patientia, quam veri imitatores Chriſti, tanquam munitiſſimum clypeum contra quoſcumque mundi ictus objicere conſueverunt; hæc illa perſeverantia, quæ a nobis exigitur, & quam rerum præſens ſtatus, & temporum ratio maxime requirit; hæc animi altitudo eſt, & tranquillitas, quæ in Chriſtianis hominibus, & potiſſimum in epiſcopis, ineſſe debet; hæc denique eſt illa ceterarum omnium virtutum regina caritas, quam nobis Chriſtus ſervator noſter cœlos aſcenſurus veluti ex teſtimonio reliquit, maximeque omnium commendavit.

Ægrotat, patres, totum reipublicæ corpus, & eo genere morbi, ac gravitate, mihi credite, ægrotat, ut niſi in medicinis faciendis peritia & diligentia veſtra maxime apparuerit, ejus ſalus in maximum periculum, & extremum pene diſcrimen, ſit adducta. Omnia enim, quæ pro illius incolumitate, conſervatione, ac ſalute, ſumma præpotentis Dei noſtri benignitate illi data ac donata ſunt, ab iſtis novis atque eruditis magiſtris aut omnino tolluntur, aut pro maxime dubiis relinquuntur; ita ut veritati vanitas, medicinæ venenum, rebus ſalutaribus mortifera omnia plane ſucceſſiſſe videantur. Tanta, proh dolor! mentibus humanis per coſdem offuſa eſt caligo. Et quidem ceteris iſtorum vitiis ac peccatis ita moveor, ut ea reprehendenda tantum exiſtimem: hic vero tanto dolore afficior, ut non queam ſatis, neque miſeram temporum noſtrorum conditionem deplorare, neque hujus negotii, quod tractamus, rationem fortunamque miſerari.

Sed omittamus querelas, ne oratio noſtra ab eo, quod inſtituimus, aliena eſſe videatur: & illuc revertamur, ut diligenter attendamus qua cura, quo ſtudio, quanto animi fervore in eam provinciam nobis incumbendum ſit, in qua præcipue de animabus agitur, nec illis quidem paucis, ſed de his omnibus, quæ in toto terrarum orbe & ſunt, & in poſterum ſunt futuræ, pro quibus Chriſtus ipſe Deus & homo, mori, & extrema quæque ſupplicia pati voluit: a cujus quidem præſidio cum ipſæ diſcedunt, vos proximos habent, vos ſibi propugnacula, vos munimenta, vos duces, vos milites, vos patres, vos pene Deos reputant. Quod ſi nos orarent, atque obſecrarent, ut ſuis incommodis, neceſſitatibus, ſaluti denique in tanta præſertim rerum omnium ſuarum perturbatione, ne dicam deſperatione, conſuleremus: quid aut illis honeſte reſpondere poſſemus, aut pro earum miſeriis ſive tollendis, ſive ſublevandis facere, niſi ut nos fidemque noſtram implorent? Adſunt, & implorant: neque ſolum implorant, verum etiam vehementer efflagitant.

Fingite cogitationibus veſtris, liberæ enim ſunt cogitationes noſtræ, eas hic ſordidatas adeſſe, noſque veluti ſuorum ulcerum, atque ægritudinum medicos & curatores peritiſſimos huc adductos intueri, & ſæpe ac ſæpius appellare; ſummoque & incredibili pene deſiderio teneri progreſſum atque exitum hujus concilii videndi, in quo uno totam ſpem ſuæ ſalutis atque incolumitatis poſitam & collocatam eſſe intelligunt. Poſſumus, ampliſſimi patres, illis egregie admodum operam noſtram navare, poſſumus: omnia enim quæ ad hanc rem ſpectare videntur, prompta ſunt & parata; tempus, locus, patrum frequentia, principum fere omnium unanimis conſenſus præſto nobis ſunt, neque ullum auxilium adventitium expectandum amplius, aut expetendum videtur. Quod ſi a vobis deſtituantur, id quod vix in mentem cujuſquam venire, aut cadere poteſt: quo infelices confugiant, quemve portum ſuæ miſeræ atque jactatæ fortunæ huc atque illuc fluctantes invenire poſſint, aut quo ſe vertant, amplius non habent: nullumque periculum adeo grave inveniri, aut excogitari poterit, ad quod, tanquam ad ſcopulum, eas detrudi aliquando non ſit neceſſe.

Quare perpetua illa vigilantia, quam civitatibus, quibus præfecti eſtis, debetis, facite, patres, ut hoc potiſſimum tempore toti terrarum orbi illuceſat; perficite, ut quam de vobis Chriſtiani homines conceperunt, non eos fruſtretur opinio; mementote etiam, & ſæpe ac ſæpius in mentes veſtras revocate, quæ præmia vivo Dei omnipotentis oraculo Chriſtum intrepide confitentibus ſint ſtatuta; quæve rurſus eos ſupplicia maneant, qui vel opes, vel gloriam, vel propriam ſalutem, ſacroſancto illius nomini anteponant. Sit clarum illud Nicænum concilium, patres, quo horrenda Arianorum rabies ſedata eſt: ornetur eximia laude Conſtantinopolitanum, quo impia Macedonicorum ſententia fuit damnata: habeatur egregium Epheſinum, quod ingentem Neſtorianorum flammam extinxit: anteponatur his Chalcedonenſe, quo pertinax Eutychianorum perverſitas eſt debellata: cetera item in æterna gloria ſint, quibus diverſæ diverſis temporibus oborientes hæreſes, ſunt radicitus extirpatæ. Erit profecto inter horum laudes aliquid loci veſtræ gloriæ, ſi non unam, aut alteram, ſed tot ac tantas recentium hæreticorum hæreſes atque monſtra, veſtris ſanctiſſimis decretis, tanquam fortibus & fulgentibus armis, de medio funditus ſuſtuleritis: quanquam omnis honor & gloria principi, atque omnium bonorum authori Deo, ſit tribuenda, qui per vos eccleſiæ ſuæ conſultum eſſe voluerit.

Quæ cum ita ſint, patres, primum totius reipublicæ Chriſtianę cauſa, qua ſecundum Deum nulla res cuiquam potior eſſe debet; deinde pro veſtra ſum-

summa & nobis cognita pietate; pro mea item, A quam communem vobiscum habeo, authoritate vos hortor, pro magnitudine imminentis periculi obtestor, ut otio, ut paci, ut omnium saluti consulatis, atque ea in præsenti futurisque consessibus Spiritus sancti favore diligenter, ut instituistis, & fortiter decernatis, quæ vobis honesta, reipublicæ salutaria, Deo optimo maximo gloriosa sint futura.

Te vero, beatissime Paule, te inquam sapientissimum, & singulari quadam electione electum apostolorum appello: id quod tacito quodam animi sensu, & cogitatione universa hæc sacrosancta synodus facit: atque ego illius nomine supplex, humique prostratus, quanta maxima possum animi & vocis contentione abs te peto, & flagito, ut quemadmodum hujusmodi die admirabili atque extraordinaria Dei virtute, & misericordia effectum est, B ut ex Saulo Paulus, ex impio pius, ex atrocissimo Christiani nominis hoste acerrimus ejusdem propugnator & propagator evaderes; ita piissimis tuis, efficacissimisque precibus hodierna die, atque hoc ipso temporis puncto, quo loquor, eamdem plane virtutem, & misericordiam omnibus rebellibus, obstinatis, atque in suis pravis opinionibus & hæresibus obfirmatis animis imperrare contendas: quandoquidem ea omnia, quæ humana ratione & sapientia inveniri aut excogitari hactenus potuerunt, nihil, aut certe parum admodum profecere. Quod si per te impetratum fuerit, non tu quidem beatior eris, & sanctior; neque enim esse potes, qui nunc es & beatissimus, & sanctissimus: sed certe nomen tuum illustrius & majori quadam celebritate quam antea in omnium gentium ac populorum sermonibus & mentibus semper hærebit: siquidem ex tali beneficio non minorem utilitatem universus orbis sentiet ac percipiet, quam olim, dum in terris pro Christo legatione fungereris, ex tuis gravibus ac vehementibus concionibus idem senserit atque perceperit: nisi forte majus sit populis patefacere viam ad felicitatem, quam curare, ut qui a vera religione defecerint, rursus resipiscant, & in rectam salutis semitam revertantur. Hoc iterum abs te, non sua commoda procurantes, non privatas injurias ulcisci quærentes, non regni, aut alicujus potentiæ appetentes, postulant; sed hi qui laudem, ac gloriam Dei tuendam, & conservandam susceperunt; hi qui rerum omnium sibi carissimarum obliti, maria & terras, ad tui exemplum difficillimis temporibus pertranseuntes, hue religionis constituendæ gratia confluxere; hi denique qui nihil aliud cogitant, nihil agunt, nihil moliuntur, nihil magis in optatis habent, quam ut idem sentiant omnes, idem dicant, idem velint, ac inter ipsos nullum prorsus schisma reperiatur; ita ut caritatem maxime amplexantes, & in vera fide ac religione, ea qua decet pietate ac constantia, perseverantes, tandem in Christo, cum Christo, & per Christum in die domini salvi fiant. Dixi.

VII.

LUDOVICI MAJORANI GRAVINATIS, canonici ordinis Lateranensis, de optimo reipublicæ statu oratio, missa ad patres in concilio Tridentino.

Pars prima de utilitate & necessitate concilii generum.

SI unquam regnorum moderatoribus necessaria fuit in rebus dubiis providentia, & præstans quoddam animi robur, ne populorum suorum salus adversariorum incursione periclitaretur, atque ne provinciarum suarum jura hostili gladio violarentur: nunc profecto nunc, proceres sacri, qui habenas rerum tenetis, & a quorum sacro & divino nutu ceteri omnes Christiani principes pendent: nunc, inquam, vobis necessario tantis Europæ incommodis & detrimentis obviam eundum est, atque etiam nunc est vobis tantopere afflictis & profligatis Romani imperii rebus invicto & excelsissimo animo tandem serio consulendum. Cadens enim Christiana respublica, cadensque vera religio, quæ etiam apud tot Christiani nominis urbes, atque provincias, intestinis dissidiis tam indigne labefactata est, atque convulsa, indiget vestra ope, indiget vestro & consilio & auxilio, patres: & usque adeo indiget, ut si vos mature non opitulemini utrique, & hanc in aliquam contaminatam superstitionem, & illam ad summum interitum ruere necesse sit. Amplissimum orientis imperium corruit, Turcarum & Barbarorum insidiis tam fœde Christianis principibus ereptum. Opulentissimum Pannoniæ regnum, totius olim Christianæ religionis firmissimum propugnaculum, hac nostra tempestate simili casu fractum est, & comminutum. Germania fere universa novam sacrorum rationem suscitavit, novum morem, novam consuetudinem in rempublicam induxit. Britannia pariter omnis e sinu gremioque sacrosanctæ communis parentis ecclesiæ bis abstracta est: Helvetiorum tot pagi, & ab antiqua patrum institutione, & a republica desciverunt: ipsa etiam Gallia, quæ alias semper fuit alumna & nutrix veræ pietatis, de commutandis sacris, novandisque divinæ religionis cæremoniis, proximis superioribus diebus, ut scitis, turbulenter tumultuata est, & tumultuatur. In reliquum denique Christianum orbem, quæ vitiosæ & corruptæ consuetudines, qui pessimi & teterrimi mores non irrepserunt? Instat præterea communis hostis, instat orientis tyrannus: instat, inquam, nobis jamdudum, magna ex parte ad Africæ fyrtes disjecta & capta classe victis & perturbatis, nullaque ex parte nobis ipsis constantibus. Quamobrem, patres, indiget vestra ope, & mature, ut dixi, Christiana respublica. Usquequaque enim & externis hostibus & domesticis laborat, ingravescitque in dies non modo externum, sed etiam intestinum & domesticum malum. Ad quos confugiat, a quibus auxilium petat, quos appellet, quorum fidem imploret Christiani populi grex, nullos habet, nisi vos, quos huic præcipuo & unico muneri voluit Deus esse præpositos, videlicet, illum pascere ac tueri: si quidem vos estis in terris signiferi, & duces populi Dei: vobis in primis divinitus delatæ atque concreditæ sunt præfecturæ totius orbis. Vestrum est explorare, constituere, atque præscribere, quid reipublicæ, quid communi utilitati expediat: ceteris piis omnibus fas est obtemperare, jussa capessere, dicto audientes esse. Vos posuit dominus custodes, & conservatores civitatis sanctæ: vos dedit Deus speculatores domui Israel. Quare e manibus duntaxat vestris occisorum animas requiret: quia prospexistis insidias, gladiumque adventantem, & non insonuistis buccina, & signum e specula non dedistis, ut populus custodiret se.

præsertim autem hujus Tridentini hoc turbulentissimo tempore.

Tantis Christianæ reip. detrimentis addi potest recens Cypri; & Gulettanæ arcis, ac Tunetani propugnaculi jactura.

Unusquisque vestrum per se, nullo adjuvante, quodammodo certe poterat quondam tetræ & immanis belluæ, cæterarum ferarum impetum atque ferociam perhorrescere, de sua quisque incolumitate esse solicitus, gregem sine præsidio relinquere direptionibus, in fugam sese conjicere, terga dare. Nunc autem in tanta levissimorum pastorum, sacratissimorumque procerum frequentia, in tot du-

cum ſapientiſſimorum, fortiſſimorumque virorum centuriis, quo minus una omnes juſtitiæ & pietatis arma capiatis, nulla amplius excuſatio vobis univerſis jure reliqua eſſe poteſt: præſertim cum de vobis præpotens verbum illud, omnipotens ſermo Dei, divina veritas, princeps omnium Chriſtus dixerit: *Ubi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* *Matth. 18.*

Aucta eſt, patres, ſumme Chriſtiana reſpublica, per univerſum prope orbem radices egit, & propagata eſt: nullis Barbarorum excurſionibus vaſtabatur, aut vexabatur tunc, cum ſacrorum antiſtites, tunc, cum divinæ religionis cultores & moderatores, de pace, de moribus, de communi ſalute, deque optimo ſtatu reipublicæ, una ſæpe ac ſæpius conſultabant. Nunc autem quid mirum, ſi & foris, & domi, tot contumeliis operitur, tot calamitatibus opprimitur reſpublica, cum publicæ illæ ſeniorum animadverſiones, cum communia illa veterum & prudentium hominum conſulta, cum catholica, quæ dicuntur & œcumenica patrum concilia, tot jam annos, tot jam ſæcula conticuerint, intercapedinem conſultandi fecerint, ſint intermiſſa?

Exoriebantur & olim quidem, atque etiam inſurgebant quandoque turbulenti homines, adſtipulatores & defenſores novarum ſententiarum, ut Chriſtianam diſciplinam, ut majorum inſtituta commutarent, atque convellerent: at ſtatim ſedabantur eorum ſeditiones, actutum coercebatur eorum temeritas, confeſtim eorum audacia frangebatur, illico eorum conatus comprimebantur, protinus, repente, e veſtigio opprimebantur: quia hoc erat illis ſapientiſſimis patribus noſtris præcipuum ſtudium, hæc præcipua cogitatio, quamprimum ſacros Chriſtiani imperii præfectos unum in locum congregare, omnium ordinum conventum agere. Seniores ſententiam ſuam de republica ſinguli dicebant, quodque aſſenſione omnium vel plurimorum comprobatum erat, id firmum, & in perpetuum ratum omnes habebant. Hoc quidem certe pacto, quos de ſtimulatoribus, & concitatoribus ſeditionum, quos de commentitiæ religionis interpretibus, Chriſtiana reſpublica non egit triumphos? quæ lapſa morum diſciplina in antiquum ſtatum, in priſtinam dignitatem non eſt reſtituta? quos potentiſſimos hoſtes, & domeſticos, & externos, non expugnavit, non proſtravit, non exterminavit? Utinam, patres, & apud nos non tam raro, ſed more majorum frequenter & aſſidue in communi concilio de communi ſalute, ac de publicis rebus decretum eſſet: quandoquidem in præſentia & levium, ſeditioſorumque fratrum invidia, & externorum hoſtium vi & tyrannide fortaſſis non tantopere laboraremus.

Verum inter has tragœdias, inter hæc incommoda, quæ certe maxima ſunt, gratias quoque agamus maximas ſummo procreatori & principi omnium Deo: quia reſpexit nunc tandem Iſrael puerum ſuum, recordatus miſericordiæ ſuæ. Injiſtis enim tandem, vel iniſium quondam, nunc tandem divini numinis beneficio abſolvere contenditis hoc generale & ſummum, toties interruptum Tridentinum concilium. Summum, inquam, & generale: quandoquidem in eo, non de ſalute tantummodo ſociorum, non de propellendis tantummodo hominum injuriis, non de una tantummodo ſeditione ſedanda, verum etiam de fratrum noſtrorum, atque de propria animorum & corporum incolumitate & ſalute, verum etiam de ſumma rerum agendum eſt.

Singulis enim ætatibus, etſi aliqua magna & turbulenta diſcordiarum & ſeditionum tempeſtate jactatam fuiſſe Petri naviculam inficias certe iri non poſſit: attamen, vera ut fateamur, imbres, nimbi, procellæ illæ, haudquaquam fuerunt ejuſmodi, ut navim curſum ſuum tenentem impedirent, miſerrimum ut naufragium, extremam ut calamitatem minitarentur. Nunc autem longe plurima eidem adverſa atque infeſta ſunt. Etenim turbinibus, turbulentiſſimiſque tempeſtatibus, tonitruis, fulminibuſque undique quatitur, atque agitatur Chriſtianum navigium, omniaque vim & mortem uſquequaque intentant. Ex altera enim parte nonnullorum imperitorum remigum pertinacia, cæremoniarum & myſteriorum prope omnium remi fracti ſunt; ex altera vero quibus depravatæ diſciplinæ fluctibus, quibus morum perditiſſimorum præruptis aquarum montibus non operitur, obruiturque? Quique præterea tantarum alluvionum & fœditatum ſentinam exhauriat, ne unus quidem eſſe videtur. Quotquot etiam navim hanc conſcenderunt, ad unum omnes, ſtomachi faſtidio laborant, nauſeant, alacri & erecto animo eſſe nequeunt, uſquequaque mœrore afflicti ſunt, & profligati, ut perditi ſeſe huc & illuc objiciunt, & proſternunt: omnia denique perturbata atque confuſa ſunt. Nuſquam conſilio, nuſquam pietati, nuſquam ſaluti locus eſt, niſi hic apud vos, patres, qui ſedetis in puppi, qui clavum Chriſtiani imperii tenetis, qui gubernacula totius Chriſtianæ reipublicæ tractatis. Sed quia, ut dixit eruditiſſimus ille, etiam ſummi gubernatores in magnis tempeſtatibus nonnumquam a vectoribus admoneri ſolent: idcirco vos, optimi & ſapientiſſimi patres, obſecro atque obteſtor, ut quæ ipſe qui vobiſcum in eadem navi ſum, iiſdem fluctibus, eadem tempeſtate quatior; quæ, inquam, ipſe de republica, de communi ſalute, de religione hiſce chartis, quaſi quibuſdam internunciis, vobiſcum acturus ſum, æqui bonique faciatis: atque etiam pro veſtra in rempublicam diligentia, proque admirabili veſtra ſapientia, & prudentia, pro veſtra quoque manſuetudine & humanitate, prove magnitudine periculi, attente bonaque cum venia audire, & conſiderare ne gravemini: præſertim cum me ad id ſanctiſſimum munus obeundum ſola reipublicæ caritas impulerit: præſertim cum ipſe non ad conciliandam mihi hominum gratiam, ſed concitatus duntaxat ſtudio pietatis & veritatis, vobis hunc animi mei ſenſum exprimere, meam hanc de religione ſententiam dicere, inſtituerim: præſertim cum non multa & innumerabilia, ut rhetores ſolent, ad inanem ingenii eloquentiæve oſtentationem, ſed perpauca quædam & neceſſaria, ut pios homines, & ſimplicis veritatis amatores decet, atque ut hujus loci, & horum temporum turbulentiſſimorum ratio exigere videtur, ſim commemoraturus: præſertim cum non ad unum, non ad paucos, ſed ad univerſos, deque multorum atque univerſorum incolumitate & libertate verba facturus ſim: præſertim denique cum non præceptis, non inſtitutis, non præſcriptis, ſed fraternis tantummodo precibus & obſecrationibus, ſed Chriſtiana tantummodo admonitione, atque hortatione vobiſcum ſim acturus: in cujus admonitionis atque hortationis initio hoc in primis occurrit, nimirum, ut percuncter (date mihi, quæſo hanc veniam, patres) ut ſciſciter, ut quæram ex vobis:

Primum, quinam eſtis vos?

Deinde, quamobrem iſto conveniſtis?

Poſtremo, quis vos miſit?

Cic. Thuſc. Tuſcul. 7.

Hæc

Pars secunda de corruptelis extirpandis de quæ ipsa morum disciplina in pristinum statum restituenda.

Hæc tria duntaxat sunt, patres, quæ a vobis hac in causa summatim exquiram: & quidem ad id de quo primo quærebatur, videlicet, quinam estis vos? Num aliud, quam hujusmodi responsum dare poteritis? Nempe quod estis proceres sacri, regale sacerdotium, gens sancta, genus electum, custodes vineæ domini, sal terræ, lux mundi, duces cæcorum, pastores animarum, & ejusdem generis reliqua? Non profecto: etenim estis. At cum sitis tales, nonne par est, nonne æquum est tandem, his præsertim temporibus, munus vestrum agnoscere, atque exequi? Si quidem, ut Dei virtus & sapientia Christi testatur; *non potest civitas abscondi supra montem posita, neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt.* Hoc, si vera fateri volumus, hoc potissimum fuit causæ, cur hoc nostro sæculo effusæ sint tot tenebræ, & cæcæ nubes, Christianæ reipublicæ, quia lucernæ domus domini, quarum splendor omnibus lucere debebat, sub modio fuerunt: quia lampades sanctuarii, magna ex parte ministrorum incuria, obscura caligine tectæ sunt: quia publicæ religionis ministri, qui sacrorum antistites, amoverunt candelabrum Dei de loco suo, & dilexerunt, nescio quo fato, & occulto Dei judicio, magis tenebras, quam lucem: quia vehementer quidam cupiditatum & ambitionum quasi venti, per fenestras templi in sancta sanctorum irrumpentes, ad unum fere omnia vere pietatis lumina extinxerunt.

Matth. 5.

Metiamur, quæso, hæc nostra tempora ex antiquis: & conferamus, obsecro, præsentem Christianæ reipublicæ & religionis statum, atque hujus temporis vivendi morem, cum priscis & heroicis fidei & religionis nostræ temporibus. Proh dolor! nonne vinea electa domini exercituum conversa est in pravum? nonne pro uvis labruscas protulit? nunquid non vastata est maceria ejus? nonne tota die direptionibus patefacta est, atque exposita? numquid non videmiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam? vel num non vastavit eam aper de sylva? aut numquid singularis ferus non depastus est eam? Conversa est, conversa est, majori ex parte omnis Christianæ disciplinæ ratio: immutata est universa fere totius Christianæ reipublicæ facies, vis moribus undique facta est: cuncti e recta patrum consuetudine recessimus, ruuntque in dies in pejus omnia: usque adeo ut non modo ægrota, sed prope desperata videatur esse Christiana respublica. Neque aliud reliquum his tot incommodis remedium arbitror, patres, nisi ut ex quibus rebus rempublicam maxime laborare prospicitis, iis etiam maxime medicinam faciatis: nisi ut unde inflicta & imposita sunt vulnera reipublicæ, indidem etiam medicamenta salutaria promantur.

Hierem. Isaiæ. 5. Psalm. 79.

Quamobrem in hoc in primis est bonis omnibus in hoc sacro consessu omni ope & opera elaborandum atque enitendum, patres; nempe ut lucernæ domus domini, quæ tandiu tot crassis tetrisque circumfusæ & occultatæ tenebris latuerant, tandem aliquando in medium proferantur, inque oculis omnium collocentur, ut vere luceant omnibus, qui in domo sunt. Quo autem pacto lucernæ istæ sacræ, qui estis vos (vos enim æternæ lucis & summi luminis similitudinem quandam speciemque in terris geritis) vere lucere poterunt omnibus, qui in domo sunt? Ipse equidem hanc unam duntaxat superesse rationem perspicio, hanc viam unicam, hoc est, ut unusquisque nostrum separatim, & omnes una diligenter memoria repetamus, & ante oculos nostros ponamus exempla majorum, nimirum quibus artibus hoc sacrum imperium, qua disciplina hanc sanctam rempublicam fundaverunt. Iisdem enim institutis, quibus parta est & aucta, & non aliis, retineri & conservari potest Christiana majestas. Quid igitur majores nostri, patres nostri, heroes nostri, a quibus nos tandem degeneravimus, quorum veteres laudes nostris facinoribus obtrivimus, quibus dedecori sumus: quid, inquam, illi sanctissimi viri, Deoque tam cari & accepti homines in instituenda atque in excolenda vinea domini moliti sunt? quid fecerunt? non aliud quidem, nisi hoc unum: nempe, ut non quæ sua erant, quærerent; sed quæ Jesu Christi. Hoc erat illis unicum studium, quomodo non hominibus, sed uni Deo placerent. Non honores, sed labores; non dominatum, sed dominum quæritabant. Erant tyranni animorum, non hominum; non divitiarum, sed animarum erant episcopi. Affluebant & ipsi certe divitiis, attamen vitiis omnibus carebant: meritis, non opibus; moribus, non vestibus placebant: non equos & canes, sed egenos & inopes alebant: non tantum præferebant sanctitatis speciem, sed vere erant *ministri Christi,* 1. Cor. 4. *& dispensatores mysteriorum Dei:* sedebant quidem in cathedra, regalique solio; sed Deo, sed cœlitibus semper assistebant: errantibus veritatis viam, proximis suis lucis exempla ministrabant: pascebant gregem domini, non semetipsos: erant vere Ezech. 34. pastores, non mercenarii: lacte quidem & carne vescebantur, & quidem lanis operiebantur; at quod infirmum, abjectum, & semivivum, alligabant, excitabant, reducebant. Oves domini non erant in montibus errantes, grex Christi in tuto locatus erat, optimorum custodum præsidio munitus. Erant non modo successores in regno Christi, verum etiam amatores, imitatores, & æmulatores Christianæ pietatis: denique ministrabant, non imperitabant. Hinc factum est, ut ipse quoque summus præfectus orbis Romanus pontifex, servus servorum Dei diceretur. His artibus, his moribus, his institutis, majores nostri tot urbes, tot provincias, tot regna, totum denique terrarum orbem Christiano imperio subjecerunt: ita ut Roma, quemadmodum ait Leo pontifex, *latius præsideret potestate divina, quam dominatione terrena: & minus esset quod illi bellicus labor subdidit, quam quod pax Christiana subegit.* *Leo pontifex in natalitiis Petri & Pauli.*

Sed, o miserrimam nostrorum temporum conditionem! ubi nunc est tantum imperium? nonne ex tribus illis sertis, ex tribus illis summis omnium gentium & regum coronis, duæ e capitibus nostris in terram ceciderunt & comminutæ sunt? & tertia, heu! nonne undique nutat? Vix, vix hic minimus Europæ angulus, ex omni Asia & Africa deturbatis atque expulsis nobis relictus est: vix in his Europæ angustiis nos reliquiæ inimicorum nostrorum tuti sumus, ita ut de Christiana republica vere dici possit. *Quomodo sedet sola civitas plena populo, facta est quasi vidua domina gentium, princeps provinciarum facta est sub tributo? quomodo obtexit caligine in furore suo dominus filiam Sion? projecit de cœlo in terram inclytam Israel, & non est recordatus scabelli pedum suorum in die furoris sui? Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum?* *Hierem. Thren.*

Tantorum autem malorum, tantarum miseriarum, tam magnæ mutationis, dicite quæso, patres, quidnam aliud causæ fuit, nisi quia nos aliter gessimus rempublicam, atque a majoribus nostris institutam accepimus? nisi quia deflexiumus quam maxime de spatio curriculoque paternarum artium? Necessum erat sane, ut hæ temporum inclinationes in rempublicam incumberent, ut eadem

his in conversionibus rerum versaretur, has ut calamitates acciperet, his ut miseriis, his ut ærumnis premeretur: ut hæc denique tot maxima incommoda, & detrimenta eidem evenirent, immutatis omnino moribus, immutata penitus disciplina majorum. Staret utique adhuc integrum & incolume Christianum imperium, si sanctissimæ illæ veræ pietatis artes, si præstantissima illa veræ religionis studia, quibus fundatum fuit & stabilitum, necnon tam longe lateque propagatum, non essent intermissa atque rejecta. Nunc autem eversis omnino moribus, sublataque prorsus apud quamplurimos vera religione, quid mirum si Christianus orbis usquequaque tot corruptelarum illecebris irretitus, de pristino illo ampliſſimo gradu dejectus est? si majori ex parte corruit? si quod reliquum est rimas agit?

Quapropter si salvam & incolumem Christianam rempublicam cupitis, patres, molimini, satagite, constituite, sancite nunc (nunc enim tempus est) ut aliquando tandem reddantur, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Instate, insistite, *Matth. 22. Mar. 12. Luc. 20.* opportune, importune, ut depravata corrigantur, ut populus Christianus tandem se ad meliorem frugem recipiat, ut tandem sentiat se esse populum Dei, & vocatum, ut ait divus Paulus, non in immunditiam, sed in sanctificationem. Agnoscat præterea unusquisque suum certum ac proprium munus, ad quod vocatus est: pastores pastorum officio fungantur, oves ovium. Illud autem quam maxime advertite, patres, nempe ut piæ illæ actiones, ut salutaria illa facinora & recte facta, sine quibus omnis nostra persuasio, *Jacobi 2.* & fides, ut ait divus Jacobus, mortua est, in pristinam dignitatem, quasi postliminio, restituantur. Hoc autem fieri non potest, nisi prius sanctissimæ illæ, quæ nunc penitus in tenebris jacent, veterum consuetudines, quibus tam accurate fundata fuit & extructa Christiana disciplina, tam sancte suscepta fuit & culta Christiana religio, in lucem fuerint revocatæ, ac suum pristinum splendorem acceperint.

Videri quidem poterit nonnullis hoc permultum difficultatis & laboris habiturum, cum ob depravatos hujus sæculi mores, tum ob inveterata hominum vitia: præsertim cum illa pristina religionis, & majorum nostrorum sanctitas, perpetua quadam oblivione obruta esse videatur. At considerandum est nobis, num jure recteque in hominum oblivionem venerit: item, quæ incommoda eam ob rem nobis evenerint, quæ itidem commoda nobis eventura sint, si in integrum restituatur: eoque magis quod nulla unquam medicina reliquis partibus infirmæ reipublicæ reperietur, nisi prius hæc ejusdem reipublicæ tot gravissima, quæ in moribus sunt, vulnera, salutaribus remediis vos sanaveritis: eritque totum hoc, non arduum, neque difficile, sed perfacile potius, ac perjucundum, si tamen feceritis omnia secundum postremum illud, & divinum exemplar, quod ostensum nobis in monte, de quo præpotens pater e nube intonuit dicens: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite.* *Matth. 17.* Quid autem est, ipsum audite? nisi, quæ ipse præceperit, observate; quæ ipse docuerit, docete; quæ ipse fecerit, facite; Quid vero fecit, docuit, ac præcepit, non est opus nunc commemorare. Longum enim esset in præsentia recensere, qualisnam fuerit Christi caritas in universum genus humanum, quæ pietas, quod studium in paternas leges, qua constantia & animi firmitate honores & divitias spreverit, quibus laboribus instituerit & excoluerit vineam domini, qua fide, qua diligentia ipse idem, quoad nobiscum vixit, seminaverit divinum semen, hoc est, verbum Dei, qua cura & vigilantia sibi a patre commissas oves ac concreditum gregem paverit, custodierit, incolumem servaverit, usque eo ut nec suæ saluti, nec suæ dignitati pepercerit: qua parsimonia & frugalitate omnem vitam duxerit, quam clemens, quam mitis fuerit in alios, quam austerus & asper in semetipsum, quam veræ pacis & obedientiæ cultor, quam veræ paupertatis & humilitatis amator. Hæc & his similia hoc tempore enarrare non attinet: siquidem propalam sunt, & in oculis omnium: nec quemquam vestrum eadem latere perspectum mihi est. Satis igitur habeatis, me nunc tantum digitum ad rem intendisse: ut quantum a suo capite, quantum a suis patribus, quantum a sanctissimis illis pristinis institutis defecerit atque degeneraverit Christiana posteritas, saltem aliqua ex parte cognoscatis; utque his tam magnis febribus, quibus socrus Simonis, id est, universa ecclesia, in præsenti tenetur atque jactatur, aliquam medicinam, vos qui Christi personam geritis, afferatis; vos dico, quorum fidei jura omnia & humana, & divina commissa sunt; quique summo regi, & judici Deo, sigillatim atque etiam minutatim reddituri estis rationem administratæ reipublicæ, *Luc. 16.* & ut Christus ait, villicationis vestræ.

Cæterum hæc, & quidem admonendi, non criminandi causa, dicta satis sint de iis quæ ad primam interrogationem attinet. Veniamus igitur ad secundam, qua mihi in optatis erat, qua cupiebam scire ex vobis, patres, quamobrem isto convenistis? cur istum tam celebrem conventum agitis? cur indictum est hoc tantum concilium? Indictum est hoc tantum concilium, huc tam celebrem conventum agimus, huc convenimus, respondebitis, ut provideatur tot malis & incommodis reipubliçæ: ut arma, quæ tot domestici hostes in religionem susceperunt, deponantur: ut bellum, quod quidam ex nostratibus, more gigantum, cum Deo, & cum reliquis superis gerunt & administrant, refrigescat & extinguatur: ut qui contra religionem inventa perditissima, novaque opinionum portenta commenti sunt, cum eadem religione in gratiam redire possint: ut omnes Christi legibus obtemperantes, in eadem & probitatis & sapientiæ disciplina, inter se concilientur, conjunganturque: demum ut paci & saluti, ut dignitati communi consulatur. Cum igitur ad has præclaras quidem & necessarias res administrandas, & conficiendas, ad hæc publica munera, ad hæc tam magna & ampla negotia pertractanda, & exequenda, istum in locum congregati sitis: agite nunc, ac summa ope nitimini, o clarissima Christianæ reipublicæ lumina, ut illud idem efficiatis, ad quod venistis: ut omnium sæculorum posteritas intelligat, vobis in administranda religione, neque studium, neque pietatem, neque diligentiam defuisse: ut per vos tandem reddatur Christianis hominibus illud otium, illa pax, quam omnes cum boni, tum sapientes, maximopere semper exoptaverunt. Nitimini ne hic tantus senatus frustra coactus sit, ne respublica frustra imploraſſe auxilium vestrum dicatur, ne vos operam perdidisse, atque frustra suscepisse hunc tantum laborem, aliquando glorientur adversarii.

Pars tertia de modo quo evangelicæ doctrinæ & religionis, quæ nunc vigent, controversiæ dirimendæ atque sedandæ sint.

Hæc autem incommoda & detrimenta omnia certo eventura sunt vobis, patres, nisi omni fide, pietate, & studio posseritis ante oculos vestros hæc duo: unum, ut illius misericordiam, auxilium, & præsidium omnibus votis petatis, & implo-

retis

retis, qui unus conſceleratas & nefarias perditorum hominum voluntates vere ſanare poteſt: qui unus nobis laborantibus ſuccurrere, nobis ægris poteſt mederi: qui unus tot periculis, quæ cervicibus noſtris impendent, occurrere potis eſt: qui denique unus vim & facultatem habet infirmæ, enervatæ, afflictæ, & modis omnibus quaſſatæ reipublicæ ſaluti, fortuniſque communibus ſubveniendi. Sic enim ſcriptum eſt: *Niſi dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam.* Item, *niſi dominus cuſtodierit civitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam.* Et certe fruſtra vigilabitis in cuſtodienda Chriſtiana republica, quæ eſt civitas Dei; fruſtra laborabitis in reſtituenda eccleſia, quæ eſt domus domini; niſi idem dominus, idem ſummum numen, idem divinus Spiritus, ſanctiſſimis precibus, humilique obſecratione placatus, vobis affuerit, inque animos veſtros clariori lumine illabi cœperit, & docere vos, ſicut pollicitus eſt, omnem veritatem. Hoc namque modo ipſe idem nobiſcum pactus eſt, dicens: *Petite, & dabitur vobis; quærite, & invenietis; pulſate, & aperietur vobis.* Quod ſane quidem reipſa comprobavit tot patrum exemplis, quibus præbuit ſe refugium & adjutorem in opportunitatibus, cuſtodem præterea & propugnatorem omnium pie ſupplices manus ad ſe tendentium. Hoc igitur ſit unum, in quod oculos veſtros & animum, in his aſperitatibus rerum atque anguſtiis, ſemper conjicere debetis: nempe in patrem, & moderatorem omnium Deum, qui ſolus poteſt, ut ait ſanctiſſimus vates, præcingere vos virtute ad bellum, & ſupplantare inſurgentes in vos, ſubtus vos; necnon eripere vos de contradictionibus populi, & conſtituere vos in caput gentium: ſine quo non modo non agere aut moliri, ſed ne cogitare quidem aliquid boni unquam poteritis.

Pſal. 120. *Pſ. 14.* *Matth. 7.* *Pſal. 17.*

Alterum vero quod vobis in inſtauranda religione ſemper in oculis, ſemper in ore, ſemper in intima cogitatione eſſe debet, ſit illud idem, patres, quo alias majores noſtri in conſimilibus factionibus & controverſiis comprimendis atque ſedandis tantopere uſi ſunt: nimirum, idem illud, quod in lapſa morum diſciplina reſtituenda obſervandum eſſe commonefecimus. Quemadmodum enim in reſtituendis moribus eſſe neceſſarium dicebamus, recurrere ad incorruptas illas conſuetudines, & ad ſanctiſſima illa exempla illorum patrum, qui univerſam Chriſtianam rempublicam, tam ſingulari vitæ innocentia, tantaque pietate fundaverunt, & ad illorum præſcripta, vitæque imaginem atque normam, optimis inſtitutis & legibus præſentes mores componere, & univerſam rempublicam temperare: pariter eodemque modo in reſtituenda religione, ſacrorumve codicum germana intelligentia, quæ hæc noſtro ſæculo apud tot nationes & regna, apud tot etiam eruditiſſimos viros, tam impie depravata & corrupta eſt, operæ pretium, ac ſumme neceſſarium eſſe ducimus, ad illorum decreta confugere, illorumque ſententias perſcrutari, qui Chriſtianam religionem tam ſancte coluerunt; qui tot ſæculis, a primordiis videlicet naſcentis eccleſiæ uſque ad hæc tempora, perpetuo & incorrupte rempublicam ſervaverunt. Quibus enim aliis, iis de rebus quæ ad religionem attinent, magis fides eſt habenda, quam primis & præcipuis religionis cultoribus, & conſervatoribus illis, qui non modo ſacra, ritus, mores, conſuetudines, & cœremonias, ſed ipſa etiam ſacrarum literarum oracula, & monumenta, ſed ipſa etiam ſanctæ Chriſtianæ eruditionis & ſapientiæ volumina nobis poſteris prodiderunt?

Quamobrem ad ſacrorum librorum veram intelligentiam, non alii ipſo quidem jure conſtituendi ſunt judices, aut interpretes, quam ii, qui nobis eadem ſcripta ſacra tradiderunt, quique quo pacto, quave ratione intelligenda erant, clariſſimis exemplis perpetuiſque conſuetudinibus edocuerunt & interpretati ſunt, expreſſerunt & expoſuerunt. Etenim quiſnam alius majoris, vel ſapientiæ, vel auctoritatis judex, illas lites & controverſias, quæ de vetuſtiſſimis patrum ſcriptis, deque ſacris evangeliorum verbis inter nos ſuboriuntur, melius dirimere ac tutius componere poteſt, quam majorum noſtrorum vetuſtiſſima, & univerſalis conſuetudo? quam communis & concors eorumdem patrum ſententia? quam per totum Chriſtianum orbem omnibus ſæculis, jam inde a temporibus apoſtolorum ad hæc uſque tempora, perpetuo & quaſi per manus traditum inſtitutum, & apud omnes ſemper recepta & continuata obſervatio? *Te pacatum reddat traditio*, ait magnus Baſilius, *dominus ita docuit, apoſtoli prædicaverunt, patres obſervaverunt, confirmaverunt martyres: ſufficit dicere, ſic edoctus ſum.* Et divus Athanaſius de conſimili re ſermonem habens, ad Epictetum Corinthiorum epiſcopum, perhibet: *Hoc ſolummodo reſpondere ad talia, & dicere ſufficit: quod iſta non ſunt catholicæ eccleſiæ, neque iſta patres noſtri ſenſerunt.* Et ante hos ſanctiſſimus Lugdunenſis epiſcop. Iræneus, qui fuit ſecundo Chriſtianæ religionis ſæculo, anno ſcilicet a Chriſti natali die centeſimo quinquageſimo. *Si qua*, inquit, *diſceptatio oriatur, oportet ad antiquiſſimas recurrere eccleſias, in quibus apoſtoli converſati ſunt, & ab eis de præſenti quæſtione ſtatuere, quod certum eſt. Quid enim? ſi neque apoſtoli ſcripturas reliquiſſent nobis, nonne oportebat ordinem traditionis ſequi, quem tradiderunt ii, quibus committebant eccleſias?*

Baſilius in hom. contra Sabellium & Arrium. *Athanaſius.* *Irenæ. adverſ. hæreſ. l. 3. c. 4.*

Ex quibus profecto verbis ſatis perſpicue conſtat, patres, quomodo diſſidia optimatum, & ſacrorum virorum diſſenſiones e medio tollendæ ſint: quo judice religionis controverſiæ atque diſcordiæ ſint dirimendæ, atque ſedandæ: qua machina evertendæ ſint domeſticorum hoſtium opes: quibus denique armis feliciſſime decertandum ſit cum commentitiorum dogmatum, & damnatæ ſectæ theologis; nimirum, non divinis duntaxat teſtimoniis, non ſacris ſolummodo ſcriptis (quippe quæ ingenioſi, & turbulenti homines facile quocumque placuerit detorquere poſſunt, quemadmodum alias ejuſmodi perfidioſos homines ſingulis ætatibus feciſſe manifeſtum eſt) ſed ſcriptis quidem ſacris, ſed divinis quidem teſtimoniis, ita tamen expoſitis atque explicatis, ut a tot ſanctiſſimorum, ſapientiſſimorumque virorum intelligentia, ut a tantarum nationum communi ſenſu, ut a præjudicatis toties patrum noſtrorum ſententiis, ut a perpetuo majorum noſtrorum more, nulla ex parte abhorreant, aut diſcrepent: niſi cuilibet licere, unicuique datum eſſe dixerimus majorum inſtituta convellere, ſpectatiſſimorum ac probatiſſimorum hominum ſententiæ refragari, ſumma cum pertinacia ſuorum dogmatum impietatem tueri, Chriſtianam diſciplinam commutare atque diſſolvere, vetuſtiſſimorum auctorum elevare teſtimonia, conciliorum œcumenicorum & orthodoxorum auctoritatem repudiare: perpetuum totius eccleſiæ conſenſum pro nihilo ducere, pontificiæ poteſtati & univerſæ religioni bellum indicere, fundamenta eccleſiæ labefactare & evertere, divina denique & humana omnia ad votum, ad arbitrium, ad libidinem miſcere, perturbare atque confundere. Niſi igitur hæc, & his ſimilia impia & execranda facinora

cinora cuipiam licere dixerimus: quis ita bardus, quis adeo ſtupidus eſt, ut non intelligat, nulla ratione, nullaque ex cauſa fas eſſe tranſgredi illos terminos, quos poſuerunt nobis patres noſtri? præſertim cum etiam apud vanæ & fictæ religionis homines cæremonias veterum ſuorum retinere, cuſtodire paterna ſacra, ſuorumque majorum inſtituta tueri, ſemper ſapientis fuerit.

Ut omittam graviſſimam & clariſſimam illam divi Pauli ſententiam qua Theſſalonicenſes & reliquos Chriſtianæ pietatis cultores commonuit, ut ſtarent & tenerent, non ſcripta, non volumina, non codices, ſed *traditiones*, inquit, *quas didicerant, ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam ſuam*. Sciebat enim divinus ille doctor, *qui raptus fuit uſque ad tertium cœlum, & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui*, eccleſiam Dei eſſe vivum pectus Chriſti, ſcripturam vero quaſi mortuum atramentum, & idcirco longe potius credendum eſſe vivo pectori, quam mortuo atramento, hoc eſt, majorem fidem eſſe habendam viventi eccleſiæ, quam per ſe velut mortuis codicibus. Sciebat quoque Chriſtum non membranulas, non macrocola, non chartulas, non ſcriptiones, non literarum monumenta: ſed exempla, ſed præcepta, ſed inſtituta, ſed mandata, ſed conſulta diſcipulis ſuis dediſſe, & reliquiſſe: ut ob id apud poſteros teſtatum relinqueret, quid ipſe doctor & magiſter omnium hac de re non obſcure ſentiret, nempe, quod potius conſultis, mandatis, inſtitutis, præceptis atque exemplis, quam literarum monumentis, quam ſcriptionibus, quam chartulis, quam macrocolis, quam membranulis ſtandum erat. Sciebat item, traditiones & pias religionis conſuetudines corrumpi & adulterari non poſſe, quia religioſe, ſancte, & accurate ſervantur, ſuntque quotidie in uſu, & in oculis omnium: ſacras autem tabulas, & ipſos quamvis divinæ auctoritatis codices, non modo multis & variis cauſis adulterari & corrumpi, verum etiam eorum verba atque ſententias, per ſe licet integras & incorruptas, depravari tandem aliquando, ac pro hominum ingeniis & inſtitutis, in utramque partem deflecti & contorqueri poſſe. Id quod ſuo tempore acciditſſe beatus Petrus commemorat dicens, *indoctos quoſdam & inſtabiles depravare epiſtolas Pauli ſicut & ceteras ſcripturas, ad ſuam ipſorum perditionem*. Sciebat itidem, neque omnia quæ a Chriſto tradita ſunt, mandata eſſe literis, imo vero nec potuiſſe mandari, utpote, quæ ſi ſcripta, ut ait Joannes, fuiſſent univerſa, nec totus mundus eorum volumina capere valeret. Sciebat inſuper Chriſtum diſcipulis ſuis dixiſſe. *Adhuc habeo multa vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur a ſemetipſo, ſed quæcumque audiet loquetur: & quæ ventura ſunt, annunciabit vobis*. Sciebat præterea, vetuſtatem ſemper venerandam eſſe, & ſuo loco religioſe ſervandam: novitates autem omnes, profanas præſertim, devitandas & deteſtandas eſſe, ut illæ, quæ perſæpe errorem afferant, ac millies referri & innovari poſſint. Sciebat denique, eccleſiam Dei, cujus præcipuum munus erat reddere de rebus divinis reſponſa poſteris, eſſe columnam & firmamentum veritatis. Semper enim cœleſti numine ducitur, & ſemper fuit ſine errore, ſemperque habebit Spiritum Dei rectorem, ducem, magiſtrum, moderatorem, & aſſeſſorem individuum, omnibus diebus uſque ad mundi ſenium & conſumptionem.

Quamvis igitur, ut recte inquit doctiſſimus Origenes, *novarum ſententiarum adſtipulatores canonicas proferant ſcripturas (aliunde enim hæretici*, ut ait Tertullianus, *ſuadere non poſſent de rebus fidei, niſi ex ſcripturis fidei) nequaquam tamen illis fidem habere, nequaquam a paterna & eccleſiaſtica traditione exire, nequaquam aliter unquam credere debemus, niſi quemadmodum per ſucceſſionem eccleſiæ Dei tradiderunt nobis*. Hæc ille. Et quidem haud ab re: tum ne cum ipſis novitatibus inexpiabiles religiones in Chriſtianam rempublicam inducerentur: tum etiam ne a paterna inſtitutione, & a divinis legibus aliquo modo poſteritas declinaret: tum demum, ne (ut ad Antiochiæ eccleſiam ſcribens idem magnus Baſilius teſtatur) Chriſtiana pietas, & verus Dei cultus ſubjectus aliqua ex parte eſſet cogitatis, inventionibus, & commentis hominum. Verba ejus hæc ſunt. *Fidem vero nos, neque ab aliis ſcriptam nobis recentiorem ſuſcepimus, neque ipſi mentis noſtra germina tradere audemus, ne humana commenta exiſtimentur verba religionis; ſed quæ a ſanctis patribus edocti ſumus, ea interrogantibus nos annunciamus*. Hæc Baſilius. In quam ſententiam eunt omnes quotquot a Chriſti ortu uſque ad hoc ſæculum ſanctiſſimi patres de dogmatibus religionis ſcripſerunt. In primis autem, ut reliquos omittam, Divus Hieronymus adverſus Luciferianos: *In illa*, inquit, *eccleſia permanendum eſt, quæ ab apoſtolis fundata, uſque in hanc diem durat: nec ſibi blandiantur hæretici, ſi de ſcripturarum capitibus videntur ſibi id confirmare quod dicunt, cum & diabolus de ſcripturis aliqua ſit locutus, & ſcripturæ non in legendo, ſed in intelligendo conſiſtant*. Hactenus Hieronymus. Igitur, ut individuus divi Petri comes, & poſtea in pontificatu ſucceſſor Clemens, ad Hieroſolymitanos ſcribens ait, *non ſecundum ingenium hominum, neque ſecundum eum ſenſum, quem ſibi unuſquiſque ſponte præſumpſit, ſed ab eo intelligentiam diſcere ſcripturarum oportet; qui eum a majoribus ſecundum veritatem ſibi traditam ſervat, ut & ipſe poſſit ea quæ recte ſuſcepit, competenter aſſerere*.

Quamobrem, patres, hæc ſit vobis quaſi unica cynoſura in his tam magnis & tetris tempeſtatibus, quibus hoc tempore Chriſtianæ religionis navicula tantopere agitatur, videlicet, ad illorum fidem, & religionem confugere, illorum inſtituta, leges, jura, mores, præſcripta, & ſanctiones cognoſcere, qui non tantum nos in fide & in vera religione genuerunt, verum etiam ob eorum ſingularem innocentiam vitæ & ſanctitatem in cœleſtium concilium ſunt relati. Ex quibus enim de fatidicorum & vatum noſtrorum effatis incognitis quærere valemus certiorem & veriorem interpretationem? ex quibus divina oracula melius petere debemus? ex quibus de controverſiis religionis ſententiam poſſumus tutius ſciſcitari? quam ex eis quorum mentes Spiritum veritatis concitaſſe perſuaſi ſumus; quam ex eis, quos inſtinctu afflatuque divino effatos eſſe certo ſcimus; quam ex eis, quorum in tutela, atque præſidio tot ſæculis, tam longo ætatum ſpatio ſummus ille princeps & moderator omnium Deus Chriſtianam rempublicam eſſe voluit: & maxime cum hujuſmodi ſanctiſſima diſciplina & conſuetudo ſemper fuerit in eccleſia Dei. Si quando enim in ſimilibus publicis conciliis aliquod de religione etiam inter doctiſſimos dubium controverſumque erat: nequaquam tamen denuo præſcribebatur quicquam, citatis etiam ab utraque parte divinis teſtimoniis, priuſquam decreta patrum, & heroum noſtrorum ſcripta recitarentur. Eas enim potiſſimum religiones, eas potiſſimum de divinis oraculis ſententias & interpretationes tenendas ac tuendas eſſe ſanctiſſimi illi patres arbitrabantur, quæ eſſent in more inſtitutoque majorum.

Id quod

2. Theſſal. 2. 2. Cor. 12.

Orig. hom. 29. in Matt.

Tertull. de præſcrip. hæreticorum.

D. Baſil. ad Antiochenos.

D. Hieron. adverſ. Luciferi.

D. Clemens ad Hieroſolymit.

2. Pet. 3.

Joan. in fine ſui Evangelii.

Joa. 16.

Id quod in omnibus œcumenicis & publicis Christianorum hominum conciliis semper ita habitum & observatum fuisse satis perspicuum est: ut unusquisque præcipue videre poterit in concilio Florentino sub Eugenio IV. & in concilio Ephesino contra Nestorium millesimo ante anno: quam maxime autem in synodo habita paulo post concilium Constantinopolitanum primum adversus Macedonium ejusdem urbis episcopum, regnante Cæsare Theodosio seniore. Is siquidem religiosissimus & prudentissimus imperator, authore & adjutore Sisinio atque Nectario, non alio armorum genere, quam præjudicatis patrum sententiis, in illo omnis generis hæreticorum conventu authores novarum sententiarum & perturbatores reipublicæ devicit. Dum enim unt quisque magna cum pertinacia in sua sententia persisteret, totusque Christianus orbis Arianis, Eunomianis, & Macedonianis illis factionibus confunderetur: convocans imperator unum in locum novarum sectarum principes, petivit ab eis, num apud ipsos in pretio essent sacrorum antistites & magistri illi, qui omnibus ætatibus, & apud omnes orthodoxos, hoc est, optimæ spectatissimæque fidei patres, in Christiana republica summæ auctoritatis fuerunt? Quod cum jure inficiari non possent, necessum fuit, ut idem toto capite annuerent: illosque ut præceptores, & patres venerari & suscipere dixerunt. Num igitur, subjunxit imperator, eosdem ipsos viros sanctissimos, fideque dignissimos controversiarum vestrarum testes; judicesve repudiabitis? Citentur igitur in singulis dogmatibus, de quibus inter vos controversia est, illorum testimonia. Quæ res cum a sectariis illis non æquis animis acciperetur, utpote quæ & eorum instituto adversabatur, & eorum causæ omnino contraria erat: animadvertit imperator, illos non veritatis & pietatis studiosos, sed discordiarum & novarum rerum appetentes & cupidos esse. Quamobrem rejectis atque explosis illorum perditissimis commentis, publice novorum dogmatum scripta discerpsit, atque ut de dubiis fidei quæstionibus ex majorum præjudicatis sententiis decreta ederentur, mandavit.

Socrates in eccles. hist. l. 5. c. 10. & histor. tripart. l. 9. c. 39.

Utinam, patres, hæc omnia placide, & sine animi perturbatione veteris disciplinæ eversores meditarentur. Fortassis enim non ex scriptione, quæ in literis est (ex quibus pro ingeniis & cupiditatibus hominum, ac prout quisque ad aliquod magnum facinus obeundum, vel opinionibus vulgi, vel suapte conjectura & sensu rapitur, contrariæ & innumerabiles, ut quotidie videmus, sententiæ fingi & deduci possunt) sed ex communi totius ecclesiæ sensu atque consensu, in quo nec errare aliquo modo possumus, nec prolapsio aut flagitium ullum esse potest, sed ex communi consuetudine, ob quam ipsas etiam leges rescindere aliquando, & abrogare licet; sed ex communi re & salute, pro qua quisque probe institutus mortem etiam oppetere debet, divina evangeliorum testimonia & sacras tabulas interpretarentur. Fortassis ad priscæ religionis, & totius fere civilis vitæ eversionem nescio quod Dei mandatum atque verbum tam crebro & importune hominum auribus non obtruderent. Fortassis cunctam rem Christianam, & universam religionem tanta cum obstinatione, studioque vincendi, non perturbarent. Fortassis tam horrificum & nefarium bellum more gigantum, ut diximus, cum Deo, & cum reliquis cœlitibus non suscepissent. Fortassis denique tanta veneratione & observantia, patrum majorumque suorum memoriam & monumenta venerarentur & colerent, ut in administranda republica, & in exponendis sacris voluminibus, non modo iisdem sententiis (ut publico patrum decreto in concilio Constantinopolitano sexto, sessione duodecima cautum est) sed iisdem etiam vocibus, quibus sanctissimi illi viri usi sunt, & ipsi quoque pro communi Christianorum societate & pace, ut constantibus hominibus, bonisque omnibus par est, uterentur.

Sed transferamus sermonem alio, brevique enodemus postremum illud caput, in quo post unam & alteram quæstionem, quarum utraque proximis superioribus capitibus explicata est, postremo expetebam, ut mihi exponeretis, patres, quisnam vobis persuasit, toto hoc tempore a solo patrio, a propriis sedibus, atque ovibus, ab tebus avitis, sponte ut extorres essetis? Quisnam mentes vestras excitavit, ut ex singulis Christiani orbis provinciis tam longis, ac minime tutis itineribus, isto in unum conveniretis? Quis tandem, ut eodem quo supra modo loquar, vos isto misit? Qua in re illud quidem satis omnibus evidens esse debet, isto vos non alio, quam religionis studio, quam pietatis ergo impulsos esse, ac venisse: non alio ut istum in locum tot exacta ætate viri ultro ex propriis laribus exterminati, tantis laboribus congregaremini: non alio, inquam, mentes vestras excitatas esse, quam salutari & vitali illo flamine, quam sancto & consolatore Dei Spiritu, quam spiritu pietatis & veritatis.

Pars postrema de pace & concordia ecclesiæ.

Quod cum vere ita sit, aliter namque esse non potest, quis enim unquam tam perditis moribus, tantave petulantia erit vir, qui de tantis patribus secus opinari audeat, aut suspicari præsumat? Cum igitur isto vos divino moti atque afflati numine conveniistis, unumquemque vestrum sigillatim, & una omnes rogo, oro, atque obtestor, per salutare & sanctum numen, quod recte vestro amplissimo cœtui assistere, inque animos vestros illabi nemini dubium esse debet; per omnes cœlites, quorum in præsidio atque tutela locati sumus; per eumdem ipsum Christum, qui pro nostris summis flagitiis, & sceleribus semetipsum patri immolavit, cujus glorioso, & præpotenti nomine signati sumus; per communem parentem ecclesiam, quæ nos Deo in spiritu & veritate generavit, cujus divino lacte in fide crevimus, cujus vitali pharmaco, & salutari medicamento in spe persistimus, cujus angelico pane, & cœlesti manna quotidie in caritate roboramur; per ægram & labentem rempublicam, cujus parietes undique vitium faciunt, cujus ædes undique corruunt, cujus fundamenta usquequaque convelluntur; per sacrosanctam & sacerdotii, & imperii majestatem, quæ jam fere apud omnes summe imminuta est, & ad nihilum redacta; per bona & per fortunas vestras omnes, quas barbaris & prædonibus usquequaque expositas videtis; per vestram, & fratrum vestrorum posteritatem, in quam tot mala, in quam tot pericula impendent, & imminent; per veterem heroum nostrorum sanctitatem, quæ hoc tempore penitus oblivione posteritatis extincta est; per incorruptam illam morum disciplinam, quæ apud omnes nunc lapsa & depravata est; per sanctissimas illas patrum nostrorum sanctiones, & consuetudines, quarum vix nunc vestigia apparent; per cæremonias, per sacra, per mysteria omnia, quæ tanta impietate & scelere affluunt, tot corruptelis, & prævaricationibus redundant; per germanam & veram sacrorum librorum intelligentiam, quam passim depravatam atque corruptam conspicimus; per innocentes illos & sanctos viros, qui ex hac vita ad dominum migra-

graverunt, quorum sacræ & venerandæ reliquiæ A tam crudeliter & tam impie laceratæ & dissipatæ jacent, quorum sepulcra, imagines, monumenta, tam indigne omni dedecore & ignominia affecta sunt; per religiosissima summi Dei, & reliquorum cœlitum fana atque delubra, quæ tot florentissimis in urbibus atque regnis vulgo polluta & violata, atque etiam direpta & vastata cernuntur; per sacras virgines, quæ inaudito nuptiarum genere, sine ulla religione, ex sanctissimis adytis & penetralibus ad innuptas & vetitas nuptias, ad publica & profana loca pertractæ sunt; per innocentes, Deoque dicatos homines, quos passim deludi, atque trucidari ab impiis contuemur; per eamdem ipsam tum erga Deum, tum erga homines pietatem, de qua tantum apud omnes remissum atque imminutum est, per vosmetipsos denique, quos orthodoxæ & catholicæ veritatis, atque Christianæ libertatis & dignitatis, custodes, vindicesque præcipuos præfecit Deus; per vosmetipsos, inquam, etiam atque etiam rogo, oro, atque obtestor, patres, quando isto & religionis studium, & zelus domus domini, & reipublicæ caritas, & Dei spiritus vos misit, nolite amplius cumdem sanctum Dei Spiritum, in quo signati *Ephes. 4.* est is, ut verbis Pauli loquar, pertinacibus concertationibus contristare: nolite amplius eamdem Christianam religionem tot contrariis opinionibus, atque commentis confundere, & permiscere: nolite tandem amplius summi doctoris Christi disciplinam dedecorare, Christiana professione C abuti, contemnere & negligere præcepta domini. En propter nos execrantur nomen domini gentes, propter nos inimici crucis Christi de Christiana pietate male sentiunt. Quid dico execrantur? Quid dico male sentiunt? Hoc enim parum esset, nisi etiam universum Christianum imperium, universam Christianam rempublicam & religionem perturbarent, frangerent, diriperent, vastarent, exinanirent. Scitis enim omnes, quibus incommodis, difficultatibusque affecta sit, quam acceperit calamitatem, quas denique ærumnas & olim passa sit, & nunc quoque patiatur omnis Christiana respublica: usque adeo, ut nec ipsa Italia, nec ipsa communis omnium patria, domicilium imperii & dignitatis, fons religionis & sacerdotii, D Roma, ab hostili classe, a Barbarorum excursionibus tuta sit.

Quare summa diligentia & studio curandum, & enitendum est, patres, ne simul hoc religionis & imperii residuum his nostris tragœdiis pessumdemus: pessumdabimus autem nisi propriis animi perturbationibus, affectionibus, doloribus longe retroque positis, nisi propriis commodis, & omnibus rebus humanis posthabitis, non principibus, non hominibus, non odiis, non cupiditatibus, non simultatibus, non rebus novis, non residentiis, vel, ut verius loquar, non præsidentiis, sed uni veritati, uni religioni, uni reipublicæ tranquillitati, uni Deo & Christo inservire cœperimus. Sat Esau persecutus est Jacob, sat Saulos ecclesiam, sat fratres E cum fratribus simultates & inimicitias exercuerunt: eoque maxime, quod discordiarum, quæ inter fratres sunt, exitus non nisi funestus, & victis & victoribus esse soleat. Sunt enim hujusmodi civilia bella, teterrima & periculosissima: quia dum nos domesticis diffidiis & armis perturbamus & debilitamus rempublicam, quid aliud agimus, præter quam quod ad eamdem rempublicam occupandam communis hostis & opportunitatem & facultatem arripiet? Qui enim, nisi nostris discordiis, tot quondam victorias adepti sunt, tot triumphos egerunt, tot posuerunt trophæa in omnibus terris, de tot regnis & imperiis, Turcæ Christiani nominis hostes? Idem hoc ipsum, & nunc quoque facturos esse quis dubitat? nisi depositis simultatibus & armis, fraternæ illius necessitudinis, & illius pristinæ caritatis, & benevolentiæ memores, ipsi nos inter nos conciliaverimus: ita ut omnibus sit cor unum & labium unum, omnibus sint eadem pacis studia, eadem de Christianitatis institutis persuasio & fides, eadem denique in omni re consensio. Hoc enim nimirum, consensus in omnibus, quæ ad pietatem spectant, & in republica gerenda consociatio & conspiratio, est profecto illud, quo præcipue nominatur, & ex quo maxime constat omnis Christiana respublica.

Quid enim aliud, quæso, hæc vox, id est, ecclesia, sonat, nisi divinam quandam civitatem & concionem adhuc terrestre hoc domicilium incolentem? nisi corpus quoddam mysticum, quod fidei vinculo longe arctissimo, capiti Christo annectitur? nisi sanctam & religiosam quandam societatem & universitatem hominum, Christum recta fide colentium? Quisquis igitur hoc divinum vinculum dissolvit, hanc cœlestem harmoniam & concentum non servat, aut perturbat, hunc sanctum communionis, & consociationis amictum dissuit, hanc nuptialem & inconsutilem Christi vestem mutat aut discindit, & si penitus extra Christianum imperium non sit, penitus tamen extra ecclesiam Dei, penitus extra veram religionem censendus est: quandoquidem cum quis ab ecclesia, quæ est unica sponsa Christi, defecerit, a Christo quoque eum defecisse (etiamsi gravissimo & sanctissimo quovis nomine Christianum hominem se esse dictaverit) existimandum est. A Christo enim dictum accepimus: *Qui ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus & publicanus.* Item: *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit*: præterea, *in hoc cognoscent homines quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Cum igitur Christi affectatores, his præsertim signis internoscantur, nempe eadem persuasione & fide in Deum, gratuita caritate in omnes, & pleno obsequio in eos qui rempublicam gerunt: cui dubium est, eos qui seniorum imperia recusant, qui majorum obedientiam abjiciunt, qui discordias & seditiones in rempublicam concitant, qui denique longe aliter de universa religione persuasi sunt, quam omnibus bonis & piis persuasum est, neque esse, neque unquam fuisse ex ecclesia Dei? Nam *quamvis*, ut ait *Matt. 18. Luc. 10. Joan. 13.* Joannes, *ex nobis prodierint, attamen non erant ex nobis*: nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum. *Joa. 1. ep. c. 2*

Quocirca hinc unusquisque per se facile intelligere & dijudicare poterit, num nova, an vetus; num illa, in qua nunc est, an illa ex qua est egressus, sit vera ecclesia: num quæ olim a tot sanctissimis patribus rite ex majorum decretis atque præscriptis tam longo ætatum spatio observata & tradita sunt, an quæ hoc tempore quidam juniores in dies de novo ad suum arbitrium atque libidinem commentantur, sint doctrinæ evangelicæ vera instituta: num qui paternas & divinas leges impie negligunt, atque perfringunt, an qui easdem religiose tutantur atque conservant, sint præcipui orthodoxæ veritatis & religionis cultores: Sed hæc forsitan alias pluribus.

Summa igitur hæc sit, patres: velum templi scissum est, & non modo in duas, sed etiam in plures partes: hoc est, Christiana religio quam maximis perturbationibus, quasi tempestatibus quatitur, quam plurimis & teterrimis factionibus laborat.

rat. Similiter Christiana respublica undiq; seditionibus atque tumultu afflicta, delumbata, fracta, debilitata, enervata, quassata, diruta, ac prorsus fere prostrata atque eversa. Utraque in his tam magnis miseriis & calamitatibus, vestram opem implorat, ad vos confugit, e vobis auxilium petit, supplex vestra numina poscit. Turpe est vobis, patres, quin etiam ad muneris & officii vestri rationem & existimationem infame & flagitiosum, hoc difficillimo tempore non consulere regioni, non opem ferre reipublicæ. Quid enim hac nostra tempestate, ob domestica & externa bella, est magis necessarium, quam ejusdem reipublicæ salus & tranquillitas? quam ut idem sapiant atque sentiant omnes, qui se Christo devoverunt? Quid etiam est magis periculosum, & magis impium, quam evangelii, id est, cœlestis doctrinæ professores, in iis quæ ad religionem, in iis quæ ad cœremonias & sacra pertinent, sibi ipsis non constare, inter se gravissime dissentire, inter se contrarios esse? mementote atque animadvertite, patres, quæ onera in republica, quamve personam sustineatis: nempe Christi, cujus partes in regenda ecclesia Dei suscepistis, cujus præclarum & divinum munus in terris profitemini, cujus vim & numen (ita tamen ut cuncta ad unum, qui in regno Christi vicaria potestate præsidet, referantur) apud homines tenetis. Cavete igitur, ne illius navicula vestra culpa tempestatibus succumbat, operiatur fluctibus, naufragium faciat. Cavete, ne illius sanctum ovile amplius expositum sit direptionibus, dissipetur; ne vinea illius dilecta proteratur, & conculcetur amplius, labrusças proferat. Cavete tandem, ne lampades sanctuarii, ne lucernæ domus domini amplius caliginosæ sint, amplius sint sub modio, abditæ in tenebris.

Hæc autem omnia incommoda & difficultates facile declinabitis & effugietis, patres, si divinum subsidium, quod, ut diximus, cunctis qui illud pie invocant, deest fere nunquam, omnibus & perpetuis votis, & sine intermissione imploraveritis: si memineritis præterea templum domini, nonnisi per vos, tanquam per alteros Esdras resarciri & restitui posse: si præsentem & reipublicæ & religionis statum (uterque enim magna ex parte depravatus & deformatus est) ad suum principium, in pristinam dignitatem, saltem quoad fieri poterit, proque vestris opibus revocare & restituere conabimini: si unusquisque vestrum in animum suum induxerit, sibique persuaserit, locum istum esse commune gymnasium omnium, etiam doctissimorum, etiam sapientissimorum hominum.

Et idcirco probe cunctis cognitum esse debet, hic non licere cuiquam (nisi vicariam divini numinis personam gesserit) seorsum ab aliis docere, voluntariam disciplinam perinde ut necessariam tradere, unum omnibus præcepta dare; aut (quod levium & seditiosorum hominum peculiare esse solet) ambitiosas & inanes ingenii vires ostentare, aut nimium pertinaciter in sua sententia obfirmatum esse: sed potius magna cum moderatione & gravitate dubitare tantummodo, audire, & addiscere; illudque fixum, & in perpetuum ratum habere, quod communis parens, quod omnium magistra & dux (quæ nullo modo errare potest ecclesia) affirmaverit, pronunciaverit, observaverit. Atque ex beati Leonis sententia, *rejiciendæ est penitus audacia disputandi contra fidem divinitus inspiratam, & vana errantium infidelitas conquiescere debet, cum non liceat defendi, quod non licet credi.* Nimis enim iniquum est, ut per paucorum insipientiam ad conjecturas opinionum, & ad bella, repetita disceptatione revocentur, quæ ex antiqua traditione, communi omnium patrum consensu, sancita sunt. Omnia denique fauste, feliciter, prospere, & ex sententia succedent, omnia vobis secunda eventura sunt, patres optimi: si sæpe in memoriam vestram revocaveritis, si vere posueritis ante oculos vestros illa tria, quæ in principio vobis explicanda proposuimus, ac de quibus tota hac cohortatione locuti sumus, nimirum:

Quinam estis vos?
Quamobrem isto convenistis?
Quis vos misit?

Quod ut fiat, supplici prece, & omnibus votis summum numen, & omnes cœlites perpetuo precabimur.

Leo ad Synodum Chalcedonensem & ad Marcianū Augustum.

LUDOVICI MAJORANI EPISTOLA qua orationem hanc suam Herculi Gonzagæ S. R. E. cardinali concilii Tridentini præsidi nuncupat.

Cum optimo ac summo Deo placuerit, pontificem maximum Pium IV. pro sua in Christianam rempublicam paterna caritate, in tot seditionum & discordiarum tempestatibus, omni studio & pietate curare, ut tandem Tridentinum concilium ad optabilem, & cunctis salutarem, atque felicem exitum perduceretur; hacque de re cum ad singulos Christiani orbis principes idem sanctissimus pontifex oratores mitteret, ut sacrorum antistites, evangelicæque doctrinæ interpretes & professores ob illud idem Tridentum se conferrent; cumque deinceps nonnullorum ex amplissimo cardinalium collegio patrum, multorumque episcoporum profectione, apud omnes eadem de re sermo in dies magis ac magis percrebuisset: visum est non modo mihi, verum etiam nonnullis summis viris, quibus hunc animi mei sensum aperueram, fore neque ab ipsa re, neque a Christiani sacerdotis & concionatoris munere alienum, me quoque, quamvis in ecclesia Dei minimum, in tot tantisque rerum difficultatibus, pro mea tenui parte Christianæ reipublicæ non deesse. Nactus igitur superioribus proximis diebus quemdam satis opportunum meis studiis recessum, hæc quatuor totius hujus Tridentini concilii quasi capita summatim (neque enim temporis angustiæ latius me vagari patiebantur) commentatus sum, & in unum perpetua quadam dicendi ratione redegi. Qua quidem in re mihi haud quaquam ea mens fuit, amplissime pater, ut tot sanctissimos & sapientissimos universæ Christianæ reipublicæ disceptatores & judices (quorum gravissimo judicio & mihi, & ceteris piis omnibus standum est) his meis monitis erudire & instituere vellem: sed ut tantummodo nonnullarum rerum, quæ mihi videbantur rationibus publicis non parum conducere, aditum eis patefacerem, remque ipsam non universam, sed duntaxat aliqua ex parte eis indicarem, atque innuerem. Ex quo ipsi postea non secus, ac si a speculatore quodam excitati, atque admoniti, actutum, tanquam summi ac præstantissimi duces, in adventantes hostes irrumperent: atque non amplius admonitoris voce, sed suapte virtute & sapientia, cetera omnia ex opportunitate administrarent, quoad profligatis usquequaque adversariis, essent gloriosam victoriam consecuti. Verum, optime antistes, ut meam hanc commentationem amplitudini tuæ præsertim mitterem,

atque

atque dicarem, multis rationibus sum adductus. In primis autem, quandoquidem te a pontifice maximo eadem de re summa cum auctoritate legatum esse intelligebam. Quamobrem me carere culpa, & quidem maxima, non posse judicabam, ad patres in concilio Tridentino scribentem, eum qui inter illos principes locum obtinebat, hoc est, totius concilii præsidem & moderatorem, non agnoscere. Ut omittam tot ab amplitudine tua in sodalitatem nostram ultro collata beneficia, tot in bene regenda nostra republica gratuito susceptos labores, summumq; tuum studium in nostros homines, in eosque maxime, qui Christianam eloquentiam, & bonas artes profiterentur. Erit igitur nunc tuæ, & humanitatis, & pietatis, vir clarissime, eamdem, licet minimi ponderis scriptionem, tuo patrocinio commendatam, in tuam fidem accipere: atque efficere pro communi Christianorum hominum utilitate, ut isto in conspectu, si tamen ita oportere & expedire videbitur, publice suo tempore recitetur. Fortassis enim aliquibus, qui adhuc etiam Christianæ professionis non sunt prorsus immemores, hujusce nostræ admonitionis, sive hortationis, fructus non erit injucundus. At vero faxit Deus, ut quemadmodum ipsi ad hanc parvam operam Christianis hominibus navandam, non alio quam religionis, & caritatis studio impulsi sumus: ita quoque inclinatæ, & fere occidenti reipublicæ aliquid adjumenti hac nostra admonitione afferamus. Interim amplitudo tua tot sapientissimorum virorum præsidio munita, pro sua prudentia & auctoritate, enitatur atque laboret, ut his longe optimis incœptis (ex quibus certe Christianorum omnium salus magna ex parte pendet) ultima quoque, Deo adjuvante respondeant. Ita enim profecto fiet, ut singulari divini numinis ope, & præstantissima virtute tua, tot corruptelarum, commentitiorumque dogmatum monstris domitis atque compressis, ad perpetuam Christianæ reipublicæ tranquillitatem, & pietatis tuæ memoriam sempiternam, immortalitati commendetur nomen alterius, & præstantioris, & clarioris Herculis. Deus amplitudinem tuam quam diutissime nobis incolumem conservet, ejusque rectissima consilia Christianæ reipublicæ fortunet.

HERCULES GONZAGA S. R. E. CARDINALIS R. P. D. LUDOVICO MAJORANO Gravinati canonico regulari Lateranensi S.

ACCEPI literas tuas Idib. Februarii Romæ datas, simulque orationem tuam patribus, qui in sancto Tridentino conventu nobiscum sunt, missam: quam nonnullis doctissimis viris legendam dedi, præsertim autem Richardo nostro Vercellensi, veterano ecclesiæ catholicæ militi, & summo, ut tute scis, theologo. Verum quale is de ea judicium fecerit, ex literis, quas ad me dedit, cognosces: quas ne tua præstans virtus debita commendatione fraudaretur, tibi mittendas curavi. Gratias & quidem mirificas agens, cumulatissime etiam, si Deo placuerit, relaturus, quod me tuarum vigiliarum, & hujus tui honesti laboris participem feceris. Te præterea magnopere cohortor, ut hæc optimarum artium studia, quæ non modo eorum professoribus, sed etiam eorum fautoribus maximo decori & ornamento semper fuerint, nulla ratione intermittas. Quod ut commodius a te fieri possit, dabo operam opportuno tempore, ut & pontifex maximus, & vestræ reipublicæ moderatores, non parvam, neque vulgarem & tuorum studiorum, & dignitatis tuæ rationem habeant. Vale, nosque, & hunc sanctum Tridentinum senatum, apud Deum altissimum tuis precibus juva. Tridenti Nonis Martii MDLXII.

VII.

APOLOGIA INDICTIONIS concilii Tridentini factæ a Pio quarto pontifice maximo. Adversus Joannem Fabritium Montanum, auctore Gasparo Cardillo Villalpandeo Hispano Segobiense, doctore theologo.

ILLUD mihi initio in hac defensione præfandum reor, neminem mirari debere, si nos interdum, cum in Montanum maledicta retorquemus, & calumnias diluimus, maledictis quoque agamus. Tametsi enim sciamus non oportere adversarium vincere in malo, sed vincere in bono malum: tamen ipse disputationis ardor, non aliter facere nonnunquam non sinit: sed arripimur zelo defensionis, & convitia tolerare nequimus. Respondeo, inquit sapiens, stulto juxta stultitiam suam, ne sapere sibi videatur. Nemo itaque hoc nobis, obsecro, vitio vertat.

Ut autem suscepta disputatio fidem habeat majorem, non rationes modo & causas, quibus adversum nos agit Montanus, seorsum confutare instituimus: sed singulas quoque ejus orationis partes percurrimus atque inferimus nostræ, ne quidpiam, quod momenti alicujus sit, a nobis esse prætermissum quispiam malitiose interpretetur. Erit disputatio instar dialogi. Montanus argumenta producet in medium, confutabit atque diluet Gaspar: hoc pacto.

MONTANUS. *In tanta animorum studiorumque contentione, mihi qui mentem a turbulentis consiliis semper abduxi, tantisper quiescendum putavi, dum per veritatem & conscientiam id impune liceret.*

GASPAR. Egregium sane orationis exordium contra præcepta facultatis benedicendi, a propriis laudibus sumptum, ne dicam expresso Dei verbo prohiberi. *Laudet te*, inquit Salomon, *vicinus tuus, non os tuum*. Ut enim vulgo dicitur, laus in ore proprio vilescit. A turbulentis consiliis ait mentem semper se abduxisse: cum nihil magis cum ceteris hæreticis laboret, quam ut tragœdias moveat, & excitet tumultus. Quod vel hæc ipsa monstrat oratio, in qua totus in illo est, ne pax inter germanos hæreticos, & catholicos viros coeat, neque de concordia tandem agant, qui tot annos domesticis seditionibus & intestinis bellis vexati sunt. Sed nihil mirum est, si Montanus turbas non videat, neque agnoscat animi tumultus. Ea etenim parte laborat, qua sensum hujus rei haurire debuit: & assuetus diu turbulentis consiliis, turbulenta esse non credit, sed pacata & quieta omnia, eorum more, qui ad catadupas feruntur decurrentium magno cum fragore aquarum sonitu minime permoveri.

MONTANUS. *Maxime quod intelligerem viros ingenio & doctrina abundantes communem causam nostram tantis viribus hactenus egisse, quantis ad adversariorum ferociam frangendam illis omnino satis esset.*

GASPAR. Si tam strenue, ut ais, communis vestra causa a conjuratis & Christianæ religionis hostibus acta est: quorsum tu otii & tranquillitatis studiosus scilicet, tempus atque operam perdis? at tu cum ceteros videas nihil egisse, homo male feriatus, calamum sumis, ut suppetias iniquæ

quæ cauſæ ferens, actum quoque agas. Non ignoramus eamdem cauſam actam eſſe a Vergerio hæretico homine, transfuga, maliſque moribus prædito, cujus quam ſit curta, atque exigua ingenii & doctrinæ ſupellex, præterquam quod ejus indicant ſcripta, maledicentiæ plena, & inania veritatis, Hyppolitus vir optimo ingenio, bonis moribus atque ſcientia inſtructus, in illis libris monſtravit, in quibus Vergerio reſpondet, qui graviter ferre videtur, contra quam tu, hæreticos a pontifice non eſſe ad concilium Tridentinum vocatos. Nihil igitur profuerit tuorum hominum nobis doctrinam celebrare, quos, tum ex libris editis, tum etiam ex his, qui ſunt eiſdem uſi familiariter, intus atque in cute novimus: ſed ſcabunt muli mutuo, ut eſt in proverbio.

MONTANUS. *Sed hoc meum diuturnum ſilentium petulans adverſariorum procacitas expugnavit tandem.*

GASPAR. O ſummam hæretici hominis petulantiam atque improbitatem! qua tu potiſſimum re orthodoxos viros petulantes eſſe putas? quos adverſarios vocas, ipſa compulſus veritate: & merito quidem: quoniam illi intra eccleſiæ caſtra verſantur, tu militas in caſtris Satanæ: tu auctoritatem ac dignitatem eccleſiæ Chriſti impugnas, hanc nos pro viribus tueri laboramus: tu adverſus Chriſtum Jeſum repugnantem animam geris, dum ejus fidem ac religionem funditus evertere ac demoliri conaris; nos contra pro fide & religione dimicamus. Quæ vero ſit iſta Chriſtianorum petulans procacitas non diſſimulat Montanus, ſed aperit potius, cum ait.

MONTANUS. *Conventus illi Tridenti agitant ad quos univerſos nos & ſingulos qui Chriſti evangelium prædicamus in hoc Venetiis edito ſcripto ſatis ſuperbe evocant.*

GASPAR. Mirabilem tu quidem cauſam Montane reddis, cur Chriſtiani ſimus petulantes, eam (inquam) quod conventus agamus Tridenti: itaque reprehendis nos, quoniam de doctrina fidei & moribus eccleſiæ concilia celebramus, ab ipſis apoſtolorum temporibus conſuetudine ducta, ac pacem quacumque ratione poſſumus, procuramus. Quid probas, ſi improbas pacem: quid laudas, ſi vituperas concordiam? ſed ſcio quorſum Montanus ſpectet: novit ille ſtrenue in his conventibus ſacroſanctis artes, atque dolos hæreticorum eſſe detegendos, impoſturas quibus agunt adverſus rudes homines patefaciendas eſſe, quod accidit perpetuo; atque ob eam rem. Eccleſiaſtica comitia deteſtantur. Nam aut Tridentum hæreticis veniendum eſt, & congrediendum de dogmatibus nobiſcum, aut manendum domi. Si Tridentum contendant, aperte vident optimo legitimoque judicio ſe atque ſuos damnandos eſſe, & cauſam hæreticorum ruituram, quæ tanto quidem valentior eſt, quanto minus vulgo eſt nota. Si domi ſuæ manſerint, videt dicturos etiam ſuos iniquam hæreticos cauſam habere, atque huic cum diſſidant; vereri cum Chriſtianis de eadem conferre, & de jure diſceptare, hinc illæ lacrymæ.

Quod ſi ſummus pontifex, qui ex officio concilium indixit, nulla hæreticorum ratione habita, catholicos tantum Tridentum vocaſſet, haberet fortaſſe Montanus cauſam aliquam, cur non reprehenderet, eam videlicet, quod non evocatus aut citatis adverſariis, nos ſoli de fide exortas his temporibus controverſias dirimere velimus: modo vero, cum non tantum ut veniant, ſint admoniti, ſed etiam rogati, immerito nos quiſpiam reprehendit, quod concilia celebremus. Quanquam non in eam rem vocantur hæretici, ut horum convehtuum pars aliqua ſint, ſed potius ut cauſam ſuam in medium adferant, & rationibus atque argumentis ad eam confirmandam idoneis judicio ſuo publice illam agant, quanto maximo poſſint apparatu, ne indicta cauſa damnatos ſe eſſe conqueri poſſint; ſed re bene inſpecta, deceptos ſe potius opinione atque ſententia ſua fateantur. Nam cum iidem eccleſiam Chriſti impugnent, atque ejus velint fidem labefactare ac perdere, ut de fide quæſtiones definiant, nulla ratio eſt cur debeant vocari. Vocantur tamen jure & antiqua conſuetudine a pontifice & cardinalibus, qui ſubſcribunt indictioni, ceteri omnes qui eccleſiæ gubernaculis ſunt admoti, patriarchæ, primates, archiepiſcopi, epiſcopi, generales ordinum miniſtri.

At graviter Montanus dolet publice ſe vocatos fuiſſe, timet enim neque ſine ratione, ne, ſi venire nolint, a ſe ſuorum animos alienent, qui optimo jure conquererentur, quod cauſam reliquerint, atque adeo illam ſuſpectam habebunt, & ab hæreticis deficient. Ego enim non dubito Montanum ceteroſque hæreticos nihil magis optaſſe, quam ne uſquam a concilio evocarentur, aut tam ſecreto ſe eſſe vocatos, ut affirmare poſſent, ſe omnino fuiſſe prætermiſſos, & latam a nobis ſententiam eſſe, nondum citatis teſtibus. Sed malo modo (ut dicitur) malus etiam cuneus repertus eſt. Addit rurſum hæreticos ſatis ſuperbe a ſancta ſynodo eſſe evocatos: & ſuperbiam appellat ſummam Chriſtianorum benignitatem, atque animi manſuetudinem. Quid enim potuit dici clementius, magis pie ac manſuete, quam quod ſancta ſynodus Tridentina ſtatuit, de hac re decretum? cujus verba referam ſcrupuloſe, ut non modo conſtet Montanum mentiri, dum ita loquitur, ſed ex eorum etiam numero eſſe, qui dicant lucem tenebras, & tenebras lucem.

Quoniam vero ſancta ſynodus ex corde optat, *Verba ſynodi*
Deumque enixe rogat, quæ ad pacem ſunt eccleſiæ, & univerſi communem matrem in terris agnoſcentes quæ quos peperit obliviſci non poteſt, unanimes uno ore glorificemus Deum & Patrem domini noſtri Jeſu Chriſti, per viſcera ejuſdem Dei domini noſtri omnes qui nobiſcum communionem non habent, ad concordiam & reconciliationem, & ut ad hanc ſanctam ſynodum veniant invitat & hortatur, utque caritatem, quod eſt vinculum perfectionis amplectantur, pacemque Chriſti exultantem in cordibus ſuis præ ſe ferant, in quam vocati ſunt in uno tempore. Hanc igitur non humanam, ſed Spiritus ſancti vocem audientes non obdurent corda ſua, ſed in ſuo ſenſu non ambulantes, neque ſibi placentes, ad tam piam, & ſalutarem matris ſuæ admonitionem excitentur & convertantur. Omnibus enim caritatis officiis ſancta ſynodus eos ut invitat, ita amplectetur.

Illud ſuperbiſſime a Montano dictum eſt ſe ac ſuos evangelium Chriſti prædicare, cum plane conſtet eos Martini Lutheri, aut ſuum potius evangelium ſingulos docere. Cum enim hæretici pro ſua libidine ſacras literas interpretentur, & diſcernant a profanis, ut ſcimus, ſuam potius doctrinam atque evangelium quod prædicant, vocare deberent, quam Chriſti aut eccleſiæ, a cujus inſtitutis diſtent bis diapaſon, ſed non eſt illud novum hæreticis ad ſe trahere, & ſibi bona omnia tribuere arrogareque: neque ſolum evangelium appellant ſuum, ſacraſque literas ſed etiam

ipsam catholicam ecclesiam, Christum quoque ejus auctorem, atque omnino Deum. Præclare igitur Christus providens huic necessitati, inquit: si quis dixerit vobis (loquitur autem de hæreticis) hic est Christus, nolite credere, quasi dicat, antiqua sectamini, novitias sectas diffugite toto cœlo.

MONTANUS. *Quod mirum sane non est, cum pro ea quam sibi usurpant auctoritate, regibus quoque & monarchis imperiose insultent.*

GASPAR. Christianos homines cupit Montanus regibus & principibus infensos reddere, pro ingenio & consuetudine hæreticorum, cum ait, eos etiam monarchis imperiose insultare. Quod dum efficere nititur, aperte docet, parentem se habere Satanam, qui nunquam desinit zizania spargere, ac discordiam seminare. Sed nihil agis: neque enim tam sunt parum cordati reges, ut non intelligant quo hæc verba animo passim a vobis jactari soleant: neque ignorant qua ratione tractentur a pontifice ceteriſque præsulibus: neque unquam vel tenuja nobis vestigia monstrare possit Montanus hujus, quam memorat imperiosæ insultationis. Hortatur pontifex, cum concilium indicit, imperatorem reges principesque Christianos, quibus incumbit ex officio tueri ecclesiam Dei, cui patroni, custodes, ac defensores sunt dati, ut ipsi per se interſint synodo, aut eodem oratores mittant. Quod his verbis indictionis apertum est, quibus etiam arguitur Montanus apertissimi mendacii.

Verba synodi Carissimos vero in Christos filios nostros Romanorum imperatorem electum, ceterosque reges „ & principes, quos optandum sane esset concilio interesse posse, hortamur & rogamus, ut si ipsi con„ cilio interesse non potuerint, oratores suos pru„ dentes, graves, piosque utique viros mittant: qui „ ipsorum nomine concilio interſint, curentque di„ ligenter pro sua pietate, ut ex ipsorum regnis at„ que dominiis prælati sine recusatione & mora tam „ necessario tempore, Deo & ecclesiæ officium suum „ præstent.

Quod in his verbis imperium? quæ insultatio inest mendacissime Montane? at tu cœcos omnes esse credis, truncos & caudices, qui se facile sinant ludificari.

MONTANUS. *Sed hanc suam causam tam callide, tam veteratorie agunt, ut nisi conatibus eorum obviam eatur, periculum sit, ne simpliciores in fraudem secum adducant.*

GASPAR. Hæc verba calumniatoris procul dubio animum produnt. Veteratorie & callide (inquit) causam fidei & religionis agi a pontifice, & reliquo orbe Christiano. Sed, quæso te, quod callidum consilium? quis actus aut dolus in ea causa timeri possit? ad quam tractandam etiam hostes jurati & capitales inimici fidei evocantur, & jubentur præsentes interesse? Sed quoniam Montanus nullam causam reddit ne fictam quidem, admodum verisimile fit, aut potius vero verius nullam superesse, & Montanum fuisse mentitum insigniter.

MONTANUS. *Nunc ergo ut boni viri arma sua expediant simul, copiasque simul conjungamus tempus exposcere videtur.*

GASPAR. Satis times atque diffidis causæ tuæ, qua ratione & consilio agenda est, non autem illata vi, dum tuos sollicitas atque hortaris, suas ut copias contrahant & conferant in commune. Et merito sententia mea. Quis enim adversus Deum contendere audeat, aut quis cum altero ratione certare volet, cum se omni ratione destitutum videt? Sed quoniam viri boni ad hoc certamen provocantur, eja agite viri Christiani, qui soli viri boni esse atque dici potestis, conjuratis animis avertite teris doctrina & consilio vestro tantam hanc pestem quam hæretici nostris temporibus in ecclesiam invexerunt. Ecce nunc tempus acceptabile & idoneum aptumque, cum hostes timore perculsi gravi, ne causa cadant, causam deserunt, atque aperto Marte certare nobiscum verentur.

Quanto tu callidius & magis veteratorie rem agis Montane? qui cum te doctrina, ratione, justa causa, longe inferiorem videas, classicum his verbis canis, atque ad arma sollicitas tuos adversus veritatem pro mendacio, cum tempus, inquis exposcere ut arma expediatis simul, & junctis copiis Christum atque ejus ecclesiam aggrediamini. Sed nihil solliciti sumus. Quantumvis hæretici nos impugnent, non prævalebunt, cadent conatus irriti, etiamsi consurgant castra contra ecclesiam Dei.

MONTANUS. *In hoc exercitu si vel calonis mihi partes dentur, non invitus tamen exequar.*

GASPAR. Nulla major superbia atque animi elatio excogitari queat, quam quæ sub specie pietatis latet, & prætextu humilitatis tegitur. Dum calonis partes Montanus ait in hoc exercitu se non esse recusaturum, insinuat aperte dignum esse se, qui vel imperatoris, vel cujuspiam strenuissimi ducis munia obeat, & partes agat. Quem certo scimus, si genus spectes, de fece vulgi sumptum esse; si ingenium, si artium notitiam, innumeros reperiri apud suos qui illum exuperent longo intervallo. Ceterum si temeritatem, vix quempiam possis in Germania reperire, qui cum Montano certare queat, etiam hæreticorum testimonio. Nam scimus virum e sectariis non ignobilem, cum de hoc Montano sermo incidisset, ita pronunciasse: Ut agnoscas hominis hujus impudentiam & temeritatem, accipe apertum indicium: audet se opponere homo triobolaris universo concilio Tridentino. O miserrimam sortem hominis, qui cum pretioso Christi sanguine sit redemptus, gloriosum putat in exercitu dæmonis contra Dei ecclesiam contracto vilissimo ministerio deputari, coque defungi.

MONTANUS. *Sed quoniam ex insidiis petimur, eminus pugnandum esse judico, quod te, Christiane lector, quem nunc appello neutiquam ignorare velim: ne quis me pugnam quam modo deposcere videbar denuo detrectare calumnietur.*

GASPAR. Fugam adornare Montanus videtur cum suis? Sed quorsum ad fugam arma paras, quæ potius sint futura impedimenro quam usui? Si copias cogis, si expetis arma, cur non hostes aggrederis? cur non cominus dimicas? quorsum fugis exercitu contracto? De victoria diffidis, certo scio, & cum eminus pugnare velis, insidiis vis agere, non certare viribus rationum, quæ nullæ proculdubio tibi suppetunt.

MONTANUS. *Hostes nostri Tridentum insidiis quasi locum cepere, Caudinis furculis, mea quidem sententia, non multum absimilem: quo cum Romanus miles semel se præcipitasset, hostium fraude circumventus, deinceps errorem suum pristina virtute correxit. Nostris Caudina illæ furculæ, conciliorum inquam latibula, non semel damno fraudique fuere. Tempus est nos expergefieri tandem, & quas semel atque iterum experti sumus insidias, porro consilio præcavere.*

GASPAR. Tridentum quo loco concilium

lium celebratur, furculis Caudinis simile facit, quoniam insidiis tendendis sit accommodatum. At ego non video, neque Montanus mihi monstrare potest, cur hæretici ex nobis insidias timere debeant; quos omnes sciunt rogatos esse, sine ullis armis, sine ullo copioso atque strenuo satellitio, quo vel repellere illatam vim ab hostibus possimus. Præsertim cum his fidem publicam dederimus, neque longe distemus a suis: ab Hispania vero, Gallia, Neapoli, atque aliis id genus locis, unde episcopi Tridentum venerunt, quam longissime. Sed scio cur metuat; sane furcam timet furcifer. Quod vero ais, sæpenumero vobis fuisse damno latibula conciliorum, sedes inquam illas, in quibus olim synodi coactæ sunt, apertum sane mendacium est. Nusquam enim, tametsi diligentissime historias omnes tum veterum, tum etiam neotericorum evolvas, quempiam reperire queas, qui locum vobis damno fuisse dicat. Nisi quæ in his locis concilia coguntur significare velis. At non semel, sed perpetuo vobis concilia obfuere, fateor. Nusquam enim patres convenerunt adversum vos, quin vestram causam iniquissimam & contrariam Christo luce clarius indicarent. Hæc hæreses damnarunt, extinxerunt, sepelierunt, hæc ipsos hæreticos, vel mentem mutare compulerunt, vel proscriptos ex hominum conspectu ultra Garamantas & Indos relegarunt. Quod usque adeo manifestum est, ut si testimonio antiquitatis ad rem confirmandam agere velim, in re non dubia, testibus uti videar minime necessariis. His etenim furcis Arium, Manichæum, Macedonium, Priscillianum, ceterosque omnes hæreticos suspensos fuisse scimus.

MONTANUS. *Interim tamen simpliciores edocendi sunt, cur, cum hostes justæ pugnæ nobis copiam non faciant, minime committendum sit, ut in eorum castra transeundo, cum statione simul & bonam causam deseruisse videamur.*

GASPAR. His verbis apertius prodit metum: nam is diutius non potest dissimulari, neque animo condi. Non audent hæretici, Montanus ait, Tridentum contendere, ne causam deserere cogantur, quam nisi cum vita stat, sententia nunquam missam facere, quod libris editis impudentissime & malitiosissime nobis testati sunt. Volunt simul cum causa detrudi in Tartareas sedes, ne positionem destituant, aut servare sinant: perindeque atque hi qui natandi rudes, cum in flumen aliquod prælatum forte inciderint, obviam trabem aliquam, lignumve tam impotenter arripiunt, tenentque, ut inde nulla ratione divelli queant. Animæ malunt isti quam aut nominis aut gloriæ inanis facere jacturam. Quod vero ait, non fieri a nobis copiam eisdem justæ pugnæ, apertum mendacium est, quod ex publica fide constare facile possit, in qua sic scriptum est.

„ Sacrosancta œcumenica & generalis Tridentina synodus universis fidem facit, quod omnibus, & singulis sacerdotibus, electoribus, principibus, ducibus, marchionibus, comitibus, baronibus, nobilibus, militaribus, popularibus, & aliis quibuscumque viris, cujuscumque „ status, & conditionis, aut qualitatis existant „ Germaniæ provinciæ & nationis, civitatibus & „ aliis locis ejusdem, & omnibus aliis ecclesiasticis & sæcularibus, præsertim Augustanæ confessionis personis, qui aut quæ una cum ipsis ad „ hoc generale concilium venerint aut mittentur, „ aut profecturi sunt, aut huc usque venerint, „ quocumque nomine censeantur, aut valeant nuncupari, tenore præsentium publicam fidem & „ plenissimam verissimamque securitatem, quam „ salvum conductum appellant, libere ad hanc „ civitatem Trideatinam veniendi, ibique manendi, standi, morandi, proponendi, loquendi, examinandi & discutiendi, & omnia quæcumque ipsis libuerit, ac articulos quosvis tam „ scripto, quam verbo libere offerendi, propalandi, eaque scripturis sacris & beatorum patrum „ verbis, sententiis & rationibus declarandi, adstruendi & persuadendi, & si opus fuerit, ad „ objecta concilii generalis respondendi, & cum „ his qui a concilio delecti fuerint, disputandi, „ cum caritate absque impedimento conferendi, „ &c.

An liberior copia vobis fieri potuit Montane? nisi tu velis, quæ tua est insania, contra veterem consuetudinem atque morem ecclesiæ vobis facultas detur definiendi dogmata fidei.

MONTANUS. *Has ego docendi partes si mihi quoque sumpsero, quis evangelii doctorum me accusabit? quin simul neglecti præteritique officii sibi ipsi litem intendat. Quotquot enim sumus, ad hoc concilium singillatim evocamur. Quid ergo mirum est, si quod singulis & universis ex æquo incumbit mihi quoque cum ceteris ecclesiarum ministris commune existimem?*

GASPAR. Hoc sane loco subinsinuare Montanus videtur ceteros omnes hæreticos ægre laturos, quod adversus concilium ipse calamum arripuerit, & nugas suas meraque somnia mandarit literis, quod, ut retuli paulo ante, sectarius quidam haud obscure videtur significasse. Et merito: tum quod eadem res tractata sit prius ab impio Vergerio intentis nervis, tametsi ridicule, quod monstrat Hippolytus: tum etiam quod norint quam sit Montano ultra injustam ac impiam causam curta ingenii & literarum supellex ad eamdem fucandam.

Sed ardebat zelo Satanæ Montanus, flammas comprimere intra præcordia non potuit: danda est venia ignem in ecclesiam evomenti, & furiis concitato. Nemo tamen miretur si Montanus se atque ceteros hæreticos evangelii doctores, & prædicatores appellet, quod attigi superius; cum Christum etiam qui evangelii auctor & conditor est, sibi præ ceteris arripiant, quem moribus doctrina & vita impugnant. Quanquam dum novum hæretici Christum fingunt, veterem amittunt. Ut enim Augustinus ait, hæretici Christum non habent. Cum autem plane sciamus hæreticorum doctrinam ad animorum subversionem pertinere, quod nos sacræ literæ docent: dubitari nequit, quin illa nihil habeat cum evangelio commune. Est enim evangelium, Paulo referente, virtus Dei in salutem omni credenti. Ceterum quid velit Montanus hac oratione præstare, tandem post multa verba declarat, dicens:

MONTANUS. *Ut scilicet Christiano orbi testatum faciam, concilii hujus adeundi justas & idoneas causas reperiri nullas, innumeras vero & graves in primis ejus declinandi & fugiendi commonstrari posse.*

GASPAR. Ut jam persuadere incipiat suis, qui Montanum (ut audio) suspectum habent, sententiam quandam communem accipit,

quam nemo possit cum ratione negare, ut ea arte simplices capiat, more strenui nugatoris, qui mendaciorum veluti fundamentum jacit, quod verum sit, ut aditus pateat ad nugas: sed veritate fulciri mendacium non potest, corruit nullo negotio, labefactaturque. Ut enim Aristoteles scribit, veritati omnia consonant, a falso autem facile verum discrepat; quod res ipsa monstrabit. Nunc audite Satanam transfiguratum in angelum lucis, & hæreticum semel dicentem verum; quamquam non eo animo ut mentem instruat; sed ut capiat dolis, & in errorem alios secum ducat.

MONTANUS. *Nemo enim adeo vecors est, qui non intelligat causam nullam subesse justam posse, cur quis in apertum discrimen se conjiciat, quod cum veritatis dispendio, Dei contumelia, & proximi detrimento sit conjunctum. In re plana & confessa non est quod probando operose insistam. Norunt sancti Dei homines Christianas omnes actiones ad unius Dei gloriam ceu scopum quemdam præcipue referendas esse, a qua si exorbitent, veritatem quoque laborare animæque salutem periclitari necesse est.*

GASPAR. Pro uno vero plurima nobis falsa & mera mendacia rependit Montanus. Ratiocinationem ille sic concinnat. Non debemus nos conjicere in apertum discrimen cum dispendio veritatis, Dei contumelia, & proximi detrimento, sed profectio nostra suscepta Tridentum est plane & aperte conjuncta cum dispendio veritatis, Dei contumelia, & detrimento proximi, ergo non debemus Tridentum proficisci. Ratiocinatio quidem efficax est, & assumptio (ut dixi) vera plane, ceterum quod ille subsumit, tantum abest, ut verum sit, ut nihil magis possit esse veritati contrarium: imo vero qui studuerit etiam ipsis hæreticis, modo admodum pertinaci animo non contendant persuadere profectionem Tridentinam habere plane conjunctum dispendium veritatis, contumeliam Dei, & detrimentum proximi, tanquam communi sensu carens & alienus a ratione, ex cœtu ipsorum explodetur. Quo enim pacto veritas perire possit in eo loco, in quo illa accuratissime non humana solum diligentia, sed etiam patrocinio Trinitatis indagatur? qua ratione contumelia affici possit Deus ab his, qui veritatem requirunt in conciliis, in quibus Spiritus sanctus simul cum hominibus rem definit? ut ex illo primo apostolorum concilio discimus, ubi forma sententiam ferendi in persimili negotio his verbis perscribitur nobis: visum est Spiritui sancto & nobis. Qui tandem accidere possit, ut quispiam hominum detrimentum ex concilio ferat, modo illi parere velit, in quo de salute nostra diligentissime constituitur? audet tamen persuadere sibi acutissimus Montanus, accidere minime posse, ut hæretici Tridentum contendant sine jactura memoratarum rerum: & argumenta ad faciendam fidem ejus rei in publicum producit, sed quam inanis, quam copiosa, quam denique fallacia omnes intelligent. Pergit igitur rationem ineptam absolvere, cum ait.

MONTANUS. *Sed an profectio nostra Tridentum suscepta (si quidem illa loca invisere cogitaremus) hæc simul incommoda secum trahat, de eo dubitare quis poterat? mihi ergo præsenti oratione probandum sumpsi, profectionem hanc, si quando a nobis susciperetur, quod Deus opt. max. avertat, non modo periculosam, sed etiam in veritatem Dei, adeoque Deum ipsum, proximumque nostrum, contumelioſam injuriosamque fore.*

GASPAR. Sed audiamus, quonam pacto, singulorum quæ probanda suscepit, fidem facere pergat.

MONTANUS. *Et de periculi magnitudine dicere supersederem, siquidem id ejus generis esse, quod utilitatis aliquid, & officii in se contineret, cum constet sanctos Dei martyres mortem quoque ipsam quoties opus esset: volentes oppetiisse: nunc cum discrimen certum certa cum impietate sit conjunctum, non perinde est.*

GASPAR. Acutum scilicet hoc loco theologum agit grammaticus Montanus & intrepidum animum ad labores & pericula pro suo evangelio ostentare vult, dum inquit, se non esse recusaturum vitæ discrimen, nisi illud cum impietate conjunctum esset, more sanctorum martyrum. Neque videt longe aliam hæreticorum esse conditionem, aliam sanctorum. Etenim sancti cum eisdem suppeditaret vires Deus ad tolerantiam, intrepide pro Christo & evangelio in mortem ruebant, patientia enim laborum donum Dei, quod apostoli testati sunt, cum immaniter cæsi ajunt, nobis donatum est, ut pro Christo pateremur. At hæretici, quibus humanæ tantum vires suppetunt eminus pugnam exoptant, & capessere videntur: ubi vero offertur, detractant maxime. Habent enim contra se conscientiam, quæ illos mirabiliter torquet, & de victoria desperare jubet. Quanquam non ignoro accidisse interdum magno hæreticorum malo, ut Satanæ furiis coram aliquot sic agitarentur, ut maluerint cum morte vitam commutare, qua se indignissimos censebant, quam mutata sententia nominis inanis facere jacturam. Ea quoque res, quod ex antiquis historiis est manifestum, plerosque ethnicorum impulit non modo ut se periculis apertis objicerent, sed etiam ut sibi ipsis mortem inferrent.

MONTANUS. *De periculo ergo quod satis est, paucis expediam. Sic vero se mihi primum omnium concilii sedes & locus offert, cui ut libera aliqua Germaniæ civitas præstitueretur, a Christianis principibus diu sed frustra elaboratum est. Quod si autem illi extra Italiæ fines elici nequiverat, ad illa præsertim loca, quæ imperatoris omniumque adeo Germanorum principum auctoritate fideque essent communia, quis quæso nobis auctor erit ad illos transeundi, quorum perfidia ac crudelitatis in nostros tot passim luctuosa extant exempla?*

GASPAR. Periculi magnitudinem metitur ex loco, in quo concilium coactum est, is quem nullo loco propter conscientiam tutum esse oportet: neque videt Tridentum esse accommodatissimum huic negotio gerendo. Scio ego multum diuque deliberatum esse, expediretne ut concilium alibi cogeretur, sed tandem re bene & diligenter inspecta, decretum est, non posse deligi meliores sedes convenientioresque primum quidem quoniam is locus omnibus qui venturi ad concilium iperabantur, habitus est idoneus maxime, ne plus justo longa profectio suscipienda esset. Denique cum Tridentum imperatori Ferdinando pareat, qui possit incolas in officio convenire, & tam proximum Germaniæ ut ejus oppidi altera pars a Germanis incolatur, videbatur sublata ea quæstio & querela hæreticorum, quam modo Montanus exsuscitat, quod non intra Germa-

Germaniam eccleſiaſtica iſta comitia haberentur. Accedit ad hoc quod, ut certo ſcimus, Germaniæ populi frequenter peſte infeſtantur: quæ ſi graſſari inciperet coacto concilio ſemel, quod jam videmus accidiſſe, neceſſe quidem erat, ut re infecta diſſolveretur. Et videbatur etiam conſentaneum, ut quo loco agi celebrarique cœperat, abſolveretur: præſertim cum nihil omnino videatur impedire. Sed quod eſt hæreticorum ingenium, & cauſæ quam agunt iniquitas, & conſcientia eorumdem ob rem male geſtam: ego non dubito, quin ſi in mediis Germaniæ viſceribus, illis comitia noſtra offerremus, idem, quod modo, dicturi eſſent, neque reperturos eſſe uſquam, tametſi optionem eiſdem relinqueremus, aut locum tutum, aut ſatis convenientem eccleſiæ comitiis celebrandis. Perſimiles profecto illi quem narrant, cum capitis damnatus eſſet, obtinuiſſe a magiſtratu ut ſuſpendio arborem eligeret. Quæſitus autem poſtea, utrum hanc vel illam arborem probaret, omnes rejecit. Cauſam rogatus reſpondit, quod nullam arborem ſibi idoneam reperiſſet, quam ad ſuſpendium deligeret. Damnationem & mortem concilia hæreticis denunciant: quam ergo ſedem huic rei aptam invenient?

MONTANUS. *Principum fortaſſe, dicat aliquis, aut imperatoris auctoritas, iſtos homines in officio continebit. Errat qui id credit. Nam neutiquam veriſimile eſt, eos in regum principumque gratiam quicquam facturos, quibus reges & principes hactenus ludibrio fuere.*

GASPAR. Nihil opus eſt Chriſtianis hominibus ad concordiam & pacem natis, quam expetunt, dum concilia congregant, & diſſidentes ad conditiones pacis ſollicitant: nihil opus, inquam, ullius principis auctoritate & imperio, ut quod ſemel polliciti ſunt, nedum juramento firmarunt, præſtare debeant. Quod ſi contra fidem datam facere vellent, quinam exercitus Tridentinis patribus adſunt ſubſidio? quæ arma parata? quæ vires hominibus ſenio confectis? ne non facile ab imperatore, in cujus terris verſantur; ſed etiam a quovis alio principe in officio poſſint retineri, quibus eccleſiæ lege vetitum eſt arma tractare, in caſtriſque ſtare. Cum autem Montanus neque indicet, neque poſſit uſquam indicare, quando concilia & quibus regibus inſultaverint: plane conſtat, dictum id eſſe ab eodem unam tantum ob cauſam, ut more hæreticorum principes ad arma concitet adverſus nos. Qui ſi rem conſiderent propius, in ipſum Montanum potius animadvertent, qui tam nullius pretii principes putat, facitque ut ſine ratione ſe ſinant ab iſtis hominibus haberi ludibrio.

MONTANUS. *Quid vero tuti, quid fidei apud eos eſſe poteſt, quibus perſuaſum eſt, nos impune poſſe e medio tolli?*

GASPAR. Cur nihil tutum a nobis hæretici ſperare poſſint, illam rationem reddit Montanus, quod perſuaſum habeamus, Montanum eumdem ceteroſque hæreticos impune poſſe interimi. Quod dum affirmat, videte quanta ſit veritatis vis, ſe atque ſuos ore proprio hæreſeos damnat. Nos etenim, id eſt, Chriſtiani affirmamus homines hæreticos & poſſe & debere de medio tolli poſt unam & alteram admonitionem, poſt tentata omnia eccleſiæ remedia: ne alios prava ſua doctrina inficiant. Quod ſi hoc ille de ſe ac ſuis putat dictum, hæreticum ſe eſſe fatetur, neque ſimpliciter hæreticum; ſed pertinacem cum ſuis, quod reſipiſcere nolit, neque uſquam animum mutare. Nam nos in eos ſolum hæreticos, qui erroris admoniti hæreſi abnegata ad mentem meliorem revertuntur, ſceptro regum & magiſtratuum utendum eſſe minime cenſemus, ſed potius benigne moriemus prius, ne ſe vento pernicioſo hæreſeos agi ſinant: ſed ad portum potius ſecurum, eccleſiam inquam & Chriſtum Jeſum, qui illam per pontificem maximum moderatur, redeant. Ubi vero noſtris monitis nihil profecimus, quod illi extra eccleſiam agere velint: eo remedio uti ſolemus, quod medici adhibere conſueverunt, cum cancer, aliuſve peſtilens morbus, partem aliquam cœpit depaſcere: adurunt enim membrum, amputantve, ne ſerpat longius contagium, & pars pura atque ſincera in vitium trahatur.

Ad eam rem, præter rationem quam dixi, exemplis inſtituimur ſanctarum ſcripturarum. Legimus enim Paulum, Corinthium peccatorem Satanæ tradidiſſe, poſtquam extrema etiam remedia tentaverat, neque profecerat quidpiam. Illos etiam hæreticos, qui exiſtimarunt donum Dei pecunia poſſideri, Petri ore tanquam acutiſſimo gladio peremptos eſſe ſcimus.

Deinde veterum conſuetudine conciliorum adducimur, quod ex eiſdem facile patere poſſit. Accedit ad hoc Auguſtini ſententia contra Donatiſtas, & præterea adverſus Vincentium Rogatianum, qui perinde atque vos, inique ſe tractari & præter rationem a Chriſtianis ajebant.

Neque Montano mirum videri debet, quod nos nobis perſuaſerimus virga & ſceptro, pœna, inquam, corporali caſtigari hæreticos rebelles & pertinaces poſſe & debere: quando ipſos etiam hujus temporis hæreticos in eadem eſſe ſententia certo novimus. Quod tum exemplis editis in alios, tum etiam libris docent. An ignoras, ut interim ceteros taceam, Michaelem Servetum, monſtrum impudentiſſimum & horrendum maxime, qui de Trinitatis erroribus librum confecit, poſt habitam longam & acerbam diſputationem Genevæ cum Calvino, cum ab eo errore divelli non poſſet, ab eodem Calvino, propter hæreſim, capitis eſſe damnatum? Quo de medio ſublato, ut omnes intelligerent ſe auctore cædem eſſe patratam, Calvinus librum edidit, in quo factum agnoſcit, doctrinam Serveti exponit, atque omnem rem quo pacto eſt acta deſcribit, & ſimul docet integrum eſſe hæreſim gladio ulciſci ac vindicare. Tyrannus quoque paſtor Bremenſis, ut idem ait, aut, ut res eſt, lupus rapax, in libro ab eo edito, qui Farrago ſententiarum inſcribitur, productis in medium teſtimoniis docet, Calvinum cum ceteris Sacramentariis, atque etiam Anabaptiſtis omnibus, hæreticiſque aliis, ſceptro magiſtratus potius, quam vel ſtylo, vel diſputationibus eſſe refutandos.

Quod vero Ariſtoteles in Topicis ait, adverſus quoſdam homines diſputandum nobis non eſſe, neque agendum rationibus, quod vel ſenſu potius, vel pœna & caſtigatione his opus ſit: in eos hæreticos aptiſſime quadrare mihi videtur, qui his miſeris & calamitoſis temporibus graſſantur. Illi enim multa defendunt, quæ ſi ſenſus haberent integros atque ſinceros, ſane tueri vererentur: cum ad curam carnis & oblectamenta tantum pertineant, & omnia fere ſint retroactis temporibus magnorum virorum conſenſu, judicio ſanctorum patrum, conciliorum auctoritate atque decretis exploſa. Quod omnes fatentur. Vinculis igitur proculdubio atque igni merito plectuntur hæretici, cum ad meliorem frugem ut redeant admoniti, recuſant.

Nihil autem mirum est, si gladium reformi- A dent, qui se eodem dignos intra se judicant, atque ob eam rem severos nos putant judices. Sed quando hanc nostram sententiam de mulctandis corpore hæreticis docte admodum, copiose, ac prudenter excussam graviter diffinivit Alphonsus Castro, libro de justa hæreticorum punitione edito: plura de eadem re dicere recusabo.

MONTANUS. *Quibus si vel invitis ab aperta vi sit temperandum, ad eas artes se convertere proclive est, quarum Romana curia jamdiu se magistram esse profitetur.*

GASPAR. Non potest conquiescere Montanus; ubique sibi paratas esse insidias putat, scelerum conscientia agitatus. Intellexit ab ipsis B etiam hæreticis probandam esse consuetudinem de castigatione corporali hæreticorum: & quia nihil fidum aut tutum ad hanc rem, quam persuadere vult, hac parte reperit, alium lapidem movet. Ceterum sub eo, non minus, quam sub priori, scorpius indormit Montano. Ait itaque ecclesiam Romanam, ut honestius castigationem procuret hæreticorum, ubi ab aperta vi, quam nunquam infert his quos ad concilium vocat, modo illi venire velint, & parere veritati minime recusavetint, ad artes esse convertendam, & dolo malo capturam transfugas ac proditores fidei. Sed quæ sunt istæ artes, obsecro te, quas tu tantopere reformidas? quinam doli tam atrociter tuum animum plenum seditione cruciant & C misere torquent? nunquid tu artes vocas, peracto concilio, solutisque comitiis, imperatori, regibus, & principibus Christianis illam curam demandari ab ecclesia, quod eos non gravate facturos speramus, si sit opus, pro ea obedientia quam per oratores suos in concilio ecclesiæ Romanæ profitentur, ut vos omnes rebelles ecclesiæ, & capite damnatos persequantur, & latam sententiam executioni mandare velint? Hæc res aperta est: nihil hic loci artibus aut dolo relictum est. Non inficiamur, Montane, quod tu nobis quidem tanquam crimen grave objicere pergis, Romanam ecclesiam illis artibus adversus vos pertinaces hæreticos uti consuevisse, ut confecta causa in concilio, & patrum suffragiis D erroribus declaratis, si lata sententia adhuc reluctemini, & in errore perseveretis, ad arma principes hortetur, ut vel illata vi ad meliorem mentem vos pertrahat, quos placide, benigne, & peramanter flectere non potuit. Hoc tu improbas, Montane? hoc novum putas, aut artem Romanæ curiæ vocas? erras sane dum sic existimas. Annon in Deuteronomio legis præceptum esse, ut illi populi & civitates funditus everterentur, in quibus aliud doceretur, quam quod divinæ leges jubent? nova etiam lex statuit, ut qui ecclesiam non audierit, tanquam ethnicus & publicanus habeatur. Qui vero scandalizaverit unum de pusillis, tam atroci supplicio dignus a servatore nostro judicatur, ut dicat expedire ei, ut mola asinaria appensa collo demergatur in profundum maris. Quamobrem veteres & prudentes imperatores leges plurimas tulerunt, quæ in id genus homines severissime animadvertunt, tanquam in hostes communes Christianæ reipublicæ, universalis pacis ac tranquillitatis perturbatores, æqui atque boni contemptores strenuos. Hac enim maxime ratione viaque rudes homines atque imperiti, quorum magna in civitatibus copia est, ab insidiis & dolis hæreticorum liberantur. Neque ulla potior causa reddi possit, cum milites in Christiana republica to- lerentur, quam ut ipsam ecclesiam ab iniquorum hominum, quales vos estis, insultibus atque vi illata liberent, & amplificent eamdem, modo pos- *Rom. 13.* sint. Sunt enim principes Christiani, patroni & custodes religioni dati: vindices in iram his qui male agunt. Res autem mirabilis, improbari ab hæreticis tam aperte, quod apertissime probant. Quasi vero quispiam ignorare possit, hæreticos omnes, maxime vero Lutheranos, cum primum per vires & præsidia militum licet, ut Christianos homines ad se trahant, aut oppressos immaniter affligant, armata manu uti consuevisse. Hoc Germania testari possit; hoc Christianissima olim Gallia, quæ paucis mensibus ab incolis hæreticis plus malorum perpessa est, quam multis retro annis ab exteris nationibus, quantumvis illæ feroces fuerint, atque in Galliæ perniciem armatæ. Cur igitur tam graviter hi ferunt, quod nos eorumdem scelera & nefanda flagitia reprimere conemur, post tentatas omnes concordiæ & pacis conditiones, tum publice, tum privatim?

MONTANUS, *Sed ut locum missum faciamus, atque ad eos veniamus, quorum fides hac in re interponitur, quique nobis publica satisfactione legitime caviſſe volunt. Deum immortalem! quibus se, quamque ventosis titulis in vulgus venditant pauci aliquot episcopi! & in his nonnulli personati & scenici, Romani certe pontificis creaturæ omnes, quique a nobis desertæ religionis & oppressæ veritatis crimine accusantur. Ipsi œcumenicos & sacrosanctos, apostolicosque se appellant: denique nihil earum rerum sibi non sumere audent, quarum ne micam quidem in ipsis residere certum est.*

GASPAR. Alteram hoc loco rationem infert, non absimilem priori, cur hæretici fidere nobis non debeant. Sumit illam ex prælatis nostris, qui concilio interfuerunt, & colligit hoc modo. In concilio a quo fides publica data est, solum adfuerunt pauci quidam episcopi, qui se magnis titulis vendicant, & accusantur religionis desertæ, & omnes sunt pontificis Romani creaturæ: ergo non est cur illis fidamus. O bellum dialecticum! o peritum disputatorem! an non vides conclusionem nullam habere connexionem cum assumptis, ex quibus illam inferre paras? Sed nihil sane mirum est, si Montanus omnium bonarum artium rudis, & juratus hostis religionis, ira atque odio ebrius deliret. Pauci quidem sunt, fateor, qui concilio episcopi interfuerunt, si cum illis conferantur, quos Christi ecclesia partibus mundi variis intra gremium suum continet: at nihil id impedit, quominus Tridentinum œcumenicum concilium & generale dicatur, cum in eo ex omni natione & gente adsint aliquot præsentes: ceteri vero legitimos procuratores Tridentum miserint, qui rata & firma sunt habituri, quæ sancta synodus decreta atque sanctiones promulgaverit. Plerisque enim ceterorum ab ecclesiis suis abesse integrum non est: ne, dum a grege absunt, vos hæretici, id est lupi rapaces, E ovile ingressi, oves diffipetis, mactetis, & perdatis vestra consuetudine. Adsunt etiam imperatoris Christianissimi, ceterorumque regum, ac principum Christianorum oratores: præterea legati pontificii, qui omnes citra controversiam sua auctoritate generale concilium efficiunt. Nulla igitur ratio est, cur tu ex paucitate judices synodum Tridentinam generalem non esse. Quanquam non tam exiguus numerus prælatorum Tridenti adest, ut non possit hæc synodus, cum quibusvis amplissimis contendere: in qua fere ducenti & quinquaginta præsules adsunt, & doctores innumeri,

Matth. 18.

Quod

Quod si verum est, ut est sane quam verissimum: quæ firmior satisfactio porrigi possit, quæ cautio fidelior, quæ fides amplior, quam quæ ab universa synodo hæreticis præstita est? Quemadmodum vero Tridentina synodus œcumenica & generalis ratione, quam dixi, merito vocatur: ita quoque sanctissima vocari jure potest. Etenim ecclesia Christi sancta est, quod in symbolo confitemur, quam synodus legitime coacta repræsentat. Et cum in eadem coierint qui apostolorum doctrinam profitentur, quam alta mente repositam habent: nemo patres in concilio congregatos merito possit reprehendere, quod se apostolicos appellent. Sunt etiam, quod tu veluti probro nobis objicis, præsules omnes in ecclesia Dei Romani pontificis creaturæ, quoniam ab eodem oves acceperunt. Ille enim singulos episcopos vocat in partem sollicitudinis suæ, quæ universa a Christo Petro data est illis verbis, Pasce oves meas; & in Petro, omnibus Romanis pontificibus, quicquid garriant hæretici. Neque post tempora apostolorum quispiam episcopus ecclesiæ gubernaculis admotus est, quem non pontifex Romanus, aut per seipsum, aut per legatum suum, denique authoritate sua non instituerit. Neque est ullum apertius discessionis argumentum ab ecclesia, quam si pontifice Romano vicario Christi non consentiente, & probante, quispiam episcopatum usurpet. Duos ordines præcipuos in ecclesia sua Christum reliquisse compertum est, sacerdotum inquam & episcoporum: alterum in discipulis, alterum in apostolis. Quod evidenter fatentur omnes, & a nobis monstratum est indicatis locis in libro de episcopi officio. Ceterum unum caput fecit ecclesiæ suæ, Petrum videlicet, & successorem Petri pontificem Romanum, qui singulos episcopos pro ea authoritate ac potestate quam accepit a Christo, quando & quemadmodum ratio postularet, singulis ecclesiis præficeret. Illud quoque non ignoro, tum ipsum pontificem maximum, tum reliquos episcopos omnes, & sacerdotes a vobis accusari: sed numquid ob eam rem novam instituendi concilium rationem inibimus? Numquid ob eam rem formam prætermittemus de doctrina & moribus judicandi, quæ est a Christo nobis relicta & perpetuo observata in ecclesia Dei? Ego sane sic existimo, Montane, qui de nova alia forma cogendi id genus comitia est sollicitus, illud unum curare, ne usquam comitia habeantur. Accusaverunt olim, quod plane constat, hæretici pontificem maximum, & episcopos universos, quod facitis vos. Sed numquid ad ipsorum causam tractandam nova inita ratio est? aut forma vetus prætermissa? minime sane. Atqui scimus damnatos esse id genus hæreticos, eorum doctrinam explosam ejectamque longissime, & uno eodemque tempore eosdem a viris bonis in hæreticorum numero habitos fuisse. Idem quoque accidit in præsentia, quantumvis tu tuique similes reluctentur. Si quidem nulla alia ratio excogitari valet. Aut enim vos judices constitui vultis, aut nos, nihil est tertium. A vobis judicium fieri de moribus & de doctrina, contra jus atque fas est: tum quia ad ecclesiam judicium pertinet, a qua hæretici se segregaverunt, neque usquam reperimus, apostatas synodum convocasse, in qua de aliorum moribus, aut fide judicaretur. Aut si quando id accidit, in ea synodo decreta ac definita nusquam vim aut robur communis legis obtinere potuerunt. Ad nos igitur, quod facimus, spectat synodum cogere, dubia definire, abusus tollere, explicare fidei dogmata, quibus dictum a Christo est: *Si duo ex vobis consenserint super terram de omni re, quamcumque petierunt, fiet illis a patre meo qui in cœlis est. Ubi enim duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Atqui in nomine Christi non possunt ulli homines congregari extra ecclesiam, in qua speciali quadam ratione Christus adest. Neque enim hæretici, ut ex Augustino superius retuli, Christum habent. Matth. 8.

MONTANUS. *Atqui quis porro illis aliquam fidem adhibebit, qui in ipso statim securitatis, quam pollicentur, limine, tam fœde & turpiter impingunt? nonne tibi perinde facere videntur, ac si quædam colluvies perditissima iniquissimaque hominum, imperatorem ipsum, omnesque imperii ordines ad comitia evocaret, cum amplissima securitatis testificatione, diemque ad dicendum causam illi dicerent, qui & capitis & fortunarum accusarentur ipsi? Si nunc paucis aliquot, quibus corruptæ religionis crimen impingitur, œcumenici concilii titulus non recte convenit: œcumenici concilii nomine illis legitime cavere, fas & integrum non est.*

GASPAR. Hæc verba omnia scurrilia sunt & maledicentiæ plena, ad quæ lubet illud dumtaxat Salomonis dicere: *Noli respondere stulto juxta stultitiam suam*, Ceterum eisdem verbis turpibus & insanis, insanam quoque & ineptissimam rationem inculcat Montanus, quæ est: Episcopi Tridenti congregati non possunt habere titulum œcumenici concilii: ergo nec possunt nomine concilii œcumenici securitatem polliceri: atque ita colligitur, formam securitatis sufficientem non esse. Falsum est enim quod assumit. Nam cum ille ex paucitate probet assumptum, & ut concilium quodpiam generale & œcumenicum sit, minime sit opus omnes episcopos simul eidem interesse, sed vocari omnes publico edicto a pontifice, eumdemque adesse præsentem per se, vel legatos suos, similiter etiam imperatorem & ceteros Christianos reges: nunquam ille probare possit Tridentinum concilium, in quo ineſſe hæc omnia scimus, œcumenicum non esse. Nomine igitur œcumenici concilii hæreticis proculdubio cautum est a patribus Tridenti congregatis. Prov. 26.

Quamquam neque illud est necessarium, ut concilium aliquod œcumenicum sit authoritate, & virtute, ut adsint in eodem plurimi præsules: sed satis est simul cum pontifice paucos episcopos adesse. Exemplo, quod diximus, constare possit. In actis apostolicis legimus concilium œcumenicum esse celebratum, in quo pleraque ad legem evangelii pertinentia contra Judæos sancita sunt, atque imperatum universis Christianis, ut illa servarent. At in eo concilio solum reperimus quatuor apostolos, Petrum videlicet ecclesiæ caput maximumque pontificem, Jacobum Hierosolymitanum patriarcham, Paulum & Barnabam, qui & sententias dixerunt suas in ea sanctissima synodo contra hæreses, quas docebant qui ex Judaismo ad Christianam religionem conversi fuerant: neque sunt vocati ceteri apostoli aliarum civitatum, neque locutus est quispiam præter memoratos a nobis. At non erit tam impudens Montanus, ut asserat non fuisse illud concilium œcumenicum. Non est necessarius magnus numerus prælatorum, ut concilium œcumenicum dicatur, & sit: atque ex

conse-

consequenti, ut nomine concilii œcumenici securitas concedatur hæreticis, quod putat Montanus.

MONTANUS. *Non ergo de forma securitatis amplius, sed de jure quæritur. Quod si veterator aliquis privilegia conferret in optima quantumvis forma: tamen quod ejus largiendi potestatem nullam haberet, forma quoque cum jure periclitaretur. Non ergo quid quisque polliceatur, sed quam recte, quoque jure polliceatur, etiam atque etiam considerandum venit.*

GASPAR. Tuo te ore condemnas, & gladio jugulas, more hominis insani. Si jure ad eos pertineret formam securitatis præstare, qui concilium conficiunt generale, œcumenicumque: dubitari non possit, quin & forma recte servata sit, atque eos jure potuisse fidem publicam patribus præstare qui Tridenti sunt. Sed fingamus præsules qui Tridenti adsunt non potuisse securitatem hæreticis præbere, nomine œcumenici concilii, quod apertum mendacium esse paulo superius monstratum est a me: cum hæretici periculum sibi ex nobis imminere existiment, atque id sibi persuaserint, ut securi sint, neque quippiam ex nobis metuant mali, satis esse putare debent, quod nos illis fidem nostram adstruxerimus.

MONTANUS. *Scio ego quod omnia sua ad Romanum pontificem ceu caput referunt, qui nempe sit unus omnium instar, juxta vulgatum dictum, ubi papa, ibi universalis synodus. Sed quam falso, quam nequiter Romanus pontifex hæc omnia sibi usurpet, notius est quam ut probatione egeat.*

GASPAR. Verum est quod objicis nobis, omnia nos ad pontificem Romanum referre, veluti ad caput. Est enim ecclesiæ caput & Christi vicarius, cui dictum est a Christo, *Pasce oves meas, pasce agnos meos*. Et, *Ego oravi pro te, ut non deficiat fides tua*. Et, *Tibi dabo claves regni cœlorum*. Et, *Tu conversus confirma fratres tuos*. Et, *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam: & portæ inferi non prævalebunt adversus eam*. Est etiam pontifex instar omnium, quoniam nemo præter eumdem jure concilium possit agere. Neque robur aut firmitatem habent quæ ille semel improbaverit. Qua in re confirmanda me diutius immorari non oportet: præsertim cum tu neque afferas, neque afferre possis usquam efficacem rationem ullam, qua contrarium verum esse putare quis debeat, qui communi sensu non careat.

Joan. 21. Luc. 22, Matth. 16.

MONTANUS. *Mihi certe quo majore pontificem conciliaque sua authoritate instruunt, eo minus spei & expectationis de data fide relinquunt. Si quidem enim Romano pontifici, quod libet licet, ipseque unus pro ea qua est potestate præditus, quæ ei amplissima tribuitur, reges & imperatores a juramentis, pactis & conventis absolvere potest: quid vetat quo minus & hoc suo jure in sua causa fruatur, fideique quam promisit, normam pro sua libidine moderetur.*

GASPAR. Fidem hæreticis a concilio datam suspectam habet Montanus, quoniam illa ipsa fides, quæ quadam ratione pendet a pontifice, qui per legatos concilio præest, in suspicionem adducitur: quoniam, ut ait, pontifex reges & imperatores solvit juramentis, jure sibi concesso. Quare multo magis eo jure uteretur in re sua.

Atqui hæc oratio primum peccat, quia viri boni, qualis procul dubio est pontifex, si non hæretiorum judicio, saltem nostro, propensiori animo jure suo in alios uti solent, quam in seipsos, ut quæ faciunt omni liberent suspicione. Ergo vel Christi, vel Christianorum causa, tametsi posset maxime formam pontifex securitatis datam hæreticis mutare, aut prætermittere, non auderet: præsertim cum aperte intelligat, nostram causam hac in re admodum justam esse, quæ his artibus procul dubio vocaretur in suspicionem, & graviter læderetur. Deinde non omnino verum est, quod Montanus sumit pro sua libidine, a pontifice maximo reges & imperatores solvi solere juramentis, pactis & conventis. Neque usquam ille id nobis ullis exemplis possit commonstrare. Accidit interdum, fateor, ut jura edantur incauta pernicioseve, & pacta coeant præter rationem: quæ si qui juramentis se obligaverunt, explere vellent atque opere exequi, contra omnes jus & fas agerent. Hoc ubi suspicantur qui similibus nodis sunt constricti, adeunt pontificem, qui cum ecclesiæ caput sit & Christi vicarius, interpretatur & declarat, standumne sit pactis conventis, & juramentis. Quod si videatur, juxta leges divinas & rationem, eosdem illa solicitudine liberat atque solvit juramentis: cujus rei passim in historiis exempla suppetunt, neque possit a quopiam cum ratione factum reprehendi. Sed Montanus non videt lædi authoritatem & majestatem imperatorum, regum, atque principum: ut interim Romanum pontificem taceam. Ac nisi principes intelligerent eam facultatem datam a Deo pontifici maximo, non essent tam stupidi, ut illum adirent, a quo se solvi juramento non posse existimarent: quod significat in præsentia Montanus. Sed hæretici seditiosi & perturbatores, quid non audent?

MONTANUS. *Et certe Romanos pontifices juramentis & bullis suis hactenus luisse, quis est qui ignoret?*

GASPAR. Ignorant omnes viri boni, qui vel hac ætate, vel antiquis vixere temporibus: fatentur hoc tantum hæretici odio inflammati adversus pontificem & Romanam ecclesiam: neque Montanus probare hunc ludum mihi usquam possit, tametsi laboret maxime.

MONTANUS. *Adde quod hæc clausula, quæ de pœna in violatores constituit, obscuritatis & ambiguitatis in se continet plurimum.*

GASPAR. In re qua clarior est, obscuritatem reperit animus sibi male conscius. Nihil enim apertius dici potuit, quam quod synodus ait in fide publica his verbis: quæ, ut mendacii apertissimi convincantur hæretici, placet exacte referre.

Verba synodi.

Hæc omnia pro universis & singulis Christi fidelibus, pro omnibus principibus, tam ecclesiasticis quam sæcularibus, & omnibus aliis ecclesiasticis & personis sæcularibus, cujuscumque status & conditionis existant, & quocumque nomine censeantur, inviolabiliter observanda esse promittit, & bona fide spondet sancta synodus. Addit rursum.

Insuper omni fraude & dolo exclusis, bona fide promittit, ipsam synodum nullam vel manifeste, vel occulte occasionem quæsituram, aut aliqua authoritate, potentia, jure, statuto, privilegio legum vel canonum, aut quorumcumque conciliorum, præsertim Constantiensis, & Senensis, quacumque forma verborum expressa, in aliquod hujus fidei publicæ & plenissimæ assecurationis, ac publicæ & liberæ audientiæ ipsis per ipsam synodum concessæ præ-

Præjudicium quovis modo ufuram, aut quemquam uti permiſſuram, quibus in hac parte pro vice derogat.

Adhuc vim addit majorem & verbis apertiſſimis: Quod ſi ſancta ſynodus, aut aliquis ex ea, vel ſuis, cujuſcumque conditionis vel ſtatus, aut præeminentiæ exiſtens, præſcriptæ aſſecurationis & ſalvi conductus formam & modum in quocumque puncto vel clauſula violaverit (quod tamen avertere dignetur omnipotens) & ſufficiens emenda non fuerit mox ſubſecuta, & ipſorum arbitrio merito approbanda & laudanda, habeant ipſam ſynodum & habere poterunt, incidiſſe in omnes pœnas, quas jure divino & humano, aut conſuetudine hujuſmodi ſalvorum conductuum violatores incurrere ſolent, abſque omni excuſatione, aut quavis in hac parte contradictione.

MONTANUS. *Quid? ſi quo ſunt erga noſtros animo, tum maxime ſe læſos queritentur, injuriam cum fecerint ultro, quis vero tunc invadet? Quis juſtorum cauſam ſuſcipiet? Quis ſuſceptam defendet eo in loco, qui & præſidio, & militè pontificio noſtris infeſtus eſt?*

GASPAR. Multa hæreticorum animos ſollicitos reddunt: umbras etiam Montanus timet. Sed quorſum, neſcio. Tametſi enim nos maxime læditis, quod facitis perpetuo: ubi ſemel fidem publicam vobis dederimus, nunquam moleſti erimus. Eo enim animo erga vos ſumus, ut nihil magis cupiamus, quam ut vobis Deus iſtam mentem mutet, inſpiret meliorem, ut quæ recta ſunt tandem agatis. Quod vos inde facile conjicere poſſitis, quod eccleſia noſtra preces pro vobis cum lacrymis fundit. Neque æquum eſt, ut ea de nobis quiſpiam exiſtimet, quæ neque de ethnicis hominibus hoſtes timuerunt. Sed fingite iniquum animum nos gerere erga vos: ubinam copiæ ſuppetant nobis? ubi exercitus paratus? ubi militum manus? quæ omnia ſi haberemus, & contra fidem datam nocere vobis pergeremus: repugnaret imperator, obſtarent reges Chriſtiani, principeſque, qui Tridentum oratores miſerunt ſuos, impedirent profecto, graviter ferentes violari a nobis ſecuritatis jura, in quæ ipſi quoque conſenſerunt.

MONTANUS. *Pro generali concilio, pro apoſtolicis viris ſeſe gerunt: ſi quis vero eos falſi redarguat, in ipſius violationis crimen proculdubio incurret.*

GASPAR. Nihil mirum ſi patres Tridenti congregati pro concilio ſe gerant, cum revera, ut dixi, generalem ſynodum conſtituant; & ſe viros apoſtolicos jactent, cum eam moderentur eccleſiam, quam poſt Chriſtum Jeſum apoſtoli condiderunt, atque etiam apoſtolicas leges, ſanctiones, & traditiones obſervent diligentiſſime, in quas vos hæretici conjuratis. Sed ubi prærogativam hanc publicæ fidei dederint: ferent omnino patienter, ut vos inſtruant, & eccleſiæ Chriſti adjiciant, unde exiiſtis.

MONTANUS. *Eccleſiæ titulum ad ſe unos rapiunt. Atqui ſi quis eos profeſſos eccleſiæ hoſtes probandum ſumeret, ſi vitæ morumque turpitudinem illis probro verteret: læſæ ſecuritatis culpam in ſe derivaret.*

GASPAR. Nullo pacto efficere hæretici poſſunt, ut nos ſemel datam fidem & ſecuritatem violemus. Ne timeas, bono animo eſto: contende Tridentum: redde ſynodo rationem doctrinæ tuæ: experieris illam clementiſſimam: ruent omnes in amplexus, & humeris ovem perditam geſtabunt, ſi res poſtulet. Quo ſigno maxime agnoſces, illam eccleſiam adeſſe apud nos, quam Chriſtus reliquit in terris, cujus caput pontifex eſt, quam catholicam eſſe certo ſcimus ex antiquitate & conſenſione locorum hominumque.

MONTANUS. *Sunt alia hujuſmodi innumera, quæ ſine ſcelere a noſtris taceri nequeunt, ab illis vero ſine furore audiri non poſſunt.*

GASPAR. Sed quæ ſunt iſta ſcelera quæſo te Montane? Taces? Nulla igitur noſti: alioquin illa minime diſſimulare potuiſſes, cum uſque adeo adverſum nos in iras exarſeris, ut mera atque impudentiſſima mendacia, quæ refelli nullo negotio a quovis poſſint, in nos etiam jactare ſoleas.

MONTANUS. *Quanta enim horum patrum ſit manſuetudo, quanta erga nos clementia, teſtatur Gallia, teſtatur Anglia, teſtatur hæc dira Vaſſerenſis cædes in noſtros non ita pridem executa. Ita nimirum ſancti patres ſalutem noſtram ſitiunt, ut ſanguinem quoque ſimul abſorbeant.*

GASPAR. Heu! quanto ſatius fuiſſet tibi tacere, Montane! An putas id orbi terrarum ignotum eſſe? Norunt etiam Turcæ barbariſſimique homines, vobis authoribus hæc incendia olim in Germania & Anglia, nuper vero in Gallia exarſiſſe. Quis tumultus concitavit in Germania? Hæreticus. Quis in Anglia urbes turbavit igni & vaſtavit ferro? Hæreticus. Quis parentum manus contra liberos cariſſimos armavit? Hæreticus. Quis in Gallia proximis his menſibus primus claſſicum cecinit, regem dejicere ſolio conatur, Chriſtianiſſimos homines bello vexat, ſanctorum reliquiis corporum impias manus admovet, in imagines ſævit, templa incendit, urbes diripit, velatas virgines violat, cœnobia ſpoliat monachis, denique ſine ullo delectu aut judicio, ſacra profanis miſcet? Hugonotus. Conſule viros probos, noſtrorum temporum hiſtorias diligenter evolve, teipſum interroga: facile intelliges proculdubio, Papiſtas (ut more tuo loquar) niſi laceſſitos injuria nuſquam ad arma confugiſſe. At ubi patientiam ſuam damno eſſe ſibi viderunt (ea enim vos inſolentiores redditi, inſtar luporum immaniumque ferarum truculenter paſſim ſævire cœpiſtis, & optimum quemque noſtrum ludibrio atque prædæ habere) divina ope freti tantam in vos ſtragem ediderunt, ut Chriſto atque eccleſiæ illatam injuriam ulciſcerentur, quantum vix unquam Gallia vidit, captivis etiam ductis popularis hujus tumultus ac ſeditionis principibus. Ac niſi ceteri omnes reſipiſcatis, & revinctis poſt terga manibus ad clementiam Chriſtianorum principum revertamini: brevi, ut ſpero (neque me animus fallet) in eas anguſtias conjiciemini, ea enim eſt ſcelerum veſtrorum magnitudo, unde minime eripi poſſitis. Res agitur Chriſti; illatam ille ſibi injuriam proculdubio vindicabit. Quæ vero hactenus in eos exempla a catholicis viris igni & ferro edita ſunt, nemo quidem poſſit, niſi qui communi ſenſu careat, perinde atque tu, dicere concilii authoritate accidiſſe: cum eo ipſo tempore, quo diræ cædes illatæ ſunt, nondum concilium coactum eſſet.

MONTANUS. *Sed neque hoc diſſimulandum eſt, eam fidei formam, quæ noviſſime Brixiæ licentia inquiſitoris neſcio cujus exiit, ab ea ipſa, quæ Venetiis edita eſt, non parum diſcrepare. In Brixiana enim eſt appendix quædam, quæ appellatur extenſio ad alias nationes, quæ totum id retractat, quod paulo ante in commune erat omnibus conceſſum: & quod magis eſt, in ea ipſa appendice cæteris*

quoque

quoque nationibus omnibus eadem forma, eisdem denique verbis, quibus Germanis, cavetur. Et tamen additur, eam formam nonnisi ad eos pertinere, qui respiscere & ad ecclesiæ gremium, quod omnibus apertum esse debeat, redire voluerint. Quis vero fraudes istas non intelligat, nisi cui ne mica quidem cerebri est? Amplius. Reliqua forma eadem qua Germaniæ populis cavetur, ad omnes reliquas nationes indifferenter & ex æquo pertinet. Reliquis autem nationibus nonnisi ad ecclesiam Romanam redire valentibus fides datur. Ergo neque Germaniæ populis, nisi quatenus cum Romana ecclesia se conjungant. Fides enim publica cum forma qua continetur, etiam terminatur.

GASPAR. Ex duplici forma securitatis suspicatur Montanus fidendum non esse concilio: neque intelligit malitia cæcus, fuisse necessarium ut ea ratione fides constaret. Superioribus etenim annis, cum Tridenti primum synodus coacta est, data est fides publica Germaniæ tantum populis: quoniam eo tempore illi duntaxat fidem deseruerant, & ecclesiam hæresibus infestabant. Ea fides typis mandata est Venetiis. Modo vero cum non Germania solum, sed etiam Gallia & aliquot aliæ provinciæ hac peste laborent: voluit sancta synodus fidem Germanis datam extendere ad ceteras nationes. Invulgata est ob eam rem primum fides olim Germanis data, quam renovavit synodus: adjecta est etiam veluti appendix, extensio ad alias nationes, & utraque simul excusa est Brixiæ, atque in vulgus data. Nihil igitur mirum est, si aliquo modo fides hæc a priori discrepet, cum de substantia rerum contentarum ne verbum quidem immutatum sit, ut apparet. Sic enim habet extensio, quæ mendacii arguit Montanum.

„ Eadem sancta synodus omnibus & singulis aliis
„ qui nobiscum, in his quæ sunt fidei, communio-
„ nem non habent, ex quibuscunque regnis, natio-
„ nibus, provinciis, civitatibus, aut locis, in quibus
„ publice aut impune prædicatur vel docetur, sive
„ creditur contrarium ejus, quod sancta Romana
„ sentit ecclesia, dat fidem publicam, sive salvum
„ conductum sub eadem forma, & eisdem verbis,
„ quibus datur Germanis. Quid in his verbis obscu-
rum est? quid ambiguum, veterator?

Quod addit statim Montanus, multo apertius mendacium est; Ait enim, ex verbis extensionis colligi, solum pertinere istam formam securitatis ad eos, qui volunt redire ad ecclesiam Romanam, atque isto privilegio solum eos debere frui. At nihil simile reperitur in extensione: quod constat ex his verbis quæ relata a nobis jam proxime consequuntur.

„ Quoniam autem in hac extensione non viden-
„ tur omnes nationes comprehendi, quod certis re-
„ spectibus factum est: non propterea existimandum
„ exclusos eos esse, qui ex quacumque tandem na-
„ tione respiscere, & ad ecclesiæ gremium, quod
„ omnibus apertum esse cupit, redire voluerint. Ha-
„ ctenus sancta synodus.

Unde constare possit aperte, non esse diversam formam ab ea, quæ in fide olim Germanis data continetur. Omnibus enim ea causa fides publica conceditur, ut agnitis erroribus ad ecclesiæ Christi gremium revertantur. Huc spectat synodus: hoc cupit maxime, hoc laborat. At licet postquam Tridentum venerint hæretici, non deseruerint hæresim, neque mentem mutaverint: non testatur synodus, se hæreticis qui venerint ullum incommodum illaturam. Sed quoniam Germanis specialiter nominatimque data est publica fides, aliis vero generaliter, cum dicitur, omnibus & singulis, potuit quispiam putare, non satis esse hac forma cautum Anglis (verbi gratia) Scotis & Gallis, qui in fide hac publica non nominantur. Occurrens itaque synodus objectioni, ait: *Quamvis autem hac extensione non videantur omnes nationes comprehendi, &c.* Desinit enim nominare, ne quispiam molestæ ferat gentem suam hæreseos crimine notari: & præterea quoniam novit sancta synodus in Italia, Hispania, in Polonia & id genus aliis provinciis, reperiri aliquot hæreticos. At si propter paucos hæreticos, nationes illæ & gentes nominarentur, in hac fide publica, quæ conciliorum volumini addenda est, perpetuo nationes illæ nominatæ hac ipsa infamia laborarent. Quod innuit sancta synodus, cum ait, *quod certis respectibus factum est*. Omnibus hæreticis qui Tridentum venire vellent, hac forma prospicere curavit concilium: quod postremis his verbis extensionis planum fit.

Nunc satis existimatum est, si qui publice, quemadmodum in extensionis forma lectum est, deseruerunt ecclesiæ doctrinam, illorum securitati ea forma quam legi audistis, prospiceretur.

Illud silentio præterire nolo, quod cum Brixiæ excusæ fidei meminit, per contemptum, ait, mandatam esse typis de licentia inquisitoris nescio cujus.

Neque mirum id videri debet alicui. Id enim genus hominum hæretici maxime oderunt, qui sunt ipsorum criminibus inquirendis & castigandis severissime dati. Atque utinam ceteræ nationes perinde atque Hispania inquisitionis officium retinuissent: ego non dubito, quin hæretici non tam prospere acturi essent. Ejus enim beneficio proximis annis detecta est hæreticorum conjuratio apud nos, & sceleris conscii sociique igne castigati.

MONTANUS. *Sed de periculo quantum satis est. Neque enim hæc causa longiorem disceptationem desiderat, cum non tanta discrimini, quanta veritatis & gloriæ divinæ habenda ratio sit. Superest ut deinceps doceam, cum certo discrimine certam quoque veritatis abjurationem conjunctam fore. Id vero ne cui sit obscurum, cogitet velim, omnes Christianas actiones ad suos fines esse referendas: conciliis autem cum finem esse propositum, ut doctrina, morumque vitia emendentur, pax denique & concordia, salva pietatis regula, in ecclesia restituatur. Hæc itaque cum sint, Christianus homo nullis cœtibus se temere adjunget, quod circa res cum hoc fine pugnantes occupari animadvertet.*

GASPAR. Vera sunt hæc omnia, quæ coactus protulit Montanus, nam eisdem verbis veluti proprio se gladio jugulat, ut monstrabo. Nunc attexit aperta mendacia.

MONTANUS. *Quod si nunc demonstravero, Tridentinos patres non illustrandæ, sed obscurandæ veritatis gratia; non reformandæ, sed deformandæ ecclesiæ convenisse: simul etiam probavi Christianos sine scelere se illis conjungere non posse.*

GASPAR. Hic est scopus reliquæ ferme orationis, in quem argumenta varia conjicit: omnia tamen aut vana, aut fucata, aut mendacia. Quod ego suis locis aperte indicabo.

MONTANUS. *Hic tu mihi omnium primo considera, quis cœtus hos & conventus indixit: Romanus utique pontifex.*

GASPAR. Verum est quod asseris in præsentia,

tia, ſynodum Tridentinam a Romano pontifice coactam eſſe, ex more & officio. A temporibus enim apoſtolorum ad noſtra uſque tempora nuſquam cujuſpiam alterius authoritate concilia eccleſiaſtica aut indicta ſunt, aut cojerunt. Repete antiquitatem, evolve veteres hiſtorias: reperies verum eſſe, quod dicimus. Etenim cum pontifex Romanus Chriſti vices in terris gerat, atque ejus curæ oves Chriſtianæ ſint commiſſæ: rationi conſentaneum eſt, ut cum in ovile Dei lupi irruunt, fidem veterem labefactant, vel morum doctrinam peſſumdare volunt, a ſummo paſtore ceteri minores paſtores, qui ſub iſto ſunt, convocentur, & de arcendis lupis a grege deliberent. Hoc quoniam apertum eſt, ac tu illud nobis Montane concedis, cum a pontifice inquis conventus iſtos indictos, longior non ſum in confirmanda ſententia. Pergit de pontifice loqui.

MONTANUS. *Qui nihil ſtudii, nihil diligentiæ in hoc toto negotio prætermiſit, nullis denique ſumptibus, nullis laboribus pepercit.*

GASPAR. Hæc quoque vera ſunt, & ad pontificis laudes magnum addunt cumulum. Dubium enim non eſt, quin ille magnos ſumptus fecerit in illis legationibus, quas hujus rei gratia ad reges, principes, præſuleſque deſtinavit, in remotiſſimas etiam orbis terrarum partes, ad ipſos quoque hæreticos: deinde in ſublevanda multorum epiſcoporum inopia, quorum annuos cenſus reddituſque vos ipſi hæreticiſſimi homines fœde ac turpiter devoraſtis. Ne, ſi rebus ad vitam neceſſariis deſtituerentur, ſuo officio deeſſent.

MONTANUS. *At quid hæc omnia pontifex? eo nimirum ut ſe ſuamque potentiam ſubvertat? aut imminuat? Qui ſibi hoc perſuadere patitur, nam ille mihi cum ratione inſanire videtur. Veriſimile enim non eſt, pontificem Romanum in ſui ipſius interitum, ſcientem volentemque incumbere.*

GASPAR. Id quoque verum eſt, infane. Non cogit pontifex concilium, ut potentiam ſuam ſubvertat: ſed potius ut ditiones, & provinciam Chriſti, eccleſiam inquam Romanam catholicam & apoſtolicam amplificet, ſublatis de medio pravis moribus, & hæreſibus extirpatis, quæ illam creſcere non ſinunt. An ignoras ab imperatoribus & regibus, in ſuis regnis comitia celebrari, ut rationem inire poſſint reſiſtendi hoſtibus ſuis, rebelles caſtigandi, dilatandi imperii fines, infringendique conatus perditiſſimorum hominum? Idem quoque agit pontifex: videt zizania ſubcreviſſe in meſſe Chriſti, in eccleſia inquam Romana: vocat operarios in meſſem, epiſcopos adeſſe jubet, ut communi conſilio caveatur, quid agendum contra hæreticos ſit: quod eſt ſane potentiam pontificis augeri, & eccleſiæ quam regit, fines dilatari. Numquid tu velles, ut pontifex conventus iſtos celebraret ad ſubvertendam potentiam ſuam? ad imminuendam dignitatem eccleſiæ? ad authoritatem debilitandam? ad diſſipandam morum diſciplinam? Erras Montane, erras. Neque enim pontifici poteſtas data eſt in deſtructionem eccleſiæ, ſed in ejus ædificationem.

MONTANUS. *Quid ergo ſibi vult hæc conciliorum molitio? Hoc nimirum ut ruentem fluctuantemque papatum, qui jampridem mole ſua laborare cœpit, ſuffulciat, & ſtabiliat, quoadque fieri poteſt, priſtino nitori ſplendorique reſtituat: totum denique Chriſtianum orbem ſub leges ſuas & arbitria ſemel cogat.*

GASPAR. Tandem exponit nobis Montanus, quorſum conatus pontificis pertineant, dum concilium indicit, & celebrari diligenter procurat, quaſi pontifex maximus cunſilii ſui rationem Montano aperuiſſet, & eandem cum eo communicaſſet. Is conatus eſt ut papatum, id eſt, eccleſiam Chriſti (hoc enim nos papatum vocamus) reſtituat priſtino nitori, & totum orbem, ſi poſſit, ſua ſub juga mittat. Quaſi vero ullus conatus aut præclarior, aut laudabilior fingi poſſit, quam ut is, cui eccleſiæ Romanæ gubernacula a Chriſto data ſunt, ſuos fines amplificet, extendat imperium, & omnes Chriſto ſervire faciat. Neque modo Chriſtianos (quod ignarus vocabuli teſtatur Montanus; hi enim libenter pontifici parent) etiam hæreticos omnes, qui ſe Chriſtianos vocant, cum non ſit Chriſto magis infenſus Satan, quam ſunt hi Chriſtiani & evangeliſtæ, veris Chriſtianis. Hoc tu vituperas Montane? Hoc carpis? Addis hanc ſtrenuam pontificis diligentiam eo etiam ſpectare, ut ſuffulciat ruentem & fluctuantem papatum. Quod quadam ratione verum eſt, alia vero manifeſte falſum. Etenim emendari mores, ſublevari eccleſiæ diſciplinam, purgari fidem veterem ab illis erroribus, quos vos ipſi hoc tempore quorumdam mentibus inſeruiſtis, ſi tu exiſtimas ad nitorem papatus pertinere: recte quidem ſentis & loqueris: Nihil eſt enim quod æque papatum deceat, & eccleſiam ornet, atque mores ſancti, puraque fides, quod ſane nititur pontifex præſtare in his ſacroſanctis comitiis. At vero ſi verbis illis ſignificare velis, papatum, aliquando corruiturum, quod hæreticorum aliquot ſibi perſuaſerunt: graviter errat Montanus, graviter Vergerius, graviter Calvinus, graviter denique quotquot ita exiſtimant. Nam papatum quidem perpetuo duraturum eſſe indubitato certoque ſcimus. Fidem enim Chriſtus Petro dedit, & in eo ceteris ſummis pontificibus, qui clavum ejus navis poſt Petrum tenent, nullum unquam habiturum exitum papatum, dum mundus perſtiterit, his verbis: *Tu es Petrus & ſuper hanc petram* (qui es tu) *ædificabo eccleſiam meam*: ſubjungit, *& portæ inferi* (hoc eſt, hæretici impii per quos tanquam per amplas portas aditur infernus) non prævalebunt adverſus eam. Laborare quidem, affligi, premique papatus poſſit, propter hominum ſcelera. Punit enim, purgat electos ſuos Deus per impios & ſceleratos hæreticos: quod accidit ſæpenumero, maxime vero Arii temporibus, cujus doctrinam etiam imperatores amplectebantur. At nunquam penitus opprimetur: attollet tamen poſt labores, poſt calamitates & ærumnas ingentes caput papatus, & vindicabitur de hoſtibus ſuis, & ſe de inimicis conſolabitur. Accipe teſtimonium ex tuis. Cum Martinus Bucerus morti proximus ab Eduardo rege Angliæ, quo loco miſeram animam torquendam dæmonibus dedit, diligenter interrogaretur, quam rationem inire poſſet atque ingredi, qua papatum funditus everteret, reſpondit hæreticus: Niſi Chriſtum diſſipes, o rex, papatum nunquam de medio tolles: ſic enim divina providentia ſtatutum eſt, ut papatus & Chriſtus ſimul adſint, neque poſſit alterum ab altero dirimi. Regnat enim in papatu Chriſtus, & regni ejus, quod ſcriptura refert, non erit finis, neque, ut alibi dicitur, ejus regnum uſquam corrumpetur: quia poteſtas ejus, ut eadem ſcriptura refert, poteſtas æterna.

Marc. 16.

Hoc illud eſt quod Julianus Apoſtata appetente jam morte ſignificavit, cum ait: Viciſti Galilæe. Loquebatur autem de Chriſto, cujus regnum, hoc eſt, papatum, evertere atque æquare ſolo moliebatur. Sed in eadem perſtat ſententia, & ut ſuperiora confirmet, verſus quoſ-

dam

dam ludens citat in nos : is qui ludibrio est etiam ipsi Satanæ.

MONTANUS. *Germania etenim domitis, nihil abfore credunt.*

Quin omnem simul Europam sua sub juga mittant,
Et mare quod supra, teneant, quodque abluit infra.

GASPAR. Præter Germanos plurimi restant alii, quos cupit pontifex Romanus, cupit sancta synodus ad ecclesiæ ovile reducere.

MONTANUS. *Aut certe, si illum spes, si vires ad id perficiendum destituant: Christianos tamen, præcipue Germanos infensis animis inter se committat, ipseque ejus tragœdiæ spectator sedeat. Hæc expeditissima Lutheranici furoris ratio videtur (sic illi loquuntur) ab Italia avertendi.*

GASPAR. Vellem ex te scire, Montane, quænam ratio possit inveniri, qua inter se principes illos, qui in Germania vobis favent, infensis animis committi possint. Nam hactenus quidem ignoro, quo pacto concilia, quæ tu paulo superius fatebaris ad componendam pacem inter principes cogi solere, tumultibus concitandis & bello movendo servire possint. Sed quod conciliis effici non valet, diversitate opinionum vestrarum ac multitudine, facile, ut arbitror, consequemur. Ego enim futurum spero, non aliunde majus incommodum Germanos hæreticos esse laturos, quam ab his, qui modo impensius vobis opitulantur, ubi semel rem accuratius inspexerint. Quod si hoc remedium diutius differatur, aliam proculdubio Deus nobis viam monstrabit, qua furori Lutheranorum (ita enim pestilens ista hæresis merito vocatur) obviam eamus. Cujus rei gustum aliquem neque malignum, ut audio, præbuit nobis in Gallia Deus optimus maximus proximis his diebus, non procul a Lutetia Parisiorum: quo loco plurima vestrorum Hugonotorum turba trucidata est, & principes seditionum, ducesque rebellionis capti sunt, atque in vincula conjecti.

Quorsum autem hæc carmina nobis occinas, ego sane non video: quæ mirabiliter vestris conciliabulis quadrant. Sunt enim illa his quæ apud inferos finguntur omnino similia, sine Christo, sine ordine ullo, eo pertinentia, ut animas in tartara detrudatis, quale est quod canis his versibus.

MONTANUS. *Concilium vocat, & fabuli de culmine summo.*

Pastorale canit signum, cornuque recurvo
Tartaream incendit vocem: qua protinus omnes
Christicolæ exciti concurrunt undique telis.
Promissi mox ipse potens ubi sanguine bellum
Imbuit, & primæ commisit funera pugnæ,
Concilii fratres affabitur ore superbo:
En perfecta mihi bello discordia tristi,
Dic in amicitiam coeant, & fœdera jungant,
Teutonicam asperso Germano sanguine terram.
Hoc etiam his addam, nota est mihi vestra voluntas,
Finitimas in bella feram rumoribus urbes,
Accendamque animos insani Martis amore
Undique ut auxilio veniant, spargam arma per agros.

GASPAR. Sed finamus suo sensui hæreticum Montanum, neque cum eodem contendamus de maledicentia. Facile enim hac parte illi cedimus, ac nos longe inferiores esse fatemur.

MONTANUS. *Hæc ego nunquam dicerem, nisi comperta & satis abunde testata forent: neque est quod longe petantur testimonia, ubi res loquitur ipsa. Sed neque pontifex ipse Romanus dissimulat se hoc unum agere, ut omnes ad societatem Romanæ ecclesiæ aliquando reducat: inque eo, ut sibi præsto sint, principes omnes & monarchias seduło cohortatur. Si quis autem de pontificis voluntate adhuc dubitat: is ea legat, quæ superioribus mensibus reipublicæ trium fœderum per legatos suos proposuit, & me vera dixisse liquido deprehendet.*

GASPAR. In re non dubia testibus, quod dicitur, uteris minime necessariis. Quis enim tibi ex catholicis hominibus inficiari possit, Romanum pontificem, vigilantissimum gregis Christi pastorem, summo studio & accurata diligentia laborare, ut ad ecclesiæ gremium hæretici omnes revertantur? atque ut id assequatur, neque sumptibus ullis, neque labori parcere, missis legatis ad universos Germaniæ principes, qui vobiscum fœdus iniisse feruntur: ut oratores suos, insuper etiam ministros suarum ecclesiarum, Tridentum mitterent, ut ibidem coram patribus causam religionis tractarent, & modum tandem invenire possent, quo molestum jugum hæreticorum suis humeris depellerent, resumpta veteri fide, quam vobis authoribus turpiter deseruerunt. Hoc idem publice testatus est pontifex in ea bulla, qua concilium Tridentinum indixit. An tu velles, infanissime Montane, pontifex curaret, ut papatus imminueretur? & ecclesia Christi in angustum cogeretur locum? Quis non continuo in cachinnum solvatur, cum ita loquentem audit Montanum? Sed ad alia properemus argumenta, non minus quam hæc, ridicula & fatua.

MONTANUS. *Adde quod pontifex ipse concilio se minime subjicit.*

GASPAR. In conciliis duo genera rerum tractantur, unum earum, quæ ad morum institutionem referuntur, & gubernationem Christianæ reipublicæ attingunt: aliud earum, quæ ad fidem spectant. Iis quæ ad fidem pertinent Christianam & doctrinam evangelii, perinde astringitur pontifex maximus atque ceteri Christiani, imo vero multo arctius & vinculo majori. Eorum etiam institutorum, quæ ad gubernationem & disciplinam attinent, non modo observator esse debet, sed etiam custos diligentissimus. Quanquam cum leges nonnullæ quæ ad gubernationem pertinent, minime possint esse perpetuæ, sed interdum mutari aut variari debeant, quemadmodum & mores hominum variant: ipsa ratio postulare videtur, ut summus pontifex leges moderetur, & cum est opus, declaret pro qualitate personarum, locorum, temporum, negotiorumque. Æque quispiam eum vacare culpa dicet, qui citra rationem & causam lege servata quempiam eximit ab observatione legis. Quod facturum pontificem scientem, volentemque, nunquam mihi quispiam possit persuadere. Id ut putamus verum esse, ita quoque certo scimus, nullum esse hominum reliquorum qui puriorem, justiorem, sanctioremque vitam agere debeat ex officio quam summus pontifex Christi vicarius: cujus vita si improba sit, omnium maxime nocebit. Suo enim exemplo ad peccandum ceteros sollicitat, & facilius turpitudo deprehenditur, quia omne animi vitium (ut ille ait) tanto conspectius in se crimen habet, quanto major qui peccat habetur. Hoc ipsum multis capitibus distinctionis 40. decretorum explicatum est atque diffinitum ab ipsis etiam summis pontificibus.

Hæc vero tametsi omnino vera sint: nemo in terris possit reperiri, cui ex officio & injuncto munere incumbat pontificem condemnare, judicareve: quam sententiam magnorum virorum testimoniis convincere possim. Primam sedem nemo judicabit, inquit Innocentius. Et Symmachus: Aliorum homi-

hominum causas Deus voluit per homines terminare, sed sedis istius præsulem suo sine quæstione reservavit arbitrio. Tum Beda in apocalypsim scribens, sola Romana sedes, inquit, authoritate sua judicare ceteros potest: nemini autem integrum est de eadem judicare. Testatur & sanctus Anterus papa: subditorum facta a nobis judicantur, nostra a Deo. Idem scribit Anacletus, plurimique alii magni viri, quorum sententiæ referuntur 9. q. 3. & præterea ad calcem dist. 99.

Neque vim ullam habet ea ratio, cui hæretici plurimum confidunt: Pontifex ut Christi vicarius debet integerrimam vitam agere: ergo si erret, judicari poterit ab aliquo hominum. Captiosa enim est & mendax. Deus etenim solus illum judicare debet & damnare vitam, qui flagitia omnium castigaturus est. Sic enim Deo placitum est, cum illum vicarium suum in terris instituit & reliquit: quod omnes illi sanctissimi patres, quorum paulo superius mentionem feci, atque alii insuper multi non inferioris notæ, plane atque aperte testantur. Res hæc accommodato exemplo regum doceri potest. Etenim illi tametsi innocentissime vivere teneantur: si peccent aut leges contemnant, a nemine intra suum regnum condemnari judicarive possunt. Illud nobis satis esse debet, Romanum pontificem, neque in rebus fidei definiendis, si quando id facere velit, neque etiam in condendis legibus generalibus, quibus Christiana respublica gubernetur, usquam sic errare posse, ut scandalo sit aliis. Nam in his rebus perpetuo illi adest Spiritus sancti patrocinium lumenque divinum, quo ejus mens copiose admodum illustrata, veluti manu ducatur. Adde etiam, quod neque a concilio generali pontifex judicari potest. Nam judicem superiorem esse necesse est, ut imperantem eo qui paret: concilium vero non est pontifice maximo superius & majus. Aut enim de concilio loquimur sine pontifice, quod hæretici faciunt, aut cum pontifice: si pontificem simul cum concilio non complectamur, id sane concilium simpliciter non est, sed potius conciliabulum, aut acephalum concilium, cum in eo caput desideretur omnium judicio. Loquendum igitur nobis est de concilio cui intersit pontifex per se, aut per legatos suos: quo sane sensu superius pontifice non est. Nam pontifex maximus caput visibile est catholicæ ecclesiæ: supra quam accepit a Christo illis verbis, Pasce oves meas, omnem potestatem spiritualem, quod omnes qui judicio valent fateri debent. Est ergo caput concilii universalis, quod non est majoris authoritatis quam sit universalis ecclesia Christi: quoniam concilium universale repræsentat universalem ecclesiam, etiam testimonio concilii Constantiensis & Basileensis, in quibus concilium statuitur superius pontifice: atqui quod repræsentat non est majus eo, quod repræsentatur. Statua enim regis, verbi gratia, quæ regem nobis ponit ante oculos, non est majoris dignitatis quam rex ipse. Concilium igitur majoris authoritatis non est, quam ecclesia catholica & universalis. Quare summus pontifex procul dubio authoritatem non habet inferiorem concilio, cum habet potestatem supra ecclesiam universalem, cujus caput existit: atque ex consequenti concilium non est supra papam, neque judicare possit pontificem. Nihil est enim magis contra naturam, quam ut pes, aut manus, aut corpus universum (excipio caput) velit præsidere, imperare, & habere sub se caput: alioqui illud axioma constare non possit. Primum sedem nemo judicabit. Non habet ergo potestatem concilium supra papam, dum pontifex est, non hæreticus, aut intrusus, aut per simoniam creatus: atque ita tandem verum est, quod ajebam initio hujus disputationis contra Montanum, nemini esse subjectum pontificem, ut ab eo judicari possit, præterquam Deo optimo maximo.

MONTANUS. *Sed concilii patres subjectos & arctissimo præterea juramento devinctos habet, cujus hic exemplar subjicere libuit, ut omnibus rectius constaret, Romanistas non de ecclesia reformanda, sed tyrannide sua stabilienda sedulo cogitare.*

GASPAR. Hoc quoque verum est, quod ais, omnes episcopos præsulesque ceteros, quos habet ecclesia Dei plurimos, subjectos esse pontifici Romano, eidemque adstrictos juramento. Neque mirum id videri debet, cum omnes episcopi, oves quas habent, a pontifice Romano pascendas sumant: quos ille vocat in partem sollicitudinis. Ergo ut fidelius diligentiusque negotium procurent: recte quidem institutum est, ut cum episcopi creantur, adstringantur arctissimo juramento: quod & reges facere videmus, cum quempiam publico muneri præficiunt, aut castrum aliquod in ejus fidem tradunt. Sed hoc potius pertinet, ut est manifestissimum, ad ecclesiæ ædificationem, quam ut ullum pontifex maximus privatum emolumentum inde possit accipere. Formam vero juramenti, cujus tu mentionem intulisti, placet scrupulose hoc loco referre, quo res ipsa magis constare possit.

Forma juramenti.

Ego electus episcopus, ab hac hora in antea, fidelis ero, & obediens beato Petro, & sanctæ Romanæ apostolicæ ecclesiæ, & domino nostro papæ, suisque successoribus canonice intrantibus. Non ero in consilio, aut consensu, vel facto, ut vitam perdant, aut membrum, aut capiantur, ut in eos manus quomodolibet ingerantur, quovis quæsito colore. Consilium vero quod mihi crediturі sunt per se, aut per nuncios, aut litteras, ad eorum damnum me sciente nemini pandam. Papatum Romanum & regalia sancti Petri adjutor eis ero ad retinendum & defendendum contra omnem hominem. Legatum apostolicæ sedis in eundo & redeundo honorifice tractabo, & in suis necessitatibus adjuvabo. Jura, honores, & privilegia, & authoritatem Romanæ ecclesiæ, domini nostri papæ, & successorum prædictorum conservare, defendere, augere, & promovere curabo: neque ero in consilio, aut facto, aut tractatu, in quibus contra dominum nostrum, vel Romanam ecclesiam aliqua sinistra, vel præjudicialia personarum, juris, honoris, status, vel potestatis eorum machinentur. Et si talia a quibusdam tractari cognovero, vel procurari: impediam hoc pro posse, & quantocius possim, commode significabo eidem domino nostro, vel alteri, per quem ad ipsius notitiam possit pervenire. Regulas sanctorum patrum, decreta, ordinationes, sententias, dispositionem, reservationes, provisiones, & mandata apostolica totis viribus observabo, & faciam ab aliis observari. Hæreticos, schismaticos, & rebelles domino nostro, vel successoribus prædictis, pro posse persequar, & impugnabo. Vocatus ad synodum veniam. Hucusque juramenti formula.

Quid tu in hac formula juramenti reprehendis? an non est cum ratione admodum conjunctum, ut pontifex more ceterorum hominum ecclesiam sibi

commissam quanta maxima fieri possit diligentia custodiat, atque ovium Christi diligentissimam curam habeat, papatus dignitatem tueatur, & amplificet, si possit? laudares igitur eumdem homo alieni prodigus, si bona dissiparet? o bellum laudatorem! sed progrediamur ad alia.

MONTANUS. *Nunc, cum Romanus pontifex conciliorum leges omnes ad se unus revocet, eumque ad illius nutum concilii patres se totos componant, quippe qui divini & humani juris arbitria in pectoris sui scrinio circumferat: hæc enim aliaque dira & portentosa in conventis ipsorum leguntur: recte quæri posset, quid scenico illo conciliorum apparatu porro opus sit, nisi res loqueretur ipsa, & doceret experientia, concilia esse quasi formulam declarationemque pontificiæ voluntatis.*

GASPAR. Concilium carpit Montanus, quoniam quæ in eo tractantur, ad pontificem referuntur, & spectamus atque requirimus, quid ille de rebus singulis sentiat: atque ob eam rem concilium vocat formulam & declarationem voluntatis pontificiæ. Non inficior, Montane, de more & antiqua ecclesiæ consuetudine postremam manum conciliis imponi non posse, sic ut perfecta atque absoluta censeantur, nisi pontificis maximi authoritas accedat, atque ab eo concilia confirmentur. Ita factum est, ut rebus peractis, acta omnia ad pontificem deferrentur: quæ si probaret, concilio subscribebat, & firma atque rata habebantur in posterum decreta. De qua re opus non est testimonium citare: res est aperta. Evolve, si lubet, vetustas synodos: verum me esse statim dices, atque id obsecrante synodo fieri consuevit. Unde finito concilio Nicæno patres scribunt Silvestro papæ, ut illud confirmet. Accipe verba: „ Quicquid autem constituimus in concilio Nicæno, „ precamur vestri oris consortio probari. Quod præstitit pontifex, ut ex eis literis constat, quas rescripsit ad concilium Silvester. Cœlestinus papa probavit acta concilii Ephesini petente synodo, contra Nestorium & Joannem Antiochenum. Leo papa confirmavit synodum Chalcedonensem, petente eadem synodo; quod ex tertia ejus actione manifestum esse potest. Simili modo in ceteris accidit conciliis, quorum mentionem consulto prætermitto.

Neque modo ea consuetudo perpetuo servata est in ecclesia Dei, ut conciliorum acta tandem a pontifice probarentur confirmarenturque: sed præterea patres qui in conciliis aderant, ea de quibus sibi agendum erat, a Romano pontifice requirebant, accipiebantque, priusquam quidpiam ipsi definirent. Quam sententiam veram esse facile intelliget, qui parumper in lectione conciliorum versari volet. Ceterum quoniam satis scio, te Montane una cum tuis, ne a limine quidem ea salutasse, ne in vestram, dum aliud agitis, damnationem incidatis, de re proposita aliquot testimonia citabo. Unde tu putas accidisse (lubet hac ratione tecum agere) ut cum generale aliquod concilium extra urbem Romam coiret, eodem quoque tempore de rebus eisdem aliud Romæ cum delectis hominibus pontifex haberet? Res hæc exemplis constat subjectis. Quo tempore concilium Nicænum primum Nicææ celebratum est, Silvester pontifex Romæ coegit concilium, in quo omnia quæ agenda erant in concilio Nicæno, concordibus animis atque sententiis diffinivit: eademque, cum primum concilium celebrari cœpit, Nicæam ad patres misit, ut eorumdem quoque suffragiis calculisque decernerentur. Quod sane concilium a pontifice Silvestro habitum Romæ, vulgo primum concilium Romanum appellatur.

Idem etiam contigit, cum concilium primum Constantinopolitanum celebraretur. Damasus enim eo tempore papa, Romæ adjunxit sibi viros doctrina & prudentia claros, cum quibus deliberavit, decrevitque tractanda Constantinopoli a patribus, eademque ad eos misit, & acta in Constantinopolitana synodo postea confirmavit. Hoc vero secundum concilium Romanum vocant. Similiter accidit, cum tertium Constantinopolitanum ageretur. Nam Agatho pontifex Romanus delectum habuit magnorum virorum Romæ, cum quibus decrevit ea quæ in synodo Constantinopolitana erant a patribus definienda, & acta demum authoritate sua & subscriptione firmavit. Idem dicere de reliquis possumus: sed satis sunt citata testimonia, homini minime pertinaci, sed studioso veritatis.

Cogebant autem prius multo, dum tempus suppetebat, ea concilia quæ diximus bonorum & doctorum hominum pontifices Romæ, & in his excutienda in generali concilio, ab ipso pontifice simul cum delectis viris decernebantur: ne ex improviso cogerentur articulos de quibus interrogabantur definire atque offerre synodo generali. Ubi vero cœtus illos habere Romæ non poterant: magno cum virorum bonorum atque doctorum delectu: adjungebant sibi paucos probatos doctrina & moribus viros, quorum ope pontifices rei difficultate intellecta, quid esset censendum de propositis articulis, qui in consultationem adducebantur, tractabant decernebantque: atque ita suorum animorum sensa perferri ad patres in concilio jubebant, ne in ecclesia ipsa Romana inter patres qui concilio intererant, schisma aliquod ex sententiarum diversitate nasceretur. Patres igitur requirebant pontificis sententiam de re quacumque posita in quæstione: illam pontifex explicabat synodo: concluſam prius magna diligentia, ut dixi, hanc pontificis diffinitionem rerum propositarum, tanti facere olim generalis synodus solebat, ut illi semel publice recitatæ, patres omnes fasces ingenii submitterent, atque insuper quicumque sententiæ, quam pontifex explicatam ad patres in concilio destinabat, reluctarentur, male quidem audiebant. Ne tu, Montane, expers omnis antiquitatis & rerum ecclesiasticarum rudis in primis, mireris, si Romanus pontifex Tridentum ad patres mittat explicata magno studio & diligentia, quæ sunt tractanda a patribus in concilio. Hoc enim vetusta consuetudine firmatum est, ut monstravi: neque quempiam catholicorum hominum in contraria opinione reperiemus; tametsi antiquitatem ipsam studiose repetamus. Et præter superiorem, illa quoque ratio id postulare videtur. Dubium etenim non est, quin si pontifex maximus concilio interesset, de re quacumque in dubium vocata sententiam suam esset dicturus. Cum ergo illam, quoniam procul abest, voce dicere non possit: quid prohibet, quominus eamdem scriptam videamus? quæ cum ab homine lata sit, quem Christus jubet ceteros in fide confirmare, sane plurimi nobis facienda est. Posset quidem summus pontifex per se sine concilio ita gubernare ecclesiam, ut hæreses omnes damnaret merito, & leges ferret ad bene & Christiane vivendum convenientissimas: at potius ducit id præstare per media quædam ad eam rem maxime apta, per concilia videlicet: perinde atque Deus, qui cum per se ipsum cuncta regere & gubernare possit, aliorum ministerio nihilominus utitur: præsertim ad ea quæ pertinent ad ecclesiæ disciplinam, vel hæreses

ſes confutandas. Potuit Chriſtus eximere animis ſcrupulos omnes, atque hæreſes quam longiſſime relegare: at reliquit hunc laborem epiſcopis, doctoribus & ſynodis, quorum puſillanimitatem ſublevat, diſcutit tenebras, mentibus ſplendorem infert, ſic adjuvat denique, ut errare illos nunquam ſinat. Neque ſolum Chriſtus illis omnibus opem ferre ſolet: ſed patres in concilio ſimul cum pontifice ſic ſe mutuo adjuvant, & tam amice junguntur, ſtudiaque ſua in unum referunt, ut jam non ſolus pontifex, licet ejus ſententia requiratur, neque patres ſoli, decreta facere dicantur.

MONTANUS. *Adeoque compendioſam contra Lutheranos procedendi methodum (ſic enim in ipſorum libris legitur) concilia non convenire neceſſe eſſe ut aliquorum eorum dogmatum, ſuper quibus hæretici diſputare contendunt (quis autem neſcit nos hæreticos ab illis inſimulari?) definitur.*

GASPAR. O gravem quæſtionem! Satius ſane dixiſſes: quis autem neſcit hæreticos nos eſſe & perditos omnino, parumque ingenio potentes, qui veteres omnes hæreſes abolitas mentibus hominum, conciliorum authoritate damnatas, conſenſu antiquitatis in tenebras pulſas ſepultaſque, jam ſuſcitamus defendimuſque, & pro eiſdem veluti pro aris & focis crudeliſſime dimicamus? Res eſt mirabilis, non te pudet hæreticum putridum ac peſtilentem eſſe, & ægre vocari hæreticum fers? Sed pergamus ulterius.

MONTANUS. *Sed concilia tantum convenire neceſſe eſt, ut qui hæretici ſunt declarentur & condemnentur.*

GASPAR. Concilia cogi ſolent, ſi ignoras Montane, quod ad hæreſes attinet, primum, ut conſtet in poſterum hæreſim eſſe illam, quam veluti apertam veritatem hæretici tuentur, atque illam caveant Chriſtiani: deinde ut reſipiſcant hæretici agnito errore, atque ad eccleſiæ gremium revertantur: id ſi facere neglexerint, declarentur condemnenturque tanquam rebelles & pertinaces, & cum ſua ſponte nolint, coacti vi pontifici maximo parere cogantur, ſub cujus tutela atque obedientia ſe conſtituerunt baptiſmate ſuſcepto. Huc ſpectant concilia, atque hanc formam patres in eiſdem tenere ſolent.

Ceterum cum hæreſes illæ, quas vos docere pergitis, in antiquis conciliis magna ex parte damnatæ ſint: recte ſane ea ratione contra vos agere poſſemus, ut nulla alia re ſpectata, in conciliis patrem ſententiis vos damnaremus. Nolumus tamen: quinimmo, quod nemo quidem inficiari poſſit, veſtras ſententias diligenter excutimus, argumenta invicem conferimus, corundemque vim accurate exploramus, atque omnibus penſitatis de veſtris erroribus judicamus. Neque eſt cur mirari debeatis, ſi nos, tentatis omnibus, poſtremum tandem remedium adhibeamus.

MONTANUS. *Hoc & tacentibus ipſis, ex conciliorum tamen actis nobis conſtare poterat. Præterquam enim quod hactenus cauſam noſtram iniquis ſententiis contumelioſe gravarunt: capita quoque fortunaſque noſtras alienæ crudelitati ceu præda objecerunt: hancque ſuam immanitatem ad executionis jus referunt, quo ipſi præcipuo quaſi ariete ad nos concutiendos labefactandos hactenus uſi ſunt.*

GASPAR. Si cauſam veſtram iniquis, ut ais, ſententiis ab orthodoxis patribus gravari contumelioſe, ſentiebatis: cur non in conventus noſtros deſcendiſtis: ut illam defenderetis vocati & rogati? At vos callidi atque vafri homines, cauſam abſentes perdere maluiſtis, quam præſentes cauſa cadere, quod facile conjectum aſſequi potuiſtis: ut ſemper vobis vel querelæ vel excuſationis anſa relinqueretur. Sed non ſunt, crede mihi Montane, homines hac ætate tam ſtupidi: ut non divinent, quorſum iſta veſtra tam ſtudioſe procurata negligentia evadat. Dolendi vero nulla tibi juſta cauſa ſuppetit, quod corpora hæreticorum & fortunas omnes antiquis temporibus (nam hoc tempore nihil accidit ſimile conciliorum authoritate) aggreſſi fuerimus diripuerimuſque. Tentatis enim ceteris omnibus lenioribus remediis, iſtud tandem negligendum non fuit, quod efficaciſſimum eſſe ſolet ad flagitia coercenda, & revocandum hæreticorum pedem gradu concitatiſſimo ad aſylum, id eſt, ſinum eccleſiæ. Sed vos, ut apparet, impune omnino peccare cuperetis. Ceterum quod hujuſmodi remedio admodum præſentaneo pontifici Romano uti integrum ſit, ut deſinatis in poſterum eo nomine eumdem accuſare, paucis docebo. Cum enim per baptiſmum fidem dederimus omnes Chriſto, atque ejus vicario pontifici maximo, nos in eccleſia permanſuros, hæretici vero pro libidine animi ſui vivere velint procul ab eccleſia Dei: integrum pontifici eſt, immo vero jure tenetur, egreſſas oves de ovili, quacumque ratione poſſit, eodem revocare. Quod ſi alia non ſatis ſint, ad arma principum Chriſtianorum illi eſt recurrendum, & ipſorum ope, atque præſidio compellendi ſunt hæretici redire ad eccleſiæ gremium, quod parabola evangelica docemur. Auxilium autem regum & principum Chriſtianorum ubi ſit opus, nunquam deerit eccleſiæ. Sunt enim eidem illud polliciti, non ſolum dum crearentur reges, nam eo tempore effecti ſunt patroni ac defenſores eccleſiæ, ultoreſque illatarum eidem injuriarum: ſed etiam cum a pontifice initio hujus concilii ſolicitarentur. Quod confirmatum procul dubio cum primum oratores ſuos Tridentum miſerunt. Et quidem cum Vergerius homo hæreticiſſimus principes Chriſtianos maxime laudet, quod pontifici Romano imploranti ipſorum opem ad retinendum in officio & revocandum ad priſtinam eccleſiæ obedientiam fidei deſertores atque rebelles, ſe id minime gravate facturos reſponderint: miror, cur tu ſimiliter hæreticus hanc rem probare nolis. Sed quid mirum eſt, ſi cum aliis non conſentiant opinione & ſententia, qui tam mirabilem ſecum diſcrepant? Ergo cum Chriſtianos principes probe noritis finito concilio arma ſumpturos ſi ſit opus, atque id petierit Eccleſia, ut opem ferant pontifici ad recuperandum ſua: peſſime profecto facietis, niſi reſipueritis prius. Quare te hortor, Montane, ſimulque ceteros hæreticos per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, ut ad eccleſiam Romanam, unde digreſſi eſtis, revertamini, quæ vos apertis brachiis excipiet, ruet in amplexus veſtros, oſcula caritatis & benevolentiæ plena vobis figet: denique veteris oblita criminis peramanter atque benigne admodum tractabit. Ne patiamini, quæſo vos, ſimul cum animo, corporis, honoris, & fortunarum omnium veſtrarum diſpendium fieri: evolvite omnia tempora, & diligenter repetite memoria, quem exitum hæretici habuerint: ſapite alieno malo.

MONTANUS. *Solenne autem eſt illis hominibus concilia ſua ab executione ſtatim præpoſtere in-*

thoare : ita ut belli rationes prius iniſſe quam de pace cogitaſſe deprehendantur. Et ſuperioribus quidem annis poſt tot tamque magnificas ad noſtras pollicitationes, tum pendente concilio, in Germanos theologos ſævire cœptum eſt : furoremque ſuum longius extendiſſent, niſi Germaniæ motus, concilio, pariterque eorum conatibus finem ſtatuiſſet.

GASPAR. Erras plane, Montane, dum præpoſtere ais concilia ſe gerere ſolere. Nuſquam enim mihi indicabis, etiam ſi prima eccleſiæ tempora repetas, pendente negotio, nondum inquam finito concilio, & declaratis hæreticis, lata ſententia, ejuſdem concilii authoritate principes ad arma proceſſiſſe. Sed quoniam principes cum nova doctrina ſemper experti ſunt ſeditiones & tumultus periculoſiſſimos) eſt enim civilis poteſtas tam arcto vinculo cum religione & eccleſiæ diſciplina copulata, ut violari religio non poſſit, aut ulla fieri permutatio in eccleſiæ diſciplina, quæ non etiam magnos tumultus excitet in regno, & regiam dignitatem ſecum trahat in perniciem (reges ergo & principes Chriſtiani, veriti ne quid mali patiantur, aut aliqua ſeditio excitetur, inſtanti neceſſitati providerunt, adhibentque remedium, minimeque expectata authoritate concilii, hæreticos regni hoſtes, perinde atque eccleſiæ, armis aggrediuntur. Quo ſi jure, ſi honeſte, ſi ſine ulla juſta reprehenſione hoc uſquam fieri potuit : hoc tempore maxime, cum hæreſes ſepultæ jam & damnatæ in antiquis ſynodis excitantur, & hæretici plurimas atque maximas, quocumque loco verſantur, turbas movent? Quod vero de theologis veſtris narras, qui male in Germania a Carolo quinto præſtantiſſimo monarcha tractati ſunt, ſimili quoque occaſione evenit. Cum enim graves illi tumultus excitarent, eos imperator ſanctiſſimus reprimendos coercendoſque curavit. Cuperetis vos ſane, ut vobis libere predicandi facultas daretur, ſaltem dum concilium abſolvitur : ut interim peſtilentiſſima veſtra doctrina magnam orbis partem inficeretis. Id vero nunquam amplius obtinebitis, mihi crede : ſapiunt principes, quanquam aliquot malo proprio, atque adeo perditis veſtris conatibus obviam ibunt.

MONTANUS. *Interea vero cum in confeſſo ſit, eccleſiam Romanam fœde & turpiter deformatam, hæcque querimonia jam inde a majorum memoria ad nos uſque dimanarit, nobiſque quaſi ſit hæreditaria : ramen in tanta morum corruptela ne minima quidem reformationis ſpecies ab adverſariis impetrari, aut extorqueri adhuc potuit. Eos quoque qui rogationem hanc ad patres aliquando referre ſunt auſi, indigniſſime acceptos, contumelioſeque repulſos, multis documentis conſtat.*

GASPAR. In eccleſia Romana, quæ eadem eſt Chriſti eccleſia, non dubium eſt, adeſſe aliquot peccatores, variis criminibus atque flagitiis coinquinatos. Non id inficiamur, Montane : ſed graviter potius dolemus : & ardentibus votis poſcimus a Deo, ut perditis inſpiret mentem meliorem. Illud tamen nos conſolatur, ſimiliter adeſſe plurimos in eadem viros bonos, ſanctoſque, quorum gratia ac meritis flagitioſos Chriſtus tolerat : & eccleſiam Romanam ſanctam eſſe fatemur. Hoc ſi nunc primum in eadem cerneremus, haberemus ſane cur id ægerrime ferremus. At vero cum perpetuo eodem pacto acciderit compertum habeamus : non tam miramur, Montane, id quod nobis multis parabolis ac ſimilitudinibus inductis Chriſtus ſervator noſter futurum monſtravit, Mentitur tamen Montanus, cum ait, non potuiſſe extorqueri a patribus in concilio, ne minimam quidem reformationis ſpeciem. Multa enim his paucis diebus, quibus ego Tridenti adfui, decreta ſunt, quæ ad mores corrigendos atque emendationem vitæ pertinent, & in dies multo majora atque graviora ſperamus. Qui vero apud patres tractant, ut de morum diſciplina leges in concilio condantur, non modo non repelluntur cum dedecore, quod Montanus ait, ſed benigniſſime potius a patribus excipiuntur. Neque mihi hujus tam inſignis mendacii teſtem aliquem locupletem, & majorem omni exceptione poſſis producere, quo te tuearis.

MONTANUS. *Et de vita quidem clericorum non eſt quod multis diſputem : dubitarem enim ego, an honeſte dicere poſſim, quæ turpiter ipſi faciunt.*

GASPAR. Ego non dubito quin perinde atque in ceteris hominum generibus maculæ & vitia reperiuntur, ita quoque in vita clericorum adſit aliquid animadverſione dignum. Sed cum plurimi procul dubio ſint, qui moribus, doctrina, & vita ſint ſanctiſſimi, etiam inimicorum teſtimonio : cur tu univerſe culpas genus clericorum & ordinem ſacerdotalem incuſas? præſertim cum veſtri miniſtri tot ac tantis, tamque conſpicuis ſceleribus ſint cooperti : & neceſſe ſit omni labe eum carere, qui in alterum dicere paratus ſit. Scimus enim eoſdem religionem in baptiſmate ſuſceptam temere deſeruiſſe, poſt votum caſtitatis emiſſum accepiſſe uxores, aut verius concubinas, atque ut flagitium flagitio cumularent, Chriſti ſponſas, velatas inquam virgines, arreptas ex monaſteriis domum ſæpe duxiſſe. Tacco innumera alia id genus peccata, quæ ſuis locis recenſebo : & audent nihilominus orthodoxos calumniari?

MONTANUS. *Et tamen hæc ita cum ſint, inque omnium oculos paſſim incurrant, de Spiritu tamen ſancto non aliter quam de vili quopiam mancipio gloriantur : quem ſcilicet, ita ſibi obnoxium fecerunt, ut etiam ſi velit, deeſſe tamen illis minime poſſit, cujus nempe indelebilem characterem in corpore circumgeſtent. Quam vero a prophetica & apoſtolica doctrina longe receſſerint, nemo eſt qui ignorat, modo in propheticis & apoſtolicis ſcriptis cum dexteritate aliqua mediocriter verſatus ſit. Cœlum, terra, infernus, illis hominibus omnia venialia ſunt, ut recte in eccleſiam Romanam hoc poetæ competat* : Proſtat, & in quæſtu pro meretrice ſedet.

GASPAR. Audire ſummam ineptiam cum ſumma ignorantia conjunctam. Turpi vita clericorum miniſterium ſacerdotale exiſtimat Montanus impediri : & ex quorundam ſacerdotum improbitate, omnium abnegat miniſterium. Neque enim tam ſunt hæretici impudentes aut mente capti, ut inter Romanos ſacerdotes nullum credant probum aut religioſum reperiri. Perinde ac ſi ita colligeret. Turpiter ſacerdotes vivunt : ergo non poſſunt præſtare officium ſuum, abſolvere inquam, aut ligare, quod acceperunt a Chriſto illis verbis : Quorum retinueritis peccata, erunt retenta ; & quorum remiſeritis, erunt remiſſa : neque conficient verum Chriſti corpus, cum ſacrificium offerunt, illis verbis : Hoc eſt corpus meum : Hic eſt calix ſanguinis mei : cujus rei præſtandæ in poſtrema cœna a Chriſto facultatem acceperunt, cum ait : Hoc facite in meam com-

commemorationem. Rursum ita nectit argumentum : Aliquot sacerdotes turpiter vivunt, ergo nullus potest præstare Spiritum sanctum, dum absolvit, aut quippiam facit simile. Utraque enim ratiocinatio admodum vitiosa est : quoniam facultas conferendi Spiritum sanctum, propter vitæ meritum sacerdotibus non conceditur a Deo, sed potius propter munus sacerdotale. Quod vel illa ratione constat, quia cum Christus sacerdotibus & ministris sacramentorum diceret, *Accipite Spiritum sanctum*, nullam intulit vitæ mentionem : & improbis etiam ministris jubet nos obedire, Matth. 23. cum ait : *Super cathedram Moysi sederunt sacerdotes : quacumque dixerint vobis, servate & facite, secundum autem opera eorum nolite facere.* Sciebat enim is, cujus divinis oculis nuda atque aperta sunt omnia, consequentibus temporibus exorituros esse homines, qui dicerent, ab improbis sacerdotibus Spiritum sanctum minime conferri posse, dum munia sua atque officii partes explerent. Occurrit his verbis objectioni, & futuræ necessitati providet. Audi Montane, quid de hac ipsa re is, cui vos merito plurimum tribuitis, Augustinus dicat libro quarto contra Cresconium.

» Non ideo veriora & sanctiora sunt sacramenta,
» quia per meliores ministrantur : illa namque vera,
» & sancta sunt propter verum & sanctum Deum,
» cujus sunt.

Libro etiam septimo contra literas Petiliani,

» sic inquit : Memento sacramentis Dei nihil ob-
» esse mores malorum hominum, quo illa vel om-
» nino non sint, vel minus sancta sint. Accedit
» Ambrosius atque ait : Non merita personarum
» consideres, sed officia sacerdotum in administra-
» tione sacramentorum. Hanc sententiam confirmat Chrysostomus homilia octava primæ ad Co-
» rinthios, dicens : Per indignos consuevit Deus
» operari, & nihil propter sacerdotis vitam sacra-
» menti gratia læditur : ipse enim Christus peccata aufert non sacerdos. Quemadmodum & Augustinus docet, explicans illum locum Joannis :
Joan. 1. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Sic
» enim loquitur in persona hæreticorum. Quidam
» homines dicunt, nos tollimus peccata mundi,
» quia sancti sumus, si enim non fuerit sanctus qui
» baptizat, quomodo tollit peccatum alterius, cum
» sit ille homo plenus peccato ? Contra istas di-
» sputationes, ait Augustinus, verba nostra non
Joan. 1. » dicamus, hunc legamus : *Ecce agnus Dei, ecce qui*
» *tollit peccata mundi.*

Huic sententiæ illa quoque similitudo suffragatur, quod canales per quos aqua in terram delabitur, quacumque materia constent, nihil pertinent ad aquæ præstantiam, si illam aqua ex canalibus non sumit. Quod si dumtaxat sacerdos probus & honestus sacramenta conferret, aut Spiritum sanctum daret (quodvis enim sacramentum novæ legis Spiritum sanctum continet) dubius atque anceps animi maneret is, qui ad sacramentum accessit, susceperitne sacramentum, an non. Non recte igitur Christus ecclesiæ suæ providisset, si solum viri boni essent idonei & legitimi ministri Sacramentorum. Quis etenim posset de vita & moribus aliorum recte atque incorrupte judicare ? sæpenumero evenit, ut pluribus & gravioribus peccatis operti sint, quos putamus esse sanctiores. Neque ulli dubium esse potest, pleraque gratias spirituales, officii causa quod exercent, in nonnullis improbis etiam & sceleratis hominibus residere. Res constat prophetiæ exemplo, quæ Caiphæ viro iniquissimo data est, quod pontifex esset, referente scriptura. Cum enim dixisset Caiphas *Expedit ut unus homo moriatur pro populo*, Joan. 11. *ne tota gens pereat*. Subjungit evangelista : *Hoc vero non a se dicebat, sed cum esset pontifex anni illius, prophetavit.* Mitto alia exempla, quæ nobis sacræ literæ suppeditant. Male igitur & stulte Montanus colligit ex impura vita sacerdotum, non posse eos conficere sacramenta, & porrigere in eisdem Spiritum sanctum. Quod si verum esset, impediri officium improbitate sacerdotum, quod ab omni ratione & sacris litteris abhorrere monstratum est : cum non sint omnes sacerdotes perditi & flagitiosi, ut plane constat, quorsum colligunt hæretici, ex quorumdam vita parum honesta neminem conficere sacramenta, neque dare Spiritum sanctum ? Sed de hac re plura dicere consulto recusamus hoc loco, quia non rem tractamus scrupulose, sed hæretico respondemus.

MONTANUS. *Interea tamen in doctrinam suam sine scelere inquiri fas esse negant, ideoque continuationis saltem, non integræ actionis in concilii promulgatione meminere. Quod illi ita interpretantur, quasi priora pro judicatis, ratis, & concluſis habeant : ita ut de integro in quæstionem vocari, neque possint, neque debeant.*

GASPAR. Succurrit superiori persimilis argumentandi ratio insana & captiosa. A vita enim ad doctrinam argumentatur Montanus : & quia, ut idem ait, improbe & parum honeste vivunt sacerdotes, rectum judicat, ut hæretici de nostra doctrina inquirant, judicentque. Quid moribus cum fide ? An non fides vera esse potest in hominibus improbis, quæ etiam in dæmonibus exstitit ? illi enim, inquit beatus Jacobus, credunt & contremiscunt. Annon fides pura esse potest in his, quorum vita est impura, tametsi viva illis & quæ per caritatem operatur, non adsit ? Quorsum ergo Christus nobis præcipit, ut faciamus quæcumque nobis dixerint sedentes super cathedram Moysi, secundum vero opera eorum non vivamus ? Sed hæreticus perditi judicii, & mentis involutæ cimmeriis tenebris, idem esse utrumque putat. Quamquam autem inepta hæc collatio sit : illud quod addidit est verum, concilium Tridentinum, quod modo coactum est, continuari cum his duobus quæ superioribus annis Tridenti sunt etiam celebrata. Atque ita locus nullus relictus in quæstionem vocandi, quæ hactenus sunt definita : quemadmodum neque illa, quæ in antiquissimis conciliis decreta sunt. Omnia firma sunt atque rata perinde atque oracula divina. Quod si hæreticos male id habet : cur non interfuerunt synodo, cum vocarentur ? Illa igitur una ratio illis reliqua est, ut ad ecclesiæ gremium supplices revertantur, atque ejus opem implorent : consequentur illam facile, modo demissum humilemque animum gerant, & ad obsequia ecclesiæ paratissimum.

MONTANUS. *Atque ea ejus generis pleraque sunt, quibus Christiana fides ex fundamentis evertitur.*

GASPAR. Ostende, quænam hæc sunt tam pernicioſa ecclesiæ decreta : facile tibi respondebo. Interim vero de ea re nihil dicam, nisi quod evidenter illis evertatur vestra synagoga, quam temere decepti ecclesiam vocatis, sanctam Romanam ecclesiam eisdem labefactari putatis atque asseritis.

MONTANUS. *Forma vero, quam reliquæ tractationi præfiniunt, non obscure arguit, quid artifices illi rerum machinentur, quæ talis est signanter, quod causæ controversæ, secundum sacram scripturam, & apostolorum traditiones, probata con-*

tilia, & catholicæ ecclesiæ consensu sanctorumque patrum authoritates, in prædicto concilio Tridentino tractentur.

GASPAR. Formam & rationem definiendi res de fide ab hæreticis controversas, quam exprimit summus pontifex in bulla indictionis concilii, reprehendit Montanus. Quasi vero aliunde ad eam rem sumi possit efficax argumentum, quam ex his quinque locis: ex authoritate, inquam, sanctarum scripturarum, ex traditionibus apostolorum, ex probatis conciliis, ex consensu ecclesiæ catholicæ, ex sanctorum patrum testimoniis. Quis hanc formam possit reprehendere præter hæreticos? aut quis non videt hos esse solos fontes puros atque uberrimos, unde argumenta petenda sint?

MONTANUS. *Hoc ipsi occulto veluti cuniculo ad subruendam pietatis doctrinam recte procedunt. A scripturis enim ad traditiones, a certo utique ad incertius rejicere nos conantur. Sed id tamen callide & dissimulanter admodum. In vulgus enim spargunt esse disputationem omnem non de authoritate scripturæ, sed de interpretationis modo, ideoque hanc appendicem addendam esse, ut constaret, genuinum ejus sensum, non a privata cujusvis ratione, sed ecclesiæ totius consensu, petendum.*

GASPAR. Nos quidem Montane principem locum in omni controversia de fide ac religione sacris literis tribuimus, quemadmodum par est. Cetera vero ad scripturas intelligendas præsidia atque adjumenta putamus ob eam rem, quod tu etiam innuis, neque inficiari possis maxime si velis, quod obscura sit interdum sacra scriptura (hoc docebo paulo inferius) atque ideo interpretationis egeat. Hanc vero interpretationem non debet quivis (mitto vicarium Christi & pastorem ecclesiæ) pro suo arbitratu atque libidine animi facere, sit licet quamtumvis doctus, quantumvis peritus sacrarum literarum: sed potius consensus ecclesiæ totius. Alioqui authoritate vacabit interpretatio, neque de vero scripturæ sensu constare poterit, cum varie varii locum eumdem interpretari & exponere soleamus. Quare modo traditiones consulimus, modo concilia universalia requirimus, modo ad consensum ecclesiæ, & sanctorum doctorumque hominum confugimus testimonia. Hæc vero forma ad explicandam pietatis doctrinam procul dubio pertinet, non ad evertendam: quod tu maligne, ut cetera, interpretaris.

Neque rursum nos a sacra scriptura ad traditiones contendimus, quod existimemus potiores esse scripturis ecclesiæ traditiones. Princeps enim & regina est sacra scriptura, de cujus sensu si constet aperte, omnes traditiones, concilia omnia, atque consensus, procul dubio illi assurgunt, faciesque submittunt. Sed quoniam sæpenumero contingit, ut locus aliquis sanctarum scripturarum obscurus sit, neque de vero ejus sensu satis constet: cogimur confugere ad secundam navigationem, ut est in proverbio, & minimum malorum eligere. Utimur igitur traditione & consensu ecclesiæ ad salebras effugiendas, & obscuritatem explicandam: quod dum efficimus, non ab scriptura sacra ad traditiones vos revocamus, sed potius a traditionibus ad scripturam sacram manu ducimus. Ea enim est justa nobis via in discendo, docendove, quod Aristoteles testatur, ut a notioribus nobis, magisque manifestis, ad ignotiora natura & minus manifesta proficiscamur. Traditio autem magis nobis in promptu, obvia magis atque exposita est interdum, quam scriptura. Ac propterea per traditiones consensum ecclesiæ, concilia, patrum testimonia, ad interpretationem sanctarum scripturarum procedimus. Quid tu de ea re sentias, qui simul cum tuis longe a scopo soles aberrare, non satis scio: nos quidem pro comperto habemus, nulla ratione disputationem esse insciipiendam de scripturis sacris & ipsarum authoritate. Plane enim scimus, quos libros sacros habere debeamus, & rursum qua authoritate digni sint. Omnes enim illos libros, quos concilium Tridentinum initio memorat, nos sacros putamus, atque eosdem per manus accepimus ab initio nascentis ecclesiæ, de quibus nulla extitit unquam dubitatio, aut si qua fuit, facile velut umbra sole fugata est. Eo etiam loco dignos eos putamus, ut nemo possit contradicere, qui non omnium bonorum virorum consentiente voce hæreticus censeatur. Omnes etenim sacros libros quos agnoscunt hæretici, a nobis ipsis habent, a nobis illos antiqui hæretici acceperunt. Nos in ipsorum possessionem venimus: a qua his mille quingentis sexaginta duobus annis nunquam potuimus dejici, aut deturbari. Quod si nunc integrum esset de numero eorumdem authoritateve disputare: heu! quam turbulente nobiscum digladiarentur hæretici; & quod facere cœperunt, illa volumina sacra quibus convincuntur aperte eorum errores, de catalogo rejicerent. Quod faciunt de libris Machabæorum, in quibus orandos esse sanctos edocemur aperte, & pro defunctis orandum; de epistola Jacobi, quæ fidem sine caritate palam damnat; atque de aliis id genus libris. Sed de quibusdam canonicæ scripturæ libris dubitatum aliquando fuit: ut eorum quorum intererat judicio, patrum inquam in concilio congregatorum, dubitationi finis imponeretur. Quod si nos hæretici depravationis reos agere possent: haberent, cur nobiscum de scripturarum authoritate contenderent. At non possunt, vel jota unum, aut apicem proferre, qui fuerit a nobis, vel a patribus nostris mutatus: qui sicut a suis majoribus acceperunt, ita nobis posteris suis integras sacras litteras & incorruptas tradiderunt, ut ea ad nostros posteros transmittamus, quales acceperamus.

Ad eam rem probandam vobis sufficit mihi Martini Lutheri, coryphæi vestri, aut potius vestri Dei testimonium. Is in epistola quadam ad duos plebanos de anabaptismo, post multa de hac re sic scribit: Nos fatemur sub papatu plurimum esse « boni Christiani, imo vero totum bonum Chri- « stianum, atque illinc ad nos deveniſſe: quippe fa- « temur in papatu veram esse scripturam sacram, ve- « rum baptismum, verum sacramentum altaris, « veras claves ad remissionem peccatorum, verum « prædicandi officium, veram Christianitatem; « immo vero verum nucleum Christianitatis. Hæc « Martinus.

Non est igitur quæstio de authoritate scripturæ nobis cum hæreticis, ut etiam Montanus ait, sed de modo interpretationis, quod Hilarius his verbis testatur: De intelligentia hæresis est, non de scriptura: sensus, non sermo fit crimen. Neque enim satis est, ne sis hæreticus, ut libros sacros agnoscas; sed ne aliter illos intelligas quam par sit, & quam ecclesia docet. Non clamamus hæreticos, quod scripturis utantur, aut quod non utantur scripturis. Omnes enim, ut ait Tertullianus, de scripturis agebant, de scripturis suadebant, scripturas obtendebant: sed quod eas non intellectas in pravum sensum detorquerent, & producerent contra scripturarum authorem Christum Jesum. Si

res

res tam aperta non esset, innumeris ad eam confirmandam testimoniis uti possem.

MONTANUS. *Sic homines isti omnem pudorem simul exuerunt: nos quidem consensum purioris ecclesiæ cum scriptura congruentem minime repudiamus, sed reverenter amplectimur.*

GASPAR. Vide impudentiam hominis: cum ad rem destituitur argumentis, properat ad convicia tanquam ad asylum hæretitorum. Ecclesiæ consensum se ac suos inquit de scripturarum interpretatione amplecti velle: at cujus ecclesiæ? respondet, purioris. Quasi dicat, non Romanæ quæ vitiis aliquot maculata est; non apostolicæ, quæ continet aliquot viros improbos: non orthodoxæ, in qua simul cum tritico adsunt zizania, cum prudentibus fatui, cum bonis piscibus, mali: sed purioris ait, suæ scilicet: at cujus? Calvinianæ? an Brentianæ? an Lutheranæ? tot enim sunt ecclesiæ, quot hæreticorum capita: atque ineſt in his ecclesiis puritas, in quibus impune Christus deseritur, votum castitatis & religionis violatur, jejunia sunt sublata de medio, honestæ actiones condemnantur, & pleraque alia his longe impuriora non tolerantur modo, sed publice & magna mercede proposita docentur. Hanc tu puriorem ecclesiam vocas? & hujus consensum in explicanda sacra scriptura requiris? quæ nudius tertius cum impurissimo monstro Luthero orta est? fieri cum turpissimo Oecolampadio, Melanchthone, Bucero non hæretico modo, sed Judæo etiam, adolevit: & hodie Calvini, Ochini, ac similium sceleribus sustentatur? & contemnis Romanam ecclesiam, quæ a Christo ad nostra usque tempora cum pontificibus pervenit, sanguine Christi fundatam, recreatam, martyrio apostolorum auctam, a tot sanctis hominibus, quot memorari vix possunt, prædicatam? Tot magnorum virorum, & tam longi temporis consensum pro nihilo ducis? dum purioris quam, Romanæ ecclesiæ, quæ purissimam semper amplexata est atque docuit doctrinam, consensum spectas, consensum prorsus rejicis, Montane. In hac enim una ecclesia Romana perpetuo adfuit idem doctrinæ tenor, eadem fides: extra illam nullus est consensus. Nam alia hæresis aliam trudit: neque diutius perstare novæ extortæ sectæ potuerunt. Ad hanc Montane revertere, illa te docebit sine errore, quo pacto sacræ litteræ interpretandæ sint. Desere synagogam, mitte conciliabula, quæ hodie sunt, & cras nunquam apparent, & quæ se varietate & sententiarum diversitate plane confodiunt. Solum enim hujus interpretationem cum sacra scriptura congruere comperies, & ceteras omnes longissime ab eadem discrepare.

MONTANUS. *Sed præcipua tamen nobis cum adversariis, qui ecclesiæ vocabulo abutuntur, de certitudine & auctoritate scripturæ lis est. Illi ubi semel sumpserunt scripturam imperfectam, continuo subinferunt incertam quoque, propterea que ei non modo traditionum supplemento, sed ecclesiæ determinatione firmamentoque opus esse. Nos contra docemus, scripturam sacram, ipsissimum inquam Dei verbum, litteris comprehensum, perfecte abundeque in se continere salutis capita universa: ideoque certam, & unicam illam, infallibilemque examinandorum dogmatum regulam.*

GASPAR. His paucis verbis multa falsa complexus est Montanus: illud obiter, nos abuti ecclesiæ vocabulo. Sed judicet æquus lector & candidus, nos, an hæretici de ecclesia rectius sentiamus, & convenientius rationi, sacrisque literis judicemus. Illi ecclesiam vocant cœtum hominum, qui ita sunt in domo Dei, ut sint templum Spiritus sancti: nos ecclesiam definimus, universitatem eorum omnium qui fidem Christi atque doctrinam profitentur: & hæc eadem est ecclesia Romana. Juxta hæreticorum sententiam, ad ecclesiam pertinent solum prædestinati aut viri boni: juxta nostram improbi etiam, modo fidem servent & doctrinam. Cum autem difficile agnosci possint boni, ecclesia Christi videri non poterit. At jubet Christus, ut fratrem qui admonitus non resipuit, ad ecclesiam deferamus: & ut obediamus ecclesiæ. Quod fieri non possit, si electis modo constet, & cerni non queat. In ea enim, inquit scriptura quædam esse vasa in honorem, alia in contumeliam, pisces bonos & malos, fatuas virgines & prudentes, lolium cum tritico. Quæ omnia si retineamus nostram finitionem, nullo negotio vera esse constat. Montanus igitur ecclesia abutitur: nos, ut par est, vocabulo utimur. Ait deinde, hæreticos nobiscum de auctoritate & certitudine scripturæ contendere. Nos sane cum illis hac de re non pugnamus, ut dixi paulo superius, cum summam sanctarum scripturarum certitudinem esse credamus cum summa etiam auctoritate conjunctam: sed de interpretatione duntaxat lis est. Testamur enim non omnia esse aperta in scripturis sacris, sed obscura multa: quod de epistolis Pauli beatus Petrus affirmat, simulque ait, ob eam rem depravari ab hæreticis solere, atque ideo indigere explicatione. Hanc vero interpretationem modo accipimus ex traditione apostolorum, modo ex antiquitate & consensu patrum, modo ex conciliorum definitione, quæ ut dubia nobis interpretentur, indicuntur, ac celebrantur.

Addit præterea illam esse causam, cur non supplemento traditionum egeamus, quod nescimus sumere perfectum aliquem locum scripturæ; sed imperfectum semper sumamus, & illi locum alterum incertum adjungamus. Tam nos ignaros sacrarum literarum putas, Montane, tam rudes credis fuisse Hieronymum, Augustinum, Ambrosium, Chrysostomum, Basilium, Nazianzenum, ceterosque priscos doctores, quorum nos vestigiis insistimus, & explicandi rationem usurpamus: ut ignorarent quæ scriptura perfecta sit, quæ imperfecta? quorum mentes scimus copioso Spiritus sancti lumine fuisse illustratas. Quanto illud verius in vos quadrat hæreticos, qui proprium sensum sequuti, antiquitatis consensum repudiatis: & mendicato scripturam sacram quæritis, quæ vestris erroribus patrocinetur, collocantes illam in vestra voluntate, non voluntatem in lege, dum vestro sensu atque animi libidine divinam legem metimini. Unde effectum est, ut errorum vestrorum præsidia & firmamenta infirma reperiretis. Quod si locus aut tempus concederet, nullo negotio monstrare possem, quod præstiterunt ante me alii, omnes hæreses ex imperfecta citatione sacrarum litterarum promanasse.

Si vero tam expresse in sacris literis comprehensa sunt omnia nostræ salutis capita, quod tu affirmas, ut neque explanatione, neque ullo alio externo præsidio opus sit: quorsum vos tot ac tam magna volumina commentariorum in sacras literas hactenus edidistis, & editis quotidie, ut illis ferendis vix multæ & longissimæ naves sufficiant? Si tam obvia est intelligentia sacræ scripturæ: cur de justificatione hominis præcipuo Christianæ doctrinæ

loco

loco usque adeo inter vos tanta contentio, ut de eadem viginti diversas sententias Osiander hæreticus protulerit? quas eum omnes rejecisset, suam a ceteris omnibus longissime discrepantem attulit. Si verbum Dei tam expeditum est, tamque expositum omnibus: cur de re admodum necessaria, de verbis inquam illis, quibus Christus conficitur (hoc est corpus meum) tam admirabilis altercatio exorta est, ut de explanatione apertissimorum verborum, non pauciores, quam de justificatione impii, existant sententiæ? Nemo autem diffiteri possit, ea unica re contineri præcipuum quoddam caput salutis nostræ, cum disertis verbis dicat Christus: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Vis dicam ingenue, quid de hac re ipsa sentiam, Montane? nulla a vobis hæresis tam stulte defenditur, quam quod sacra scriptura plana sit, atque aperta maxime. Quanto satius fuisset vobis contra putare ac dicere, obscuram esse admodum, difficilem, & impeditam, ut saltem difficultatem scripturæ obscuritatemque, vestris erroribus patrocinium haberetis?

Joan. 6.

MONT. *Ita non obscure liquet, in quo cardine ea vertatur controversia: quæritur enim an major sit scripturæ perfectio & auctoritas, an vero traditionum?*

GASP. Cum traditiones serviant scripturæ explicandæ: quis est tam stultus, ut dubitet majorne sit auctoritas & perfectio scripturæ, quam traditionum? etenim dubium non est, scripturam perfectissimam esse, & auctoritatis culmen in se continere. Sed quoniam non omnia scripturis sunt tradita, quod de suo evangelio Joannes testatur, cum ait: *Multa quoque alia signa fecit Jesus, quæ non sunt scripta in libro hoc*: & Paulus scribat observanda esse nobis, quæ ipse tradidit sive per epistolam, sive per sermonem: & rursum, quia in scripturis non sunt omnia aperta (quod non sine admirabili quadam & divina providentia a Christo factum est, ad pios homines exercendos, & repellendum impios) necessarium est ut interdum traditio ferat opem, interdum ecclesiæ consensus, aliquando etiam conciliorum definitio.

Joan. 20.

MONT. *Quocumque illæ nomine appellandæ veniant, quas illi tamen viva fere apostolorum voce, ecclesiæ consuetudine, pontificum responsis, patrumque sententiis terminare consuevere: quo jure, quave injuria, nunc non est dicendi locus.*

GASP. Verum est quod hoc loco inquis, ex his potissimum locis sumi a nobis argumenta solere ad interpretandam sacram scripturam, si quando occurrat locus aliquis salebrosus atque difficultate impeditus: quibus nihil firmius fingi possit. Quoniam vero jus illud quo in adferendis similibus argumentis utimur, nulla ratione perturbare audes: de ea re nihil addam in præsentia.

MONT. *Quod si autem hæc, quam in manibus habemus, prophetarum & apostolorum vox est in litteras relata, si ecclesia hac doctrina, quæ Dei verbum est, colligitur, dignoscitur & conservatur.*

GASP. Ita est, quod modo ais, ecclesiam Christi colligi, agnosci, & conservari, doctrina sanctarum scripturarum explicata voce apostolorum, & communi consensu patrum, & conciliorum definitionibus: eisdemque argumentis colligimus atque agnoscimus, vestros cœtus synagogam esse Satanæ, conciliabula hæreticorum, & conventus malignantium.

MONT. *Si concilia pluries errarunt, & adhuc errare possunt, si mutuis se decretis invicem confodiunt.*

GASP. Infirmam hanc esse rationem, quam nos servamus in explicanda sacra scriptura, quæ ex conciliorum auctoritate capitur, illo argumento studet persuadere Montanus, quod concilia pluries errarint, & mutuis se decretis confodiant. Sed quoniam ille non indicat, quæ concilia errarint hactenus, neque quæ, quo modo edita in conciliis decreta secum pugnent, sibique mutuo auctoritatem adimant: existimare par est, eum mentiri impudentissime. Nam si Montanus hujus rei fidem ullo modo facere posset, hoc minime prætermisisset, cum videat detrahi nobis, & conciliis, in quibus magnam opem victoriæ positam habemus, ea via plurimum. Atqui non solum mentitur, cum ait erasse aliquando concilia: sed etiam cum affirmat in errorem labi posse. Quod ut verum semel ostendam, nam in hunc locum sæpius nos duxit in hac sua pestilentissima oratione, & eo argumento hæretici plurimum utuntur, res est mihi longius aliquanto repetenda.

In primis hæreticorum proprium, ac veluti peculiare illud esse scimus, ut conciliis detrahant, eorum auctoritatem imminuant si possint, labefactentque quod communi consilio sit. Sentiunt enim nihil esse tam efficax atque potens ad reprimendam auctoritatem hæreticorum, & conatus infringendos, quam si conciliis suum robur atque auctoritas integra omnino conservetur. Illo etenim veluti postremo remedio uti hæretici consueverunt, cum concilia damnant, ut dicant errare potuisse; atque adeo, cum rem definissent, erasse. Hanc vocem protulit insanus Arius contra concilium Nicænum, cum ab eo hæreseos convictus esset: eandem Nestorius contra Ephesinum concilium, eandem Eucyches & Dioscorus adversus concilium Chalcedonense, eandem etiam non longe a patrum nostrorum memoria Joannes Hus Bohemus adversus concilium Constantiense, in quo doctrina Wicleff patroni sui & præceptoris omnium suffragiis damnata est atque explosa. Nihil igitur mirum est, si nostris quoque temporibus Lutherani concilium errare posse, atque etiam errare, magnis clamoribus dicant: præsertim a Martino magistro edocti, qui cum initio suæ hæreseos concilium appellasset, veritus deinde & merito, ne concilii auctoritate damnaretur, illa appendice doctrinam suam stabilivit, ut diceret concilium generale legitime congregatum errare posse; atque erasse, dum Joannes Wicleff damnatus est.

Sic igitur statuo adversum te, Montane: concilium generale legitime congregatum, in definiendis dogmatibus fidei, nam de his est quæstio, errare minime posse: concilium generale dico, & œcumenicum, quale fuit Nicææ celebratum, & quale etiam est Fridentinum. Nam de provincialibus nihil in præsentia dicimus, quorum error ecclesiæ universæ minime præjudicare possit, si quando contingat: cum, ut Augustinus contra Donatistas ait, si quis error in eis admittatur, a concilio generali facile corrigatur. Legitime coactum concilium dico, id est, auctoritate & consensu pontificis maximi. Hinc fit, ut concilium Ariminense, coactum ab Arianis, auctoritate Constantis Cæsaris, filii Constantini, robur nullum habeat. Neque enim indixit pontifex, & rejectum est a numero aliorum conciliorum, quod vel ex Augustino constat cap. 14. lib. 3. contra Maximum princi-

principem Arianorum. Neque satis est, ut sit concilium legitimum, indictum esse a pontifice; sed etiam necessarium, ut ejus acta a pontifice probentur. Secunda enim synodus Ephesina indicta est a pontifice, & in ea ejus legati adfuerunt: at non recipitur in aliarum numerum, quoniam non est a pontifice probata, in qua error Eutychis probatus est, & damnatus Flavianus Constantinopolitanus pontifex, & legatus Romani, quoniam contradixit synodo: res enim declarata est in concilio Chalcedonensi. Jam convinco veram esse sumptionem meam: & primum, hæreticum hominem, qui horum conciliorum auctoritatem nihili facit, interrogo, an in ecclesia existat modus aliquis, quem tenentes, dubio procul eos qui errant in fide docere & ab errore possimus revocare? Non dicent nullum esse similem modum: alioqui non recte Christus Jesus ecclesiæ suæ dilectissimæ providisset, etsi ea sententia vera sit: neque quispiam, tametsi maxime a fide deflecteret, unquam peccare dici posset: morbo etenim laboraret, qui vitari nequeat. Est igitur aliqua certa via ab hæresi ad fidem catholicam homines revocandi. Cum autem hæc forma non sit specialis cujuspiam hominis doctrina: singuli enim excidere possunt a fide: procul dubio hæc facultas erit penes concilium generale coactum legitime. Concilium igitur in errorem labi non potest: alioqui via hæc atque ratio incerta & infirma erit. Dubitaremus enim, cum quippiam est definitum, errassetne concilium, an attigisset scopum.

Ajunt hæretici, hanc formam judicandi certo & infallibiliter de rebus fidei, penes ipsam scripturam sacram existere: quia Christus apud Joannem ait, scrutamini scripturas, quoniam illæ testimonium perhibent de me. Sed errant sane: nam, ut ex his verbis Christi colligitur, scripturæ solum sunt instar testium. Unde cum de re quapiam quæstio est, in sententiam suam hæreticus citare velut testem solet locum aliquem sacrarum litterarum, similiter etiam catholicus. Arrius citat, verbi gratia, illam scripturam: Pater major me est, Athanasius contra illam: Ego & Pater unum sumus. Opus est igitur judice, qui litem dirimat, & scripturas examinet: nisi velimus similes esse fluctus maris, quod Jacobus ait, qui a vento movetur & circumfertur. Quis erit iste judex? scriptura enim judicium ferre non potest, quia eadem sine discrimine, contendentes de fide utuntur. Neque etiam ullus hominum: quia singuli errare, labi, atque decipi possunt. Est igitur hujus rei judicium, velitis nolitis, penes concilium generale, atque ex consequenti, illud minime errare potest. Alioqui destituemur hoc præsidio necessario. Accedet ad hoc, quod Spiritus sanctus errare non potest: sed adest in conciliis recte congregatis, ut moderator, & instructor. Ergo similia concilia non possunt errare. Discursus legitimus in primo modo tertiæ figuræ, & assumptum manifestum, subsumptum expresso Dei verbo probatur. *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in cœlis est. Ubicumque enim duo, vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Confirmatur eadem sententia ex concilio apostolorum, cujus decreta hoc modo pronunciata sunt, *Visum est Spiritui sancto & nobis.* Habet enim ecclesia Spiritum sanctum, qui illam gubernet & moderetur. Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ait Christus, ille vos docebit omnia. Et rursum. *Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Verum est igitur quod nos asserebamus: & falsissima sententia Montani, ac ceterorum hæreticorum, qui ferunt, concilia errare posse, & erasse aliquando.

Matth. 18.

Matth. 28.

MONT. *Si pontifices, aliquot jam sæculis, nihil recte fecerunt, neque fortasse deinceps facere possunt, quamdiu hanc pestilentem sedem occupant.*

GASP. Audite summam impudentiam cum summa improbitate copulatam. Aliquot retro sæculis, ait Montanus, nihil recte fecerunt pontifices. At non docet, quid prave fecerint. Mentitur ergo. Quod si verum esse fingamus, quod apertum mendacium est; dicere non audebis pontifices non recte usquam docuisse. Semper enim docuerunt quod scripturæ sacræ testantur, & doctrinam quam acceperunt ab apostolis per successionem summorum pontificum. Quod si doctrina sancta est, incorrupta est, immaculata est: cur vos contrarium docetis?

Illud impudentius ait, instar Oedipi, aut potius Apollinis obliqui, neque fortasse deinceps facere possunt quidpiam recte. Unde id conjicis, aut divinas præstigiator? Subjungit, quamdiu hanc pestilentem sedem occupant. In sede Romana vitium esse positum, & culpam affirmat. Quod si tam pestilens sedes est: cur suscepit tot sanctissimos confessores, tot martyres, tot doctissimos viros, quos certo certius illam sedem tenuisse scimus? Quid ais, Montane? Quis te sic effascinavit? quorsum hæc blasphemia pertinet? scio quid agas. Antichristum alis cum tuis. Filium perditionis revelare vultis, discessionem fecistis ab ecclesia, & Christi vicarium a sua sede vultis dejicere, deturbareque, ut in eadem constituatis abominationem desolationis. Hæc sunt manifestissima indicia ejus monstri, quod in publicum producere vultis, ut dicat alius, hic est Christus, alius, non est, nisi apud nos.

MONT. *Si denique melioris notæ patres ad scripturam nos relegant ipsi: quid amplius causa esse potest, dicite per Deum immortalem: cur ab scriptura ad traditiones, a certo ad incertius nos abduci patiamur?*

GASP. Ad hæc nihil aliud dicendum puto, quam quod dixi superius.

MONT. *Hæc ita cum sint, non pudet profanos istos homines adhuc dicere, non de auctoritate & certitudine scripturarum, sed de interpretatione tantum nobis certamen esse?*

GASP. Idem rursum affirmo, judicio magnorum virorum, tum veterum, tum neotericorum.

MONT. *Id si nobis dederint, de maximo propugnaculo se dejectos simul fateantur necesse est.*

GASP. Nunquam hoc feretis a nobis, quod cum ratione & communi sensu hominum atque scriptura pugnat, ut sit contentio de auctoritate & certitudine sacrarum litterarum.

MONT. *Si quidem in scripturæ auctoritate solide conquiescendum.*

GASP. Quomodo lis dirimi poterit, si tu sacram scripturam citas, nos similiter? infinita erit concertatio, & pugna nunquam interitura, nisi judex adsit aliquis major omni exceptione. Non potest autem aliud fingi, quod monstravi superius, præter concilium, quod definiat recte, an secius scripturam citemus, testes excutiat citatos examinetque, atque tandem sententiam ferat.

Quare

Quare fieri non poteſt quod ſubjungis :

MONT. *Faceſſant cetera diverticula, in quibus illi diſputationis ſuæ proram puppimque collocant.*

GASP. Non ſunt hæc diverticula, ut ais, ſed præſidia potius neceſſaria ad judicandum de interpretatione ſacrarum litterarum.

MONT. *Atqui ſcriptura opus habet interpretatione, fateor : multum vero refert, quem quiſque ſenſum affingat, multum omnino.*

GASP. Negare non potuit, non eſſe tam planam & apertam ſcripturam ſacram : ut opus non ſit interprete. At, inquit, multum refert, quem quiſque ſenſum affingat. Quod ſi varii ſenſus affingi poſſunt : arbitror, opus eſt & judice, qui de legitimo ſenſu judicium ferat.

MONT. *Sed cum ſcriptum ſibi ipſi interpres ſit, eam quoque interpretationis regulam adhibebimus, quam ipſa prior nobis dictavit.*

GASP. Si ſibi ipſi interpres eſt ſcriptura : unde tanta varietas apud hæreticos de unius atque ejuſdem loci explanatione ? ſi ſibi interpres eſt, judex ergo eſt. Judex vero quomodo erit, quæ teſtis rei dubiæ citatur ? & ſi judex a vobis conſtituitur : quomodo ea utimur catholici, qua & vos quoque utimini in contrariam partem ? & ſi quiſpiam productum teſtimonium ex ſcriptura ad interpretandum locum aliquem difficilem ejuſdem calumnietur, neque ad rem eſſe dicat : unde petemus ſubſidium ad litem dirimendam ? ſane fuerit neceſſarium ad traditionem, conſenſum patrum, aut concilia divertere, quod tu negas, cum ais.

MONT. *Neque ad eam aliunde adferamus quidpiam, præter fidem & caritatem cum ſobria ſinceraque dexteritate conjunctam.*

GASP. His verbis a ſacra ſcriptura relegas omnes hæreticos, qui ſunt hac tempeſtate. Caritatem enim ad ſcripturam afferre nequeunt, quam neceſſariam negant eſſe homini cum ajunt, fidem ad ſalutem ſatis eſſe. Et recte quidem facis ; at nulli ſunt, qui tam ex profeſſo ſibi ſtudium ſacræ ſcripturæ uſurpent atque Lutherani.

MONT. *Sed longius me provexit oratio, quam vel ipſe volebam : alterius enim eſt loci & temporis hæc tractatio. Hoc unum dico : ſi ſcripturæ tanta apud iſtos homines eſt auctoritas, quantam eſſe præ ſe ferunt : cur eam nobis regulam non unice relinquunt ?*

GASP. Quoniam, ut dixi, ſæpius obſcura eſt, & interpretationis plurimum indiget.

MONT. *Cur tot impedimentis eam reſtringunt ?*

GASP. Inepte vocas impedimenta, quæ ſunt ad ſcripturam ſacram intelligendam in primis neceſſaria.

MONT. *Cur quod ſemel dederunt, tergiverſando callide reſumunt ?*

GASP. Non reſumimus Montane, nunquam tibi quiſpiam orthodoxorum conceſſit ſine externis adminiculis omnino tractari poſſe ſacras litteras.

MONT. *Cur denique ſe tot in formas ſpecieſque convertunt ?*

GASP. Quænam ſunt juſtæ formæ, Protee, chamæleo, & ſi quid eſt id genus ? hæc enim nomina, quod Epiphanius contra vos differens acute docet, vobis tantum hæreticis quadrant, qui neſcitis vobis conſtare, ſed ſingulis momentis, ubi ſemel ab unitate diſceſſiſtis, varii atque diverſi apparetis.

MONT. *Quod ſi omnem controverſiæ molem ad unius ſcripturæ interpretationem traducere laborant : agite ergo, dentur æqui judices, in arenam ſemel deſcendatur, & planum fiat, utra pars eas interpretandi leges, quas a Chriſto & ejus apoſtolis accepimus, aut conſectetur, aut aſpernetur.*

GASP. Judices dari atque conſtitui petit Montanus, qui judicent utri meliùs & convenientius Chriſti præceptis ſcripturam ſacram exponant, hæreticine an nos. Judicem reliquit Chriſtus eccleſiam & concilia generalia, quæ in explicando aut definiendo de fide errare non poſſunt. Hi ſunt veri judices, hos conſulite, plane comperietis longiſſime vos ab ſcopo & veritate aberrare. Concilia enim, quibus contradicitis, damnant eam interpretationem, quam ex proprio capite depromptam ſcripturis affingitis. Eccleſiæ conſenſus, cui vos repugnatis, aperre clamat adverſus interpretationem quam adducitis, deſtructis veſtris ſomniis, interpretationem ab omnibus receptam, omni loco & omni tempore probatam. Quid igitur poſcitis æquos judices ? niſi enim quos nominavi pati velitis, nunquam quidpiam agemus : tam neque ex vobis idonei judices capi poſſunt, neque vos ex noſtris dari feretis, qui poſſent, ut par eſt, hujuſmodi controverſiam dirimere.

MONT. *Sed cum tale nihil ab adverſariis potuerit extorqueri, manifeſtum eſt eos verborum præſtigiis ludere.*

GASP. Non ſemel in Germania delecti fuerunt a ſanctiſſimo atque invictiſſimo imperatore Carolo quinto viri docti, qui de hac ipſa re vobiſcum tractarent, & rationem dirimendi hanc litem atque alias inirent, & nuperrime in Gallia. Sed vos hæretici datam fidem frangitis, pactis, conventis ſtare noluiſtis, leges judicii calcaſtis, tenebras rebus omnibus offudiſtis : denique juratum a vobis eſt diligenter, ne vobis præſentibus & agentibus cauſam de doctrina judicium fieret. Quod ſi adhuc cauſæ fiditis, Tridentum contendite, quo vos fides publica provocat, imperatoria majeſtas invitat : facile habebitis, quod fingitis cupere.

MONT. *Aliudque in ſeceſſu machinati quam fronte promittere, ſed non uſque adeo novum aut inſolens eſt, veritatis prætextu veritati vim facere.*

GASP. Id maxime cernimus in hæreticis, ſed de ipſa veritate refelluntur : neque alia hujus rei cauſa eſt, quam quæ abs te his verbis redditur.

MONT. *Hoc ideo accidit, quod Satan, qui ſe in lucis angelum frequenter induit, nequitiæ ſuæ ſpecioſos quoſque titulos obtendere conſuevit.*

GASP. Solet interdum ita accidere, ut iniqui homines prophetent, præſertim in damnum ſuum, quod accidit in præſentia Montano, qui ſe, dum ita loquitur, in theologum transfert.

MONT. *Quod ſi cœtus omnes, qui conciliorum nomine cenſentur, nunquam erraſſent, neque hodie errare poſſent : merito ſummum judicium penes concilia reſideret. Nunc cum venerabile concilii nomen in Satanæ quoque ſynagogam cadere poſſit, non item.*

GASP. Adimere vult conciliis Montanus ſummum de rebus fidei judicium hac ratione. Si concilium poteſt errare : ergo non eſt penes concilium : at poteſt errare : ergo non eſt penes concilium judicium ſummum. Duo tamen vitia habet hæc ratio : unum eſt, quod ſyllogiſmus hypothe-

ticus

ticus quo utitur ineptiſſimus eſt : quod indicat Montanum quoque eſſe ineptiſſimum dialecticum. Nunquam enim ſimilem hypothetice colligendi formam ille reperit apud Ariſtotelem. Deinde falſum aſſumit, nempe concilia errare poſſe, quemadmodum paulo ſuperius monſtratum eſt a me. Quanto ſatius ita collegiſſet : Si non poteſt errare, ſummum judicium penes concilium eſt. At non poteſt errare, ut docui: ergo ſummum judicium penes concilium reſidet. Audite tamen, obſecro, quo exemplo oſtendat Montanus erraſſe concilium: & facile intelligetis ignorantiam ſummam cum ſumma malitia cohærentem atque conjunctam. Simile enim facit conciliabulum illud, quod adverſus dominum, & adverſus Chriſtum ejus Judæi injerunt, concilio quod ſit in eccleſia Dei: hoc eſt, ſynagogam eccleſiæ comparat; conciliabulum, concilio; conventus malignantium, conventibus bonorum & ſanctorum hominum; denique coactam ſynodum contra Chriſtum & eccleſiam, illis comitiis quæ in Chriſti nomine ad eccleſiæ ornamentum celebrantur. Tanta impudentia, quanta vix poſſit excogitari. Ait itaque.

MONT. *Sed quod exemplorum in omni re modo comparatorum par & æqualis ſit ratio : non præter rem & inſtitutum facere videor, ſi ejus concilii ſpeciem oculis quaſi ſubjecero, cujus in evangelica hiſtoria ad hunc modum ſit mentio.*

GASP. Hujus concilii magna pars fuerunt quidam ex veſtris principibus. Nam Bucerus primum Judæus, deinde Chriſtianus factus, poſtea Lutheranus, poſtremo tandem (ut plerique teſtantur) Judæus obiit. Rurſum Petrus martyr, præterea Joannes Baptiſta, qui omnes in pretio apud vos fuerunt, & quibus tu, atque alii præceptoribus profeciſtis in pejus, ut interim ceteros miſſos faciam.

MONT. *Cum autem jam inſtaret paſcha, congregati ſunt principes ſacerdotum, ſcribæ & ſeniores populi in aulam principis ſacerdotum, qui dicebatur Caiphas.*

GASP. Quoniam iſtud conciliabulum apprime in vos ipſe quadrat: dabo operam ut ſingulas ejus partes perſequar, ut tuo te gladio confodiam. Cum inſtaret tranſitus hujus mundi, hoc enim paſcha ſignificat, noviſſimis inquam temporibus, nos enim ſumus, in quos fines ſæculorum devenerunt, congregati ſunt principes ſacerdotum, monachi videlicet, ſed apoſtatæ, Martinus Lutherus, Oecolampadius, Franciſcus Lambertus, Brunfeldius, Pellicanus, Bucerus, aliique ſimiles in aulam Martini principis hæreticorum.

MONT. *Dicebant autem, quid facimus ? quia hic homo multa ſigna facit.*

GASP. Adverſus pontificem Chriſti vicarium, & ſimul adverſus Chriſtum conjurant hæretici incenſi ambitione atque invidia : quod cum pontifex alios honoribus & dignitate augeret cumularetque, Martinum cum ſuis prætermitteret, hoc eſt enim quod ait : Hic homo multa ſigna facit. Et ſcimus honoris & quæſtus gratia Martinum cum reliquis papatui bellum indixiſſe.

MONT. *Si permiſerimus eum ſic, omnes credent ei.*

GASP. Si finamus, inquiunt, eum habere auctoritatem quam habet, omnes trahet ad ſe.

MONT. *Venientque Romani & tollent locum noſtrum & gentem, & reliqua quæ ſequuntur in hiſtoriæ contextu.*

GASP. Nos, qui pontifici Romano obtemperamus, hæretici vocant Romaniſtas. Conſpirationis igitur cauſa in pontificem & eccleſiam ea fuit, ne catholici omnem locum occuparent, & omnem gentem ad ſe traherent : atque ita nihil loci hæreticis relinqueretur, aut honoris, cujus gratia diſceſſerant ab eccleſia. Mirifice ergo forma conciliabuli in vos quadrat : noſtris autem conciliis accommodari non poſſe oſtendam paulo inferius.

MONT. *Hic tu mihi primo omnium, Chriſtiane lector, patres hujus concilii contemplandos ſume. Coeunt in unum qui ceteris auctoritate & ſanctitatis opinione præſtant, quorumque humeris illius temporis eccleſia non aliter quam columnis ſuffulta, recubuit. Summus vero pontifex, cujus auſpiciis totus hic cœtus regitur, ita gloria Dei videri vult affici, ut qui vel maxime, qui cordis vulnus, quod ei blaſphemia inflixit, veſtrum quoque ruptura teſtificatur.*

GASP. Ad hæc non eſt cur reſpondere quidpiam debeamus : Quæ, ut apparet, non ſolum non congruunt concilio noſtro, ſed neque modo a Montano in nos adferuntur. Solum ſuo more, ſtulte inquam, voluit exprimere ſcrupuloſe patres omnes ejus conciliabuli, quod contra Chriſtum habitum eſt : quod facit tam exacte, ac ſi eidem interfuiſſet. Sed nihil mirum, doctorem habuit Bucerum, Joannem Baptiſtam, atque alios hæreticos, qui Judæorum cæremonias, quod Judæi eſſent, probe callebant. Hæc vero referimus, ne quidpiam a nobis prætermiſſum poſſit calumniari Montanus. Quod autem nugatur de veſtibus pontificis, mera eſt calumnia.

MONT. *Sed a patribus ad formam ipſam, juriſque, ut appellant, proceſſum veniamus. Nihil ſancti patres temere, nihil inconſulto, aut per vim feciſſe videri volunt, concilium cogunt, ſententias conferunt, patriæ incolumitatem prætendunt, quam periclitari clamitant, niſi mature Chriſti conatibus obviam eatur. Poſtquam autem ad caput cauſæ deventum eſt, Chriſtum de religione, & doctrina ſua examinant : cujus cognitionem ceu propriam ſibi vendicant. Et quoniam lex divina vetat in quempiam capitaliter animadverti, qui non idoneis teſtibus prius ſit maleficii legitime convictus : hanc quoque curam ad ſe recipiunt, ſeduloque cavent, ne cui de ſe violatæ juſtitiæ ſuſpicionem relinquant.*

GASP. Quorſum hæc ſpectant ? aut potius quorſum labores in referendis his, quæ ad rem pertinere nihil videntur, ego non video : niſi ut hæreticus Montanus ex gente Judæorum, ut audio, oriundus, memoriam facti illius refricet, quo Judæi duro & impœnitente corde nati, maxime gloriantur. Sed abſolvamus inceptam narrationem, quo illuſtrior ſit omnibus hæreticis inſania.

MONT. *Chriſto quoque, ne quis indicta cauſa eum condemnatum calumnietur, pro ſe dicendi poteſtatem faciunt : quodque magis eſt, ad id faciendum verbis impeliunt, juramentoque inſuper adſtringunt. Hæc certe magna libertas eſt, quæque conciliis legitimis non levem conciliare ſolet auctoritatem. Tamen poſt longam ſeriamque juris diſceptationem, Chriſtum hæreſeos & ſeditionis teterrimorum criminum reum, civili quoque magiſtratui plectendum ſiſtunt. Quod ſi hæc non eſt forma concilii rite celebrati, neſcio quæ alia Lutheranis hæreticis ſatisfacere poſſit.*

GASP. Immo vero hæc eſt forma, ſi qua alia, quam hæretici omnes, maxime vero Lutherani, in ſuis conventibus obſervare ſolent : hanc probant

præ

præ ceteris, convenientem nimirum conatibus suis: de ecclesia inquam, si possint, evertenda, & delenda ex hominum mentibus Christi fide. Sed quid hoc aliud est, quam, quod dicitur vulgo, contra stimulum calces? Perstabit perpetuo papatus, fundamentum fidei, & columna veritatis, repugnantibus hæreticis. Pergit. A

MONT. *Horum patrum auctoritatem & fidem velle in dubium revocare, quid aliud est, quam ecclesiam ipsam in crimen vocare? quam tu certe ab ordinaria hac pontificum successione, cui individue cohæret, nunquam recte diremeris, nisi fortasse eam penitus evertere cogites.*

GASP. Hoc te male habet, perfide, quod non modo papatum, qui a temporibus Christi ad nostra hæc tempora sine ulla intermissione perve- B nit, evertere nequeas, neque ullo pacto ejus auctoritati nocere: quantumvis magna machinamenta admoveas, & de ea re dies noctesque sis cum tuis solicitus. Fundatus est supra firmam petram: sæviant licet, irruantque venti, nihil prorsus agent. In cœlum spuitis, o hæretici, in vos faba cudetur, in vestram perniciem atque interitum laboratis. Nondum absolvit orationem, audite quæ restant.

MONT. *Sed hic parum persistendum est, concilii- que consensus penitus introspiciendus. Sancti isti patres, propterea quod avaritia, & ambitione essent corrupti, nihil minus erant, quam quod apparebat: veritatis & religionis antistites habebantur, veritatis & religionis professi erant hostes.* C

GASP. Patres, de quibus locutus es hactenus, qui in unum convenerunt, ut Christum dolo tenerent & occiderent, non modo pravis moribus erant infecti, sed hæretici etiam, quod contrarium docerent, quam quod sacris literis contineretur. Quamobrem recte veritatis hostes putari possunt. At patres, qui in concilio adsunt, fide conspicui sunt, tanquam doctrinæ Christi studiosi: ut ego non dubitem, quin si res postulet, pro eadem gravissima tormenta laturi sint, atque etiam mortem oppetituri. Addit.

MONT. *Capitulariter ergo persequendos ducebant, quotquot sibi adversarentur. Christus igitur, qui simulatam quam præ se ferebant pietatem, suis concionibus ad plebem excogitabat, horum furores & D odia in se concitavit. Quid ergo mirum est, si ques causa sua judices habuit, hostes quoque & quidem crudelissimos experiretur?*

GASP. Quorsum tam longe repetita narratio? quid hoc sibi vult? neque tacet adhuc, sed ait.

MONT. *Etsi autem Christum jam ante morti adjudicarunt, tamen quod civili quoque magistratu illis ad hanc rem opus esset, juris formam adhibent in speciem legitimam. Lege autem Dei abutuntur contra legem: justitiamque oppugnant sub specie juris.*

GASP. Causam suam, causam Christi facit: cum sit ejus doctrinæ contraria, ejus sponsæ inimica, ejus vicario infensa, ejus denique E religionis adversa nimis. Sed cum verbis tantum inanibus, nulla ratione subjecta, causam agat: verbis cum eo non contendam. Perstat tamen in dicendo.

MONT. *Libertas autem ab hoc concilio procul abest.*

GASP. Nostro nihil potest esse liberius, cum sit omnibus integrafa cultas dicendi, quod sentiunt, de quaque re.

MONT. *Christus enim causam ex vinculis dicit.*

GASP. Utinam & vos in vincula conjecti essetis: fortasse non tam sero saperetis: fursosis enim libertas maxime nocet. Sed quanquam liberi sitis, atque vinculis exempti, causam vestram deseritis. Et quonam quæso pacto ut causam tueantur atque defendant hæretici, domos deserent, in quibus omni vitiorum genere captivi tenentur, & mentem habent compedibus ignorantiæ & pedicis tenebrarum captam?

MONT. *Etsi autem eum ad dicendum cohortantur, tamen ejus verba captiose invertunt: cumque ex sententia ipsorum non respondet, conviciis insuper & pugnis incessunt: hæc summa est.*

GASP. Id de vobis recte dici non potest, qui hactenus ausi non estis cominus nobiscum de doctriua contendere, sed eminus latratis more ignavi canis.

MONT. *Nunc quibus præceptoribus nostri quoque patres profecerint, æquis rerum existimatoribus judicandum relinquo.*

GASP. Quasi vero non aperte constet, papistas aut pontificios, ut appellatis, qui intra Romanam ecclesiam continemur, Christum in primis præceptorem habuisse, ejus deinde apostolos, postea vero martyres, confessores, sanctissimosque homines, qui successione continenti Romanam sedem usque ad nostra tempora tenuerunt. At vos ex patre diabolo orti, qui primus discessionis fuit auctor, intermissa serie parentum, Manichæum, Donatum, Vigilantium, Jovinianum, Eunomium, Joannem Hussum, doctores habuistis, capitis damnatos antiquitatis judicio & consensu.

MONT. *Quæ judicii genere Joannes Hussus, Hieronymus Pragensis, aliique boni viri innumeri, aliquot jam seculis circumventi sint, multorum testimoniis, nostrorum quoque sanguine, comprobatum est.*

GASP. Si nulla alia ratio suppeteret, curte omnes insanissimum judicarent, & deploratum hæreticum: illa una satis esse posset, quod patrocinium suscipis atque exerces duorum usque adeo insignium hæreticorum, Joannis, inquam, Hussi, & Hieronymi Pragensis, quos viros bonos appellas, & indigna morte peremptos esse testaris. Quis enim ignorat præter Lutheranos, qui ad malitiam suorum parentum multum addiderunt iniquitatis, nullos usquam extitisse pernicioriores hæreticos, quam fuerint olim, quos laudat Montanus, laudat omnis turba hæreticorum nostra tempestate. Ut enim sileam plurimas illos hæreses sparsisse contra evangelium Christi atque ejus ecclesiam, quod faciunt hæretici more suo: fuerunt sane strenui zizaniorum seminatores, artifices fraudis atque doli, mendaces, perjuri, ad defectionem adversus reges & principes excitantes tumultus. Atque ut intelligas quam fuerint illi viri boni, aut potius, ut intelligant omnes te calumniari impudentissime, dum illos viros bonos vocas, & concilium Constantiense, in quo illi condemnati sunt, reum agis: audi obsecro, quam illi doctrinam publice sint professi.

Concilium Constantiense damnaverat Wicleff octava sessione tanquam hæreticum pestilentem, simulque quadraginta quinque articulos, quos docebat contra ecclesiam. Hujus vitam & doctrinam cum amplecteretur Joannes Hussus, damnatus quoque est sessione decima quinta in eodem concilio, & flammis ultricibus castigatus. Hieronymus vero

Praga,

Praga, cum aliquandiu adhæsisset eisdem erroribus, mutata mente in melius, hæresim abjuravit sessione decima nona. Ceterum transactis aliquot diebus, dæmonis æstu gravissime agitatus, publice in eodem concilio, præsentibus patribus ad vomitum rediit: & sessione vigesima prima damnatus est more ceterorum, atque in ignem conjectus.

Inter cetera vero impietatis argumenta illud est maximum, quod boni isti viri, ut placet Montano, hos articulos, aut positiones defenderent, a communi hominum sensu plurimum abhorrentes.

Deus debet obedire diabolo.

Post Urbanum sextum nemo haberi pontifex debet.

Nullus est dominus sæcularis, nullus præsul, nullus episcopus, dum in peccato mortali existit.

Populi possunt principes suos corrigere.

Omnia accidunt inevitabili necessitate.

Academiæ, studia, collegia, gradus honoris, ex ethnicis orta sunt: & perinde juvant ecclesiam atque diabolus.

Taceo cetera, ne nimis longam habeam orationem. Ex his vero facile quivis possit conjicere, quanto cum judicio damnati & castigati sint Hussus & Praga: & præterea quam nullo judicio illos probet Montanus, & viros bonos appellet, & concilium fugillet. Sed nihil mirum, suam rem agit, eisdem forte erroribus se implicatum videt.

MONT. *Hanc partem ut semel missam faciamus, atque ad eam accedamus, quæ propius ad nos pertinet, tempestivum videtur. Etenim pontifices, quod sint insanabiles, suis moribus permittendos censeo.*

GASP. Egregium sane medicum, cujus industria nobis sit opus: cura teipsum, & mitte quæ nihil ad te attinent.

MONT. *Ita nobis sedulo e contra vigilandum judico, ne quam labem aut maculam aliena culpa contractam nobis aspergamus. Quoniam vero quid adversarii spectent, satis abunde liquet.*

GASP. Dum concilium agimus, isthuc spectat conatus noster, ut vobis, tametsi deploratis, si fieri possit, aliquam opem feramus: vos autem disfugitis instar phreneticorum.

MONT. *Quid nostri quoque propositi sit, deinceps diligenter considerandum venit: ne plus curæ & diligentiæ in aliena censura, quam in propria disciplina, posuisse videamur.*

GASP. Salubre mehercule consilium, ut medicum fugiat ægrotus, & pacis conditiones reformidet, qui versatur in mediis tumultibus: quod ex his quæ sequuntur longe planius constare possit, cum ait:

MONT. *Temere suscipitur, quod nullo consilio deponitur.*

GASP. Si temere susceptum consilium est, cur non illud mutari debet? errare, hominis proprium est; perstare vero in errore, diaboli.

MONT. *Periculose subitur, quod non nisi ignominiose deseritur.*

GASP. At cum nulla ignominia sit ab errore revocari, vitæ consulere, & animæ providere: nullum periculum in ea re situm esse potest, ut abnegata impietate, ad ecclesiæ matris omnium gremium revertamini.

MONT. *Si Cerdoni, si fossori laboris sui ratio constat: quid nobis faciendum putamus, quibus religionis cura incumbit, qua una divina atque humana jura continentur? Tridentum petamus, dicet aliquis.*

GASP. Et recte sane dicet prudenterque, si vestræ religionis illa vos cura tenet, aut potius si salutis estis studiosi. Illud tamen principes meminisse ve-

A lim, quod & Montanus asserit in præsentia, religione contineri omnia jura divina atque humana: ut accuratius in religione suscepta perseverent, neque subditos patiantur vel per latum unguem ab eadem discedere. Simul enim cum religione imperium mutari, regnumque amitti.

MONT. *Et qua ratione? quo consilio?*

GASPAR. Eo profecto quod explicas, cum ais:

MONT. *Conventus ejus ut pars aliqua fimus, quæque religionis sunt, cum patribus in commune tractemus. Nihil hac nostra profectione gloriosius, nihil fructuosius cogitari possit. Sic ille.*

GASP. Et merito, præsertim cum nullo vestro periculo, id facere possitis accepta side publica. Sed audite quid hæreticorum profectionem remoretur.

MONT. *Sed heus, bone vir, nunquamne tibi in mentem venit cogitare, nos, ut maxime velimus, in deliberationis tamen partem nullam penitus admitti?*

GASP. Verum est quod inquis, nisi si quis sit vestrum rite consecratus episcopus, qualis est impius Vergerius. Tantum enim in deliberationem admittuntur hi, qui jure, privilegio aliquo, vel antiquissima consuetudine decernere in conciliis solent: hi vero sunt, quos tibi nominavi paulo superius. Sed ut non sitis pars ulla deliberationis, jure etenim prohibemini, quod propter hæreticos negligendum non est: certe quod in publica side data vobis a patribus continetur, vestram causam agere libere potestis, & ut verbis fidei utar, loqui cum ipsa synodo, de quibuscumque negotiis, examinare, discutere, articulos quoscumque tam scripto, quam verbo offerre, & sacris scripturis, beatorum patrum verbis, sententiis ex rationibus declarare, adstruere, persuadere; & si opus fuerit, ad objecta concilii generalis respondere, & cum his qui fuerint a concilio delecti, disputare, & absque omni impedimento conferre. Hoc vos parum putatis?

MONT. *Neque, si admitteremur, ejus tamen concilii partem esse posse aut velle, cujus authoritas a Romano pontifice, Christi & ejus ecclesiæ jurato hoste, unice dependet. Intelligis enim, opinor, quanta difficultatum mole in primo statim limine præoccupemur.*

GASP. Si ubi facta sit vobis copia concilium adeundi, ac deliberandi de rebus dubiis, reverenda vobis conditio est: quorsum tam graviter doletis excludi vos ab hac deliberatione, & dolorem exaggeratis tam multis verbis? Desperatione tamen rei consequendæ pertracti, maledictis & conviciis pontificem maximum ecclesiæ principem proscinditis tam asperis atque atrocibus, ut neque fingi possint in quempiam graviora. Quam tamen injuriam haud dubie Christus ulciscetur atrocissime, qui principi populi sui vetat quempiam maledicere, & blasphemiam severis, ac miris modis castigat. Vix enim ulla major esse possit, quam vicarium Christi, quem propriis conceptisque verbis ecclesiæ præfecit, cum ait: *Super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & tibi dabo claves regni cœlorum*, & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum in cœlis, juratum hostem Christi dicere, simulque vitam, mores, fidem, doctrinam, religionem omnium qui ecclesiæ gubernacula hactenus tenuerunt, culpare, reprehendere, dilacerareque; quos certo scimus pro Christo & ecclesia multas & maximas ærumnas & calamitates pertulisse, summos cruciatus toleravisse, mortem denique acerbissimam oppetiviſſe. O sum-

mam hominis impietatem! o blasphemiam minime tolerandam! Cur non dehiscis terra, & pestiferum hominem absumis? Cur non fulmineibus de cœlo jactis, optime Deus, execrandam istam pestem de medio tollis? cur non elementa ruunt in perniciem Montani? cur feræ non concitantur, atque impetu facto monstrum horrendum discerpunt, dilacerantque? Sed ne secure vivas, ac tibi blandiri velis: quæ differtur vindicta, veniet, crede mihi, & non tardabit. Quod si diutius expectatur quam putemus, compensabit, ne dubites, tarditatem Deus supplicii gravitate. Resipisce igitur, Montane, & benignitate Dei ad perniciem abuti noli. Neque secundum duritiam tuam atque impœnitens cor thesaurizes tibi iram in die iræ, & justi judicii Dei, qui reddet unicuique juxta opera sua.

MONT. *Sed deliberationi locus nullus relinquitur, ubi necessitas dominatur: frustraque quari videtur, quid facere velis, ubi quid facere possis nondum disputaveris. Sic quod adversarii nullum nobis in consessu suo locum relinquant, ejus quoque disputationis cura nos simul exonerant.*

GASPAR. Hoc si tu parum esse putas, non recte judicas, Montane. Summus est enim labor, eam capessere, ex qua nihil præter incommodum reportare possis.

MONT. *Certe cuos ipsi tantopere fastidiunt, ab his fastidiuntur & ipsi: illi nos contemnunt, nos illos negligimus.*

GASP. Non vos contemnimus, Montane, sed diligimus perinde atque nos, modo resipiscatis.

MONT. *A consuetudine sua nos submovent, arcent, repellunt: nos illos declinamus, fugimus, aversamur.*

GASP. Bellam consolationem, & homine hæretico dignissimam! Nos quidem vitamus hæreticos, ne ab eisdem inficiamur: vos orthodoxos odistis, quia vobis bene volunt. Vos impii, qui contra Deum & ecclesiam conspiratis: vos publici peccatores: vos vitia pleraque tam parum curatis, ut contemnatis omnino, atque eadem alios doceatis. Atque ob eam rem mirifice quadrat in vos, quod a te Davidicum testimonium citatur. Vester conventus, conventus malignantium est, detrahentium & insidias tendentium ecclesiæ.

MONT. *Sed fœde non sine laude aquo quoque Marte pugnatum est: suntque quibus sua retinere, quam aliena invadere, non minus glorioſum fuit. Sic nos partes nostras strenue defendendo, cominus cum adversariis manus conseramus: atqui continuationis clausula ab ea facultate nos excludit, conatibusque nostris ceu vallum obiicit.*

GASP. Continuationem in causa esse inquit Montanus, cur hæretici Tridentum non contendant. Certo sciamus multo minus venturos esse, si nunc primum concilium indiceretur: cum ejus initio non semel fide publica data, magnis insuper additis pollicitationibus, Carolus quintus maxime catholicus imperator Germanos præsens propria voce, atque absens litteris, sollicitaverit, ut Tridentum adirent, atque eo loci de dogmatibus suis cum patribus conferrent. Sed hac se excusatione apud suos increpationem & reprehensionem acerbam vitaturos putant. Quod si continuatio impedimento est vobis, agite, descendite Tridentum, fiet vobis libera atque integra facultas conferendi confirmandique vestram causam, tametsi ejus aliqua pars, patrum judicio & calculis sit definita. Id aperte vos obsecrant obtestanturque patres, ut constare vobis procul dubio possit ex publica securitate. Quamquam enim quæ semel in concilio decreta sunt patrum calculis, amplius in quæstionem revocari nullo modo debeant aut possint integrum camen est de eisdem iterum disputare ut res planior fiat. Neque, dum ita facimus, concilii authoritati ulla ex parte derogamus: sed causam potius nostram adversariis probabilem efficere studemus, caritate atque benevolentia ducti. Exemplis rem aperiam subjectis. Etenim processio Spiritus sancti ex Patre & Filio ex symbolo apostolorum cognosci poterat, simul etiam ex concilio apostolico, in quo symbolum conditum est, rursum ex Nicæno concilio: nihilominus tamen Græci de ea re post tot definitiones disputationem susceperunt exercueruntque, ut apertior res esset, & quibusdam satisfacerent hominibus. Pleræque etiam hæreses, quas vos his temporibus mordicus tuemini, cum ab inferis sint a vobis revocatæ, profecto damnatæ sunt in antiquis synodis. Non putamus tamen præter rationem esse, si excutiantur & examinentur diligenter in hac sancta synodo. Similiter etiam feremus vos, dum de rebus jam definitis in eodem concilio, disceptatis, & doctrinæ vestræ rationem redditis, & confertis invicem cum his, quas patres sequuti sunt: modo id a vobis fiat animo cognoscendæ veritatis, & convicia absint ac maledicta, in quibus potissimam victoriæ partem collocatis.

MONTANUS. *Sic superioribus annis, illorum Germanorum principum legati & theologi, post multas amplasque pollicitationes, & diuturnam Caroli quinti monarchæ potentissimi intercessionem, multorum mensium intervallo, vix agre tandem in eum consessum admissi sunt, quem per contemptum congregationem appellant: quasi tumultuarium cœtum dixeris, qui negotiis non usque adeo feriis destinatus perhibetur. Cogitare autem possumus, quantum Germani theologi a disputationis arce abfuerint, quibus ne ad vestibulum quidem ejus rei aditus patuerit.*

GASP. Egregie atque insigniter more suo mentitur Montanus, dum ait, non potuisse ullo modo Germanos obtinere a concilio, ut in disputationem theologi sui admitterentur. Testes adsunt mendacii hujus non pauci Tridenti, in Germania vero plurimi, ut audio. Superioribus annis cum hi conventus ecclesiæ primum celebrari cœpissent; ne prorsus causam hæretici deseruisse viderentur, principes suos sollicitaverunt, ut legatos concilio destinarent, non qui actis ejus interessent, neque qui causam tractarent, sed potius qui ante latam sententiam a concilio appellarent: quod parum legitime, ut theologis Germanis videbatur, concilium coisset, & de patrum fide atque animo in pseudoevangelicos conquererentur. Id cum rescirent patres, a suo cœtu conspectuque arcendos illos esse decreverunt. Quod si disputandi gratia Tridentum accessissent (quod mentitur Montanus) aditum illis fecissent amplissimum. Quid ergo mirum est, non fuisse in arcem disputationis admissos, qui ne vestibulum quidem intrare voluerunt? sed ea veluti tergiversatione parum cordatis satisfacere student.

Illud non possum silentio prætermittere, ineptissime irrideri a Montano vocem istam, congregatio, qua inquit significari tumultuarium cœtum. O peritum grammaticum, sed indignum hominem congregatione! An ignoras mitia & mansueta congregari tantum? Quoniam illa solum, ut Aristoteles scribit in historia, gregatim ambulant. Inde fit ut gregalia dicantur. At cum hac parte homines longe lateque cetera animalia exuperemus: aptissime dicimur congregari, præsertim cum rem quampiam tractamus quæ prosit in commune. Nisi Ciceronem Latini sermonis principem consulere velis, percurre scripta Latinorum, haud dubie teipsum reprehendes.

MON-

MONT. *Sed pone nos meliore loco fore : quod tamen neutiquam credibile eſt : in quas vero diſputationis conditiones ibimus, aut ire poſſumus, ſalvis iſtis legibus, quas adverſarii præſcribunt ?*

GASP. Nos illas minime præſcribimus, ſed Chriſtus, ſed eccleſia, ſed ratio, & a primis eccleſiæ temporibus ducta conſuetudo : denique conſenſus magnorum virorum, qui in hac republica Chriſtiana olim floruerunt, atque illam gubernarunt.

MONT. *Aut quid certi nobis eſſe poſſit, unica certitudinis regula è medio ſublata ?*

GASP. Scripturam ſacram intelligit, quam unam more ceterorum hæreticorum, ſine traditionibus, ſine conſenſu, ſine conciliis, ſine patrum teſtimoniis, regulam eſſe vult, ſuo modo explicatam, dogmatum omnium. Recte autem inquit, ſibi, hoc eſt, hæreticis, nihil certi eſſe poſſe, niſi hoc illis demus. Nam omnes ſuas hæreſes ex ſcriptura perperam intellecta ſumunt, ſacris literis explicatis pro libidine animi ſui corroborant atque defendunt, ignorantiſſimi cum ſint ſacræ ſcripturæ.

MONT. *Sed ut omnia in proclivi ſint poſita, ut divina & humana jura nobis ſuffragentur, quos arbitros, quosve judices habituri ſumus ?*

GASP. Viros bonos, viros doctos, viros veritatis ſtudioſos, viros a Deo conſtituros, ut res dubias ad fidem & mores pertinentes decernant : viros denique qui multo ardentius quam vos, ſalutem veſtram exoptant, & magna diligentia procurant.

MONT. *Illos ſcilicet ipſos, quos inexpiabiles & implacabiles hoſtes jam pridem experimur.*

GASP. Modo vos veritati acquieſcere velitis, nullos reperietis, ne parentes quidem, aut fratres veſtros, qui facilius placentur, & vobis omnibus modis bene faciant. Interim tamen dum in veſtra perfidia, tanquam in luto, hærere vultis : nullos unquam reperietis hoſtes atrociores.

MONT. *Quique in perniciem noſtram conceptis quoque verbis diſerte conjuraverunt.*

GASP. Jam ſe hæreticum agnoſcit Montanus, & fatetur, cum ait, præſules congregatos Tridenti conjuraſſe adverſum ſe, ac ſuos. Etenim patres in hæreticos duntaxat diſerte conſpiraverunt, quod ex formula juramenti, cujus paulo ſuperius mentio illata eſt, non obſcure probatur. Sic enim habet : hæreticos, ſchiſmaticos, pro poſſe perſequar atq; impugnabo. Quod ſi Montanus ait, epiſcopos in ſe atque ſuos diſerte conjuraſſe : procul dubio ſe hæreticum appellat aut ſchiſmaticum.

MONT. *Quid tu vero moderati, quid æqui ab hujuſmodi judicibus expectabis ? Quid ſi pontificii, qua ſunt audacia, acta concilii in codicillos, ut ſolent, referant ? quid ſi fingant cauſam legitime diſcuſſam ?*

GASP. Non dubium eſt quin legitime & accuratiſſime diſcutienda ſit. Sed ſi vobis ſuſpicio eſt, aliter eſſe agendam, contendite Tridentum, & adeſte veſtræ cauſæ.

MONT. *Poſtque diligentem cognitionem, nos ter maximos hæreticos declaratos, dignos in quos omni ſupplicium genere ſemel animadvertatur.*

GASP. Recte divinas, Montane. Concilium ubi peractum fuerit, procul dubio ter maximi hæritici habebimini. Certum eſt enim, has ipſas hæreſes veſtras bona ex parte eſſe damnatas a ſanctis patribus in antiquioribus ſynodis. Jure vero humano atque divino hæretici omni ſupplicii genere digni declarantur : immo etiam aura quam carpunt, & vita quam vivunt. Protuliſti tu quidem in te atque tuos juſte ſententiam, tum ſuperioribus verbis, tum his quæ conſequuntur.

MONT. *Hoc crimen nos tam probe deinceps nunquam diluemus, quin ſemper aliquam ſuſpicionis nebulam in ſimpliciorum mentibus ſimus relicturi. Inſtabit fortaſſis noſtrorum aliquis, ſicque exiſtimabit, ceteris omnibus negatis, proponendæ ſaltem doctrinæ noſtræ facultatem relinqui.*

GASP. O, ſi hunc, quicumque is ſit, audires, Montane : non dubium eſt, quin vel te erraſſe cognoſceres, dum doctrinæ non ſatis fidis tuæ ; vel fationem quæreres atque inires excutiendi, verane ſit & Chriſtianæ religioni conformis, an potius novitia, atque ex inſano cerebro Martini orta. Sed id non fit ſine cœleſti patrocinio : quod niſi imploraveris ſollicitus, ardentibuſque deſideriis, nunquam conſequeris, crede mihi.

MONT. *Hanc autem propoſitionem proteſtationis, ut appellant, aut etiam confeſſionis formam continere.*

GASP. Non hoc eſt quod vos facere oportet : ſed potius in concilium deſcendite, ſtudio atque animo conferendi cum patribus dogmata veſtra : & ut conjectis rationibus in utramque partem, intelligere poſſitis, verane illa, an falſa ſint ; conjuncta cum Chriſtiana doctrina, an potius ab ea penitus diſcrepantia. Hoc illud eſt, quod intereſt feciſſe ; confiteri vero fidem veſtram, proteſtari præterea eidem vos adhærere velle, & nunquam eſſe mutaturos ſententiam neque concilii definitionibus fidem habituros, nihil omnino commodi poſſit adferre. Quod tu Montane ſignificas his verbis, quibus adverſario pergis ſatisfacere.

MONT. *Ego vero non video, quid tantopere referat, eandem rem toties conteſtando ingeminare apud eos homines præſertim, qui noſtris, quod eadem profitendo, quid ſua eſſet ſententia frequenter declararint, proteſtantium nomen ex re indidere.*

GASP. Extorquet, ut vides, ſæpenumero conſcientia veritatem etiam ab invitis.

MONT. *Adde quod ſanctos Chriſti martyres apud iniquos judices cauſas ſuas egiſſe quidem legimus : ad eos vero detuliſſe eas ultro, nuſquam legimus.*

GASP. Longe diſpar eſt profecto cauſe veſtræ ratio, atque martyrum Chriſti : quemadmodum & vos licet tormenta ſubeatis pro doctrina veſtra, aut potius pro inani gloria, cujus eſtis admodum ſtudioſi, crucem & mortem : longiſſime ab illis eſtis diverſi. Illi etenim quoties in doctrinam, quam amplectebantur, inquirebantur : non modo vocati principes adibant fidei ac doctrinæ rationem reddituri, ſed multoties nullis periculis perterriti aut abſtracti a propoſito, ſponte ſua ſe offerebant : quod ex hiſtoriis eccleſiæ didicimus. At vos neque vocati, neque rogati, neque ſollicitati pollicitationibus, aut propoſitis præmiis, quod non ſemel a Carolo quinto potentiſſimo & ſanctiſſimo imperatore, doctrinæque veſtræ acerrimo hoſte tentatum eſt, nunquam adduci potuiſtis, ut ad concilium generale fidem veſtram, cauſamque religionis adduceretis, & de eadem tractaretis cum patribus.

MONT. *Dominus etiam ſuos ab illis hominibus cavere jubet, qui eos in concilia ſunt tradituri, & in conciliabulis ſuis flagris cæſuri. Non ergo dicit, vos ultro in eorum conciliabula ſponte ingerite, eoſque vobis, cauſaque veſtræ judices accerſite, quos & vobis, & cauſæ veſtræ injurios fore ſcitis.*

GASP. Audite peritum theologum, aut ſanctarum potius ſcripturarum ſtrenuum corruptorem, qui conventus omnes pares eſſe putat : & quod de cœtu hæreticorum, de Judæorum atque gentium perfidarum conventiculis Chriſtus prædicit apoſtolis, & cæteris ſanctis hominibus, hoc Montanus ad concilia eccleſiæ legitime inita, in quibus

controversiæ fidei atque morum definiuntur, dictum interpretatur.

MONT. *Paulus apostolus, priusquam causam suam Judæis, quos hostes comperisset, committere vellet, ad Cæsaris tribunal provocandum duxit, &c.*

GASP. Exemplo uteris parum ad rem accommodato. Etenim Paulus certo noverat a Judæis paratas sibi insidias esse: qui, ut ait scriptura, in eam rem conjuraverant, ut Paulum apostolum e medio tollerent, cum primum in conspectum prodiret, acturus causam suam apud judicem. Vos autem nullas ex nobis insidias jure timere possitis: vestram salutem procuramus: qui tametsi vellemus maxime, minime possemus vobis inferre vim. Deinde Paulus a Christo mandatum acceperat, ut Romam adiret prædicaturus evangelium. Ergo cum videret hac ratione, appellando inquam ad Cæsarem, profectionem suam instrui facile ac sine periculo posse, oblatam occasionem minime prætermittendam esse duxit. Cur ego tam impudenter causam vestram Paulino exemplo defenditis atque ornatis?

MONT. *Hoc exemplum sequuti Athanasius, Cyrillus, Nazianzenus, hæreticorum conventicula studiose declinarunt.*

GASP. Recte tu quidem declinasse inquis sanctos istos viros conventicula hæreticorum. Atqui in illis conventiculis, quæ illi tantopere diffugiebant, hæc eadem fere doctrina vestra docebatur, quod ex eorum libris adversus hæreticos editis facile constat. Tua ergo doctrina hæretica est: & nos abs te ob eamdem causam declinare debemus, sanctorum hominum exemplo. Quod si hac parte imitandum tibi prononis exemplum sanctorum hominum: cur non etiam in cæteris rebus? in vita videlicet atque doctrina, mentem tuam moresque ad ipsorum normam studiose componis? Cum autem sancti homines quos nominas, conciliabulis hæreticorum interesse noluerint, solum quod apud eos examinandi doctrinam fidei integre & sine tumultu locus relictus non esset: cur, cum in concilio facultas vobis suppetat reddendi doctrinæ vestræ rationem, & dogmata conferendi, tam vehementer concilium Tridentinum formidatis atque refugitis?

MONT. *Post tot ergo tantasque difficultates, non video quid nobis Tridenti peragendum restet, præter hoc unum, ut scilicet hostibus nostris id deferamus ultro, quod ut semel extorqueremus, hoc grave & diuturnum bellum cum ipsis sustinemus.*

GASP. Aperuit hoc etiam loco nobis causam Montanus, cur hæretici non descendant Tridentum: illam, inquam, ne obedientia sua testari videantur, concilium authoritatem habere definiendi res dubias. Hoc enim si semel fecerint, fateantur necesse est victos esse se; & causam defendere maxime iniquam: neque suffugium ullum illis relinquetur, adversus decreta conciliorum, ad quod, cum omni alio præsidio destituuntur, confugere solent.

MONT. *Quod si jus convocandi synodos, ad pontifices, neque divino, neque humano jure pertinet.*

GASP. Eam esse causam quam diximus ostendit Montanus: sed accipit prius duo absurdissima, & ab omni prorsus ratione aliena. Unum est, quod neque divino jure, neque humano, pertinet ad pontifices convocare synodos: alterum est, quod tametsi hactenus summis pontificibus ea facultas adfuerit, Pius quartus ea uti non potest. Utrumque vero usque adeo aperte pugnat cum veritate, ut difficile non sit illud monstrare. Ut autem a priori parte sententiæ disputationem inchoemus, ego sic statuo, Montane, adversum te: Jure divino, atque humano, ad pontificem maximum pertinet concilium indicere: neque ad ullum alium. Posterior pars sic concluditur. Quod nunquam contigit fieri, Aristotele autore, impossibile est fieri. Atqui nunquam contigit hactenus, ut concilium alius quispiam præter pontificem convocaret: aut ostendant adversarii, quis alius, & quo tempore, quamve synodum, quæ habeat modo, aut olim habuerit aliquem in ecclesia locum: ergo a nullo alio potest, quam a pontifice convocari. Accedit ad hoc, quod concilium generale ab eo debet indici, qui in universam ecclesiam Dei habet potestatem, ut plane constat. At nullus alius præditus est ea authoritate præter pontificem: quare a nullo alio, excipio pontificem, indici aut cogi potest. Utraque pars ratiocinationis plana est: posteriorem tamen latius explicabo paulo inferius, quo loco Montanus imperatori hanc facultatem facere videtur. Quod autem jus istud pontifici a natura insit, hoc est, postulante ratione, sic colligo. Naturale videtur cuipiam, quod in eo magna ex parte reperitur, testimonio philosophorum. At pontifex magna ex parte convocavit concilium, nemine aut contradicente, aut repugnante, quod ex gestis ipsorum conciliorum colligitur evidenter: quare natura ei inest convocare synodum. Neque modo hoc est naturæ consentaneum, sed etiam necessarium. Nam quod uno atque eodem modo semper se habet, id quidem necessarium est. At perpetuo, a tempore apostolorum pontifex convocavit synodum: hoc priscæ loquuntur historiæ: hoc concilia docent. Nam & illam synodum quæ præsentibus apostolis acta esse dicitur in actis apostolicis, convocasse videtur Petrus. Ille etenim tanquam princeps & caput sententiam pronunciavit & dixit: Visum est Spiritui sancto ac nobis. Quare procul dubio ad solum pontificem pertinet ea potestas. Ad hæc, cum concilia omnium judicio celebrentur, ut de moribus & doctrina in eis agatur, & constituatur fides, ac disciplina Christiana: jus convocandi synodum penes illum esse debet, cui fides & mores catholicæ ecclesiæ potissimum commissa sunt: ut cum noverit expedire, remedium adhibeat. Atqui pontifici maximo duntaxat ea cura incumbit, cui dictum est a Christo: pasce oves meas: &, oravi pro te, ne unquam deficiat fides tua, sed & tu aliquando conversus, confirma fratres tuos: ergo huic uni facultas a Deo concessa est synodum generalem convocandi. Rursum si Christus adesset modo in ecclesia, viveretque, quemadmodum ante passionem: sine controversia, si res postularet, & synodo opus esset, ipse unus synodum convocaret cogeretque: ergo idem facturus est pontifex Christi vicarius ex munere atque officio sibi injuncto, cum ita noverit expedire. Præterea fæcularia comitia in suo regno solus rex cogere ex officio & habere potest: ergo & pontifex in ecclesia sibi commissa a Christo, cum sit in eadem, quæ regni speciem gerit, instar regis. Verum est igitur quod persuadere volebamus, proprium esse pontificis Romani concilium convocare: præsertim cum in concilio œcumenico, quod universalem ecclesiam repræsentat, Christi vicarius capitis vicem gerat: præsules vero, cæteris corporis membris sint persimiles. Atqui caput reliquis membris imperat, vocatque illa, ducitque quocumque vult, aut potius quo spectat corporis utilitas, minime repugnantibus reliquis membris. Pari igitur ratione pontifex Romanus præsules universos convocandi jus habet pro salute atque incolumitate mystici corporis, id est, ecclesiæ. Postremo Christus in ecclesia sua jus & facultatem reliquit cogendi synodum. Illa etenim, quod monstravi

ſtravi ſuperius, unicum remedium eſt dubitationibus explicandis, quæ in Chriſtiana republica exoriri ſolent, ſive illæ de moribus ſint, ſive etiam de fide. Penes aliquem ergo hujuſmodi facultatem eſſe voluit. At non penes principes ſæculares, quorum omnis cura atque ſtudium externæ paci, & reipublicæ tranquillitati impenditur ex officio: eſt igitur penes aliquem principem eccleſiæ. At non penes peculiarem quempiam: nam cum privato præſuli parere cæteri omnes non teneantur, neque privatus ullus vocare ad concilium poſſit cogereque, & ſi venire neglexerint, caſtigare, quod eſt ſane neceſſarium. Inſuper cum non potius uni quam alteri ea facultas jure inſit, ſingulis erit conceſſa. Quod ſi verum ſit, potius erit in deſtructionem eccleſiæ, quam in ædificationem. Volent enim fortaſſe aliquando plures tempore eodem eadem facultate uti locis diverſis. Exiſtit igitur reſidetque apud pontificem maximum, cui plane inſunt ea omnia, quæ neceſſaria eſſe diximus ad convocandum, cogendum, celebrandum, confirmandumque concilium œcumenicum. Neque ex ea re ullum incommodum, aut quidpiamquod abſurdum ſit, conſequi poteſt. Sed quorſum immoror in ea ſententia defendenda & confirmanda, quam neque Montanus ullis inductis rationibus probabilem tentat efficere?

MONT. *Neque ſi aliquando ad eos pertinuiſſet, nunc in propria cauſa illis, qui in judicium vocantur, permittendum eſſet, ut ſimul judicum perſonam, & partium ſuſtinerent: Nos certe, qui non ad concilium, ſed ad Romanæ curiæ facem vocamur, nunquam committemus, ut poteſtatem, quam divina & humana jura illis derogant, obedientiæ noſtræ in manus conſignaſſe dicamur.*

GASP. Hoc illud eſt alterum, quod paulo ſuperius peſſime aſſerere Montanum dicebamus: quod tametſi olim Romani pontifices jus convocandi ſynodum habuerunt, nunc uti eo integrum illis non eſt, quoniam in judicium ab hæretici vocantur & aguntur rei. At ſi hæc tua ſententia, Montane, aliquo modo cum ratione & veritate conjuncta eſſet, nuſquam priſcis exactiſque temporibus a ſanctiſſimis pontificibus adverſum hæreticos concilia convocari aut haberi potuiſſent. Quis eſt enim tam ignarus rerum, tam rudis vitæ, atque expers conſuetudinis hæreticorum, qui neſciat eoſdem, primum omnium pontificem reprehendere, deinde eccleſiæ præſules reos magnorum criminum agere, ut vel ea via & ratione ſuſpectos eos reddant, quibus ex officio incumbit, & præſtito juramento, hæreticos & ſchiſmaticos impugnare, perſequi, atque etiam, ſi res poſtulet, graviſſimis ſuppliciis adjicere? Cyprianus ad Rogatianum & Papinianum ſcribens ſic inquit: Hoc omnes ferme hæretici moliti ſunt, nempe eccleſiæ caput perturbare. Cur autem id faciant rationem reddit: ut ſic debilitato, inquit, capite, errores ſuos & vitia impune poſſint mentibus hominum inculcare. Quis ignorat hæreſim Donatiſtarum, qui in pontificem atque epiſcopos acerrime ſunt debacchati, ac in concilio a pontifice convocato damnati ſunt, & recte atque legitime omnium judicio? Wicleff, Huſſus, & Pragenſis præceptores veſtri, tametſi de pontificis authoritate, de epiſcoporum ac ſacerdotum dignitate, multa docuiſſent hæretica, atque eoſdem graviſſime accuſarent, vocarent in jus, & magnorum criminum reos agerent: conſenſu bonorum virorum in Conſtantienſi concilio legitime condemnati ſunt, ac flammis ultricibus caſtigati. Quæ omnia cum ſint quam veriſſima, quorſum tu cupis aliam inſtitui, atque uſurpari formam convocandi ſynodum, quam quæ perpetuis temporibus ſervata eſt?

MONT. *Quod ſi ſubditorum obedientia, cum poteſtate & jure ſuperioris terminatur, iidem vero qui nos, monarchas quoque & reges evocant: præſentia certe noſtra pontificem quoque, quantum in nobis eſt, contra Chriſtianos principes armaremus: reliquos præterea Chriſtianos, qui ſibi ab hoc congreſſu graves ob cauſas temperarunt, præjudicio hoc noſtro longe iniquiſſimo multum gravaremus, nobis præterea infeſtos, pontificis vero magis inviſos redderemus.*

GASP. Infeſtos cupit facere nobis Montanus ſimul cum cæteris hæreticis principes illos, qui eis favent; & alienare quam longiſſime poſſit ab eccleſia Romana, a pace, ab unitate, quemadmodum teſtatur in præſentia. Nulla autem alia re id ſe aptius atque commodius effecturum exiſtimat, quam ſi illis perſuadeat, ne concilio Tridentino interſint neque examina quæſtionum de fide, quam hæretici his temporibus in dubium revocant, auſcultare velint. Quod unum illuſtriſſimi principes Germaniæ, atque olim acerrimi defenſores fidei, eccleſiæ, atque pontificis, apertum indicium, & non obſcurum argumentum putare deberent artis atque doli, quibus eos ludificant evangelii novatores. Sic enim facile intelligerent, fucum ſibi fieri ab eiſdem: atque adeo multo diligentius ſibi caverent, in re tam ſeria, quam eſt ſtudium & cura æternæ ſalutis. Obſecro igitur vos, principes Germaniæ, per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, ut tantiſper ſepoſitis iſtis peſſimis conſultoribus, implorato divino patrocinio perpendatis quo ſpectent hæreticorum perditi conatus. Populos præterea, quicumque illi ſint, qui in varias ſententias minimo negotio abduci conſueverunt, rogo atque obteſtor, ut tantiſper expergiſcantur: neque a falſis doctoribus, contra conſuetudinem probatam longiſſimi temporis decurſu, in opiniones inſolentes, quæ aures tantum demulcent, & a veritate hominum avertunt, rapi ſe ſine judicio ſinant.

MONT. *Hoc ipſum Germanos principes neutiquam fugit, qui in conventu Neoburgenſi putida pontificis poſtulata ſatis animoſe repulerunt. Mirari ſe dicere, quæ illius eſſet impudentia, qui illis quoque præſcribere non verecundaretur, a quibus proculcatæ religionis accuſaretur ipſe, quique in poſſeſſionem eccleſiaſticam, injuſtam, violentamque feciſſet impreſſionem: aliis porro illudere pergeret, quibus Romanæ fraudes, & techna nondum eſſent cognitæ aut perſpectæ: ſe quidem, quibus & nunc ſatis abunde paterent, operam daturos, ut non tam cognoviſſe, quam præcaviſſe viderentur.*

GASP. Arbitror mentiri te, Montane. Neque enim tam alienos ab humanitate eſſe puto principes Germaniæ natura ſua mites & benignos, ut pontifici de ipſorum ſalute cogitanti tam aſpere atque inſolenter reſponderint.

MONTANUS. *Neque hoc prætereundum venit, mithratorum turbam, ſi quidem nos in conſenſum ſuum admitteret, patrum, & quidem ſanctiſſimorum, vel ſaltem Romanorum appellatione dignandam fore. Non enim conſentaneum eſt, ſine tituli & honoris præfatione, quemquam nd dicendum accedere, apud illos præſertim quorum ſuperbiæ & ambitioni nihil ſatis eſt.*

GASPAR. Illud ferre non poteſt Montanus: atque ob eam rem, quod ipſe ait, conſpectum epiſcoporum refugit, quod nolint adiri ſe, neque nominari ſine honoris præfatione: & civilitatem morum damnat, qua nihil eſt in homine commendabilius: neque videt, officio & perſonæ quam gerunt epiſcopi ſummum honorem deberi, & a ſanctiſſimis hominibus, priſcis temporibus perpetuo illam eſſe ſervatam conſuetudinem, ut pon-

tific em maximum cæteroſque præſules, modo ſanctiſſimos, modo beatiſſimos, modo admodum reverendos appellarint. Evolve Auguſtini epiſtolas, Cypriani, Hieronymi, Baſilii, Gregorii, Athanaſii, ac cæterorum excellentiſſimorum hominum: facile agnoſces, vera narrare me. Sed ſuperbia inflatus hæreticus cæteros omnes præ ſe nihil putat. Veram enim humilitatem, quæ fundamentum reliquarum virtutum eſt, primam omnium conculcant hæretici, atque de medio tollunt. Quanquam ego ſane cuperem intelligere ex te, quem honorem veſtris miniſtris, aut potius Satanæ tribuatis, cum de illis mentionem infertis. Quod ſi horum ſimilibus titulis dignos eos putatis: quamobrem præſulibus Chriſtianis ſuas appellationes, & honoris præfationem invidebis?

MONT. *Quo vero vultu, qua conſcientia eos reverenter appellabimus, in quos quicquid honoris & reverentiæ confertur, id omne Chriſto, ejuſque eccleſiæ detrahitur?*

GASP. Lubet tantum exclamare. O impudentiſſimum hominem, qui ſic lacerare honorem ſtudet principum eccleſiæ Dei! nam neque conviciis convitia paria, neque maledictis maledicta regerere in te volumus. Jubemur non vincere in malo, ſed vincere in bono malum.

MONT. *Evici adhuc, ut arbitror, profectioni noſtræ idoneas cauſas ſuffragari nullas: quam plurimas vero, eaſdemque graviſſimas adverſari penitus: ideoque hoc concilium ſine ſcelere a noſtris frequentari nullo modo poſſe.*

GASP. Quantam vim habeant rationes quas in medium contuliſti ad convincendam ſententiam ſeſqui hæreticam, judicabunt candidi lectores, quos ego appello. Etenim ſi ſtomachum orationi adimas, nihil reliquum erit præter ventrem, & hunc ſordidum admodum, atque putidiſſimis excrementis refertiſſimum.

MONT. *Neque vero ſi Romana concilia damnamus & ſubterfugimus, omnes ideo Chriſtianos conventus ſugillamus aut averſamur.*

GASP. Audite quod concilium probet Montanus, nam omnino ſine ſynodis eccleſiam gubernari poſſe negat: & merito quidem, cum neque ſine conventibus ſuis civitates, oppidave ulla, aut pagi conſtare queant. Quale concilium fingat, accipite.

MONT. *Quinimmo libere & ingenue fatemur: ſi, qui doctrina, pietate, & judicio cæteris præſtant, ad legitimum concilium idonee vocarentur, eos hanc provinciam citra graviſſimam Dei indignationem omniumque adeo ordinum juſtam offenſam, a ſe repudiare nullo modo poſſe.*

GASP. Pugnantia te loqui non vides? Inquis oportere, ut concilium legitime congregetur: & ad illud tantum eos vocandos eſſe ais, qui pietate, doctrina, & judicio cæteris præſtent, ſive epiſcopi ſint, ſive non. Immo vero vis eidem non intereſſe epiſcopos: neque vides celebrari minime poſſe legitimum concilium, niſi juxta leges coeat, id eſt, niſi præſules omnes vocentur, qui ex officio id habent, ut concilio interſint, & res dubias definiant, ſive docti ſint, ſive rudes, ſive pietate inſignes, ſive etiam culpatæ vitæ. Ad eam enim rem non tam agit doctrina, non tam pietas, quamquam hæc ſi adſint, plurimi facienda ſunt, quam officium. Tu vero epiſcopos excludis, atque ex cæteris deligis præſtantiores doctrina, pietate, judicio. At vero, quæſo te, quis de pietate judicabit, & dignos admittet, repellet indignos! difficile hoc quidem eſt, cum ſæpe numero ſpecie recti decipiamur: neque hujus rei judicium quiſpiam facere audebit, niſi is hæreticus ſit, qui omnia judicat, omnia cenſet, omnia denique ſibi arrogat.

MONT. *Ut vero conciliorum finis ſibi recte conſtet, res quoque ad finem deſtinatas non minus recte comparatas oportet. Quod ſi ergo principes Chriſtiani, ad quos hæc cura præcipue ſpectat, ad ſeriam eccleſiæ reformationem animos adjecerint, operas ſuas ſimul conjungent.*

GASP. Rationem præſcribere cœpit convocandi concilium legitimum atque Chriſtianum, prorſus contrariam legitimo Chriſtiano. Primum enim ex quovis genere hominum aſſumendos eſſe ait, qui judicio, & doctrina, pietateque præſtent cæteris: & excludit epiſcopos, primates, archiepiſcopos, patriarchas, abbates, generales miniſtros ordinum, ad quos omnes vel ipſo jure, vel antiqua conſuetudine pertinet, partem eſſe œcumenici & generalis concilii. Deinde, privatos homines admittit in concilium, & judices illos rerum controverſarum facit, definitoreſque, contra jus omne & vetuſtam eccleſiæ conſuetudinem. Tertio, pontificem, qui quoniam princeps eccleſiæ eſt, vicarius Chriſti, atque inſtar regis, comitia cogere ex officio debet, ut perditis rebus conſulat, & morbis medeatur, qui eccleſiam infeſtant, eximit a concilio, & ſynodum facit acephalam, hoc eſt, ſine capite, ſine principe, ſine ſupremo moderatore: quo nihil poteſt fingi monſtruoſius. Poſtremo regii muneris eſſe inquit ſynodum iſtam generalem indicere, convocare atque agere: quod eſt inſaniæ genus ſupremum, & ratio quædam compendioſa nimis ad excitandos in eccleſia tumultus, ad irritandos reges, & ad armandos contra ſeipſos; denique ne ullo umquam modo tale concilium celebretur, quale neceſſarium eſt, ut conatibus perditis hæreticorum obviam procedatur. Nam cum Montanus dicat, præcipue ſpectare ad Chriſtianos reges curam convocandi ſynodum: rogo eumdem, utrum hæc cura uni alicui incumbat ex officio, an potius ſingulis ex æquo, ac ſine diſcrimine ullo. Si uni cuipiam, doceat quis hic unus ſit, & unde hanc facultatem ceperit, quæ non ſit ulli cæterorum tributa. Quod ſi monſtrare velit: cui dubium eſſe poſſit eam injuriam cæteros reges graviſſime laturos eſſe, & repulſuros armis, ſi poſſint? Nam de imperio acerbæ incidunt contentiones, & bella admodum atrocia: cujus gratia jus eſſe violandum, ſi unquam violandum eſt, Cæſar dicebat. Si vero omnibus ex æquo hæc cura mandata ſit: quando omnes teneri poterunt tam concordibus animis, ut idem probent, idem velint, idem ſequantur, idem omnibus gratum ſit? maxime cum ſciamus, in deliberationem poſſe venire multa in conciliis, quæ minime regibus omnibus grata ſint. Accedit ad hoc, quod qui habet jus concilium convocandi, habeat etiam oportet imperandi, cogendi & caſtigandi facultatem eos qui venire renuunt, aut parere recuſant decretis ſynodi. Quis eſt autem omnium regum Chriſtianorum, cui cæteri omnes jure ſuo parere, & cujus juſſa capeſſere habeant? Quod cum plane verum ſit, procul dubio qui ſpectat, ut ab ullo regum Chriſtianorum concilium indicatur, cane pejus & angue concilium odit: inſuper etiam ignaviæ & ſocordiæ tacite accuſat Chriſtianos reges, quod hactenus jus ſynodum convocandi, ſi tua ſententia vera eſt, uſurpari ab alio paſſi fuerint: quod impudentiſſime facis. Scio dicturum eſſe quempiam ex veſtris (nam id ſignificavit ſuperioribus diebus apoſtata, & religionis ac fidei deſertor Vergerius) hanc facultatem apud imperatorem

rem residere, illi uni curam incumbere cogendi comitia ecclesiæ, tanquam monarchæ. Sed qui ita putat, non videt invisum esse admodum monarchiæ nomen, atque ejus suspicione etiam a Germanis Carolum Quintum, dignissimum hac suprema dignitate principem, gravibus & periculosis bellis vexatum esse. Stude ut eo titulo Ferdinando Christianissimo Gallia pareat, Hispania, & cætera regna: nihil sane profeceris. Quod si imperator Ferdinandus, si Philippus Hispaniæ catholicus rex, si Carolus rex Galliæ Christianissimus, si Poloniæ Sigismundus, si Sebastianus Lusitaniæ longa vita dignissimus, si denique cæteri omnes Christiani reges principesve, indictionem concilii factam a Pio IV. summopere probant, amplectuntur, laudantque, missis Tridentum oratoribus suis: existimare par est, non ab alio, neque alia ratione, quam servata modo, quæ est etiam perpetuo retenta, concilia œcumenica esse cogenda. Nam ut illud interim dicam, dum hæretici seditiosi & alendis factionibus nati, ad reges referunt jus & facultatem synodum generalem indicendi & convocandi, eosdem supremos etiam ecclesiæ principes faciunt, & cum reges dicant, neminem tamen exprimunt, blandiri omnibus volunt; ac dum suprema authoritate ecclesiastica pontificem Romanum spoliant, & suo loco dejiciunt atque deturbant, singulos reges in suis regnis non reges solum, sed pontifices esse volunt: quod Henrico Angliæ regi vestri ordinis homines, id est hæretici, persuaserunt. Hac enim esca dulci, ut apparet, in suam nassam principes atque reges hæretici pertrahunt, atque eosdem sibi devinctos servant. Sed cavete, principes, per Deum immortalem vos oro, ne sirenum dulcibus cantibus capiamini. Eveniet enim, mihi credite, nisi vos temperetis, & dignitate vestra contenti sitis, ut dum utramque authoritatem captatis, amittatis utramque, quod non semel accidisse compertius est, quam ut productis exemplis aut testimoniis probari debeat. Pergit Montanus.

MONT. *Ita ut quod audis, concilium revera sit catholicum: immo vero eo pacto, quod monstrasse me in superioribus arbitror, nunquam concilium coire poterit, sed dissidium inde nascetur infinitum, & bella implacabilia.*

Quod si, ut nunc sunt tempora, piis eorum conatibus eventus non respondebit: proximum erit ut suis & regnis & ditionibus eam curam impendant, quam erga universos simul susceperant.

GASP. Ecce quomodo pestilens Montanus ad defectionem principes atque reges sollicitat, & hortatur: dum nulla pontificis habita ratione monet, ut singuli per se suis regnis provideant conciliis nationalibus. Sed nihil sane agit. Nam reges omnes atque principes Christiani Tridentinum concilium probaverunt: atque ut filii obsequentissimi ecclesiæ Romanæ, ejus decreta suscipient: & ut a suis populis observentur, dabunt operam diligenter, quæ sancta synodus adversus hæreticos in vulgus emiserit: neque nationalibus conciliis se patientur implicari. Siquando vero provincialibus sit opus, strenuam navabunt operam, ut cogantur in provinciis suis, & gerantur tranquille & pacifice juxta leges præscriptas a summis pontificibus, aut etiam ab œcumenicis conciliis.

MONT. *Nationalibus ergo, aut etiam provincialibus conventibus operam dabunt, quos tamen non ita in arctum restringent, quin & cæteris quoque hominibus eos patere velint, modo ex hujusmodi sint, quorum præsentia cœtus & ornari & juvari possint.*

GASP. Mirabile id sane est: nihil hæretici intactum relinquunt, nihil non vocant in dubium, nihil non calumniantur, nihil tam firmum, tam ratum, tam sanctum est, quod non illi mutari velint. Formam conciliorum generalium indicendorum & celebrandorum explosit paulo superius Montanus, & novam quamdam docere, atque inducere in ecclesiam voluit: nunc quoque leges concilii provincialis cavillatur, & formam illud cogendi mutari vult, dum principibus cogendi copiam facit: atque eos homines admittit in concilium, qui jure ab eodem repelluntur. Neque sine dolo atque arte: vident enim hæretici quod nos legumlatores admonuerunt, ad evertendas civitates, ad labefactandas respublicas, denique ad turbulentissimas seditiones concitandas, quibus rebus maxime hæretici student, nihil esse potentius, quam si leges, jura, aut ordo civitatis, quibus respublicæ continentur, aliqua ratione immutentur. Sensim enim cætera concidunt, dum paulatim, ut ait Philosophus, homines acquiescunt legibus non obedire. Ea igitur cura, id studium tenere reges atque principes debent, ne illam legum, ordinis, conventuum, in suis regnis fieri a quopiam mutationem patiantur, ipsis præsertim inconsultis. Qui vero quippiam simile efficere tentaverit, multo severius castigabunt, si stare suos principatus dominiaque desiderant, quam si insidias regno pararet, aut regiam majestatem læderet. Nisi principiis statim obstiterint, magno incommodo rerum suarum, salutis, atque vitæ, brevi intelligent eundum esse obviam diligentissime his legum, veterumque institutorum & magistratuum censoribus.

MONT. *Curabunt præterea, ut locus ipse ab omni terrore & metu liber sit & alienus.*

GASP. Hic murus aheneus est (inquit Poeta) nil conscire sibi, & nulla pallescere culpa. Conscientia terrori est, purga illam, Montane, & tranquillam reddes: neque timebis unquam, tametsi cœlum ruat. Nihil æque torquet atque mala mens.

MONT. *Accedant idoneæ cautiones.*

GASP. Has hæretico nullus possit dare satis idoneas ipsorum sententia: ubique putat anguem latere, & sub quovis lapide scorpium indormire sibi.

MONT. *Liberæ sint voces, libera denique suffragia.*

GASP. Illud cupit Montanus, ut hæreticis tantumdem liceat, quantum velint, atque hanc unam libertatem illi probant & appellant. Nam & Christianam libertatem, ad quam per evangelium Christi provocamur, vivendi licentiam interpretantur contra evangelium.

MONT. *Sed & itinera tuta, & infidiis hominum minime obnoxia.*

GASP. Singulos hæreticos tametsi integra militum legio tutetur, in mediis periculis versari se credent, insano Oresti non absimiles.

MONT. *Libertas autem hæc omnis, æquitatis terminetur legibus, ita ut nemini plus liceat, quam pietatis regula permittat.*

GASP. Ut te decet, loquendum esset: potius diceres, quam impietatis regula permittat; nam hac potius, quam ulla alia uti consuevistis.

MONT. *Hoc ut rectius fiat, concilium sit Christianum oportet.*

GASP. Christianum esse non potest, ni legitimum sit, & juxta Christi ecclesiæ leges cojerit; erit tamen Lutheranum.

MONT. *Quod ipsum tamen longe lateque patet,*

Chri-

Christianum enim esse nequit, quod actiones suas ad Christi & apostolorum regulam sacris litteris comprehensam non agit, quod Christianis moribus, denique purioris ecclesiæ exemplis, non per omnia congruit. Ut Christianum sit, res controversæ non odiose, sed modeste, prout Christiana caritas dictat, his etiam legibus disceptandæ venient, quæ veritati explanandæ, non involvendæ, præstitutæ videantur.

GASP. Christianum sane concilium est, & antiquissimis synodis conforme, quod more suo ecclesia Romana indicit, cogit, ac celebrat. Quod, inquam, a pontifice Romano convocatur, habetur a præsulibus, aut his qui jure vetere vel consuetudine diutissime servata, interesse synodo debent, & suffragia deferre, de doctrina fidei ac morum ecclesiæ, vel pace inter principes Christianos firmanda. Quodcumque ab hoc discreparit, ecclesia Dei non solet concilium appellare, sed Satanæ synagogam, concilium malignantium, conciliabulumque hominum perditorum.

MONT. *Sed quorsum provehor?*

GASP. Tam te præcipitem egit extra te ipsum amentia, aut rabies maledicendi, ut quo proveharis, nescias. Recipe te, Montane.

MONT. *Docere volui, graves ob causas profectione Tridentina nobis supersedendum esse: quod si perfeci, dicendi munere functus sum. Superest, ut velis collectis navem in portum subducam.*

GASP. At nihil simile perfecisti, neque perficere unquam poteris, etiamsi tibi universa colluvies hæreticorum suppetias ferat. Quid restat, nisi ut ad te redeas, in te descendas, & tecum tantisper habites, cogites unde excideris, quid Christo, & ecclesiæ Romanæ carissimæ ejus sponsæ præstare debeas? Ego non dubito, quin si te ita exercueris, atque id animo feceris veritatem explorandi amplectendique, facile tibi Spiritus sanctus eam mentem sit inspiraturus, qua anteactæ vitæ pertæsus, & contractas sordes abluens pœnitentia, securum portum sumpturus sis, in quo tua cymba, hucusque gravissimis agitata procellis, sine ullo naufragii metu perpetuo conquiescat. Tunc nos gaudio ingenti perfusi, Deo optimo maximo gratias agemus simul cum cœlestibus spiritibus. Quod ut contingat brevi, Deum precor optimum maximum.

IX.

FR. ANTONII PAGANI,

VENETI, MINOR. OBSERVANT.

Ad præstantissimos sacrosancti œcumenici Tridentini concilii patres, dignissimosque Christianæ reipublicæ senatores.

PRO ECCLESIÆ REFORMATIONE

ORATIO.

LIcet, patres amplissimi, ac præstantissimi oribis judices, non parva sit admiratione dignum, quod sancta illa & mystica Sion, terra inclyta Israel, munita Dei civitas, atque prædilecta sponsa Christi ecclesia, quæ jam a suo sponso sanguine illius pretioso fuit redempta, tot muneribus ditata, ejusdemque tum præsentia, tum protectione honorata, decorata miraculi, & Divinis deliciis educata; hodie, proh dolor! in tam miserabili, atque flebili statu appareat, ut eam quasi a Deo rejectam, repudiatamque, ac velut terram desertam, incultam, & inhabitabilem conspiciamus; eum inter tot tam hæreticorum, quam impiorum Christianorum turmas undique conturbetur, oppugnetur, & despiciatur: attamen, si recte mentis oculo intueamur, si præterita præsentibus conferantur, si primitivæ illius ecclesiæ observantiæ, dogmata, mores, atque plurima virtutum exercitia, frequens sacramentorum usus, caritatis fervor, orationum assiduitas, eleemosynarum, jejuniorum. & cæterorum pietatis operum exhibitio ponderentur; & si e converso præsentis ipsius ecclesiæ temporis statum, depravatos hominum mores, vitiorum omnium turpitudinem, sacramentorum despectum, tepiditatem animorum, otium, solam curam terrenorum, & cœlestium bonorum, totiusque Christianæ pietatis oblivionem consideremus: facile quisque ipsius abjectionis, depressionisque causam dijudicabit.

Nam illa sane fidelis Christi sponsa, quæ ad imitationem capitis, & sponsi sui dilectissimi, jam in paupertate ditata fuit, modo in divitiis egena facta est; illa quæ in humilitate exaltata fuit, nunc in mundi honoribus deprimitur; & quæ jam in Christiana simplicitate proficiebat, modo per carnis prudentiam, & inanem tumentemque philosophiam, in curiosis multorum quæstionibus evanescit; atque ipsa quæ perdendo & sustinendo jamdiu vicerat, postmodum vincendo multa perdidit, & quæ denique in adversitatibus firmabatur, in otio periclitari videtur. Ipsa namque catholica & universalis ecclesia per totum orbem jam dilatata, non humana potentia, aut sapientia crevit; sed evangelii prædicatione, Divinæ potentiæ miraculis, virtutum exemplis, sanctorum patientia, periculis, & laboribus, & sanguinis effusione, atque variis tribulationum generibus stabilita, & aucta est. Quales autem primi illi evangelii concionatores fuerint, per quos mundus credidit, & ecclesia per totum orbem diffusa fuit, notum est, quia non divites & potentes in sæculo, sed pauperes; non sapientes, sed idiotæ; neque nobiles, & illustres, sed despecti, & viles piscatores fuere. Unde Apostolus ad Corinthios ait: *Quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles; sed quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes; & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia, & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt, destrueret.* 1. Cor. 1.

Et Damascenus ait: Evangelium cognitionis Dei prædicatum est non bellis & armis exeitum adversariorum devincens; sed pauci, nudi, pauperes, & idiotæ, persecutionem passi, verberati, & mortificati, crucifixum in carne, & mortuum, & resurgentem prædicantes, sapientibus prævaluerunt. Damasc. lib. 3.

Sed si homines duodecim, ait Chrysostomus, orbem terrarum converterunt: quanta sit nostra malitia, excogita, cum tanti existentes, eos qui reguntur, non possumus corrigere, quos decem millibus mundis proficere oportebat. Quod quidem non nisi ex nostra imperfectione evenire manifeste constat. Nam paucos illos quid tamque potentes, tam mirabiles mundo extendit? forte sola miracula, cum nec sapientia, nec potentia mundi eis adesset? Certe etsi signa fecerint, non ea tamen eos tam mirabiles, & magnos fecerunt, quoniam & prophetantes, & miracula facientes, quandoque tam ab hominibus, quam a Deo Chrysost. in Matthæum hom. 16.

Deo damnati, & reprobi facti sunt: sed eos tantum magnificavit tum mundanæ gloriæ despectus, divitiarum, deliciarum, omniumque mundanarum rerum contemptus, atque ab omnibus sæcularis vitæ negotiis & tumultibus sequestratio, perfectaque animi abdicatio: tum vero animarum zelus, fervens caritas, & virtutum omnium disciplina, sine quibus minime profecissent. Sed post quiescentes persecutiones, post mundi conversionem, post populorum concursus, temporalia bona accreverunt, & spiritualia defecerunt. Et quamvis ecclesiastico imperio, cui majora subsunt, etiam minima, hoc est temporales opes, tam digne, quam copiose jam addictæ, & subjectæ fuerint: cum & congruum, & necessarium sit, ut sicut anima corporaliter vivens, temporalibus membris in suis actionibus juvatur; ita etiam temporalium rerum subsidia & ministeria spiritualibus famulentur: quia tamen in amplo ecclesiæ regno complures affluentibus divitiis cor apposuerunt, ideo dum ii auxerunt aurum, minuerunt gentem; dum impleverunt peram, evacuaverunt conscientiam; & dum sola mundana prudentia, & potentia, regnum augere ecclesiæ putabant, hic in angulo Occidentis restrictam eam viderunt.

Et id contigit, quia sola doctrinæ authoritate, & non etiam vitæ exemplo; & solis temporalibus armis, atque materialibus, & non etiam spiritualibus, eam defendere, & conservare studuerunt: non oratione, & lacrymis, quæ arma sunt Christianorum, & ecclesiæ præsidia; non continentia, quæ est cingulum lumborum ejus; non justitia, quæ lorica ejus est; non sanctorum exemplis, quæ calceamenta sua sunt; non etiam fide, quæ est scutum, & spe, quæ est galea, & verbo Dei, quod ejusdem gladius est. Et quamvis gladii verbi Dei armatura sibi semper remanserit, eo tamen quamplurimi ecclesiæ filii sese confodiunt, qui dicunt, & non faciunt. Et inde est, ut quorum vita despicitur, eorum quoque prædicatio contemnatur, & mundus eos conculcat, quia mundanos eos aspicit. Nam quomodo ecclesiæ filii de medio ejus malum auferre poterunt, qui in simile delictum corruunt? & qua fronte, qua virtute, & quo vitii odio, peccantes corrigere poterunt, qui tacite sibi respondent, eadem quæ corripiunt, se commisisse, & ad ea toto animo affectos esse? & quonam pacto oratores esse poterunt castitatis, immunditiæ patratores? atque quomodo avaritiæ odium, & largitatis amorem, in aliorum animos inferre, & efficaci spiritu imprimere, qui in pecuniis toto corde versantur? Oportet enim, ut munda sit manus, quæ aliorum sordes diluere curat, ne tacta quoque deterius inquinet, si sordida remaneat. Nam is sane contra carnis immunditiam efficaciter loquetur, contrariam virtutem suadebit, & victor in aliis remanebit, qui in se prius libidinis ignem depresserit, & zelator fuerit castitatis; is contra venena superbiæ & ambitionis, remedia cæteris facile propinabit, qui humilitatis exercitia in seipso exercuerit, & amaverit; atque is denique contra aurum palmam habebit, qui post aurum non abierit: Propter quod apostoli inopes, & mendici, aureos & auratos hujus sæculi principes converterunt? quia aurum repudiaverunt, suppeditaverunt, dixeruntque cum Petro: *Act. 3.* *Argentum & aurum non est nobis.* Et idem Petrus Simoni mago dicebat: *Act. 8.* *Pecunia tua tecum sit in perditionem.* Atque ita sanctissimi illi patres, eorum paupertate, humilitate, patientia, abstinentia, castitate, puritate, innocentia, misericordia, & veritate, atque insuper justitia, temperantia, fortitudine, prudentia, fide, spe, caritate, ceterisque virtutibus, & exemplis angelicæ conversationis & vitæ, sanctam ecclesiam plantaverunt, propagaverunt, & imperfectam virtutum gloriam provexerunt.

At vero draco ille qui de cœlo cecidit, & tertiam partem stellarum secum detraxit, ipsius ecclesiæ Christi sponsæ ab initio insidians, non solum inferioribus ejus membris, sed nobilioribus magis adversatus est. Cum enim quis inimicum suum aggrediens prosternere, atque interficere cupit, principaliores illius partes, eaque membra, in quibus anima magis residet, & magis potens est, attendit, ut facilius eum superet. Unde Satan ipse contra principes Christianæ reipublicæ, & contra animarum rectores, totius suæ militiæ vires semper vertit; quia ducibus exercitus devictis, milites facile debellari posse autumavit. Propterea que in libris Regum scriptum est, quod cum rex Israel cum Josaphat rege Juda ad pugnandum contra regem Syriæ se contulisset, cumque oppositi exercitus invicem appropinquarent, rex Syriæ principibus & ducibus suis jussit, ut non contra inferiores, sed contra regem Israel, omnes vires intenderent. Rex Syriæ, diabolus est, qui sublimis interpretatur, quia ipse per superbiam in se sublimis, & rex super omnes filios superbiæ evectus fuit. Principes vero & duces sui, sunt ceteræ infernales potestates, & omnes administratorii spiritus, a Lucifero ipso in ministerium missi contra eos qui hæreditatem capiunt salutis; quibus ille jubet, atque eorum omnium maligna hæc intentio est, ut contra caput, & contra sublimiora ecclesiæ membra, hoc est contra prælatos, insidias omnes, & omnem pugnam convertant, ut illis debellatis, subditi quique facilius prosternantur. Unde ait Gregorius: Cum pastor per abrupta vitiorum graditur, necesse est ut in præcipitium grex sequatur. Ita quod totum prælii pondus est in prælatos, quoniam illis devictis consequens expectatur in subditos victoria, qui ad majorum exempla semper aspiciunt, & quæ in superioribus exerceri vident, sibi licere facile putant, ad Christi documentum non attendentes, qui ait: *Quæcunque dicunt, facite; secundum autem opera eorum nolite facere.* *Matth. 23.* Et sic peccatum peccato trahitur, & tam inferiorum quam superiorum criminibus Christiana respublica deterior fit, & sponsæ Christi decor obscuratur.

3. Reg. 22.

Qua de causa non est mirum, si undique perturbationes, undique persecutiones, & hæreses, & mala innumera ecclesiæ naviculam inquietent, & confundant: quoniam vulgata est apud omnes sententia, quod propter peccata eveniant adversa, atque ideo dum peccata nostra in omni statu non cohibentur, irati Dei flagellum nos puniens perseverat, cum jam superabundet iniquitas, & charitas multorum refrigeat. Nam si Christianæ reipublicæ status omnes discutiamus, eos a recti & veri tramite non parum excidisse inveniemus: & non solos prælatos, & religiosos alios; sed temporales ipsos dominos, & cives, & plebeculam ipsam aspiciemus, quod quanto in mundanis negotiis, & temporalibus bonis, & dignitatibus, & honoribus, ingenia quotidie magis acuere, vires extendere, spem & fiduciam omnem in eis ponere, & valde proficere appareant; tanto e converso in Divinis gratiis, in Christianis virtutibus, & devotione, & ceteris spiritualibus bonis, in dies magis semper deficere, & ad deteriora prolabi videantur. Nam ubi umquam tot fuerunt in sæculo tribunalia, & minor justitia? ubi unquam tot se-

na-

natores, & magiſtratus, & minor cura reipublicæ? quando plures fuerunt leges, & ſtatuta, & conſtitutiones, & cauſæ ſecundum juris ordinem minus abſolutæ? & ubi tot judices, & doctores, & advocatorum, & notariorum turmæ. & tumultus, & minus accepta cauſa viduæ & pupilli, & pauperis agricolæ & idiotæ jura minus defenſa? ac denique ubi major pauperum multitudo, & minor divitum pietas? & ubi majores divitiæ, & pauciores fuerunt eleemoſynæ? Neque clericos & monachos ſub ſilentio omnino præteribo, qui de præſcriptis ſibi terminis & regulis, ac canonico jure, ea ad quam tenentur perfectione, & diligentia, parum ſervant: inter quos ſæpenumero ſæcularium rerum cura & ſolicitudo, devotionem, fervorem ſpiritus, humilitatem, virtutum exercitia, & alias Chriſtianæ perfectionis conditiones præpediunt. Unde eſt quod poſt eccleſiæ initia, nullo unquam tempore ſic de ſacris litteris in prædicatione, ſive etiam de evangelicis dictis inter plebejas ipſas perſonas in ea tractatum fuit; & nunquam bonorum operum actio minus ſubſecuta?

Taceo publica adulteria, ſtupra, rapinas: prætereo tantam Chriſtiani ſanguinis effuſionem, indebitas exactiones, vectigalia gratis ſuperaddita, aut quavis ex cauſa jam introducta, abs re tamen perſeverantia, & innumeras hujuſcemodi oppreſſiones: prætermitto etiam ſuperbam veſtium pompam, ſupervacaneos ultra ſtatus decentiam ſumptus, ebrietates, crapulas, atque enormes luxuriæ fœditates, quales a ſæculo non fuere. Quia nunquam fœmineus ſexus laſcivior, & inverecundior; nunquam juventus effrænatior & indiſciplinatior; & nunquam indevotior, & inſipientior ſenectus; atque in ſumma nunquam minor fuit in omnibus Dei timor, honeſtas, virtus, & modeſtia, & nunquam major in omni ſtatu carnis libertas, abuſio, atque exorbitantia.

Nam quæ major in mundo exorbitantia, & abuſio excogitari poteſt, quam paſtor ſine vigilantia, prædicator ſine operibus, judex ſine æquitate, juriſconſultus ſine conſilio, magiſtratus ſine regimine, leges ſine obſervantia, populus ſine obedientia, religioſus ſine devotione, dives ſine verecundia, pauper ſine humilitate, mulier ſine miſericordia, juvenis ſine diſciplina, ſenex ſine prudentia, & Chriſtianus quiſque ſine religione? Propterea David dicebat: *Deus de cælo proſpexit ſuper filios hominum, ut videat ſi eſt intelligens, aut requirens Deum. Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt: non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum.* Et Hieremias ait: *A minore quippe uſque ad majorem omnes avaritiæ ſtudent: & a propheta uſque ad ſacerdotem cuncti faciunt dolum. Et curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominia, dicentes, Pax, pax: & non erat pax: confuſi ſunt, quia abominationem fecerunt, qui potius confuſione non ſunt confuſi, & erubeſcere neſcierunt.* Et Sapiens dicit: *Non eſt enim homo juſtus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.* Et cauſam ſuperius allegat, dicens: *Juſtus perit in juſtitia ſua; & impius multo vivit tempore in malitia ſua.* Ita quod boni opprimuntur, & impii exaltantur; virtutes deſpiciuntur, & vitia pro eis in mundo regnant. Unde Oſeas propheta dicit: *Non eſt enim veritas, & non eſt miſericordia, & non eſt ſcientia Dei in terra: maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundaverunt; & ſanguis ſanguinem tetigit.* Hæc igitur, & ſimilia hominum crimina, quæ fœtorem uſque ad cœlum emittunt, cauſa ſunt, cur a Deo tribulationibus & flagellis corripiamur: atque tanto duriora aggravantur flagella, quanto graviora committuntur ſcelera: ſicut in ſcripturis antiquis de populo Iſrael toties ob ſua crimina oppreſſo narrantibus, hujus rei multa exempla habentur.

Sed quia inter omnes adverſitates, quæ Chriſtiano populo occurrere poſſint, nulla major fore ipſa hæreſi exiſtimatur, per quam homines falſæ doctrinæ veneno inficiuntur, mucrone iniquæ linguæ perimuntur, & domeſtica perſecutione, & familiaribus inſidiis facile decipiuntur, & a Deo ſeparantur: nam ſi bella, peſtilentiæ, fames, & ſimilia civitates deſtruunt, hæreſis eccleſiam Dei proſternit: ſi ea temporalia bona auferunt, & corpora occidunt; hæc gratiis, & virtutibus ſpoliat, & animas ipſas perpetuæ morti tradit: & ſi denique per illa temporale regnum amittitur; per hanc abſque dubio cœlorum regno privatur: ea propter magna fuiſſe requiruntur peccata, quæ tam grave contra Chriſti eccleſiam bellum excitaverint. Qua de re, cum ſæculo iſto miſerrimo tam gravis ſit hujuſmodi perſecutio, tamque urgentia hæreticorum bella undique inſurgentia, & publica & privata, & civilia & domeſtica, appareant, qualia nunquam ab initio naſcentis eccleſiæ uſque modo fuere; cum in præſens non una, vel duæ hæreſes, ut præteritis temporibus eveniebat, ſed omnes ſimul præteritæ, atque aliæ ſuperadditæ eccleſiam oppugnent: quæ eſt tanti infortunii cauſa? Jam enim experta eſt nempe Chriſtianitas ab octingentis ferme annis iram Dei in Sarracenico primum, deinde in Turcico flagello; ac demum in hæretica Lutheri, & aliorum hæreſiarcharum peſte perniciosiſſima, atque præteritorum flagellorum omnium maximo: ita ut gementes vere dicere poſſimus cum Michæa: *Judicium Domini cum populo ſuo.* Ecce enim Mahumetes e Chriſtianorum manibus Arabiam abſtulit, Deo permittente, & Chriſtianorum peccatis exigentibus; Sarraceni Ægyptum, Libyam, & totam Africam occupaverunt, & mare trajicientes Hiſpanias invaſerunt, ubi præſertim ex Granatæ regno vix expelli potuerunt, cum rex Ferdinandus glorioſo triumpho regnum illud Chriſtianitati reſtituit. Deinde ſæpe in Gallias, in Siciliam, in Italiam, & in ipſam denique Romam, Chriſtianæ reipublicæ caput, irruperunt, atque eccleſiam S. Petri vaſtaverunt. Præterea terram ſanctam pedibus ſalvatoris noſtri calcatam occupavere; & factus fuit hoſtis Chriſtiani nominis, cuſtos Dominici ſepulcri.

Inclinantibus autem ſe rebus Sultani Ægyptiaci, Turca furrexit, eo nec in tyrannide, nec in odio Chriſtiani nominis inferior; qui mox Bithyniam arripuit, Cappadociam, Lyciam, Ciliciam, Armeniam minorem, Cariam, Lydiam, Paphlagoniam, Lycaoniam, Phrygiam, Pontum, Pamphyliam, Galatiam, & in ſumma totam Aſiam minorem, quæ hodie magna Turcia dicitur, ſuo ſubjecit imperio: & per Chriſtianorum diſſidium, væ nobis, trajecto mari, in Europam irrupit, & Achajam, Atticam, Thraciam univerſam, cum Conſtantinopolitano imperio, Bœotiam quoque, Ætoliam, Peloponneſum, quem nunc Moream appellant, Epirum, Macedoniam, Albaniamque ſubjugavit; atque Bulgariæ, & Boſinæ regno ſuperato, ac inſuper Servia, Raſcia, Rhodo, Nigroponto, & Belgrado occupatis, jam Hungariæ, Poloniæ, Croatiæ, Dalmatiæ & Germaniæ, non ſine magna Chriſtianorum plaga, imminet, quorum tot millia Turcicus gladius perdidit, tot millia in perpetuam ſervitutem abduxit, & tot millia cum omni

poſte-

Pſal. 13. *Hier. 6.* *Eccl. 7.* *Oſee 4.* *Mich. 6.*

posteritate in Mahumeticam perfidiam, & æternam damnationem seduxit, ita ut Turcarum imperator potentissimus factus, tantum sibi ditionum vendicavit, quantum duo olim imperatores possidebant: & cum tanta crudelitate suum barbaricum furorem in Christianum sanguinem exacuit, ut nunquam tale immanitatis monstrum visum fuerit. Nam parvulos, astantibus parentibus, ad parietes allidere, virgines stuprare, & uxores, ipsis maritis cernentibus, impudenter tractare ausus fuit. Hinc etiam templa diruit, vel ea damnatissimo Mahumet dicavit; crucifixi imaginem confpuit, & sagittis transfixit; venerabile eucharistiæ sacramentum pedibus conculcavit; aliaque magis horrenda, & truculenta, quam effari possit, canis ille ferocissimus perpetravit. Cujus quidem atrocitatem prophetica Isajæ verba non incongrue exprimunt, dum is ait: *Omnis qui inventus fuerit, occidetur; & omnis qui supervenerit, cadet in gladio: infantes eorum allidentur in oculis eorum, diripientur domus eorum, & uxores eorum violabuntur.* Et quidem barbarica illa rabies non tam vincere, & dominari, quam potius nos affligere, & Christianum sanguinem effundere delectatur. Unde & in sequentibus Isajæ verbis dicitur: *Ecce suscitabo super eos Medos, qui argentum non quærant, nec aurum velint: sed sagittis parvulos interficient, & lactantibus uteris non miserebuntur, & super filios non parcet oculus eorum.*

Isai. 13.

Ibidem.

Maxima profecto Dei ira, quæ tot regna, tot provincias, totque amplissimos episcopatus Christianitati abstulit; & non ex alia certe causa, nisi quia Christiani multi Deum dereliquerunt, pejorem quam Turcicam vitam egerunt, & plusquam barbarica crudelitate in fratres suos usi fuerunt. Et quia, juxta verba Samuelis, *non audierunt vocem Domini, sed exacerbaverunt sermones ejus: ideo fuit manus Domini super eos, & super patres eorum.*

1. Reg. 12.

Sed quid Sarracenorum rabies, quidve Turcarum furor, & quid rerum, corporum, vel temporalium regnorum damna erunt, si ad furorem, ad malignitatem, ad insidias, & ad perniciem, & innumera detrimenta conferantur, quæ non terrenis rebus, & regnis, sed cœlestibus; & non corporibus, sed animabus ipsis, tot hæreticorum sectæ, tot pestes, totque diabolici hostes inferunt? quippe qui contra Deum, sanctosque suos, atque contra catholicam, sacrosanctamque Romanam ecclesiam, barbarisipsis non minus feroces, immo truculentiores & bestialiores se ostenderunt; unde templa, altaria, & monasteria destruxerunt, virgines Deo dicatas violaverunt, monachos excoriaverunt, sacerdotes Dei assaverunt, corpora sanctorum in cloacas, & in flumina projecerunt, sacramenta ecclesiæ a Christo instituta despexerunt, sanctissimum Christi corpus conculcaverunt, & variis probris affecerunt, atque omnem Dei cultum, omnemque Christianæ vitæ regulam damnare ausi sunt: quippe in Christum, ipsiusque genitricem, & in amicos & sectatores illius, innumeras atque horrendas blasphemias continue proferunt, & tam turpia, tamque execrabilia operantur, ut ea referre dolor atque pudor prohibeat. Nam inter eos omnia quæ fidei: quæ pietatis, & religionis; immo & quæ rationis sunt, pessum eunt: adeo quod non rex Babyloniæ, nec Antiochus, nec alius impius rex, tali unquam impietate contra Hebræum; nec Sarraceni, nec Turcæ contra Christianum populum usi sunt; qualem isti contra Deum patrem, & propriam matrem ecclesiam. Propter quod satius esset, inter Turcas, quam inter apostatas istos & perfidos Christianos, vivere. Et nihilominus non multi sunt, qui hæc cogitent: neque adhuc Christianorum viscera satis commota sunt: neque est qui obnixis precibus, & vera vitæ emendatione se iræ Dei quasi murum opponat: nec est insuper qui percussionem sentiat, & doleat. Unde Hieremias dicebat: *Percussisti eos, & non doluerunt.* Et per Isaiam Dominus ait: *Ultionem capiam, & non resistet mihi homo, quoniam iratus sum super populum meum. Effundam super eos indignationem meam, & omnem iram furoris mei.*

Hier. 5.

Isai. 47.

Ecce igitur inter quas angustias Christiana religio hodie restringitur, ecce quomodo Christi regnum in terra, in angulo Occidentis coarctatur: nam a quatuor mundi plagis huc Christianum nomen deducitur. Ubi enim sunt quatuor illæ patriarchales sedes, quarum caput Romana est? Quis Christum in Oriente colit, ubi tum Tartari, tum Sarraceni, & tum hæretici, & schismatici dominantur? Quis in Africa, ubi Mahumetani degunt? Quis in Græcia, quæ licet ad Christum reversa fuerit, adhuc tamen perversa est? Quis Christum colit in majori Armenia, olim ejus discipula, & filia charissima, ubi Nestoriani viguerunt hæretici? Quis igitur in terra sancta? Jam diximus quomodo domina gentium quasi vidua facta sit sub tributo, in qua quidem pauci sunt Christiani, qui tributarii; & plures ex eis hæretici, vel schismatici sunt.

Sed quid de Occidente dicemus? Quid hic ecclesiæ regno subditum remansit? Porro unam partem Mahumeti cultores obtinent; aliam schismatici, & hæretici, reliquam vero tepidi, ut plurimum, sive etiam rebelles, & mali Christiani possident, qui nomine, & non re ipsa Christiani, professionem suam negligunt, & Christi nomen deturpant, atque vitam fidei non coaptant: inter quos quantum zizaniorum Lutheranę hæresis seminatum fuit, neminem latet. Unde hodie Christus de suo Christiano populo vere dicere potest: Quod *vulpes foveas habeant, & volucres cœli nidos*: quia scilicet infideles & hæretici, & diabolicæ potestates, ampla in mundo regna obtinent; *filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet*: quia ex eis, qui sub suo vexillo remanserc, fere *omnes quæ sua sunt, quærunt, non quæ* Jesu Christi; & abundante, ac superabundante iniquitate, plurimorum charitas refrigescit. Quapropter cum mecum ipse animo volutarem, quænam tantæ stragis Christianæ reipublicæ causa magis præcisa esset; & quod singulari, inaudito, atque urgentissimo huic flagello, urgentissimæ quoque culpæ ratio applicari debeat: idcirco varias scelerum species, quæ ab initio post Adæ lapsum in mundo viguerunt, prætermittens; cum semper tam in synagoga, quam in ecclesia Dei, mali bonis, frumentum paleis, & hœdi agnis admisti fuerint: non aliam hujus mali cognatiorem causam esse arbitratus sum, quam enormissimum nostræ ingratitudinis peccatum; cum equidem nos Christiani, qui jam exhibitæ Christi passionis merita & beneficia tenemus, quique majora absque dubio munera, gratias, & privilegia, ab ipso servatore post ejus adventum recepimus, quam ceteri omnes præteritis sæculis recepissent; nihilominus eadem mala, atque pejora, quam tempestatis illius ingrati & rebelles populi fecerint, contra Christi præcepta, & salutem nostram admittere non veremur: quæ etiam graviora in nobis a Domino jure reputantur, quoniam ad majorem vitæ perfectionem per Christi exempla vocati, & amplioribus donis,

Matth. 8.

Philipp. 2.

anxi-

auxiliis, & favoribus ab ipso communiti sumus. Unde ingratus ille servus, magis ex sua ingratitudinis culpa, quam ex decem millium talentorum debito, quod domino suo debebat, ab ipso damnatus fuit.

Sed alia præterea hujus universalis flagelli causa esse videtur, notoria & publica Christiani populi peccata, non solum non abscondita, sed etiam prædicata, sicut scriptum est: *Peccatum suum sicut Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt.* Isai. 3. Nam in multis ecclesiæ filiis vitia plurima non absconduntur, sed jam in longum usum conversa omnia hæc quasi concessa propalantur. In primatibus enim nonnullis avaritia, tyrannicæ exactiones, & usurpationes, præter sui status indigentiam, & præter commune bonum, immo in maximum populorum detrimentum, introductæ, manifestæ sunt. Et in civibus, & populis ipsis, usuræ, fraudes, adulteria, fornicationes, inimicitiæ, vindictæ, blasphemiæ, & id genus reliqua nota sunt; in quibus mundani, & perversi homines, non solum excusantur, sed lætantur cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis. Quopropter cum sæpius horum delictorum nullus hic vindex, nullusque punitor & judex extet in terris: ideo supremus ille judex, qui malum nullum impunitum relinquit, hic ex misericordia punire ea studet ad correptionem, ne tandem castiget per æternam damnationem: & ob manifesta facinora, universalia, & publica immittit flagella, sicut de David, & aliis regibus, & de ipso populo Israel in veteri testamento exempla multa legimus. Unde & zelans Phinees de manifesto delicto vindictam Dei statim exercuit, ne Deus ipse graviorem inferret punitionem, cum in manus Dei viventis incidere nimis horrendum sit.

Atque alia denique hujusce totius Christianitatis plagæ principalior causa esse apparet, a multis ecclesiæ ministris male administrata animarum cura, pastoraleque munus tam Christo gratum, tamque ab eo suis ministris commendatum, negligenter actum; & magis a mercenariis, quam a pastoribus exercitatum. Propter quod zelator, & sponsus ille animarum carissimus, si male negotiantes in suo materiali templo flagello jam corripuit, & cathedras vendentium columbas, & mensas numulariorum evertit: quidni propter suæ spiritualis ecclesiæ male gestam curam, sui ardentissimi zeli signa manifestabit? Sic etenim & synagogæ, electo Dei populo, contigit, quæ in suis malitiis jam diu supportata a Domino fuit: sed cum tandem contra proprium Messiam, summa Dei bonitate sibi exhibitum, tam dira, tum crudelitate, tum ingratitudine, usa sit, quem de lumbis suis secundum carnem egressum, ut impia noverca, opprobriis, & suppliciis undique saturavit; cumque illius pontifices, rectores, & sacerdotes, jam avaritiæ, usurisque publice incumbere, atque hypocrisis vitio palam sibi gloriam usurpare minime puderet; cumque insuper ii subditorum curam pessime agerent, atque illis scandalo & detrimento essent, sicut eos Dominus sæpe arguere solebat: idcireo servator ipse jam in templo eosdem acriter flagellare cœpit, nec unquam a tali flagellatione cessavit, nec cessabit, donec ipsi flagellandi causam a se avertent, & suam ingratitudinem agnoscentes, ad Dominum suum sese toto corde convertent. Et propterea mirum esse non debet, si nos durioribus plagis præ ceteris omnibus castigemur; cum Divinæ gratiæ tam abundanter nobis exhibitæ debitores effecti, ex majori recepto munere culpabiliores reddamur, si, ut fas est, ipsi donatori grati esse non studeamus.

Nam etsi nomen Deo dederimus, & fide desponsati, Divina gratia dotati, atque cruce Domini nostri signati in baptismo fuerimus: attamen quia diabolo, & pompis, & operibus ejus, cui jam renunciavimus, denuo adhæremus; ideo sententia Domini in nos venit, cum ipse dixerit, quod *servus, qui cognoverit voluntatem domini sui,* Luc. 12. *& non fecerit eum, plagis multis vapulabit: qui autem non cognoverit, & digna plagis fecerit, vapulabit paucis.* Et hinc ratio patet, cur delinquentes fideles, gravius quam infideles damnentur; & cur Deus Christianos hic etiam sæpe affligat, triumphantibus infidelibus; & bonos quoque corripiat, & castiget, malis sua desideria consequentibus: quoniam a Christianis, quibus Dominus plurima ad negotiandum talenta tradidit, ampliorem negotiationis rationem requirit; atque in eos justitia illius magis exagitata duriorem vindictam clamat. Sed eos insuper quos ipse diligit, ad meliorem profectum hic punit, & purgat, urit, & secat, ut in æternum parcat: quod tamen de malis Deus sæpe non facit, sicut scriptum est: *Non sicut in aliis nationibus, Dominus patienter expectat, ut eas, cum judicii dies advenerit, in plenitudine peccatorum puniat.* 2. Mach. 6. Et per Amos prophetam Dominus ait: *Tantummodo vos cognovi ex omnibus cognationibus terræ:* Amos 3. *idcirco visitabo super vos omnes iniquitates vestras.* Quasi diceret, quod, eum ille populus Dei diceretur, propterea eo magis in iniquitatibus suis corripiendus esset: ne scilicet illius populi scelera magis, quam alieni, in dedecus Domini sui cederent, & nomen Dei sui inter gentes hac de causa blasphemaretur.

Cum igitur Christianus populus, propter tot facinora sua, merito castigetur, & arguatur: compertissima res est, quod si mores & vitam is non reformet, & a se flagelli causam non avertat, nec plaga Dei cessabit, nec victoriam de ecclesiæ inimicis reportabit; quippe qui *indurant faciem* Hier. 5. *suas supra petram, & nolunt reverti.* De quibus Hieremias ait: *Ecce incircumcisa aures eorum, &* Ibid. 6. *audire non possunt; ecce verbum Domini factum est eis in opprobrium, & non suscipient illud.* Ideo causa tollenda est, ut effectus removeatur; quoniam sacra pagina ubique clamat, tribulationum & persecutionum flagella propterea contra nos perseverando sævire, quia nos inobedientes non cessamus male vivendo Deum offendere, & ad justam iram provocare. Ita enim Dominus inquit per Isaiam: *Ecce non est abbreviata manus Domini,* Isai. 59. *ut salvare nequeat; neque aggravata est auris ejus, ut non exaudiat: sed iniquitates vestræ diviserunt inter vos, & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem ejus a vobis, ne exaudiret.* Similiter per Hieremiam inquit: *Repente loquar* Hier. 18. *adversus gentem, & adversus regnum, ut eradicem illud, & destruam, & disperdam. Si pœnitentiam egerit gens illa a malo illo, quod locutus sum adversus eam: & ego agam pœnitentiam super malo, quod cogitavi ut facerem ei: & subito loquar de gente, & regno, ut ædificem, & plantem illud.* Et David propheta idem comminatur dicens: *Nisi conversi fueritis,* Psal. 7. *gladium suum vibrabit, arcum suum tetendit, & paravit illum, & in eo paravit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit.* Et alibi per Hieremiam iterum Dominus ait: *Tolle volumen libri,* Hier. 36. *& scribes in eo omnia verba, quæ locutus sum tibi adversum Israel, & Judam,* &c. Et sequitur: *Si forte audiente domo Juda universa mala, quæ ego cogito eis facere, revertatur unusquisque a via*

via sua pessima; & propitius ero iniquitati, & peccato eorum. Et rursum dicit: *Noli subtrahere verbum, si forte audiant, & convertantur unusquisque a via sua mala, & pœniteat me mali, quod cogitavi facere eis propter malitiam studiorum eorum.* Si ergo in peccatis homines perseverent, & non per hæreticorum persecutionem, non per pestem, non per annonæ caritatem, neque per bella, infirmitates, & alia hujusmodi mala, a viis suis vitiosis & pessimis convertantur, immo in eis duriores & firmiores quotidie fiant: quæ illis spes misericordiæ Dei flagella sua a se avertentis reliqua esse potest?

Immo potius flagitiis in dies crescentibus, etiam flagra increscere, & asperiora fieri debere, credendum est; quemadmodum ipse Dominus in Deuteronomio comminatur dicens: *Ecce fames, & plaga, & tribulatio, & angustia missa sunt flagella in emendationem; & in his omnibus se non convertunt ab iniquitatibus suis, neque flagellorum memores erant semper.* Et in Levitico, postquam multa Dominus minatus fuerat mala, ait: *Sin autem nec sic obedieritis mihi, addam correptiones vestras septuplum propter peccata vestra, & conteram superbiam duritiæ vestræ.* Et iterum sequitur: *Quod si nec sic volueritis recipere disciplinam, sed ambulaveritis ex adverso mihi: ego quoque contra vos adversus incedam, & percutiam vos septies propter peccata vestra, inducamque super vos gladium ultorem fœderis mei.* Ex quibus omnibus concluditur, atque evincitur, nullam esse adversus hæreticos hostes victoriæ spem, nisi prius pœnitentia de peccatis præteritis acta in melius reformemur, & Deo reconciliemur. Aliter vero, cum multiplicata fuerit malitia, & iniquitas in nobis, & confortatæ aversiones nostræ: confortabuntur & multiplicabuntur etiam Dei flagella: & permanente, atque crescente causa, perstabit quoque, & augebitur effectus, & ea usque in finem perseverante, etiam Domini flagellum perdurabit: & cum denique iniquitates nostras amplius ferre Dominus noster non poterit, faciem suam, & dona, & gratias suas, ad alias gentes convertet; & extraneos ad se vocabit populos, beneficiis & gratiis illius pergrati erunt, & præcepta, & promissa non parvifacient, neque, ut nos facimus, saluberrima ejus sacramenta negligent; sed tam Christo, quam sponsæ suæ sanctæ Romanæ ecclesiæ, exactam obedientiam & reverentiam obnixe præstabunt: atque ita sancta mater nostra filiis non destituetur. Propter quod Sapientia dicit: *Impiis qui non agunt pœnitentiam, usque ad novissimum, sine misericordia ira superveniet.* Et Hieremias ait: *Non poterat Dominus ultra portare propter malitiam studiorum vestrorum, & propter abominationes quas fecistis: & facta est terra vestra in desolationem, & in stuporem, & in maledictum.*

Hier. 26.

Deut. 28.

Levit. 26.

cap. 19.

Hier. 44.

Nam id sane experientia cognovimus, quod quoties populus Dei a vero ejus cultu in fide descivit; toties alium fidelem populum sibi Deus alibi suscitavit, & proprium ut alienum deseruit: atque sicut propter scelerum enormitatem venit hæresis, & infidelitatis flagellum; ita propter hæresis atque perfidiæ abominationem venit derelictio. Unde cum inter nos crimina non cessent, & cum subsequenter per novas Lutheranorum, Zuinglianorum, Ugonottorum, Anabaptistarum, & aliorum hæreticorum, necnon schismaticorum sectas, Christus plures animas amittat, quæ ad parentem omnis schismatis & discordiæ, in æternam damnationem corruunt; ita ut magnæ civitates, ducatus, & dominia, hujusmodi peste inficiantur, in quibus neglecta religio jacet, Dei cultus aboletur, sancti omnes contemnuntur, templa profanantur, altaria destruuntur, & monasteria in execrabiles usus, & armamentaria, & stabula usurpantur; & ubi, ut jam diximus, nulla lex, nulla Dei veneratio, nullum fas, nullusque ordo, sed sempiternus horror & error inhabitat. Idcirco si nos in malo perseverare volemus, certe non est dubium, quod Dominus cultoribus suis carere nolet. Unde jam fide, & cultu Christiano deficere incipiente in tota Germania, in Dacia, in Norvegia, in Prussia, atque in multis tum Galliæ, tum Italiæ locis, Deus populum sibi fidelem alibi excitabit, qui sine schismate, sine hæresibus, & absque scelerum enormitatibus, de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, debitam ei servitutem reddat: ita quod si ex una parte multi cadunt ecclesiæ filii, non filii, sed spurii, semen nequam, & viperarum genimina; ex alia plurimi resurgent, cum decens sit reliquum esse nobis a Deo semen, ne sicut Sodoma efficiamur. Nam cum angelorum ruinas per numerum hominum Deus supplere decreverit, deficiente uno populo, alium suscitabit; quippe qui de lapidibus ipsis filios Abrahæ suscitare potens est, quique in ruinam, & in resurrectionem multorum positus est, atque in mundum venit, ut qui non vident, videant, & qui vident, cœci fiant; hoc est, ut qui veram fidem ignorant, & qui viam vitæ nesciunt, verum lumen recipiant, & fideles efficiantur; at contra qui acceptam fidem irritam faciunt, & per hæresim, atque per improbos mores, ea abutuntur, cœci fiant, & a Deo projiciantur, cum & ipsi ejus mandata projecerint.

Quod quidem post synagogæ repulsam, etiam hoc nostro sæculo evenisse, atque inter nos hoc Dei judicium extitisse, videmus: ut scilicet, dum plures in Germania, Dacia, Gallia, Italiaque, videntes cœci facti sunt; hinc Deus, in Bulgaria, Mysia, Macedonia, & in novis Indiæ partibus trans Herculis columnas, cœcas gentes innumeras videre faciat, & ad fidem, & vitam Christianæ religionis converti. Propterea Dominus per prophetam dicebat: *Populus, quem non cognovi, servivit mihi, in auditu auris obedivit mihi.* Et de lapsis subjungit dicens: *Filii alieni mentiti sunt mihi*; hoc est, filii a matre sua ecclesia per hæreses alienati, mendaci doctrinæ adhæserunt, & fidem Deo mutaverunt; sicut alibi per eundem prophetam ait: *Alienati sunt peccatores a vulva, erraverunt ab utero, locuti sunt falsa.* Et ideo replicat dicens: *Filii alieni inveterati sunt*; quia scilicet in erroribus suis occalluerunt, Spiritui sancto resistentes, & in reprobo sensu degentes: *Et claudicaverunt a semitis suis*, quia a semita recta, & a via vitæ, & mandatorum Dei declinaverunt, & a vera fidei doctrina claudicaverunt. Propter quod Elias perfido illi populo dicebat: *Usquequo in duas partes claudicatis? Si Baal, sequimini illum.* Atque tandem ibi sermonem suum concludit David dicens: *Propterea confitebor tibi in nationibus, Domine, & nomini tuo psalmum dicam.* Et hoc idem in Apocalypsi Christiano populo Dominus minabatur dicens: *Memor esto unde exciderit, & age pœnitentiam, & prima opera fac: sin autem, venio tibi, & movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris.* Quod quidem de omnibus tum a fide Romanæ ecclesiæ, tum a recta vita apostatantibus dicitur; quod videlicet, si memores non

Tfal. 17.

Ibidem.

Tfal. 57.

3. Reg. 18.

Tfal. 17.

Apoc. 2.

fuerint unde exciderint, ab ecclesiæ unitate, & A
pœnitentiam non egerint, & opera prima, quæ
scilicet ante lapsum faciebant, & in baptismo pro-
fessi fuerant, non fecerint, Deus candelabrum eo-
rum, in quo lumen est fidei, & gratiæ, de loco
suo amovebit, & alias gentes sibi advocabit, qui-
bus cœlestium gratiarum lumen abundanter largie-
tur, & implebit quod Isajas locutus est, dicens:
Isai. 55. *Ecce gentem, quam nescichas, vocabis; & gentes, quæ non cognoverunt te, ad te current.* Et profecto
hæc est mutatio dexteræ excelsi, quod Deus
ipse homines electos, & peculiarem populum
projiciat, & ignotam gentem, quæ scilicet le-
gem Dei non novit, elevet, & magnificet.

Atque tandem, si etiam nulla alia auctoritate
fulciremur, Christi parabola de vinea iniquis B
agricolis locata nobis satis esset, ubi contra ma-
los operarios dura fertur sententia, dum dicitur:
Matth. 21. *Malos male perdet, & vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis.*
Quod etsi de universali Domini vinea verificetur,
quæ primum synagoga fuit, & postmodum in
ecclesiam translata est, & aliis colonis locata: at-
tamen quod in universali semel contigit, in par-
ticularibus etiam ecclesiis quandoque evenit. Un-
de cum in multis particularibus Germaniæ, &
aliarum provinciarum ecclesiis, de quibus jam di-
ximus, cœcitas contigerit: subinde consequens
est, ut Dominus alium populum sibi vocet, qui
ecclesiam suam ingrediens illuminetur; & cum
ii, qui vocati erant, cœnam agni gustare nolue- C
rint, congruum est, ut Dominus in vias & sepes mittat, ut domus sua impleatur. Non enim
Dominus patitur ob malitiam nostram, regnum
suum vacuum, & sine incolis destitutum esse:
sed mansiones multas, quæ in domo patris sui
sunt, impleri oportet. Propter quod in Apoca-
lypsi, ecclesiæ Philadelphiæ dictum est: *Tene quod*
Apoc. 3. *habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* Quod si
Christiani, sacri baptismatis aqua perfusi, no-
lint quod habent tenere; sed novis erroribus,
schismatibusque, Lutheri, Zuinglii, Calvini,
Corvini, & similium, intendant: necesse est, ut
alii qui ex gentibus in locum perfidorum & ma-
lorum Christianorum subrogantur, eorum coro-
nam accipiant. Quod & alibi Dominus affirma- D
bat, dicens: *Quid tibi faciam, Jacob? noluisti obe-*
3. Esdræ 1. *dire, Juda: transferam me ad alias gentes, & da-*
bo eis nomen meum, ut custodiant legitima mea: quoniam me dereliquistis, & ego vos derelinquam.
Quis ergo, si fidem, si devotionem, si carita-
tis fervorem, & opera eorum, qui jam pridem
in novis Indiæ partibus conversi sunt, & quo-
tidie convertuntur, fidei, & operibus eorum,
qui in nostris regionibus sunt, comparet, non fa-
cile hæc ad verbum in nobis evenisse concludet?
Sicut in Matthæi evangelio Dominus idem ex-
Matth. 8. pressius affirmat, dicens: *Multi ab Oriente & Oc-*
cidente venient, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Jacob, in regno cœlorum; filii autem re-
gni, hoc est ad cœlestes nuptias vocati, ejicientur E
in tenebras exteriores. Et quis enim virtutem Dei
ausus erit dicere effœtam, manumque ejus abbre-
viatam, ut non etiam hodie non plebem suam
plebem suam vocare possit, & filii Dei dicantur
omnes, qui credunt in nomine ejus? Nam & hoc
Osee 2. jamdiu Osee pronunciavit, dicens: *Et erit in loco, ubi dicetur eis: Non populus meus vos; dicetur eis: Filii Dei viventis.* Et alia multa ex scripturis ad
rem faciunt, quæ tum de universali Christia-
norum ecclesia verificata sunt, tum de partic-
ularibus ecclesiis quotidie verificantur.

Quod autem ex sacris litteris adduximus, ipsa
experientia comprobatur. Nam ecce primo abje-
ctis Judæis, Deus gentes suscepit. Præterea cum
in Asia majori, & in Africa, homines a fide de-
fecissent; Germania, quæ adhuc in tenebris
versabatur idololatriæ, fidem Christi suscepit.
Deinde quando Asia minor, & Syria, Mahu-
meti spurcitiis infectæ fuere: tunc Hungaria,
Moravia, & Bohemia, Christi fidem receperunt,
& mox idem fecit Polonia circa annum Domi-
ni millesimum, ubi magna Græciæ pars se ab
ecclesia sciderat. Et quid plura? Cum postmo-
dum Moravia & Bohemia per hæresim a san-
cta Romana ecclesia recederent; tunc Lithuania
cum finitimis locis Christum agnovit: & simi-
liter Germania, & aliis simul jam præassertis
provinciis a Christiana religione exinde disce-
dentibus, novæ gentes in locum earum succe-
dunt, & avido corde Christi fidem percipiunt.

Quid igitur nobis interim restat agendum, pa-
tres conscripti, nisi, ut unusquisque causam, pro-
pter quam iratus est Dominus, a se procul abjicere
studeat, & ut in ceteris quoque idem fiat, toto
conatu procurare, atque cum propheta Daniele
se humiliando dicere: *O Domine, omnia quæcum-* *Dan. 3.*
que nobis fecisti, in justo judicio fecisti: quia peccavimus tibi, & mandatis tuis non obedivimus. Nam
cum jam per ea quæ diximus, fateri cogamur, fla-
gella hæreticorum gravissima ex gravissimis nostris
iceleribus a Deo nobis immitti: primum ergo ra-
dix aggredienda est, & peccata illa amputanda
sunt, per quæ hic Divinæ vindictæ effectus in nos
occurrit; ut inde ira Dei quiescat, vibratusque se-
veri illius judicii gladius in vaginam recondatur,
atque prævalens adversariorum persecutio cesset.
Nam si effectum hunc a nobis removeri, & verita-
tis lumen in adversariis veritatis diffundi, & ora-
tiones, & prædicationes, & doctrinam nostram
efficacem, congruumque finem consequi exopta-
mus: oportet ut causam ipsam & offendicula prius
amoveamus, & mala inter nos acta reformemus,
& ea primitus, quæ magis contra nos Deum ad
iracundiam concitasse, & flagellum hoc induxisse
arbitramur, a nobis excludamus; atque ita ad
Dominum toto corde, & totis viribus convertа-
mur, si eum ad nos totis visceribus, & omni gra-
tiarum favore converti cupimus: cum ipse per Za-
chariam prophetam dicat: *Convertimini ad me, &* *Zac. 1.*
ego convertar ad vos. Quoniam Dominus noster hu-
miliatos, contritosque corde nunquam despexit;
ut David, & ipse Christus, & immaculata illius
genitrix testatur, & scripturæ omnes fidem faciunt;
& sicut exempla quoque quamplurima habemus,
tum Ninivitarum, qui judicium Dei, & jam pro-
latam a Jona propheta illius sententiam sola humi-
liatione, & cordiali pœnitentia effugerunt; tum
etiam de Achab, de quo Dominus ad Heliam di-
cebat: *Nonne vidisti humiliatum Achab coram me?* *3. Reg. 21.*
Quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus ejus. Sic & rex Josaphat a validis-
simo exercitu circundatus, & a quo refugeret ne-
sciens, ad Dominum humiliter clamabat dicens:
Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum ha- *2. Paral. 20.*
bemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te.
Ezechias quoque in angustia, & persecutione re-
gis Assyriorum, ad Dominum humili corde cla-
mans exauditus est. Similiter & Judith humili fæ-
pius oratione coram Domino acta, victoriam contra
Holofernem impetravit. Unde cum simul omnis
populus Juda coram Deo humiliaretur, & pœniten-
tiam ageret, Eliachim sacerdos eis dicebat: *Scitote*
quoniam exaudiet Dominus preces vestras, si ma- *Judith. 4.*

nentes

nentes permanſeritis in jejuniis & orationibus in conſpectu Domini. Et ad hanc denique jugem humilemque orationem, & ad ſinceram vitæ emendationem Apoſtolus fideles ſæpiſſime hortabatur. Quapropter nos etiam legitimi ſanctæ Romanæ eccleſiæ filii, qui inter tot perſecutionum & tribulationum anfractus anguſtiati, ac velut inter Scyllam, & Charybdim ſpumantibus undis reſtricti, dum Chriſtianæ fidei inimici, & domeſtici & extranei, & occulti & manifeſti, in dies acriores oriantur; quo hic greſſus dirigere poſſimus, ut ii omnino aboleantur, ignoramus: frequentes, devotaſque coram Deo orationes offerre; ſanctos Dei implorare, atque ſpiritualibus armis induti, dignos pœnitentiæ fructus facere, corpora jejuniis macerare, effrænes appetitus mortificare, vitamque in melius emendare, atque ſinceram, puram, honeſtam, Chriſtianoque nomine dignam converſationem mundo præferre debemus; ut obloquentium ora claudantur, & ſal ſapidum, & civitates ſupra montem poſitæ, & lucernæ in eccleſia ardentes, & lucentes in Dei honorem, & ipſius ſanctæ Romanæ eccleſiæ utilitatem, efficiamur.

Nam ſic & flagelli Dei averſio, & hæreticorum converſio, & pax vera in Chriſtiano populo ſperanda, atque unio, totaliſque & perfecta Chriſtianæ reipublicæ renovatio, pro comperto expectanda eſt, in qua vel adverſarii veritati adhærebunt, vel jam ſatis Spiritui ſancto reſiſtentes, & per eorum malitiam uſque ad ſummum impletam nimium malignantes, a Deo ipſo ſtatim exterminabuntur, & Dominus pro nobis pugnabit: qui quidem iram ſuam a nobis avertens, illam duplicatam contra eos juſto ſuo judicio diffundet. Quia non differt Dominus miſericordiam, cum ad eum revertitur homo, ajunt ſcripturæ: ſed cum iratus fuerit, miſericordiæ recordatur. Unde unus ex Machabæis dicebat: *Etſi vobis propter increpationem & correptionem, Dominus Deus noſter modicum iratus eſt, ſed iterum reconciliabitur ſervis ſuis*. Et Dominus per Iſajam dicit: *Noli timere populus meus habitator Sion, ab Aſſur: in virga enim percutiet te, & baculum ſuum levabit ſuper te in via Ægypti. Adhuc enim paululum modicumque, & conſummabitur indignatio mea, & furor meus ſuper ſcelus eorum. Et ſuſcitabit ſuper eum Dominus exercituum flagellum juxta plagam Madian. Et erit in die illa: Auferetur onus ejus de humero tuo, & jugum ejus de collo tuo*. Et alibi per eumdem prophetam ait: *Et requieſcere faciam ſuperbiam infidelium, & arrogantiam fortium humiliabo*. Quantum vero hoc hæreticorum genus ſuperbiat, & Deum & eccleſiam ſuam contemnat, nullum latet. Deinde per Ezechielem dicit: *Mucro, evagina te ad occidendum*. Et infra paulo poſt ſubdit: *Revertere ad vaginam tuam in locum in quo creatus es, in terra nativitatis tuæ judicabo te, & effundam ſuper te indignationem meam*. Et David dicebat: *Convertetur dolor ejus in caput ejus: & in verticem ipſius iniquitas ejus deſcendet*.

2. Mach. 7.
Iſaj. 10.
Iſaj. 13.
Ezech. 21.
Pſal. 7.

Quid ergo? Nonne ſatis furit in Chriſtianos hæreſum gladius? Nonne tot blaſphemiæ, & ſcelera hæreticorum contra Chriſtum, & eccleſiam ſuam ſatis ſunt? & nonne jam eorum malitia impleta, & ſupereffuſa eſt? Manebuntne adhuc tot tyrannides, tot homicidia, tot bonorum eccleſiæ rapinæ, tot ſacrilegia, oppreſſiones, omnis generis immunditiæ, & innumera alia flagitia, nulla vel honeſtatis, vel juſtitiæ habita ratione? Nonne eorum quoque ſcelera Dominus in gladio ſuo viſitabit, & honorem ſui ſancti nominis vindicabit? Si ergo populus iſte nequam, ſi hoc ſemen Chanaan, ſi turmæ illæ diabolicæ, ad pedes ſanctæ Romanæ eccleſiæ non denique humiliari velint: ſuffocentur ſicut alter Pharaonis exercitus, qui populum Dei perſequebatur; occidantur cum opprobrio ſicut alter Golias, qui aciem Dei viventis exprobravit; fiat eis ſicut Holoferni, ſicut Sennacherib, ſicut Agag, ſicut Nabuchdonoſor, ſicut Balthaſſari, ſicut Antiocho, ſicut Herodi, & quemadmodum quinque regibus Amorrhæorum contra Joſue pugnantibus, ſuper quos Dominus lapides pluit.

Univerſalis igitur eccleſiæ unionis & pacis bonum, eo magis ſperandum eſt, quo ad ſui ipſius reformationem unumquemque parari inſpicimus, & omnimodam, atque communem hanc renovationem deſiderare videmus. Et quamvis plures mali, quam boni eſſe dicantur; attamen boni etiam in eccleſia non deſunt: quia ſemper Dominus in ea ſibi ſemen relinquet. Tam efficax autem eſt apud Deum bonorum oratio, ut ii non pro ſe tantum, ſed etiam pro aliis, atque pro malis impetrare aliquid valeant. Nam ad Abraham dixit Dominus, quod ſi decem viros juſtos in Sodoma inveniſſet, eam non perdidiſſet. Sic Moyſes & Aaron ſæpe ante Dominum pro populo nequam orantes ſteterunt, & exauditi ſunt: atque ſolus Helias oratione ſua univerſo regno perverſi regis Achab reconciliatum placatumque Deum reddidit. Quia, ut Auguſtinus rationabiliter arguit, tantæ humanæ ſocietatis unitas eſſe debet, ut quiſque ita pro alio ſolicitus ſit, tanquam ſi unum corpus omnes eſſemus, ſicut etiam Apoſtolus affirmat. Unde fit, ut ſæpe hic alius pro alio plectatur. Nam quod mali homines peccatis ſuis bella, famem, vel peſtem, & ſimilia merentur: hic non ſoli, ſed una cum bonis flagellantur. Quod cum fiat, ut cum malis etiam bonos Deus affligat, & cum illi proprium ſit miſereri: cur non viciſſim malis interdum propter bonos peccata dimittat? quippe qui velox ad veniam, & tardus ad vindictam ſemper fuiſſe dignoſcitur. Et propterea ſpes nos bona manet, quod non continebit Deus in ira ſua miſericordias ſuas, & non obliviſcetur miſereri, neque iram ſuam extendet a generatione in generationem.

Hæc autem ſpes eo magis in nobis augetur, quo non ſolum a mortalibus, qui per gratiam Deo in hoc ſæculo adhærent, verum etiam a beatis angelis, a ſanctorum omnium choris, qui per gloriam Deo ſummo bono in perfecta caritate vincti ſunt, rei noſtræ favor impenditur. Quod quam verum ſit, ex eo apparet, quod Judas Machabæus Oniam manus protendentem, atque pro omni Judæorum populo orantem vidit; cum quo etiam Hieremias propheta ſimiliter pro electo populo orans illi viſus eſt. Quod ſi Hieremias, & Onias, pro Judaico populo oraverunt, cum adhuc in limbo eſſent: quanto magis pro Chriſtiano populo, & pro ſancta Romana eccleſia, a ſe, favente Domino, fundata, aucta, & proprio ſanguine defenſa, orabunt ſancti apoſtoli, apoſtolorumque diſcipuli, & innumerabiles martyres, qui laverunt ſtolas ſuas in ſanguine agni, & ſancti confeſſores, virgines, & ceteri omnes beati, qui apud miſericordiæ fontem feliciter degunt, quorum eccleſiæ multæ ab apoſtatis iſtis deſtructæ ſunt, & corpora, & reliquiæ multæ veneratione dignæ conculcatæ & diſſipatæ? Propter quod contra obſtinatos, & perfidos hos mortis filios jam clamare incipiunt: Vindica, Domine, ſanguinem ſanctorum tuorum, qui effuſus eſt, & deſtrue eos, *qui poſuerunt morticina ſervorum tuorum eſcas volatilibus cæli, & carnes ſanctorum tuorum* Pſal. 7.

tuorum bestiis terræ. Nam magnam habent apud Deum beati circa inferiora potestatem. Unde David ait: *Exultabunt sancti in gloria, lætabunbuntur in cubilibus suis; exaltationes Dei in gutture eorum, & gladii ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis, ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis; ut faciant in eis judicium conscriptum: gloria hæc est omnibus sanctis ejus*. Et si apostolus Paulus hic degens in terris tot pericula, persecutiones, & mortes pro fratribus suis, & pro Romanorum, pro Corinthiorum, Philippensium, Galatarum, Ephesiorum, Colossensium, & Thessalonicensium ecclesiis, atque pro pluribus aliis populis & nationibus, sustinuit; & si hic etiam anathema pro eis fieri cupiebat: cur eorum salutem non optabit jam regnans in cœlis? cujus quidem desideria libenter exaudit Deus, ubi sine aliqua ruga, & macula sunt; cum etiam hic, ubi non sine humanæ saltem imperfectionis contagio existebant, cum septies in die cadat justus, ea grate susciperet. Nam Deum ad preces, & merita sanctorum maxime respicere legimus. In libro etenim Regum quarto dicitur: *Noluit autem Dominus disperdere Judam propter David servum suum*. Et similiter tempore Ezechiæ, quando Assyrii Judæam invaserunt, dixit Dominus per Isajam: *Protegam urbem hanc, & salvabo eam propter me, & propter David servum meum*. Atque insuper propter Abraham, Isaac, & Jacob, multa bona, & suffragia plurima suo populo contulisse sæpius Dominus fatetur. Quod si Deus ipse Hierusalem protexit, & Judæam non disperdidit propter David, & beneficia multa eis exhibuit propter patres illos, qui nondum beati erant, quia nondum apertis januis in regnum cœlorum transeuntes, summo illo bono potiti fuerant: quid facturi sunt sanctissimi apostoli, & discipuli Domini? quid tot millia martyrum? tot sancti patriarchæ & episcopi, qui magna solicitudine, & eximio animarum zelo, ecclesias suas hic rexerunt? Erunt forsan modo minus fervidi, cum toti in divino illo radio inclusi, & undique circumfusi excandescant? Erunt modo animarum minus zelantes, cum vero animarum sponso perfecte uniantur, & unus spiritus cum eo efficiantur? cum non jam ex rivulis, sed ex indeficienti & originali caritatis fonte, quantum velint, satientur, & inebrientur, sicut scriptum est: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos; quoniam apud te est fons vitæ*. Hoc etenim Joannes apostolus in Apocalypsi affirmat, dum phialas odoramentorum plenas describit, quas sanctorum orationes esse dicebat. Atque idem tam apostoli omnes, quam apostolorum discipuli, & ceteri sancti patres, testati sunt, & hinc litanias, sive supplicationes, quæ tum Deo, tum Mariæ virgini, & sanctis omnibus fiunt, in ecclesiam introduxerunt. Sancti igitur cœlorum cives singuli pro sedibus suis, ut catholicæ fidei restituantur, obnixe orabunt. Utputa divus Petrus pro Ponto, Bithynia, Galatia, Cappadocia, & Roma; divus Paulus etiam pro Romanis, Galatis, Corinthiis, & aliis suis ecclesiis; & ceteri apostoli pro aliis: sic Marcus pro Alexandrinis, Lucas pro Antiochenis, Dionysius pro Atheniensibus, Georgius pro Berytinis, Joannes Chrysostomus pro Constantinopolitanis; & similiter alii cœlestes principes pro suis clientulis intercedent, non minus quam David, Hieremias, & Onias, pro Hierosolyma & pro Judæa deprecabantur.

Sed additur quoque, ad hæreses extirpandas, ecclesiamque reformandam, & sincera fide, & angelicis moribus decorandam, angelorum, archangelorum, & principatuum omnium auxilium, quorum custodiæ & curæ provinciæ singulæ deputatæ sunt; sicut scriptum est: *In unamquamque gentem præposuit rectorem, & pars Dei Israel facta est manifesta*. Qui quidem rectores, angeli sunt sunt regimini provinciarum deputati, qui super populo sibi commisso strenue advigilant, ut in viam salutis æternæ dirigatur, & omnia ab eo impedimenta amoveantur. Nam Daniel angelos pro populo sibi commisso præliari, & orare, dilucide attestatur. Et Isajas insuper ait: *Super muros Hierusalem constitui custodes; tota die & nocte perpetuo non tacebunt*. Ubi, teste Hieronymo, per custodes angeli intelliguntur, juxta illud Apostoli dicentis: *Omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis*. Et frequens est in scripturis intelligentia, ut per muros prælati, & per custodes angeli ecclesiæ rectoribus superintendentes denotentur. Unde devotus Bernardus egregie inquit: Benignus es, Domine, qui non es contentus nostrorum fragilitate murorum, sed ipsis hominum custodibus angelicam superponis custodiam. Quapropter si custodes isti tota die & nocte perpetuo non tacebunt: certum est, quod laudes cœlestis Hierusalem, atque Dei præconia non silent, & pro illis, quos in custodiam susceperunt, die noctuque orare non desinunt; ut ad perfectam, & æternam salutem perveniant, & ad suorum subditorum debitam curam intendant; necnon ut sacris suggestionibus annuant, easque opere perficiant. Unde Apostolus præcise ait, angelos ipsos propter eos missos esse, qui hæreditatem capiunt salutis. Sic igitur vallata, defensa, & custodita semper fuit, eritque sancta mater ecclesia, quæ velut munita civitas, angelorum sanctorumque omnium præsidio, & custodia servatur. Propter quod in Apocalypsi scriptum est: *Vidi civitatem sanctam Hierusalem, novam, descendentem de cœlo a Deo, paratam, sicut sponsam ornatam viro suo*.

Atque ecclesia ipsa non solum angelos, & sanctos alios, custodes retinet; sed & ipsum Christum magni consilii angelum principalem custodem, & adjutorem habet, de quo in præmisso loco Apocalypsis figurate dicitur: Quod civitas illa habebat murum magnum, & altum, per quem murum Christus denotatur, qui ipsam sanctam Hierusalem undique circundat, & contra incursores dæmones, & pravos homines, & vitia, & hæreses, eam circumquaque defensat. Nam sicut muri dicuntur prælati, ut jam præmisimus: ita murus ille magnus, erit prælatorum princeps, pastor omnium, atque animarum nostrarum episcopus, & servator, Christus JESUS.

Sed præter id quod munita, & custodita sit sancta ecclesia, ex eo quoque fortis esse dicitur, quod unita, & ordinata esse denotatur, dum ibi civitas, hoc est civium unitas, appellatur. Nam unita virtus, secundum naturales, fortior est, quam divisa; atque ordo ipse fortiorem civitatem, & exercitum, ad oppugnandos expugnandosque hostes reddit. Unde ecclesia ipsa in Canticis, *terribilis ut castrorum acies ordinata* nominatur: quippe quæ firma semper est contra hostium, sive dæmonum, sive tyrannorum, sive hæreticorum impetus; atque tam solida manet, ut non solum non deficiat, sed inter ipsos hostium conflictus crescat magis, magisque invalescat. Itaque contra dæmones sanctitate & justitia fortis est, con-

est, contra tyrannos fortis est patientia, & contra mundi sapientes, tum philosophos, tum hæreticos, divina sapientia firmatur. Nam hæc est
Cant. 4. *turris illa David cum propugnaculis, ex quo mille clypei pendent, & omnis armatura fortium*, non quidem carnalis, sed spiritualis; de qua Apostolus
2. Cor. 10. loquens, ait: *In carne enim ambulantes, non secundum carnem militamus. Nam arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei.* Quasi diceret: Arma hæc spiritualia, tam potentiam, quam sapientiam, sive astutiam mundi & diaboli, destruunt, & superbos hæreticorum intellectus humiliant. Unde sequitur: *Et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* Atque salvator ipse de hac ecclesiæ fortitudine di-
Matth. 16. cebat: *Super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Hoc est, tam firma erit hæc ecclesia, quod neque vitia malorum; neque hæreticorum doctrinæ, per quæ homines ad inferos detrahuntur; neque spirituales dæmonum nequitiæ, quibus portæ justitiæ contrariantur; neque tormenta, vel blandimenta persecutorum, quæ perditionis iter ostendunt, adversus illam prævalebunt: quia eam nunquam a fide & caritate Christi separabunt. Nam ipsa insuper est domus illa sapientis supra petram ædificata, quæ juxta Domini verba, nec pluviarum descensu, nec fluminum incursu, nec ventorum impetu irruente cadit: quoniam super solidissimæ veritatis fundamentum firmata est. Illa namque nec pluviæ mendacis doctrinæ corrumpunt, nec mundanæ lasciviæ flumina dissolvunt, neque diabolicarum tentationum aut insidiarum procellæ destruunt, vel prosternunt.

Qua de re ecclesiam, quæ custodita, quæ una, quæ ordinata, & fortis est, esse etiam pacificam, consequens est: quia custodita unitas, ordo, & fortitudo, pacem inducunt; cum maxime ex fortitudine victoria procedat, & victoriam pax sequatur, quæ victoria dum, secundum Augustinum, repugnantium subjectio esse dicatur, pacem parit. Et quamquam in hac peregrinatione multipliciter & sæpe, & hac præcipue tempestate, ecclesia sua pace turbetur; & quamvis a leonibus, lupis, vulpibus, apris, & singularibus feris, de sylva diaboli exeuntibus, exterminata, & vastata videatur dilecta Domini vinea; licet etiam cum obstinatis hæreticis jam non proficiat, & suo lumine & decore eos illustrare non valeat, qui audaJob. 21. cter Deo dicunt: *Recede a nobis, jam scientiam viarum tuarum nolumus*, unde aliqua medicina eis applicari non possit. Nam ut quid cæco collyrium? quid leproso strupus? quid mortuo medicamen? quidve leoni humilitas? lupo sobrietas? vulpi simplicitas? sui munditia? quid atrocissimis feris humanitas? & quid denique invidentibus, & ambientibus caritas? Quia nullum cataplasma, nullum pigmentum, nullumque antidotum, tanto morbo mederi posse videmus. Et licet tandem sint modo amurca cum oleo, furfur cum similagine, & grana cum paleis admixta; licetque Lot cum Sodomitis, Job cum scorpionibus, & struthionibus, Nicolaus inter diacones, & Judas Iscariot inter apostolos habitet, atque mali Christiani, hæretici, & infideles, cum piis, & fidelibus misceantur: attamen ignis tribulationum accensus filios Levi purgabit, colabitque eos; ut purum aurum remaneat, & scoria recedat, & foras ejiciatur; utque fideles & devoti Christi cultores, sacrificia in judicio, & justitia Domino offerant,

& arrogantium hæreticorum, & malignorum consummatio, & exterminatio fiat. Nam etsi aliquandiu mendacium prævalebit, ut vitium purgetur; atque in pluribus membris fermentata, falsaque ecclesia contra veram pugnet, & eam vexare, & humiliare videatur, cum suis pessimis privignis velut tumens noverca sese exaltare, & sedem suam ad aquilonem, a quo quidem omne hæresum & vitiorum malum jam panditur, collocare, & firmare studens: ipsa tamen Christi sponsa, vera & legitima ecclesia, in spiritu humilitatis resurgens, ad primævum suum initium, Christo favente, jam tribulationibus & pressuris illustrata, & dealbata, atque a fecibus defecata, purissima redibit.

Et quamvis insuper quartus ille equus pallidus, de quo in Apocalypsi legitur, jam diu inter fideles cucurrerit; hoc est tristis illa hypocrisis Lutheri, & spuriorum illius dilecta mater; quippe quæ duplici vita vivens, corpore in cœlis habitare videtur, cum nihilominus tota in terris prostrata, terrenis affectibus moriatur. Hæc namque Divinæ simplicitati contraria, duplicitatis mater, soror mendacii, & diaboli ipsius mendacii patris propria filia est: hæc quæ honoris avida, in se & in aliis vana, & infructuosa, doli artifex, martyr diaboli, maligna bonorum æmulatrix, correctrix omnium, ipsa incorrigibilis, intus arida, extra devota, compta meretrix, fucata spurcitia, tinea sanctitatis, vermis ecclesiæ eam insensibiliter quodammodo depascens, illiusque vitalia consumens, ornatum sepulcrum, inflata vipera, antrum dæmonum, fomentum peccati, semperque peccans, perditionis præcursor, negatio naturæ, blasphemia veræ vitæ, nutrix Pharisæorum, comes scribarum, Ananiæ, Saphiræ, Herodisque pedisequa, atque totius evangelicæ puritatis capitalis inimica esse perhibetur. Et licet etiam equus iste modo per amplius recalcitret, quia modicum tempus habet: qui quidem carnalis imperii principatum tenens, sanctam ecclesiam, in præcordiis suæ caritatis & unitatis, pacis & pietatis, atque munditiæ & castitatis, sagittare non cessat; & dum eam, ut venenosa & crudelis vipera propriam genitricem, impie scindit, se filium ejus vocat; atque dum inimicitias dissimulat, plus eam domestice, quam barbari, & infideles hostes, notorie impugnat: nam cum eam osculatur, tunc gladio transfigit; & cum salutat, perdere satagit. In hac tamen controversia, in tanta duplicitate, versutia, varietate, & errorum caligine, lux lucet electis, & Christianarum ac realium virtutum amatoribus in hac regione umbræ mortis habitantibus: qui quidem de manu Domini non rapientur, & dilectam matrem ex spuriorum improbitate quasi sterilem factam, propter adulteram & fœcundam novercam, non dimittent; atque patris pudenda recooperient, quia filii legitimi, pudici, verique Sem & Japhet successores sunt; quique ut mysticæ aquilæ filii, hoc est Christi alas suas in cruce super eos extendentis, & immaculatæ & regulatæ vitæ exemplo super eos volitantis, cum corpore ipsius Christi, quod est ecclesia, congregati firmiter permanent, sicut scriptum est: *Ubicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.* Matth. 24. Luc. 17.

Quamobrem nos, qui tales sanctæ Romanæ ecclesiæ matris nostræ legitimi filii esse fatemur, & volumus: spiritu mentis nostræ renovari, & omnia ea removere tenemur, quibus Divinam bonitatem offendi posse arbitramur, atque toto cordis affectu humiliati, tum pro Christiani populi reformatione, tum vero pro hæreticæ persecutionis liberatione, atque pro omnimoda hæresum ex-

tirpatione, ad Dominum & redemptorem noſtrum ſupplices cum David clamare debemus: *Qui regis Iſrael, intende, qui deducis velut ovem Joſeph:* Pſal. 79. *qui ſedes ſuper cherubim, manifeſtare coram Ephraim, Benjamin, & Manaſſe. Excita potentiam tuam, & veni, ut ſalvos facias nos. Domine Deus virtutum, quouſque iraſceris ſuper orationes ſervorum tuorum? Cibabis nos pane lacrymarum, & potum dabis nobis in lacrymis in menſura? Poſuiſti nos in contradictionem vicinis noſtris, & inimici noſtri ſubſannaverunt nos. Deus virtutum, converſe nos, & oſtende faciem tuam, & ſalvi erimus. Vineam de Ægypto,* id eſt eccleſiam tuam de Judaica obſcuritate & cœcitate, *tranſtuliſti, ejeciſti* perfidas, obſtinataſque perverſæ ſynagogæ *gentes, & plantaſti eam; dux itineris fuiſti in conſpectu ejus, & plentaſti radices ejus, & implevit terram: operuit montes umbra ejus, & arbuſta ejus cedros Dei: extendit palmites ſuos uſque ad mare, & uſque ad flumen propagines ejus. Ut quid, Domine, deſtruxiſti maceriam ejus, & vindemiant eam omnes qui prætergrediuntur* viam veritatis & ſalutis *viam? Exterminavit eam aper de ſilva, & ſingularis ferus,* hoc eſt Martinus Lutherus, cum ceterorum hæreſiarcharum, & hæreticorum turma, *depaſtus eſt eam. Deus virtutum, convertere, reſpice de cœlo, & vide, & viſita vineam iſtam, & perfice eam,* & refove, & reſtaura eam, Domine, *quam plantavit dextera tua, & ſuper filium hominis, quem* Pſal. 45. *confirmaſti tibi. Eja quare obdormis Domine? exurge, & ne repellas in finem. Quare nunc faciem tuam avertis? obliviſceris inopiæ noſtræ, & tribulationis noſtræ?* Nunquid tu qui omnia proſpicis, anguſtiam, & tribulationem eccleſiæ tuæ dilectiſſimæ non vides? ceters omnia tua admirabili providentia protegis & gubernas, & ſolam hanc, quæ tibi tam cara eſt, derelinques? oblivioni forte ſponſam tuam, Domine, tradidiſti? non illam cognoſcis? non eam diligis? nonne hæc ſponſa illa tua eſt, pro qua in virgineum ventrem deſcendiſti, & humanam carnem aſſumpſiſti? pro qua tot opprobria, perſecutiones, irriſiones, & flagella ſuſtuliſti, & ſanguinem totum in cruce effundere voluiſti? & cui denique laborem, omnes dolores, vitam, merita, & præmia contuliſti? quamque deſponſaſti fide, dotaſti gratia, decoraſti virtutibus, & gloria ſublimaſti? Quam ergo tanti emiſti, quam ſic ditaſti, & honoraſti, reſpice, viſita, & ab omni malo libera; inimicoſque illius ejectos, obcœcatoſque humilia, illumina & converte. Et ſi adhuc ipſi nihilominus omne conſilium, & omnem gratiam tuam a ſe repellunt, viarum tuarum ſcientiam ſcire nolunt, & venena ſua etiam nunc diffundere intendunt: *Facillis, Domine, ſicut Madian, & Siſaræ, & ſicut Jabin in* Pſal. 82. *torrente Ciſſon. Pone principes eorum ſicut Oreb, & Zeb, & Zebee, & Salmana: omnes principes eorum, qui dixerunt, Hæreditate poſſideamus ſanctuarium Dei. Deus meus, pone illos ut rotam, & ſicut ſtipulam ante faciem venti. Sicut ignis qui comburit ſilvam, & ſicut flamma comburens montes, ita perſequeris illos in tempeſtate tua, & in ira tua turbabis eos. Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum, Domine. Erubeſcant, & conturbentur in ſæculum ſæculi, & confundantur, & pereant.* Nos vero omnes ſanctæ Romanæ eccleſiæ piæ veræque matris noſtræ legitimi filii, beneficia Chriſti interim conſiderantes, in nobis, & in aliis, in quantum facultatis, & muneris noſtri ſit, eccleſiæ reformationem requirere; tum occulta, tum vero manifeſta mala corrigere; atque perplurimum Deo gratæ animarum curæ ſummam vigilantiam; ſummamque diligentiam adhibere; ipſius Dei beneplacito, totis animæ, & corporis viribus, gratos nos reddere, ſuavique ejuſdem jugo colla libenter ſubmittere, & in vinea eccleſiæ fideliter, devote, ac perſeveranter elaborare, ſtudeamus.

X.

JACOBI FERRAUSII, VALENTINI DOCTORIS THEOLOGI

ORATIO

In feſto aſſumptionis ſacræ Dei genitricis Mariæ ad patres habita in concilio Tridentino.

ETSI vereri maxime poteram, illuſtriſſime ac reverendiſſime legate, graviſſimi præſides, oratores illuſtres, patres ampliſſimi, voſque viri univerſi eruditiſſimi, ne & loci majeſtas, & auctoritatis veſtræ eximia celſitudo, dicere incipientem terrerent, & rem tantam in clariſſimo cœtu aggreſſum ab incœpto dejicerent: grata tamen mihi ac perjucunda humanitatis veſtræ recordatio, qui ſtudioſis hoc loco dicentibus magna animorum propenſione favere, & eorum præclaros conatus veſtra auctoritate provehere ſoliti eſtis, mihi ad ſuſcepti hujus muneris rationem vires addidit, quibus neque rerum magnitudini cederem, neque auguſtiſſimo hoc veſtro conſpectu omnino perterritus locum detrectarem. Nam cum veſtra omnium in rem omnem bene inſtitutam propenſa voluntas, ad res præclare gerendas, jacentes etiam animos erigere ſoleat: tum vero me illud hodie maxime confirmavit, quod de virginis Deiparæ laudibus ſim apud vos dicturus, quæ propitia noſtris votis adeſſe non dedignabitur, ad cujus inſignem & claram commemorationem vos omnes tanta alacritate in hunc locum conveniſſe video: quæ forti & invicto animo adverſus antiquum illum infenſiſſimum humanæ ſalutis hoſtem ſuſcepto cauſæ noſtræ patrocinio ejuſmodi inimicitias exercuit, quas ampliſſima ac perpetua pax, contrito illius capite, ſecuta ſit, ut edito in orbem filio, ac proinde per ipſum ſuperata dæmonum poteſtate, ſalutem mundo attulerit, noſque ſuis præſidiis quotidie defenſos materno ſinu perinde ac filios foverit: ut quantum nos ejus præſtantia, ac majeſtas deterrere poterat, tantum clementia erexerit, ac ſpem etiam noſtram confirmarit: quæ hodie detractis hoſti ſpoliis ornatiſſima, ad cœlos, unde fuerat ille dejectus, glorioſiſſimo triumpho aſſumpta, & angelorum omnium ſedes ſupergreſſa, adſtat regina a dextris unigeniti in veſtitu deaurato, in ea honorum varietate, quæ Dei matrem, & cœlorum reginam decet: quæ maximo hoc beneficio nos omnes ſibi devincit, quod propugnationi noſtræ ſemper intenta, in eo gloriæ ſuæ amplitudinem collocat, ut miſerorum hominum neceſſitatibus patrocinetur, atque eorum ſalutem admirabili benignitate juvet: cujus laudes, quæ innumeræ ſunt, atque eximiæ, quo minus ob noſtram imbecillitatem aſſequi poſſumus, eo magis a nobis oranda fuerit, ut quæ hodie immarceſcibilem gloriæ coronam ſuper omnes angelos conſecuta eſt, ſuo nobis favore adeſſe, & meam hanc dicendi inopiam ad inſignes illos triumphos, quibus honorificentiſſime in cœlis ornata eſt, aliqua ſaltem ex parte

hoc

hoc loco referendos, sublevare pro dignitatis suæ magnitudine dignetur.

Cum multis magnisque rationibus, sapientissimi ac gravissimi patres, diem hunc sacrum faustum nobis ac felicem ecclesia intelligeret: omne studium in hanc rem collocavit, ut observantiæ erga virginem matrem & debitis obsequiis defuisse minime videretur. Rem itaque sacram magnis laudum præconiis hodie celebrat, atque ut nunc cetera omittamus, eam nobis proponit evangelii lectionem, quæ illius dignitati explicandæ omnibus idonea merito videri debet. Quoniam vero sacrorum evangeliorum historia ad illud usque tempus dumtaxat conscripta est, quo Christus in cœlum ascendit, & apostoli ad evangelium ubique prædicandum, Domino cooperante, profecti sunt: neque obitum virginis matris, qui aliquot post annis secutus est, neque ejus in cœlum assumptionem complectitur, ut illud nemo jure reprehendere possit, ecclesiam alio non usam esse evangelio, in quo hujus festi peculiaris & expressa mentio haberetur: sed illud nobis hodie concinit, in quo Marthæ & Mariæ sororis exemplo duas nobis vitæ rationes declaret, quas nobis Christus vias ad summam illam & æternam felicitatem propositas esse voluit, ut in ea quam sibi quisque constituerit, pietatem & justitiam colere, atque adeo ad ipsam beatitudinem cum virgine matre assumi etiam possit. Alii enim ad actiones ultro sese accommodant, & ad ea gerenda quæ hominum utilitati necessaria esse intelligunt, & ut Romanis scribebat Apostolus, *Rom. 12.* *necessitatibus sanctorum communicantes, hospitalitatem sectantur*, pauperes alunt, reficiunt imbecilles; & non solum corporis, sed & animi multo etiam majorem rationem habentes, imperitos instituunt, delinquentes monent, adhortantur, corripiunt, & ea præstant veræ pietatis opera, quibus amplissima præmia parata ac proposita Christus pollicetur. Alii vero alterius sororis, hoc est Mariæ, exemplum secuti, terrena abdicantes, a sensibus sese magis abducunt, & curis omnibus vacui, rerum Divinarum contemplatione magis delectantur, parentum, amicorum, opum, ac rerum humanarum omnium oblivi, solum Deum cogitant, solum illum suspirant, solum magno animi affectu & votis contineotibus exposcunt, ad Christi pedes assident, & illius verbo diligenter intenti, solidiore illo cibo animum ad æternitatem alunt, dum salutaris doctrinæ ex limpidissimo illo sapientiæ fonte rivos hauriunt uberrimos, ac illud subinde repetunt: *Thren. 3.* *Pars mea Dominus, dixit anima mea.* *Psal. 24.* atque illa etiam ex Davide: *Oculi mei semper ad* *Psal. 72.* *Dominum. Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum.*

Hoc vitæ institutum ingressa, atque adeo feliciter etiam persecuta Maria Marthæ soror, sedebat secus pedes Domini, & illius verba diligenter audiebat. Altera vero solicita & ministerio intenta, dum multis distrahitur, docetur a Christo, unum esse necessarium, ut illud vitæ genus, quod ad illud unum magis accedit, præstantius atque sublimius esse intelligat. Id autem est, quod in contemplatione positum, pura ac sincera Divinarum rerum consideratione, secluſa humanarum solicitudine, in Deum ipsum maxime unum ac simplicissimum ducit. Est enim Deus unum illud necessarium per se expetendum, in quem ut in ultimum finem omnia virtutum studia, pietatis opera, ac præstantissima illa rerum cœlestium contemplatio, referri debent; cui uni adhærere bonum est, ac in eo spem suam omnem se collocare dicebat David, & unam hanc rem se a Domino petiisse, atque hanc ipsam requisiturum se, ut inhabitaret in Domini domo omnibus diebus vitæ suæ: ut facile sit hoc loco illorum errorem deprehendere, qui dum audiunt, non esse necessarium, fere omnia ad salutem necessaria e medio tollere non dubitarunt, dum vel solam fidem, vel otiosam omnino & inanem quandam verbi auscultationem, ad salutem necessariam tantum esse interpretantur. Quæ quid, quæso, prodeunt sine observatione mandatorum Dei, & nisi operibus præstes quæ audis? An salutares Dei leges contemnendas esse putas, quarum observationem ad salutem & justificationem nihil nobis conferre posse arbitraris? Sed finem nobis proponit Christus, unum quidem illud ac necessarium, qui solus per se sit a nobis expetendus, & in quem unum bona omnia relata esse oportet; ut hinc intelligamus, eo præstantiorem vitæ rationem quosdam elegisse, quo minus distracti curis, eo liberius ac sincerius unum illud contemplantur, & ad illus rationem atque imaginem, quoad fieri potest, sese magis accommodant. *Psal. 26.*

Ceterum hodierno die, patres, hæ duæ nobis sorores in hunc maxime finem propositæ sunt, ut quorum animi aciem non poterat non præstringere splendor Mariæ Dei genitricis, & mentis quasi luminibus officere altitudo gloriæ; ex ancillis saltem dominam, ex pedisequis præcipuam mundi reginam utcunque depreheuderemus. Duo enim illa bene vivendi instituta, si in virgine matre expendere nobis libuerit, tanto conspicientur præstantiora, quanto illæ præclarissima hac virgine inferiores extiterunt; in qua, ut de vita, obitu, & glorificatione ejus brevissime pauca dicantur, cum excelluerit contemplandi studium, atque in ea altissimum etiam gradum attigerit, nobis non certe profuit solum; sed percussis prostratisque salutem attulit sancta illa & solers diligentia ministerii, quæ tam insigniter salutata ab angelo, ancillam se Domini professa, parata atque accincta ministerio, unigenitum Dei filium, splendorem gloriæ, & figuram substantiæ ejus, in virgineum uterum tam magnifice ac liberaliter excepit, ut virgineam carnem ex mundissimo illo sanguine, unde sanctissimum Dei & hominis corpus formaretur, munificentissime subministraverit, atque inde tanquam sponsus processerit e thalamo suo exultans ille gigas ad currendam viam patemi mandati, cujus a summo cœlo egressio fuerat. Unde ad nos salute derivata, gravi illa servitute liberati, adoptionem filiorum recepimus, ut non jam servi, sed filii, ac proinde hæredes regni per Deum simus. Cujus beneficii quis unquam nostrum immemor esse poterit, quod ejus sumus assecuti ministerio, quæ Christum nobis edidit, lactavit, ac materno etiam affectu solertissime educavit, quem nobis exhibuit omnibus sæculis expectatum servatorem totius mundi? Ut eam merito ad omnem memoriam magnis præclarisque monimentis commendatam celebremus, non insignem tantum virginem, sed præstanti etiam atque egregia prole fœcundam, cujus fœcunditas plusquam niveo candore integritatis ejus conspicua, non minus nobis fuit salubris, quam admirabilis; quæ multo quam antiqua illa & aurea urna felicior, non umbraticum, sed verum nobis manna conservavit, & velut plantatio rosæ in Jericho, quam non superbiæ scopuli, sed modestiæ & humilitatis planities protulit, florem illum campi enixa est omnium pulcherrimum,

cujus

cujus suavissimo odore semper afflata, quamvis de terra progenita, terrenæ tamen tæcis nihil inde contraxit,

Summam plane rem & excelsam, cujus magnitudinem admirari potius, quam assequi possumus, quod olim Deus Mosi abunde explicatum esse voluit, qui cum rubum vidisset multis quidem flammis ardere, & quod miraculo omnibus esse poterat, nulla parte aduri, atque ad illud spectaculum diligentius contuendum propius accessisset: prohibitus a Domino, substitit, jussus solvere calceamenta de pedibus, quod locus ille sanctus esset. Nimirum res tanta, de qua nunc agimus, hoc est admiranda illa fœcunditas, qua incarnati Verbi mysteria sensimus, cum integerrima virginitate conjuncta, quæ rubo ardenti nec combusto portendebatur, dignitatis plena ac majestatis, quam non capiunt angustiæ pectoris nostri, non egestas animi, non infirmitas ingenii sustinet, nos potius ad sui admirationem movere debet, & ad cultum excitare, quam ut ad eam penetrandam audaciores accedere debeamus: sed sobrie ac nudis pedibus tractanda res fuerit, ne oppressi a gloria, admirabiles illos sui amores, quos excitare solet, in nobis temere extinguamus. Suspicere autem, & multis etiam laudibus prosequi, cum cetera ad hanc rem spectantia, tum illud etiam maxime debemus, quod Aaroni veterum sacerdotum præfecto postea accidit, ut hoc etiam mysterii ipsi indulgeretur, dum virga illa insignis nullo humectata aquarum fluxu, ita germinavit, ut e turgentibus gemmis flores eruperint, ac dilatatis foliis fructus etiam omnibus placidissimus prodierit. Quid autem commemorem vellus illud Gedeonicum cœlesti consperssum rore in tanta terræ ariditate? quod quid aliud præsignabat, quam te virginem cœlesti afflatu gravidam, in quam superveniens Spiritus sanctus rem omnibus sæculis admirabilem operaretur? Quod ipsum Hieremias, ut nos rei novitate alliceret, ac delectaret, in hunc modum expressit: *Novum creavit Dominus super terram; fœmina circumdabit virum.* Hier. 31.

Sed omnium apertissime Esaias, qui ut Mosaicum rubum, & flores illos Aaroniticos, & quod alio ipse loco dixit, ascendens virgultum, & radicem de terra sitienti nobis exponeret, multa paucis complectens: *Ecce*, inquit, *virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel*, quod est, Nobiscum Deus, hoc est Deus homo, Verbum haud dubie caro factum, quod nostræ naturæ particeps, nobiscum una versaretur. Quod, ut rei magnitudinem admirati, non quidem vulgare & commune aliquid, sed præstans atque eximium deprehenderemus, signum a Domino datum fuisse, idem ipse propheta est abunde testatus, ne locus ullum Judæorum vesaniæ, quos prava hujus rei intelligentia transversos agit, relictus esse posse intelligatur. Quæ omnia promissa & a veteribus pronunciata patribus, angelus e cœlo missus nunciando exhibuit: *Concipies in utero*, inquit, *& paries filium, & vocabis nomen ejus* JESUM. *Hic erit magnus: & filius Altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis.* Idem nimirum ille, qui ex illæsa virgine natus, illæsam semper servavit, ut illæsa virgo esset & mater. At cujus mater? Ejus, de quo angelus tam egregie profitus est: *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei*: ut hinc vere Græci Θεοτόκον, nos vero Dei genitricem appellemus: quod in eos, qui in errorem impulsi, ab hac fide averti fuerant, sanctissimis frequentissimisque patrum conciliis, Ephesino & Constantinopolitano concilio generali quinto, sancitum ac declaratum fuit. Isai. 7. Luc. 1. Luc. 1.

Quoniam vero contemplandi studium præclaras, atque excellentes vitæ actiones non exornat modo, sed alit atque sustentat æternitatis ac Divinarum rerum meditatione: sic omnia vitæ exercitia permiscuit, ut splendorem rerum gestarum cum altitudine contemplationis, & hanc cum rebus gestis, ampliſſime fuerit complexa. Christum itaque dum pareret, lactaret, educaret, an non mens illa cœlestium rerum amore ardens, Divinitatis numen contemplata, cum humanis Divina, cum his quæ videbantur, invisibilia conferebat, quæ Christum in humana natura corporeis oculis dum videret, atque Divinam intelligendi vi, ac fide assequeretur, in utraque sit illum admirata & obsequiis prosecuta? Quam ipsam præstantem Divinarum rerum cum humanis collationem divus Lucas elegantissime nobis exposuit. *Maria*, inquit, *conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.* Quæ angeli legationem, Christi ortum, concursum pastorum, magorum obsequia, Simeonis & Annæ vaticinia, ac vetera etiam prophetarum oraculo, sedulo repetens, in singulis majestatem Divini Verbi; immortalem ac perpetuam naturam suspiciebat, ac venerabatur. Ut tandem inter ipsos etiam acerbos filii sui cruciatus, cum in cruce pro communi omnium salute penderet ac pateretur, sola Divini consilii ac immutabilis decreti Dei cogitatio ipsam recrearit: donec peracto magna ex parte vitæ suæ decursu, sublato jam in cœlum Christo, ne aliquando mens illa Divinorum contemplatione vacua esset, Hierosolymis in insigni illo cœnaculo deprecationi & obsecrationibus intenta una cum apostolis reperitur. *Erant*, inquit D. Lucas, *omnes perseverantes unanimiter in oratione, & obsecratione, cum mulieribus, & Maria matre* JESU. Luc. 2. Act. 1.

Hæc, magna cum sint, præclaris semper Deus beneficiis ornare solet, qui in sanctis suis omnibus glorioſus, ut in matre tamen præcipue divitias gloriæ suæ declararet, eximiis virtutibus insignem, ampliſſimis hodie triumphis, & clarissimo gloriæ ornamento decoravit. Cui cum ingens ille thesaurus esset in cœlo reconditus, ad illum Divinitus vocata, e vivis felicissime excessit, ea nimirum morte, quæ vitæ honestissime sanctissimeque actæ consentanea fuerit. Et quod nobis de Dei matre pie credere liceat, reassumpto incorrupto corpore ad vitam revocata, ut non solum anima, sed & corpore, gloria donaretur, tot hodie laudibus, tantaque beatorum omnium gratulatione in cœlum assumpta est: ut vere nova quædam lux cœlo ipsi illuxerit, cujus splendore cœlestis patria illustrata sit, & sancti novos ac gratos novi gaudii fructus perceperint. Quid enim potuit sublimius excogitari, & unde major ad illos lætitiæ causa accederet, quam eam cœlis præsentem vidisse, cujus in terris præsentia ipsis etiam angelis quamgratissima fuerit? cujus colloquio usus in terris Gabriel, hoc ipso nomine celeberrimus laudatissimusque sit habitus? Qui omnes in officio fuerunt, & ascendentis de deserto majestatem admirati, quæ tam insolitis deliciis affluerer, & dilecti sui innixa potentiæ, virtutem ac præstantiam dignitatis ostenderet, suis quisque laudum titulis cœlestia regna petentem efferentes, illi celsitudinem gloriæ, & sibi reeens felicitatis genus gratulabantur. Quod si aliquis cogitatione repetat, quanto totius populi applausu, quam splendidis

dis choris, quam ornatis, quam vario muſicæ inſtrumentorum genere teſtamenti arcam in civitatem ſuam voluerit David introductam eſſe: is plane intelliget, non defuiſſe virgini magnificos angelorum choros, non ſplendidam ſanctorum cohortem, non centum quadraginta quatuor millia
Apoc. 14. tenentium citharas in conſpectu throni & ſeniorum, & ante ſedem & ſeniores cantantium canticum novum: quæ non arca illa teſtamenti, ſed ſacrarium fuit æterni numinis, non legis Moſaicæ tabulas reconditas & ſervatas habuit, ſed evangelicæ legis & ſalutis omnium authorem magnificentiſſime ex ſe protulit, quæ non in terrenam hanc Hieruſalem a Davide, ſed in cœleſtem illam omnibus bonis affluentem a Chriſto, qui matrem unice colebat, inducebatur.

Quid vero referam igneos Heliæ curſus, equos igneos, & turbinem igne ardentem, qui cum totus zelo divini cultus exarſiſſet, hoc novo genere ſpectaculi in cœlum ſublatus eſt? cujus tum fervebat religionis amor, ut illud aliquando dicere fuerit auſus, (ſic enim de eo divus Hieronymus loquitur) ſe ſolum inter prophetas Dei relictum fuiſſe. Quos ego ignes cum ferventi caritatis ardore, quo æternas hodie regiones Deipara virgo petiit, conferendos eſſe non cenſeo, quæ Divino amore flagrans aſcendit, velut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & univerſi pulveris pigmentarii, Spiritus ſancti igne accenſa, ut vere quaſi myrrha electa dederit ſuavitatem odoris, & odor veſtimentorum ejus, ſicut odor thuris, omnibus ſuaviſſime ſpiraverit; &, quod Helias de ſe aſſerebat inter prophetas Dei, ſola ipſa relicta ſit inter obſervatrices Divini cultus fœminas, quæ Divinis beneficiis omnes facile ſuperaret; quæ pro lucidiſſimo illo lucifero, qui mane oriebatur, affectata tamen tyrannide infeliciſſime de cœlo decidit, nova hodie oritur aurora, quæ diſcuſſis jam ab initio omnibus peccati tenebris, & cœleſti nunc gloria ſplendens ac rutilans, ad intuendam clariſſimam pulcherrimamque ſummi boni lucem nos ducit; quæ non ſuperbo & elato animo ſuper cœli ſydera exaltat ſolium ſuum, non montem teſtamenti, & latera aquilonis ambit, non ſimilitudinem Dei tyrannice affectat, ſed miti ac humili animo, omnibuſque virtutum numeris abſolutiſſima, ſolium nacta eſt omnibus cœli ſyderibus excelſius, ad verticem cœleſtis montis Sion, & in ea Dei ſimilitudine, quam ejus genitricem aſſecutam fuiſſe decuit: ubi repletur in bonis deſiderium tuum, ubi magna eſt gloria tua in ſalutari tuo, ubi gloria & honore coronata ſatiaris ubertate magnificentiſſimæ domus iſtius, e quo bonorum omnium torrente nos omnes abunde
Pſal. 83. potare poſſis: *Concupiſcit enim & deficit anima noſtra in atria Domini, & melior eſt dies una in atriis tuis ſuper millia.* Ubi tot te cœli procerum multitudo multo ſupra ſe elevatam venerabunda ſuſpicit, colit, obſervat, teque auguſtam cœli reginam profitetur. Tu in cœleſti iſta eccleſia triumphis ornata, militantis hujus eccleſiæ ſuſcepto patrocinio, ipſius cauſam agis.

Hæc enim eſt, patres, cujus beneficio noſtræ huic eccleſiæ multa ſubinde ac varia bona obveniunt, quam non deſtituit protectione, ſed fovet, tuetur, amplectitur, ut in afflictis eccleſiæ rebus ſolatium magnum in ejus præſidio poſitum eſſe experiamur. Illo enim aſcendit fructus terræ ſublimis, quod divus Bernardus pie & graviter dixit, unde ad nos data optima, & dona perfecta deſcendunt: qua cœleſtium bonorum communicatione eccleſia noſtra vim ſuam omnem, & authoritatem conſervatam retinet. Tanta eſt ejus cum ſuperiori illa connexio, ut duabus inter ſe apte cohærentibus ac colligatis, felici quodam fœdere humana Divinis, terrena cœleſtibus, ima ſummis copulentur.

Hæc enim militans ad illius cœleſtis exemplar expreſſa, in illa vim ſuam fundatam atque optime conſtitutam habet: hæc illa ſubeſt, ab illa pendet, illius ſimilitudinem gerit; & ut ad illam feliciſſime aſpirat, ita ab eadem illa aſſidua moderatione gubernatur & regitur. Adeo ut illud mirum quibuſdam maxime videri aliquando ſoleat, (ut ad hoc tandem noſtra etiam deſcendat oratio) qui fieri poſſit, ut in tanta utriuſque eccleſiæ conſenſione tot quotidie lites, tot hominum diſſidia in hac noſtra eccleſia oboriantur, quibus eam tam acriter premi, ac divexari videmus; cui cum Divinum præſidium nec defuerit unquam, nec hoc tempore, aut in poſterum defuturum ſit, multa tamen ejus difficillima tempora extiterint, quibus variis agitata & concuſſa tumultibus, vix ullam pacis aut otii ſpem habuiſſe videretur. Ne quid de noſtro hoc tempore dicam, quo multi liberioris vitæ appetentes, excuſſo fere ſuis cervicibus ſuavi ac miti jugo Chriſti, vix ulla lege, niſi quam ipſis ſuo ſenſu interpretari liceat, & ad ſuos affectus torquere, contineri volunt. Quid? An non Deus potenter eccleſiam ſuam tuetur? an non ingens eſt & infinita præſidii Divini vis? Eſt quidem, patres, eſt, inquam, ac proinde firma & conſtans manſit ſemper eccleſia. Quod vero ejus pace percurbata, anguſtior aliquando, & brevioribus ſolito terminis contracta fuerit: tantum abeſt, ut ob id Divini præſidii viribus noſtra exiſtimatione quidquam detractum eſſe debeat; ut hinc maxime immenſa Dei potentia eluceat, cum in mediis perſecutionum tumultibus, rebellantibus multis, & omnibus ſuis machinis in eccleſiam contendentibus, ſervatam ejus authoritatem, & nihilo imminutam videmus. Communis autem ereptæ pacis culpam utinam in ipſos tantum ſeditionis authores ejiciendam eſſe exiſtimare poſſemus! Sed illud maxime vereor, quod veſtris tamen ſententiis, patres, decerni potius, quam mea velim, ne fortaſſe aliqua etiam ex parte ejus rei cauſa illis imputari poſſit, quos oportuerat in eccleſia paſtores eſſe vigiles, qui univerſo gregi diligenter attendentes, adverſum hominum ſcelera propoſito ad virtutem clariſſimo exemplo conſtanter dimicarent: quos neque principum favor, neque propriæ utilitatis appetitus, neque tribulatio, neque anguſtia, neque perſecutio, neque periculum, neque gladius, a caritate Chriſti ſepararent; qui ſolam in functionibus ſuis obeundis & tractandis, Chriſti & eccleſiæ rationem haberent. Plurimum enim refert, quales hi ſint, & quanta animi magnitudine eccleſiæ dignitatem defendendam ſuſcipiant, qui primum in ea locum obtinuerunt. Ut enim vitiorum contagia facile ſerpunt ad plurimos a primariis viris profecta: ita virtutis exemplum non ſolum ab omnibus commendatur, ſed illis etiam maxime prodeſt, ſi a claris authoribus fuerit exortum. Quod cum ſemper neceſſarium ſit, in hac tamen tanta temporum difficultate tantum habet momenti ad ſedandas rerum diſcordias, ut hac in re ſpes omnis collocata ſit pacis & quietis, ſi in caritate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma juſtitiæ,

tiæ, hominum improbitati reſtiteritis, fidemque A veſtram & integritatem omnibus probari ſedulo curaveritis.

Hæc enim præcipua eſt ratio tuendæ religionis, quam apud eos neglectam & proſtratam videmus, qui ſublata morum æquitate, arbitrio ſuo & voluntati fræna laxarunt. Oppreſſa religione quid, quæſo, integrum remanere poterit? Judicent ii, apud quos ſimul atque obtinuit religionis neglectus, jacuit ſtatim contempta legum ſeveritas, mos majorum ſublatus, fides Deo data & obſtricta violata eſt, vixit unuſquiſque ſuo ſenſu & arbitrio, ut nulla pietas, nullus metus, nullus pudor tenuerit homines; direptæ eccleſiæ, exciſa monaſteria, rapta bona: ut nihil fuerit in tanta promiſcuæ plebis atrocitate, quod metuendum eſſe B videretur, quod curſum tantæ audaciæ retardare poſſet. Ingentem ſane calamitatem, quam quoties in mentem revoco, magnæ alicujus ruinæ metus ſeſe in animum ingerit, ne tot malis offenſus Deus, atrociſſimas aliquando corruptæ religionis pœnas exigat. Quis enim non cenſeat ea rejicienda non fuiſſe, ſed ferenda potius libenter, quæ, non dico, tulerunt tot proceres, tot hæroes, tot lumina religionis, ſed introduxerunt in eccleſiam, & cœleſti ſapientia, Divinaque authoritate, ad ſalutem omnium conſtituerunt? At quinam viri? Doctrina excellentes, ſapientia clari, pietate conſpicui, ſanctitate verendi, quorum aliqui C non dubitarunt pro evangelii veritate, pro Chriſti nomine, & eccleſiæ dignitate, ſanguinem ſuum profundere. Horum pietatem, doctrinam, authoritatem, ad revocandos in eccleſiam illorum animos, quos Chriſtus una nobiſcum redemit, plurimum poſſe debere, quis non videt? Ut unum omnes caput in uno corpore, non diſtracto illo quidem & diviſo, ſed arctiſſimo vinculo caritatis conjuncto, agnoſcamur. Veſtrum autem erit, patres, quos ad eccleſiæ authoritatem propugnandam ſpiritus Dei in hunc locum collegit, illius dignitatem diligenter ac ſedulo cogitare, qui aliorum duces & anteſignani, quo validiori tempeſtate jactatur, ac quo minus ingentibus copiis atque præſidiis oppugnari deſinit, hoc majori ſtudio & diligentia ſuſcepti a vobis muneris meminiſſe D debetis: ut ea ſit ratio & magnitudo animorum veſtrorum, ut nullum vos incommodum a vera laude abſtrahat, ſed in excellenti eccleſiæ dignitate, omnia ad gloriam ſplendoremque revocetis: ut nulla neque in periculis fortitudo, neque in agendo induſtria, nullum in providendo conſilium, aut ulla in conficiendo celeritas, a vobis prætermiſſa fuiſſe videatur. Hæc enim fuerunt ſemper clariſſimorum hominum conſilia & facta; hæc de eorum virtute audivimus, hæc accepimus, hæc legimus: neque eos in laude eſſe poſitos videmus, quorum inſignes conatus in medio curſu ſunt facti, & leviter inconſtantiæ vitio a rebus optime inchoatis reſilierunt: ſed qui authoritate, fide, conſtantia, magnitudine animi, in rebus eccleſiæ promovendis perſtiterunt; ii graves, ii præſtantes, ii duces, ii eccleſiæ principes ſemper ſunt habiti.

Quibus animi virtutibus ut quiſque veſtrum inſtructiſſimus eſt, ita enitendum ei maxime fuerit, ut ad excellentem earum laudem provehatur. Poſita eſt enim in ſpe atque expectatione iſtius concilii eccleſia, in quo tum afflictis rebus opem, tum oppreſſis ſubſidium aliquod inveniat: ad quod ipſum vos maxime adhortatur Julius ſummus pontifex, cujus nulla res tanta fuerit, quæ non regi conſilio, virtute confici, & authoritate conſervari poſſit. Idem contendit ſummo ſtudio Carolus imperator auguſtiſſimus, cujus eximiam ac Divinam animi magnitudinem in componendis diſſidiis, in concilianda pace, & eccleſiæ dignitate defendenda, omnes abunde cognoviſtis. Quod cum humanis viribus, non dico, confici, ſed ne cogitatione quidem concipi poſſit: ſummum Dei optimi maximi præſidium communibus omnium votis imploremus, quod inexhauſtæ ipſius clementiæ fiſi ſperemus nos facile conſecuturos eſſe, beatiſſima præſertim virgine auxiliatrice noſtra, ſuis nos precibus ſuffragante, quæ ut ſolet exorabilem ſe nobis maxime præbere, in conſervanda certe religione minus ſua ope eſt deſertura. Quo fiet, ut & diſſidia ſedari facile poſſint, & conſtabilita una atque eadem communium conſiliorum & voluntatum ſocietate, communi totius eccleſiæ tranquillitati diligentiſſime conſulatur.

VITA

VITA JULII PAPÆ III.

Julius quãdo pontifex factus. * Arctinus ubique dicitur.

IULIUS hujus nominis tertius, antea Joannes Maria de Monte appellatus, natione * Romanus, a Paulo III. in numerum cardinalium adscitus, postquam ejus nomine multas legationes obiisset, primisque sessionibus quibusdam concilii Tridentini præsedisset, primus eorum qui per adorationem electi sunt, non expectato, ut vocant, scrutinio, sed voce tenus omnium vel saltem duarum partium cardinalium consensu in locum defuncti Pauli III. subrogatus est, septimo idus Februarii, anno jubilei millesimo quingentesimo quinquagesimo, tempore Caroli V. Imperatoris. Initio pontificatus indulgentias jubilei promulgavit, rogatuque Caroli quinti imperatoris intermissum Tridentinum concilium continuari mandavit. Urbem Romam provida frumentorum procuratione a gravi annona liberavit. Cumque Octavius Farnesius commissam sibi communi cardinalium consensu Parmam urbem Gallorum præsidio muniviset, seque in eorumdem clientelam tradidisset, armis & potentia imperatoris fretus Octavio bellum intulit, fratremque ejusdem cardinalem Farnesium Florentiam relegavit. Finem belli pacisque ineundæ desiderium attulit interitus Joannis Baptistæ pontificis nepotis; quem ictu sclopeti hoc bello occubuisse gravissime tulit. Simonem Maniam orientalis ecclesiæ trans Euphratem administratorem, metropolitanum generalem, Simoni Sulakæ ibidem canonice & legitime suffectum, virum spectatæ fidei, insignisque eruditionis, ad confirmationem suæ electionis a sede apostolica impetrandam ex oriente Romam accedentem, post emissam suo suæque ecclesiæ nomine publicam fidei perfessionem, obedientiamque sedi apostolicæ jurato promissam: in munere & officio credito confirmavit, jureque pallii donavit.

Concilium Tridentinum continuatur.

Orientalis Indiæ metropolitanus confirmatur.

Senensium animis ad arma conversis, nova dissidia inter Cæsarem & Gallorum regem pontifex subodorans, ad utrosque pro concordia legatos frustra misit. Urbi tuendæ octo millia peditum duce Camillo Ursino conscripsit & assignavit. Interea dum in Etruria omnia armis circumsonarent, pacis inter utrumque principem conciliandæ spe & studio Viterbium concessit: verum re infecta ad urbem remeare coactus est. Duci Cosmo contra Senenses suppetias tulit. Cui gratam vicissitudinem ut rependeret Cosmus, opidum montis sancti Sabini sub marchionatus titulo Balduino pontificis fratri addixit. Philippum Caroli quinti filium, cum Mariæ Angliæ regina conjugatum, regno Neapolitano investivit. Hujus tempore bellum Lutheranorum contra Zuinglianos, propter civilia bella imperatoris adversus protestantes & hæreticos simulata concordia triennio intermissum, a Joachimo Vvestphalo, edito libello sacramentariorum confusaneas & inter se dissidentes opiniones de cœna domini continente, instauratur. Tale dissidium numquam postea potuit extingui, sed magis ac magis exarsit, scriptis ab utriusque partis doctis & indoctis, multis libris, orationibus, dialogis, confessionibus, epistolis, adeo ut majori quam unquam antea impetu sursum ac deorsum res agitata fuerit. Lutherani multas habuerunt synodos, quibus de opprimendis sacramentariis actitarunt: multi eorum se junxerunt catholicis, ut Zuinglianos facilius opprimerent, in quos tanquam pestilentissimos hæreticos acerbe invehebantur, eisque aqua & igni interdicebant: nec erant contenti, nisi omnes expresse profiterentur, non se tantum, sed etiam impios, corpus & sanguinem Christi corporaliter & substantialiter ore corporis manducare.

Bellum inter Lutera- nos & Zuinglianos quale?

Quidam hoc tempore, qui per Galliam dicebat se habere spiritum divi Joannis evangelistæ, exuritur Tolosæ: alter visus est Lutetiæ & Basileæ, qui genio Petri duce se frui contenderet: alius etiam Basileæ asserere ausus est se Mosis angelum habere. *Surius in historia.*

David Georgius quis?

David Georgius impudenter per Hollandiam & Frisiam scribebat, se esse verum messiam, & Dei nepotem, & non ex carne natum, sed ex sancto Spiritu. Jonas cocus Lutheri se justum Jonam, Osiander se Enochum secundum prædicabat. *Surius in idem historia.*

Obitus Julii papæ.

Julius papa tandem ad quietem conversus, ut dolores ex podagra superaret, incidit in febrim, fatoque cessit anno domini millesimo quingentesimo quinquagesimoquinto, cum sedisset annos quinque, & dies decem. Ejus corpore apud sanctum Petrum sepulto, vacavit sedes diebus septemdecim.

OBSERVATIO PHILIPPI LABBE, S. J.

Antequam concilii Narbonensis regulas ex editione Tolosana anni 1552. in 4. quam exhibuit Parisiensis anni 1646. cura & studio V. C. Ludovici Odespun de la Meschiniere Turonensis presbyteri procurata, in medium producam, meminerit, amabo, lector temporum observator diligens, huc omnino pertinere sex concilii Tridentini sessiones ab XI. ad XVI. Illæ enim sub Julio III. pontifice maximo annis 1551. & 1552. celebratæ fuerunt. Vide hujus tomi XX. pag. 69. & sequentes usque ad 112. neque omittendas censeo orationes, aliaque acta, quæ sub eodem papa Trideni habita in eodem volumine prostant ex collectione Lovaniensi anni 1567. excusa pag. 317. & sequentibus.

CON-

ANNO CHRISTI 1551.

CONCILIUM NARBONENSE,

ANNO MDLI.

Canones, seu regulæ ecclesiastici juris restituendi gratia editæ, in provinciali concilio Narbonensi, celebrato Narbonæ die decimo mensis Decembris, anno domini 1551. usque ad diem vicesimum mensis ejusdem Decembris; quo die peractum fuit. Præside reverendo patre domino Alexandro Zerbinatis, juris professore, sanctæ sedis apostolicæ protonotario: vicario reverendissimi in Christo patris domini, domini Francisci, miseratione divina tituli S. Marci diaconi, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis a Pisanis nuncupati, Narbonensis archiepiscopi & primatis: Una cum vicariis reverendorum in Christo patrum dominorum episcoporum Biterrensis, Carcassonensis, Montispessulani, Lodovensis, Uticensis, Agathensis, Nemausensis, Electensis, & S. Pontii Thomeriarum, Narbonensis archiepiscopas, & provinciæ suffraganeorum: ac abbate Caunensi, Diœcesis Narbonensis.

Assistentibus etiam procuratoribus seu syndicis ecclesiarum metropolitanæ Narbonensis, cathedralium Biterrensis, Carcassonensis, Montispessulani, Agathensis, Nemausensis, Electensis, & S. Pontii Thomeriarum: episcopo vero Elnensi uno etiam ex suffragatoribus provinciæ ejusdem; aliisque vocatis absentibus, ut ex actorum contextu, seu processu (ut vocant) verbali, his de rebus facto, latius perspicuum esse poterit.

INDEX TITULORUM.

Præfatio.
De fide catholica.
De pastoribus & gregibus.
De rebus percontandis, sive scrutinio circa qualitatem ordinandorum, ætatem videlicet, genus, mores, titulum, literaturam & alia.
De ætate prædicta in ordinandis requisita.
De moribus ordinandorum prætactis.
De prædicto genere ordinandorum.
De literis attestatoriis ordinandorum quoad tria prætacta.
De titulo prædicto a promovendis exquirendo.
De literatura & scientia ordinandorum jam tacta.
De corpore vitiatis.
De dimissoriis literis.
De dimissoriis eisdem.
De clericis peregrinis.
De vita & honestate clericorum.
De tonsura & habitu clericalibus.
De habitu & tonsura monachorum & religiosorum.
De tabernis, crapula & ebrietatibus clericis prohibitis.
De ludis clericis prohibitis.
De choreis, larvis & joculationibus clericis prohibitis.
De armis clericis prohibitis.
Negotiationes clericis prohibitæ.
Ne clerici cum mulieribus habitent, deque eorumdem castitate & pudicitia.
De filiis presbyterorum.
De foro competenti.
De excessibus subditorum in jurisdictione sæculi prælatorum.
De qualitate præficiendorum ecclesiis, de residentia, officio & administratione eorumdem.
De clericis non residentibus.
De qualitate vice gerentium seu vicariorum temporalium.
De salario vicariorum prædictorum.
De prædictis & hospitalitate.
De institutione auctorisabili vicegerentis, seu vicarii temporalis.
De residentia in domo presbyterali, & de reparationibus ejusdem ac ecclesiarum.
De registro baptisandorum, & decedentium.
Libri rectoribus habendi.
De instructione populi & prædicatione verbi Dei.
De missa parochiali juxta præceptum ecclesiæ audienda.
De prædicantibus advenis seu peregrinis.
De custodia, reverentia, & renovatione eucharistiæ ac chrismatis, & de custodia fontium baptismalium.
De vasis & ornamentis ecclesiarum.
Curatum alii presbyteri coadjuvent.
Ne aliquid pro spiritualibus exigatur seu promittatur.
De synodo diœcesani.
De præbenda theologali in ecclesiis cathedralibus.
De capellis & beneficiis ruralibus, & aliis sine cura, seu officio detentis.
De celebratione missarum, horis canonicis, aliisque divinis officiis.
De cura prælatorum circa divinum officium, deque spectaculis & aliis ludibriis in ecclesia non faciendis.
De choreis & tripudiis in ecclesiis & cœmeteriis & comessationibus, seu de fructibus prohibitis.
De officio divino prædicto, devote & cum silentio reverenter audiendo.
De feriis, seu festorum observatione.
De sacramentis pœnitentiæ & eucharistiæ.
Confessionalia.
Medici vocati ad infirmos eos inducant ad confitendum.
De sacramento matrimonii.
De sacramento matrimonii prædicto, videlicet quoad adulteros & concubinarios.
De statu regularium.
De magistris & rectoribus scholarum.
De hæreticis & sortilegis.
De quæstoribus.
De visitationibus & procurationibus.
De sententia excommunicationis.
De dispensationibus.
De rebus & negotiis ecclesiasticis.
De decimis.
De eleemosynarum quæstoribus pro fabricis, ordinamentis & luminaribus ac suffragiis in ecclesiis.
De cautela circa literas & documenta rerum ecclesiæ.
Conclusio.

D. ALE-

ANNO CHRISTI 1551.

D. ALEXANDRI ZERBINATIS,

ARCHIEP. NARBONENSIS

VICARII AD CONSORTES SUOS,

CHRISTIANOSQUE OMNES,

PRÆFATIO.

OPTIMA, & Deo gratiſſima vivendi, Chriſtianæque rei adminiſtrandæ ratio, a ſanctis patribus, veluti per manus nobis tradita eſt: quorum veſtigiis, ſumma diligentia, & animi ſinceritate inſiſtendum eſt: quod nihil hac in re ſine maximo Chriſtianæ religionis detrimento navari poſſit. Provincialia itaque concilia a metropolitanis, cum ſuffragatoribus, ſuiſque fratribus, ſingulis annis, negato cuilibet excuſationi loco, in maximum eccleſiæ commodum & utilitatem fieri voluerunt, duobus potiſſimum argumentis adducti. Nempe cum a ſacerdotibus (quos hominum piſcatores Deus eſſe juſſit) rudis, & imperiti populi inſtitutio pendeat, ut eorum omnium impuri, ſordidique mores, & indigna Chriſtianis hominibus vitia corrigantur. Ubi enim quorum exemplis moveri debent alii, vitæ ſuæ turpitudinem emendarint, facillimum erit reliquorum ſordes eluere. Tum, ut quæ inter varios eccleſiæ ordines controverſiæ naſci ſolent, componantur: ne Chriſtiana religio, veluti navicula quædam, in vaſto hujus mundi pelago ſita, huc illuc contentionum fluctibus agitata, naufragium faciat. Nihil enim rixarum, litiumque procellis & tempeſtatibus apud eum fœdius eſſe poteſt, qui apoſtolis in undoſo intumeſcentique mari periclitantibus opem ferens, ita ventis imperavit, ut ſubſequuta ſit tranquillitas magna. Emendandi ſunt igitur corrupti eorum mores, qui cum lingua Chriſtianam vitam profiteantur, eam actionibus omnino negare videntur. Quod præſertim in ſacerdotibus deprehenditur, qui exemplo clari, aliis prælucere debent, ut eos ad rem præclare gerendam commoveant. Horum itaque correctio, non mediocrem eccleſiæ utilitatem afferet. Nam, ut plurima incommoda eorum cupiditates pepererunt, quos cum naviculæ ſuæ Deus præfeciſſet, ut aureo illo evangelico hamo, homines vitiis obrutos, veluti piſces in maris profundo demerſos captarent, nullis tamen flagitiorum generibus parcebant, ſic perſpecta omnibus ipſorum modeſtia, ſplendidiſſimarum in omnium animis virtutum erit fœcundiſſima mater. Quis neſciat rudem populum cum ſacerdotes videret innumeris voluptatum illecebris adduci, eam induiſſe opinionem, ut eos arbitraretur aliud ore loqui, quam pectore ſentirent? Ut enim naturali quadam propenſione ad mala animo concipienda faciliores ſumus, quam ad ea in quibus virtutis ſplendor elucet, id bonum & æquum eſſe ſibi perſuadere non poterant imperiti, cui præceptores ipſi quotidiana actione repugnarent. Nam firma, ſtabilia & conſentanea debent eſſe præcepta. Hinc permultæ hæreſes exortæ ſunt: quæ in diaboli verſutiſſimi earum authoris infeſtiſſimum caput retorquebuntur, ſi cum vita recurrat ſacerdotum oratio. Uno enim omnium conſenſu veriſſimum eſt, qui de re aliqua, fidem facturus ſit, id felicius aſſequi non poſſe, quam ſi quæ dicit, ipſe præſtet. Quod locupletiſſime teſtatum nobis reliquit Jeſus Chriſtus: qui cœpit facere, & poſtea docere: ne fictitiis & commentitiis quibuſdam fabulis populo imponere videretur. Hoc autem minimo negotio præſtabunt, qui ad ſacratiſſimum ſacerdotii gradum a Spiritu ſancto (cum ſit virtutum omnium fons uberrimus) vocati fuerint. Eſt enim jugum Chriſti ſuave: his nimirum, qui naturæ vitiis reluctantes, ſincero pectore, ut aurarii fabri coticula, & Lydio lapide, puriſſimum aurum a ſcoria, ſic vitium a virtute ſecernunt: quique critica quadam animi cenſura, vitæ ſuæ officia diſcutientes, ea ingenuo Dei timore metiuntur, quem regius ille vates, initium ſapientiæ vocat. Hanc igitur vivendi rationem ſi præ oculis habeant, qui a Deo plebis erudiendæ munus ſuſceperunt, brevi aurea illa ſæcula, vel etiam illis meliora, & longe feliciora rediiſſe comperiemus: at ſi quam hactenus præſtiterunt, perſequantur, periculum eſt non mediocre, ne divagantes ultro citroque ovium greges, paſtorum incuria, luporum inſidiis opprimantur. Quos dominus a propheta his verbis admonitos voluit. Væ Paſtoribus Iſrael, qui paſcebant ſemetipſos, &c. Quibus, quacumque litera exprimit comminatum eſſe dominum, non dubium eſt eadem ad nos referri. Otioſi autem paſtores ob id majori animadverſione digni ſunt, quod non ſibi ſolis, ſed & pecudibus ſuis injuriam faciant: negato illis cœleſti pabulo: quo niſi in terris fruantur, perpetuum illum & immortalem cibum (ubi corporis ergaſtulo liberatæ fuerint) conſequi non poſſunt. Neminem in cœlis agnoſcit Deus, qui eum antea in terris non cognoverit. Quare, cum Chriſtianæ reipublicæ, hac in provincia Narbonenſi adminiſtratio nobis commiſſa ſit, ne prorſus officio ſuo paſtores abuterentur, eorumque negligentia incautæ pecudes omnino deperirent, vos omnes (quibus prima eccleſiæ adminiſtratio credita eſt) convocandos putavimus: ut quæ ad eccleſiæ miniſtrorum aliorumque omnium emendationem utilia Spiritus ſanctus (cujus ſi deſit opera, labor omnis vanus & inanis eſt) nobis dictaret, diligentiſſime exequenda curaremus, hac potiſſimum ratione moti, quod a pluribus annis, propter bellicos tumultus, aliaque multa temporum incommoda, concilio convocato, rei Chriſtianæ non fuerit proſpectum. Hoc autem (ut ex animi ſententia fiat) commodiſſimum fuerit, ſi antequam de paſtoribus, aliiſque clericis agamus, certiſſima fidei Chriſtianæ præcepta, omnibus alta mente, imiſque ſenſibus reponenda præſcribamus: quod hac incognita, gratus Deo eſſe nemo poſſit. Nam (ut probatiſſimus ille doctor eccleſiæ Paulus ſecundo ad Hebræos capite ſcribit) accedentem ad Deum oportet credere: Niſi enim credideritis (ut cap. 7. canit Iſaias propheta) non intelligetis. Quare, ut quæ ad noſtram ſalutem, & reſtituendam priſtino nitori eccleſiam, neceſſario faciunt, perfecte intelligantur, hanc fidei regulam Chriſticolis omnibus exacte cognoſcendam proponimus, de paſtorum aliorumque officio poſtea dicturi.

De fide catholica.

Canon I.

UNAM ſanctam, catholicam, & apoſtolicam eccleſiam (cujus caput Chriſtus eſt) ſub imperio & auctoritate ſanctiſſimi domini noſtri

Anno Christi 1551.

Papæ, firmo, constantique animo credimus: manſuetutoque ac demiſſo profitemur. Cui omnes parere debent: & nos illi obſequimur, credentes & recipientes puro & ſincero corde, quicquid a ſancta Romana eccleſia, ſanctiſque patribus, in conciliis, duce Spiritu ſancto, ut par erat congregatis, nobis traditum & ſancitum eſt. Nolentes a vero, & nobis relicto a ſancta Romana eccleſia, ſanctiſque patribus confirmato tramite aberrare.

Et quoniam a novis quibuſdam hæreticis, hac noſtra infelici tempeſtate, tragœdias inter Chriſtianos moventibus, in nonnullis axiomatibus (de quibus jam ſæpius lata eſt ſententia) hæſitatur, ita ut non vereantur peſtiferis dogmatibus eouſque gregem exagitare, ut conſumptus, verius quam dilaniatus dici poſſit. Hnic tandem malo omni ſtudio & diligentia occurrendum eſſe duximus: ne prorſus de re Chriſtiana (quod Deus avertat) actum ſit.

Has itaque hæreſes, noſtra confeſſione funditus exterminatas, & radicitus extirpatas volentes, quæ ſubſequuntur (& ſi ea complectatur ſuperior generalis confeſſio) exprimenda tamen ſpeciatim, ad falſas hujuſmodi opiniones confutandas putavimus.

Septem imprimis eccleſiæ ſacramenta (quibus Spiritus ſancti gratia in obſequentes, & non obicem opponentes confertur) puro, & integro pectore confitemur; quæ (ut locupletiſſime ſacrorum canonum ſtatuta, & orthodoxæ eccleſiæ teſtantur) quilibet Chriſtianis pie, conſtanter, & magna cum admiratione, venerari & recipere, ut cujuſque perſona & qualitas eſt, debet.

Et quia de loco, in quo bene in terris viventium animæ, ubi corporeis vinculis ſolutæ fuerint, purgantur (unde purgatorium dicitur) hæretici quidam impie judicarunt, rejecta eorum ſententia, unum credimus. Itaque ſanctum & utile cenſemus orare pro mortuis, ut a peccatis abſolvantur.

Quæcumque de vera ſacramentali confeſſione, de miſſarum celebratione, deque miſſis audiendis ac ſacroſancto euchariſtiæ ſacramento, a Chriſtianis omnibus adorando, & ſacramentaliter recipiendo, a ſancta Romana eccleſia nobis tradita ſunt, pia & ſincera mente recipimus: atque ut diligenter prædicentur, & ſacerdotum diligentia, ab omnibus obſerventur, ſeveriſſime jubemus.

Orationes ſanctorum nunc cum Chriſto regnantium, præcipue virginis Mariæ, nobis & omni populo Chriſtiano profuturas, ut orthodoxa mater tradit eccleſia exuta omni hæſitatione confitemur. Quare ſanctiſſimam Dei genitricem Mariam, omneſque ſanctos & ſanctas, venerandos & invocandos, ut ritus & ſanctæ Romanæ eccleſiæ præceptiones docent, profitemur & decernimus; præcipimuſque, ut idem Chriſtiani omnes credant.

Dies feſtos domini, virginis Mariæ, divorumque & ſanctorum omnium: necnon jejunia, tam quadrageſimæ, quam alia ab eccleſia nobis indicta, abſtinentias, peregrinationes, vota & eccleſiæ militantis ceremonias, a ſancta Romana eccleſia nobis traditas, & laudandis conſuetudinibus confirmatas recipientes, ab omnibus Chriſtianis, præſertim clericis obſervari, & conſtantiſſime, maximaque animi ſinceritate cuſtodiri præcipimus.

Neque prætermittenda cenſemus, quæ a ſancta matre eccleſia Romana, ſanctiſque patribus de imaginibus in eccleſia conſtituendis, hiſque ſanctis venerandis, quorum in templo conſtitutæ ſunt imagines; deque libero arbitrio, fide & actionibus, vere, Chriſtianeque nobis prodita & præcepta ſunt. Quæ omnia, firmo, intrepido, & conſtanti animo admittimus, & confitemur: credendaque, & ab omnibus Chriſtianæ legis profeſſoribus ſervanda hoc decreto cenſemus.

Anno Christi 1551.

In lucem edita ſunt a dominis doctoribus facultatis Sorbonæ Pariſienſis Chriſtianæ legis axiomata die 10. Martii, anno ſalutis noſtræ 1542. facta: quibus quæcumque hactenus dicta ſunt, conſentanea intelligi, ſpeciatim exprimi, & promulgari volumus. Quæ quidem, tanquam vera, orthodoxa, & Chriſtianæ religioni conſona recipimus: eaque prædicari, & palam exponi in ſacrificio miſſæ faciendo, & concionibus habendis, exacte jubemus. Quod qui factum noluerit, veluti refractarium, ex Chriſtianorum communitate exterminandum judicamus.

Præterea, eos omnes cujuſcumque ſexus, dignitatis, gradus, & conditionis fuerint, qui aliud quam Romana credit & profitetur eccleſia, perſuaſum habere, & obſtinato pertinacique animo aſſerere audeant, ejuſdem concilii auctoritate velut hæreticos a communione & ſancta fidelium ſocietate ſeparari volumus.

De paſtoribus & gregibus.

Canon II.

Hucuſque ſatis dictum eſt de his quæ ad intelligendam fidei Chriſtianæ vim pertinent. Nunc ſupereſt, ut de paſtoribus, eorumque gregibus verba facturi fidem exolvamus. Et quia hoc paſtorum eſſe officium antea diximus, ut optimis vitæ exemplis, ad res præclare gerendas alios commoveant; ne, ſi cæcus cæcum ducat, ambo in foveam cadant, non ab inſtituto alienum fuerit, a paſtoribus exordium fumere, ut perſpicuum eſſe poſſit, quomodo deſignandi & creandi ſint: quantum ad manuum impoſitionem attinet, tum quo munere fungi debeant. Qua in re, quid priſtino nitori reſtituendum ſit, ex ſequentium contextu facillime elucebit.

De rebus percontandis, ſive ſcrutinio circa qualitatem ordinandorum, ætatem videlicet, genus, mores, titulum, literaturam & alia.

Canon III.

Quod ad manuum impoſitionem, ordinum videlicet collationem ſpectat, quibuſcum & Dei confertur gratia, præſcriptas a ſanctis patribus regulas, apoſtolicaſque præceptiones recenſendo, id inſtitutum præceptumque videmus, manus nemini cito imponendas, neque aliena peccata habenda eſſe communia: ut (id audendo) quis ea participare cenſeretur. Itaque prius probentur, & ſic miniſtrent. Hac de re verba facientes ſancti patres, ſcriptis teſtatum nobis reliquerunt, manus cito imponi, ubi ante ætatis maturitatem, ante tempus examinis, ante meritum obedientiæ, ante experientiam doctrinæ, ſacerdotalem honorem non probatis tribue-

ANNO CHRISTI 1551.

tribuere quis non dubitaverit: & sic qui designat, seu sacerdotii auctoritatem confert, aliena peccata habere communia. Quare utrique, designanti scilicet & designato, canonum pœnæ infliguntur.

Et quia eligendi sunt ad ministerium clerici, qui digne possint sacramenta tractare (melius est enim domini sacerdotes paucos habere ministros qui (ut par est) sacrorum administrationi invigilare queant, quam multos inutiles, qui ignavia sua efficiant, ut quæ admiranda, maximoque honore prosequenda est sacerdotii designatio, contemptui habeatur) non mediocrem ad examinandos, creandosque sacrorum ministros adhibendam esse diligentiam, sancti patres tradiderunt, & severe præceperunt. Nempe, ut si episcopus aliquos ad sacros ordines promotos velit, ipse cognoscat, vel eligat sacerdotes aliosque viros prudentes, gnaros legis divinæ, & in ecclesiasticis sanctionibus exercitatos, qui ordinandorum vitam, genus, patriam, ætatem, quæ illis bona suppetant unde victum sibi comparare possint, vulgo titulum vocant, locum ubi educati sunt, si bene literas noverint, & si legem Dei didicerint, ante omnia diligenter investigent. Tum si fidem catholicam constanter teneant, & eam verbis simplicibus asserere valeant. Cum igitur ex his quæ dicta sunt, aliisque Christianis canonibus (quos nobis sancti patres sequendos proposuerunt:) in hoc potissimum examinandi rationem consistere videamus, ne sacrum ordinem consequatur nothus & spurius sive illegitimus, tum qui corpore vitiatus sit, qui idoneam ætatem non habeat, cui bona desint unde vivat, qui literatus non sit, postremo quam corruptis & improbis moribus sordescat, singula suis locis exequi decrevimus.

De ætate prædicta in ordinandis requisita.

Canon IV.

Visum est itaque neminem sacro & clericali charactere insigniendum, neque ad alios sacerdotii gradus promovendum, nisi servato juris, ordine, habita ætatis ratione, nempe non sacram capillorum incisionem (quam clericalem tonsuram dicunt) adipiscantur, nisi septimum annum attigerint. Non quatuor minores ordines, nisi duodecimum. Non subdiaconatum, nisi decimum octavum. Non diaconatum, nisi vicesimum. Non summum sacerdotii gradum (quem presbyteratum appellitant) nisi vicesimumquintum. Nam eum & ætate & moribus satis provectum esse oportet, qui rerum sacrarum administrationem, rudiumque & divinæ legis imperitorum institutionem susceperus est.

De moribus ordinandorum prætectis.

Canon V.

Cum deceat morum integritate sacerdotem insigniri, pauca hac de re dicenda sunt. Ejus itaque mores vitamque probamus, qui Deum veneretur & colat: qui parentes amet: observando, si meritum illis honorem exhibuerit: adjuvando, si rerum penuria aut morbo, aut alia quavis calamitate laborent: parendo, si quæcumque illi justa præceperint, exequatur: qui potentioribus cedat, minoribus pareat, qui rei venereæ non sit deditus, qui luxuria non defluat, qui seditiones & discordias non moveat: qui denique nec sibi, nec alteri injuriam faciat. Æquum est enim eum moribus clarum esse, cujus exemplo alii meliores fieri debeant.

ANNO CHRISTI 1551.

De prædicto genere ordinandorum.

Canon VI.

Instituta sunt a domino sacramenta, ut his utantur Christiani: iique potissimum, quos ipsorum administratores esse voluit. Quare cum verum matrimonium numero sacramentorum ascribatur, idque Deo semper offerendum sit: quod perfectius, præstantiusque cognoscitur, qui ex sanctissimo hujusmodi matrimonio nati non fuerint, negat concilium ad sacros ordines promovendos esse.

De literis attestatoriis ordinandorum quoad tria prætecta.

Canon VII.

Et quia contingere potest, ut qui sacros ordines consequi velit, ætatem, vitæ & morum probitatem, nec non genus mentiatur: ut omnis via fraudi doloque præcludatur; literas secum deferat promovendus a judice ordinario, vel consulibus loci unde originem duxerit, sive quem incolere consueverit, quibus testetur se idonea ætate, bonisque moribus præditum & legitimo sanguine, seu matrimonio ortum: Quas nisi episcopo obtulerit, ordine non donetur, nisi hæc ei perspicua sint quod promovendum cognoscat, aut alio modo.

De titulo prædicto a promovendis exquirendo.

Canon VIII.

Cum (ut superius dictum est) sancti patres neminem statim nisi habeat unde victum sibi comparet, & sine titulo ordine donandum esse jusserint, sedulo & diligenter investigandum est, an bona illi suppetant ex quibus vivere possit, qui ad sacerdotium aspirat: ne panem ostiatim mendicare cogatur infelix clericus in opprobrium & dedecus ordinis, unde officium vilescere censetur.

Itaque nemo sacros ordines consequatur, cui speciatim destinata ad victum bona non sint: sive a sacerdotio, seu beneficio aliquo sive a patrimonio petantur. Redditus autem annuus erit triginta saltem librarum Turonensium. Cujus rei fidem faciet testatione tabularum a judice ordinario loci, ubi sacerdotium seu beneficium, vel patrimonium situm est acceptatum. Ipsæ autem tabulæ, vel earum exemplar, ab eo qui est a secretis episcopo retinebuntur; jurabitque promovendus apud episcopum, se nullo modo alienaturum illud patrimonium, nisi forte ad pinguiorem fortunam pervenerit. Quod si fraude aut dolo, aut alia quavis iniqua & non permissa conventione desierit possidere, ita ut mendicare, & egestate urgeri deprehendantur, officii administratione ab episcopo privetur, quousque ipsum recuperarit, ejusque fructibus omnino & libere gaudeat. Poterit & alia pœna arbitraria puniri.

Anno Christi 1551.

De literatura & scientia ordinandorum jam facta.

Canon IX.

Prudentem & literarum peritia insignem cum oporteat esse ad sacerdotium aspirantem, sitque jure constitutum, ne quis literarum expertes audeat ad sacros ordines promovere. Id cum de sacra capillorum incisione, sive clericali tonsura etiam intelligendum sit, multo magis igitur ignorantia errorum omnium mater sacerdotibus vitanda est. Quare decrevit concilium, ut nemo ad hujusmodi ordines, præcipue sacros admittatur, nisi facto in literis periculo, idoneus judicatus sit. Potissimum in Grammatica, etiam si edito ingenii specimine gradum adepte fuerit: vel in severam religionis regulam juraverit. Sciant præterea qui sacros ordines capessunt, legere & intelligere; congruumque ab incongruo discernere, præsertim ii, qui summum sacerdotii honorem consequi velint. In quibus, quia majus est periculum, major adhibenda est cautio: diligentiusque observandum, ut noscant saltem evangelium ad literam, seu textualiter populo exponere. Congruum erit præterea vulgarem canendi artem didicisse, ad laudes Deo personandas: psalmos, hymnos, cantica, aliaque hujusmodi divina canendo: ut ecclesiæ ritus docet.

De corpore vitiatis.

Canon X.

Ad hæc cavendum est, ne corpore vitiati, aut manci, seu alio quovis noxio morbo (cujus canones meminerint) detenti, sacris ordinibus donentur: Quibus adde admodum balbutientes, quique vix intelligi possint. Hi enim soli tanto munere digni sunt, qui linguam habeant a natura intelligibilem, & satis expeditam.

De dimissoriis literis.

Canon XI.

Placuit synodo, quæ vulgo dimissoriæ literæ dicuntur, nemini concedendas esse, ad sacros ordines consequendos præterquam eruditis, optimisque moribus præditis, titulatisque & alias qualificatis, ut supra dictum est, & qui a judice ordinario loci, in quo nati fuerint, vel quem habitare soliti sint, literas acceperint: quibus testentur, & fidem faciant de ætate legitima, ut antea, & se viros probos, ex legitimo matrimonio natos, probatæ consuetudinis, & a criminibus immunes esse: Nisi hæc episcopo perspicue innotescant.

De dimissoriis eisdem.

Canon XII.

Nullus posthac qui diœcesi præsit, literis dimissoriis inserat clausulam illam, negligentiæ potius, quam muneris recte administrati testem videlicet conscientiam nostram exonerantes: Sed per literas suas testetur eos idoneos & qui provehantur dignos: Quibus hanc inseret clausulam: quem idoneum & dignum reperimus: aut nulla literis fides habebitur. Neque ad omnes simul hujusmodi literæ dabuntur, sed ad singulos ordines separatim: ut qui ad majores promoveri voluerint, de aptitudine & dignitate, seu idoneitate, & de his quæ ratione susceptorum, suscipiendorumque ordinum in ecclesia facienda sunt, respondere valeant; nisi qui ordines capessunt, in sacra pagina, aut altero jure gradum adepti sint: aut in ingenuis liberalibusque scientiis tanquam emeriti & rude donati fuerint: qui vulgo in artibus magistri appellantur: quos verissimillimum est idoneos & dignos esse.

Anno Christi 1551.

Cum avaritia omnium malorum radix uno omnium consensu habeatur: ne ea coinquinari & sordescere videantur episcopi: quibus non solum vitia, sed minima etiam suspicio vitanda est, commodissimum erit, eas literas tam ordinum, quam dimissorias, gratis concedi, aut saltem modicum præmium accipi.

De clericis peregrinis.

Canon XIII.

Decretis, & sanctorum patrum constitutionibus, cum sancitum sit ne sacerdotes & quilibet alii clerici injussu episcopi pergere proficiscantur pariterque prohibitum episcopis alterius diœcesis clericos & peregrinos, absque literis commendatitiis sui episcopi recipere, speciatimque præscriptum, ne inferiores sacrorum præsides, ut puta parochi, vel curati, sine episcopi consensu, in ecclesiis suis peregrinos instituant, præcipue incognitos. Nempe quorum origo & vita episcopo non innotescunt. Et quia non raro accidit ut multi a suis diœcesibus exulent, propter indigna, quæ perpetrarint, facinora, imo contingit ut excommunicati sint, qui in eo statu missas celebrare, & aliis divinis se immiscere non erubescunt alienis in diœcesibus, non sine gravi scandalo, eosque ut plurimum literarum imperitos, & omnino ignaros aperte videmus. Idcirco, cum, ut antea dictum est, eos deceat locupletissimum de se testimonium offerre, statuit concilium alienæ diœcesis presbyteros, ad sacra & ordinum executionem nullo modo recipiendos, nisi commendatitias suorum episcoporum literas ostenderint, easque (ut par est) compositas. Nimirum, quibus de vita, moribus, ipsorumque ordinibus laudabile testimonium perhibeatur. Præterea, ab episcopo ad quem accedunt, sive ejus vicario, de ipsis in literis & necessaria rerum cognitione (ut supra dictum est cum de promovendis ageretur) periculum fiat: neque, nisi idonei admittantur. Quare, parochis, sive ecclesiarum rectoribus, eorumque vicariis severe prohibetur, ne hujusmodi peregrinis, exequenda sacra committant, sine scripta superioris venia: exceptis viatoribus & peregrinis illac iter facientibus: quibus id clanculum, semelque tantum, facta de literis fide parochis, conceditur. Quod qui observatum noluerit, Christianorum communitate privetur, carcere, aliaque pœna arbitraria coercendus.

De

ANNO CHRISTI 1551.

De vita & honestate clericorum.

Canon XIV.

Quia decet sacerdotes sobrios, modestos castos, continentes, & omnibus Christianis exemplo esse, in verbo, consuetudine, fide, cunctosque ad res præclare gerendas honestis actionibus commovere, doctrina & gravitate valere, convenienti veste uti, ut testentur externa, quales intus sint, commodum fuerit singula paucis exprimere.

De tonsura & habitu clericalibus.

Canon XV.

Statuit hæc synodus, ut clerici sacros ordines consequuti, coronam gerant grandem, rotundam & apertam, ordinibus in quibus constituti sunt, congruentem: barbamque radant saltem semel in mense, potissimum canonici, & alii qui in ecclesiis cathedralibus divino munere funguntur: & qui in ecclesiis collegiatis sæcularibus vel regularibus vivunt: & parochi qui in eorum ecclesiis perpetuo ministrant, decenti indumento, nempe talari veste, incedant ornati: nisi forte urgentia negotia curaturi gradum accelerent: Tunc enim saltem ad genua demissam æquum est eos deferre. Præterea quæ in rugas contracta non sit, neque serico vel bombycino limbo, aut assuto veluti nervo deturpata, verius quam ornata, quæ apte composita sit, cujus color sacerdotem deceat, quam nec longitudo, nec brevitas nimia deformem reddat. Neque domum egressi, in civitate, vel loco quem habitant, conspiciantur, nisi veste superiore induti: pileo rotundo, & ephestri sive capitio, præcipue parochi, quibus ecclesiarum credita est administratio. Vestes & caligas gerant integras, non variegatas, neque incisas: Subuculis non rugatis utantur. quæ laicorum inconstantiæ & levitati, quam clericorum gravitati magis conveniunt. Non digitos annulis ornabunt, nisi quibus id jure permittitur.

Cum studere debeant clerici omnes, præsertim sacerdotes, ut sibi in omnibus & ubique quam simillimi sint: multi autem reperiantur, qui ab urbe iter aliquo facturi, milites personati videantur. Præscribit hæc synodus, ut equites, vel pedites aliquo profecturi, decorum servent, præsertim nullas pileis plumas inferentes.

Prohibetur clericis omnibus, sericis, sumptuosisque vestibus uti: hoc tamen concesso ne vilescat ecclesiastica dignitas, ut dominis episcopis, abbatibus, & ceteris, qui auctoritate & honore in ecclesiis præfulgent, hisque omnibus quibus eas jura non negant, permittantur, habita cujusque ratione. Sed videndum est ut in his decorum, gravitas, & modestia seruentur, ne ullo possint luxu notari.

Caveant, maxime canonici, & alii tam ecclesiarum cathedralium, quam collegiatarum & parochiarum ministri, ne vestes in templo sub ecclesiastico indumento gerant, nisi superne clausas, & (ut prætactum est) eousque demissas, ut talos attingant: Quarum manicæ integræ, non in medio sectæ sint: In quibus (ut antea dictum est) nihil indecori deprehendatur. Quibus quicumque non paruerit, luero, quæstuque privabitur, & a superioribus ejicietur.

ANNO CHRISTI 1551.

De habitu & tonsura monachorum & religiosorum.

Canon XVI.

Et quoniam monachi, & quibus severiór quædam religionis observatio proposita est, cœnobia sua egressi divagantur, nullus posthac audeat in vulgus prodire, nisi aperta corona, barbaque abrasa: cum amictu suo, sive habitu ita indutus, ut omnium oculis conspiciendus objiciatur. Quod qui non præstiterint, ab ordinariis judicibus ecclesiasticis locorum in quibus deprehensi fuerint, nulla ratione privilegiorum habita (quod populum suo munere & officio abutentes offendant) coerceantur, & canonice puniantur.

De tabernis, crapula & ebrietatibus clericis prohibitis.

Canon XVII.

Cum Christianos omnes deceat sobrietas, potissimum ea uti ecclesiæ ministros æquum est. Nam execratur eos D. Paulus, quorum Deus venter est: quod regnum Dei in esca, & potu non sit. Quare monentur clerici omnes, ut crapula & ebrietate abstineant, & cœnopolia seu tabernas non ingrediantur nisi viatores: Quod qui contempserint, pœna carceris, & alia arbitraria plectantur.

Quemadmodum a sæcularibus & laicis discernitur clericorum ordo, sic distincta esse eorum officia, nemo est qui nesciat: ita ut quas exercere solent artes laici, rejicere debeant clerici: ne habendi cupiditate, malorum omnium fomite, ipsorum animi torqueantur. Caveant igitur clerici omnes, ne cœnaculariam faciant: neque hospitum, sive tabernariorum munus exerceant: nisi superiores, gravioresque pœnas malint perpeti.

De ludis clericis prohibitis.

Canon XVIII.

Cum exacti inter humanos temporis Deo reddenda sit ratio, clericosque quinto ad Ephesios cap. D. Paulus moneat, ut quodcumque faciant, aut in verbo aut in opere, in nomine domini Jesu Christi faciant, gratias agentes Deo & Patri per ipsum, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis timentes Deum. Cumque quarto ad Philippenses capite, eorum modestiam omnibus notam esse velit, innumeræ autem sordes ex aliis contrahantur: jubet hæc synodus, ut tesseras, & omne aleæ genus, præsertim, publice vitent: ludisque haudquaquam permissis non utantur, neque intersint, ne ut supra puniantur.

De choreis, larvis, joculationibus, clericis prohibitis.

Canon XIX.

Saltationes, sive choreas non ducant, ex quibus animi levitas & inconstantia dignoscitur: larvas non gerant: neque eas gestantibus comites se præbeant. Postremo in audiendis, spectandisque joculatoribus, histrionibus, & quaslibet ludicras artes exercentibus, nul-

ANNO CHRISTI 1551.

lam temporis jacturam faciant sub pœnis prædictis.

De armis clericis prohibitis.

Canon XX.

Nec ensem, nec pugionem, nec aliud armorum genus secum gestent, nisi propter itineris necessitatem: Sed quam profitentur vitæ rationem, piis moribus, religiosoque habitu metiantur. Quod qui neglexerint, tanquam sacrorum canonum contemptores graviter puniantur.

Negotiationes clericis prohibitæ.

Canon XXI.

Nemo qui se strenuissimum sub tutissimo Christi imperatoris vexillo militem obtulit, negotiis sæcularibus animum involvere debet: ut ei placeat, quem omni admiratione, & quovis honore colendum ducem elegit. Itaque æquissima ratione id postulante, prohibet concilium clericis omnibus, maxime presbyteris, ne suæ dignitatis immemores in ædibus laicorum aut viduarum, cujuscumque status, conditionis & honoris fuerint in maximum totius cleri probrum & dedecus, seipsos, suasque actiones venales exponant. Et quia turpissimum est, quos sibi ministrare Deus voluit domesticis laicorum sordibus contaminari, caveant sedulo clerici, ne pincernarum, coquorum, stabulariorum, hippocrinorum, ceteriusque hujusmodi sordidis officiis fungantur. Nec rei domesticæ & familiaris administrationem suscipiant. Nec causis, litibasque persequendis dent operam eorum quibus serviunt, aut aliorum nomine. Quæ districtius concilium prohibet sub anathematis interminatione, aliisque pœnis a canonibus indictis.

His præterea jubetur, ut a famulatu & servitute, cui fortasse aliqui nunc obnoxii comperientur, intra proximos menses a die publicati concilii, in cujuslibet diœcesis synodo episcopali computandos, desistant, ac omnino seipsos in libertatem vindicent. Quod nisi fecerint, excommunicatos esse, & officii exequutione privatos, ab hoc ipso tempore concilio placuit: ita ut absolvi nequeant, nisi perspicue innotescat, eos sine dolo & fraude ab hujusmodi vitiis reipsa animum revocasse. Quod si rursus obstinati & pertinaces ad ea (ut canis ad vomitum) redeant, noverint se in excommunicationis sententiam recidisse: & munere, sacerdotioque sive beneficio per annum interdici.

Et publicani non sint, nec proventus prophanos redimant, aut conducant, ut ex his quæstum faciant: minusque, tanquam propolæ, quicquam vili pretio comparent, quod carius vendere possint. Tum nec sint, nec habeantur fœneratores, si pœnas canonum, aliasque arbitrarias evitare voluerint.

Non clerici, neque sacerdotis est a rebus ecclesiasticis animum abducere, ut laicis consulat, ne plus foris quam domi sapere dicatur. Monentur itaque clerici omnes ne judicium, procuratorum & tabellionum in foro prophano, aut aliud sæculare munus jure illis negatum exercere audeant. Nec alias officia vel commercia secularium exerceant, maxime inhonesta, hujus edicti contemptoribus superior pœna proponitur.

Ne clerici cum mulieribus habitent, deque eorumdem castitate & pudicitia.

ANNO CHRISTI 1551.

Canon XXII.

Continentem, castum, pudicumque eum deceat esse sacerdotem, rarissime, aut numquam illi cum mulieribus familiaritas intercedat; imo & nomen earum nesciat: non potest enim toto & sincero pectore Deum colere, qui feminarum domus habitet; cum femine secum habitantis conscientiam exurat. Nam ubi talis fuerit sacerdotum cum mulieribus habitatio, antiqui hostis stimuli non desunt. Itaque præscribit concilium clericis omnibus, præsertim sacros ordines adeptis, & sacerdotio seu beneficio donatis, ne domi suæ meretrices alant: aut mulieres, quæ vel propter ætatem hoc nomine possint suspectæ haberi.

Et quia nusquam peccato locus esse debet: sed ubique colenda virtus, & Dei timor præ oculis habendus est (nihil enim tam occultum, quod aliquando in lucem non prodeat) in ejus perniciem qui scelerate illud perpetrarit, non solum non domi suæ, sed nec alibi, mulieres, quæ ob impudicos mores apud populum male audiunt, imo ne suspectas quidem frequentare audeant, quibuscum, præsertim publice, confabulari nefas esse duxerint: Locaque impudica omnia, & potissimum ea quæ publica habentur lupanaria, caveant clerici ne ingrediantur.

Si qui vero incontinentes, libidine præcipites, concubini & hisce decretis repugnantes deprehensi fuerint (ut vitium hoc rei Christianæ incommodissimum radicitus evelli & extirpari possit) carceris arbitraria, aliisque pœnis, quas sacra decreta & conventa proponunt, puniantur. Et ut decretum illud, quod in publicos concubinos editum est, a nemine ignoratum, diligentius observetur, statuit concilium in qualibet synodo per singulas diœceses celebranda ipsum exacte legendum esse diligentiusque diœcesum præsulibus invigilandum, ut de contemptoribus supplicium sumatur.

Monentur quoque parochi, & quibus cura, ecclesiarumque administratio data est, nisi pœna excommunicationis plecti malint, ut episcopos suos, vel generales vicarios, judicesque ecclesiasticos certiores faciant, si quos suis in parochiis, cujuscumque status & conditionis fuerint sacerdotes habeant rei venereæ deditos, ob idque male audientes, ut in eos, idque clanculum, inquiratur: ut sceleris gravitas postulare videbitur.

De filiis presbyterorum.

Canon XXIII.

Quos clerici ex concubinatu, aut alio modo jure vetito filios susceperint, secum habitare non patiantur: Imo nec mulierum filios, propter quas nominis turpitudinem contraxerint, seu infamati fuerint, domi suæ alant. A quo, si moniti non desistanc, excommunicatione, aliaque pœna arbitraria puniantur.

De foro competenti.

Canon XXIV.

Sæpe contingit ut clerici a sæcularibus profanisque judicibus capti & in carceres conjecti ad eccle-

ANNO CHRISTI 1551.

ecclesiasticos judices remittantur : Statuit concilium, eos ut decet, & sine populi scandalo remitetendos esse, ita ut ecclesiasticæ dignitatis, præsertim sacerdotalis, ratio habeatur, ne sint clerici laicis ludibrio : Nihilque in eos & supellectilem bonaque ipsorum mobilia novi committatur : quod qui contempserint pœnis jure præscriptis puniantur.

De excessibus subditorum in jurisdictione sæculari prælatorum.

Canon XXV.

Hortatur concilium præsules sacerdotesque omnes, qui jurisdictionem sæcularem habent, ne prætextu jurisdictionis & imperii facinorosos homines cujusque qualitatis existant, quovis quæsito colore, puta quod ad suæ jurisdictionis exercitium, scilicet quod pugiles & audaces existant, sunt idonei, vel alio quovis colore apud se recipiant. Neque ullo modo illis faveant, aut quid agendum sit consulant, auxiliumve ferant : sed eos potius a sua jurisdictione suisque finibus procul expellant. Quod qui neglexerit pœnis juris obnoxius sit.

De qualitate præficiendorum ecclesiis, de residentia, officio & administratione eorumdem.

Canon XXVI.

Quia generale concilium huic provinciali imposuit, ut super conferendis sacerdotiis seu beneficiis proinde se gerat, ne ea viri indigni, præsertim literarum imperiti consequantur, ut potius æquitati, & rationi quam sanguini & officiorum seu servitii compensationi locus sit : denique ne sacra prophanis misceri, aliaque pro aliis ingeri videantur : Idcirco jubet nostra hæc synodus generale illud concilium, aliaque sanctorum patrum statuta, de conferendis sacerdotiis edita, exactissime observari ; cujus contemptores, pœnas eodem in generali concilio aliisque indictas incurrant.

Cum nonnulli parochiis aliisque sacerdotiis præsint, in quibus sacri ordines, præcipue sacerdotalis, requiruntur, præter tempus jure seu alio modo præscriptum, idque pluribus annis, nihil minus prospicientes, quam ut eos ordines adipiscantur. Imo quia non desunt qui multa quæ simul ab uno (ut æquum est) recte administrari nequeunt (unde vulgo incompatibilia vocantur) sine summi pontificis venia, seu dispensatione, aut quæ saltem cognita sit, possident : Statuit concilium, ut infra mensem, post decreti hujus in synodis publicationem, cogantur literas ordinum proferre : quibus de sacris ordinibus ad possidenda sacerdotia seu beneficia necessariis, seu de dispensatione legitima super hoc, ac super multitudine seu pluralitate sacerdotiorum incompatibilium, fidem faciant, ne pœnas juris perpeti cogantur, ac de ipsorum sacerdotiis decernatur, quemadmodum si eorum obtinendorum datam esse veniam ignoraretur. Hoc autem statutum sit, nec detrahendo, nec innovando quicquam quod exhibitionem titulorum, quam sacri canones, patrumque decreta & conventa præscripserunt.

De clericis non residentibus.

Canon XXVII.

Sacræ paginæ legendæ, exhortando, monendoque ad res præclare gerendas populo, imperitis & Christianæ legis rudibus instituendis operam dare, nihilque intactum relinquere, sed omnia sedulo & diligenter curare, quæ ad divinum illud quod susceperunt ministerium exequendum pertinent, sacerdotes admonentur : ut olim munus hoc, Timotheo, sacerdoti per manuum impositionem effecto, demandatum fuisse legimus.

Quæ, nisi perpetuo locum incolant, cum exequi non posse conspicerent sancti patres, commodissime statuerunt, ut eis ecclesiarum administratio, sacrumque ministerium & sacerdotium dentur, qui, ubi peragendum munus susceperint, permaneant : ex se officio fungi valeant : aut non admittantur, aut admissi ejiciantur : Nisi forte præsulum licentia literarum capessendarum, aliarumve rerum honestarum causa eos abesse contigerit. Itaque, & ut leges aliæ, quæ de perpetua parochorum habitatione conditæ sunt, exactissime observentur ; utque incommoda omnia, quæ propter eorum absentiam non solum accidere possunt, sed etiam imminent, procul avertantur, statuit concilium, ne posthac parochi perpetuique eorum vicarii, & quibuscumque animarum cura commissa est, sive regulares, sive sæculares sint, ab iis quibus ordinariæ credita est provinciæ administratio, relaxentur, seu dispensentur, nisi cognita causa, diligentiaque excussa, ut perspicuum sit legitimam esse. Nimirum ratione studii, aut officii apud episcopum, justitiæ, vel jurisdictionis exercendæ gratia : aut nisi in superioribus ecclesiis cathedralibus, & his quæ collegiatæ vocantur, ipsimet adesse cogantur : qui eisdem in ecclesiis inscripti vel intitulati sunt perpetui : aut nisi alia causa suppetat legitima, & juri consentanea : quæ tabulis á diœcesano acceptis præscripta & certo tempore (ut æquum esse arbitrabitur) coarctata, seu finita sit, ubi eam causam neque dolo, neque fraude fucatam noverit.

Concilio placuit, si juris relaxationem, sive dispensationem consequuti provinciam incolant, eos ter saltem in anno, singulas, quas susceperint regendas ecclesias adire : & ipsosmet munus exercere. Quod intelligimus etiam ab his præstandum esse, qui exorata a summo pontifice Romano venia, duo, aut plura obtinent sacerdotia sive beneficia : nempe ut ea vifant, ipsique administrent respective, ut supra.

Hæc nisi jussa capessant parochi, allique, quibus animarum cura commissa est : & qui ubi sitæ sunt ecclesiæ non habitant, nisi ut supra relaxati, seu dispensati, præter pœnas ipso jure indictas, noverint se ob id ipsum tertia parte fructuum sacerdotiorum, sive beneficiorum privatos, in usus ecclesiarumque, quibus præsunt, utilitates convertendorum : quo usque perpetuo habitaturi, & huic decreto reipsa pariturí veniant : Nullaque omnino relaxationis, sive dispensationis alias quam supra, habita ratione absentes habeantur.

Et quia fit sæpissime, ut reperiantur parochi, qui avaritiæ morbo laborantes, parochias suas aliis regendas committant, alienas curaturi, ut uberiorem quæstum facere possint ; idcirco statuit hæc synodus, ut si qui caram, munusque suum

dese-

ANNO CHRISTI 1551.

deferant: alienum administraturi, ob id gravius puniantur.

De qualitate vicegerentium seu vicariorum temporalium.

Canon XXVIII.

Curare debet qui diœcesi præest, ut qui legitime absunt, virum habeant qui eorum vice fungatur, literatum & idoneum: Nempe, qui sciat scribere, cujus vita neminem offendat, qui exemplo clarus, alios ad recte agendum impellat, qui denique ea sufficientia & moribus sit præditus, quales locus & personæ quibus præerit, poscere videbuntur.

De salario vicariorum prædictorum.

Canon XXIX.

Cum eorum laboribus satisfaciendum sit qui nostra negocia curant, est enim mercenarius mercede sua dignus, curabit diœcesis præsul, ita digna sacerdoti præmia proponantur, qui absentis munere & officio fungetur, ut & si non laute & sumptuose (quod clericis penitus prohibetur) vivat, possit tamen utcumque frugales & non fordidam, inculta & agrestem vitam in sacerdotalis dignitatis dedecus & opprobrium agere.

De prædictis & hospitalitate.

Canon XXX.

Cumque pastores deceat hospitalitas, & in eos quos rerum penuria laborare vident, liberalitas, ampla vicem suam gerentibus præmia constituant, ut quam ipsi nequeunt propter absentiam, eorum nomine, alii in egenos beneficentiam seu hospitalitatem exercere possint.

De institutione auctorizabili vicegerentis, seu vicarii temporalis.

Canon XXXI.

Cogantur sacerdotes omnes, sive regulares, sive sæculares sint, qui animarum curam susceperint, quantumvis magnum in ecclesia honorem adepti, episcopis, vel generalibus eorum vicariis, singulis annis, offerre ad eas regendas administrandasque ecclesias in quibus perpetuo residere non tenentur ob juris relaxationem sive dispensationem propter legitimas causas, de quibus paulo ante dictum est, ministros, qui ipsorum munere fungantur, idoneos: & qui susceptæ provinciæ possint respondere: Juraturos se rebus optime administrandis operam daturos: nisi in excommunicationis sententiam incidere velint. Nihil autem examinis hujus gratia, diœcesani, vel eorum vicarii, ab hujusmodi presbyteris accipiant. Si autem ipsimet parochi & rectores administrent, tunc non coguntur se episcopis offerre.

De residentia in domo presbyterali, & de reparationibus ejusdem ac ecclesiarum.

Canon XXXII.

Voluit concilium, ut parochi & rectores, sive qui eorum vicem obeunt, sacerdotii, sive beneficii domum & non aliam habitent: quam reparandam curent si quid vetustate sublapsum sit, eamque supellectili & rebus necessariis instructam teneant, ut annuus erit, ecclesiæ proventus. Templa quoque refarciant, maxime in his quæ necessaria sunt: nempe in tectis.

De registro baptizandorum, & decedentium.

Canon XXXIII.

Baptizatos, mortuosque in codicem referant: Sed quia puerorum vulgo quæsitorum, parentes nomen edere nolunt, satis erit susceptorum sive patrinorum nomina scribere. Liber autem in templo servabitur: quem auferri, vel alio modo alienari prohibemus: ita ut si distractus, aut surreptus fuerit, a parocho & rectore sit exigendus.

Libri rectoribus habendi.

Canon XXXIV.

Jubet nostra hæc synodus quemlibet parochum sacræ paginæ libros habere: quorum beneficio & opera populus doceri, & hæreses radicitus extirpari possint: Saltem utrumque testamentum, novum scilicet, & vetus, cum postillis in evangelia & epistolas communes quæ per totum annum dicuntur: tum manipulum curatorum. Quos si non habere aliquis deprehendatur, ejus sumptu emere poterit diœcesanus: & alia pœna arbitraria tanquam contumacem, & huic decreto repugnantem punire.

De instructione populi & prædicatione verbi Dei.

Canon XXXV.

Concilio placuit, parochos, pastoresque omnes vel qui eorum munus obeunt, suis in parochiis, singulis diebus dominicis, apud populum concionari, & sacrosanctum populi ipsius captui se accommodando evangelium interpretari. Præterea eisdem diebus dominicis, post evangelii expositionem ad literam voce expedita, & quæ saltem intelligi possit, doceant populum: primo, se munire signo sanctæ crucis, tum orationem dominicam, salutationem angelicam: Ave Maria gratia plena dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui Jesus. Sancta Maria mater Dei ora pro nobis peccatoribus. Amen: Symbolum apostolorum: Salve regina: confessionem generalem; decem præcepta decalogi: quinque communia ecclesiæ præcepta: tum orationem dominicam, symbolumque apostolorum lingua vernacula & quæ intelligi possit, repetant. Præterea axiomata sive articulos Christianæ legis a dominis doctoribus Sorbonæ Parisiensis (ut supra) traditos, legant, & palam explicent saltem semel in mense.

De missa parochiali juxta præceptum ecclesiæ audienda.

Canon XXXVIII.

Præcipimus parochis omnibus, eorumque vicem gerentibus e suggesto, sive prono parochianos monere, excommunicationis pœnam illis minitantes: ut unusquisque ad missam parochialem veniat, diebus præsertim dominicis: & domesticos omnes secum

ANNO CHRISTI 1551.

cum durat. Neque exeant (ut fit) aut concione habita, aut elevato corpore Christi, sed expectent quousque sacerdos auditoribus benedixerit: Ne in excommunicationis sententiam incidant. Eorum autem qui parere noluerint, ad ecclesiasticum judicem, seu officialem nomina deferant, ut illos tanquam refractarios, & qui hæreseos nomine suspecti habeantur, puniat. Qui etiam vocato in auxilium prophano & sæculari judice ad hæc præstanda compellantur, si opus fuerit. Divinum officium pio & sincero pectore audiant: non deambulantes, neque per templum discurrentes, sed genibus flexis orantes, vel stent modeste, vel sedeant ut viros Christianos decet. Quod qui contempserint, excommunicentur, nisi publice semel moniti desistant.

De prædicantibus advenis seu peregrinis.

Canon XXXVII.

Præscribit concilium ne monachus aliquis, aut qui severam religionis observationem profiteatur, aut alius cujusque status, conditionis, qualitatis aut prærogativæ existat, etiam doctor ad prædicandum Dei verbum admittatur, nisi a diœcesano examinatus a quo literas deferat, quæ vulgo attestatoriæ vocantur, quibus ipse, aut ejus vicarius nomen suum inscripserit, & sigillum impresserit, & quæ nullam omnino suspicionem moveant. Videant domini diœcesum præsules, ne quos admittant concionatores, nisi a superioribus, si regulares existant, offerantur: & per literas attestatorias de eorum religione, vita, moribus & conversatione, ab uno saltem anno, ac doctrinæ fides in promptu facta fuerit. Si vero sæcularis futurus concionator existat, literas a suæ diœcesis præsule accipiat, quibus eadem testentur. Eos autem presbyteros, aut saltem diaconos esse necesse est, aut nullo modo admittendi erunt: quibus sine supparo suggestum ascendere non permittatur: Præterea eos concilium eligendos negat, nisi literas habeant a judice ordinario & consulibus loci ubi anno superiore (si quando concionati fuerint) tempore adventus Christi, vel quadragesimæ verbum Dei prædicaverint: quibus testentur & probent, se id catholice Christiane, & sine scandalo fecisse: Tum jurabunt apud diœcesanum, se sacrosanctum domini nostri Jesu Christi evangelium fideliter, & catholice prædicaturos. Hæreseosque pro viribus extirpaturos, ac nihil contra sanctæ Romanæ ecclesiæ præceptiones, ullo modo, vel in publicis concionibus, vel intra privatos parietes, dicturos & asseruros: sed potius de veneratione & intercessione sanctorum, suffragiis defunctorum, jejuniis, & aliis præceptis, ecclesiæque sacramentis, populum speciatim instituturos: ut tempus & locus postulare videbuntur. Postremo statim ab initio concionis, voce alta, & quæ intelligi possit, salutationem angelicam totam (ut supra) dicant.

De custodia, reverentia, & renovatione eucharistiæ ac chrismatis, & de custodia fontium baptismalium.

Canon XXXIII.

Ad hæc sanctorum Patrum decretis, monet concilium parochos, & ecclesiarum rectores eorumque vicaros, ut ab ipsis sacrosancta eucharistia, in loco templi mundissimo & tutissimo clavibus adhibitis, summo cum honore collocata, religiosissime conservetur. Et qui (ut decet) non custodierit, pœnis canonum plectatur. Cavebunt autem, ne ibi die nocteque lumen desit: semperque eucharistiam paratam habeant, ut si quis infirmitate valetudinis laboret, statim ad eum deferant: ne non accepto sanctissimo Jesu Christi corpore, & sine communione moriatur. Quam, decenti habitu ornati, & imposito mundo velamine, ferant & referant palam & honorifice ante pectus, maxima cum reverentia & timore: idque lumine semper præcedente, cum sit candor lucis æternæ: ut hac ratione fides & religio apud omnes augeantur. Præterea frequenter populum doceant, ut cum salutarem hostiam ad ægros & morbo vehementi oppressos deferunt; atque cum in missarum celebratione exhibent, supplices genua flectant omnes & adorent.

Quantum ad sacrosanctæ eucharistiæ renovationem attinet, ita se gerant parochi, vel qui eorum munus obeunt, ut singulis quindecim ad summum diebus ipsam renovent, ac in loco, quantum fieri poterit minime humido collocent: ne quid ex negligentia scandali oriatur: nisi excommunicari velint, aliudque supplicium grave perpeti.

Chrisma pariter adhibitis clavibus tuto conservetur, & singulis annis renovetur: Necnon fontibus baptismati destinatis, claves adhibeantur, ne quid in eos sordium incidere possit.

De vasis & ornamentis ecclesiarum.

Canon XXXIX.

In sacris ædibus, vasis, vestimentis, ceterisque ornamentis ad divinum cultum necessariis, quæ deceant, habita ecclesiastici proventus ratione, res sacra peragatur. Vasa in quibus sancta conficiuntur ministeria, calices, patenæ, ministrorum indumenta, altaris pallæ, linteola sacra sive corporalia, aliaque ad ministerium divini cultus destinata, munda sint & nitida. Nimis enim absurdum videtur (& ut tradunt patrum canones) sordibus sacra coinquinari, quæ ipsa etiam prophana dedecerent.

Curatum alii presbyteri coadjuvent.

Canon XL.

Statuit concilium, ut dominicis festisque aliis diebus colendis, in quibus missæ & vesperæ divinaque officia ex locorum consuetudine celebranda sunt, presbyteri omnes, supparo aut linea non manicata veste, sive roqueto induti assistant: In solemnibus pompis seu processionibus in missis vesperisque sacrificiis peragendis, parochum seu ejus vicarium coadjuvent: ne pœna excommunicationis puniantur: & templi emolumentis, pecuniaque in gratiam animarum purgatorii data, sive eleemosynis bassini, ut vocant, purgatorii priventur.

Ne aliquid pro spiritualibus exigatur seu promittatur.

Canon XLI.

Prohibemus ne posthac pro administrandis ecclesiæ sacramentis, pro cadaveribus inhumandis, pro magnis vel parvis crucibus deferendis, aliisque spiritualibus ministeriis pecuniæ quidquam exi-

ANNO CHRISTI 1551.

exigatur, præterquam pro pulsandis campanis: ut & pulsantium labori, & sumptibus satisfiat, sed mediocri mercede. Non tamen negamus, si quid ultro & sponte oblatum fuerit, parochos accipere posse. Sed hoc statutum edidit synodus ut tollantur conventiones, & omnes iniquæ pactiones, quæ de his fieri consueverunt, maxime de funeribus & exequiis. Nihil tamen transactionibus, decretis, sententiis, laudandisque quorumdam locorum moribus obesse volumus. Caveant tamen ne ob id mortuorum corpora sepelire, aliaque sacramenta administrare cunctentur: nisi gravissime puniri malint.

De synodo diœcesana.

Canon XLII.

Cum in parochiis sacerdotes instituti, ad synodum venire teneantur, rationem imprimis reddituri, quomodo munere & officio suo fungantur, id tamen a pluribus fieri negligenter imo & prorsus contemni videtur: censuras ecclesiasticas ob hujusmodi contumaciam obstinato quandoque animo nihil timentibus. Et cum ingravescentibus hominum vitiis graviora debeant supplicia proponi: Statuit concilium ut parochi, aliique omnes qui in synodis adesse debent, absentes & contumaces puniantur, geminatis etiam pœnis, præsertim si in nulla totius anni synodo adfuerint: Et quanto sæpius abesse non dubitaverint, tanto graviores illis pœnæ infligantur: ita ut ipso etiam sacerdotio privari possint, ingravescente contumacia, nisi justissimas absentiæ excusationes proferant: de quibus legitime fidem faciant: & tunc vicarios, quibus animarum curam commiserint, suo nomine jubeant adesse. Idem faciant superiores ecclesiæ seu capitula, & collegiatæ ecclesiæ, aliique omnes hujusmodi sacerdotia sive beneficia, tanquam annexa possidentes, ne easdem pœnas incurrant. Hoc autem præscriptum est, ut iniquus quorumdam locorum mos tollatur: in quibus locatitii sacerdotes ad synodum mittuntur: cum in provincia ipsi parochi degant.

De prabenda theologali in ecclesiis cathedralibus.

Canon XLIII.

Et cum in grave animarum incommodum, sacrorumque canonum ac conventorum inter sanctissimum dominum nostrum papam, & Francorum regem Christianissimum contemptum, tantum absit ut ecclesiæ cathedrales theologum habeant, qui sacrosanctum Jesu Christi evangelium imperitis enarret, ut ea de re, ne ulla quidem mentio in illis fiat, sic ut interea grex domini periclitetur, justissima ratione id exigente: Præscripsit concilium, eos qui in ecclesiis cathedralibus theologorum nomen titulumque sibi vendicant, debere adventus Christi tempore, & quadragesimæ verbum Dei prædicare: ut locorum consuetudo invaluerit. Et singulis totius anni diebus dominicis in templis sacras literas canonicis, omnibusque civitatis sacerdotibus gratis & sine mercede interpretari, si docti & ad hoc idonei reperiantur: aut suum in locum, virum eruditum, & qui hoc possit munere fungi, suis sumptibus sufficere.

In illis vero ecclesiis, quæ nullum hactenus theologum habuere, statuit synodus, ut prima illi præbenda vacua decernatur: quam expectando, non dispar illi præmium interim proponatur, episcopi sumptibus, si præbendas conferat, vel capituli, si conferendi jure gaudeat: aut utrorumque, si communis sit collatio.

In regularibus ecclesiis cathedralibus, eadem illi portio detur: quæ solet uni canonicorum, vel monachorum in claustro viventium tradi a capitulo, seu administrationis onus habente. Stipendia vero ab episcopo consequetur: si quæ uni monachorum dari solet portio, non satisfaciat. Quæ omnia optime componantur, & diligentissime exequutioni mandentur infra tres menses proximos, ne contemptoribus excommunicationis, aliæque juris pœnæ infligantur.

Monentur canonici earumdem ecclesiarum, monachique & presbyteri, ut concionibus, sacrisque lectionibus intersint. Tum ut capitula & canonici ipsi aliquos ex titulatis ad hoc speciatim eligant, & destinent habita personarum ratione. Nempe quotquot capitulum designaverit. In quo si negligenter versetur capitulum, id ordinarius curet.

De capellis & beneficiis ruralibus, & aliis sine cura, seu officio detentis.

Canon XLIV.

Cum officii gratia sacerdotium, seu beneficium conferatur: & qui non laborat, non manducet, idcirco quicumque capellas, seu alia sacerdotia ecclesiastica, alia quam curata prætacta possident: extra tamen ecclesias cathedrales, collegiatas, & monasteria, doceant infra mensem a publicato statuto, quantum oneris imponatur, ad rem sacram peragendam, ratione capellarum seu sacerdotiorum ex institutione, sive fundatione, aut alio modo. Quod si non docuerint, missæ celebrandæ præscribantur, aut divinum aliud officium a diœcesano, in loco sacerdotii, cum diœcesim suam inviset, aut alias. Et hoc habita ratione fructuum sacerdotii. Interim tamen missas celebrare cogantur in ædibus sacris hujusmodi sacerdotiorum sive capellarum, si quæ sint, aut in templis parochialibus, in quibus sita sunt, saltem quater in anno. Nihil tamen detractum volumus majori consuetudinis severitati: quantum ad rem sacram peragendam attinet.

Et quia redditus, aliaque jura, præcipue capellarum, quotidie minora fiunt: imo sæpe omnino depereunt, quod institutionis ratio non innotescat, neque documenta suppetant. Idcirco exhibita documenta, cum invisendæ diœcesis officio fungetur diœcesanus, aut alias, ut supra in codicem referantur ab eo qui est a secretis episcopo, præsertim institutiones, sive fundationes, quam minimis tamen fieri poterit sumptibus: ut ad codicem, ubi res postulabit, posthac recurratur.

De celebratione missarum, horis canonicis, aliisque divinis officiis.

Canon XLV.

Quoniam sanctorum patrum decreta, quæ de divinis officiis celebrandis in ecclesiis cathedralibus & parochiis edita sunt, pene oblitterata videntur, quod negligentius quam par sit,

ANNO CHRISTI 1551.

sit, observentur. Visum est huic concilio eorum pauca, quæ in hujusmodi decretis & constitutionibus traduntur, expresse & speciatim recitanda esse, ac renovanda.

Primum pulsentur campanæ horis commodis opportunis, & ad hoc destinatis, non solum ad convocandum clerum & populum, sed etiam ad incitandam, augendamque populi Christiani religionem.

Clerici, aliique ascititii honesto, decentique habitu induantur, secundum ecclesiæ consuetudinem: veste præsertim talari, non variegata, in rugas non contracta, neque cujus collare aut manicæ incidantur: barba rasa, saltem ab uno mense: Chorum ingrediantur statim a principio horarum, ut in decretis de rebus sacris divinisque officiis celebrandis traditur.

In choro nullum librum, etiam precum, imo ne ipsum quidem breviarium teneant & legant. Ibi risu, cachinnatione, aliisque indecoris motibus corporis abstineant. Nullas literas, aut alias tabulas, vel documenta legant aut teneant, sed omnes concordi voce psallere studeant, chorum, quousque res sacra peracta sit (nisi id vel corporis necessitas, vel alia quæpiam justa causa postulet) non exeant. Rem sacram sive divinum officium religiose & solemniter pro die festo, celebrent, & exequantur. Quæ singulis chori administrator jubebit, (nisi id ratione moti faciant) aliis non committant. Cum in choro existentibus non confabulentur. Quæcumque in tabula in choro pendente, quantum ad divinum officium peragendum spectat, scripta reperientur, etiam si scriptor erraverit, observentur, & exequutioni demandentur, ne ex eo scandalum oriatur. Peracto tamen officio demandato possit quisque gravatus ad capitulum rem referre, ut in posterum cantor, seu qui scripsit cautius observet ne aliquem gravet. Et cum res sacra agetur, canonici, aliique habituati, vel etiam presbyteri sæculares in claustris vel ante templi fores non deambulent: quod sine gravi & magno populi scandalo fieri non potest.

Ex sacris canonibus monentur omnes, ut curent ne quid horarum canonicarum, nec cujuscumque rei sacræ prætermittatur, tam in choro, quam extra chorum, ut quisque suo munere fungi debet, etiam sacris non initiati qui sacerdotia possident: ultro citroque non transcurrant. Nihil precum omittant præcipiti lingua eas proferentes. Externa præsertim colloquia vana non immisceant: A choro ante rei sacræ finem non abeant, nisi necessitate coacti. Sacrificia diurna pariter & nocturna, missas, omnia sacra, seu anniversaria, vigilias, aliasque hujusmodi, quanta animi sinceritate poterit, exolvant. Adhæc sibi prospiciant, qui a sacris canonibus reprehenduntur, quod missas vix quater in anno celebrent: & quod deterius est, interesse nolint, Quod si dum celebrantur, intersint, chori silentium fugientes, externis confabulationibus dant operam: super quibus aliisque hujusmodi sub pœna suspensionis ex ipsis canonibus a cetero providere curent.

In reliquis, decreta & sanctorum patrum constitutiones, necnon laudandæ ecclesiarum consuetudines, si quæ sint strictiores, observentur.

A *De cura prælatorum circa divinum officium, deque spectaculis, & aliis ludibriis in ecclesia non faciendis.*

ANNO CHRISTI 1551.

Canon XLVI.

Cum animæ cunctis rebus præferendæ sint: & Dei cultus, sacrificiaque in illius, & sancti ipsius nominis laudem, ejusque matris gloriosissimę, & omnium sanctorum, ab omnibus Christianis religiosissime fieri debeant, nemo est qui hoc non probet.

Sed quia multorum frigescit pietas, populi religio attenuatur, sic, ut cultus divinus ob hominum malitiam negligatur. Hoc edicto præscribitur, ne in templis, cum aliqui dies festi colunB tur, vel alio tempore spectacula (quibus stultorum, puerorumque animi solent delectari artes ludicræ, cantilenæ sæculares, strepitus, a clericis vel laicis, neque alia hujusmodi fiant: quibus a religione populus revocatur: & in cachinnationes immodicosque risus solvitur. Itaque edictum de spectaculis in ecclesia non faciendis exacte observetur: ne pœna excommunicationis quasque alias præscribit infligantur.

De choreis & tripudiis in ecclesiis & cœmeteriis & comessationibus, seu defructibus prohibitis.

Canon XLVII.

C Quia ipsis in templis, in maximum Christiani nominis dedecus, & rei sacræ contemptum, ducuntur choreæ, fiunt saltationes, aliaque tripudiorum & ludibriorum genera. Voluit concilium hæc radicitus extirpari: ut posthac nemo audeat in æde sacra, vel cœmeterio, saltare, seu choream ducere: nec extra, quo tempore divina officia celebrantur. Et ut omnis hujusmodi abusuum, & turpitudinis occasio tollatur, parochis prohibemus, ne posthac ad comessationes (quas defructus appellant) ullo modo parochianos suos admittant: sed potius a domibus suis arceant: Nec permittant quempiam canere (ut dicunt) Memento domine David sans truffe, &c. nec alia hujusD modi ridenda: quæ in contemptum divini officii ac in dedecus & probrum totius cleri, & fiunt, & cantantur. Itaque has comessationes penitus tollentes, parochis præcipimus, ut eas similesque alias, tam diebus festis, quam in defunctorum commemorationibus, aliasque fugiant, nisi excommunicationis pœnam, aliamque arbitrariam incurrere velint.

De officio divino prædicto devote & cum silentio reverenter audiendo.

Canon XLVIII.

Cum deceat domum Dei sanctitas, ut cujus in pace factus est locus, ejusdem cultus cum digna veE neratione sit pacificus. Idcirco ex sanctorum patrum præceptis studeant parochi omnes, suosque parochianos moneant, quo religiosus & pius ad templum ingressus esse possit, ut quieta in eo sit conversatio, Deo grata, quæ inspicientibus placeat qua non solum ipsi instituantur, sed etiam reficiantur: ubi convenerint, nomen illud quod est super omne nomen, nempe Jesu Christi, summum illi honorem & peculiarem exhibendo, attollant: & singuli, dum præcipue divina officia celebrantur, ad religiosas orationes animum adjiciant:

Anno Christi 1551.

ciant: Nemo eis in locis, in quibus cum pace & quiete æquum est vota fieri, voce, aut re ipsa motum tumultumve excitet. Absint procul communitatum, & quarumlibet societatum, concilia, colloquia, & conciones. Absint vanæ, multoque magis fœdæ & profanæ confabulationes: atque (ut antea dictum est) deambulationes & quilibet discursus. Nulla illic negotia tractentur. Omnis absit sæcularium judiciorum strepitus. Postremo, quæcumque sacræ rei exequendæ possunt obesse, aut oculos divinæ majestatis offendere, ab omnibus sint prorsus aliena: ne ubi venia peccatorum est postulanda, ibi scelerum detur perpetrandorum occasio, aut deprehendantur peccata committi.

De feriis, seu festorum observatione.

Canon XLIX.

Cum dies festi a Deo sanctisque patribus religiose constituti sunt, ut in his Christianus populus orationi vacet, verbum Dei & divinum attente audiat, non autem rusticis actionibus, negotiisque publicis det operam: Idcirco commodissime decernit concilium, ut parochi suos omnes moneant, excommunicationis pœnam comminantes, ut illos dies festos colant, cum maxima erga Deum animi sinceritate & religione: a quacumque servili actione, ebrietate, blasphemia, ludis publicis, "cœnopoliis sive tabernis, animalium vehiculis, quibus palam agrorum colendorum, vel negotiorum gratia utuntur, abstineant. Nihil mercatores publice vendant: officinæ eorum apertæ non sint, præsertim diebus dominicis, & beatæ gloriosæque virginis Mariæ, apostolorum, aliorum omnium, quorum dies festos vigiliæ præcedunt. Præterea, quo die episcopus, vel ejus vicarius parochiam adit, quomodo regatur & administretur inspecturus & cogniturus: choreis, maxime dum divina res agitur, abstineant. Quod qui contempserint, præter excommunicationis pœnam, tanquam superbi, & hæreseos nomine suspecti, notari & puniri possint.

"melius cœnopolis.

De sacramentis pœnitentiæ & eucharistiæ.

Canon L.

Quia omnibus Christianis præceptum est, ut semel in anno sacrosanctum eucharistiæ sacramentum percipiant, & parocho suo peccata confiteantur: Voluit & decrevit concilium, ut posthac nemo audeat, sanctissimo die paschæ, peccata sua confiteri, aut sanctificum eucharistiæ sacramentum ab alio accipere, quam ab ipso parocho, vel in ejus locum suffecto, nisi exorata a parocho venia: quam illi scriptam (quo ad eucharistiæ susceptionem) concesserit. Confitendi itaque licentiam non deneget, sed gratis tradat, & omnia, quorum licentiam dederit, in codicem referat. Similiter qui cœnobiis præsunt (qui priores & gardiani vulgo dicuntur) eorum nomina scribant, qui tam confitendi, quam accipiendæ eucharistiæ, a parocho veniam impetrarint: suumque codicem, cum parochi libello conferant. Adhæc parochus omnis eorum nomina scribat qui sacram eucharistiam receperint: & eos qui non receperint, seu alias in præmissis deficientes, ad dicœsanum, seu generalem ejus vicarium, intra dies octo deferat: aut in proxima synodo, ne excommunicationis pœna plectatur: ut tollantur impostura, deceptiones, doli & abusus: utque cognitis refractariis, in eos tanquam hæreseos nomine suspectos agatur, ut jus dictat. Quod statutum publicetur per dies dominicos proximæ quadragesimæ.

Anno Christi 1551.

Confessionalia.

Canon LI.

Voluit concilium, quæ vulgo confessionalia vocantur, nisi prius inspecta, a dicœsanis, sive generalibus eorum vicariis non admitti: In quibus admittendis prudentes erunt: ut jus dictare videbitur, idque gratis. Placuit tamen quantum ad confessorem eligendum spectat, & si illis libere quem velint habere permittatur, debere tamen parocho fidem facere, cui peccata sua confessi fuerint.

Medici vocati ad infirmos eos inducant ad confitendum.

Canon LII.

Cum sacræ paginæ testimonio, ejusque exemplo doceantur omnes, maxime, qui quovis morbo laborant, opem domini implorare: ne eo contempto ab ipso destituantur & pereant: justa de causa sacra decreta exequendo, admonet concilium corporum medicos, ut cum ad ægros vocati fuerint, illos verbis inducant, illisque persuadere nitantur, ut sacerdotes animarum medicos advocent. Nam ubi de animi salute prospectum illis fuerit, ad corporis valetudinem adjuvante altissimo, & incredibili, inenarrandaque ejus gratia, multo facilius pervenire poterunt. Ab ecclesia arceantur, quasque alias jura præscribunt pœnas contemptores incurrant post hujus edicti publicationem.

De sacramento matrimonii.

Canon LIII.

Cum matrimonium magnum sit in Christo Jesu & ecclesia sacramentum, in cujus & institutionis illius maximum dedecus, permulta quotidie divortia fiant, quod generale concilium non observetur. Idcirco statuit hæc synodus, conjugiorum solemnia universa hac in provincia, non posse Christiana in ecclesia celebrari, nisi res palam fiat, seu banna matrimonialia, ut jure constitutum est, edita fuerint, tribus videlicet diebus dominicis, festisve solemnibus. Et post publicationem tertiam triduum sacram illam conjunctionem præcedat. Quæ publicatio in majore missa a parocho seu ejus vicario fiet, in cujus parochia sacro matrimonii vinculo conjungendi erunt, hujus juris nullam concedat relaxationem sive dispensationem qui dicœcesi præest: præterquam uno (quod ajunt) in banno. Nec ut celebretur, seu solemnizetur matrimonium tempore a sanctis patribus vetito: nisi inter eos qui gravitate, dignitate, & auctoritate valeant: in quibus nulla futuri divortii suspicio esse videtur: aut nisi alia urgens causa occurrat: ut pacis acquirendæ gratia: aut si reducenda sit mulier, quæ quæstu turpissime facto vixerit, ad melioris vitæ frugem. Cujus, si nuptiæ in aliud tempus differrentur, posset fortasse a divina inspiratione, ut quotidie nobis insidiatur, incautosque opprimit diabolus, resilire.

Si nulla a superiore promulgandi conjugii relaxatio sive dispensatio concedatur, cum parochus,

ANNO CHRISTI 1551.

chus, aut in ejus locum ſuffectus banna hujuſmodi ediderit publice, & ut juris poſtulat ordo, & ſi ii qui nuptias contrahunt, non alienæ diœceſis exiſtant, & inter quos nullum præceſſerat per verba de præſenti matrimonium, ſed dumtaxat quædam per verba de futuro promiſſio, & non proponatur, ſeu ſe offerat aliquod impedimentum, nulla tunc opus ſit conjungendis aut parochis ad conjugium peragendum a diœceſis præſule venia, ſed impune omnia ſacrificio faciendo, miſſaque celebranda exequi poterunt.

Præterea, ut de his quæ ad alienigenas & externos attinent, quam ſanctiſſime fieri poterit, agatur, decrevit concilium eos nequaquam ad contrahendum matrimonium, neque ad ſacram ejus perfectionem admittendos, quin prius diœceſanis, in quorum diœceſi nuptias contracturi ſint, literas offerant a ſuo epiſcopo, vel generali ejus vicario, vel judice ordinario acceptas, quibus teſtentur & fidem faciant, non ſolum ſe matrimonii vinculo ſolutos, ſed neque ſacris initiatos, neque excommunicatione irretitos eſſe: aut ſaltem ſi ex diſtantia locorum, ſeu alia legitima ratione perquam difficile foret hujuſmodi literas afferre, cautionem quam poterunt, præſtent ſuper præmiſſis penes ipſos diœceſanos.

Si qui vero a tam ſancta inſtitutione & decreto alieni inveniantur, qui matrimonium extra ſuam diœceſim inſcio, inconſulto, & non conſentiente diœceſano in cujus diœceſim incolendam, ſeu habitandam tranſmigrarint, aut in ſacris quibuſdam ædiculis, vel templis, ſuæ vel alienæ diœceſis contraxerint, ſeu celebraverint, parochos, vel alios ſacerdotes, qui nuptiarum ſolemnia celebrarint, officio, ſacerdotioque ſive beneficio per annum privari & ſuſpendi: Conjuges vero, tamquam refractarios, excommunicatione puniri concilium voluit: ſic, ut abſolvi nequeant, quouſque, ut ſuperbi, & decretorum contemptores, coram diœceſano vocati reſponderint, ut in eos jure agi poſſit.

Inhibet concilium, ut dignus tanto ſacramento honor exhibeatur, ne alibi quam in eccleſiis parochialibus publice matrimonii ſacra peragantur: Nullamque diœceſani, vel generales eorum vicarii hujus juris relaxationem, ſive diſpenſationem concedant, niſi urgente cauſa. Monenturque conjuges, in hujus ſacramenti honorem, ut peccata ſua ante ipſius perfectionem confiteantur.

Nuptias per verba de præſenti contrahentes, parentum aliorumque quibus curæ ſunt, conſenſu, & amicis ac vicinis, ſeu aliis probis viris præſentibus abſolvantur ad cautelam vel alias, idque gratis. Quo peracto, parochus, vel in ejus locum ſuffectus, cetera perſequi diœceſani literis fretus poterit: & conjugii ſacra exolvere apud ſanctam eccleſiam matrem, poſtquam promulgatum fuerit matrimonium ſeu bannis præcedentibus, ut antea dictum eſt. Si vero aliter nuptias contrahant, nempe, callide, doloſe & occulte ſive clandeſtine, præter excommunicationis ſententiam, quam re ipſa volumus illos incurrere, a diœceſanis gravius puniantur: ut rei, & perſonarum qualitas poſtulare videbuntur.

De ſacramento matrimonii prædicto, videlicet quoad adulteros & concubinarios.

ANNO CHRISTI 1551.

Canon LIV.

JUbet concilium parochis, in eorumque locum ſuffectis, ut diligenter inquirant, ſi quos ſuis in parochiis habeant, qui cum mulieribus, illis matrimonio non conjunctis cohabitent: & de quorum conjugio, Chriſtiana in eccleſia non conſtet. Moneantur autem cujuſcumque ſtatus & conditionis ſint, ne poſthac cohabitent ſimul, niſi, ubi ſoluti fuerint, nuptias contrahant: & proximo tempore a jure ſtatuto celebrent: promulgato conjugio, ſive bannis matrimonialibus editis. Quod ſi non obſervaverint, ſive procraſtinaverint, parochus, aut qui abſentis munus obit, id mox, ſaltem intra dies octo nuntiet diœceſis præſuli: ut in eos, tamquam in conjugalis ſacramenti contemptores, ob idque hæreſeos nomine ſuſpectos agatur: & a peccato, cujus ſorde & macula in maximum vicinorum aliorumque ſcandalum contaminantur, revocari poſſint. Quod ſi parochi, vel quibus muneris ſui adminiſtrationem commiſerint, negligentiæ ullo modo inſimulari & argui valeant, grave de ipſis ſupplicium ſumatur.

Moneant parochi, eorumque vicarii, diebus dominicis e ſuggeſto, quod pronum vocant, populo ad rem divinam audiendam congregato, concubinos & adulteros publicos, tam re ipſa, quam nomine, aut alio modo cognitos & manifeſtos, matrimonii vinculo conjunctos, vel ſolutos, ut meretrices & concubinas procul expellant, ne excommunicationem incurrant. Quos lapſis octo diebus habita hujuſmodi monitionum cognitione, niſi reſipuerint, excommunicatos eſſe concilium decrevit. Et ubi in jus, inquiſitione in eos facta, aut alio modo, poſtea vocati fuerint, tamquam ſacramenti conjugalis contemptores, ac niſi ab hoc vitio deſtiterint, hæreſeos nomine ſuſpecti digno ſupplicio afficiantur.

De ſtatu regularium.

Canon LV.

Nullus monachus, aut quicumque in ſeveram religionis regulam juraverit, in monaſterio, aut cœnobio ſolus eſſe permittatur a diœceſano, nec vagari habitu præſertim indecoro indutus: ut cum de clericorum habitu ageretur antea dictum fuit.

Curent diœceſani ex juris ſententia ut ſacræ virgines, quæ vulgo moniales dicuntur, præcipue, quæ eam vitæ religionem perpetuo profeſſæ ſint, ſepta & monaſterii clauſtra non exeant: & ne aliis ad eas ingreſſus permittatur: niſi urgente cauſa, & exorata a ſuperiore licentia. Ad hæc proſpiciant ſedulo diœceſani, ut recte ea monaſteria claudantur. Et ſi redditus huic rei non reſpondeant, id publica locorum ubi ſunt, pecunia fiat. Quod ſi ab adminiſtratoribus, aut populo, aut aliis, quibus hoc præſtandum eſſet, denegetur, alio transferantur: aut aliter, ut jura permittunt, proſpiciatur.

De magiſtris & rectoribus ſcholarum.

Canon LVI.

Voluit concilium, ne quis ſcholarum adminiſtrationi præficiatur hac in provincia, publice vel privatim, niſi prius domino epiſcopo, ſeu

Anno Christi 1564.

ejus vicario, aut alii viro ecclesiastico ad quem jure, vel consuetudine institutio pertinet, oblatus fuerit a consulibus, vel iis quorum est offerre: qui eum interroget de vita, moribus, fide & doctrina: Quem oportet literas habere a judice ordinario loci, ubi alias erudiendæ juventutis provinciam susceperit: quibus se virum bonum esse testetur. Neque quisquam, nisi idoneus admittatur: cui exacte præcipiatur, ut singulis diebus dominicis, & festis ad templum juvenes ducat: orationem dominicam & salutationem angelicam, ut supra, symbolum apostolorum, confessionem, salve regina, horarias preces beatæ Mariæ, septem psalmos cum litaniis, preces pro defunctis, eos doceat: Libris prophanis in ædibus sacris, nec uti, nec gestare permittat. B

Magistris & scholarum rectoribus prohibetur, ne sacræ paginæ libros publice, vel privatim, interpretari audeant. Quæ omnia in literis licentiæ a diœcesano concessæ exprimantur. Nec pro literis, quibus de se fidem facient magistri, quicquam diœcesani, aut quilibet alii accipiant: sed eas gratis concedant. Quod si his exacte non observatis, ad regendas scholas admissi fuerint, & ipsi scholarum rectores, & qui illos admiserint, pœna excommunicationis plectantur.

De hæreticis & sortilegis.

Canon LVII.

C Um præcipua diœcesani cura esse debeat, ut quam diligentissime prospiciat, ne quod hæreticum dogma, aut quod scandalum pariat, Christianorumque pias aures offendat, sortilegia, divinationes, incantationes, superstitiones, & præstigiæ quævis diabolicæ, diœcesim suam inficiant. Itaque statuit concilium, ut quilibet diœcesis præsul, summam in hæc diligentiam adhibeat: tam diœcesim suam invisendo, & perlustrando, quam alio modo. Præterea ut facilius hæc monstra extirpari possint; moneantur sacerdotes, præcipue parochi, & qui eorum supplent locum, ne quas hujusmodi sordes suis in parochiis patiantur, & cum primum aliquos hæreticos, aut ex Lutheri secta, aut alios hæreseos nomine suspectos, aut sortilegos, aut hujusmodi superstitionibus conflictantes deprehenderint, aut in eos conjectura moti fuerint, mox ipsorum nomina ad diœcesis præsulem deferant: aut ad eos, quibus exercendæ justitiæ, vitiorumque extirpandorum onus imposuerit: nisi excommunicatione plecti, aliasque gravissimas pœnas malint perpeti, si negligentiæ convincantur. Quod si nonnulli reperiantur in eorum parochiis, qui hujusmodi sordibus & vitiis contaminentur, & in hoc negligentius versari parochos comperiatur, gravissimum de ipsis supplicium sumatur tamquam hæreticorum fautoribus: ubi præsertim aperta in eis negligentia seu dissimulatio comperta fuerit: Et in qualibet synodo, parochi de his eorumque vicarii separatim & diligenter interrogentur: illisque speciatim & severe præcipiatur, ne hoc in munere cæcutiant: sed statim ubi hoc morbo quosdam laborare intellexerint, eorum nomina, ut antea dictum est, deferant. C D E

Et ut detegi, citiusque extirpari possint hujusmodi sectæ & hæreses, modis omnibus promulgentur & publicentur monitiones generales: tum excommunicationes generales in singulis parochiis saltem bis unoquoque anno, nempe tempore adventus Christi, & quadragesimæ, aut solemnibus festis diebus adversus Lutheri fautores, aliosque hæreseos nomine suspectos. Quibus monitionibus generaliter etiam omnes moneantur, ut eorum nomina deferant seu revelent, quos his sordibus infici noverint, & præcipue si audiverint proferri, aut affirmari, aut quicquam ab alio doceri, seu dogmatizari contra fidem catholicam, & sacras ecclesiæ præceptiones. Tum si intellexerint conventicula quædam seu occultas congregationes, hujusmodi gratia fieri. Postremo si pestiferum hominum genus indicet se, & prodat verbis, aut signis, aut quibuscumque aliis actionibus externis, ut puta vescendo carnibus, lacticiniis, & ovis tempore quadragesimæ, & aliis temporibus ab ecclesia prohibitis: sive hæreticorum, aut hæreseos nomine suspectorum libros tenendo, vel publice, vel privatim, seu alio quovismodo secundum articulos a diœcesanis proponendos, ut cuique commodius videbitur, habita rerum locorum & temporum ratione. Has autem monitiones, & quæ subsequutæ fuerint excommunicationes, apud diœcesanos reponant: ac proditiones sive revelationes, si quæ illis factæ fuerint, idque quanta fieri poterit diligentia & fidelitate, nisi præscriptas pœnas incurrere velint.

Anno Christi 1564.

Cum non solum malo, sed etiam omni occasione & suspicione mali abstinendum sit, moneant suos parochi, ut præscripto carnium, ovorum & lacticiniorum esu tempore quadragesimæ, & aliis temporibus ab ecclesia prohibitis abstineant: nisi ex consilio utriusque medici: aut saltem in summa necessitate alterius, nempe parochi, qui id postea diœcesano quamprimum referat: ne scandalo & offendiculo locus esse possit. Quod qui edictum contempserint, excommunicatione, aliisque superioribus pœnis afficiantur.

Præterea, moneantur omninoque prohibeantur parochiani, ne disputent, nec quæstiones moveant, nec agant, aut contendant de fide & sacris ecclesiæ præceptionibus & constitutionibus, maxime in conviviis, aliisque hominum cœtibus, præsertim quorum non est de sacris literis differere & tractare.

Parochi singulis diebus dominicis e suggesto, sive prono ecclesiæ hæreticos & sortilegos omnes excommunicatos denuncient.

De quæstoribus.

Canon LVIII.

AD extirpandos abusus, ex quibus perspicuum est censuram ecclesiasticam vilescere, quod præter ea quæ canones, generaliaque concilia præscripserunt, tam in concessionibus mandatorum, sive permissionum, ad promulgandas publicandasque indulgentias, tum in earum publicatione vitium committitur. Idcirco statuit concilium, ut posthac diligentius caveant diœcesani, ne in concessionibus hujusmodi mandatorum sive permissionum, ullo modo regula a generali concilio tradita excedatur. Præterea ex generalis ejusdem concilii sententia, nullo modo quæstoribus permittatur, concionari, nec quicquam proponere, præter ea quæ in diplomatibus, seu bullis, aliisque indulgentiarum literis contineantur: qui quidem articuli legantur, & publicentur a parochis, & non a quæstoribus: qui, ut perspicuum est, fabulas quasdam seu abusus intermiscent, ubi literarum publicatio illis conceditur. Nec eisdem quæstoribus permittantur, plurium parochiarum popu-

ANNO CHRISTI 1551.

populum, instar sacræ pompæ sive processionis in unam, nec alias convocare.

Et quia contingere potest, ut pro veris adulterinæ reliquiæ circumferantur, idcirco reliquias quas asserunt deferre, non permittantur populo deosculandas, aut exhibendas, nisi saltem certum fecerint diœcesanum de reliquiis hujusmodi prætensis, nec recipiantur, minusque admittantur a diœcesanis exemplaria, seu transsumpta, aut vidimus diplomatum, sive bullarum aliarumque literarum hujusmodi indulgentiarum, nisi primæ literæ, sive originalia proferantur & exhibeantur: aut saltem exemplaria, sive transsumpta ipsa a metropolitano diœcesanorum emanaverint. Idque ut occurratur impostoris, seu abusibus, præcipue interserendo exemplaribus seu ipsis transsumptis B fictitia diplomata, seu falsas bullas, ut jam experientia docuit: unde infinita hominum multitudo decipi posset.

Et ut impostoris, seu aliis abusibus occurratur, quibus uti possent quæstores, sententiis seu articulis ex diplomatibus seu bullis, aliisque literis indulgentiarum excerptis, & præcipue prælo commissis inferentes plures clausulas, & verba quæ in diplomatibus seu bullis & literis indulgentiarum non continentur, maxime circa prima sive substantialia. Caveant diœcesani ne hujusmodi articuli expediantur, nisi prius eos diligenter cum ipsis diplomatibus, seu indulgentiarum literis contulerint, & ad veritatis normam exegerint. Has autem literas simul cum articulis in codicem apud C se referendas diœcesani curent, ut quando res postulaverit ad ea recurratur: præsertim si alio posthac anno contingeret similia mandata concedi: & nova collatione, sive, quod ajunt, verificatione opus sit: Ideoque præmio ob literas inspectas: & ne ex hoc aperiatur via diplomatum hujusmodi, undecumque admittendorum. Denique ut facilius occurratur fraudibus & impostoris, quæ in mutandis articulis sæpe committuntur.

Præterea non nisi semel eædem indulgentiæ admittantur, præsertim in locis remotis, & longinquis, in quibus ignoratur an eleemosynæ in pios usus, quales indulgentiarum literæ præscribunt, conferantur: & nisi perspicuum sit eleemosynas huc usque in eos usus pro quibus ab initio con- D cessæ fuerint, collocari. Cum ut quæ concedentem ratio movit, duret, nec generalis seu communis confirmationum forma spectetur, nisi indulgentiarum, quas idcirco quæstores confirmatas esse proponunt, & persuadere nituntur, speciatim literæ confirmationum hujusmodi meminerint, ubi præsertim quicquam in ipsis indulgentiis dicto generali concilio, & sacris decretis repugnans, seu devium videretur.

Et quia frequenter accidit ut quæstores circumferant, quæ vulgo confessionalia dicuntur, quibus multa alia inferunt præter concessa, & in literis indulgentiarum contenta, maxime his quæ prima & substantialia sunt, idcirco non permittant parochi quæstores hujusmodi confessionalia populo E distribuere, nisi eo modo, quo, ut supra diximus, articuli conferantur, & ad veritatis fidem exigantur: signenturque ab eo qui est a secretis diœcesano: saltem unum pro quaque parochia. Ad cujus fidem parochus alia revocet.

Diligenter etiam in hujusmodi diplomatibus seu bullis aliisque indulgentiarum literis inspiciendis, præ oculis habeantur quæ in constitutione, Et si dominici gregis, declarantur: nempe, ut in quibuscumque indulgentiis, & absolvendi concessionibus non comprehendantur casus eadem in constitutione expressi & excepti, nisi speciali se- A dis apostolicæ licentia in diplomatibus literisque indulgentiarum contineri, speciatim declaretur, in quo multi falli possent. ANNO CHRISTI 1551.

De visitationibus & procurationibus,

Canon LIX.

Et quia ut plurimum incuria & negligentia pastoris divagantur oves, quas tunc lupus invadit & rapit, non abs re visum est concilio necessarium, ut episcopi vel generales eorum vicarii, ad cognoscendos suæ fidei commissos greges singulis annis suas diœceses & ecclesias, aut saltem unoquoque triennio invisant & perlustrent: errata si quæ sint emendaturi, oculataque fide & diligenti animo, quæ ad Dei laudem pertinent prospecturi. In quibus exequendis, quantum ad procurationem spectat, non excedant taxationem in diplomate, sive bulla optimi felicissimique nominis Urbani papæ V. ad archiepiscopum Narbonensem ejusque suffragatores transmissa declaratam: Nempe mediam partem taxationis præscriptæ in constitutione Benedicti duodecimi: Cujus initium est, Vas electionis, sic, ut quæ Jesu Christi, & non quæ sua sunt, quæ rere videantur.

De sententia excommunicationis.

Canon LX.

Cum modis omnibus quilibet ad salutem non solum vocandus, sed vel invitus attrahendus sit, nec desint permulti, qui excommunicationis compedibus vincti, nihil minus studeant, quam ut solvi, & liberari possint, in ecclesiæ, claviumque potestatis contemptum: Quos cum ut obstinatos & pertinaces, religionis amor reducere nequeat, pœnarum gravitate deterrendi sunt. Itaque præscripsit concilium, ut quicumque per mensem excommunicationis sententia nominati permanserint, cujuscumque sexus existant, si solvendo sint, quinque solidos exolvere cogantur: si vero per duos menses, decem solidos in pauperum hospitium conferendos, quod in eo loco quem excommunicati inhabitant, situm est: ab illo qui est a secretis diœcesano exigendos: quos in codicem referat ut eos hospitii rectori fideliter persolvat: ita ut ex his nihil commodi ad diœcesium præsules perveniat. Quod si animo pertinaci & obstinato in excommunicatione duos menses excedant, diœcesani arbitrio graviori pœnitentiæ subjaceant. Si vero solvendo non sint, qui per id tempus jam expressum, seu longius excommunicatione irretiti permanserint, a diœcesanis, vel eorum vicariis salutifera illis pœnitentia imponatur, nulla indicta pecuniæ multa, ut ad verum sanctissimæ matris ecclesiæ gremium reduci valeant: aliis viis juris & remediis opportunis ad obstinatos insordescentesque in vinculo excommunicationis cogendos & revocandos nequaquam impeditis.

Nullus clericus, aut etiam laicus a jure vel homine excommunicatus & declaratus ad publica munera admittatur. Indignum est enim, ut qui a grege dominico segregatus & separatus est, publicis officiis fungatur.

ANNO CHRISTI 1551.

De dispensationibus.

Canon LXI.

Cum sæpissime nimia veniæ facilitas delinquendi occasionem præbeat, statuit concilium ne diœcesani, in relaxationibus sive dispensationibus in rebus permissis, æquo faciliores se præstent: sed potius eas concessuri, habita hujus tempestatis ratione, Deum præ oculis habeant: & ne populo eorum auctoritas contemptui esse videatur.

De rebus & negotiis ecclesiasticis.

Canon LXII.

Prudentia, cum ex apostolica canonicisque regulis in episcopis aliisque sacerdotibus necessaria sit, non ea solum in literarum peritia, ut antea dictum est, sed etiam in sæcularium negotiorum administratione intelligenda est. Itaque speciatim præscriptum est, provincialia hujusmodi concilia, ut ab initio meminimus, propter ecclesiasticas causas controversia dissolvendas celebranda esse. Cum igitur de his quæ ad animum referuntur, sive de spiritualibus hucusque satis actum sit, quæ sine sæcularium beneficio vix diu stare possunt, quædam præscribenda putavimus, quæ ad victum seu redditus resque & externa sive temporalia ecclesiæ negotia pertinent.

De decimis.

Canon LXIII.

Decimas & primitias cum Deus constituerit, ut sacrorum ministris persolvantur: cumque per prophetam iis maledixerit, quos in decimis, primitiisque congerendis non pudet concertare, aut mutuis fraudibus uti, præcipiat inferri decimam omnem in horreum suum, ut ea sit sacerdoti cibus in domo sua, cum dominus in evangelio æquum esse dixerit, eas etiam ex mentha & anetho solvendas esse, cum denique qui altari servit, ex altari vivere debeat: Idcirco, & quia his temporibus multæ in decimarum & primitiarum solutione fraudes aperte committi videntur: Statuit concilium, ut parochi suos in templo saltem semel in mense moneant, ut decimas & primitias integre, & sine fraude solvant, de antiqua consuetudine nihil immutantes. Neque huic excusationi locus sit. Nempe, a paucis annis aliquos tentasse conscientia reluctante, ut consuetudini detraherent, minus scilicet quam pro more essent soluturi. Nullum denique dolum & fraudem committant in decimis exolvendis, nisi posthac (ubi hoc illis edictum innotuerit) excommunicationis sententiam in hujusmodi dolosos & fraudulentos latam incurrere malint.

Insuper, ut dolis & fraudibus occurratur, multisque litibus quæ quotidie exoriuntur, quorumdam nequitia, qui cum rem familiarem administrent, focumque & larem (ut vulgo dicitur) una in parochia habeant, die tamen sancto paschæ, aliam adire non dubitant, ibi sacrosanctum eucharistiæ sacramentum recepturi, ut parochum suum jure suo fraudent. Itaque statuit concilium, ut nemo qui sanctificum illud sacramentum aliena in parochia acceperit, ob id parochianus dicatur: cum etsi maximum illud sacramentum esse cuncti fateantur, alia tamen sint ecclesiastica sacramenta, & textus in plurali numero loquatur. Neque idcirco decimas solvat, ubi eucharistiæ sacramentum acceperit, etiam si dolose cum universa familia alienam in parochiam ad illum effectum, & per aliquot dies ante diem paschatis eo animo se contulerit: sed vere illi parochiæ ascribatur, ubi perpetuo aut frequentius habitat: ubi domicilium & familiam habet: & ubi ipse ejusque familia ecclesiastica sacramenta recipit. Ne propterea quod sancto die paschæ alienam adiit parochiam sanctissimæ eucharistiæ sacramentum recepturus, quamvis illic per dies aliquot moratus sit, illius parochiæ dicendus est parochianus: cum id non animo mutandi domicilii, neque quod religione moveretur, sed in fraudem parochi sui feciſse putetur. Quare parocho vere suo, nempe in cujus parochia, ut jam dictum est, domicilium habet & familiam alit, & ubi alia ecclesiæ sacramenta cum familia accipit, integram agnorum & lanæ decimam solvat: quam debet, quod parochianus sit: mediam, scilicet partem in diœcesibus in quibus media pars debetur ratione parochianatus, ut in diœcesi Narbonensi consuetudo invaluit, aliaque jura si quæ sint.

Alieno autem parocho, apud quem eucharistiæ sacramentum recepit, nihil ex hoc commodi acquiratur. Imo secundum superiora decreta, volumus ut verum illius parochum certiorem faciat quomodo sua in parochia sanctum eucharistiæ sacramentum ei ministrarit: idque licentia petita, & a vero illius parocho exorata: etiamsi, ut dolose fit, aliena in parochia domum habeat, quam tamen perpetuo cum familia non inhabitet, ut antea dictum est. Cui edicto si adversentur & repugnent, tum ipsi, tum parochi sive rectores ad quos transfugiunt, excommunicationis pœna aliisque arbitrariis puniantur.

Præterea quod ad promiscuos parochianos attinet, cum eorum innumeræ quotidie fraudes committantur, quod potissimum tempore seminis terræ mandandi, messium colligendarum, ac vindemiarum, ut pecudibus suis pabula carpenda præbeant, familiæ partem transferant eam in parochiam, in qua fundum aliquem sive possessionem aut domum acquisierint, & fructibus collectis ad pristinam antiquam domum primamque familiam redeant: Statuit concilium omnis tollendæ ambiguitatis gratia, quod si novam illam in parochiam, ubi domum acquisierint, familiam transmittant, aut si plures sint fratres cohæredes, aut qui communia inter se bona habeant, quorum jubeant unum novam illam possessionem adire, ad præscriptum tempus, non divisis bonis, sed ut novi illius fundi pascuis utantur, & fructus colligant, quia nemo dici potest duarum ecclesiarum parochianus, ut media pars decimæ agnorum & lanæ quæ ob parochianatum debetur, earum rerum causa, parocho tota solvatur, in cujus parochia antiqua familia, primaque domus sita est; nisi frater aut socius ille omnino domicilium mutet, ad antiquam familiam non rediturus: tunc enim pro æqua portione suæ hæreditatis, illius tantum dicetur novus parochianus, ut ob portionem illam tantum novo parocho decimam solvat ratione parochianatus: nihil de pascuorum jure immutando: idque solum in diœcesi Narbonensi, & aliis in quibus ob parochianatum media pars decimæ agnorum & lanæ debetur: In aliis vero consuetudo locorum servetur: hoc additur, ut nullus fraudi locus relinquantur, quantum ad temporis divisionem attinet, ut ratione pascuorum, nulla temporis ratio habeatur, neque solvant aliena in parochia decimam aliquam pascuorum causa, nisi pecudes saltem ibi mensem compleverint: non tamen ex sententia parochiani dies numerentur, sed vero parocho integram deci-

ANNO CHRISTI 1551.

decimam solvat, tam jure parochianatus, quam pascuorum. Et pro dictis pascuis ceteri parochi in quorum parochia per tempus competens, ut supra, pastæ fuerint pecudes habita temporis ratione, pascuorum causa a vero parocho, non a parochiano jus suum consequentur: qui ob id nihil poterunt retinere. Quod si inter parochos de tempore oriatur controversia, tunc parochiani, aut pastoris, cui pecudes commissæ fuerint, jurisjurando fides erit adhibenda.

De eleemosynarum quæstoribus pro fabricis, ordinamentis & luminaribus ac suffraglis in ecclesiis.

Canon LXIV.

Præcipiant diœcesani iis qui in templo pecunias colligunt, quos vulgo ecclesiarum quæstores seu bassinerios vocant, ut quæ populus religione adductus munusculo offerat, scribant: de hisque librum rationum conficiant: recte pecuniis utantur: eas, ut æquum est, collocent: fidelissime & exactissime rationem reddant, ubi administrationis suæ annum peregerint, quod reliquum est & debitum successoribus reipsa tradant coram & præsente parocho vel ejus vicario, vocatisque consulibus, ne quid doli committatur, populusque a conferendis eleemosynis revocetur, cujus decreti contemptores excommunicatione puniantur.

De cautela circa literas & documenta rerum ecclesiæ.

Canon LXV.

Præscribit concilium, ut singulis in ecclesiis liber conficiatur, sigillandus, & a notario loci signandus: in quo res mobiles & immobiles cujuscumque ecclesiæ, jura, actiones, redditus, decimarumque colligendarum ratio describantur, qui catena ferrea affigatur, his omnibus de rebus ubi opus fuerit, perenne testimonium perhibiturus. Hujus autem apud episcopum servetur exemplar: ad quod perpetuo recurratur sumptibus parochi.

ANNO CHRISTI 1551.

Præterea de contractibus omnibus vassalaticis, & emphyteoticariis rerum ecclesiarum, tabulæ duæ sive instrumenta publica conficiantur, quorum alterum parochus, seu quicumque sacerdotio præest, habeat: alterum in superiore libro scribatur.

Conclusio.

Canon LXVI.

Voluit concilium omnia de quibus his in canonibus & statutis agitur, determinationi sanctæ matris ecclesiæ Romanæ subjici: a qua in quoquam deviare, aut aberrare nolumus. Neque generalibus conciliis, vel etiam provincialibus receptis & usu confirmatis: quibus his decretis nihil detrahi & derogari putamus.

Neque nostra est sententia, Christianissimi & D. N. Francorum Regis, ecclesiæ Gallicanæ, sacrorumque conventorum auctoritati & prærogativis detrahere, nec ullo modo illis obesse.

Hæc edicta, duce Spiritu sancto, hoc in concilio provinciali Narbonæ celebrato acta & præscripta, nos prædicti sic congregati, laudamus, approbamus, & confirmamus, eaque volumus posthac exactissime ab omnibus hujusce provinciæ clericis, aliisque quorum interest, cujuscumque status & conditionis sint, observari, ipsaque publicari in proxima paschæ synodo præcipimus, ne quis posthac ignorantiam causari possit. In quorum fidem, & testimonium prædicta omnia subscripsimus ubi supra. Die vigesima mensis Decembris, anno domini millesimo quingentesimo, quinquagesimo primo.

ANNO CHRISTI 1555.

ANNO CHRISTI 1555.

VITA MARCELLI PAPÆ II.

Marcellus quando & quomodo pontifex factus?

MArcellus ex oppido Politiano in Etruria, Richardo Cervino & Cassandra Bencia parentibus natus, cardinali Farnesio adhuc adolescenti a Paulo tertio datus, ut ejus opera in scribendis epistolis uteretur, nuntii apostolici dignitate exornatus, præter omnem suam expectationem cardinalis tituli sanctæ crucis renunciatus, Julio e vivis sublato, trigintanovem cardinalium communi studio per adorationem creatus est pontifex V. Idus Aprilis anno millesimo quingentesimo quinquagesimoquinto; dieque immediate subsequenti coronatus nomen Marcelli retinuit. Prohibuit consanguineis, ne Romam peterent: duos ex fratre Alexandro nepotes, quos ibidem educabat, a nemine voluit adiri.

Joannes Calvinus quis & quadis?

Hujus tempore Joannes Calvinus ex matre pontificii sacrificuli concubina canonicus Noviodunensis incipit claresceré, & de fori rabula theologus de repente prodire, quando ad pœnam quæsitus cum quodam Copo, tunc academiæ Parisiensis rectore, regii magistratus manus subdole effugisset.

Eodem tempore, *inquit Genebrardus*, præter pulgares Lutheranos, Zuinglianos, Calvinistas, Servetianos, Anabaptistas, & infinitas Sacramentariorum formas, recrudescunt alii, se in contraria scindentes, Brentiani, Ubiquistæ ubiquitatem humanitatis Christi dicentes; Osiandrini, hominem justificari ea justitia, qua Deus essentialiter justus; Stancariani, Christum justificare secundum solam humanam naturam; Amsdorfiani, bona opera ad salutem esse perniciosa; Majoristæ, infantes non salvari per solum baptismum; Antinomi, hominem ad legis Dei obedientiam non obligari; Suenkfeldiani, sacras literas penitus esse abjiciendas, & pendendum e sola divina inspiratione, qui proinde dicti sunt prophetæ cœlestes; Trinitarii sive Trideitæ, tres esse deos; Antitrinitarii, tres personas non in se subsistere, sed in divina essentia, esseque divinæ essentiæ dumtaxat residentias sive qualitates; Sabellianorum secta, qua infames sunt omnes fere Lutherani & Calvinistæ, ut multis libris docuimus; Autotheani, Christum esse Deum a se, non a patre, ut proinde improprie dixerint patres Nicæni, Deum de Deo, lumen de lumine, *&c.* hoc venenum suis miscuit Calvinus, ut ibidem ostendimus; Bibliistæ, nihil proponendum in ecclesia populo, vel in scholis ju-

ANNO CHRISTI 1555.

ventuti, præter biblia, nec discendas ullas philosophiæ artes; Sabbatarii, non dominicam diem colendam, solum Patrem esse invocandum, non Filium, non Spiritum sanctum; Stebleri, nec gladium nec peram portandam, nec ullo modo litigandum, aut in iudicio comparendum; Dæmoniaci, dæmones post finem mundi salvandos; Georgiodavidici, Georgium Davidem esse Christum; diabolum nullum existere, non futuram carnis resurrectionem; Memnonitæ, Christum carnem e Maria non sumpsisse; Ochinistæ sive Polygamistæ, licere uni viro multas simul habere uxores; Musculus, divinam Christi naturam una cum humana fuisse mortuam; Joannes Langus, carnem Christi esse deificatam, sive transiisse in divinam substantiam. Matthæus Flaccus Illyricus multa horrenda in omnes sectas invexit. Melanchthon ut multorum reus etiam a suis traducitur. Hieronymus Zanchius & Jacobus Scheckius medicus, de duabus A Christi naturis, & de sancta Trinitate monstra novis portentis auxerunt, quæ proprio opere refutavimus. Hos quidem defendere hodie conatur Lambertus quidam Danæus; at nimis inverecunde, quoniam sola impudentia hæretica armatus, disciplinarum omnium exners, tantam provinciam suscipit. Valentinus Gentilis, cum Servetianorum fermento Deistarum, Lemani lacus undas miscuit, contra quem præcipue tractatum meum de Trinitate dictavi. His jam omnibus superstes Theodorus Beza quotidie aliquid novi ad jam putres eorum blasphemias adit, *Hæc ex ipsorum scriptis & farraginibus*.

ANNO CHRISTI. 1555.

Dum vero Marcellus pontifex multa ad urbis & curiæ reformationem mente agitaret, apoplexia B correptus ad beatiorem vitam migravit, ultima ejusdem mensis, cum pontificatum dies viginti duos tenuisset, corpus ejus apud S. Petrum sepulturæ demandatum est.

VITA
PAULI PAPÆ IV.

Paulus quando pontifex factus?

PAulus IV. Neapolitanus, illustri Caraffarum familia oriundus, ante pontificatum Joannes Petri vocatus, scientia, pietate & virtute insignis, multis legationibus functus, a monastica vita, quam, relignato Theatino archiepiscopatu, institutoque ordine presbyterorum, Theatini vocatorum, professus erat, ad cardinalitiam dignitatem a Paulo tertio vocatus, ad extremum creatus est pontifex decimo Kalendas Junii, ipso Ascensionis die, anno domini millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto, tempore Caroli quinti & Ferdinandi imperatorum: sequente dominico coronatus decretum sanxit, quo beneficia illegitime possessa, vel pecuniis comparata, reddere præcipiebatur. Judæos in una parte civitatis reclusit, quibus ne usuram exercerent vetuit; crocei coloris pileum, quo a reliquis internosci possent, ipsos ferre voluit: decreta plurima a Julio tertio stabilita rescidit. Romæ Urbani ducem præfectum instituit, clero, quoad victum & vestitum leges præscripsit; pœnitentiæ officium ipsemet reformavit, beneficia & ecclesiæ bona non aliis, quam viris bene doctis, conferri voluit, Trium urbis Conservatorum auctoritatem amplificavit, Privilegia a pontificibus prædecessoribus populo concessa confirmavit, In cujus grati animi protestationem populus in Capitolio eidem statuam erexit, centumque nobiles custodes attribuit, quos omnes ipse equestri ordine cohonestavit. Et paulo post inter eum & Philippum Hispaniarum regem orta est discordia, cui Galliarum regis fretus auxiliis bellum in regno Neapolitano per ducem Albanum defenso indixit.

Ordinis Theatinorum institutor.

Res gestæ Paulo IV.

Anno integro, postquam prælio se lacessivissent, quæ pontifici parum feliciter successerant, ab E armis cedere coactus est. Inter arma Marcum Antonium ejusque patrem Ascanium anathemati innodavit, eosque omnibus possessionibus, quas in ditione ecclesiastica obtinebant, privavit; quas nepoti suo Joanni Caraffæ sub titulo Paliani ducatus attribuit. Pace tandem composita, dux Albanus summo pontifici obedientiam præstiturus ad eum humiliter profectus est, a quo absolutionem consecutus maximam ejus humanitatem expertus fuit. Porro ad inquisitionem conversus, eidem sexdecim cardinales addixit, quorum primarium locum cardinalis Alexandrinus tenebat. Catalogum librorum hæresi infectorum publicavit. Legatione Anglicana cardinalem Polum privavit: cardina- C lemque Moronum in vincula conjecit: Strictissime præcepit, ut omnes religiosi & monachi e claustris suis egressi ad proprium monasterium reverterentur. Auditis suorum cognatorum & propinquorum enormibus sceleribus, in eos gravissime animadvertit, illosque ex urbe ejiciens, omnibus gradibus spoliavit. Diversis ordinationibus novemdecim cardinales creavit, Cathedræ S. Petri festum innovavit.

inquisitionis institutit & librorum hæreticorum catalogum promulgavit.

Sub hujus pontificatu, *inquit Genebrardus*, Joannes Calvinus ad nundinas autumnales Francoforti anno millesimo quingentesimo quinquagesimosexto cum ministris ejus loci de cœna conferre volens, rejectus est, quod se Zuinglianum profiteretur. *Lavaterus in historia controversa Sacramentariorum*, D *Surius in historia*.

Eodem anno, cum plerique laici in Polonia usum calicis in sacramento eucharistiæ contentiose efflagitarent, quasi Christus esset exanguis sub altera specie, & Romanus pontifex eo misisset Aloysium Lipomanum Veronensem episcopum ad regem Poloniæ Sigismundum, ea quæstio divino miraculo est judicata. Nam cum quidam Judæus *Bishaim*, sive Benedictus, in quodam Poloniæ oppidulo, Sachazeto nomine, tribus miliaribus ab arce *Lowiz*, a sua ancilla Christiana Dorothea, *Lazezla* nomine, sacram eucharistiam (quam ipsa ad pagum Catzo die paschæ susceperat, & ex ore extractam in sudariolum reposuerat, ut ad suum herum deferret) tribus daleris & veste sericea fimbrias habente emisset, & in synagoga pugionibus & cultris confodisset, repente ex illa multus cruor emanavit, quem Judæi cochleari in vitreum calicem transfunduut. Hac re paulo post cognita, & ad Sigismundum regem, qui tunc erat Vilnæ; (quæ est urbs Lituaniæ metropolis) delata, mandatur illius oppiduli præfecto secundario, ut totum negotium diligenter inquirat, & in hujus sceleris conscios extremo supplicio animadvertat. Itaque Dorothea cum Judæo suo hero die Veneris post

Officium

Chri-

Christi ascensionem flammis exuritur, reliqui item Judæi sceleris socii (uno excepto qui aufugerat) Kalendis Junii idem supplicium luunt. Unde multi, & ipse Poloniæ rex, non mediocriter in retinenda catholicæ ecclesiæ communione confirmatur. *Historia rerum memorabilium, &c. conversa a Pontano libro quinto, & Surius in historia.*

Sub hæc tempora imago crucifixi a quodam lapidibus per indignationem icta emisit sanguinem, sed sceleris reus Moguntiæ supplicio afficitur. *Brentius in caput ad Galatas.*

Anno millesimo quingentesimo quinquagesimo septimo pridie Nonas Septemb. inchoatum est Wormatiæ colloquium inter catholicos & Lutheranos decreto comitiorum Ratisponensium, sed turbatum artibus Flacci Illyrici. Aderant evangelicarum partium duodecim ministri, qui a catholicis interrogati, quas sectas confessioni Augustanæ consentaneas & dissentaneas existimarent (quod variæ sectæ sub Augustana confessione comprehendi vellent, & decretum esset, cum iis dumtaxat colloquium habendum, qui essent antiquæ religionis, vel Augustanæ confessionis) per sexdecim dies inter se concertarunt, cum aliis ex ipsis sectas quasdam ut a confessione Augustana discrepantes damnarent & excluderent, alii retinendas, eisque parcendum censerent. Ea concertatio eo usque progressa est, ut ex duodecim ministris quinque rejecti & excommunicati fuerint, tanquam contrarii confessioni Augustanæ in præcipuis capitibus, ut de lege & evangelio, de libero arbitrio, de justificatione, de operibus, de sacramentis, & usu cæremoniarum. His ita gestis, quia a septem reliquis ministris nunquam impetrari potuit ut sigillatim multiplices sectas a confessione Augustana secernerent & damnarent, ne inanis esset labor colloquii, illud vix adhuc bene cœptum intermittitur. *Amdorffius in libro publicæ confessionis puræ doctrinæ evangelii, &c. Nicolaus Gallus in suis thesibus & hypotyposibus. Historia rerum memorabilium, &c. conversa a Pontano libro quinto. Lavatherus in historia controversiæ Sacramentariorum. Surius in historia.*

Carolo V. abdicanti se imperio Ferdinandus frater subrogatur.

Ejusdem tempore Carolus quintus, qui Solimannum tantarum virium fastu tumentem aliquoties profligarat, qui Ariadenum Barbarussam acie devictum, ac Tunetano regno exutum, Africa depulerat, qui imperium superiorum imperatorum ignavia labefactatum ac plane perditum restituerat, qui conjurantem Germaniam retuderat, qui regem Franciscum & Clementem pontificem in potestate habuerat, qui in orbe novo urbibus & templis ædificatis multa præclara in Dei & ecclesiæ decus gesserat, qui denique, uno dempto Carolo magno, omnes occidentales imperatores pace belloque superaverat, religione tactus, quam sanctissime semper coluit, & adversus hæreticos asseruit, tædio rerum humanarum affectus, propter cœlestium & æternarum desiderium primus post conditum Germanicum imperium, (Lotharius enim Francus erat) majestate imperii fratri Ferdinando abdicata, reliquis regnis atque ditionibus unico filio Philippo traditis ad vitam religiosam se contulit, & in sacram solitudinem secessit. Imperium in Ferdinandum inconsulta sede apostolica aliter quam fieri debebat translatum fuisse, ægre quidem, sed tamen patienter tulit pontifex optimus, qui cum annis quatuor, mensibus fere tribus, sedem apostolicam tenuisset, e vivis excessit anno domini millesimo quingentesimo quinquagesimonono xv. Kalendas Septembris. Post obitum ejus vacavit sedes menses quatuor, & dies septem.

ANNO CHRISTI 1557.

CONCILIUM VIENNENSE

ANNO M. D. LVII. CELEBRATUM.

Ex MS. Ecclesiæ Viennensis.

Ex Martene Thes. Anecd. Tom. IV. p. 445.

Articuli publicandi in ecclesiis parochialibus provinciæ Viennensis ex ordinatione concilii provincialis celebrati Viennæ secunda Julii anno millesimo quingentesimo quinquagesimo septimo.

I.

IN primis ut diligentius atque sincerius omnes quidem, sed maxime populus & viri qui in oppidis & pagis hujus provinciæ degunt, in fide Christi doceantur atque instituantur, inhibuit, ne præceptores aut pædagogi in id nimis percipiant, neve ut libri venales proponantur; nisi ad unguem observata lege & ordinatione regia lata *Chasteaubrian* die vicesima septima Junii, anno millesimo quingentesimo quinquagesimo primo, idque sub pœna excommunicationis & alia arbitraria.

II.

Jubet etiam & ordinat hoc concilium, ut singulis diebus dominicis omnes hujus provinciæ ecclesiarum parochialium rectores, sive eorum vicarii in missarum solemniis alta atque intelligibili voce publicent & doceant populum & parochianos lingua vulgari orationem dominicam, salutationem Virginis, symbolum apostolorum, præcepta legis & ecclesiæ, doceantque & prædicent sincere secundum ecclesiasticas traditiones eorum parochianis, & populis sacro-sanctum Christi evangelium, ad institutionem atque præscriptum quod prædictis ecclesiis parochialibus hujus concilii auctoritate prope diem proponetur & ministrabitur: quo Dei optimi maximi auxilio omnes ad christianam regulam rectius, sanctius & decentius instituantur atque perpetuo vivant.

III.

Et ne prædicatio verbi & doctrina Christi traducatur, aut impostura, technis, aut cuniculis aliquorum labefiat, & ne quid in eo munere fraudis committatur, neve lupi ad id nimis pro pastoribus recipiantur, sanctorum patrum decreta insequendo inhibuit, ne præter dictos rectores parochiarum aut earum vicarios ad docendi publice in ecclesiis & prædicandi nimis aliquis recipiantur, nisi nominatim approbati & missi a vicariis generalibus præsertim reverendissimorum dominorum episcoporum hujus provinciæ, & ad præscriptum legum regiarum.

IV.

Censuit etiam dictum concilium, ut omnes & singuli ecclesiarum parochialium rectores, sive eorum vicarii, publice & singulis diebus dominicis inter missarum solemnia suos parochianos moneant atque diligenter exhortentur, uti si quos inter se cognoscant, sciant, aut suspicentur religionis atque

ANNO CHRISTI 1557.

que fidei ambiguæ, atque ſuſpectæ, ipſis rectoribus aut illorum vicariis intra octo dies, & alias cum primum poterint denuncient: ut ex perſonæ atque delicti qualitate in ea re procedi poſſit.

V.

Omnes etiam & ſinguli eccleſiarum parochialium rectores & eorum vicarii diligenter deſcribant ſi quos ex ſuis parochianis obſervaverint & deprehenderint, qui quotoquoque anno ſaltem in feſto Paſchatis de more & traditione eccleſiæ non adimpleverint & ſuſceperint ſacramenta auricularis confeſſionis & ſanctæ Euchariſtiæ, & etiam alios, quos in religione & fide Chriſti ſuſpectos deprehenderint, quos poſtea ita deſcriptos renunciabunt ipſis vicariis generalibus dictorum reverendiſſimorum dominorum epiſcoporum hujus provinciæ; qui vicarii generales ſuis ſyngraphis atteſtabuntur ipſis rectoribus ſe prædictas denunciationes recepiſſe.

VI.

Et ut occurratur frequentibus delictis atque offendiculis, quæ hactenus in celebritatibus feſtorum oppidorum & pagorum hujus provinciæ perpetrata ſunt; inhibuit hoc concilium ne deinceps in hujuſmodi celebritatibus feſtorum, quas vulgo (*Vogues*) vocant, choreæ, ſaltationes, joculationes, ludi, & cetera ejus farinæ ludicra fiant: ſed pie & ſancte in jejuniis & orationibus colantur atque celebrentur. Inhibuit etiam ſub pœna excommunicationis aliaque arbitraria omnibus & quibuſcumque viris eccleſiaſticis, ne hujuſmodi choreis, ſaltationibus & aliis ludicris omnino interſint, ſed probe & e dignitate ſuo munere fungantur.

VII.

Et ne ex defectu tonſuræ & habituum virorum eccleſiaſticorum aliquid offendiculum oriatur, concilium ſtatuit, ut omnes & ſinguli viri eccleſiaſtici patenti & ſufficienti tonſura, necnon decenti & decoro & qui omnino juxta ſanctorum patrum decreta virum eccleſiaſticum deceat habitu, tam quoad veſtes nimia brevitate notandas, quam caligas, calceos, aut alia veſtimenta diſciſſa, nec non colores jure prohibitos incedant.

VIII.

Inhibuit etiam concilium omnibus viris eccleſiaſticis ne ſine neceſſitate, aut dum peregre proficiſcuntur pileos, quos capellos vocant deferant, ſed ut dicunt byrros quadratos, de more & ex decoro approbata conſuetudine virorum eccleſiaſticorum, idque ſub pœna arbitraria.

IX.

Pariter inhibetur omnibus & quibuſcumque viris eccleſiaſticis, ne enſes, pugiones, aut alia arma, niſi dum peregre proficiſcuntur, deferant, ſub prædicta pœna arbitraria.

X.

Similiter cum aſſidua hominis converſatio ſatis animi mores inſtituat vel depravet, ſanctorum patrum decreta & concordata inſequendo inhibet hoc concilium, ne viri eccleſiaſtici hujus provinciæ aliquorum virorum ſuſpectorum depravatiſque moribus conſuetudine teneantur: neve in eorum amicitiam conſortium aut contubernium recipiant, idque ſub pœna excommunicationis & alia arbitraria.

XI.

Nominatim prohibuit omnibus tam elericis quam religioſis ſub pœna carceris & alia arbitraria, nec non laicis ſub pœna excommunicationis, ne deinceps adeant monaſteria religioſarum, cujuſcumque ſint ordinis, niſi fuerint proxima parentela conjuncti dictis religioſis, vel ex evidenti neceſſitate & facultate atque licentia petita & obtenta a dominis vicariis generalibus reverendiſſimorum dominorum epiſcoporum hujus provinciæ, reſpective, & in quorum diœceſibus conſtituta fuerint monaſteria.

XII.

Pariter ut major delinquendi occaſio præſcindatur, prohibetur prædictis religioſis monialibus, ne earum monaſteria aut ſepta ipſorum egrediantur, & ne deinceps in earum monaſteriis alliciant aut recipiant ſæculares, clericos aut religioſos, nec etiam laicos, ſine notoria neceſſitate & facultate petita & obtenta a prædictis dominis vicariis generalibus reſpective: idque ſub pœna excommunicationis & alia arbitraria dictis pœnis augendis pro contumacia eorum qui non paruerint.

XIII.

Similiter ſub pœna excommunicationis & inſequendo ſanctorum patrum decreta, & ut eccleſiaſticæ diſciplinæ decus diligentius ſervetur: inhibetur omnibus religioſis tam viris quam mulieribus, cujuſcumque ordinis, & qualitatis exiſtant, nedum ſacro fonte baptiſmatis aliquos pueros aut puellas ſuſcipiant, eademque ratione & pœna omnibus & quibuſcumque eccleſiarum parochialium rectoribus atque vicariis, ut aliquos religioſos viros ſive mulieres ad ſuſceptionem prædictorum baptizandorum admittant.

XIV.

Decernentes eodem concilio hujuſmodi provincialia ſtatuta promulganda in ſingulis ſynodis reverendiſſimorum dominorum epiſcoporum diœceſanorum hujus provinciæ, & illorum tranſgreſſores corrigendos per eoſdem reverendiſſimos dominos epiſcopos ſive eorum vicarios aut officiales prout juris & rationis fuerit.

ANNO CHRISTI 1560.

ANNO CHRISTI 1560. Pius IV. quando electus?

VITA PII PAPÆ IV.

PIus IV. Bernardini Medicæi & Cæciliæ Sorbelloniæ Mediolanenſis filius, ante pontificatum Joannes Angelus vocatus, fuit pluribus officiis & dignitatibus exornatus, per Paulum tertium cardinalitia dignitate adauctis, a Julio tertio legatus ad militiam contra Octavium Farneſium ſuſceptam electus, ipſa nativitatis domini vigilia, anno 1560. tempore Ferdinandi & Maximiliani ſecundi imperatoris Paulo IV. e vivis ſublato ſummus pontifex declaratus eſt, & ipſo regalium die coronatus. Inito pontificatu omnia delicta & exceſſus in prædeceſſorem commiſſos populo remiſit. Imperium Ferdinando per Carolum fratrem traditum confirmavit.

Plurimos propter hæreſeos crimen, ut ſuſpectos vel delatos abſolvit, ac inter ceteros cardinalem Mo-

Moronum. Puniturus autem Pauli quarti amicos & familiares, sententiis in eos latis ob crimina quę ipsis objecta fuerant, cardinalem Caraffam strangulari, comitemque Monotorii, Allasanum, Leonardumque cardinalem, capite plecti curavit: Nepotes suos fratrum sororumque filios Romam advocatos maximis honoribus & amplissimis beneficiis, vel exornavit, vel nobilissimo matrimonio junxit. Ut vero communibus malis mederetur, finis generali synodo Tridentinæ ejus studio ac vigilantia impositus est: acclamationesque patrum in ea fuere: BEATISS. PIO PAPÆ DOMINO NOSTRO, SANCTÆ UNIVERSALIS ECCLESIÆ PONTIFICI, ANNI MULTI AC MEMORIA ÆTERNA. Solutis comitiis, concilioque fine impositio, prælatis etiam omnibus ad propria remissis, plurima loca restaurare cœpit, quæ præcedentibus bellorum fragoribus diruta, ruinam minitabantur; Romæ portam & plateam dictam Piam reparavit. Prælum Manutii auctoris vulgatissimi restituit. Arcem Capitolinam restauravit, aliaque quamplurima loca refecit, quibus omnibus sumptibus ut satisfaceret, montem perpetuum instituit, numerum etiam equitum Pii appellatorum ordinavit. Cum vero inter legatos Franciæ & Hispaniæ de primatu in præsidendo quæstio suborta fuisset, præeminentiam uni non sine alterius indignatione adjudicavit. Melitæ obsidione cinctæ militibus pecuniaque subvenit.

Anno 1560. (*inquit Genebrardus*) Lutherani & sacramentarii ardentissimo odio inter se flagrant, cum scriptis contrariis, tum edictis publicis. Nam Wittembergenses, quibus præerat Brentius, edictum promulgant contra sacramentarios: Jenenses ministri edunt supplicationem ad Joannem Fridericum secundum ducem Saxoniæ, ejusque fratres, ac alios principes & ordines confessionis Augustanæ; pro legitima synodo, in qua soli Lutherani convenirent, & Zuinglianos, atque alios, quibus adversantur, condemnarent. Contra ab Heildebergensi academia post publicam disputationem Zuinglianorum contra Lutheranos, Heshusius Lutheranus abire jussus est: & mox superintendentes Heildebergenses edunt decretum, quo Lutheri & Brentii catechismi extra ecclesiam ejiciantur, & eorum scripta nullam habeant auctoritatem. *Lavaterus Zuinglianus in historia controversiæ sacramentariorum, Surius in historia.*

Cum tandem diversis ordinationibus quadraginta quinque cardinales creasset, in quarum una Laurentium Massam numquam inducere potuit, ut secretariatum Venetorum, ut vocant, acceptaret, v. Idus Decembris anni 1565. mortuus est, anno ætatis suæ 66. mense octavo, die nono, cum pontificatum tenuisset annos sex minus sedecim diebus. In sancto Petro sepultus est. Sedes viginti octo diebus rectore orbata remansit.

OBSERVATIO PHILIPPI LABBE, S. J.

Ejusdem summi pontificis Pii IV. ductu atque auctoritate inchoatum jam alias anno 1545. sub Paulo III. Tridentinum concilium, atque a Julio III. adfectum annis 1551. & 1552. reassumptum, ut loquuntur, ac continuatum fuit anno 1562. & tandem anno sequenti omnibus suis partibus absolutum atque approbatum, tum deinde in omnes Christiani orbis provincias transmissum, ut executioni mandaretur. Vide quæ superiori nostro XX. volumine excusa sunt, tum pag. 112. ad 196. ubi definita a patribus ac sancita sessionibus novem a XVII. ad XXV. continentur, tum vero pag. 409. ac proxime consequentes consule, quæ tibi tertiam quartamque partem collectionis Lovaniensis anni 1567. actorum Tridentinorum, accuratius quam antehac emendatas, repræsentabunt.

ANNO CHRISTI 1564.

STATUTA CONCILII PROVINCIALIS

ILLUST. DOM. ARCHIEP. RHEMENSIS

CAROLI CARD. A LOTHARINGIA,

ANNO DOMINI MDLXIV.

Inventa fuere Mſ. in chartulario archiepiscopatus Rhemensis, quæ tamen non sunt signata; sed cum actibus dicti concilii deposita: *ut verbis utar Ludovici Odespun de la Meschiniere, qui luci publicæ cum quibusdam aliis Galliæ novissimis, ut vocat, conciliis primus tradidit Parisiis anno 1645.*

I. *De residentia curatorum.*
II. *De officio curati in deligenda sana doctrina & prædicanda.*
III. *De officio curatorum in sacramentorum administratione.*
IV. *Quatenus cognatio spiritalis contrahitur per baptismum.*
V. *De legitimis nuptiarum temporibus & ritibus.*
VI. *Quomodo deinceps per examen parochialibus & ecclesiis sit providendum.*
VII. *De promotione ad ordines sacros.*
VIII. *De prima tonsura.*
IX. *De privilegio primæ tonsuræ.*
X. *De minorum ordinum functionibus restituendis.*
XI. *De distincta minorum ordinum collatione, & ordinandorum qualitatibus.*
XII. *Ut omnes clerici alicui ecclesiæ sint addicti.*
XIII. *De ætate & qualitate promovendorum ad majores ordines.*
XIV. *De approbatione & examine promovendorum ad majores ordines.*
XV. *De officio subdiaconi, diaconi, ac presbyteri circa ecclesiam, cui sunt adscripti.*
XVI. *Gratis conferendi sunt omnes ordines.*
XVII. *De vita, & honestate omnium clericorum.*
XVIII. *De archidiaconis & decanis ruralibus.*
XIX. *De reparatione ecclesiarum & imaginum usu.*

De residentia curatorum.

STATUTUM I.

OMnium parochialium ecclesiarum rectores obtestatur in domino sancta synodus cum suo grege vivere, & ipsi pro officio deservire. Laudandi sunt illi qui non vi coacti, sed caritate ducti, aliis cesserunt ecclesias quas absentes non poterant

ANNO CHRISTI 1564.

rant regere. Sed de aliis dolendum maxime, qui ecclesiastica & regia auctoritate malunt sine laude ad officium impelli, quam Christo obsequi, & gregi suo roganti, fidemque atque opem legitimi rectoris sui imploranti subvenire. Hos iterum atque iterum admonet sancta synodus, ut infra tres menses proximos in suis ecclesiis resideant, aut illis renuntient, aut aliquos nominent, qui ab episcopi per selectos examinatores comprobati, illarum ecclesiarum curam & regimen suscipiant. Quod si obstinati perstiterint, episcopi officii sui memores, Deique ac sanctorum conciliorum præcepta & decreta secuti, post dictum temporis spatium curabunt juris adhibere remedia, & desertas parochias tandem bene meritis viris assignare, easque illis ut vacantes conferre. Porro ne quis se defunctum munere suo putet, si otiosus in ecclesia desideat, intelligat quoniam præcepto divino mandatum est omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas cognoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini & sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam pro viribus gerere, quæ omnia nequaquam ab his præstari, & impleri possunt, qui gregi suo non adsistunt, neque invigilant. Hanc qui præstiterint in judicio & veritate residentiam, episcoporum paternum in se experientur animum, & auxilium, nisi probata legitima & rationabili absentia absit causa episcopo.

* fit leg. arbitror: nisi absit probata episco. pol. & r. absentiæ causa,

De officio curati in deligenda sana doctrina & prædicanda.

STATUTUM II.

Scimus plurimos a nobis, & fratribus nostris episcopis, desiderare aliquam doctrinæ catholicæ formulam & regulam, quam omnes evangelii concionatores annuntient uno ore, & populus Christianus misere ac nefarie doctrinis variis peregrinisque distractus uno cum consensu audiat & sequatur. Nostrorum hominum desideriis non opinamur melius satisfieri posse, quam si a Tridentina synodo conscriptam de religione catholica doctrinam, nostrarum parœciarum curiones legant, & ad ejus normam conciones suas efforment, populumque instituant. De omnibus enim fere nostrorum temporum controversiis illa brevissime definivit, & perspicue tradidit fidem patrum & Christianarum nationum, ante hæreses nostra tempestate exortas, quas etiam ipsa dilucide ut caveri possint, & discerni, damnavit. Itaque sancta synodus officii sui esse arbitratur, si eam doctrinam, quæ universi orbis Christiani legitimis & ordinariis antistitibus, & nobis ipsis placuit, diœcesi nostræ proponimus. Jubemus nostrarum ecclesiarum rectores infra natalem domini, Tridentinam synodum, sive Latine, sive Gallice comparare, in eaque tamquam in speculo inspicere omnium propemodum contentionum, quæ Christianos divexarant, veritatem ac ipsam sincere ac pacifice suis gregibus commendare; contrarias vero opiniones ut hæreses detestari ac fugere.

Sancimus insuper, ut ipsi curiones per se, vel per alios idoneos, si legitime impediti fuerint, omnibus saltem dominicis, & aliis festis diebus, aliquid de evangelio, vel de epistola, vel de aliis sacris literis ad captum & ædificationem populi sibi crediti enarrent, & explicent, ut oves suas per audiendi assiduitatem erudiant, sed potissimum doceant quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntientque cum brevitate & facilitate sermonis, vitia, quæ eos declinare, & virtutes quas sectari oporteat, ut pœnam æternam evadere, & vitam æternam consequi valeant: quod si ad hoc minus ipsi fuerint idonei, vocent quam sæpissime poterunt, qui sibi eam operam impendant, alioqui juxta sanctorum conciliorum decreta cogemur operarios in messem alienam mittere, & de fructibus atque lacte gregis ipsos alere.

ANNO CHRISTI 1564.

De officio curatorum in sacramentorum administratione.

STATUTUM III.

Ut fidelis populus ad suscipienda sacramenta majori cum fide, reverentia, atque omni devotione accedat, parochi nostri studeant, quam familiarissime poterunt, pro suscipientium captu, prius illorum vim, & usum juxta catholicæ ecclesiæ doctrinam vernacula lingua explicare, ad eorumque dignam perceptionem capaces invitare, atque adhortari, ne per impudentiam, & hæreticorum deceptionem plebs imperita ignoret, quantum sit sibi a Christo relictum contra peccata remedium, vel eo abutatur ad mortem & damnationem, quæ illi præparavit salvator noster ad salutem & beatitudinem.

Quatenus cognatio spiritalis deinceps contrahetur per baptismum.

STATUTUM IV.

Docet experientia propter multitudinem prohibitionum multoties in casibus prohibitis ignoranter contrahi matrimonia, in quibus vel non sine magno peccato perseveratur, vel ea non sine magno scandalo dirimuntur. Volentes itaque cum sanctis synodis generalibus, huic incommodo providere, de cognationis spiritalis impedimento statuimus, ut unus tantum sive vir, sive mulier juxta sacrorum canonum instituta, vel ad summum unus & una baptizatum de baptismo suscipiant, inter quos ac baptizatum ipsum, & illius patrem & matrem, nec non inter baptizantem ac baptizatum, baptizatique patrem & matrem tantum spiritalis cognatio contrahatur. Itaque parochi nostri antequam ad baptismum conferendum accedant, diligenter ab his ad quos spectabit, scisciteantur, quem, vel quos virum & mulierem elegerint, ut vel baptizatum de sacro fonte suscipiant, & eum, vel eos virum & mulierem tantum ad illum suscipiendum admittant, & in libro eorum nomina, cum die & anno, ac quantum fieri poterit nominibus patentum, qui baptizatum genuerint, describant, doceantque susceptores quam cognationem contraxerint, ne ignorantia ulla excusari valeant. Quod si alii ultra designatos baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahant.

De legitimis nuptiarum temporibus & ritibus.

STATUTUM V.

Ab adventu domini nostri Jesu Christi usque ad diem epiphaniæ, & a feria quarta cinerum usque in octavam paschæ inclusive, antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus obser-

ANNO CHRISTI 1551.

observari jubemus; in aliis vero temporibus nuptias solemniter celebrari permittimus, quæ ea, qua decet, sanctimonia, modestia, & honestate fiant: hortentur curati conjuges, ut antequam contrahant, vel saltem triduo ante matrimonii consummationem, sua peccata diligenter proprio sacerdoti confiteantur, & ad sanctissimum eucharistiæ sacramentum pie accedant; omnes vero ritus, actiones & verba, quæ nullo modo deceant Christianos, caveri mandamus, & de his populum a curatis nostris admoneri & doceri. Sancta enim res est matrimonium, & sancte tractandum.

De vita & honestate curatorum.

STATUTUM VI.

Quoniam fere fit, ut cujus vita improbatur, facile doctrina despiciatur: si publicum scandalum de aliquo parochialis ecclesiæ rectore ad nos delatum fuerit, & probatum, etiam juxta sanctorum conciliorum sanctiones cogemur illi coadjutorem, ecclesiæ proventu, dare, & ad depositionem usque progredi, nisi scandalum, per vitæ probitatem purgaverit, observata nihilominus in omnibus juris forma. Sed ne cuiquam molesti simus, hortamur in domino parochos nostros, ut in omnibus se præbeant exemplum bonorum operum, in castitate, sobrietate, morum gravitate, atque omni honestate, ut erubescant qui nobis insidiantur adversarii, non habentes unde ecclesiæ Christi insultent.

Quomodo deinceps parochialibus ecclesiis sit providendum per examen de curatis.

STATUTUM VII.

Cæterum quo rectius deinceps & accuratius digni & idonei parochi deligantur, sacris conciliis obedientes in nostra diœcesana synodo singulis annis, sex nominabuntur examinatores magistri seu doctores: aut licentiati in theologia, aut jure canonico, vel alii clerici, seu sæculares, seu regulares, etiam ex ordine mendicantium per eamdem nostram diœcesanam synodum approbandi, qui statim jurabunt ad sancta Dei evangelia, se quacumque affectione humana postposita, fideliter munus suum executuros, nec quicquam prorsus occasione examinis ante vel post ipsum accepturos, alioqui simoniæ vitium tam ipsi, quam alii dantes incurrant, a qua absolvi non poterunt, nisi dimissis beneficiis, quæ quomodocumque etiam antea obtinebant, & ad alia in posterum reddentur inhabiles. Ac de toto suo officio non solum coram Deo, sed etiam in synodo provinciali, si opus erit, rationem reddere teneantur, a qua si quid perperam eos fecisse compertum fuerit, graviter ejus arbitrio puniri possint. Itaque cum ecclesiæ parochialis quomodocumque contigerit vacatio, qui jus præsentandi, aut etiam conferendi habent, illis tempus a jure definitum præscribimus, ita quod idoneos aliquot clericos ad regendam vacantem ecclesiam coram deputandis examinatoribus nominent, ut possit postea de cujuslibet ætate, moribus, & sufficientia fieri diligens inquisitio, salvis universitatum privilegiis, ita ut nulli per mensis graduatis attributos, per examen & nostram collationem provideatur, nisi qui gradum rite & legitime juxta jura assecutus fuerit. Interea in ecclesia vacante constituetur idoneus vicarius, cum congrua de fructibus portionis assignatione, ut onera ipsius ecclesiæ sustineat, donec ei de rectore provideatur: transacto vero constituto tempore, omnes, qui descripti fuerint, examinabuntur a nobis, vel a vicario nostro generali, adhibitis ex ipsis examinatoribus non pauciori bus quam tribus, quorum votis si pares aut singulares fuerint, nostrum erit vel vicarii nostri accedere, quibus magis videbitur. Completo deinde examine renuntiabuntur, quotquot idonei judicati fuerint ætate, moribus, doctrina, prudentia, & aliis rebus ad vacantem ecclesiam gubernandam opportunis. Ex ipsis vero nos eum eligemus, quem cæteris magis idoneum judicaverimus, si agitur de vacante ecclesia, quæ ad nostram plenam dispositionem pertineat, ut illi, & non alteri a nobis fiat collatio; si vero juris patronatus ecclesiastici erit, ac institutio ad nos, & non ad alium pertineat, is quem patronus digniorem inter probatos ab examinatoribus judicabit nobis præsentare teneatur, ut a nobis instituatur. Quod si patronatus laicorum fuerit etiam qui a patrono præsentatus erit, ab eisdem examinatoribus, ut supra, examinetur, & non admittatur, nisi idoneus repertus fuerit. In omnibus denique supradictis casibus non cuiquam uni ex supradictis examinatis & ab examinatoribus approbatis, juxta prædictam regulam de ecclesia provideatur, modo confessionem catholicæ fidei simpliciter edat, secundum formam, quam ex sanctorum generalium conciliorum definitionibus collectam a nostro clero jurari volumus, & sancte promittat in ecclesia sibi collata residentiam, nisi legitimam, rationalem, & a jure approbatam excusationem habeat.

Alii vero quibus provisum fuerit a S. sede Romana de beneficiis parochialibus, in nostra diœcesi, teneantur a die adeptæ possessionis ad minus intra duos menses in manibus nostris, vel coram generali nostro vicario orthodoxæ suæ fidei publicam facere professionem, juxta superiorem formam, & nostrorum examinatorum subire judicium, nisi ante promissionem examinati fuerint, ut de eorum capacitate constet; alioqui fructus suos non faciant, nec illis suffragetur possessio, aut quævis alia præventio: ita enim æquitas postulat, & post generalium conciliorum decreta ita procedendum sanctæ Romanæ ecclesiæ & apostolicæ pontifex declaravit.

"provisionem.

Nos igitur ut statutum nostrum executioni demandemus, pro hujus anni examinatoribus nominavimus N. quos synodus nostra diœcesana magno assensu comprobavit.

De promotione ad ordines sacros.

STATUTUM VIII.

STatius est promovendos ad sacros ordines & ecclesiæ gubernationem, diu multumque antea probare & explorare, quam de temere admissis postea pudere, & pœnitere. Quapropter sanctarum synodorum vestigiis inhærendo conabuntur episcopi suos clericos gradatim, omni adhibita cautione, ordinare.

De

ANNO CHRISTI 1564.

De prima tonsura.

STATUTUM IX.

Principio nemo ad primam tonsuram adolescentulos initietur, nisi qui sacramentum confirmationis antea susceperint, fideique rudimenta, ac legere & scribere didicerint; nisi etiam probabilis conjectura sit, eos non sæcularis judicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus delegisse: nec ille insignitus fori ecclesiastici privilegio gaudeat, nisi beneficium ecclesiasticum habeat aut clericalem habitum & tonsuram deferens alicui ecclesiæ ex mandato nostro inserviat, vel in seminario clericorum, aut in aliqua schola vel universitate de licentia nostra quasi in via ad majores ordines suscipiendos versetur. In clericis vero conjugatis servetur constitutio Bonifacii VIII. quæ incipit (Clerici qui cum unicis) modo clerici alicujus ecclesiæ servitio vel ministerio a nobis deputati eidem ecclesiæ serviant, vel ministrent, & clericali habitu vel tonsura utantur, nemini quoad hoc privilegio vel consuetudine etiam immemorabili suffragante.

De minorum ordinum functionibus restituendis per ecclesias.

STATUTUM X.

Ut sanctorum ordinum a diaconatu ad ostiarium functiones ab apostolorum temporibus in ecclesia laudabiliter receptæ, & pluribus in locis aliquamdiu intermissæ, in usum juxta sacros canones revocentur, nec ab hæreticis tanquam otiosæ traducantur, illius pristini moris restituendi desiderio cum sanctis patribus & generalibus synodis flagrantes, in ecclesia cathedrali primum, deinde in diœcesis collegiatis monasticis & parochialibus, ubi populus frequens, & proventus ecclesiæ tot ordines ferre possunt, curabitur in cursu visitationis pro ecclesiarum commoditate, has functiones restitui, easque functiones exercentibus stipendia assignari, quibus aut ex parte multari, aut in totum privari ab episcopis poterunt, quoties se negligentes in officio præbuerint. Quod si in ministeriis quatuor minorum ordinum exercendis clerici cœlibes præsto non erunt, suffici poterunt etiam conjugati vitæ probatæ, modo non bigami, ad ea munia obeunda idonei, & qui tonsuram & habitum clericalem in ecclesia gestent.

De distincta minorum ordinum collatione, & ordinandorum qualitatibus.

STATUTUM XI.

Minores ordines tantum his, qui saltem linguam Latinam intelligent, & per temporum interstitia, nisi aliter nobis aliquando expedire videbitur, conferemus, ut accuratius quantum sit hujus disciplinæ pondus possint edoceri, & ut in unoquoque munere juxta præscriptum nostrum se exerceant, idque in ea, cui ascripti erunt, ecclesia, nisi forte ex causa studiorum absint, atque ita de gradu in gradum accedant, ut in eis cum ætate, vitæ meritum, & doctrina major, accrescat. Quod & bonorum morum exemplum, & assiduum in ecclesia ministerium, atque major erga presbyteros & superiores ordines reverentia, & crebrior quam antea corporis Christi communio maxime comprobabunt. Cumque hinc ad altiores gradus, & sacratissima ministeria sit ingressus, nemo his per nos initiabitur quem non scientiæ spes majoribus ordinibus dignum ostenderit, nec nisi post annum susceptionis postremi gradus minorum ordinum, ullum ad sacros ordines promovebimus, nisi necessitas, aut ecclesiæ utilitas aliud a nobis exposcat. Ad minores etiam ordines promovendi bonum a parocho & magistro scholæ, in qua educantur, testimonium afferant.

ANNO CHRISTI 1564.

Ut omnes clerici sint certæ alicui ecclesiæ addicti.

STATUTUM XII.

Dum nullus debeat ordinari, qui judicio sui episcopi non sit utilis aut necessarius ecclesiis, cum sanctis synodis generalibus statuimus, ut nullus imposterum quocumque in gradu ordinetur, qui illi ecclesiæ aut pio loco, pro cujus necessitate aut utilitate assumitur, non ascribatur, ubi suis fungatur muneribus, nec incertis sedibus vagetur; quod si locum nobis inconsultis deseruerit, ei sacrorum ordinum exercitium interdicatur. Nullus præterea clericus peregrinus, sine commendatitiis sui ordinarii literis in nostra diœcesi ad divina celebranda & sacramenta administranda admittatur.

De ætate & qualitate promovendorum ad majores ordines.

STATUTUM XIII.

Ne quis etiam regularis cujuscumque ordinis, subdiaconatus ordinem a nobis expectet ante annum ætatis suæ vigesimum secundum, vel diaconatus ante vigesimum tertium, vel presbyteratus ante vigesimum quintum. Præterea cum non deceat eos qui divino ministerio ascripti sunt, cum ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quæstum exercere, compertumque sit complures multis in locis ad sacros ordines nullo fere delectu admitti, qui variis artibus ac fallaciis confingunt se beneficium ecclesiasticum, aut etiam facultates idoneas obtinere, ex summorum pontificum & conciliorum constitutionibus decernimus, nequis deinceps clericus sæcularis, quamvis alias sit idoneus moribus, scientia & ætate, ad sacros ordines accedat, nisi prius legitime constet eum beneficium ecclesiasticum, quod sibi ad victum honestum sufficiat, pacifice possidere. Id vero beneficium resignare non possit, nisi facta mentione quod ad illius beneficii titulum sit promotus, neque ulla de illo resignatio nobis inconsultis fiat, nisi constiterit quod aliunde vivere commode possit. De possidentibus vero patrimonium, vel pensionem, si aliquos pro necessitate sive commoditate nostrarum ecclesiarum ordinare expedierit, prius nostros vicarios perscrutari jubemus, an patrimonium illud vel pensio vere ab eis obtineatur, ac talia sint quæ ad vitam sustentandam ipsis sufficiant, neque ab illo deinceps sine licentia nostra alienari aut extingui vel remitti ullatenus possint, donec beneficium ecclesiasticum sufficiens sint adepti qui sic ordinantur, vel aliunde habeant unde vivere possint. Si aliquos nobis contigerit aliter promovere, antiquorum canonum pœnas nos, & vicarios nostros, atque omnes qui præsenti nostro statuto fraudem fecerint, subire oportebit.

Beneficia simplicia in ecclesiis parochialibus quo-

Anno Christi 1564.

quorum proventus tam tenuis est, ut ex illis ali beneficiarii non possint, uniantur * pro obitu ecclesiis parœcialibus in quibus fundatæ sunt, dummodo fundatores debitis non fraudentur obsequiis, & vocatis quorum interest, aut interesse poterit.

* per obitum.

De examine promovendorum ad majores ordines.

STATUTUM XIV.

Ad hæc qui ad singulos majores ordines erunt assumendi, per mensem ante ordinationem ad nos vel vicarios nostros veniant, qui parocho aut alteri cui magis expedire videbitur, committant, ut nominibus ac desiderio eorum qui vellent promoveri publice in ecclesia propositis, de ipsorum ordinandorum natalibus, ætate, moribus, & vita a fide dignis diligenter inquirat, & literas testimoniales ipsam inquisitionem factam continentes ad nos transmittat. Porro ordinandi feria quarta ante diem ordinationis statutum a jure, se conspectui nostro præsentent, ut adscitis prudentibus viris peritisque legis divinæ, ac in ecclesiasticis sanctionibus exercitatis, genus illorum, personam, ætatem, institutionem, mores, doctrinam ac fidem examinent & dicto die in cathedrali nostra ecclesia coram nostris canonicis, aut in alio diœcesis nostræ celebriori templo, præsente clero loci publice promoveamus eos, quos ut dignos admiserimus: promoti * ad sacrum presbyteratus ordinem missa sæpius celebretur, vel in altari majore cum magna missa saltem quater in anno, sub pœna privationis fructuum unius mensis pro quolibet defectu, & aliis pœnis a jure statutis nisi petita licentia a superiore & pro causa legitima excusentur.

* Hic videntur deesse quædam & locus sane obscurus.

De officio subdiaconi, & diaconi, & presbyteri circa ecclesiam cui sunt adscripti.

STATUTUM XV.

Promoti vero cum redierint ad ecclesiam a qua testimonium acceperant, in ea ordinis sui obeant munera, ac saltem apostolicis & solemnioribus festis diebus in publica sive parochiali missa, ex sanctorum conciliorum auctoritate, cum sacerdote devote communicent. Hoc etiam ordinatis presbyteris imperamus antequam altaris sacrificium offerre appetant. Omnes itaque clericos, maxime in majoribus ordinibus constitutos, omnibus publicis divinis officiis & ecclesiæ cui fuerint addicti, decenter interesse jubemus; de his qui non paruerint a parocho nos admoneri volumus, ut quam afferant excusationem intelligamus.

Gratis conferendi sunt omnes ordines.

STATUTUM XVI.

Ac ne quis existimet nos lucrum per ordinum exactiorem collationem aucupari, aut quærere, sanctis synodis obsequentes, pro collatione quorumcumque ordinum, etiam clericalis tonsuræ, sive pro literis dimissoriis aut testimonialibus, sive pro sigillo, aut alia quacumque de causa, etiam sponte oblatum non licere nobis, sive ministris nostris quicquam quovis prætextu accipere, declaramus. Notarii vero nostri pro singulis literis dimissoriis aut testimonialibus ordinum decimam tantum unius aurei partem accipere possint, nec nobis ex eorum commodis directe vel indirecte, aliquid provenire possit.

Anno Christi 1564.

De vita & honestate omnium clericorum.

STATUTUM XVII.

Nihil est quod alios magis ad pietatem ac Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita & exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt. Cum enim a rebus sæculi in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos tanquam in speculum reliqui oculos conjiciunt, ex hisque sumunt quod imitentur: quapropter sic decet omnes clericos in sortem domini vocatos vitam moresque suos componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus, nihil nisi grave, moderatum ac religione plenum præ se ferant; levia etiam delicta (quæ ipsis maxima essent) effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem. Cum igitur quo majore in ecclesia Dei & utilitate & ornamento hæc sint, ita etiam diligentius sint observanda, statuimus, ut qua olim a summis pontificibus & a sacris conciliis de clericorum vita, cultu, honestate, doctrinaque retinenda, ac simul de luxu, comessationibus, choreis, aleis, lusibus, ac quibuscumque criminibus nec non sæcularibus negotiis fugiendis copiose ac salubriter sancita fuerint, eadem imposterum iisdem pœnis per eos ad quos spectat judicium imponendis observentur, nec appellatio executionem hanc, quæ ad morum correctionem pertinet, suspendat.

De visitatione archidiaconorum & ruralium decanorum officio.

STATUTUM XVIII.

Postremo quo melius omnia quæ ad archiepiscopatus nostri curam pertinent, rescire possint, & omnium clericorum negligentiæ & peccatis occurrere decani rurales in sua assidui maneant ac vigilent specula; & archidiaconi nostri visitationem suam statuto tempore exequantur diligentissime per seipsos, nisi executionem eorum legitimam esse ipsi judicaverint, de ipsaque visitatione post mensem episcopis rationem reddant, & depositiones testium ac integra omnia acta eis exhibeant, visitationum vero suarum hunc habeant scopum, ut imprimis sanam orthodoxamque doctrinam commendent, cleri ac totius populi fidem & mores explorent, & quicquid depravatum fuerit, ipsi corrigant, vel ad nos referant. Clerum cum populo cohortationibus & admonitionibus ad religionem, pacem atque innocentiam accendant: cetera prout locus, tempus & occasio feret ex sua prudentia ad fidelium fructum disponant; quæ ut felicius faciliusque succedant, monet sancta synodus archidiaconos, & diaconos, ut paterna caritate Christianorumque zelo omnes amplectantur, & modestissime se gerant in omnibus, ne cuiquam sint oneri aut scandalo, contenti solito viatico aut honorario, quod illis de jure & antiqua consuetudine debetur.

De reparatione ecclesiarum & imaginum usu.

STATUTUM XIX.

Archidiaconi & decani rurales sæpe moneant clericos & potissimum curatos, pie vivere & orationibus instare, hortarique gregem

Anno Christi 1546.

suum ad pœnitentiam & vitam emendandam ac reparandas parochiales ecclesias quas peccatis cleri & populi ita merentibus Deus permisit pollui & devastari; sed in reparatione sollicitudo a curatis ipsis præsentibus adhibeatur, ut nihil inordinatum aut præpostere & tumultuarie accommodatum, nihil prophanum, nihilque inhonestum appareat, cum domum Dei deceat sanctitudo.

De usu imaginum in concilio Tridentino.

STATUTA CAPITULI RHEMENSIS.

De excommunicatione.

QUO excommunicationis gravior est censura, & fidelibus Christianis timenda exprime ut in artic. XIX. statutorum apud Poissiacum factorum cum additionibus ibi per commissos a capitulis cathedralibus ecclesiarum insertis.

*** *Multa hic deesse videntur: sed non plura edidit Odespunius.*

ACTA CONCILII PROVINCIALIS RHEMENSIS.

Anno domini MDLXIV. VII. Calend. Decemb.

CAROLO ILLUSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO CARDINALI LOTHARINGO RHEMENSI ARCHIEPISCOPO ET METROPOLITANO PRÆSIDE.

ANNO domini millesimo quingentesimo sexagesimo quarto, sanctissimi autem patris nostri ac domini Pii IV. pontificatus anno quinto, Christianissimi vero regis nostri Caroli IX. regni quarto, die sabbati qui erat vigesimus quintus Novembris, cum Rhemos veniissent aliquot provinciæ Rhemensis episcopi, & absentium episcoporum, canonicorumque, tam cathedralium, quam collegiatarum ecclesiarum procuratores, & aliquot archimandritæ, seu abbates, & absentium aliquot procuratores, ad provinciale concilium ab illustrissimo & reverendissimo card. Lotharingo, tanquam Rhemensi archiepiscopo & metropolitano eis indictum ac significatum, visum est eidem metropolitano, & suæ provinciæ episcopis, ut in valvis ecclesiæ metropolitanæ, & ejus loci in quo conveniunt ejusdem ecclesiæ canonici, quod capitulum appellant, affigeretur programma, quo significaretur omnibus qui debent interesse concilio provinciali, ut finito officio vespertino, se protinus sisterent in capitulo, qui locus est designatus, in quo fiant congregationes concilii provincialis; quod quidem mandatum subscriptum ac signatum est,

BRETON.

Finitis itaque vesperis, cum idem illustrissimus ac reverendissimus metropolitanus, cum reverendissimis episcopis & reverendissimis archimandritis, ac absentium procuratoribus, in capitulo ei rei designato convenissent, ac consedissent, paucis dixit reverendissimus cardinalis, esse multas easque gravissimas causas, quæ ipsum moverint ut re prius mature deliberata, cum episcopis suæ provinciæ, hoc convocaret & indiceret concilium, quas quidem in præsentia duceret esse prætermittendas, quod cum sciret eos de via esse defessos, nollet prolixa oratione eorum auribus aliquod adferre tædium; satius itaq; esse id rejicere in alium diem: maxime cum quæ hodie facta est congregatio sit tantum iter munitura ad ea præparanda quæ sunt necessaria, priusquam incipiat concilium. Iterum tamen se non posse dissimulare, quam magna affectus sit lætitia, & quam bonam spem conceperit bene gerendæ reipublicæ ecclesiasticæ, cum videat eos tam alacres, ad hoc tam præclarum & hoc tempore tam necessarium negotium. Hos vero quibus propter justas causas non licuerit accedere, bene instructos, misisse procuratores, qui suam vicem gererent, & iis quæ in hoc concilio statuta essent, statutos ipsos suo nomine significarent & promitterent: se quidem ita sentire & certo sibi persuadere, hæc non fieri sine Christi numine, qui afflictis & valde perturbatis rebus suæ ecclesiæ vellet opem ferre. Quod quidem ut ardentibus votis est exposcendum, ita etiam futurum non est desperandum, si in hoc celeberrimo conventu non aliud sibi proponant, nec alio tendant omnia nostra dicta, facta, & consilia, quam ad Dei laudem & honorem, veramque ac sinceram corruptorum morum reformationem & reparandam lapsam disciplinam ecclesiasticam.

Anno Christi 1564.

Hæc cum dixisset & permulta alia in hanc sententiam subjunxit. Restat nunc ut ea aggrediamur, quæ necessario sunt providenda, priusquam inchoetur concilium: de quibus priusquam deliberemus, velim intelligatis aliquot episcopos qui sunt extra fines hujus nostræ provinciæ, fama hujus concilii e suis sedibus excitatos huc venisse. Ex quibus duo, nempe Nicolaus Peleveus reverendissimus archiepiscopus Senonensis, & Nicolaus Psalmus reverendissimus episcopus Virdunensis, nunc in claustro deambulant. Eorum præsentia, cum ob doctrinam tum ob prudentiam rerumque experientiam, huic sacrosancto cœtui magno poterit esse usui. Quamobrem si videbitur huic conventui, censerem eos esse rogandos ut in hunc locum ingrederentur; quod cum placuisset omnibus & reverendissimo metropolitano præsidi, missi duo Rhemensis ecclesiæ archidiaconi, eos ut intrarent rogatos, introduxerunt in capitulum: qui eum a reverendissimo præside tam suo quam totius conventus nomine honorifice fuissent excepti, & reverendissimus archiepiscopus Senonensis a dextris, & reverendissimus Virdunensis a sinistris reverendissimi metropolitani consedissent, perrexit dicere reverendis. Præses, se in hac congregatione de iis quæ sunt tractanda in hoc concilio ad eos in præsentia nihil esse relaturum, sed tantum, quoniam cupiamus concilium non esse nimis diuturnum, & ideo cavendum sit ne tempus teratur inutiliter, se primo loco ea esse propositurum quæ sunt concilii velut præparatoria, & sine quibus non potest concilium commode explicari. Primum ergo videtur eligendus scriba seu actuarius, qui quæ in concilio agentur fideliter excepta mandet literarum monimentis: quod si unus solus huic muneri videatur non posse sufficere, erit ei etiam dandus adjutor. Est etiam eligendus promotor concilii, qui si solus non possit totum hoc munus sustinere, adjungendus quoque ei erit adjutor. Ego quidem eos nominabo qui ad hæc obeunda munera mihi videntur idonei. Quod si qui sint ex iis qui huc venerunt qui nominare possunt alios quos existiment magis idoneos, nominent.

Quæ cum dixisset, nominavit concilii scribam & actuarium Nicolaum Britonem ecclesiæ Noviodunensis decanum, jam multis ante annis archiepi-

Anno Christi 1564.

chiepiſcopatus totius provinciæ Rhemenſis ſecretarium, & Gentianum Hervetum ejus adjutorem, qui ſunt ambo canonici eccleſiæ Rhemenſis; & concilii " procuratorem Joannem Eſpaullart decanum eccleſiæ Sueſſionenſis, & ejus adjutorem Petrum Gilbaut canonicum eccleſiæ Rhemenſis. Quos cum nominaſſet, & ſingulorum ſciſcitatus fuiſſet ſententiam, fuit ejus nominatio omnium comprobata ſuffragiis; ipſeque ſcriba, & ejus adjutor, eo ipſo temporis articulo quo fuerunt creati, admiſſi ad obeundum quod mandatum eis fuit munus, ſederunt juxta pulpitum ad acta conſcribenda deſtinatum. His peractis, dixit reverendiſſimus metropolitanus, die ſequenti nihil aliud agi poſſe, quam ut reverendiſſimi ſuæ provinciæ epiſcopi, & reverendi archimandritæ, ac procuratores abſentium ſuis ſignificarent ſententiis, eſſetne legitime convocatum, congregatum & apertum provinciale Rhemenſe concilium: Quod ſi ita declaraſſent, die Lunæ Chriſto favente, futuram eſſe primam congregationem: ſe die craſtino nempe dominico, hora octava matutina, ut in hujuſmodi rebus fieri ſolet, ad populum concionem habiturum; celebrandum poſtea eſſe ſolemne ſacrificium ad implorandum ſancti Spiritus auxilium. Quod munus ejus rogatu eſſet obiturus reverendiſſimus epiſcopus Sueſſionenſis, cum ipſe & concioni habendæ & offerendo ſacrificio non poſſit ſufficere. Quamvis autem ſit in more poſitum ut initio concilii fiat publica ſupplicatio, propterea tamen quod tempus omnibus quæ ſunt eo die facienda exequendis ſit nimis breve & incommodum, eam in alium diem eſſe rejiciendam; dum autem celebrabitur ſacrificium, & antiſtites, & procuratores, lineas veſtes, & paſtorales, quas cappas vocant, chlamydes eſſe geſtaturos, quas & eccleſia Rhemenſis, & monaſteria ſunt benigne ſuppeditatura. In eo ſacrificio quemlibet eſſe ſeſſurum ſuo ordine & loco: nempe epiſcopos, & ab epiſcopis abſentibus miſſos procuratores, ſcamnis eis paratis ex utraque parte chori. Poſt eos ſcamnis ſimiliter paratis, archimandritas ſeu abbates, qui benedictione accepta mitram geſtant; & deinde eos quibus ſunt commendata monaſteria & procuratores abbatum & monaſteriorum. Procuratores autem collegiorum quæ capitula vocantur, canonicorum, ſimul cum canonicis in eorum cathedris ſeſſuros convenienter ordini eorum evocationis & in iis locis quæ eis aſſignarent capituli Rhemenſis, ut vocant, ſeneſchalli, qui eis oſtendent ordinem olim conſuetum obſervari in hujuſmodi conciliis. Quoniam autem poſſet contingere ut ex hoc ſedendi ordine aliqua oriatur controverſia, aliquibus affirmantibus ſe non eo ſedere quo deberent loco, vel propter exemptionem, vel quavis alia de cauſa, intelligatur quicquid hujus fiat, hoc fieri abſque ullo præjudicio juris, quod quilibet ſibi deberi aſſerit ratione privilegii conſueti in hujuſmodi ſeſſione. Quoniam autem ad Deum placandum, & opem ejus implorandam in rebus adeo afflictis, & tempore tam neceſſario, ſunt preces maxime neceſſariæ, videri ſibi, quod attinet ad ſuam cathedralem eccleſiam, ter in hebdomada eſſe faciendam cum litania ſupplicationem, nempe ſecunda, quarta & ſexta feria. Ceteris autem diebus, in parœciis & in eccleſiis, tam fratrum mendicantium, quam ceterorum monachorum. Quo fiet, ut quotidie dum congregabuntur fratres, fundantur ad Deum preces. Quod quidem placuit omnibus: placuit etiam congregationi opportunam eſſe horam mane octavam, & primam pomeridianam, quam ut omnes facile cognoſcant, ejus dandum eſſe ſignum, pulſato magno tintinnabulo dimidia hora priuſquam intretur. De publica autem ſupplicatione & communione, de qua admonuit reverendus abbas Vallis claræ, ſtatutum eſt ut ſecunda feria in prima congregatione de ea re patres ſuam dicerent ſententiam.

" promotorem.

His peractis, poſtquam reverend. præſes pulcherrimis & præclariſſimis verbis ſacroſanctum admonuiſſet conventum hic nihil aliud quæri, quam Dei gloriam & honorem, & catholicæ eccleſiæ ſalutem:

Quæ quidem ut una eſt, ita ſedulo eſt elaborandum, ut omnia noſtra ſtudia, conſilia, dicta & facta inter ſe conveniant & inter ſe invicem minime diſcrepent. Quod quidem ſi ut fiat demus operam ſperandum eſt futurum, ut Chriſtus, qui eſt Deus pacis & unitatis, ſancto nos inſpirante ſpiritu, cœpta noſtra fortunet, & ad fœlicem deducat exitum. Quæ cum dixiſſet, dimiſſa eſt congregatio.

APERITIO CONCILII.

Die autem dominico, qui erat vigeſimus ſextus ejuſdem menſis Novembris, ut pridie, nempe die ſabbati, fuerat conſtitutum, cum a canonicis eccleſiæ Rhemenſis magnum celebratum fuiſſet ſacrificium, & quodcumque mane ab eis ſolitum eſt fieri divinum ſervitium, hora octava matutina fuiſſet peractum, in ipſo horæ octavæ articulo ſuggeſtum conſcendit illuſtriſſimus & reverend. archiepiſcopus, & ab octava ad nonam uſque pulſatam, ad populum pulcherrimam & ad eum erudiendum, & ad pietatem incitandum longe utiliſſimam habuit concionem, ſumpto themate ac exordio ex loco Joannis, cap. 17. *Pater, venit hora, clarifica filium tuum.*

Finita autem concione, cum in palatium ſuum, quod Tahu vocatur, ſe parumper recreaturus recepiſſet, nobis interim dabatur ſignum ſacrificii mox celebrandi ad implorandam gratiam S. Spiritus: & qui ei erant interfuturi Antiſtites & procuratores, in veſtiario ſe convenientibus induebant veſtimentis, lineis nempe ſupparis, quæ ſuppellicia dicuntur; & paſtoralibus chlamydibus, quæ pluvialia, alias cappæ vocantur, quæ quidem fuerunt eis ſuppeditatæ ab eis qui præſunt fabricæ eccleſiæ & reverend. Sueſſionenſis epiſc. cum octodecim aut circiter miniſtris ad altare ei miniſtraturis, ſe ad ſacrum faciendum dictis amiciebat veſtibus. Quæ cum fierent illuſtriſs. & reverend. cardinalis archiepiſcopus, cum aliquantulum recreaſſet, ingreſſus eſt chorum, cum epiſcopis indutis paſtoralibus chlamydibus, ſeu pluvialibus, quos protinus ſunt conſecuti abbates, & qui in eccleſia Rhemenſi dignitates ſunt aſſequuti, & omnes procuratores paſtoralibus item chlamydibus induti, ſicut etiam erant omnes canonici & facellani, & quicumque divino cultui in ea eccleſia ſunt addicti.

Tunc reverend. archiepiſcopus ſedit a latere dextro, in prima cathedra canonicorum; In ſecunda, epiſcopus Virdunenſis; Tertium locum tenuit Silvanectenſis; Quartum vero procurator epiſcopi Noviodunenſis, poſt quos ſederunt magnus archidiaconus, & præpoſitus, & vicedominus ejus eccleſiæ, præcentore ac ſuccentore non ſimul cum ceteris conſidentibus, propterea quod ii tunc ex officio chorum moderabantur, ac regebant. Ab eodem latere dextro deinceps ſedebant procuratores capitulorum eccleſiarum, Sueſſionenſis, Bellovacenſis, Noviodunenſis, & Silvanectenſis; poſt eos multi canonici eccleſiæ Rhemenſis.

ANNO CHRISTI 1564.

Præter eos autem, ab eodem latere dextro, in A sede editiore, & circiter duos pedes a terra assurgente, quæ est aliquantulum ultra gradus quibus conscenditur ad magnum altare, sedebat Illustriss. princeps dux Guisiæ, rector & prorex in comitatu agrisque omnibus & finibus Campaniæ. Cum quo erant vir magnificus Reginaldus a Bossu, Viromanduorum, qui Balbinus dicitur, prætor & vir præclarus comes a Cernay, & magna pars nobilium ejus provinciæ, & regii magistratus hujus civitatis Rhemensis, tam militaris, quam judiciarii ordinis, qui omnes eo convenerant visuri, bonisque verbis, & quo poterant favore prosequuturi faustum & fœlix initium concilii. A latere sinistro, in superioribus cathedris, sedebant archiepiscopus Senonensis, episcopus Catalaunensis, & episcopi Ambianensis procurator nomine Nicolaus Grivellus, Ambianensis ecclesiæ decanus, archidiaconus minor, qui dicitur Campaniæ, thesaurarius & scholasticus ecclesiæ Rhemensis. Eos sequebantur procuratores ecclesiæ Rhemensis, & procuratores ecclesiarum Laudunensis, Catalaunensis, Ambianensis, & decanus ecclesiæ Morinensis, nunc a rege Boaoniam translatæ, & decanus ecclesiæ Laudunensis, qui fuerunt ambo postea in locum altiorem vocati prope magnum altare, ut qui episcopatuum Laudunensis & Morinensis sede vacante essent procuratores. Est autem adnotandum, fuisse omnes indutos pastoralibus, quas cappas vocant, chlamydibus præter archiepiscopum Senonensem, & epi- C scopum Virdunensem, qui lineis tantum induti erant supparis; propterea quod non essent Rhemensis provinciæ. Erat autem tanta eorum qui aderant multitudo, ut maximæ parti canonicorum ad inferiora subsellia fuerit descendendum, cum in superioribus sedibus non esset eis relictus locus. In sedilibus autem quæ infra altare a lateribus parata fuerant, sedebant in duobus primis diaconi & subdiaconi numero quatuordecim vestiti tunicis aureis. Nam reliqui quatuor ex iis quos diximus octodecim, altari ministrabant; in aliis autem sedibus sedebant a latere sinistro abbates mitram gestantes; inferius autem ii quibus commendata fuerant monasteria; in altero autem post eos sedili sedebant monasteriorum procuratores, quilibet D eum tenens locum quem eis assignarant Rhemensis ecclesiæ senescalli, quibus mandatum fuerat hoc munus.

Rebus ita constitutis, & omnibus suum locum ita tenentibus, rem divinam fecit reverendissimus episcopus Suessionensis in magno altari, quod solis licet episcopis, canonicis, qui vicis suæ tempore missam celebrant, ad altare non prius accedentibus, quam finito introitu, lectaque epistola, & ceteris peractis, & recitato evangelio, ad pulpitum ab altari parum remotum, tum demum accedant consecraturi. Lecto evangelio diaconus ipse librum apertum reverendissimo metropolitano portavit osculandum; & deinde illustrissimo duci Guisiæ, & deinde episcopis & episcoporum E absentium procuratoribus. Eumdem autem librum postea accepit subdiaconus, quem clausum portavit osculandum iis qui dignitatibus honestati sunt in ecclesia Rhemensi, procuratoribusque, & canonicis ejusdem ecclesiæ, congruenter & ordini, qui fuit antea descriptus. Similiter etiam factum est in osculo pacis, præterquam quod cum diaconus præbuit patenam calicis osculandam iis omnibus, quibus præbuit evangelium, duo ex pueris chori eam portarunt osculandam præcentori & succentori, & deinde ceteris, convenienter ei ordini qui jam fuit expositus.

ANNO CHRISTI 1564.

Quod autem attinet ad evangelii & pacis deosculationem, est observandum, quod ministri ea deferunt osculanda, cum constiterint in gradibus quibus ascenditur ad magnum altare, præcentor & succentor veniunt ad ea deosculanda in offertorio, quibusdam jucundis & ad pietatem accommodatis modulis a choro cantatum fuit, *Ne reminiscaris*. Provinciata autem oratione dominica, reverendissimus Suessionensis episcopus, qui, ut dictum est, celebrabat sacrificium, rem divinam absolvit, populo data benedictione, ut solent episcopi in suis diœcesibus: operato sacro fuit magnum apud omnes silentium.

Interea autem illustrissimo cardinali & ceteris episcopis, episcopalia parata sunt vestimenta super altare, & aliæ sedes quæ fuerunt collocatæ infra magnum altare, ex adverso earum in quibus sedebant ministri altaris, qui simul cum episcopo Suessionensi, per ostium quod est post altare, ut se exuerent receperunt in vestiarium: paulo post illustrissimus cardinalis sua sede relicta accessit ad magnum altare, ante quod procumbens, cuidam innixus cathedræ Deum aliquandiu est precatus. Finitis precibus consedit in cathedra vultu ad populum converso: tuncque fuit induius sandaliis, & aliis episcopalibus ornamentis; quod fecerunt etiam ceteri episcopi. Ita autem indutus cum surrexisset, & capitis, quem vocant, amictus, & alba fuit ei exhibita, & crux non parvi pretii filo pendens serico, quam collo suo appendit, & postremo pastorali chlamyde, nempe cappa se induit.

Interim autem dum hæc fierent, cantabat chorus psalmum, *Quam dilecta tabernacula tua domine virtutum*; quem cum aliquot aliis psalmis integrum suaviter ac numerosum sunt modulati vicarii & cantores ecclesiæ. Quo tempore a vestiario reversus reverendiss. Suessionensis episc. pontificalibus vestimentis indutus, cum mitris & pedo pastorali consedit in sedibus, quæ prope magnum altare erant paratæ a dextris illustrissimi & reverendissimi cardinalis metropolitani. Supra eum sedebat reverend. episc. Virdunensis, infra autem reverend. episc. Silvanectensis; & procurator reverend. episc. Noviodunensis. Ex altero latere, erant reverend. archiepisc. Senonensis, reverend. episc. Catalaunensis, & procuratores episcopatus Laudunensis, & episcopi Ambianensis, & episcopatus Morinensis, qui nunc est Bononiensis. Post eos vero erant archimandritæ, & alii eo, quo prius dictum est, ordine. Gestabant autem mitram qui erant Rhemensis provinciæ episcopi, ex manibus pedum tenebant pastorale, & etiam archimandritæ, qui hoc tanquam proprio & non commendato fungebantur munere.

Rebus ita ordinatis, & quid esset futurum omnibus expectantibus, vocati sunt scribæ concilii, jussique stare prope reverend. cardinalem, ut quæ fierent videntes, & audientes ea consignarent literarum monumentis. Decantato itaque psalmo, *Quam dilecta*, reverend. cardinalis bene longam multa voce ad Deum fecit orationem, & aliquot deinde cecinit psalmos, interjectis multis aliis precationibus, & ea omnia fecit quæ sunt solemnia in inchoatione & apertione concilii, quæ petenda sunt ex libro qui dicitur Cenomanensis.

Finita autem litania, & recitato evangelio, his aut hujusmodi verbis usus est reverend. cardinalis. Reverendi patres, & venerabiles fratres, dilectissimi filii, placetne vobis ad Dei gloriam & honorem, & ad catholicæ ecclesiæ amplificationem, ut sanctum provinciale concilium Rhemense legitime convocatum, & hic congregatum, aperiatur & inchoetur. Quo dicto cum tacuisset,

scribæ,

ANNO CHRISTI 1564.

scribæ, eo jubente, accedentes ad eos qui in cathedris canonicorum sedebant a dextro latere, & deinde ad eos qui sedebant a sinistro, & deinde ad abbates mitratos, & ad commendatarios, omnibus eorum singulis dixerunt hæc verba, placetne vobis. Hi vero omnes, & singuli eorum, nemine excepto, responderunt, placet. Scribæ vero ad reverend. cardinalem metropolitanum reversi, coram episcopis & absentium episcoporum procuratoribus, & abbatibus, ceteriſque qui debent huic interesse concilio, hæc verba diximus: Placetne vobis: singuli autem, nemine excepto, responderunt, placet: tunc reverend. cardinalis a reverend. episcopis, & ab absentium procuratoribus est sciscitatus: Quid igitur vobis videtur reverendi patres; omnes autem responderunt; aperiatur. Quod cum dixissent, surrexit reverend. cardinalis metropolitanus, & ad populum conversus, tam suo quam omnium episcoporum nomine, his verbis usus est. Christi nomine primum invocato, decernimus sanctam synodum provincialem Rhemensem esse apertam, & ita judicamus.

His dictis decantatum fuit canticum, *Te Deum laudamus*, dataque a reverendissimo archiepiscopo de more benedictione omnes se domum receperunt.

PRIMA CONGREGATIO.

FERIA secunda, quæ fuit vigesimus septimus dies Novemb. anno domini millesimo quingentesimo sexagesimo quarto, pontificatus autem sanctiss. pontificis Pii IV. anno quinto, Caroli vero Christianiss. Francorum regis quarto, illustriss. & reverend. cardinali Lotharingo Rhemensi archiepiscopo & metropolitano præside, cum reverend. episcopis Suessionensi, Catalaunensi, Silvanectensi; assistentibus reverendiss. archiepiscopo Senonensi & episcopo Virdunensi, reverend. metropolitanus hæc quæ sequuntur proposuit & ad synodum retulit.

Primum quidem ex venerabili decano Suessionensi, qui fuerat omnium suffragiis electus concilii promotor, est sciscitatus, num mandatum ei munus vellet suscipere, qui cum in principio se modeste excusasset, paulo post tamen, vehementer instante eodem reverend. præside, & tota synodo, id non gravate suscepit, quod ipsum quoque fecit venerabilis Petrus Gilbault ejus adjutor: Deinde retulit de publica facienda supplicatione, & ab omnibus sacrosancti corporis Christi sumenda communione: ejus autem sententia, quam in referendo ad synodum exposuerat, fuit omnium suffragiis comprobata, nempe quod feria quarta, quæ erat S. Andreæ vigilia, jejunaretur, & feria quinta qui erat dies dicatus S. Andreæ, publica fieret supplicatio intra aut extra ædem sacram, arbitrio reverend. archiep. & episcoporum suæ provinciæ, gestareturque sacrosanctum corpus Christi, omnesque antistites & ceteri sacrificio peracto sumerent eucharistiam. Simul etiam eodem reverend. metropolit. referente fuit constitutum ut decretalis fieret epistola per totius provinciæ parœcias mittenda, qua omnes & singuli in domino moneantur, ut cum se prius diligenter probaverint ac præparaverint in Christi natalis die festo pie ac reverenter sanctam suscipiant eucharistiam: Dum autem de ea re a synodo dicerentur sententiæ, Noviodunensis capituli procuratores admonuerunt multos dixisse sententiam non suo ordine & loco, postularuntque ut in dicendis sententiis cuilibet suus servaretur ordo, qui olim fuerat in conciliis provincialibus. Quibus respondit reverend. metropolitanus jam antea satis cautum esse ne quid ex ea re, eis ullum afferretur præjuditium: & eorum ordinis futurum, ut deinceps haberetur ratio.

ANNO CHRISTI 1564.

Retulit etiam ad synodum, ut ad concilium omnibus liber pateret aditus, qui vel de aliqua re vellent admonere, aut supplicare, aut de aliquo conqueri, seu per promotorem, seu per se id mallent exequi. Quarto quoque loco retulit, ut in acta concilii interrerentur omnia mandata procuratoris, & traderentur scribis, & communicarentur promotori, ut adversus eos agat qui absunt, non legitima allata excusatione, observeturque ex decretis & canonibus disciplina ecclesiastica. Quod ut fiat, sumatur liber in quo scripta sunt nomina eorum, qui debent interesse concilio provinciali Rhemensi. Præterea dicit esse videndum, an episcopi Cameracensis, Tornacensis, & Atrebatensis, qui solebant esse Rhemensis provinciæ, sint excusandi, cum & a nobis magnopere sit adnitendum, ut post Dei religionem, & Christi fidem, Christianissimi regis nostri, cujus hoc maxime interest, integra maneat auctoritas & privilegia, tum etiam ut ecclesiæ nostræ Rhemensis metropolis, quæ in totius Galliæ Belgicæ ecclesiis, tot seculis obtinuit primatum, jura conserventur. Ab eo quoque relatum est ad synodum de conficienda professionis fidei formula, quam quilibet esset professurus priusquam communicaret. Quæ quidem omnia placuerunt omnibus. Ad illam autem professionis fidei conscribendam formulam omnium suffragiis sunt electi doctores Joannes Democharis, Richardus a Prato thesaurarius Rhemensis ecclesiæ, Joannes le Besque, Joannes Harrier, Robertus Fournier, Joannes Caigner, & prior sancti Remigii. Postremo retulit ad synodum, ut tractaretur de cultu, cæremoniis, breviariis & missalibus: Quod ut commodius tractaretur, datum est negotium procuratoribus capitulorum canonicorum, ut de eo cogitent, die crastino quod sibi videatur relaturi ad synodum. Interim autem episcopi, & absentium procuratores, darent operam ut post prandium fiat formula professionis fidei, quo factum est, ut cum ita essent omnes occupati, quæ post prandium futura erat congregatio rejecta sit in horam octavam matutinam dici sequentis.

II. CONGREGATIO.

FERIA tertia quæ fuit vigesimus octavus Novembris, anno domini millesimo quingentesimo sexagesimo quarto, præside illustrissimo & reverendissimo cardinali Lotharingo, considentibus reverendissimis episcopis Suessionensi & Catalaunensi, & Joanne Democharis doctore theologo, procuratore reverendissimi Noviodunensis episcopi a dextris, & reverendissimis episcopis Virdunensi, & Silvanectensi, ac Grivello doctore canonico procuratore reverendissimi Ambianensis episcopi, & post eum reverend. abbate Monasterii majoris a sinistris; reverend. metropolitanus sanctam synodum quæ convenerat rogavit, ut reformandis moribus & lapsæ ecclesiasticæ disciplinæ darent operam, dixitque, si eis videretur, iis quæ pridie dixerat adjungenda.

Primum itaque ab eis magnopere contendit, ut a se quæ facienda erat inciperet reformatio, dicens se reverend. Suessionensis, & Catalaunensis qui illic aderant, paratum esse subire judicium. Inquirerent de vita ejus, & moribus, & quemadmodum se gesserit in administrando suo archiepiscopatu,

Anno Christi 1564

scopatu, ex quo illud munus suscepisset, se curaturum ut afferrentur codices rationum tam sigilli quam registri curiæ ecclesiasticæ, viderent an in iis esset male versatus, se enim correctionem minime velle detrectare, ipsosque episcopos suarum actionum judices constituere: se sua synodalia statuta exhibiturum, ut si opus esset, eis suam adhiberent censuram: ostensurumque quid inter se & suum convenisset capitulum, se qui in sua esset provincia, & concilium indixerat, & eos convocarat, minime esse excusandum, nisi se ad omnia, quæ opus essent, præparasset, se itaque nunc paratum ad reddendam suæ vitæ rationem, & eorum omnium quæ sunt in concilio ab eo postulanda, qui sit in eo gradu collocatus, se ostensurum quæ statuta fuerant Tridenti, & in conventu Piscacensi, ut ex iis viderent quid sibi possit objici, & an ea observasset; se codices suarum rationum esse depositurum, apud episcopum, & decanum Suessionensem, & apud procuratores capitulorum, & ut semel diceret se omnia facturum quæ sunt contentanea rationi, & æquitati, protestatusque est se ad suum gregem custodiendum vigilaturum, eumque ut suum postulat officium verbo pasturum, debereque episcopos per se gregem pascere. Quo quidem in loco dixit se non posse ægre ferre, quod in hoc concilio ex sua provincia tam pauci essent episcopi, quod quidem evenit, tum quod episcopatibus Laudunensi & Morinensi nondum sit provisum de pastoribus, tum quod Bellovacensis hic non compareat, tum quod summus pontifex Flandriæ episcopatus, qui erant membra ejus metropolis, ab hoc archiepiscopatu avulserit. Qui autem illorum administrationis munus haud ita pridem susceperunt propter exortos tumultus, & propter aliquas alias causas non potuerunt, ut cupiebant, suo fungi officio. Quæ licet ita sint, nihilo tamen secius est providendum ut deinceps reformentur ministri ecclesiæ, & ordinis ecclesiastici lapsa reparetur disciplina, tam in capite quam in membris, & unusquisque reddat rationem suæ vocationis. Et quoniam multi sunt plane ignari quid soleat agi in synodis provincialibus: & iis de causis ipsi quoque episcopi eis non sunt satis assueti; & neque qui in ecclesiis funguntur dignitatibus, abbatesque & priores, propter longam provincialium conciliorum desuetudinem, satis intelligant cujusmodi ea sint, & quænam in eis tractari soleant, & ideo venerunt imparati, nec habent quid respondeant, ideo considerabunt quid in præsentia fieri possit, de eo quod pertinet ad reformationem: reliquum autem rejicietur in proxime futurum concilium provinciale. Sibi in primis placere ac videri esse faciendam fidei professionem: dandumque esse hoc munus aliquot theologis, ut unam professionis fidei formulam componant, eamque ad synodum feria quarta referant, ut videatur num aliquid in ea desideretur, ex iis quoque qui monasticæ sunt addicti regulæ, aliquos eligerent qui diligenter perpendant ac considerent quid sit reformandum in monasteriis & lapsa monachorum disciplina.

Quæ cum dixisset, & multa alia quæ ad negotium reformationis conferebant plurimum, & ad synodum de omnibus retulisset capitulis, quæ in hoc concilio tractanda restabant & decidenda, sententias eorum est scisciatus, atque reverendissimi quidem responderunt episcopi, ejus rationum libenter visuros esse codices, & cetera quæ eis obtulerat, non ut ab eo suæ vitæ & eorum quæ in archiepiscopatus obeundo munere gesserat, exposcerent rationem, ut qui non ignorarent ipsum esse in nullo affinem reprehensioni, nedum crimini, sed ut ex iis exemplum sumerent, & deinceps in suis obeundis episcoporum muneribus ejus vestigiis insisterent. Nam cum primum loqui desiisset illustrissimus cardinalis, sede sua surrexit, significans se paratum esse eorum subire judicium & ab eis corrigi. Nicolaus autem Grivellus procurator Ambianensis, dixit sibi videri perdifficilem hanc reformationis rationem: seque in hac esse sententia, ut existimet in unoquoque episcopatu deligendos esse viros idoneos, qui diligenter inquirant quid vere sit reformandum, ut ad proxime futuram synodum provincialem de eo referant: Richardus a Prato thesaurarius procurator ecclesiæ Rhemensis, postulavit ut convenienter concilio Constantiensi fieret reformatio in capite & in membris: Joannes Spallardus ecclesiæ Suessionensis decanus dixit, magno probro futurum huic sacrosancto conventui, si hinc discederetur, nulla bona, quæ expectatur, facta morum reformatione. Percuncti fuerunt in eadem sententia, in quibus fuit Robertus Furnius alter ex procuratoribus episcopi Ambianensis, qui postulavit ut fieret reformatio ex decretis concilii Tridentini; Martinus Morletus alter ex procuratoribus capituli Noviodunensis, assensus est ut fieret reformatio, modo ne ea aliquid præjudicii afferret capitulo ecclesiæ Noviodunensis; reverendus quoque abbas Vallis-Claræ itidem est assensus, dummodo non fieret in præjudicium privilegiorum sui Ordinis: postremo placuit omnibus, ut theologi Demochares, Richardus a Prato, Joannes le Besque, prior S. Remigii fidei formulam componerent, & eam feria quarta mane ad synodum referrent, ut abbates & priores octo numero, nempe duo ex iis qui mitras gestant abbatibus, & duo commendatarii, duoque priores regulæ addicti monasticæ, & duo commendatarii scriptis mandarent ea capita quæ videbuntur pertinere ad monastici ordinis reformationem. Fuerunt autem electi, abbates quidem S. Dionysii & Vallis-Claræ, Commendatarii vero Bonifontis & Cussiaci, prior S. Martini Campestris, & prior S. Remigii. Pro reformandis autem moribus fuit constitutum, ut singuli viderent in suis diœcesibus, & iis locis quæ sunt suæ jurisdictionis, quidnam sit reformandum, & referrent ad proximum concilium provinciale. Quæ quidem cum fuisset omnium sententia, ea fuit a reverend. cardinali comprobata, quod diceret actorem quidem debere venire paratum, eum autem debere procurare ne differatur judicium. Quoniam autem reverendus abbas Vallis-Claræ ita assensus erat faciendæ reformationi, si ea fieret citra præjudicium privilegiorum sui ordinis, dixit reverend. metropolitanus, esse quadruplex genus monachorum. Esse enim aliquos qui parent imperio suorum generalium, cujusmodi sunt Cistercienses, Cluniacenses, Præmonstratenses, & aliquot alii: alios autem qui necessario subeunt episcoporum visitationem, cujusmodi sunt magna ex parte Benedictini & Augustiniani: alios qui contendunt se subjectos esse soli summo pontifici & exemptos ab omni alia jurisdictione. Quæ cum ita sint, in reformandis monachis hanc esse ineudam rationem, ut ipsi considerent, quæ sint ea in re concilii partes, eos ipsos qui ad concilium referent, futuros esse arbitros eorum quæ sunt corrigenda: nec ignorare concilium esse plurima, quæ sunt relinquenda abbatum & priorum correctioni, nec immerito dici, *Tractent fabrilia fabri*. His expeditis, dixit post factam fidei professionem, tractandum esse de cultu, deinde subjecit esse quatuor, quæ

sibi

Anno Christi 1564.

sibi videntur opus habere aliqua animadversione & reformatione. Primum quidem excommunicationem, in qua cum consistat vis præcipua jurisdictionis ecclesiasticæ, nos tamen jam olim ea abuti, nec suo judicio ei rei satis providisse, nec conventum Pisciaci habitum, nec concilium Tridentinum. Quo in loco oblata occasione admonuit sanctam synodum, esse considerandum, num Christianæ expediat ecclesiæ restituere publicam quæ apud veteres erat in usu pœnitentiam: in iis maxime criminibus, quæ in omnium incurrunt aures & oculos, & omnes offendunt; deinde inobedientiam: tertio juramenta, quæ sunt frequentissima & vulgo contemnuntur. Quarto publicum concubinatum, de quibus cum pulchra & satis prolixa usus esset oratione, admonuit synodum rem esse miserabilem & valde deplorandam, quod sint hodie in oculis omnium hæretici, qui fruuntur episcopatibus, abbatiis, prioratibus, & etiam parœciis, cum interim de his ne verbum quidem illis fiat. Hæc fieri non sine magno totius cleri probro ac dedecore, eique rei esse providendum. Dixit postea de loco & ordine quo unusquisque sessurus esset in concilio, & ne inter eos qui intererant, de ea re deinceps ulla oriatur controversia, protulit librum in quo scriptum erat quo loco & ordine esset unusquisquis sessurus in concilio. Post hæc dixit habendam esse rationem duorum libellorum supplicum „qui Lutetia missi sunt ad sanctam synodum, quorum alter est administratorum nosocomii Parisiensis, alter vero xenodochii trecentorum cœcorum, quod est Lutetiæ; quos duos libellos jussit legi, deinde jussit tradi promotori, ut videret ex iis quid esset synodo proponendum. Postea inter omnes convenit, idque pronunciavit reverend. metrop. post prandium non esse conventuram synodum, ut daretur satis otii ad componendam fidei formulam, & ad componendos de cultu articulos, iis, quibus fuerat mandatum hoc negotium.

A B C D E

III. CONGREGATIO.

Feria quarta, quæ vigesimus nonus Novemb. vigilia autem sancti Andreæ, anno domini millesimo quingentesimo sexagesimo quarto, Pii quarti pontificatus anno v. Christianissimi vero regis Caroli IX. regni quarto, præside illustrissimo ac reverendissimo cardinali Lotharingo Rhemensi archiepiscopo, & metropolitano. Cum in congregatione quæ mane hora octava in capitulo ad id designato convenisset, professionis fidei formula, cujus conscribendæ negotium & doctoribus theologis, & reverend. episcopis, absentium episcoporum & capitulorum procuratoribus, pridie hujus diei erat mandatum, fuisset exhibita abbatibus & prioribus, eam legit reverend. metropolitanus. Quam cum sibi placere dixisset, præterquam quod Athanasii symbolum minime duceret adjiciendum, & duo articuli in quibus agebatur de sacramento altaris, & de missæ sacrificio, sibi viderentur supervacanei, cœpit singulorum sciscitari de ea re sententias. Quæ cum fuissent variæ, aliis reverend. cardinalis sequentibus sententiam, ex quibus fuit reverend. Silvanectensis episcopus, aliis dicentibus fieri injuriam œcumenicæ synodo Tridentinæ, si alia fiat fidei professio, quam quæ ab ipsa prodiit, & si in hac synodo id factum fuerit, ceteras quoque provinciales synodos id usurpaturas, hincque futurum, ut professionum fidei nullus sit futurus modus; cujus sententiæ auctor fuit reverendus abbas Vallis-claræ, quam sequutus est venerandus Claudius de Xaintes theologus, aliis se cupere dicentibus ut articuli fidei expressius explicarentur, Joannes Demochares autem procurator reverend. episcopi Noviodunensis de professione fidei facta a senatu Parisiensi admonuisset: Nicolaus autem Grivellus reverend. Ambianensis episcopi procurator, & Richardus a Prato ecclesiæ Rhemensis thesaurarius, & Robertus Furnius procurator etiam reverend. episcopi Ambianensis, de ea re copiose quidem ac præclare, sed tamen varie dixissent, omnibus his specie quidem discrepantibus, sed eodem tamen tendentibus sententiis in unum collectis, reverend. metropolitanus suum prudentissimum interponens arbitrium, dicit in hanc sententiam, diuturno usu & experientia rerum ita esse compertum, ut quando de rebus magni momenti agitur, plurimum prosit in deliberatione multorum audire sententias: seque valde lætari quod eorum de hac re audierit sententias, easque gravissimas, ex quibus licet videantur discrepare, si tamen in unum colligantur, eas conciliando nos informari ad unam faciendam fidei professionis formulam; quæ si sanctæ videatur synodo, erit hujusmodi, nempe ut maneat quidem quæ jam fuit proposita, si ab initio fuerint ablata duo aut tria verba, adjecta autem fuerit in fine clausula, de qua admonuit Rhemensis ecclesiæ thesaurarius Richardus a Prato; expuncti autem fuerint illi duo articuli ultimi, qui sunt in fine, nempe de eucharistia, & de missæ sacrificio, ut qui in ea quæ adjungenda erat clausula nominatim exprimerentur: iis autem ut satisfiat, qui cupiunt professionis fidei articulos esse magis expressos ac explicatos, dixit, si sacro placeat conventui, in fine formulæ professionis fidei hæc verba esse adjungenda: Quod si quis velit ampliorem & expressiorem articulorum fidei explicationem quam quæ sit in hac professionis fidei formula, futurum ut postea articuli fidei fuse & copiose conscribantur, vel ex confessione fidei facta a senatu Parisiensi, quæ a facultate theologiæ fuit composita, & ei exhibita, vel ex confessione fidei concilii Tridentini: & si videretur dandam etiam esse operam ut separatim excusi Gallice in lucem edantur articuli ad populi ædificationem. Interim autem quoniam tempus urgeret & de crastino futura esset publica communio, & a toto cœtu faciendæ ad Deum preces, se in hac esse sententia, ut post prandium omnes in hunc locum conveniant, ad faciendam fidei professionem, quam singuli legerent, & ore suo pronuntiarent, ut esse faciendum, suam dicendo sententiam, admonuerat Robertus Furnius procurator reverendis. episc. Ambianensis. De qua re a reverend. metrop. singulis sententiam rogatis, cum quilibet paucis dixisset quid sentiret, omnes tandem in hoc convenerunt, quod post prandium legeretur fidei facta professionis formula, quæ licet non esset prolixa, nec omnia explicaret, nullus tamen esset ex hoc sacro conventu, qui non intelligeret, eam omnia complecti quæ sunt a nobis credenda, si non expressis verbis, iis certe quæ tacite omnia in se implicent: fuit itaque constitutum, ut Richardus a Prato ecclesiæ Rhemensis thesauratius, in eam quam diximus formam, eam componeret, eaque post prandium relata, omnes ex ea facerent suæ fidei professionem: Quæ cum essent statuta, dimissus est conventus, qui illic manserat tres horas.

ANNO CHRISTI 1564.

IV. CONGREGATIO.

FERIA quarta quæ erat vigesima nona Novembris, anni domini millesimi quingentesimi sexagesimi quarti, eodem illustriss. cardinali præside, ad congregationem concilii provincialis Rhemensis, quæ convenerat hora secunda pomeridiana, allata fuit formula confessionis fidei, quæ cum fuisset tradita eidem illustriss. & reverendiss. præsidi, ipse & alta voce, & tam distincte eam legit, ut quotquot aderant, eam facile possent audire & intelligere. Quam postquam legisset, dixit eam sibi placere, nec videri quidquam esse mutandum. Deinde cum dixisset de ea esse dicendam ab omnibus sententiam, rogavit ut responderent singuli per verbum *placet*. Quæ cum fuisset ab omnibus approbata, dixissetque illustriss. ac reverend. cardinalis metropolitanus se minime detrectaturum fidem suam profiteri, pro qua tuenda sui majores depugnandum esse dixissent, & adversus incredulos Hierosolyma usque insigni parta victoria bellum gessisse, & pro qua princeps suæ familiæ per summum scelus nuper mortem objisset, is deinde surrexit, & ore converso ad reverend. episcopum Suessionensem, archiepiscopatus Rhemensis & totius provinciæ vicarium, eam alta voce ut sequitur pronunciavit.

Quoniam Christianæ religionis fundamentum est fides, quæ est adversus omnes hæreses scutum firmissimum, & quam non solum corde credere, sed etiam ore confiteri oportet, ideo patrum exempla in conciliis sequuti, ante omnia credimus & confitemur canonicas utriusque testamenti scripturas sacrosanctas esse, & divinitus inspiratas: itidem articulos fidei in apostolorum ac Nicæni & Constantinopolitani primi symbolis contentos: ne non omnia quæ de fide superioribus œcumenicis conciliis, & novissime in sancta generali synodo Tridentina sunt definita, firmissima fide complectimur & tenemus; sacrorum vero librorum canonem eum agnoscimus & credimus quem eadem sancta synodus declaravit & confirmavit, nec ad illorum interpretationem privatæ innitimur prudentiæ, sed eum sensum & expositionem retinemus, quam unanimis consensus patrum, & communis ecclesiæ catholicæ usus docuit ac tradidit. Traditiones sine scripto ab apostolis acceptas, & continua successione in ecclesia catholica conservatas, tanquam vel ore tenus a Christo, vel a Spiritu sancto dictatas, suscipimus & veneramur. Insuper de septem ecclesiæ sacramentis, in primis autem de augustissimo eucharistiæ sacramento, & missæ sacrificio, ceterisque dignitatibus adversus hæreses iis temporibus exortas, sentimus & credimus, cum eadem sancta synodo damnantes & detestantes omnem hæresim, quam eadem sancta synodus damnavit & anathematizavit. Postremo sanctam Romanam catholicam ecclesiam omnium ecclesiarum matrem agnoscimus, & beatissimo papæ nostro domino Pio IV. pontifici max. debitam in Christo obedientiam exhibemus. Hac professionis fidei formula a reverend. metropolitano sic lecta, surrexit reverend. episcopus Suessionensis, eamque legit & pronunciavit ante reverend. metropolitanum, post quem itidem surrexerunt ac legerunt reverend. primum Catalaunensis episcopus, deinde Joannes Demochares nomine reverendiss. Noviodunensis episcopi, & Nicolaus Grivellus nomine reverendiss. Ambianensis episcopi, ambo procuratores. Non surrexerunt autem nec eam legerunt reverendus episcopus Virdunensis, nec reverendus abbas Majoris monasterii, quia non sunt hujus diœcesis, & assistunt tantum his quæ geruntur. Post Nicolaum Grivellum Richardus a Prato tanquam procurator Rhemensis ecclesiæ capituli, accessit ad eam legendam. Quam, ita postulante concilii promotore, legit & pronunciavit nomine totius capituli, cum surrexissent omnes canonici tam qui fungebantur dignitatibus, quam ceteri, & consensissent ut eorum nomine rei fidem profiteretur. Id ipsum fecerunt omnes procuratores capitulorum ecclesiarum tam cathedralium quam collegiatarum: reverend. vero abbas S. Dionysii formulam professionis fidei legit & pronunciavit, tam suo nomine, quam omnium abbatum: venerandus quoque prior S. Martini Campestris Parisiorum tam suo quam omnium priorum, & etiam a prioribus deputatorum nomine fidem itidem est professus.

Hoc modo facta ab omnibus fidei professione, quæsivit illustriss. cardinalis a promotore concilii, vidissetne instrumenta illa & documenta quæ ipsi tradiderat, de iis quæ pertinent ad episcopatus Cameracensem, Atrebatensem, Tornacensem & S. Audomari, qui parvo abhinc tempore se separaverant & subtraxerant a metropolitana ecclesia Rhemensi, quique huc vocati fuerant ad concilium. Miserat autem episcopus Cameracensis hac de causa procuratores procuratorio munere, tam suo quam aliorum nomine, qui reverend. cardinali archiep. Rhemensi, & sanctæ synodo significarent, & exponerent Paulum IX. & Pium IV. pontifices maximos separasse & exemisse hos omnes quos diximus episcopatus a jurisdictione metropolitana archiepiscopatus Rhemensis; ex Cameracensi episcopatu erexisse archiepiscopatum, ejusque jurisdictioni, quatuor jam dictos tanquam suffraganeos subjecisse episcopatus. Et hac de causa, nec se, nec illos teneri ut compareant in concilio. Quæ ut vera esse ostenderet, miserat exemplar omnium diplomatum & bullarum quas a superius nominatis pontificibus maximis impetraverat; quibus visis ac lectis ab illustriss. cardinale, rogatus, ut diximus, promotor concilii, respondit ea non sufficere a suo antiquo jure & possessione pellendum Rhemensem metropolitanum, se itaque petere ut & Cameracensis episcopus, & ceteri pronuncientur a sancta synodo contumaces, quod tamen minime est assequutus. Hæc enim fuit synodi sententia, de ea re esse amplius deliberandum, regique, cujus maxime interest, hoc significandum, & ad pontificem max. de hoc scribendum. Quæ cum dicta essent, vocati sunt procuratores episcopi Cameracensis, cui cum fuissent auditi, jussi sunt paulisper egredi extra locum congregationis, iisque statim revocatis, responsum fuit, a synodo statutum esse, ut mandatum procuratorium & bullarum pontificiarum exempla, quæ attulerant scribæ concilii traderentur, & apud eos manerent, ut de ea re opportune amplius deliberaretur; sanctam synodum ad episcopum Cameracensem esse literas postea daturam, licere eis cum vellent discedere. Quorum omnium acta sibi dari petierunt procuratores, quæ quidem fuerunt eis data.

ANNO CHRISTI 1564.

V. CONGREGATIO.

FERIA quinta qui fuit ultimus dies Novemb. anni domini millesimi quingentesimi quadragesimi quarti, canonici & clerus ecclesiæ metropolitanæ Rhemensis, matutino officio feria quarta vesperi decantato, cum mane ad ceteras horas dicendas esset pulsatum, ut solet in diebus solem-

ANNO CHRISTI 1564

solemnibus, eas adeo mature absolverunt, ut hora diei prima & dimidia & missa fuerit celebrata, & ex matutino officio nihil restaret peragendum.

His peractis interea dum expectaretur illustriss. cardinalis, se receperunt omnes in vestiarium, non solum qui erant ecclesiæ Rhemensis, sed etiam episcoporum & capitulorum procuratores, abbates, priores, abbatumque & priorum absentium procuratores. Quorum singulis data sunt linea suppara, pastoralesque chlamydes, seu cappæ pulchræ ac magni pretii, & cerei ut convenienter suo ordini ac loco honorificentius & reverentius interessent supplicationi. Ea autem cœpit fieri circiter horam octavam & dimidiam, cum chorum ecclesiæ esset ingressus illustriss. cardinalis metropolitanus, reverend. episcopis eum comitantibus, & adsistentibus omnibus ecclesiæ ministris, iis vestibus ornatis quoad diei postulabat solemnitas, & ejus loci reverentia. A qua quidem supplicatione non abfuerunt nec ordines fratrum Mendicantium, nec cœnobia ceterorum religiosorum, nec collegia ecclesiarum, nec ecclesiæ parœciales civitatis Rhemensis, quos omnes præcedebat crux ecclesiæ eorum quæ portabatur. Eos pastoralibus fere omnes indutos chlamydibus sequebantur vicarii, & sacellani, & canonici ecclesiæ Rhemensis, & deinde procuratores capitulorum ecclesiarum cathedralium, & collegialium, ex uno latere, ex altero vero monachi & priores monasteriorum S. Remigii, S. Nicasii, S. Dionysii, & Vallis-scholarium civitatis Rhemensis. Eos deinde sequebantur procuratores capitulorum: & deinde qui fungebantur dignitatibus in ecclesia Rhemensi: & deinde procuratores episcoporum, erantque hi omnes in uno & eodem ordine. Post eos incedebat illustriss. cardin. metropolitanus qui cum reverendiss. episcopo Suessionensi honorificentissime & reverendissime gestabat corpus domini conopeo, quod portabant reverendi abbates, quorum mitræ & peda gestabantur ante eos: sed qui gestabant præcedebant conopeum; itidem præcedebant etiam alii episcopi mitrati, & pedum gestantes, Catalaunensis, scilicet & Silvanectensis, reverendissimus autem Virdunensis episcopus nec mitram gestabat, nec pedum, propterea quod non esset hujus provinciæ, sed pastorali tantum indutus erat chlamyde, quomodo etiam erant induti omnes canonici, procuratores, abbates, priores, abbatum & priorum procuratores, omnesque monachi, vicarii, & sacellani. Processerunt autem supplicantes & maximam ostendentes in Deum pietatem, circa ædem sacram & claustrum ecclesiæ. Supplicatione peracta, cum se in vestiario ad rem divinam faciendam dicatis & accommodatis induissent vestibus, illustriss. & reverendiss. cardinalis, statim venit ad celebrandum sacrificium, cum quatuordecim partim diaconis, partim subdiaconis, & quatuor pueris chori, qui solent ea ferre ad altare, quibus est opus ad operandum sacris. Cum autem in celebrando sacrificio ad eum locum ventum esset in quo canitur *Agnus Dei*, reverendiss. cardinalis metropolitanus primum data de more benedictione populo est bene pretatus. Deinde cum ipse sancta sumpsisset sacramenta, communicarunt primum qui tunc altari ministrarant diaconi & subdiaconi, deinde episcopi & omnes qui erant ordinis ecclesiastici, quilibet suo loco. Interim autem dum a reverendissimo metropolitano sacra administrabatur communio, cantores ecclesiæ concinne ac numerose modulabantur pulchra nescio quot cantica de sacramento altaris: hoc autem quod tunc fuit celebratum missæ sacrificium erat de sacrosancto corpore Christi: de evangelii autem & pacis osculatione, ideo nihil est dicendum, quod in ea idipsum fuit servatum quod factum fuerat die dominico præcedente. Interfuit autem & supplicationi & sacrificii celebrationi maxima omnis generis & ordinis hominum multitudo, qui magnam præ se ferebant pietatem. Quamvis autem quarta feria præcedente fuisset constitutum futuram a prandio congregationem, ea tamen non fuit, cum reverendiss. metropolitanum admonuisset promotor concilii præstare, ut toto eo die cessaretur. Quod quidem hac maxime de causa factum est, ut singuli post prandium se pararent ad respondendum de articulis de cultu, quos composuerant ii quibus fuerat mandatum hoc negotium, quorum quidem datum est a scriba concilii exemplum omnibus volentibus. Erat autem iis verbis descriptum: Hæc sunt reverendissimi antistites, quæ nobis hesterna die a vobis commissa circa reformationem horarum, precum sive breviarii & missalis visa sunt in melius immutanda, salvo vestro meliori judicio: & primo quoniam a primæva breviarii institutione, id antiqui patres voluisse videntur, ut singulis hebdomadis totum psalterium recitaretur, desiderant commissi, ut in dicto breviario Davidici psalmi ita per dies singulos disponantur, ut totus psalmorum liber in unaquaque hebdomada reciteretur. Secundo ut frequentiori sacrarum literarum recitatione magis erudiantur qui alios sunt erudituri, & in diebus trium lectionum, prima, & in diebus novem, prima, secunda & tertia lectiones sumantur de veteri testamento, scilicet in diebus trium lectionum, secunda, in diebus vero novem quarta, quinta, & sexta lectiones sint de novo testamento. Tertia vero lectio in diebus trium lectionum; in diebus vero novem, septima, octava, & nona lectiones sint de homilia evangelii & historia sanctorum occurrentium. Item quoniam maximus honor & reverentia habenda est sacro diei dominico, dicente psalmista, *Hæc dies quam fecit dominus*, in quantum fieri poterit semper in eodem fiat officium de die dominico, præterquam in solemnioribus festivitatibus, quibus occurrentibus fiet officium de dominica certa die ejusdem hebdomadæ. Item quantum ad prolixiorem prolongationem cantus in ultima syllaba cujuslibet antiphonæ, qui cantus vulgariter pneuma vocatur, quoniam in eo multum temporis inutiliter absumi videtur, quod de cetero pneuma fiat in ultimis antiphonis vesperarum, nocturnorum, *Magnificat* & *Benedictus*. Similiter abbrevietur cantus quantum fieri poterit, quando super unamsyllabam aut dictionem plures sint notulæ quam par sit. Similiter quod in cantu habeatur ratio literæ seu verborum debitæ pronunciationis & quantum fieri poterit observentur quantitates. Item ut officium pro defunctis seu vigiliæ devotius & attentius decantentur. De cetero dicantur vigiliæ cum novem psalmis trium nocturnorum & tribus lectionibus per diversos dies immutandis, vesperæ autem & laudes dicantur more solito.

Item quod juxta sanctorum patrum decreta quantum fieri poterit vitetur lasciva musica. Item quod sic moderetur organorum usus, ut solum permittatur in prosis & hymnis cantandis, angelici autem hymni, Gloria, Sanctus, & fidei professio vocaliter decantentur. Quod autem attinet ad missalia ut quam correctissime imprimantur, & ab eisdem adimantur plures prosæ non satis graves & pro plurimorum libito,

Anno Christi 1564.

bito, ultra has quas antiqui patres ab initio statuerunt additæ.

VI. CONGREGATIO.

Feria sexta, qui fuit primus Decembris, anno domini millesimo quingentesimo sexagesimo quarto, pontificatus sanctissimi patris Pii IV. anno quinto, Caroli vero IX. regni quinto, præside illustrissimo ac reverend. cardinali Lotharingo Rhemensi archiepiscopo, Cum nondum esset satis frequens synodus, interea dum ceteri convenirent ad eos qui aderant, retulit reverend. præses, ut ageretur de libello supplici mercatorum & ædituorum ecclesiæ collegiatæ sanctæ Mariæ Vallis Catalaunensis, quæ est etiam parœcia, in qua cura gerenda est animarum. Procuratores autem capituli Catalaunensis a reverend. præside jussi dicere responderunt, de ecclesiæ quidem fundatione inter eos & ædituos convenire, sed non ita de perpetua quam illi exigunt assiduitate ac residentia: seque petere ut ad forum ordinarium nempe capitulum Catalaunense remittatur hæc controversia: duos illic esse tantum curiones, non autem eos omnes debere curam gerere. Quæ cum dixissent & ad ea respondisset promotor & rogasset, vellentne subire jurisdictionem, nam si nollent, non esse quod hic manerent: eo itaque postulante promotore jussi sunt tantisper discedere dum sententiæ dicerentur a synodo tam de fori declinatione, quam de re principali, de qua agebatur; qui postquam excessissent, & qui aderant rogati essent sententiam, reverend. Suessionensis, Catalaunensis, & Silvanectensis episcopi censuerunt litem esse remittendam ad illustrissimum & reverendiss. cardinalem archiepiscopum Rhemensem ordinarium eorum judicem. Joannes Democharis procurator episcopi Noviodunensis dixit duos non posse uni præesse ecclesiæ, & cum causæ clericorum provinciali synodo debeant judicari, non posse illos ejus declinare judicium. Nicolaus Grivellus procurator episcopi Ambianensis, respondit se non videre quemadmodum procuratores capituli Catalaunensis possint recusare judicium hujus concilii provincialis, cum ejus auctoritas nitatur permultis locis sacræ scripturæ; esse itaque hoc negotium aliquibus a synodo mandandum qui diligenter inquirant & ad ipsam referant, ut ibi causa decidatur. Ejus sententiam comprobavit Richardus a Prato theologus procurator ecclesiæ Rhemensis, qui ad probandam auctoritatem concilii, præter acta apostolorum citavit etiam Tertullianum in apologetico. Quam sententiam sequuti sunt omnes procuratores capitulorum, censueruntque non posse declinari judicium synodi, dandumque esse ab ea aliquibus negotium, ut de ea re inquirant & referant. Quam etiam approbarunt omnes abbates & priores: Reverendus autem abbas Vallis-claræ adjecit illud divi Pauli, *Qui non laborat, non manducet*. Quæ cum audisset reverendissimus præses, procuratoribus capituli Catalaunensis rursus acersitis, pronuntiavit judicasse synodum eos non posse suum declinare judicium. Matura itaque deliberatione opus esse eorum causam ab ipsa cognoscendam & definiendam. De ea autem cognoscendi inquirendique & ad synodum referendi negotium esse mandandum decanis Ambianensi, & S. Symphoriani ecclesiæ Rhemensis, & officiali Silvanectensi: qui quidem ut hoc negotium susciperent, uno ore placuit cunctis sententiam rogatis. Hæc cum ita acta essent, dixit reverendissimus præses se non mirari & ægre ferre, quod miseris his temporibus, quibus sunt tam multi libertati ecclesiasticæ infesti, & qui clero omni ratione insidiantur, non desint, qui ut suos tegant errores ad sæcularia potius quam ecclesiastica confugiant tribunalia, seque illic & severius tractandos & sæpius etiam irridendos offerant, & nonnulli etiam malint hæreticos quam catholicos ad suum adhibere consilium.

Anno Christi 1564.

De ea quoque de qua agebatur ædituorum & canonicorum Catalaunensium controversia, nonnulla dixit, quod scilicet cum utraque nempe & cathedralis & collegialis ecclesia, contineatur mœnibus unius civitatis, satis fieri posse ut canonici statis horis nunc in hac nunc in illa sint ecclesia, modo fructus tantum percipiant distributionum iis horis, quibus præsentes decantando divino officio dant operam. Postea reverendissimus præses retulit ad synodum de libello supplici administratorum nosocomii Parisiensis, & sodalitio trecentorum cœcorum quod est itidem Lutetiæ. Retulit etiam ut considerarent quid sibi videretur, de Dei cultu. De quo quidem eo esset maturius atque diligentius deliberandum, quod in ea re sit peccare gravissimum. Se quidem esse in hac sententia ut existimet esse providendum ne sit in ecclesia, lasciva, mollis, fracta & enervata musica: & ne in canendo symbolo apostolorum & in canticis angelorum nempe Gloria in excelsis, & Sanctus, ullus sit usus organorum; in aliquibus aliis, ut in prosis, posse eis dari locum. Canonicos ipsos si non sint legitime impediti, per se debere exequi munus divini faciendi officii, nec eos dum cantatur; debere e choro egredi, absque consensu ecclesiæ; nihil esse addendum libris in quibus sunt ritus, & cæremoniæ celebrandæ missæ, quæ dicuntur missalia; in reliquis & cultu imaginum videndum, num aliqua sit superstitio. Non esse extra urbem circumgestandas reliquias; non esse quæstoribus & hujusmodi hominibus permittendum ut ad populum concionem habeant ac verbum Dei prædicent: indulgentias tantum nudas esse proponendas, & si quæ ex his proveniant eleemosynæ, eas rectori parœciæ esse tradendas, ut eas illis reddat, quibus conferuntur. Porro autem quoniam non tam cito potuerunt omnia quæ de his sunt animadvertenda considerari, danda erit opera ut in qualibet diœcesi perpendantur ea quæ paulo forte inconsideratius addita sunt missalibus ut ea repurgentur: & videatur quis sit verus usus imaginum, ut si quid in ea re peccetur, inter visitandum admotetur. De quæstoribus quoque & moderandis indulgentiis consideretur; & de his omnibus referatur ad concilium provinciale. Postea cum singulorum rogasset sententiam, reverend quidem episcopus Suessionensis illustrissimo præsidi est assensus, assensus est etiam reverendissimus episcopus Catalaunensis, nisi quod dixit se cupere ut in horariis & ad usum Romanum accedat defunctorum commemoratio & ut prosæ repurgentur ex missalibus. De quæstoribus autem dixit eos plane esse perniciem pauperum: habendam quidem esse rationem xenodochii Parisiensis & sodalitii trecentorum cœcorum. Quæstores autem sancti Huberti, sancti Bernardi, & sancti Antonii ejiciendos esse ex hac provincia. De his autem agendis quæ dicuntur, dixit sibi videri esse præcipuum hac in re negotium; rogavitque ut aliqua fiat formula: Reverendissimus Silvanectensis episcopus illustrissimo cardinali metropolitano est assensus; Joannes Democharis vero doctor theologus, procurator reverendissimi episcopi Noviodunensis, dixit se esse in hac sententia ut manualia quidem, missalia, & breviaria censeat esse repur-

ANNO CHRISTI 1564.

purganda, sed ita ut divinus cultus non minuatur. Divum Paulum quidem certe jubere orare sine intermissione. Semper autem iis male cessisse, qui cultum vel mutarunt vel minuerunt, ut probatur multis testimoniis librorum regum, & reprehensum atque adeo castigatum fuisse Heli sacerdotem, quod filii ejus in templo se male gererent. Distinguendos esse dies festos a ferialibus, psalmos & lectiones esse eis adaptandas: in hoc quidem negotio caute incedendum esse, ne ansam præbeamus maledicis. Se scire autem de divino cultu aliquid posse immutari. Cum de hac ageretur in concilio Tridentino, visum esse concilio, ut id relinqueretur arbitrio sedis apostolicæ, cujus de ea re judicium censuit esse expectandum, futurum fortasse ut si minuatur divinus cultus, proventus quoque minuantur. Quod ad quæstores autem attinet, eos esse omnino rejiciendos tanquam simoniacos. Nicolaus Grivellus procurator reverendissimi episcopi Ambianensis dixit, sibi placere ut in matutinis constituerentur certæ & tempori convenientes lectiones, quas censuit esse petendas ex iis, quæ collegit Dionysius Cartusianus de iis quæ sunt cantanda, ex iis etiam quæ dicit, posse optime suppeditari quæ pertinent ad componendas lectiones. Præcipuum quidem esse cultum internum, cui ut externus conveniat, eum esse regendum ac moderandum congruenter canonibus qui sunt in titulo de celebrat. missarum, & canoni, convenit, de consecr. distinct. quinta, qui sunt excerpti ex concilio Agathensi. Veterem esse in ecclesia canendi consuetudinem, de qua meminit & Liberius papa, qui fuit anno domini trecentesimo quinquagesimo quarto, & concilium Laodicenum, cum dicit præter canonicos psalmos, non licere quemlibet alium in ecclesia psallere, & ab ecclesiasticis quidem esse observandum cultum externum, sed videndum esse, ut si quæ sint deformia & indecora, corrigantur. Non esse mutandum sed retinendum ab ecclesia receptum ac reservatum usum, & esse observandam fidei consuetudinem: dandam autem esse operam a canonicis & religiosis, ut habeant vitam suo nomini convenientem. De quæstoribus autem eadem quoque fuit ejus sententia, quæ eorum qui prius dixerant. Quæ cum dixisset & jam pulsata esset hora decima, pronunciavit reverendiss. metropolitanus esse discedendum. Post prandium autem ceteros qui nondum dixerant, dicturos esse suam sententiam hora prima pomeridiana.

A B C D

VII. CONGREGATIO.

EADEM autem feria quæ dicta superius, cum convenissent hora secunda pomeridiana, dixit reverendissimus metropolitanus præses, restare ut qui nondum dixerant, suam dicerent sententiam. Primus itaque Richardus a Prato theologus procurator ecclesiæ Rhemensis, dixit in hanc sententiam se laudare consilium eorum qui censent nihil esse innovandum. Ipsa quippe mutatio consuetudinis, etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat, August. ad Januar. 118. Sed videndum esse quidnam sit innovare, neque enim dicendum est eum aliquid innovare, qui vult ipsam restituere antiquitatem. Africanis quidem conciliis, & præcipue concilio Carthaginensi III. canonum quadragesimo septimo, cautum esse ut præter scripturas canonicas nihil in ecclesia legatur sub nomine divinarum scripturarum. Et ut etiam liceat legi passionem martyrum, cum anniversarii dies eorum celebrantur. Preces horarias esse nimis prolixas, de his itaque sibi videri esse aliquid resecandum, ut id quod erit residuum magis pie & attente canatur. Psalterium ita esse disponendum ut statis temporibus semel singulis hebdomadis perlegatur. Psalterium diu noctuque munibus esse versandum, quod probavit ex divo Chrysostomo, qui in sermone de pœnitentia in ejus laudem excurrit. Dixit etiam se probare quod in lectionibus accommodentur prophetæ. Quod ad cantum attinet, neminem esse qui eum improbet, sed quem cantum lege August. lib. 9. confess. c. 7. & lib. 10. cap. 13. & censuram facultatis Parisiensis adversus Erasmum.

E

Se nomine suo & ecclesiæ metropolitanæ postulare, ut ita in ecclesia cantetur, ut quod cantatur, intelligatur. De quæstoribus dixit sibi videri exactissime esse observandum canonem concilii Tridentini: monachorum S. Huberti postulationem esse nequissimam, cum sint eorum uberrimi proventus. Et licet non essent, melius esse ut ipsi suis manibus victum sibi parent, quam ita vagando aliis sint oneri. Citavit etiam divum Augustinum in lib. de opere monachorum, cap. 28. in quo reprehendit vagantes, & huc & illuc currentes monachos, & inter cetera hoc dicit, ali membris martyrum, si tamen martyrum venditant. Non esse novam hanc in circumgestandis reliquiis consuetudinem, sed eam apud bonos semper habitam esse tanquam corruptelam, hos itaque quæstores esse omnino prohibendos atque adeo exterminandos. Decanus Suessionensis procurator capituli dixit, non agi hic de innovatione, sed de repurgatione & emendatione, de decurtatione autem nihil dici, sed tamen esse in hac sententia ut existimet aliquid in breviario vere posse decurtari, cum dicat S. Hieronymus se malle quinque psalmos recte intellectos, quam totum psalterium confuse & indistincte prolatum. Procurator ecclesiæ Laudunensis dixit Richardum a Prato egregium doctorem theologum, sua sententia expurgasse scrupulosorum hominum conscientias: seque quod ad quæstores attinet, ei etiam assentiri. Doctor theologus nomine Joannes le Besque Bellovacensis ecclesiæ procurator, divum citans Bernardum, dixit innovationem quidem esse periculosam, sed cum non de innovandis, sed instaurandis & repurgandis agatur breviariis, sententiam sequi Richardi a Prato theologi ecclesiæ Rhemensis Thesaurarii. Quod ad cantum attinet, censet curandum ut repurgetur, multa enim esse quæ non parva egeant animadversione: se non posse non ægre ferre, quod Bellovaci musica quadam modulatione canatur passio domini nostri Jesu Christi. Quod autem attinet ad quæstores, & ipse & Jo. Arrietus doctor theologus, procurator itidem capituli Bellovacensis, qui post eum dixit sententiam, eidem Richardo a Prato sunt assensi. Procurator autem capituli Noviodunensis dixit se non posse videre quidnam certi possit constitui de legendis sanctorum cantandis in ecclesia Noviodunensi, inconsulto episcopo Noviodunensi, nec de vigiliis dicendis tribus diebus. Quæstores autem censet abigendos, & non damnandas quidem esse indulgentias, sed abusus esse tollendos.

Martinus Morletus itidem procurator capituli Noviodunensis dixit se probare nova breviaria, postulavitque ut ita fieret ut dictum est: Noviodunensis quidem ecclesiæ breviaria adeo esse male composita, ut qui in eis triginta annos sit versatus nihil intelligat; censuit etiam vigilias esse diminuendas.

ANNO CHRISTI 1564.

Joan-

ANNO CHRISTI 1564.

Joannes Caquet procurator capituli Ambianensis dixit se non esse in hac sententia, ut in breviariis aliquid mutetur, sed ut divi Hieronymi & divi Remigii legendæ reformentur; dierum dominicorum maximam esse habendam rationem, ut eorum celebratio in alios dies non rejiciatur: providendum etiam esse ut & accentus observentur, & ut expressa & distincta sit pronunciatio. Quod autem attinet ad preces pro defunctis, sequendam esse testatorum voluntatem, de qua constat, ex testamentis emendanda esse missalia. Quæstores autem falsarios impostore esse ex ecclesia Rhemensi ejiciendos.

Furnius autem doctor theologus alter ex reverendissimi Ambianensis episcopi procuratoribus, sibi magnopere placere dixit ut repurgentur libri facti ad divinum celebrandum officium. *Psal. 131.* Super ipsum, inquit David, efflorebit sanctificatio mea: diligenter autem esse providendum ne a verbis sacratum litterarum, quo ad ejus fieri poterit, recedatur. Spiridoneum quidem certe Cyprium episcopum virum sanctissimum, suum objurgasse diaconum, cum pro eo, quod legitur in evangelio grabatum, dixisset lectulum. Et cum cetera capita probasset, de musica dixit se maxime laudare ut quod ore cantatur, fide quoque credatur. Hymnos Prudentii & Sedulii præter ullos alios esse retinendos; pro defunctis preces ac vigilias in Christi ecclesia decantandi morem semper fuisse observatum: videndum ne quid de pietate decedat. Quæstores, ut qui plane sint harpyiæ, procul esse amandandos. Procurator capituli Morinensis quæstores quidem censuit expellendos, in iis autem quæ ad Dei cultum pertinent nihil esse innovandum, sed reducenda esse omnia ad antiquitatem. Procurator capituli Catalaunensis rejecit etiam quæstores. Omnes quoque abbates consenserunt expellendos esse quæstores, in iis autem quæ ad cultum pertinent & preces pro defunctis, eadem fere sed diverse dixerunt. Nam abbas Vallis-claræ laudavit musicam & cantum modulatum, modo nullus illo provocetur ad lasciviam, sed ad pietatem, & ad mentem ad Deum erigendam: populum autem dixit frequenter admonendum ne ullam spem ponat in externis ceremoniis, quæ sunt institutæ ad declarandam suam in Deum affectionem. Fiduciarius abbas Victoriæ non minuendum esse censebat officium defunctorum, propterea quod diceret habendam esse rationem voluntatis & institutionis testatorum. Prior S. Remigii censuit symbolum Nicænum esse dicendum integrum ab omnibus, tres lectiones esse dicendas ex veteri testamento, & tres ex novo. Pro vicariis autem esse addendam aliquam concionem, pro defunctis autem vult integras dici vigilias.

Quorum omnium sententiam cum audiisset reverendissimus metropolitanus respondit ut in ceteris, ita etiam hac in re evenisse, ut omnes in eamdem convenirent sententiam. Faciendum itaque decretum quo pristina restituatur disciplina, ex eorum sententia, tres ultimas lectiones futuras de homilia vel de die festo; in notulis nihil futurum quod sensum impediat & intelligentiam; circumgestationes reliquiarum quæ fiunt a quæstoribus, esse rejiciendas & habendas pro corruptelis, & ex hac provincia exterminandos esse omnes quæstores; habendam tamen esse rationem hospitii Parisiensis, & sodalitii trecentorum cœcorum. Quæ cum dixisset, dimissus fuit conventus. In ea autem congregatione hora secunda pomeridiana cum magister Joannes Ravel & M. Joannes de la Roche canonici ecclesiæ collegiatæ sancti Petri Maceriarum juxta Mosam, diœcesis Rhemensis, procuratores ejusdem ecclesiæ capituli ab eo missi ad concilium, constituissent suum procuratorem magnum archidiaconum Rhemensem M. Thomam Cauchon, ut in hoc concilio se sisteret, & ut consentiret, ratumque haberet quicquid esset constitutum in eo concilio præsentibus magistris Claudio Huat, & Roberto Cuisset canonicis & procuratoribus capituli Catalaunensis, reverendissimus metropolitanus dedit eis potestatem discedendi.

ANNO CHRISTI 1564.

VIII. CONGREGATIO.

Die autem sabbati qui fuit secundus mensis Decembris 1564. eodem reverendissimo metropolitano præside, fuit congregatio hora octava matutina, in cujus initio cum essent aliqui a sancta synodo aliquid postulaturi, interpellante egregio viro Joan. Democharesreverendissimi episcopi Noviodunensis procuratore & dicente privatis singulorum postulatis publica retardari negotia, pronunciavit illustriss. & reverendiss. præses, ne publica negotia impedirentur a privatis, ea quæ ad singulos pertinent esse rejicienda in finem concilii. Quod quidem fuit omnium sententiis comprobatum: cum itaque privatum illud negotium a sancta synodo in aliud tempus esset rejectum, dixit reverendissimus metropolitanus præses, se statuta synodalia eis tradidisse legenda, ut viderent quid in eis desiderarent, & corrigendum ducerent. Cœpit itaque scisciari singulorum sententiam, atque reverendissimus quidem Suessionensis dixit, illud videri paulo severius statui in rectores ecclesiarum ut protinus priventur suis ecclesiis, se censere cum illis esse agendum moderatius. Quod autem attinet ad caput in quo agitur de officio curatorum, se magnopere cupere ut scribatur aliqua institutio vulgari sermone: in eo autem capite in quo agitur de vita curionum sibi videri esse addendum, ut vita illorum esset populo exemplum. In quarto capite in quo agitur de examine promovendorum ad majores ordines, addendum sibi videri, ut qui ordinandi sunt presbyteri, sint triginta annos nati: & ut qui jam sunt presbyteri, quater in anno communicent. Reverendissimus autem Catalaunensis episcopus dixit, synodales illustrissimi cardinalis constitutiones ostendere præclarum quoddam initium restituendæ veteris disciplinæ, dicturum autem, quæ inillis legendis animadverterit. In primo quidem capite videri sibi obscurius quod dicitur, aut aliquos nominent, clarius futurum si dicatur, resignent, cedant, & nominent. In secundo capite, ubi est ad ejus normam, dixit sibi videri ita esse scribendum, ad omnes normam etiam Gallice scripturam missimus professionis fidei; in tertio capite quod incipit, ut fidelis populus, dixit sibi videri doctis & indoctis scribendam esse formam sacramentorum, & quænam sit eorum via ac virtus; & catholicæ ecclesiæ consentaneam scribendam esse veram doctrinam. In capite septimo in quo agitur de examine curionum in eo loco, cum ecclesiæ parœcialis, dixit sibi videri præfigendum esse diem aut aliquod certum tempus, & ubi dicitur, ita ut nulli per menses graduatis affectatos, dixit hoc sibi minus placere quod non censeat enim qui gradum aliquem sit assecutus eximendum ab examine, cum contingat multos sæpe gradum assequi qui eo non sunt digni, & si digni essent

cum

ANNO CHRISTI 1564.

cum promoverentur, eos tamen ſæpe mutari & fieri deteriores. In cap. de cleric. tonſura, ubi eſt, aut clericalem, cenſuit eſſe ſcribendum & clericalem; In capite XII. ubi agitur de clericis in alterius eccleſiam non admittendis, cenſuit eſſe addendum, non obſtantibus quibuſcumque proviſionibus. Caput XVI. in quo dicitur, ordines ſacros gratis eſſe conferendos, dixit ſe non poſſe non ſatis laudare, nec ſe dubitare id non eſſe factum ſecretariis conſentientibus, qui non facile ferunt gratis expediri proviſiones. In cap. XVII. dixit ſibi valde placere quod tollantur comeſſationes, quæ ſunt apud multos nimis frequentes, maxime apud ſuos canonicos. In capite XVIII. hortandos quidem cenſet archidiaconos, ut recte fungantur ſuo munere, ſed id non putat ſufficere, ſed addendam etiam cenſet pœnam quam ſubeant, ſi non recte ſuum faciant officium: dixit autem ſibi non placere, ut detur poteſtas decanis ruralibus approbandi imagines, ſed ſibi videri certum modum conſtituendum eſſe, vel potius id eſſe relinquendum arbitrio epiſcopi. Reverendiſſimus autem Silvanectenſis dixit eſſe unum, quod illi afferat ſcrupulum, nempe quod curiones tam facile poſſint ſuſpendi & deponi. Hoc ſibi videri valde pernicioſum: ſe itaque cenſere jus antiquum & canonicum eſſe obſervandum, & edicto regio eſſe obediendum: quæ cum dixiſſet, & Grivello Ambianenſis eccleſiæ decano reverendiſſ. Ambianenſis epiſcopi procuratore, & deinde Demochari doctori theologo reverendiſſimi epiſcopi Noviodunenſis procuratori dicenda eſſet ſententia, uterque dixit, ſe non ſatis habere quid dicant, cum nondum licuiſſet eis legere ſtatuta illa ſynodalia. Ea fuit cauſa ut Joannes Eſpaullart eccleſiæ Sueſſionenſis decanus, promotor concilii, conſentientibus omnibus qui convenerant ſtatuta illa legeret, quæ poſtquam legiſſet dixit in unumquodque eorum factas eſſe quaſdam adnotationes & animadverſiones, ex quibus intelligi poterat quid ipſe ſentiret & omnes procuratores capitulorum. His auditis pronunciavit reverendiſſ. præſes rem eſſe rejiciendam in ſecundam feriam ſequentem, ut liceret unicuique videre ſtatuta ſynodalia, ut poſſent ſinguli venire parati: quod quidem placuit omnibus. Poſthæc coram tota ſynodo ſe ſtitit Claudius Aubertinus curio eccleſiæ Victriaci Francici, reſponſurus ad libellum ſupplicem quem pridie adverſus ipſum exhibuerat vicarius, ſeu locum tenens generalis in Victriaci ſede præſidiali, & præpoſitus regius ejuſdem Victriaci. Eorum autem quæ dixit hæc fuit ſententia, ſe non poſſe non ægre ferre quod primus omnium in hac ſancta ſynodo deferatur, expectandum fuiſſe exitum hujus concilii, nec hanc immaturam & præcocem fuiſſe intentandam actionem: non ignorare ſe hoc totum ab illo proficiſci qui in alterius oculo videat feſtucam, cum in ſuo trabem non cernat; falſum eſſe quod ſibi objiciatur, ſe per multos annos ita a parœcia Victriaca abfuiſſe, ut numquam eo veniret. Eos enim a ſe neſcioquoties fuiſſe viſitatos, & quod apud eos ſedem non fixerit, aut quod Victriaci non diutius habitarit non aliam magis fuiſſe cauſam, quam quod cum illuc veniret, neceſſe haberet degere in diverſorio, cum nullam illic haberet domum, quam par erat habere curionem, neque tamen propterea ſuo defuiſſe officio, cum illis ſemper idoneum dederit vicarium, nec defuerit qui illis verbum Dei prædicaret, ut nec nunc quidem deeſt: non ſe ſolum fuiſſe coactum illinc abſcedere, ſed abeſſe etiam canonicos, nec poſſe in animum inducere ut redeant. Quæ quamvis ita ſint, & ipſe inſcius de illis quam illi de ipſo poſſint conqueri, cum tamen videat ſe illis immerito eſſe inviſum, ſe facile ſibi perſuaſurum ut ei cedat parœciæ, ſi modo a ſancta ſynodo illius habeatur aliqua ratio ut poſſit honeſte vivere & non cogatur victum emendicare; ſe duas illis oblaturum conditiones, utram mallent eligerent; nempe ut vel eis detur vicarius qui fruatur tertia parte fructuum; vel renunciet beneficio ut ei provideat reverendiſſ. Catalaunenſis, ſibi autem aſſignetur honeſta aliqua penſio qua vitam ſuſtentet. Reſpondit præpoſitus Victriaci non eſſe dicendam hanc actionem præcocem & immaturam, eum ab ipſis ſæpe fuiſſe interpellatum ut ſuæ eccleſiæ provideret, quod ſemper neglexerit, & nec ipſe affuerit, nec ullum dederit vicarium qui non eſſet plane ignarus; eum toto biennio vix ſemel atque iterum Victriacum veniſſe & mox receſſiſſe, nec eſſe quod cauſetur ſibi defuiſſe domum, quæ non erat defutura, ſi intellexiſſent illi eſſe conſtitutum, ut apud eos maneret, aut idoneum daret vicarium; ejus negligentia lupum ovile eſſe ingreſſum, nec eum ullam dediſſe operam ut abigeretur. De qua re ſæpe ſunt conqueſti apud reverendiſſimum Catalaunenſem epiſcopum, cujus rei ipſe eſt optimus teſtis; ſi ſit qui apud eos prædicet verbum Dei, id jam multos annos ut nunc etiam factum eſſe ſuis ſumptibus. Quod canonici Victriacum Francicum non ſe receperint, id eſſe imputandum non civibus, ſed curionis malæ curæ. Quod autem dicit ſe Victriaci velle dimittere parœciam, planum eſt eum id facere, oblatis ejuſmodi conditionibus ut lucrum videatur captare. Quæ cum utrinque dicta eſſent, dixit promotor concilii, vetitum eſſe concilio Laodiceno, ne judicio populi eligantur rectores eccleſiarum. Se poſtulare ut aut Aubertinus intra quindecim dies reſideat, aut reverendiſſimus epiſcopus Catalaunenſis det Victriacenſibus idoneum vicarium, aut intra menſem ei eccleſiæ alium præficiat curionem. Quæ cum dixiſſent exierunt utrique, nempe Victriacenſes & Aubertinus eorum curio. Tunc reverendiſſimus metropolitanus dixit, rem de qua in præſentia agitur, eſſe magni momenti, Victriacenſium eſſe magnam habendam rationem cum æquum poſtulent, & maxime faciendos eſſe magiſtratus regios qui in tanta rerum perturbatione ſe tam fideles forteſque præſtiterint. Quod quidem eo eſſet magis laudandum, quod ſuperioribus annis id fuerit rariſſimum, & in hodiernum uſque diem non ſit admodum frequens: quanti autem hoc eſſet faciendum quod in eo oppido ita ſe gerant in quo permiſſum eſt hæreticis ſuas nefarias habere conciones contra fidem catholicam, quodque cum a paſtore ſuo deſerta eſſet eccleſia, ſuis ſumptibus, concionatorem aluerint qui populum in vero fidei contineret officio. Non poſſe ſatis vituperari paſtores, qui gregem in tanto deſerant periculo. Timendum autem eſſe, ne prope diem id eis male cedat. Hinc autem accepit occaſionem narrandi quod & dixerat quidam epiſcopus Hiſpanus: Eſt nobis (ajebat is epiſcopus) populus pius, religioſus & ſimplex, Deus autem faxit ne in tanta curionum noſtrorum negligentia oculos aperiant. Nam hoc ſi contingat, timendum, eſt ne in decimis utantur jure retentionis. Quod dictum reprehendens reverendus abbas Vallisclaræ dixit, præcepto divino deberi decimas, ſed populo viciſſim deberi ab eccleſiæ miniſtris

ANNO CHRISTI 1564.

verbi Dei prædicationem, & sacramentorum administrationem, nec debere populum retinere decimas. Cui assensus quidem est illustrissimus cardinalis, sed interea admonuit non justam quidem sed magnam populo dari occasionem clerum frustrandi decimis, cum pastores suas ecclesias deserant, nec suo fungantur officio: & interim ad sua tegenda sed potius tenenda peccata, relictis ecclesiasticis judicibus ad sæcularia confugiant tribunalia, quod quidem rebus ecclesiasticis certum adfert exitium. Si nos in populum non ita geramus ut oportet, nec paternum eis ostendamus animum, cavendum est ne dicant jura regis hæc sunt, nec velint nos regnare super eos. De eo quod agitur, singuli suam dicant sententiam, quæ quidem diœcesis curiones omnes residere & communi consensu id factum esse ab omnibus, esse solum absentem Rhetelorum curionem doctorem theologum canonicum Carnutensem, nomine Carpentarium, se autem & tantum daturum quantum valent fructus suæ parœciæ ut ipse eam dimittat, alii autem esse collaturum qui præsens suo fungatur munere. Sententiam rogatus reverendissimus Catalaunensis episcopus dixit, se velle pati, non dicere sententiam, sed quoniam reverendissimus præses rogat quid sentiat, se quidem ita sentire, curioni aut esse residendum, aut idoneum dandum vicarium: residentiam quidem esse juris divini, hinc fieri ut pœnas luant qui decimas non solvant, futurum ut aliqui eligant sacerdotem, non zelo ducti, sed moti desiderio rerum novarum. Quod ex populi quotidianis percipitur oblationibus, & tertiam partem reliqui proventus vicario satis esse futuram. Demochares procurator reverendissimi episcopi Noviodunensis dixit, rogandum esse dominum messis, ut mittat operarios in messem. Eos autem operarios esse admodum paucos: hujus autem hanc esse causam, quod qui non intrat per ostium sit fur & latro. Qui autem canonice non sunt instituti, existimare debent se esse fures & latrones: bonus pastor ponit animam pro ovibus suis, mercenarius autem videt lupum venientem, & fugit, quia ad eum non pertinet de ovibus. De hoc certe Aubertino videri dictum esse ab apostolo: *Attendite vobis & universo gregi, & post discessum meum intrabunt in vos lupi rapaces*, esse quidem necessariam curionum residentiam, sed duo esse quæ impediant, nempe tenuitatem & exiguitatem proventus parœciæ; hoc illi objicere curiones, cum eos hortatur ut resideant. Secundum impedimentum esse hostilitatem adversariorum qui in nos sæviunt, & ea de causa esse implorandum regium auxilium, idque ut fieret latius precibus contenditur ab illustrissimo cardinali metropolitano. Grivellus Ambianensis decanus procurator reverendissimi Ambianensis episcopi dixit, auditis his quæ dicta sunt a litigatoribus, se non videre quod possint subterfugere ac recusare judicium sanctæ synodi, cujus sunt partes, dissidentes clericos ad concordiam reducere, inobedientes damnare, rationeque & auctoritate eorum coercere discordiam, & can. discordantes reducere studeant 90. distinct. sibi autem videri Aubertinum honestas obtulisse conditiones. A se quidem probari & laudari residentiam; sed in rebus omnibus adhibendam esse æquitatem; hanc quæ summo jure exigitur residentiam ecclesiæ ministros hodie adducere in summam difficultatem ac perplexitatem, eisque gravissima afferre incommoda. Præclare profecto scriptum esse a Juvenale, imponitque modum sapiens his rebus agendis, & non immerito præcipit ne quid nimis; & Lactantii illud esse laudandum, ut provideamus ut absque paupertate vitam ducamus. Statuisse quidem patres in concilio Tridentino neminem esse addicendum duabus ecclesiis, sed tamen habendam esse rationem locorum, temporum, personarum, redituum, proventuum & onerum. Impediri permultos, ne possint administrare sacramenta, seque ex iis nosse aliquot in ecclesia Ambianensi, in illa etiam diœcesi esse plurimos curiones, quorum non est tantus proventus, ut vel tenuissime possint vivere: præterea sæpe usu venire ut curandæ valetudinis gratia sit locus & aer mutandus, nec concilium Tridentinum tam severe & exacte exegisse residentiam. Nam cum clerus Hungarorum in concilio Tridentino se excusasset, quod non posset residere, tanquam justa & honesta fuit accepta eorum excusatio, sibi quidem placere quod resideatur, dummodo convenienter decreto adhibeatur aliqua moderatio. Hæc cum dixisset pulsataque esset hora decima; videreturque instare tempus prandii, dimissus fuit conventus rediturus hora prima pomeridiana. Hoc ipso die mane venit ad synodum vir venerabilis Albinus grandis cantor ecclesiæ Silvanectensis, & officialis reverendissimi Silvanectensis procurator capituli; recessit autem impetrata discedendi potestate reverendus prior sancti Martini a Campis.

ANNO CHRISTI 1564.

IX. CONGREGATIO.

EADEM, feria eodem anno, & eodem reverendissimo metropolitano præside, cum in eodem loco rursus convenissent hora prima pomeridiana, Richardus a Prato theologus procurator capituli Rhemensis suam dixit sententiam non esse quod utatur longa verborum ambage. Habere nos confitentem reum, & suam culpam agnoscere, quæ dicuntur de residentia esse parerga, & ad rem nihil facere. Dicendum esse potius de officio pastorum, dicit quidem Deus Ezechieli cap. 33. Si pastor viderit gladium venientem, & non admonuerit populum ut caveat, se de manu pastoris sanguinem requisiturum, cap. autem 34. dicit dominus Deus, Væ pastoribus qui pascebant semetipsos, & dispersæ sunt oves meæ, eo quod non esset pastor: & Zachariæ 11. exclamat, o pastor idolum deserens gregem, & Isaiæ 63. graviter invehitur in malos pastores quos vocat cæcos & canes mutos, & omnes dicit studere avaritiæ, & sunt hæc quidem comminatoria. Joannis autem 22. jubet Christus pastoribus gregem pascere, & Petrus sui officii admonet pastores, præcipiens pascere gregem Dei, providentes non coacte sed spontanee secundum Deum, neque turpis lucri gratia, sed voluntarie. Decimas nos quidem petere in re justitiæ, sed peccare qui non fungimur nostro officio, & operam nostram gregi denegamus: ea autem opera debet esse assidua, & nec imminente quidem persecutione est fugiendum ubicumque est plebi necessarium nostrum ministerium, ut scribit Augustinus in epist. 63. ad Honoratum. In hoc cognovimus caritatem Dei, ait Joannes epist. 1. cap. 3. *Quoniam ille animam suam posuit pro nobis, & nos debemus pro fratribus nostris animas ponere*. Cum imminet persequutio, Deum esse rogandum, esto nobis in Deum protectorem & in domum refugii. Quoties manet populus cujus cura geritur, esse damnabilem pastoris absentiam. Verum pastorem pro grege quantumvis gravia adire pericula,

ANNO CHRISTI 1564.

ricula, & quoſvis ſubire cruciarus, mercenarium vero lupum videntem fugere, nec ei eſſe curam de ovibus. Ceterum ut paſtorem ſuo fungi decet officio, ita etiam a populo paſtori eſt providendum de his quæ ad vitam pertinent. Quis enim paſcit gregem & de lacte non edit? tum demum autem paſtori eſſe fugiendum, cum ejus fuga non ſit populo perniciem allatura, tunc enim eum poſſe ſuæ vitæ conſulere. Sicut etiam nauta fugiens vitæ ſuæ conſulit. Se quidem illius accipere ſubmiſſionem, nec cenſere ſummo jure cum illo agendum. Si non poſſit arcere lupos, eum ſaltem debere cuſtodire ovile. Theſaurarius Sueſſionenſis alter ex procuratoribus capituli cenſuit eſſe accipiendas Aubertini conditiones. Decanus Laudunenſis procurator capituli cum ſatis graviter dixiſſet in curionem, dixit poſtea neminem fuiſſe qui pro eo diceret, ſibi autem videri eſſe juſtam curionum excuſationem quod ſibi deeſſet domus, in quam ſe reciperent. Archidiaconus Laudunenſis alter procurator dixit curionem æquas obtuliſſe conditiones, eaſque accipiendas, cenſuit curiones, & ejus adverſarios eſſe remittendos ad epiſcopum & ad decuriones urbis, ut eam componant controverſiam: videre ſibi curionem æquas obtuliſſe conditiones. Le Beſque theologus procurator capituli Bellovacenſis, dixit Aubertinum curionem non ſecus facere atque Jacob, qui cum miſiſſet decem filios, poſtremum miſit filium ſuum Joſeph: Deinde dixit rem eſſe valde indignam quod pueri creentur canonici, & quod epiſcoporum & canonicorum famuli habeant aliquando quatuor eccleſias parochiales. Arrietus theologus alter procurator dixit reſidere eſſe paſcere, videndum eſſe ne non ficte ſed vere videatur eſſe facta reformatio. Noviodunenſis & Morletus, cum probaſſent reſidentiam, dixerunt ſe cenſere ut curio reſideat, aut provideat ut ſuæ parœciæ præficiatur aliquis bonus curio. Procurator capituli Ambianenſis dixit Victriacenſes quidem panem petere, ſed eum illis minime denegari cum non deſit qui eis verbum Dei prædicet. Furnius alter procurator reverendiſſimi epiſcopi Ambianenſis dixit ſe non diſceſſurum a limitibus cauſæ propoſitæ. Cives Victriacenſes deſiderare magis paſtorem quam cibum, non deeſſe enim eis paſtorem, cum non deſit qui eis verbum Dei prædicet, ex ſermone magiſtratuum Victriacenſium, ſe ſatis intellexiſſe eorum animis inſidere aliquid odii & ſimultatis, rem eſſe tractandam manſuete & conſiderate, ſibi quidem videri eum non eſſe ſuo honore privandum, fore ut qui contra eum dixerunt, videantur obſequi ſtudio & voluntati civium, niſi de ea id quod æquum eſt ſtatuatur. Brunault cantor eccleſiæ Silvanectenſis procurator capituli cenſet eſſe præficiendum ejus loco vicarium idoneum, & eſſe ſtandum poſtulationi promotoris, & ex ea judicandum. Reverendiſſ. Catalaunenſem epiſcopum ſufficere ad eam litem componendam. Jacobus Godet canonicus eccleſiæ Morinenſis cum reprehendiſſet paſtores qui ſeipſos paſcunt, dixit poſtremo reſidentiam eſſe juris divini, & aſſenſus eſt poſtulationi promotoris. Claudius Cauchon reverendus abbas S. Dionyſii Rhemenſis commendavit reſidentiam, cenſuitque ut pro illa Victriacenſi parœcia per reverendiſſ. epiſcopum Catalaunenſem curioni daretur aliud beneficium. Reverendus abbas Vallis-claræ aſſentiens ſententiæ Richardi a Prato theologi & procuratoris capituli Rhemenſis, dixit ſe non videre quemadmodum ſi paſtor fugiat cum lupus venit, retinere poſſit nomen paſtoris. Belli tempore aliquid forte fuiſſe timendum, nunc autem cum beneficio pax ſit nobis reddita, nullam poſſe dari aut fingi cauſam cur non reſideat. Curati quidem eſſe amplectendam humilitatem & ſubmiſſionem. Quare aut reſideat aut conſilio ſui epiſcopi alterius utatur auxilio. Reverendus abbas Bonifontis de reſidentia idem cenſuit quod Grivellus Ambianenſis epiſcopi procurator in ſua admonitione. Cenſuit autem ut curio Victriacenſis in locum ſuum alterum ſubſtituat idoneum. Fiduciarius abbas Cuſiacenſis cenſuit aut curioni eſſe reſidendum, aut in ejus locum eſse alium ſufficiendum. Reverendus abbas Victoriæ dixit ex negligentia paſtoris plurima naſci incommoda. Paſtorem eſse nomen laboris non quietis, ſe itaque cenſere reſidendum eſse curionibus. Hangeſtus cenſet accipiendam alteram ex conditionibus allatis a curione. Prior S. Remigii dixit debere curatum paſcere gregem verbo & exemplo. Omnem pontificem ex hominibus aſsumptum pro hominibus conſtitui in his quæ ſunt ad Deum, &c. eſse reſidentiam jure divino & naturali, inter rectorem eccleſiæ & eccleſiam contrahi quoddam matrimonium ſpeciale; neminem latere ejuſmodi miniſteria fuiſſe a Deo Aaron & Moyſi mandata, quæ ab iis ipſis erant obeunda, ut videri licet Exodi 32. Paſtoris abſentiam eſſe ovibus pernicioſam, quamobrem aut reſideat, aut alium loco ſuo ſufficiat. Quæ cum dicta eſſent, auditis omnium ſententiis in hanc ſententiam illuſtriſſ. & reverendiſſimus cardinalis metropolitanus, ſibi quidem valde placiturum fuiſſe ut Victriacenſium eccleſiæ rectoris cauſa ita ageretur, ut de duabus ab eo conditionibus tantum diſceptaretur, nec incideremus in quæſtionem de reſidentia. Se enim ſatis intelligere ad rem bene gerendam nondum ſatis eſſe paratos, ſperaſse autem futurum ut aliquo interjecto temporis intervallo, & rebus accuratius conſideratis melius nobis conſuleremus. Sed quoniam ita inciderit ut præter expectationem agitatetur quæſtio de reſidentia, ſe eos ut decet breviter admoniturum eſse ipſorum officii. Atque primum quidem dixit ſe non poſſe ſatis mirari quod non moveantur tam æqua & honeſta poſtulatione Victriacenſium: qui enim ſunt, ajebat, qui poſtulant? hi certe qui in turbulentiſſimis & afflictiſſimis temporibus pro fide catholica ſe fortiter geſſerunt, qui omnes hoſtium impetus acriter ſuſtinuerunt & adhuc ſuſtinent. Illic enim in hodiernum uſque diem ſunt collocati, quoniam infœlicia noſtra tempora ita tuleruntque; qui adverſus noſtram religionem ut impune ita impudentiſſime concionantur. Sed quos tandem ad vos miſerunt ſupplices poſtulaturos? eos certe quorum vos plurimum moveri debuit auctoritas, ſunt enim regii magiſtratus, qui nobis vel hoc nomine, ſunt plurimi faciendi, quod non ignoremus plurimos ex iis, qui eos magiſtratus multis in locis & geſſerunt & gerunt, vel a fide catholica penitus defeciſſe, vel vacillaſſe, vel non ſatis fortiter ſe geſſiſſe. Victriacenſium autem magiſtratuum quantus ſit zelus, & quantum pro fide defendenda ſtudium, & quanta animi alacritas, res ipſa docet, & vos veſtris oculis cernitis, nec tamen commovemini. Quid autem a vobis ſupplices poſtulant, at certe quod a ſancta ſynodo citra injuriam eis non poteſt denegari: petunt ut qui eorum animarum curam gerit, aut præſens aut aſſiduus ſuo fungatur munere, aut alius in ejus locum ſufficiatur. An non eſt æqua eorum poſtulatio? at habent qui apud illos concionetur & verbum Dei prædicet. Habent quidem, at ſuis ſumptibus: æquum ne vobis videtur

ANNO CHRISTI 1564.

tur ut quia concionatorem apud se alunt liberaliter, propterea ecclesiæ rector, cujus erat munus populum verbo pascere & exemplo, secure in utramvis autem absens dormiat? habent quidem, ut dictum est, quod petunt, sed non ab eo qui dare debet. Nihil ne putatis interesse concionetur verus ac proprius pastor, an alienus? Is ne qui hoc debet ex officio, an is qui hoc non præstaret nisi mercede conduceretur? Age, nos supplicationi eorum non morem geramus, & hanc viam eis præcludamus. Si id fiat habebunt suis sumptibus quos volent concionatores. Quis autem præstabit ut cæteri omnes quos poterunt conducere, sint tales qualis est Franciscanus qui hodie apud eos strenue fungitur munere concionandi? Est ipse quidem optimo zelo, sed nec ipse hodie, nec alius ita tenetur lege ecclesiasticæ disciplinæ, ut non possit mutari & ab ea resiliat. Hoc si (quod Deus avertat) accideret, quam ægre ac difficiliter huic difficultati succurreretur a civibus, qui hostes habent intra eosdem parietes, & prope dixerim intra ipsa urbis viscera. Est certe æquissima & honestissima oratio Victriacensium, veniunt ad sanctam synodum, ut in eorum malis in quæ propter curionis negligentiam inciderunt, remedium afferat. At odio habent curionem. Quænam est tandem odii causa, si odium sit dicendum hominis, cum odio habetur ejus vitium? quænam est inquam, causa odii quam quia curio non recte suo fungatur officio? Quænam quæso est hæc nostra sententia in filios? Habuimus confitentem reum qui nulla est dignus excusatione, & nos hanc adhuc veterem & ruinosam dealbamus maceriam? Dicite per Deum immortalem, quidnam caufari potest curio Victriacensis cur non assidue in sua resideat parœcia? nullam certe poterit probabilem afferre excusationem, nisi forte dicat id sibi non licere, quia illic sunt hæretici. Atqui hoc ipsum eum maxime debebat incitare ut illic præsens suo fungeretur munere, ut prohiberet ne machinatio hæreticorum aliquod suæ ecclesiæ afferret detrimentum. Quamquam esset fortasse aliquid quo se posset excusare (etiamsi pro gregis sui defensione nulla admittenda sit veri pastoris excusatio) si ullum illic esset periculum. Verum res ita habet, ex omnibus hæreticis Victriacensibus nulli sunt placidiores, si certe catholicis nullam omnino vim afferunt. Itane vero, dicet aliquis, severe agetur? Cum curionibus severitatem ut video, non admittitis, nec vobiscum summo jure agi vultis, ad æquitatem recurretis, & ego quoque vobiscum ad eam confugio. Sed videndum est ne vobis nimium blandiamur: futurum certe est, si eos quorum curam gerimus, non agnoscamus pro filiis, nec illi nos pro patribus agnoscant. Iniquum esse putatis ut ubi est metus hostium, vel non licet tuto administrare sacramenta, vel ubi est nimis tenuis proventus, illic curio resideat. De his non loquimur qui aliquod ut videtur, legitimum habent impedimentum; quamquam non video qui possit ullum esse impedimentum legitimum quod hominem omnino avocet a suo officio: sed esto, sit aliquod legitimum, de eo disceptamus; quam multi sunt qui beneficiorum opimis fruuntur fructibus quæ numquam adierunt, imo ne in "servitiis quidem viderunt, cum tamen per multos annos ea possederint: hoccine est pascere? hoccine animarum curam gerere? qui tales sunt, seipsos quidem sed non gregem pascunt, & populi sibi commissi non curam gerunt, sed suo indulgent genio, & interim non dubitant se vocare pastores, & curiones. At lege regia cautum est ut, satis sit si qui duo habet beneficia in uno resideat. Cur tu mihi legem affers regiam, nec ecclesiasticæ meministi dignitatis? Cur ad regia, quod multis antiquis canonibus est vetitum, tribunalia confugimus, si ii essemus qui debemus, ipsi etiam reges & imperatores parerent ecclesiæ. Cujus rei permulta nec obscura & pulchra exempla in antiquis inveniuntur historiis. At nos ipsos adeo abjicimus, ut eos nostros constituamus judices. Quasi vero a laicis his maxime temporibus aliquid æqui spes sit nos posse assequi. Longe esset satius nos judicii severitatem in nos ipsos exercere, quam laicis permittere, ut in nos suam exerceant jurisdictionem, quam nisi caveamus ita usurpabunt ut omnem nobis auferant, in promptu enim erit eis dicere, hoc est jus regis. Comitia Aureliana cujusmodi fuerunt nolo hic dicere, constat certe in iis multa fuisse constituta quæ cum jure ecclesiastico pugnant ex diametro, & magnum afferunt detrimentum & præjudicium, cur ergo eorum decretis esse standum judicabit ecclesia? Dicet quispiam. Si statuatur decretum de residentia id futurum contra jus ecclesiarum, sed non erit contra jus divinum, cum juris esse divini residere ipsa jam statuerit ecclesia; quamobrem nec futurum est contra jus ecclesiasticum, nisi dixerimus jus ecclesiasticum pugnare cum divino, quod est absurdissimum. In ipso quidem decreto de residentia, ponuntur, fateor, aliquot residentiæ impedimenta, sed ea sunt potius restringenda quam relaxanda. Hæc cum dixisset, finem fecit orationis, maxime commendans Victriacenses, dicens eos esse æterna laude dignos, dixitque esse æquissimum ut justæ eorum supplicationis haberetur ratio: postea autem jussit accersi rectorem ecclesiæ Victriacensis, qui cum se stitisset, ei dixit reverendissimus metropolitanus, visum esse sanctæ synodo accipiendam quam obtulerat conditionem, censere itaque ut ab eo renunciata Victriacensi ecclesia aliqua honesta ei daretur pensio, qui dixit se illustriss. cardinalis jussis lubenter pariturum: quod quidem cum dixisset, ita finem accepit hæc controversia. Postea ipse reverendissimus metropolitanus exhibuit libellum supplicem rectoris ecclesiæ pagi qui dicitur Spina, diœcesis Suessionensis, qui quidem fuit lectus publice. In eo autem agitur de curionibus diœcesis Suessionensis in decanatu rurali, qui dicitur vulgo Chesy. Episcopi quidem & Democharis procurator episcopi Noviodunensis censuerunt eam rem remittendam esse ad ordinarios. Grivellus vero procurator episcopi Ambianensis censuit, hunc supplicem libellum minime esse admittendum, de privilegiis id esse observandum quod judices judicaverint, oportere eos jus suum ostendere. Richardus vero a Prato theologus, procurator capituli Rhemensis, dixit eos æquum postulare, nam qui deservit evangelio ex evangelio debet vivere, atque in prima quidem instantia censet eos remittendos ad reverendissimum episc. Suessionensem, quod si illi jus suum non fuerint consequuti, appellent concilium, & cum cæteri fere omnes sentiant eam rem remittendam esse ad ordinarium, eam ad episcopum Suessionensem esse remittendam pronunciavit reverendiss. metropolitanus: deinde cum dixisset eos die crastino propter diem festum, & propterea quod habenda esset concio, esse cessaturos, nec ante feriam secundam conventuros, dimissus fuit conventus.

"f. in somniis

X. CONGREGATIO.

FERIA secunda, quæ fuit dies quartus mensis Decembris, anno domini millesimo quingentesimo sexagesimo quarto, eodem illustrissimo

Anno Christi 1564.

mo & reverendiſſimo cardinali præſide, cum in eodem loco capituli facta eſſet congregatio, Demochares theologus, reverendiſſ. Noviodunenſis procurat, de ſtatutis quæ legenda ſibi dari popoſcerat ſententiam rogatus, primo dixit articulorum ordinem ſibi minime probari, neque enim incipiendum eſſe a reſidentia curatorum prius quam de ſacris ordinibus & earum functionibus dictum eſſet. Deinde etiam ſe in ipſis articulis aliquid deſiderare: nam in articulo de reſidentia qui ſumptus eſt ex ſeſſione 7. ſub Pio IV. loco ejus quod dicitur, Incumbit omnibus, malle ſe ut eſt in concilio Tridentino, mandatum eſt omnibus; & in articulo de officio curati, & ubi eſt, nemini injuriam facientes, malle dici, noſtri eſſe inſtituti arbitramur: & ubi eſt, per ſe vel alios, cenſuit ſcribendum, vel per alios idoneos ſi legitime impediti fuerint, multaque alia ejuſmodi obſervavit & adnotavit in articulis: poſtremo expoſuit ordinem, quem ſervari mallet in diſponendis articulis. Griveilus vero decanus Ambianenſis reverendiſſ. Ambianenſis epiſcopi procurator, dixit ſibi placere ordinem quem diſpoſuit Democharis procurator reverendiſſ. epiſcopi Noviodunenſis, ſed quod ad ipſos attinet articulos, multos ex procuratoribus tam epiſcoporum quam capitulorum, in iis valde laborare, neque enim ferri poſſe ea ſtatuta ſi ea eſſent omnia ex præſcripto obſervanda, & eo modo quo ſunt ſcripta, ſed in iis eſſe adhibendum, ut ita diceret, granum ſalis. Sed neque habere ſe in mandatis ut aſſentiatur iis quæ continent articuli, non ſibi videri ſummum jus & rigorem eſſe præferendum æquitati, rigoris executionem ligari debere ab æquitate. Si aliquid ſeverius & ſummo jure ſit conſtitutum, non debere epiſcopum ob unam ſolam cauſam rationabilem, rigorem & ſummum illud jus exequi. Diſcretus & cautus oportet ut ſit epiſcopus, & exemplo peritorum medicorum vinum & oleum ſciat infundere: eſſe quidem ſtatuta ſalutaria & ſanctiſſima, ſi adjunctæ fuerint quædam limitationes. Ejus ſententiam ſequutus eſt Laudunenſis capituli procurator, ejus & decani Sueſſionenſis, Bellovacenſis & Noviodunenſis capituli procuratores. Cagnetus procurator capituli Ambianenſis, dixit ſe cupere ut hæc ſtatuta eſſent generalia, & abbates etiam comprehenderent, atque quoniam in his ſtatutis agitur de reſidentia, ſe quidem ſi rogaretur ut privatus, aliud eſſe dicturum: aliud cum loquitur ut procurator ſui capituli, cujus mandati fines ſibi non licet excedere. Ut privatum quidem fuiſſe dicturum adhibendam eſſe aſſiduam vigilantiam & curam paſtoralem in regendis & paſcendis ovibus, ut vult divus Paulus in epiſt. 1. ad Timoth. cap. 1. ut procuratorem autem eſſe tuenda privilegia ſui capituli. Interim autem rogavit ut etiam atque etiam conſiderarent num ubique ferri poſſit hoc decretum & reſidentia in diœceſi Ambianenſi: eſſe eccleſias parochiales aliquot, quarum proventus non excedit ſeptem libras, permultas quæ ad quadraginta non perveniunt: pluſquam quadraginta quæ ſunt plane vaſtatæ & deſertæ: nullam eſſe, quatuor aut quinque exceptis, quæ attingat ſumma ducentarum librarum. Si decretum de reſidentia ex æquo feratur in totam provinciam, antequam menſis ſit elapſus, futuras plus quam ducentas vacantes parœcias, quibus erit providendum. Se etiam habere in mandatis ut tueatur jura, libertates & exemptiones ſui capituli; adſtrictum etiam fuiſſe juramento a reverendiſſimo nuper epiſcopo Ambianenſi nomine Pelveo, ut ſervaret privilegia capitulorum. Dixit autem

A æquum ſibi videri ut hoc decretum reſidentiæ comprehendat etiam abbates, quos oportet etiam oves ſuas paſcere. Se quoque cupere ut curionibus præſcribatur aliqua forma concionandi. Se omnia probare ſtatuta uſque ad 17. in quo ſe poſtulare ut excipiantur ii qui ſunt exempti. Furnius doctor theologus, alter procurator reverendiſſimi epiſcopi Ambianenſis, laudavit decanum Ambianenſem, & Cagnetum capituli Ambianenſis procuratorem, ſed ſi quæ dixerunt probe, dixit ſe vereri ne videatur velle jus dicere reverendiſſ. cardinali quem tamen rogat ne nimiam exerceat ſeveritatem in eos qui ipſi ſunt ſubjecti, & ut geometricam potius quam arithmeticam ſequatur proportionem. Tertullianum quidem velle B continuam & aſſiduam eſſe reſidentiam, ſed divum Hieronymum dicere eum librum eſſe ſcriptum contra bonum eccleſiæ; neminem ita eſſe alicui eccleſiæ addictum quin poſſit abeſſe, ſi accepta ab epiſcopo formata & data fuerit facultas diſcedendi. Præclare dictum eſſe, qui nimis emungit elicit ſanguinem: ſummum jus ac rigorem eſſe veluti literam occidentem, ne cogat eos tanquam adverſarius ſolvere uſque ad ultimum quadrantem. Paulo quidem fuiſſe ſollicitudinem omnium eccleſiarum, non fuiſſe tamen ipſum præſentem in omnibus. Poſtremo dixit ſe ſequi ſententiam decani ſui & procuratoris ſui collegii. Brunault cantor Silvanectenſis, & procurator capituli accedit ſententiæ decani Ambianenſis. Catalaunenſis ca- C pituli procurator, cenſet in 7. cap. eſſe tollendum *liberum ſit quoque*. Procurator capituli Morinenſis dixit, ſe probare ſtatuta quibuſdam additis, & ſe accedere ſententiæ decani Ambianenſis. Abbas S. Dionyſii accedit ſententiæ decani Ambianenſis. Abbas Vallis-claræ cenſet in ſtatuto quod faciendum eſt de regularibus, decernendum eſſe ut regulares reſideant. Abbas a Victoria duo eſſe dixit quæ a ſynodo ſunt valde laudanda & approbanda, unum ut examen fiat ſecundum quod cavetur ne examinatores quidquam accipiant mercedis, & etiam ut de ætate diligens fiat inquiſitio; futuros forte eſſe raros ſacerdotes, ſed non multum referre, nam omne rarum eſt pretioſum: præclare nobiſcum actum D iri, ſi quod in corpore requiritur, in capite agnoſcatur. Se cenſere æquum eſſe ut omnes abbates reſideant, & itidem canonici, quos etiam vult cantare & non uti pro ſe opera ſemipræbendatorum. Prior S. Remigii cenſuit aliquid eſſe ſtatuendum de iis qui ſervant reliquias, quorum ſunt magni abuſus, & minime contemnendi. Probavit autem articulum de imaginibus, cupereteque ut doceretur populus quis ſit uſus imaginum. Claudius a Xaintes theologus, placere ſibi dixit ordinem ſtatutorum, quem affirmavit ita eſſe diſpoſitum, quod habita potius ſit ratio eorum qui jam erant eccleſiæ miniſtri, quam eorum qui erant poſtea promovendi. Auditis omnium ſententiis in hunc E ſenſum loquutus eſt illuſtriſſ. & reverendiſſ. cardinalis metropolitanus, ſe nihil tale cogitaſſe quale jam audivit ab iis qui ſuam dixerunt ſententiam: ſe quidem credere decretis concilii Tridentini; & videri ſibi reſidentiam eſſe juris divini, quam nec monachos quidem eſſe detractaturos certo ſibi perſuaderet. Eam autem non ſolum decrevit concilium Tridentinum, ſed pontifex quoque ratam habuit & confirmavit. Qui ſi ſolus eam ſtatuiſſet jure potuiſſet ægre ferre quod ſuis decretis non pareretur: quanto autem eſt indignius quod nec decretis concilii nec ſuis videat obediti? Futurum forte ut ſi aliquis ei objiciat illud Juvenalis, Qui ſatur eſt, pleno laudat jejunia ventre: qui hoc

ANNO CHRISTI 1564.

responsum accipiat, se aliqua quidem commendata habere monasteria quibus libenter cederet: id autem ne faciat nihil eum magis retardare quam quod timeat ne eis præficiantur non catholici, sed hæretici. Neminem esse qui non videat calamitatem hujus temporis, si quando intellexerit ad ea hæreticis non patere aditum, se effecturum ut nemo sit qui de eo sinistre possit suspicari: se tamen cupere ut intelligerent cap. de multa, a juris canonici peritis permultis ita fuisse intellectum in concilio, ut dicerent ipsum non sensisse in ecclesiis parœcialibus, sed de hujusmodi monasteriis commendandis nobilibus, insignibus & literatis. Se quod ad exemptionem attinet capitulorum, eos monere ut cum episcopo conventionem aliquam ineant. Regem jam satis declarasse quidnam de eo statuerit, quid decreverit concilium nemo est qui ignoret: se nolle aliquid præmature agere, & ideo eam rem esse rejiciendam usque ad proximam synodum. Omnes quidem reges & ipsum imperatorem in suis regionibus concilium admisisse & publicasse, & ut observaretur jussisse. Nos solos refragari & eo nomine male audire apud exteros. Summum pontificem missis ad regem legatis postulare, ut ipsum concilium curet mandari executioni, ipsum regem in proxima quadragesima Blesis futurum, ut rei provideatur. Si rex, quod quidem dicebat se non dubitare futurum, in suo regno voluerit concilium mandari executioni, & regii magistratus ut id observetur institerint, multa esse timenda. Factam quidem haud ita diu abhinc mentionem, ut ecclesiæ cuilibet cathedrali præficeretur œconomus, qui omnium redderet rationem, ad id ex re eorum futurum esse ipsi viderint. Magnopere etiam esse consensuros magistratus, ut omnino tollantur exemptiones. Quæ si mordicus retineantur, ea res rebus ecclesiæ apertum afferret interitum. Se quidem non esse in hac sententia ut existimet expedire plenas esse & absolutas exemptiones, sed esse certum modum constituendum inter episcopum & capitula. De nimis exacta & summo jure exigenda residentia nihil esse a se statutum. Nullum certe esse privilegium quod possit pugnare adversus jus divinum. Quamvis autem sit juris divini residentia, satis tamen constat esse quædam quæ possint ab ea excusare: de privilegiis eorum qui dant operam literis, ita dixit sibi videri, danda esse beneficia, maxime ea in quibus geritur cura animarum, iis qui jam studuerunt, non autem danda esse ut studeant, cum ideo dentur ut suam jam exerceant industriam & eruditionem. Se autem hac in re ita se gerere, ut si cui dederit aliquam ecclesiam qui dans operam theologiæ, cursum suum ut vocant, nondum absolverit, censeat eum residere, si sæpius suam visitet ecclesiam, & in ea fungatur pastoris officio. Satis enim residere qui pascit: id autem illi tamdiu permittendum donec doctoris cursu absoluto ad te ipsa residentiam se comparaverit. Se curionum & canonicorum misereri inopiæ, episcopos quidem & canonicos jure posse accipere decimas, sed curionibus esse assignandam congruam portionem. Capitulum quo providetur literatis & sublimibus, in ecclesiam Dei multa invexisse incommoda & magnas calamitates, ejus tamen eum numquam fuisse sensum, ut ea conjungerentur beneficia quæ jure conjungi non possunt: nec unquam intellexisse de duabus ecclesiis parœcialibus, nec de duobus etiam [v] pastoribus. Quod attinet ad ætatem presbyterorum, videndum esse ne nimis provectæ ætatis ordinentur: fuisse quidem in illis comitiis Aurelianensibus speciosas factas leges, cujusmodi est qua cavetur ne ordinetur sacerdos qui non sit triginta aut quadraginta annos natus, & ne pro celebranda re divina dentur sacerdoti plusquam duo solidi & dimidius, sed eæ non aliud spectabant quod ne amplius ordinarentur presbyteri. Quod ad statuta attinet, sibi placere ordinem quem adduxit Democharis, quem, si ea fuerint ipsorum sententiis approbata, præ se tulit se libenter sequuturum; ex ipsis autem statutis accipiant quæ volent, se sequuturum eorum adnotationes. Obligari quidem episcopos ad tuenda sua privilegia, & jurejurando esse adstrictos suis ecclesiis, sed omnia atque adeo seipsos debere ecclesiæ catholicæ, atque etiam esse cavendum, ne inter eos sit ulla dissensio ac seditio; eorum admonitionem fuisse sibi valde gratam: ipsi quoque considerent, quod si non resideant & peccant mortaliter, nec faciunt fructus suos, & eos tenentur restituere: se quidem ita sentire, jus divinum ipsum obligare ad residentiam. Deinde dixit post prandium legenda esse mandata procuratoria, ut ex iis intelligatur, quorumnam sit admittenda absentiæ excusatio. Agendum etiam esse de breviariis & missalibus. Quoniam autem non venistis cum mandatis, quæ res & tempus postulant, rejiciantur quæ nunc definiri non possunt, in proximam synodum. Extremum quod ab eis expectat, esse, ut dicant quid sibi videtur de excommunicatione. Cum jam dimittendus esset conventus, venit in mentem illustriss. cardinali metropolitano non esse amplius hic remorandos Victriacenses, qui ut suæ ecclesiæ provideretur supplicaverant: visum est ergo omnibus ipsum esse accersendum simul cum Victriacensibus. Qui cum se stetissent rogatusque esset curio a reverend. metropolitano, quantus esset Victriacensis ecclesiæ proventus, postremo convenit, ut ipse quidem ecclesiæ suæ renunciaret, liberumque esset reverend. Catalaunensi quem vellet ei præficere, ei autem daretur pensio annua centum librarum, quarum quinquaginta solveret illustriss. cardinalis, quinquaginta autem reverendiss. episcopus Catalaunensis. Quod quidem actum est præsentibus vicario, seu locum tenente, & præposito regiis, quos cum pro sua fide & constantia in catholicam religionem valde laudasset reverend. cardinalis, & ut pergerent esset hortatus, & quidquid eorum causa posset prolixe & magnifice eis esset pollicitus, dimissus fuit conventus.

[v] *f.* pastoratibus.

XI. CONGREGATIO.

EADEM feria, eodem anno, eodem præside, cum in eumdem locum convenissent hora prima pomeridiana, lecta sunt procuratoria mandata, atque lecto quidem procuratorio mandato reverend. episcopi Ambianensis, & deinde procuratorio mandato reverend. episcopi Noviodunensis, excusati quidem sunt a sancta synodo, sed tantum in præsenti, dummodo id deinceps non trahatur ad consequentiam. Cum autem inter ceteros hujus provinciæ episcopos desideraretur episcopus Bellovacensis, qui nec ipse ad synodum venerat, nec miserat procuratorem, contenderetque promotor, ut denunciaretur contumax, & de ea re dicendæ essent sententiæ, illustrissimus quidem metropolit. qui erat primo loco dicturus sententiam, dixit se nolle in eum sedere judicem, cum inter suam & illius familiam graves intercederent inimicitiæ, quamquam ipse quidem quod ad se attinet, cum eo nullas gereret inimicitias; absit enim (ajebat) ut ego nec illi, nec ulli alii sim

inimi-

ANNO CHRISTI 1564

inimicus. Sed tamen ne in me propterea nulla cadat suſpicio ſimultatis, reverendiſs. Sueſſionenſis, qui poſt nos primum locum tenet, primus dicat ſententiam. Reverendiſs. autem Sueſſionenſis cenſuit eum nunc quidem eſſe excuſandum, de eo vero ad regem eſſe ſcribendum. Reverend. autem Catalaunenſis nec nunc, nec ullo unquam tempore eum cenſuit eſſe excuſandum, eum locum tenere epiſcopi, nec ei ſuos deeſſe officiales; regi adverſus eum eſſe ſupplicandum, & adverſus omnes qui ita vitam agunt, non eſſe amplius connivendum. Demochares doctor theologus diœceſis Bellovacenſis, procurator reverendiſſimi epiſcopi Noviodunenſis dixit, ſe, cum eſſet Romæ, vidiſſe ſchedulas excuſas & publice affixas, quibus ſignificabatur eum eſſe excommunicatum, ſuaque auctoritate & dignitate privatum. Eum ergo tanquam lupum qui oves Chriſti devoret eſſe auctoritate regia deponendum, & exauctorandum. Grivellus Ambianenſis epiſcopi procurator dixit, Bellovacenſis epiſcopi vicarios fuiſſe negligentes, ut qui antiſtites minime convocaverint; eorum itaque, nempe vicariorum negligentiam, ut pote manifeſtam, merito eſſe puniendam; ſibi quoque placere ut rex de ea re certior reddatur & admoneatur; ſed interea admonendos eſſe vicarios. Richardus a Prato theologus, Rhemenſis eccleſiæ procurator, dixit nomen Neſtorii propter hæreſim ea nota eraſum fuiſſe ex dipthychis: ex numero epiſcoporum fuiſſe olim expunctos eos qui erant hæretici; id patere ex Hormiſda pontifice, & ex epiſtolis Leonis duobus in locis, epiſcopatum, inquit, ejus accipiat alter. Se poſtulare, ne unquam nominetur epiſcopus, & ut deleatur ex libro epiſcoporum, cum defecerit a ſancta Romana eccleſia, & ne canonici & presbyteri Bellovacenſes in ſuis precibus ejus ullam faciant mentionem: ſeque id contendere a promotore, qui dixit ſe non vidiſſe latam adverſus eum ſententiam. Le Beſque autem theologus procurator capituli Bellovacenſis, exclamans dixit, Fortuna, fortuna, periculum, periculum, fortunam video, periculum timeo, quomodo invehar ego in Chriſtum domini? Dolemus certe quod is a noſtris caſtris defecerit, fuit noſter qualiſcumque is ſit, epiſcopus, epiſcopatus "bonis temporalibus, ejus nomine tractantur ſpiritualia. Date operam, patres reverendiſſimi, ne ejus vicarii amplius ſpiritualia ſub eo adminiſtrent, date nobis bonos alios vicarios, aut ſaltem qui alterius nomine adminiſtrent epiſcopatum. Furnius doctor theologus, procurator reverend. domini epiſcopi Ambianenſis, & Claudius de Xainctes doctor etiam theologus, dixerunt ſe, cum eſſent Romæ, vidiſſe publice affixa programmata quæ ſignificabant eum eſſe excommunicatum & anathemate notatum, & a cardinalatus dignitate exauthoratum. His auditis promotor concilii poſtulavit ne canonice amplius obedirent Odeto Caſtillioneo cardinali exauthorato, nec eum pro epiſcopo agnoſcerent, neque pro eo Deum orarent. Tunc reverend. Sueſſionenſis epiſcopus dixit ſibi videri de ea re ſcribendum ad regem, eique ſupplicandum ne epiſcopatus amplius ab illo adminiſtretur. Decanus Laudunenſis dixit ſibi placere ut fiat quod poſtulavit promotor concilii; quod ipſum dixit quoque ſibi placere. Reverend. Catalaunenſis epiſcopus, & videri ſibi functionibus epiſcopalibus ei eſſe interdicendum, & eſſe exequendam ſummi pontificis ſententiam, & ut proximus epiſcopus, nempe Silvanectenſis, ſuſcipiat adminiſtrationem illius epiſcopatus. Reverendiſſimus Silvanectenſis dixit capitulum non poſſe adminiſtrare tanquam ſede vacante, ſe eſſe in hac ſententia ut exiſtimet, prius quam aliquid mandetur exequutioni, regem eſſe conſulendum, & ad eum eſſe confugiendum. Demochares theologus, reverendiſs. epiſcopi Noviodunenſis procurator dixit, Odetum Caſtillionenum Bellovacenſem epiſcopum eſſe manifeſtum hæreticum, & perſeverare in hæreſi & defectione, vacare ejus eccleſiam, & paſtore eſſe deſtitutam, ejuſque vicarios non eſſe vere vicarios, & quod gerunt non eſſe ſine magno periculo conſcientiæ. Interim autem dum illi provideatur epiſcopatui, capitulum adminiſtret temporalia; munia autem eccleſiaſtica adminiſtrentur ab aliquo epiſcopo. Non eſſe tolerandum ut epiſcopi detrectent venire ad concilium. Ut qui deinceps a concilio provinciali abjerint epiſcopi, priventur media parte fructuum ſui epiſcopatus. Richardus a Prato theologus procurator capituli Rhemenſis, dixit vicarios qui ſunt ab eo conſtituti, non poſſe tuta conſcientia adminiſtrare "munia, & epiſcopalia. Ne eſſe quidem orandum pro excommunicato. Grivellus procurator reverend. epiſcopi Ambianenſis, uſurpavit illud Juvenalis, Omne animi vitium tanto conſpectius in ſe crimen habet, quanto qui peccat major habetur. Deinde dixit magnum quidem eſſe crimen epiſcopi Bellovacenſis, & ſevere in eum eſſe animadvertendum: Sed cum videamus regis tolerantiam, modeſte eſſe agendum; auctoritate metropolitani faciendam eſſe inquiſitionem, & huc referendam. Procurator capituli Laudunenſis cenſuit eſſe vicariis interdicendam adminiſtrationem, & oportere defectum ſupplere canonicos. Procurator capituli Noviodunenſis, cenſuit Bellovacenſem epiſcopum eſſe prius a nobis per epiſtolam admonendum, & priuſquam aliquid mandetur executioni, faciendam eſſe inquiſitionem, auctoritate metropolitani. Morletus alter ex procuratoribus capituli Noviodunenſis, cenſuit capitulo eſſe dandam temporalem adminiſtrationem, ſacramentorum vero propinquiori epiſcopo. Cantor Silvanectenſis eccleſiæ & procurator capituli, cenſuit rem eſſe remittendam ad ſummum pontificem, cum factis diligenter inquiſitionibus. Omnes ceteri abbates aſſenſi ſunt poſtulationi promotoris. Solus reverendus abbas Victoriæ cenſuit eum etiam eſſe exauthorandum. His auditis poſtulavit promotor ut tanquam contumax privaretur communione. Reverendiſs. epiſcopus Sueſſionenſis, qui tunc præſidebat, propterea quod illuſtriſs. cardinalis metropolit. in hac cauſa nollet præſidere, dixit rem nec difficultate, nec periculo carere, ſed totius rei præcipunm caput in hoc conſiſtere ut regi ſignificetur: quod ſtatuit hæc ſancta ſynodus. Tunc illuſtriſs. cardinalis metropolitanus dixit eſſe deflendam calamitatem temporis, quæ obſtitit quominus venirent permulti qui erant venturi ad concilium. Se cenſere faciendum eſſe decretum, non dari quidem nunc contumaciam adverſus abſentes, moneantur autem ut in proximo futuro ſe ſiſtant concilio provinciali, alioqui ſubituros pœnam excommunicationis. Democharis procurator reverend. epiſcopi Noviodunenſis, cenſuit eſſe differendam contumaciæ pronunciationem uſque ad proximum concilium, & de eo faciendum eſſe decretum. Poſtea dixit illuſtriſſ. cardinalis, ſe valde laudare quod videat ſanctam ſynodum, dum in hac cauſa tractanda minime adeſſet, in hoc conveniſſe, quod ad regem Chriſtianiſſimum darentur literæ, quæ de tota re eum certiorem facerent. Se non dubitare futurum ut rex pro ſua pietate ei rei provideret. Quæ cum dixiſſet, & Richardus a Prato theologus procurator ca-

ANNO CHRISTI 1564

"f. munia ea epiſcopalia.

"f. leg. epiſcopus in bonis temp. cujus n. t. s.

ANNO CHRISTI 1564.

tor capituli Rhemenſis, & procuratores capitulorum Noviodunenſis, Bellovacenſis, Ambianenſis, & reverend. abbas Victoriæ, dixiſſent, Maneat contumacia, ſcribatur ad regem, & quod dixerant ceteris comprobarent, reverendiſs. epiſcopus Sueſſionenſis, qui tunc præſidebat vice illuſtriſs. cardinalis metropolitani, qui in hac cauſa noluit pronunciare ſententiam, pronunciavit, *Maneat, ut vult hæc ſancta ſynodus, contumacia, & ſcribatur ad regem*. Quæ cum dixiſſet, & jam adveſperaſceret, dimiſſus fuit conventus.

XII. CONGREGATIO.

FERIA tertia, qui erat quintus Decembris, anno domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quarto: Eodem illuſtriſs. cardinali præſide, fuit congregatio in loco conſueto, hora prima pomeridiana, in qua primus quidem promotor dixit, vidiſſe procuratores ſtatuta, quæ eis fuerant exhibita; & in plurimis quidem ea approbare, nonnulla autem eis videri eſſe mutanda. De excommunicatione autem eos nondum ſatis conſtitiſſe quid ſit dicendum, nec de eo quod pertinet ad fidei aſſertionem, nec de eo ſtatuto quod factum eſt inter reverendiſs. metropolit. & canonicos. Seminarium autem & exemptionem ſibi videri eſſe remittendam ad futurum concilium provinciale. Eſt etiam ab eo poſtulatum ut aliquid decerneretur de eo quod pertinet ad gravamina eccleſiæ. Deinde legit aliquot ſtatuta, cum annotationibus, & animadverſionibus. Quæ cum feciſſet promotor, reſpondit illuſtriſs. cardinalis metropolitanus, quod ad epiſtolas quidem decretales attinet, & ad articulos fidei, toto die craſtino de eo cogitandum, ut tutius de eo deliberetur; quod autem attinet ad ſtatuta ſynodalia, eos in primo ſtatuto æquum poſtulare, de correctione videatur quid dictum ſit in conventu Piſciacenſi. De cultu ex eorum mente & ſententia, faciendum eſſe decretum. De ſeminario & exemptionibus æquum eſſe ut ea tractatio differatur uſque ad primam ſynodum provincialem, cum de his veſtra collegia nihil adhuc conſtituerunt, neque ullum vobis mandatum dederint. Se quidem jam ſuum inſtituiſſe ſeminarium, ſed ſuo ſumptu, neque ulla impenſa adhuc gravaſſe quempiam. Se non ignorare hæc tempora nondum ferre, ut in omnibus eccleſiis cathedralibus inſtitui poſſint hæc ſeminaria. Quod attinet ad gravamina eccleſiæ, ea non eſſe hic legenda, ſed alibi eſſe dicenda. Se libenter iturum quocumque eum vocabit utilitas eccleſiæ. De iis ſecreto eſſe tractandum, non autem coram omnibus; in excommunicationibus & pœnitentiis publicis ſibi in præſentia videri eſſe ſequendum canonem concilii Piſciacenſis, & ſi is non omni ex parte illi ſatisfaciat, diſciplinam eccleſiaſticam maxime conſiſtere in excommunicatione, quæ olim & bonos continuit in officio, & malos deterruit a vitiis. Sed quoniam ea abutimur, dum leviter & temere fertur ſententia excommunicationis, & ab ea levius ac facilius datur abſolutio, neſcio quomodo factum eſt ut ea vulgo contemnatur. Sibi quidem videri non niſi propter gravia crimina ſegregandum eſſe a communione. Se libenter auditurum a doctoribus quid de concubinario publico ſit faciendum, quid de eo qui ad rem divinam & Deum colendum nunquam venit in ſuam eccleſiam parœcialem. Se ſibi ſoli reſervaſſe poteſtatem excommunicandi, & ita voluiſſe ſuam exonerare conſcientiam. In ordine judiciorum ſibi videri ſequendum decretum conventus Piſciacenſis, neque eſſe prius aliquem excommunicandum quam tria præceſſerint, ſeparata, edicta, monitoria. Quando propter aliquod grave crimen lata fuerit ſententia excommunicationis, excommunicatum non clam, ſed palam eſſe abſolvendum & admittendum in eccleſiam. Sententiam quoque excommunicationis, non clam, ſed palam per epiſcopos & concionatores eſſe in ſuggeſto pronunciandam, levem iſtam & temerariam excommunicationem & abſolutionem, nec aliis ullum afferre timorem, nec prodeſſe ad excommunicati correctionem. Semel bis & ter moneatur qui eſt excommunicandus, & deinde excommunicetur, & ſi ſit reſtituendus communioni publice revocetur, ut diſcat non blaſphemare. At nolent, quiſpiam dicet, reſtitui communioni, & ſe ibunt perditum ſi a nobis exeunt, nec erant quidem nobiſcum; non eſſe nimia utendum lenitate, ut ipſe aliquando uſus eſt. Hocne eſt, inquit, ferendum, ut quiſpiam legitimam ſuam expellat uxorem, domum autem ducat, ut ibi alat meretricem? Sunt plurima ejuſmodi delicta, quæ ne impune ferant qui ea admittunt, revocanda eſſet vetus conſuetudo publicæ excommunicationis & pœnitentiæ, atque de excommunicatione quidem dixit hactenus. De collationibus autem dixit in hanc ſententiam, ſe ſtatuto quidem ſuo caviſſe nihil eſſe accipiendum pro ordinibus ſacris, ſe nihil dixiſſe de beneficiorum collationibus. Non ignorare ſe in hac provincia non admodum opulentos eſſe epiſcopatus, & ſi prohibeatur epiſcopis ne aliquid accipiant pro collationibus, male cum illis eſſe agendum. Sibi quidem hoc injicere ſcrupulum, quod in regiſtro nonnihil ſit inveniendum quod acceperit pro collationibus: archiepiſcopatum ſuum, ſi adimatur monaſterium S. Remigii, eſſe valde tenuem, atque ſe quidem, cui aliæ ſuppetant facultates, hoc facile ferre poſſe, ſed ſi ad alium minus opulentum deferatur archiepiſcopatus, ſi nihil accipiat pro collationibus vix ſuffecturos proventus ad ſuſtinenda munera. Eſſe quidem canones in concilio Tridentino, quibus prohibetur, ne aliquid accipiant, ſed tamen adhibendam eſſe aliquam moderationem: tempore Alcuini Ambianenſis epiſcopi dari conſueviſſe epiſcopo duos ſolidos auri. Duo autem ſolidi efficiunt duos aureos: fuiſſe epiſcopos in provincia Rhemenſi, qui ex ſimplici tonſura magnam vim pecuniæ corraderent, excepto Bellovacenſi. Tunc dixit promotor de eo ſciſcitandam ſingulorum ſententiam: Qui rogati id relinquendum cenſuerunt arbitrio patrum, ſibi tamen videri eos pro iis beneficiis qui ad ipſos devolvuntur propter hæreſim & ſimoniam poſſe accipere quatuor aureos. Poſtea autem dixit reverendiſſ. ſeminarii quidem tractationem, ut jam dictum eſt, eſſe rejiciendam in proximam ſynodum. Quæ eſt autem inter epiſcopos & capitula controverſia, eam intra privatos parietes eſſe componendam. Se quidem ita egiſſe cum ſuo capitulo, ut ab eo quod inter ipſos convenit, ſit ei, cum voluerit, liberam facturus poteſtatem, & cum proxime convenerint in capitulo ſe curaturum, ut id in actis ſcribatur. Deinde poſtulavit promotor, ut haberetur ratio alienationis bonorum eccleſiaſticorum, dictum eſt autem id eſſe reponendum inter gravamina. Lecti deinde ſunt canones de beneficiis regularibus, qui quidem fuerunt omnes approbati: Quæ cum facta eſſent, & cum jam adveſperaſceret, & dictum eſſet conventuros craſtino die epiſcopos cum procuratoribus ad ædes divi Remigii, ut canonum ordo conſtitueretur, & quod mutandum eſſet deſpiceretur, dimiſſus fuit conventus, cum procurator capituli Laudunenſis aliquot capita

prius

ANNO CHRISTI 1564.

prius recitaſſet, quæ pertinere videbantur ad negotium eccleſiaſticæ reformationis, quæ cum legiſſet dixit illuſtriſs. cardinalis metropolit. ea eſſe digniſſima, quæ in hac ſancta ſynodo & conventu recitarentur. Conſideraturam ſanctam ſynodum quid ex iis excerpi poſſit ad facienda decreta.

XIII. CONGREGATIO.

FERIA quarta, qui fuit dies ſextus Decembris, anno domini milleſimo ſexageſimoquarto, pranſi ſunt apud illuſtriſſimum cardinalem metropolitanum in ædibus monaſterii divi Remigii, epiſcopi qui in concilio aderant, & abſentium aliquot procuratores concilii: Ex epiſcopis autem in prandio ſolus non adfuit Silvanectenſis. Poſt prandium cum in bibliotheca illuſtriſs. cardinalis metropolitani conveniſſent, cœptum eſt agitari de ordine decretorum, & quænam & de quibus facienda eſſent decreta. Viſum autem eſt poſt profeſſionem fidei, & decreta de excommunicatione, & articulis fidei, faciendum eſſe decretum de reſidentia epiſcoporum, & quod epiſcopi per ſe ſuas viſitent diœceſes, ut cavetur concilio Tridentino. In decreto de reſidentia curatorum, diſceptatum eſt addendumne eſſet, Niſi probata legitima & rationabili cauſa abſentiæ epiſcopo, & cenſuerunt quidem non addendum procuratores capitulorum Noviodunenſis, & Ambianenſis, addendum autem cenſuit procurator capituli Bellovacenſis. Viſum eſt decreto de cultu adjungendum eſſe decretum de imaginibus, & ubi illic agatur de officio defunctorum, cum aliquibus viſum eſſet addendum eſſe, Niſi ex fundatione, & poſtea viſum eſt ſatius ne in hac ſynodo ullum fieret decretum publicum de officio defunctorum, nec inter canones eſſe ponendum, quod tolleretur, id quod poſt communionem ſolebat dici, *Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt, &c.* Viſum eſt etiam decreto de canonicis adjungendum, ut canonici per ſe & non per vicarios ex officio neceſſe habeant ſuis hebdomadum vicibus divino intereſſe officio, juxta numerum canonicorum, & conveaienter laudabili eccleſiarum conſuetudini, adeo ut nullus celebret miſſæ ſacrificium in altari majori, qui non ſit canonicus. Qui non ſunt autem presbyteri, nempe diaconi & ſubdiaconi, communionem percipiant ad majus altare, & quod ii qui concionantur in oppido habeantur pro præſentibus. Decreto de cultu eſſe addendum quod laici tertio quoque dominico interſint miſſæ ſacrificio in ſua parœcia: de juramentis etiam eſſe aliquid ſtatuendum, & quod ludi prohibeantur, dum divinum celebratur officium. Ex concilio Tridentino ſumendum eſſe decretum de impedimento publicæ honeſtatis, & de impedimento juſtitiæ & conſanguinitatis. Decretum quoque de matrimoniis clandeſtinis, & decretum de raptore & rapta. Statuendum aliquid de ſimonia, & de unionibus & ſuppreſſionibus, ex iis capitibus quæ recitata fuerant a procuratore capituli Laudunenſis. Dixit illuſtriſs. cardinalis metropolit. alia quidem eſſe ſupervacanea, alia non admittenda, alia autem eſſe quidem recte animadverſa, ſed a concilio jam eſſe ſatis proſpectum: ne baptiſma domi fiat non eſſe ſtatuendum, cum id non fiat niſi urgente neceſſitate. Quod ablatum ſit eſſe reſtituendum, neminem eſſe qui ignoret, ut catechiſmi novi fiant, & Romæ curavit ſummus pontifex, & ſe etiam in ſua provincia curaturum. Choreas non videri ſibi in nuptiis prohibendas, puellarum pudicitiæ minus eſſe periculi ex choreis quam ex otio, idque ſe ſæpius audiiſſe ex matre fœmina ſapientiſſima. Quod ad matrimonia attinet clandeſtina, ei rei, jam eſſe proviſum a concilio. Extremam unctionem non eſſe præcipitandam verum quidem eſſe, ſed non cenſendum eam præcipitari quando datur petenti. Petenda enim ſunt ſacramenta & non invitis obtrudenda. Recte quidem admonuiſſe de alienationibus bonorum eccleſiarum, ſed hoc eſſe reponendum inter gravamina. Se epiſcoporum quidem laudare electiones, de quibus admonuit, ſed illa non ferre hæc tempora. De mandatis apoſtolicis & prænominationibus tollendis, jam ſatis eſſe ſtatutum concilio Tridentino. Quod ſi de his a nobis faciendum ſit decretum, id poterit ita concipi, ut dicamus nos inhærere ſanctorum conciliorum decretis. Quod quidem poterit collocari in decreto de eccleſiis parœcialibus. De decimis quid ſtatuatur maturius eſſe deliberandum. Quod autem attinet ad diminuendum numerum clericorum, non futurum majorem quam par ſit numerum, ſi non ordinentur, niſi qui diligenter examinati, judicati fuerint idonei. De ſacris quoque virginibus viſum eſt eſſe ſtatuendum, ut intra murorum ſepta contineantur, & quod ubi laborant monaſteria, vel inopia vel infamia, monachorum numerus non augebitur, & ut uniantur monaſteria vel ſupprimantur. Poſtremo loco actum eſt de gravaminibus eccleſiæ regi Chriſtiano exponendis. Dixit autem illuſtriſs. cardinalis metropolit. ſe cenſere ad regem eſſe mittendum. Qua quidem in re pollicitus eſt eccleſiæ ſuam non defuturam operam, ſed ſe ſolum non poſſe illud munus obire, eos enim non ignorare quanta ipſe jam laboret invidia; futurum ut legatio a rege, & ejus concilio eo pluris fieret, quo plures uno conſenſu eam obirent. Se quidem ſibi polliceri ſuos coepiſcopos in hoc negotio minime defuturos. Sed oportere etiam comitari aliquos qui mittantur a capitulis & collegiis, ut intelligat rex id fieri communi omnium conſilio & conſenſu. Sibi itaque videri cras in congregatione eſſe ſex vel ſeptem canonicos aſſumendos, eoſque jurejurando adactos ut deliberetur de gravaminibus: hoc cum dixiſſet illuſtriſs. cardinalis metropolit. reverendiſs. epiſcopus Silvanectenſis, qui paulo ante erat ingreſſus, cenſuit duos ex quolibet capitulo eſſe mittendos, qui illuſtriſs. cardinalem comitarentur ad aulam regiam. Reverendiſs. epiſcopus Catalaunenſis cenſuit ſex vel ſeptem canonicis mandandum eſſe negotium inquirendi, & cognoſcendi gravamina, ut ea referant. Eligendos autem eſſe a capitulis canonicos, qui illuſtriſs. cardinalem metropolit. aſſectarentur. Reverendiſs. Sueſſionenſis epiſcopus dixit ſibi videri de profectione nihil eſſe dicendum, donec eſſent accincti ad iter; a capitulis autem unum aut duos eſſe deligendos, cum ampliſſima poteſtate ad aſſectandum illuſtriſs. cardinalem, qui promittant quidquid hac in re factum fuerit, ceteros ratum habituros. Cum de his inter eos qui aderant conveniſſet, & Nicolao Grivello Ambianenſi decano, reverendiſs. Ambianenſis epiſcopi procuratori, & Joanni Pallart decano Sueſſionenſi, concilii promotori, & Gentiano Herveto canonico Rhemenſi, ab illuſtriſs. metropolitano datum eſſet negotium; ut viderent ea quæ in ſtatutis jam fuerant adnotata, & quid ex concilio Tridentino poſſet excerpi quod uſui eſſet ad conſcribenda quæ in hac ſynodo facienda erant decreta, omnes domum ſe receperunt Sole jam occidente.

ANNO CHRISTI 1564.

ANNO CHRISTI 1564.

XIV. CONGREGATIO.

FERIA quinta, qui erat ſeptimus menſis Decembris, anni domini 1564. eodem illuſtriſſimo cardinale metropolitano præſide, hora prima pomeridiana, in loco conſueto fuit congregatio, in qua idem metropolit. primus verbà faciens in hanc dixit ſententiam; ad totam ſynodum dirigens orationem, reverendiſſimos patres, & venerabiles fratres eos appellans, ut in ultima conſtitutum fuerat congregatione, heri ad ſe conveniſſe epiſcopos, cum aliquot procuratoribus, tam abſentium epiſcoporum, quam capitulorum, tractaturos de iis rebus de quibus agebatur. Canones quos convenit eſſe edendos in hoc provinciali concilio, in uno folio eſſe excudendos, ut unuſquiſque eos videat, & de iis die ſabbati ſuam dicat ſententiam, & deinde futuram eſſe ſeſſionem. Multas quidem ſeparatim oblatas eſſe ſchedulas, inter quas eſt una eccleſiæ Laudunenſis, quarum aliquæ continent ſingularum ſuarum eccleſiarum gravamina; aliquæ ſuas peculiares lites & controverſias; aliæ vero quædam quæ fieri non poſſunt. In ceteris autem jure habendam eſſe rationem eccleſiæ Morinenſis, ſeu Bononienſis; eſſe autem & quaſdam [a] quæ generi continent de afflictione & vexatione totius eccleſiæ, ſui ordinis juſtas querelas, ut eis aliqua ratione occurratur: eſſe quidem hæc conſideranda, & quod adhiberi poterit quærendum remedium. Sed delegandos eſſe aliquos, & videndum quænam ſit futura ratio, & quis finis, aut ſcopus hujus legationis: oportuiſſe unumquemque huc veniſſe præmeditatum, cum de eo in noviſſima congregatione jam facta ſit mentio. Noſtras afflictiones ipſas per ſe clamare, bene ſperandum eſſe de rege, bella nos magis afflixiſſe quam ipſorum principum animum & voluntatem. Videndum eſſe quænam hujus rei ſuſcipiendæ ineatur ratio, de ea quidem eſſe conſultandum, ſed non publice. Seligendos eſſe aliquot qui regem adeant, & ab unoquoque proponendam eſſe querelam de illata ſibi injuria. Cum dicendi finem feciſſet illuſtriſs. cardinalis metropolitanus, reverendiſs. Sueſſionenſis maximis precibus ab eo contendit, ut ipſe regem adeundi & cleri calamitatem & afflictionem exponendi munus ſuſcipiat. Neminem eſſe qui, propter pietatem, & doctrinam, & rerum uſum ac experientiam, ut generis nobilitatem & cetera omitteret, id melius poſſit obire. Provinciæ quidem ſuæ epiſcopos omnem ſuam operam, & ſeipſos ei offerre, ſe autem in primis. Reverend. poſtea Catalaunenſis epiſcopus dixit hic agi, cujuſmodi & per quem & per quos delegatos regi faciendæ ſint admonitiones: eas quidem certe non facere nimis puſilli & abjecti eſſet animi. Rogare autem ut ipſe illuſtriſs. cardinalis, qui natus eſt ad ſalutem hujus provinciæ, hanc ſuſcipiat provinciam; neminem eſſe qui hoc munus illo melius poſſit obire. A te, inquit, illuſtriſs. cardinalis eligetur tempus, locus, & opportunitas; Ad te afferentur omnes querimoniæ, quæ quemadmodum regi ſint exponendæ, tuo relinquentur judicio & prudentiæ. Duo eſſe quæ in primis ſibi videntur regi in mentem revocanda, primum quidem vitam, & inſtituta ſuorum majorum. Galliam ad hæc uſque tempora caruiſſe monſtris, & quam accurate & exacte leges obſervaverint ſui majores. Deinde quantum ab illo veluti curriculo, temporis injuria, quod multa attulit incommoda, ſit deflexum. Totius negotii eſſe caput ut eccleſiis quæ reſtant bona conſerventur temporalia. Interea autem ſit omnibus eccleſiis liberum ſuas ad eum deferre querelas. Imitetur ſuos majores, qui ſemper fuerunt protectores, & defenſores miniſtrorum eccleſiæ. Si temporis non ferat calamitas, ut noſtris malis non poſſit in præſentia aliquód dari remedium, ſaltem ne cogamur hæreticorum ſubire judicium, & qui eccleſiaſtica poſſident beneficia, ſi ſint alieni a fide catholica, eis minime fruantur, & a catholica expellantur eccleſia. Reverend. epiſcopus Silvanectenſis dixit ſe eſſe in eadem ſententia. Democharis theologus procurator reverend. epiſcopi Noviodunenſis: Convenimus, inquit, omnes in eamdem unitatem fidei; opus eſt virorum prudentium auxilio. Deligantur viri graves & honeſti, & grati; ingratos enim mittere eſt periculoſum: Deinde ſupplex poſtulavit ab illuſtriſs. cardinale metropolitano, ſit vellet eſſe auriga, & currum regere, & ut ſint comites omnes ſuffraganei nemine excepto, & conventus capitulares, & quod ipſe velit faciat. Quod autem faciant, ſua manu ſignent. Nicolaus Grivellus decanus Ambianenſis, & reverendiſs. epiſcopi Ambianenſis procurator, dixit; Ex iis quæ ab illuſtriſs. cardinale metropolit. relata ſunt ad ſanctam ſynodum ſe ſatis intelligere, eſſe perneceſſarium, ut de hujus provinciæ calamitate & afflictione rex admoneatur. Perneceſſarium etiam ab illo ipſo qui retulit, fiat regi admonitio. Dixiſſe S. Paulum in actis apoſt. *Attendite vobis & univerſo gregi veſtro, in quo Spiritus ſanctus poſuit vos epiſcopos ad regendam eccleſiam Dei*. Et rurſus alibi; *Dicite archiepiſc. Vide miniſterium tuum ut impleas*: nempe verbo & exemplo, inquit Cartuſianus, & ipſam eccleſiam ab injuriis defendendo, & ut decet bonum virum & Chriſti offenſi vicarium. Eccleſiæ calamitatem eſſe hodie omnium ſubjectam oculis, olim quoque principes invaſiſſe in bona eccleſiaſtica, ſed male illis ceſſiſſe; ſe poſſe permulta citare exempla ex teſtamento veteri, & novo; nempe de Heliodoro, & omnia quæ ſcribuntur Machab. II. cap. 3. Admonendum eſſe regem de calamitatibus, quas hodie patitur eccleſia, per epiſcopos, & maxime, inquit per te illuſtriſs. cardinalis, qui in Gallicana eccleſia primum tenes locum. Nemo eſt qui te melius id poſſit exequi. Deinde dixit ſemper male ceſſiſſe, iis qui antiſtites & in eccleſia viros principes ſunt perſequuti. Teſtes eſſe quinquagenarios, quos Eliæ juſſu ignis deſcendens conſumpſit, & pueros quos irridentes Eliſeum, & dicentes, Aſcende Calve, aſcende Calve, fera devoravit. Divum Chryſoſtomum obſtitiſſe imperatori, ne aliquid faceret adverſus honorem eccleſiæ. Quanta luerint ſupplicia, qui infeſti fuerint eccleſiæ, multæ ſunt epiſtolæ in regiſtro epiſtolarum divi Gregorii quæ hoc docent. Agitur hodie de facienda regi admonitione, a te illuſtriſs. cardinalis, ſupplices omnes petunt ut eam facias. Non eſt tibi opus ullis noſtris commendatariis, quæ tibi quid ſit agendum ſuggerant, cum de poteſtate agitur abſoluta. Agitur negotium religionis, quam difficile eſt tueri abſque opibus, & niſi ſubjectis adminiſtretur juſtitia diſtributiva. In principibus eſt bonitas, ſapientia, & poteſtas, nequaquam timenda eſt obreptio: Deus non poteſt male facere. Sperandum eſt fore, ut cum rex, qua eſt bonitate & prudentia, ſimul cum ſuo conſilio, admonitiones quæ ſunt illi faciendæ intellexerit, afflictis rebus noſtris aliquam opem ferat. Quas quidem ut facias admonitiones, obteſtamur per viſcera miſericordiæ Dei noſtri. Mittent collegia & capitula canonicos qui te affectabuntur, & ſuos ad te de-

[a] locus corruptus.

ANNO CHRISTI 1564.

re deferent commendatarios. Reliqua omnia relinquent tuo judicio & prudentiæ, qua te plurimum valere ſatis intelligunt. De monachis autem apoſtatis, quoniam de hoc quoque rex eſt admonendus, præſtet-ne eos remitti ad ſua monaſteria, an ad ædes ſuas, cum hæc apoſtaſia Chriſtiano numini maximam afferat contumeliam, tuo arbitrio relinquendum eſſe cenſeo. Richardus a Prato, theologus, procurator capituli eccleſiæ Rhemenſis, dixit omnes ſuos collegas ſupplices petere, ut ipſe illuſtriſs. cardinalis qui eſt inſtar magni illius Leonis ſummi pontificis, & divi Ambroſii, regem adeat, quem ſpes ſit aliquando poſſe conferri cum optimis principibus, Ezechia, Joſue & Joſaphat, magnoque Conſtantino, & Theodoſio, & ceteris, & ut adjungat ſibi comites ſuos ſuffraganeos, qui etiam e ſuis collegiis ſeligant ſibi comites. Decanus Laudunenſis obtulit libellum ſupplicem, nomine omnium eccleſiarum, quem ipſe legit, & eum appellavit deprecationem, eumque dedit ſcribæ ut referretur in acta, rogavitque illuſtriſſ. cardinalem metropolit. ut pro omnibus verba faceret ad regem, & cauſam eorum ſuſciperet. Bellovacenſis capituli procurator, cum Achillem illum Gallum Paridis inſidiis interfectum deploraſſet, dixit poſtea capitula & collegia eſſe daturos comites, qui illum aſſectentur, & exhibituros eſse libellos, & commentarios qui ipſorum juſtas contineant querimonias, ut rex ipſo auctore medeatur eorum malis. Procurator capituli Noviodunenſis dixit ad evellendos ex Gallia hæreticos, non aliud poſſe dari melius remedium. Quod ſi ipſe illuſtriſs. cardinalis metropolit. regem adeat, & eccleſiæ juſtiſſimas exponat querimonias, cenſuitque ut fuerat propoſitum, a ſuffraganeis epiſcopis cum illuſtriſſ. cardinali eſſe proficiſcendum, & cum eo eſſe mittendum unum ex quolibet capitulo. Morletus alter procurator, duo dixit eſſe propoſita de quibus deliberaretur, unum de eccleſiæ gravaminibus, quæ non ſunt hic publice exponenda. Secundum ut qui ea regi exponat deligatur aliquis, cum autem nemo poſſit inveniri qui id melius poſſit exequi quam ipſe illuſtriſſimus hujus provinciæ metropolitanus, ſe ſuppliciter & obnixe rogare, ut illos quos voluerit convocet, illorum quos oportuerit expenſis. Cagnetus procurator capituli Ambianenſis, dixit capitulum Ambianenſe omnem fidem & induſtriam, & diligentiam polliceri, & quidquid ab illis de hac re dictum eſt, id eſſe facturum. Furnius alter ex procuratoribus reverendiſs. epiſcopi Ambianenſis, cum diu eſſet immoratus in laudibus familiæ Guiſianæ, dixit ſibi placere ſententiam Richardi a Prato theologi, procuratoris capituli Rhemenſis; rogandum eſſe illuſtriſs. cardinalem metropolit. ne gravetur hanc ſuſcipere legationem in qua agendum ſit de conſervanda unitate fidei & religionis, & de prohibenda eccleſiaſticorum bonorum alienatione. Scribat quam citiſſime ad alios metropolitanos, ut ſua concilia provincialia accelerent, ut his rebus mature provideatur. Futurum ut pro impenſis unuſquiſque lubenter contribuat. Reſponſum eſſe tempore Liberii eccleſia valde laborante, unus Deus, unus Chriſtus, unus epiſcopus; cum impetraturum omnia quæ deſideramus; accelerandum quantum fieri poterit hoc negotium, miſſuros eſſe ceteros metropolitanos, & ſignificaturos quid fecerint in ſuis provinciis. Ipſumque futurum unicum pro omnibus. Poſtremo Deum rogavit, ut omnia ſecundet quæ fœliciter inſtituerit illuſtriſs. cardinalis. Cantor Silvanectenſis, procurator Silvanectenſis capituli dixit regem adeundum, ut inter omnes convenit ſe neminem noſſe qui hoc munus melius obire poſſit, quam illuſtriſs. cardinalis metropolit. Se itaque eum rogare ut pro ſua innata in gregem dominicum benevolentia, hoc onus ſuſcipiat. Catalaunenſis capituli & Morinenſis procuratores cum itidem rogarunt ut hoc munus obeat. Reverendus abbas S. Dionyſii, dixit, ſe ſequi ſententiam epiſcopi Catalaunenſis. Reverendus abbas Vallis-claræ dixit illuſtriſs. cardinali metropolitano multum debere omnes eccleſiaſticos, omnes ad eum fugere tanquam ad ſacram ancoram, ut cujus ſit perſpecta in eccleſiam benevolentia, cujuſque, cum nullus valeat auctoritate & gratia, ſit etiam ampliſſima poteſtas. Quam ſit hodie afflictus & depravatus monachorum & regularium ſtatus, qui in primitiva floruit eccleſia, neminem eſse qui non videat. Se autem ſperare fore, ut ejus auſpiciis reſtituatur ſuæ priſtinæ inſtitutioni & ſplendori. Poſtremo rogavit ut ſicut pro aliis, ita etiam pro monachis hanc ſuſcipiet provinciam. Reverendus abbas Laudunenſis, dixit, Scripturam divinam eum docere, ut veniat redditurus rationem ſuæ functionis. Profeſſus eſt itaque fidem, quam ceteri profeſſi fuerant, idque publice. Reverendus abbas Vallis-Dei, citato exemplo ſancti Remigii, dixit, illuſtriſs. cardinalem eum eſſe imitaturum, ſeque & ſuos monachos ſuis precibus eum Deo commendaturos, etſi non ſit ex hoc regno. Reverendus abbas S. Jodoci ſecutus eſt aliorum ſententiam..... Applicourt reddidit rationem ſui adventus. Reverendus abbas Victoriæ, dixit, cum in rebus arduis eligenda ſit induſtria perſonæ, & nemo ſit qui hoc munus melius poſſit obire, ſe rogare illuſtriſs. cardinalem, ut velit hanc ſuſcipere provinciam. Prior S. Remigii itidem ut ceteri, rogavit illuſtriſs. cardinalem metropolit. ut hoc munus ſuſciperet, in primis autem dixit regem eſſe rogandum, ne toleraret in hoc regno duas religiones. Cum omnium ſuffragiis ad hoc munus ſuſcipiendum electus, & communibus precibus ut ſuſciperet, rogatus fuiſſet, illuſtriſs. cardinalis metropolitanus, ipſe in hanc reſpondit ſententiam. Eos pro hujus legationis gravitate & pondere, & pro juſto dolore, quem omnes viri boni ac pii conceperunt, dixiſſe, cum & oratore ad regem opus eſſe cenſuerint, & qualem eum eſſe oporteret expoſuerint; tali enim re vera hoc maxime tempore opus eſſe quo eccleſiæ tam multa & tam magna impenderent pericula; quod autem & ipſum ad eam ſuſcipiendam legationem elegerint, & quæ in oratore requirantur in eo omnia eſſe dixerint, videri ſibi intelligere, id præ quadam arte eſſe factum, ut ei calcar adderent ad profectionem. Quod tamen ſe ita accipere, ut agnoſcat eos deſiderare ut ſit talis qualem eſſe dixerint, non autem ſe eum eſse quem dixerunt. Quidquid ſit, inquit, cum vobis viſum ſit me inſtituere, neque ſacroſancto huic ſenatui denegandum, neque veſtræ tam juſtæ petitioni repugnandum eſſe duxi. Res quidem ipſa eſt adeo juſta & æqua, ut a rege Chriſtianiſſimo non aliud quam bonum reſponſum debeamus expectare. Cum autem inſtabit tempus profectionis cenſuit coepiſcoporum ſuorum auctoritate eſſe decernendum, ut populo indicatur jejunium, & corporis Chriſti communio, admoneaturque ut ſuis precibus eos adjuvent. Deinde ut ſui collegæ & coepiſcopi hujus provinciæ ſint ſocii. Adjunxit etiam ſe exiſtimare eſſe neceſſarium, ut ex ſingulis eccleſiis cathedralibus deligantur duo, qui ei ſint adjutores. Apud regem magni futurum ponderis, ſi intelligat hoc fieri unanimi conſenſu eccleſiæ: ii autem, inquit,

ANNO CHRISTI 1564

ANNO CHRISTI 1564.

quit, una nobiscum proficiscentur ad regem. Poterunt etiam ex monasteriis, inquit, aliqui a nobis evocari; ea de causa, inter ea laborent, & summopere contendant, ut si quid videant dignum commendatione & commiseratione apud regem, ejus nos admoneant. Se quidem cum eis, quos habebit, comitibus omni abjecto metu, & nullo formidato periculo, bona fide omnia esse recitaturum, & gravamina omnia esse expositurum, & tam publico, quam privato nomine regem esse obtestaturum. Ut autem sit certior fides & major eorum, qui mittentur, auctoritas, oportere omnia muniri publico sigillo ecclesiarum, ut ea non videantur agere suo nomine, sed tam publico quam privato. Quæ cum dixisset, & postridie ejus diei cessandum esse significasset, propter diem festum conceptionis beatæ Mariæ virginis, die vero sequenti exhibendos esse canones, ac decreta typis excusa, ut cum unusquisque ea vidisset, diceret in proxima congregatione, quid de his sibi videretur, dimissus fuit conventus.

XV. CONGREGATIO.

FERIA secunda, qui fuit XI. dies Decembris, anno 1564. præside eodem illustriss. cardinali metropolitano, fuit congregatio hora prima pomeridiana. In ejus autem initio postulavit promotor, ut canonici ecclesiæ S. Mariæ in Vallibus, se sistant, non obstantibus eorum privilegiis, & de eorum causa cepit disceptare. Cum autem variæ essent sententiæ, & alii controversiam remittendam esse dicerent ad ordinarios, videndum etiam esse quo jure se tueantur, de ea causa enim certum ferri non posse judicium. Alii autem remittendos quidem ad ordinarios, sed interea providendum, ut aliquid detur vicariis qui Deo serviunt, cujus sententiæ auctor fuit reverendus abbas S. Joannis Suessionensis, alii dicerent eos esse exemptos virtute duarum bullarum, nempe Lucii & Pauli II. quibus eis hoc conceditur, ut residentes in cathedrali luctentur, nec eos esse privandos suis privilegiis quæ continentur in diplomate, & diceret reverendus quidem abbas Vallis-Dei, omnia privilegia esse revocata per concilium Tridentinum. Pro fructibus autem adeundum esse ordinarium. Reverendus autem abbas Victoriæ censeret oportere eos residere, nec possessione, ut vocant, immemoriali esse excusandos quominus resideant. Omnis, inquit psalmista, consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis. Hæc cum audiisset illustriss. cardinalis metropolit. dixit non posse synodum de hac causa ferre sententiam, cum inter litigatores de facto non conveniat, sed eam esse remittendam ad officiales Rhemenses. Interea autem jubeantur canonici quo parœciæ aliqua ratione provideatur, ut lite pendente & sacramenta rite administrentur, & verbum Dei ut par est prædicetur, ne cives jure possint conqueri. Existimare autem posse aliquam iniri rationem, ut eis satisfiat, nec veniatur ad laica tribunalia, quæ sunt clero nimis infesta: vitandas esse turbas laicorum. Concessit quidem Paulus II. Venetus, sed contra fundationem concessit, & contra jus ecclesiæ Gallicanæ. Dicetur & forte non immerito bullas ipsas per obreptionem & subreptionem fuisse impetratas: Deinde dixit se cupere ut parvæ præbendæ adjungantur præbendis ecclesiæ cathedralis, & provideatur ut rite divinum celebretur officium, & administrentur, ut convenit, sacramenta, nec ullam justam demus occasionem civibus conquerendi, quos non ignoramus esse omnino infensos clericis. Post hæc jussit illustrissimus cardinalis præses concilii recitari canones ac decreta quæ in uno folio fuerant excusa. Ex iis prima quidem placuerunt omnibus; in decreto autem de excommunicatione nonnihil discrepantes fuerunt sententiæ, cum alii censerent episcopi arbitrio esse relinquendum quonam pacto ferenda sit sententia excommunicationis, eamque posse ferri etiam pro quacumque contumacia; alii autem non nisi pro gravissimis delictis ferendam contendebant. Illius quidem sententiæ auctor fuit Nicolaus Grivellus Ambianensis decanus, procurator reverendiss. episcopi Ambianensis; hujus Richardus a Prato theologus, procurator capituli ecclesiæ Rhemensis. Dicebat enim Grivellus non ob grave aliquod crimen, sed quia consensisset expulsioni Joannis Chrysostomi ab Innocentio pont. max. fuisse excommunicatum Arcadium imperatorem. Alexandrum quoque pontificem excommunicasse Fredericum Barbarossam propter inobedientiam. Neminem latere cur Ambrosius excommunicaverit Theodosium. Ipsum quoque divum Paulum excommunicasse Corinthium propter fornicationem, & Hymenæum non propter grave delictum. Fuisse semper in arbitrio episcoporum, non solum pro gravibus delictis, sed aliquando etiam pro minimis, si justa fuisset causa, excommunicare. Posse eam ferri etiam pro manifesta contumacia. Quæ si sublata fuerit a judiciis, corruituram jurisdictionem omnem ecclesiasticam, hanc esse veram & catholicam doctrinam, cui non esse obganniendum dicit divus Hieronymus. Contra autem, Richardus a Prato dicebat, ex Leone papa, excommunicationem esse mucronem ecclesiasticæ disciplinæ, non esse autem intentandam nisi a flente & lugente pro gravissimis delictis: Excommunicasse D. Paulum fornicatorem Corinthium. Sed qualis erat fornicatio? qualis nec auditur quidem inter gentes; excommunicasse etiam Hymeneum, sed non propter leve crimen, cum sit grave crimen dicenda hæresis, ipseque jubeat vitare hæreticum hominem post unam & alteram admonitionem. Non fuisse leve crimen Arcadii qui permisisset, ut non rite coacto conciliabulo per summam injuriam ob odium Eudoxiæ Augustæ deponeretur, & in exilium deportaretur Joannes Chrysostomus. Quam indigne autem & misere fuit tractatus cum deportaretur, & quæ Eudoxiæ imperatrici post Chrysostomi mortem divina ultione acciderint, legendum esse in historiis ecclesiasticis: qui legerit quantis malis Italiam & ecclesiam affecerit Barbarossa, intelliget non nisi gravissimis de causis eum excommunicasse Alexandrum pont. max. & gravissimam pœnam esse excommunicationem, ita non nisi propter gravissima delicta esse ferendam. Non alia pœna olim fuisse castigatos, qui graviter delinquebant clericos. Primum Eugenium II. clericos coercuisse carceribus: videndum esse a Gerſone quænam requirantur priusquam quispiam sit excommunicandus. Quanta autem sit pœna excommunicationis divo Cypriano neminem melius expressisse cum dicit, spirituali gladio superbi & contumaces necantur, dum de ecclesia ejiciuntur. In Aurelianensibus quidem edictis cautum esse, ne nisi pro gravissimis delictis feratur sententia excommunicationis. Nos autem ab illis tanquam a possessoribus iniquis veritatem extorquere. Auditis omnium sententiis, dixit illustriss. cardinalis metropolit. decretum ita esse compositum, ut nihil in eo desiderari possit, nam & de manifesta contumacia, & inobedientia propter quæ fieri possit excommunicatio, in eo fieri mentionem, sive ea

ANNO CHRISTI 1564

ANNO CHRISTI 1564.

sive ea dicantur gravia, seu levia delicta. Parum autem refert, dicanturne gravia aut gravissima delicta, quæ expresse nominantur in decreto, nihil itaque sibi videri esse causæ cur non maneat decretum: quod cum placuisset omnibus, jussit ea quæ sequuntur recitari: quæ dum recitarentur nonnulla fuerunt animadversa nonnullis. Grivellus Ambianensis decanus existimavit esse durum in eo decreto, quo statuitur ordines sacros gratis esse conferendos, pro ordinibus sacris nihil accipi: censuit itaque esse relinquendum judicio episcoporum, quidnam sint accepturi pro ordinibus sacris. In decreto quomodo parœcialibus ecclesiis sit providendum per examen. Richardus a Prato theologus procurator capituli Rhemensis dixit, examinatores, si ab examinandis aliquid acceperint, debere quidem subjici pœnæ simoniacorum, sed non posse dici simoniacos. In decreto de officio curatorum, cum illic dicatur debere curiones exponere populo vim & virtutem sacramentorum, ex quo videbatur inferri eos debere prædicare, & de eo exorta esset quæstio, pronunciavit illustriss. metropolit. ex synodi sententia, debere curionem diebus dominicis suggestum conscendere, & ea quæ significari consueverunt populo significare, decem legis præcepta eum docere, sacramentorum vim & virtutem declarare, si id præstare possit, judicio episcopi, idque populo satis esse. Quod si verbi Dei fusiorem & copiosiorem velint habere prædicationem eos suis sumptibus habere posse alium concionatorem. Eo in loco postulavit Cagnetus procurator capituli Ambianensis, & Furnius alter ex procuratoribus reverendiss. episcopi Ambianensis, ut prospiceretur rationi curionum, qui habitant in urbibus muro circumdatis, quorum nulli sunt proventus, quæ cum facta essent, & partim approbata essent, recitati canones, partim visi aliqua ex parte corrigendi, dimissus fuit conventus.

XVI. CONGREGATIO.

EAdem feria, quæ erat undecima Decembris, anno domini 1564. in loco consueto, fuit congregatio hora prima pomeridiana, in qua promotor concilii auditis, quæ dixerant tam Catalaunensis canonici ecclesiæ S. Mariæ in Vallibus, quam cives ejus parœciæ, qui libellum supplicem obtulerant, postulavit ut donec ei rei provisum, & aliter fuerit statutum, canonici teneantur non solum residere in civitate, sed etiam divino officio, quod in ea ecclesia celebratur, quotidie interesse, qui non intererunt priventur fructibus & emolumentis ejus hora qua aberunt, qui, ut antiqua statuerunt concilia, accrescent præsentibus: notandi autem absentes mandabitur negotium alicui viro probo eorum sumptibus; is autem absentium nomina referat in codicem, eum singulis hebdomadis die sabbathi post vesperas exhibiturus coram canonicis qui aderunt, & duobus ædituis ecclesiæ, qui poterunt ejus codicis, si velint, sumere exemplum. Quod si aliqua fuerit collusio, dimidium fructuum illorum qui non residebit conferatur in usum fabricæ illius ecclesiæ, alterum autem dimidium erit canonicorum qui interfuerint. Principale autem negotium, & quod est reliquum, in libello supplici, & in mandato procuratorio eorum qui sunt ejus parœciæ, remittitur ad superiores metropolitani officiales, ut statuant quod justum & æquum videtur. Quæ quidem postulatio cum æqua visa esset sanctæ synodo, ei convenienter pronunciavit illustriss. cardinalis metropolit. eamque litem remisit ad suos officiales Rhemenses. Quibus factis dimissus fuit conventus.

ANNO CHRISTI 1564.

XVII. CONGREGATIO.

FEria tertia, quæ fuit duodecima dies Decemb. 1564. eodem illustriss. cardinale præside, eodem Carolo regnante, & eodem Pio gerente pontificatum, hora octava matutina fuit congregatio, in qua cum lectum esset decretum de concubinariis publicis, & scisitatus esset illustriss. præses, quid eis placeret, reverendiss. quidem Suessionensis dixit, sibi placere. Reverendissimus autem Catalaunensis petiit, ut maturius de ea re deliberetur. In hoc decreto stari tamquam pœnis jure constitutis, sed opus gravioribus, atque adeo in eos esse utendum excommunicatione. Democharis procurator reverendiss. episcopi Noviodunensis dixit, medendum esse morbis grassantibus; considerandum esse quanta infamia laboret hodie clerus propter concubinatum. Decanus Ambianensis procurator reverend. Ambianensis probavit decretum, si id extenderetur ad omnes clericos. Richardus a Prato theologus, procurator capituli Rhemensis dixit, decretum consentire cum decreto concilii Basilicensis, quod renovatum fuit a Leone X. in concilio Lateranensi. Cæteri omnes decretum probarunt, modo esset generale, & complecteretur etiam presbyteros, & alios clericos. Illustrissimus itaque cardinalis metropolit. pronunciavit decretum debere esse generale, & complecti omnes clericos. Retulit deinde illustrissimus cardinalis metropolit. ad sanctam synodum, & de parœcorum querelis, qui propter edictum comitiorum Aurelianensium nihil possunt percipere ex rerum sacrarum administratione, & an sint excommunicandi, qui diebus dominicis rei divinæ non interfunt. Atque reverendiss. quidem Suessionensis dixit, esse quædam beneficia quæ non possunt alere curiones, nisi eis detur portio congrua, sibique videri non aliud esse celebrandum missæ sacrificium, quam quod mane solet celebrari, & magnum. Reverendiss. Catalaunensis dixit, debere populum interesse parœcialis missæ sacrificio: publicarum precum esse faciendam mentionem: esse interdicendum, ne quis missam celebret nisi impetrata facultate a rectore ecclesiæ. Quod autem attinet ad certum ordinem constituendum, longiori habere opus deliberatione. Reverendiss. Silvanectensis censuit nullum esse excommunicandum, qui a parœcialis missæ sacrificio tres menses non abfuerit. Democharis procurator reverendiss. Noviodunensis, dixit curionem non debere defraudari iis, quæ illi debentur pro divinis officiis: in majoribus autem parœciis non satis esse si una solum missa celebretur: mane etiam opus esse unam celebrari pro famulis. Sibi autem videri, dum magna missa celebratur, non debere aliam celebrari ante offertorium. Non licere autem monachis aliquid facere invito curione, in ejus præjudicium. Decanus autem Ambianensis procurator reverendiss. Ambianensis episcopi, dixit manendum esse in finibus, quos constituerunt nobis patres nostri. Per edicta comitiorum Aurelianensium ablatum esse sacerdotibus id quod debebant percipere. Huic rei afferendum esse remedium, & principiis obstandum. Quod ad victum attinet parœcorum, esse sequendum concilium Colonienſe. Non esse autem prohibendum ne in monasteriis fiat aquæ consecratio. Richardus a Prato theologus, procurator capituli Rhemensis, censet debere curiones omnia gratis administrare: eis autem esse providendum a cano-

ANNO CHRISTI 1564.

nonicis : interea autem abolenda esse quæ fuerunt constituta in comitiis Aurelianensibus, & permittendum curionibus ut percipiant quæ antea percipiebant. Dum magnum celebratur sacrum, nullum aliud esse celebrandum, nec aquam alibi esse consecrandam, quam vel in ecclesia cathedrali vel parœciali, conferendos esse canones cum decretis concilii Aurelianensis & ostendendos regi. Operæ pretium esse renovari canonem concilii Arvernensis, ut sicut illic prohibetur ne Judæi dentur Christianis judices, ita ne dentur hæretici judices catholicis. Olim quando perventum erat ad missam cathecumenorum, jubebantur exire cathecumeni & energumeni, & pœnitentes; ita hodie esse expellendos hæreticos, quando deventum est ad consecrationem corporis Christi. Debere episcopum exigere professionem fidei ab his qui sunt dubii, quos vocat amphibios. Joannes Spalardus procurator capituli Suessionensis, censuit pro sacramentis quidem nihil esse accipiendum, sed pro sepulturis mortuorum, & ceteris hujusmodi, indignum esse quod nobiles quandoque cogant presbyteros celebrare missam. Providendum ecclesiis cathedralibus & paucos esse proventus ecclesiarum parœcialium; consultius esse ut fiant uniones ecclesiarum, & si quid a populo curioni sponte ex pietate offeratur, id ab eo non esse recusandum, nec ei esse hoc auferendum. Cagnetus procurator capituli Ambianensis censuit, ita providendum esse curionibus, ut non destruantur canonicatus. Considerandum etiam esse in his sodalitatibus, quas vocant confraternitates, multa fieri perperam, nec permittendum esse ut dum fit communio sint quæstores qui quærant per ecclesias. Furnius alter ex procuratoribus reverendiss. Ambianensis, censuit personales decimas esse solvendas curionibus, esse epistolam Leonis papæ, qua jubetur populus convenire ad majorem missam. Procurator capituli Morinensis conquestus est, quod cum magna eorum ecclesiæ diœcesis pars sit in finibus ditionis regis Philippi, ab ejus magistratibus ei auferantur decimæ. Reverendus abbas sancti Dionysii, sequutus est sententiam episcopi Catalaunensis, postulavit autem ut cum in ecclesia sui monasterii, sit ecclesia parœcialis, a curione celebretur magnum missæ sacrificium, alia hora quam ea qua celebrant monachi. Reverendus abbas sancti Joannis Suessionensis dixit frustra sanciendam esse excommunicationem in eos, qui diebus dominicis rei divinæ non interfunt, & maxime si qui sint alieni a recta religione. Curionibus autem providendum prudenti arbitrio episcoporum. Reverendus abbas Vallis-Claræ censuit esse permittendum curionibus, ut accipiant non pro sacramentis, sed pro labore, sed ut si quid eis offeratur non recusent. Reverendus abbas Victoriæ censuit curiones non esse frustrandos iis quæ dari consueverunt pro sepulturis & anniversariis. Reverendus prior sancti Remigii censuit esse servandas laudabiles consuetudines. Quod attinet ad sacrificii missæ celebrationem dixit se esse in eadem sententia, in qua sit Demochares procurator reverendissimi episcopi Noviodunensis : monasteria autem non esse privanda aquæ benedictæ consecratione. Illustrissimus cardinalis metropolitanus, auditis eorum qui dixerant, sententiis, primum quidem cœpit dicere de nuptiis, de his enim lecti fuerant aliquot canones : ostendit in iis multa perperam, & non rite fieri propter privilegia ; nam qui a curione non admittitur ad nuptialem benedictionem, is confugiens ad eos qui hujusmodi fruuntur privilegiis minime repellitur. Sed concilio Tridentino ei rei optime esse prospectum, quo cautum est ne sit amplius ullus nullius diœcesis locus. Quod attinet ad curiones, edicta regia eis magna attulisse incommoda, sed ecclesiasticis nihil majorem afferre perniciem quam nostra dissidia. Olim fuisse excommunicatos, qui provocabant ad laica tribunalia, sed nos ipsi, inquit, eos nostros judices facimus. Quod ad congruam curionis attinet portionem, quid fieri possit, videant episcopi in visitatione. Si quæ nimia paupertate laborent ecclesiæ, utendum erit annexione. Sed quod ad congruam attinet portionem, eam non posse petere monachos. Nam cum episcopi decimas dederint monasteriis, æquum etiam esse ut ipsa subeant onus administrandarum earum, quarum curam gerunt, ecclesiarum, pro quibus accipiunt decimas. Admoneat sancta synodus episcopos, ut videant quid sit faciendum, & referant ad proximam synodum: videant etiam atque etiam curiones ut suo rite fungantur munere. Ineundam esse aliquam rationem, ut eorum vitæ provideatur. Ipsi interea pro sacramentis nihil exigant, sed si quid oblatum fuerit, accipiant. Non esse consentaneum, ut in cathedralibus & collegiatis ecclesiis, in quibus septis & aulæis choris obtectis a magno altari ita arcetur populus, ut id ne possit quidem videre, quod non fit in Italia: dum magnum celebratur missæ sacrificium non aliud peragatur, posse autem id fieri in ecclesiis parœcialibus. Monasteriis non esse interdicendum consecratione aquæ benedictæ, cum parœciæ rectori id nihil præjudicii adferat, si id fiat tantum propter eos qui continentur intra septa monasterii. Non esse excommunicandos eos qui diebus dominicis non intersunt missæ sacrificio, cum propter edictum regis id sit frustra futurum, sed videant episcopi quid sit faciendum & referant ad proximam synodum. Hæc cum dixisset illustrissimus cardinalis metropolitanus, & jam instaret hora prandii, dixisetque post prandium legendos esse qui restabant canones, dimissus est conventus.

ANNO CHRISTI 1564.

XVIII. CONGREGATIO.

HOra autem prima pomeridiana ejusdem diei eodem anno, illustriss. cardinali præside, fuit rursus congregatio, in qua cum fuissent recitati qui restabant canones, & eos universa approbasset synodus, petiit illustrissimus cardinalis metropolitanus, vellentne indici proximam synodum Rhemensem in civitate Suessionensi, dominica secunda post Trinitatem : quod quidem non abnuit reverendiss. Suessionensis, postea, reverendiss. episcopus Catalaunensis in hanc locutus est sententiam. Cum tamen multa synodi Tridentinæ decreta in hac sancta synodo fuerint approbata, non licere sibi id silentio præterire, quod id prætermittatur, quod est præcipuus nodus quo ecclesiastica continenda sit disciplina, nec se posse satis mirari quod a nonnullis tam acriter defendantur exemptiones, nec ex tot doctissimis, qui adsint theologis, ullum esse qui doceat, quanti sit in ecclesia Christiana momenti aboleri & tolli exemptiones. Legibus xii. tabularum olim fuisse prohibitum ne ulla essent privilegia, hæc quidem certe privilegia exemptionum hierarchicum ordinem perdidisse. Hinc enim factum esse ut presbyteri sint acephali, & ex ecclesia sublata sit pædagogia, & ut populus nostro

Anno Christi 1564.

ſtro exemplo ſit diviſus. Se itaque petere ut promulgetur decimus canon decreti reformationis viii. ſeſſion. ſub Pio IV. illuſtriſſ. autem cardinalis metropolit. dixit, ſe eſse concilio Tridentino pariturum, a Chriſtiano enim eſse alienum quidquam moliri ei contrarium. Se quidem magnopere cupere, ut id fiat quod petit reverendiſs. Catalaunenſis, ſed propter duritiam cordis libellum repudii aliquandiu eſse permittendum. Non expedire ſynodo ut nobis videamur proſpexiſse, non eccleſiæ, cum procuratores dicant ſe habere in mandatis, ut de hac re non reſpondeant, nec is ſit numerus qui debebat epiſcoporum. Quod nunc hic erat faciendum, fiet inter eos communi conſenſu, quod quidem ut facerent eos eſt hortatus. Quod ſi pergant eſſe diſcordes, ſe quidem cum a ſummo pontifice diploma nuper acceperit, muneri ſuo non eſſe defuturum. Reverendiſſ. autem Catalaunenſis cum videret non promulgari canonem de abrogatis exemptionibus ſicut petierat, poſtulavit ut ſuæ petitionis in actis fides fieret. Se quidem valde deſideraſſe, ut in hac ſancta ſynodo definiretur hæc controverſia, quod ægre ferat laica tribunalia. Illuſtriſſimus autem Cardinalis metropolit. dixit ſe ægre ferre hanc diſcordiam inter epiſcopum & canonicos, eos enim ſe ſubjicere laicorum juriſdictioni, hoc aditu pateſacto futurum, ut hoc jus deinceps ſibi uſurpent laici, dicent enim: hæc ſunt jura regis. Poſſe hanc litem toti eccleſiæ afferre præjudicium. Deinde rogatus reverendiſſ. Catalaunenſis dixit, ſe probare indictionem ſynodi die dominico ſecundo poſt Trinitatem anno 1266. quod etiam placuit omnibus. Sed Furnius procurator reverendiſſ. epiſcopi Ambianenſis cum dixiſſet ſe approbare indictionem concilii, poſtulavit ut ad conciliandam inter reverendiſſ. epiſcopum Ambianenſem & canonicos concordiam, ab illuſtr. cardinali mitterentur aliquot ex ſuis canonicis. Procurator autem capituli Catalaunenſis reſpondens ad ea quæ dixerat reverendiſſ. Catalaunenſis epiſcopus, dixit non minorem eſse virtutem quam quærere parta tueri. Privilegio eſse privandum qui derogat aliorum privilegio, provocaſſe epiſcopum, æquum eſse ut ſe defendant. Non oportere epiſcopum eſse litigioſum. Se probare quidem indictionem concilii, ſed poſtulare ut detur etiam poteſtas prorogandi. Reſpondit autem illuſtriſs. cardinalis præſes concilii, non eſse poſtulandam concilii prorogationem, cum hoc jure liceat metropolitano. Deinde dixit reverendiſſ. metropolit. admonendos eſse abſentes, qui cum debuiſſent ad concilium venire, non venerunt, quod placuit quidem omnibus, ſed eo non contentus Richardus a Prato procurator capituli Rhemenſis petiit, ut qui non venirent ad indictum concilium, nec in aliis eccleſiis ulla habeant beneficia, nec promoveri poſſint ad epiſcopatus. Poſtea juſſu illuſtriſſimi cardinalis metropolitani recitata ſunt tria decreta ex concilio Tridentino deprompta, quæ etſi omnibus placuiſſent, viſum eſt tamen ſanctæ ſynodo conſultius eſse ea quidem ut approbata apud acta ſervari, nondum tamen publicari: Ea autem ſunt de clandeſtinis matrimoniis & de raptoribus, & de vagantibus. Deinde cum dixiſſet illuſtriſſimus cardinalis metropolitanus, recitatis jam quæ publicanda erant decretis, & ab omnibus approbatis, reliquum eſſe, ut Chriſto duce craſtino die fiat ſeſſio, id etiam ſi Deus velit, futurum eſse ſignificavit: priuſquam autem dimitteretur conventus in hanc loquutus eſt ſententiam, ut mitiſſime agantur omnia, cum ſint multa in medium allata quæ ſumpta ſunt ex concilio Tridentino, nec hæc tempora ferre poſſint ut cetera proferantur, ea eſse referenda ad proxime futuram ſynodum provincialem. De literis ad regem ſcribendis petiit ut hoc ſibi daretur negotium, & ceteris epiſcopis comprovincialibus. In his regi Chriſtianiſſimo eſse ſupplicandum, ne hæretici amplius tolerentur in ipſorum diœceſibus. De juriſdictione quoque in epiſcopatus Flandriæ ut maneat penes metropolim nempe eccleſiam Rhemenſem. Ipſius autem regis id valde intereſſe. Scribendas etiam eſse literas ad epiſcopum Cameracenſem, ſignandaſque eſse literas ab epiſcopis, hæcque omnia eſse in acta referenda: deinde poſtulavit ut ſe haberent excuſatum, ſi pro ſuo munere aliquid dicat. Se ad eos eadem uti obſecratione & obteſtatione, qua S. Paulus, nempe ut unuſquiſque attendat ſuo gregi, & ſuam regat eccleſiam. Fuiſſe Tridenti quendam pium concionatorem, qui adhortatus patres concilii ut quæ a ſynodo ſtatuta fuerant exequerentur: dixit quamdam vetulam dum rediret a concione rogatam facta ne eſſet concio, reſpondiſſe, dicta eſt, inquit, non facta, hoc quidem provinciale concilium quod ad ea quidem quæ dicenda ſunt attinet, jam eſt perfectum, ſed a nobis expectari non quid ſit dictum, ſed quid factum, vel potius quid faciendum. Se ergo & ſeipſum, & cæteros ſimul adhortari, ut ſimus factores legis non auditores tantum. Non eſse quod prolixa utatur oratione, ut oſtendat quam ſit miſer & affectus hodiernus ſtatus eccleſiæ, cum res ipſæ per ſe loquantur. Numquam fuiſſe in eccleſia majores contentiones, nec majores tumultus, periculum eſse domi & foris, & a falſis fratribus, & ab omni ſublimi poteſtate. Juſta quidem & fidelia eſse Dei promiſſa, & de quibus non ſit dubitandum, non meritis certe noſtris, ſed ejus gratiæ deberi quod ſarta tecta ſit eccleſia. Omnibus tamen eſse adnitendum, ut unuſquiſque ſedulo præſtet quod poſſit: magnam eſse omnium expectationem, & nos omnibus hominibus eſse debitores, ſed eum demum eſse apud Deum excuſatum, qui fecerit quod potuerit: magnamque eſse hodie hypocriſim ſimulationemque ac diſſimulationem, inſignemque omnium corruptelam: efficiendum eſse ut ſi quid minus plene ſcriptum ſit, id exequendo compenſetur. Poſtremo loco eos eſt hortatus & obteſtatus, ut quantum fieri poterit, pax eccleſiaſtica conſervetur: "immutabilia ſe auferre exempla quæ aperte doceant cuilibet regno & reipublicæ, atque adeo etiam privatæ familiæ evidentem impendere interitum ubi regnat diſcordia, quamquidem cum omnibus eſſe vitandam, tum nobis maxime qui eum agnoſcimus magiſtrum, ejuſque ſequi profitemur diſciplinam, qui frequentius nihil in ore habuit, nihil lubentius prædicavit quam pacem, Chriſti inquam ſervatoris noſtri. Cavendum eſse ne ſimus ſcandalo puſillis & malis hominibus: Id autem maxime & imprimis obſervandum ut eamdem fidem & eumdem ritum teneamus dilectionem poſtulaſſe, ut ea quæ dixit diceret, minime eum latere ſe non potuiſſe placere omnibus, eſſe enim nimis difficile obſervare eos ut quæcumque fecerit boni conſulant, ſe quidem certe feciſse quod ei dictavit conſcientia. Se Deo agere gratias quod & generalem ſynodum cui interfuerit finitam viderit, & provincialem primam poſt generalem primus celebraverit, deinde epiſcopis & eccleſiarum procuratoribus egit gratias quod interfuerint, & graviſſimis ſententiis pium ſuum animum declaraverint, & in rebus decernendis operam & opem dederint,

"*f.* leg. in numerabilia ſe afferre exempla ſive offerre.

ANNO CHRISTI 1564.

faxit, inquit, Deus quod ecclesiæ suæ est necessarium. Neminem huc venisse egentem, siquid tamen sit in quo eis possit esse usui, id eis minime defuturum, idque posse sibi unumquemque polliceri; se de gravaminibus de quibus cum rege erit agendum fideliter relaturum, sperareque, Christo favente, rem bene successuram. Quod ut fiat rogare se ut in illorum ad Deum precibus sui meminerint, absoluta esse omnia & nihil obstare quominus crastino die peracta sessione ad suas redeant ecclesias, quarum se rursus etiam atque etiam rogare ut quam par est curam gerant.

ULTIMA CONGREGATIO.

FEria autem quarta, qui fuit decimus tertius Decembris, eodem anno, eodem rege, & pontifice facta fuit sessio in æde divæ Mariæ Rhemensis, in qua cum in suo ordine considentibus omnibus fuisset celebratum solitis cerimoniis ad invocandam sancti Spiritus gratiam sacrificium, & de more cantati essent hymni, laudes & cantica, illustriss. & reverendiss. cardinalis metropol. dedit diacono decreta recitanda, & "jurisdictionem proximi concilii celebrandi in Suessionensi civitate, dominica secunda post Trinitatem 1566. quæ cum legisset, & ea sibi placere respondissent, omnes, nisi quod procurator capituli Catalaunensis dixit omnia sibi placere, modo ne decretum de residentia capituli suæ ecclesiæ afferat præjudicium, & procurator capituli Ambianensis se probare omnia modo ne quidquam præjudicent capitulo Ambianensi, & id reverendiss. metropolitæ scriba retulisset, hymno *Te Deum*, decantate omnes domum se referunt, & finitum ita fuit concilium.

"indictionem.

Sequuntur nomina eorum qui vel præsentes huic Rhemensi concilio provinciali interfuerunt, vel miserunt procuratores.

EX DIOECESI RHEMENSI.

CArolus Illustrissimus ac reverendissimus cardinalis Lotharingus, dux Rhemensis, & metropolitanus præses, fuit in hoc concilio.

Collegium, seu capitulum ecclesiæ Rhemensis, in eo constituit suos procuratores, magistros Joannem Clericum cantorem, Richardum a Prato thesaurarium, doctores theologos, Nicolaum Moyen, Guillelmum Coquillart, Petrum Gilbault, presbyteros, in jure canonico licentiatos, & ejusdem ecclesiæ canonicos.

Claudius Cauchon, reverendus abbas S. Dionysii Rhemensis.

Ursinus abbas commendatarius S. Nicasii Rhemensis.

"Mosomo

Conventus abbatiæ S Mariæ a "Mohonio, constituit procuratorem reverendum abbatem S. Dionysii Rhemensis.

Reverendissima abbatissa monasterii Aveniacensis constituit suum procuratorem magistrum Hilarum "Bouterone, thesaurarium illius monasterii.

"f. Boutetove.

Capitulum Maceriarum, misit procuratores magistros Martinum Destes decanum, Bertrandum Bilet, Andream Guillemain, Nicolaum de la Roche, Joannem Fabri, Joannem Ravel, canonic. Maceriarum.

Capitulum Montis Falconis misit suos procuratores, Guillelmum Colinum & Franciscum Bude, canonicos ejusdem capituli.

Capitulum sancti Timothei Rhemensis, constituit suos procuratores, magistros Joannem Cossart, Petrum Gilbaut, Antonium a Francia, & Bartholomæum Alexandrum, canonicos ejusdem ecclesiæ.

ANNO CHRISTI 1564.

Capitulum "Braxense, misit procuratorem Jacobum Deffetel.

"f. Braxense

EX DIOECESI SUESSIONENSI.

CArolus "reverendissimus episcopus Suessionensis.

"de Roucy

Capitulum ecclesiæ Suessionensis, misit procuratores, magistros Joannem Lespaulart in utroque jure licentiatum, ejusdem ecclesiæ decanum, & Antonium Bouzere, thesaurarium & canonicum ejusdem ecclesiæ.

Conventus abbatiæ sancti Crispini in Chaja, misit procuratorem Jacobum Fabrum, presbyterum, in eodem monasterio vota monastica professum.

Abbas & conventus sancti Leodegarii Suessionensis, misit procuratorem magistrum Pontium de Novion.

EX DIOECESI LAUDUNENSI.

ECclesia & capitulum Laudunense sede vacante, misit procuratores magistros Christophorum de Hericourt, decanum; Nicolaum Bertrandum, archidiaconum; Franciscum Pestele, thesaurarium; & Nicolaum Poze, officialem; canonicos ejusdem ecclesiæ Laudunensis.

EX DIOECESI NOVIODUNENSI.

REverendissimus episcopus Noviodunensis, Joannes de Hangest, misit suum procuratorem Antonium de Mouchy, qui alias dicitur Demochares, doctorem theologum, ecclesiæ Noviodunensis canonicum, & ejusdem reverendiss. episcopi vicarium.

Capitulum ecclesiæ Noviodunensis, misit suos procuratores magistros Petrum Boitel, archidiaconum; & Martinum Morlet, presbyteros, canonicos ejusdem ecclesiæ.

Capitulum Nigellense, misit suos procuratores magistrum Joannem Dauphin, canonicum ecclesiæ Noviodunensis, & Joannem Deele, canonicum ejusdem ecclesiæ Nigellensis.

Capitulum S. Quintini, misit magistros Bernardum Boucher, & Remigium Roliquet canonicos ejusdem ecclesiæ.

Capitulum Peronense, misit suos procuratores magistrum Joannem Chevalier, & Antonium Wallet, canonicos ejusdem capituli.

Abbas S. Eligii, misit suum procuratorem, virum venerandum magistrum Joannem de Beauvais, suum vicarium & priorem claustralem ejusdem monasterii.

Abbas S. Bartholomæi, misit etiam suum procuratorem eumdem magistrum Joan. de Beauvais, vicarium etiam ejusdem monasterii S. Bartholomæi.

Abbas Hamensis, constituit suum procuratorem in hoc concilio magistrum Nicol. Griveau, decanum & canonicum ecclesiæ Ambianensis, & canonicum etiam S. Capellæ palatii Parisiensis.

Abbas S. Primi, prope D. Quintinum, constituit suos procuratores magistros NN.

Abbas S. Eligii Fontani, constituit suum procuratorem Nico. Malvault, qui vice sua substituit.

Clau-

Anno Christi 1564.

Claudium Rivage, presbyterum, habitantem apud "Chamnium.

"f. Chaumium.

EX DIOECESI BELLOVACENSI.

CApitulum ecclesiæ Bellovacensis, constituit suos procuratores magistr. Joannem le Besq; & Joannem Sariel, doctores theologos, & canonicos ejusdem ecclesiæ.

Abbas S. Symphoriani prope Bellovacum, misit suum procuratorem fratrem Pantaleonem Bigot, monachum ejus monasterii.

Abbas S. Quintini prope Bellovacum, & S. Martini in Nemore, constituit suum procuratorem magistr. Antonium de Mouchy, qui alias dicitur Democharès, doctorem theologum.

Illustrissimus ac reverendiss. cardinalis Guisianus, abbas Belli-prati, constituit suum procuratorem Jacobum d'Applincourt.

EX DIOECESI CATALAUNENSI.

REverendissimus episcopus Catalaunensis, Hieronymus Burgensis.

Capitulum Catalaunense, misit suos procuratores magistr. Jacobum Bodet, magnum archidiaconum, Claudium Buat, thesaurarium, Robertum Cuissole, presbyteros, canonicos ejusdem ecclesiæ.

Prior Dargicurte, constituit suos procuratores magistr. Desiderium Brontier, & Petrum Gilbault.

EX DIOECESI AMBIANENSI.

REverendissimus episcopus Ambianensis, Antonius "Crechais, misit suos procuratores magistr. Nicolaum Griveau decanum, & Robertum Fournier doctorem theologum, canonicum ecclesiæ Ambianensis.

"Crequius, de Crequy.

Capitulum ecclesiæ Ambianensis, constituit etiam suos procuratores eumdem magistrum Nicolaum Griveau, & magistr. Joannem Caguet, doctorem theologum, canonicum ejusdem ecclesiæ.

Capitulum ecclesiæ S. Wlfrandi Abbatis-villæ, misit procuratorem magist. Joannem Cagnet, doctorem theologum.

Abbas S. "Remigii, constituit suum procuratorem magist. Antonium de Mouchy, doctorem theologum.

"f. Richarii.

Conventus abbatiæ S. Valerici, constituit suum procuratorem magist. Joannem d'Applincourt.

EX DIOECESI SILVANECTENSI.

REverendissimus episcopus Silvanectensis, Petrus Chevalier.

Capitulum ecclesiæ Silvanectensis, misit suum procuratorem Joannem Aubin, magnum cantorem & officialem ejusdem ecclesiæ.

Reverendus abbas S. Vincentii, constituit suum procuratorem magist. Joannem le Besque, doctorem theologum, canonicum Bellovacensem.

EX DIOECESI MORINENSI.

CApitulum ecclesiæ Morinensis, sede vacante, misit suum procuratorem magistrum Petrum Darques, decanum suæ ecclesiæ.

Conventus abbatiæ S. Mariæ Bononiensis, misit suum procuratorem virum reverendum Franciscum Gonum, monachum ejus monasterii.

Reverendus abbas Belliloci misit suum procuratorem magistrum Petrum Darques.

Reverendus abbas S. Androlii, misit suum procuratorem magistrum N.

Anno Christi 1564.

Reverendus abbas Lesquorum, misit suum procuratorem Guillelmum Santon, canonicum Morinensem.

Conventus Longivillaris, misit suum procuratorem Petrum Fabrum, monachum ejusdem monasterii.

Reverendus prior Helicensis, misit suum procuratorem magistrum NN.

Reverendi aliquot abbates.

Nicolaus de Joyeuse, reverendus abbas Bellæ-Vallis, ordinis Præmonstratensis, Rhemensis diœcesis.

Guillelmus Daucon, reverendus abbas Longivadi, ordinis Præmonstratiensis, Rhemensis diœcesis.

Thomas de Ham, abbas monasterii Vallis Dei, ordinis S. Victoris, diœcesis Silvanectensis.

Joannes de Biencourt, abbas monasterii sancti Sabini, ordinis sancti Benedicti, diœcesis Ambianensis.

Antonius Trassen, abbas monasterii omnium sanctorum, ordinis sancti Augustini, diœcesis Catalaunensis.

Guido Cornuat, de Valle-clara, ordinis Cistercienſis, Laudunensis diœcesis.

Abbas de Cuisly, ordinis Præmonstratensis, Laudunensis diœcesis.

Abbas Bonifontis, ordinis Cistercienſis, Laudunensis diœcesis.

Deslan de Poitiers, ordinis Cistercienſis, Rhemensis diœcesis.

Decreta a Synodo quidem probata sed nondum publicata.

DE MATRIMONIIS.

NUlla sint imposterum rata ac legitima matrimonia, quæ clam contrahuntur, sed in celebrandis matrimoniis ita procedatur, ut cum priusquam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium parocho tribus continuis diebus festivis in ecclesia inter missarum solemnia publice fuerit denunciatum, inter quos matrimonium sit contrahendum: nec ullum legitimum oppositum fuerit impedimentum, in facie ecclesiæ celebretur matrimonium, ubi parochus ecclesiæ viro & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat: Ego vos in matrimonium conjungo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, vel aliis utatur verbis juxta receptum utriusque provinciæ ritum.

DE RAPTORIBUS.

INter raptorem & raptum nullum consistit matrimonium, quando rapta est in potestate raptoris. Quod si in loco tuto ac libero collocata consenserit eum habere maritum, raptor eam habeat uxorem. Sit tamen ipse raptor excommunicatus & perpetuo infamis, omniumque dignitatum incapax, & omnes itidem, qui illi consilium ac favorem præbuerint, & si sint clerici, a suo gradu excidant. Teneatur præterea raptor raptam dotare decenter arbitrio judicis, sive eam duxerit, sive non duxerit. Amen.

ANNO CHRISTI 1564.

ARCHIEPISCOPUS, DUX RHEMENSIS,

ILLUSTR. D. CARD. A LOTHARINGIA

FUIT PRÆSIDENS IN CONC. PROVINCIALI.

Hæ sunt procurationes archiepiscopi Rhemensis, per suas civitates, diœcesim, & provinciam Rhemensem.

CAPITULUM RHEMENSE.

PEr suos deputatos, videlicet magistros Joannem le Clerc, cantorem; Richardum du Prez thesaurarium; Joannem Cossart, pœnitentiarium doctores in theologia; Nicolaum Moyen, Guillelmum Coquillart, & Petrum Gilhault, presbyteros licentiatos, canonicos ecclesiæ Rhemensis.

Abbates f. Ursini.
- S. Dionysii, reverendus dominus Cauchon præsens. — Ord. sancti Benedicti.
- S. Nicasii, reverendus dominus de Ursius, commendatar. præsens. — Ord. sancti Benedicti.
- Sancti Theodorici, — Ord. sancti Benedicti.
- Altovillaris, — Ord. sancti Benedicti.
- Sancti Bazoli, — Ord. sancti Benedicti.
- Mosomensis, — Ord. sancti Benedicti.
- Abbatissa de Avenay. — Ord. sancti Benedicti.
- Signiacensis, — Ord. Cisterciensis.
- Vallis regis, — Ord. Cisterciensis.
- Igniacensis, — Ord. Cisterciensis.
- Bonifontis, — Ord. Cisterciensis.
- de Cheheris, — Ord. Cisterciensis.
- de Elcono, — Ord. Cisterciensis.
- Septem Fontium, — Ord. Cisterciensis.
- Vallis Dei, — Ord. Præmonstrat.
- Bellæ-Vallis. — Ord. Præmonstrat.
- de Calvo monte, — Ord. Præmonstrat.
- de Longo-vado, — Ord. Præmonstrat.
- Espernensis. — Ord. S. Augustini.

Capitulum Macerience,
Capitulum Braquense,
Capitulum Montisfalconis,

Priores
- de Ventelazo Majoris monasterii,
- S. Theobaldi in castro Portuensi,
- S. Huberti in Ardenna,
- de Anicorte S. Benedicti supra Ligerim,
- de Regitesse S. Remigii Rhemensis.
- de Tyno, monasterii Mosomensis,
- de Noviaco Silvæmajoris in Gasam,
- de Ulmonte S. Vincentii Laudun.
- de Cheaquiaco S. Remigii Rhemensis,
- de Piris S. Huberti in Ardenna.
- de S. Iuliano prope Macerias monasterii Mosomensis.
- de sancto Thoma sancti Remigii Rhemensis,
- de Duvo de Alvernia,
- de S. Vvalburge de Molesmo,
- de Senico S. Remigii Rhemens.
- de Turribus supra Maternam,
- de Nova Villetta, S. Huberti in Ardenna,
- de Viasona omnium sanctorum in insula Catalaunensi,
- de Grandi-prato S. Dionysii Rhemensis.

DIOECESIS SUESSIONENSIS.

EPiscopus Suessionensis,
Capitulum Suessionense,

Abbates
- Sancti Crispini majoris,
- Orbacensis,
- de Chesiaco,
- S. Ioannis in Vineis Suessionensis,
- S. Crispini in Cavea,
- S. Leodegarii Suessionensis,
- de Essommia,
- de Candaco, Præmonstratensis ordinis,
- Vallis secretæ, Præmonstratensis ordinis,
- Christianæ, Præmonstratensis ordinis,
- S. Yvodii de Brana,
- Loci Restaurati.
- de Longo-ponte, Cisterc. ord.
- Abbatissa B. Mariæ Suessionensis,
- Abbatissa de Morgnivalle,
- Abbatissa S. Ioannis in Bosco,
- de Monte chemmonte, Mirab.
- S. Stephani in monte Mirabili.
- S. Ioannis in Vineis.
- de Vezolo de Chesiaco,
- de Coussiaco, Cluniacensi.
- de Castellione,
- de Castello de Ullois de Rebez,
- de Ponte de Vaison, Cluniacensis,
- de Ulcheyo, s. Augustini,
- de Firmitate Milonis, s. Ioannis in Vineis,
- S. Vedasti prope Feritatem,
- S. Genovefæ,
- de Montegniaco, Cluniac.
- de Villari monach. de Cella Dei,
- de Petra-fonte majoris monasterii.

Priores
- S. Nicolai in Bosco de casa Dei,
- de Bestisiaco S. Quintini Bellovac.
- S. Leodegarii in Bosco de silva.
- de Bretheigniaco, Cluniacensis.
- de Bellafontana s. Bartholomæi, Noviodunensis.
- de Cherisiaco, Cluniac.
- S. Pauli in Bosco silvæ majoris,
- de Vailliaco s. Crispini majoris, Suessionensis.
- de Brava, Cluniac.
- S. Theobaldi majoris monasterii.
- Bella-vallis Silvæ majoris,
- de Doitholi, Cluniac.
- de veteri Arsico,
- de villari in Tardano de Coussiaco,
- de Montefelici de Sparnaco,
- de Condeto prope Vailliacum,
- de Un, s. Pharonis Meldensis.
- Magdalenæ, de Eeritate Milonis, s. Pharonis,
- de Igniaco Iard. martyris, Sparnacensis.

LAUDUNENSIS.

EPiscopus Laudunensis,
Capitulum Laudunense,
Capitulum s. Ioannis in Burgo,
Capitulum s. Petri in foro,
Capitulum Roselen.
Capitulum Guisens.
Capitulum de Fairy,

Ab.

ANNO CHRISTI 1564.

Abbas s. Joannis, Laudunenſ. A
S. Vincentii, Laudunenſ.
S. Nicolai in Boſco,
de Nogento ſub Codiciacum,
S. Nicolai de Ribodimonte,
S. Michaelis in Terreſchia,
Abbatiſſa de Oregniaco, Ord. Præmonſt.
Abbates S. Martini Laudunenſis.
Præmonſtratenſis,
Guiſiacenſis,
de Tenellis,
de Claris-fontibus, ord. Præmonſt.
de Buſſeillies,
Vallis-claræ.
Foiſniacenſis, ord. Ciſtercienſ. B
de Rotheries.
de Enregincurte ſancti Huberti in Ardenna,
de Bouſſiace, majoris monaſterii.
de Courbenezo s. Remigii Rhemenſ.
de S. Ermino, de Lobiis,
de S. Thoma, ſancti Vincentii Laudunenſis.
de Giſſiaco, Silvæ majoris.
de Lapion s. Pauli,
de Chaintou s. Martini Tornac.
Priores de Bariſiaco s. Amandi in Pabula,
de Muſerna ſupra Yſaram de Maricol.
de Leſquiores, s. Vincentii Laud.
de Tupegniaco, Cluniac. C
de Houdmulla de Fidemio,
de Marla de Fidmio,
de Creciaco. s. Ioannis,
de Grandelam.

NOVIODUNENSIS DIOECESIS.

Epiſcopus Noviodunenſis,
Capitulum Noviodunenſe.
Capitulum Nigellen.
Capitulum s. Quintini,
Capitulum Peronenſe,
S. Eligii Noviomen. D
S. Quintini in Inſula, ordinis s. Benedicti,
S. Præjecti in s. Quintino,
de Homblieres.
de Moucello, S. Quintini.
S. Bartholomæi Noviodun.
Abbates Hamenſis in Viromandia, ordinis ſancti Auguſt.
S. Eligii Fontis.
de Vermana, ordinis Præmonſtratenſis,
de Urſicampo,
Abbatiſſa B. Mariæ in Boſco, juxta Bellum locum,
Abbatiſſa de Favorgues, juxta s. Quintinum E
de ſancto Amando in Courota,
S. Martini Turonenſis,
de Villari ſilva de Vezelayo,
de Belloco s. Criſpini Sueſſion.
de Margallis de Arroeſia
de Achies s. Theodorici,
de Capi Cluniac.
de Doing de Arroeſia,
de Vendolio s. Vincentii Laudunenſ.
Prioriſſa de s. Chriſto de Pure,
de Millo de Hamo monachorum in Terneſia,

ANNO CHRISTI 1564.

de Paruvera s. Nicolai in Boſco,
de Capova s. Eligii fontis.
de Carchiaco de Nogento, ſub Conth.
Domus Babuel, } s. Eligii
Domus de Novavilla, } Noviodu-
Domus de Chauſmaco, } nenſis.
Domus de Vertiaco, Ambianenſis diœceſ. }
Domus de Courdemanche, Templariorum,
Domus de Eſtrepigny, Hoſpit.
Domus de Malo Reſpectu,
De Brerlu ſancti Bartholomæi Noviodunenſis,
de Berrinea ſancti Bartholomæi Noviodunenſis.

BELLOVACENSIS.

Epiſcopus Bellovacenſis,
Capitulum Bellovac.
Capitula s. Mariæ, s. Laurentii, Nicolai, Bartholomæi, Vedaſti, Ant. in civitate Bellovac. & diœceſi,
Capitulum Gerboredenſe,
Capitulum de Montraco,
Capitulum de Merloto,
Capitulum de Claromonte,
Capitulum de Cradolio,
ſancti Luciani, Bellovacenſis,
s. Symphoriani Bellovac.
ſancti Geremari in Flagiaco, } Ord. ſancti Benedicti.
s. Mariæ de Bretolio, }
s. Quintini, Bellovac. ord. ſancti Auguſtini.
Abbates s. Martini in Boſco, ord. s. Aug.
de Bello-prato,
de Alveto, Ciſtercienſis,
de Regalimonte,
de Frigido monte,
s. Juſti, Præmonſt.
Abbas s. Juſti, prope Bell. ord. s. B.
de Bello monte, Cluniac.
de Nopritello de Maleſmis,
de Inſula Adæ, Cluniac.
de Lacu, monaſt. de Bono in Nor.
de Roiverolles de Pontizara,
de Bornet de Verlezazo,
de Bella eccleſia de Pontizara,
de s. Lupo de Cluniac.
de Merloto de Verzelayo,
de Monte tara de Immegiis, [ſ. Iumeglis.]
Priores de Nogento ad virgines de Fiſcanno,
de Ponte s. Mexantiæ, s. Symphoriani Bellovac.
de Bervolio de Maleſmis,
de Freſneto de Charran,
de Rivecurte s. Vandregiſilli in Norman.
de Chuthuria, Cluniac.
de Valle florida,
de Aqua curta,
de Gournayo s. Quintini, Cluniac.
de s. Remigio ſub Claromonte de Flayaco,
de Warty prope Clarum montem de Caritate,
de Brolio ſicco de Flagiaco,
de Bullis de Verzelayo,
de s. Meſiano s. Luciani Bellovacenſis,
de Bono oculo de Bricolio,
de Milliaco s. Lucian, Bellovacenſis,
de Anelia, Majoris monaſt.
s. Chriſtophori in Halata.

CA-

ANNO CHRISTI 1564.

CATALAUNENSIS DIOECESIS.

Episcopus Catalaunensis,
Capitulum Catalaunense,
Capitulum S. Trinitatis Catalaunensis,
Capitulum de Joinvilla,

Abbates:
- Sancti Petri ad montes, Catalaunensis,
- S. Salvatoris de Virtuto,
- de Orione,
- Monast. Dervense,
- S. Urbani,
- de Murimonte,
- Omnium Sanctorum in insula Catalaun.
- S. Mangii, Catal.
- S. Mariæ de Virtuto,
- de Castricea,
- de Charimeza,
- de Cheminon,
- de Tribus fontibus,
- de Alto fonte,
- de Monasteriis in Argonia,
- de Moncellis,
- de Monte Mauri, Majoris monasterii,
- sanctæ Genovefæ de Vitriaco,
- sancti Theobaldi de Vitriaco, Cluniacensis,
- de Nascio castro,
- de Rigny curia de Rebez,
- de Ulmezo ad moniales, S. Benigni Divionis,
- de Sarmaisia S. Audoeni,
- de Passeles, prope sanctum Desiderium, S. Urbani,

Priores:
- de Waissy, monast. Dervens.
- de Horlculte S. Petri de Cella, Tree.
- de Petis, monast. Dervens.
- de Largiculte, s. Petri Tullens.
- de Callido fonte, sancti Wanni Virdunens.
- de Vvasnon ad Dominicas: ferunt ibi quondam diu fuisse moniales, nunc sunt canonici regulares, & debent procurat. episcopo Catalaunensi.
- de Gardo,
- de Caro campo,
- de Valriles,
- S. Valerici, ordinis sancti Benedicti, comparuit, per Jacobum D' Aplincourt, vicarium,
- de Loco Dei,
- Abbatissa de Bercoldi curia,
- Abbatissa sanctæ Austrebertæ in Monsterolio,
- Abbatissa de Dullandio,
- Domus Milius templi de Oysemont,
- Domus Hospitalis de sancta Malvilli.

Priores:
- De Luthinro in sanguine terso, Cluniacensis,
- de Encra, Cluniac.
- de Monte-Desiderii, Cluniac.
- sancti Taurini, Cluniac.
- de Avenaicura, Cluniac.
- de Morandimontis, Cluniac.
- S. Medardi supra Alvam, S. M. in Bosco,
- de Gojencuria, sancti Martini in Bosco,
- S. Albini de Sarponat de Bricolio,
- de Conceyo sancti Quintini Belvacensis,
- S. Maria de Piceyo de Flay,
- de Moliens S. Fusciani in nemore,
- de Homeade Treport,
- S. Senardi-ponte, de S. Luciano,
- de Samachus de Flay.
- de Calceya de Ango, de sancto Luciano,
- de Caeco de Flay,
- de Mariolio de Britolio,
- de Canciaco de Bono in Norm.
- de Arene, Cluniac.
- de Allodio de Flay,
- de Golys de Flay,
- de Donno Medardo in Pactino, de Flay,
- de Flexicuria S. Luciani,
- de Montenayo, Majoris monasterii.
- de Dampna petra, Cluniac.
- de Byencuria, Majoris monasterii,
- de Rayo de Hunicurte,
- de Ligniaco supra Cavehian, Cluniacensis,
- de Dullendio acquinatam,
- de Balneolis de Molesmis,
- de Sarcon, Majoris monast.
- S. Laurentii in nemore de Corbeia,
- de Abbatis-villa, Cluniac.
- de Perruoys,
- de F. Fasveti monasterio,
- Præpositus de Esclemmed.
- de Bouranches,
- de Nelran.

AMBIANENSIS DIOECESIS.

Episcopus Ambianensis,
Capitulum Ambianense,
Capitulum Royense.
Capitulum Pineomens.
Capitulum de Longo-prato,
Capitulum Folliacens.
Capitulum Abbatis-villa,
Capitulum de Nozele,
Capitulum de Vivacurte,

Abbates:
- S. Fusciani in nemore,
- Foresti monasterii,
- S. Judoci supra mare,
- S. Salvii in monasteriis,
- de Marolio,
- S. Martini de Gemellis.
- S. Acheoli,
- de Visenolio,
- de Claro-fageto,
- S. Joannis Ambianens.
- de Domno Martino,
- S. Petri de Solyncuria.
- de Seriaco,
- S. Andreæ in nemore.

E SILVANECTENSIS DIOECESIS.

Episcopus Silvanectensis,
Capitulum Silvanectense,
Capitulum sancti Frambaldi,
Capitulum sancti Reguli,
Capitulum de Crespejo,
Abbas S. Vincentii, Silvanectensis,
Abbas de Victoria,
Abbas Caroli-loci,
Abbatissa S. Remigii, Silvanect.
Prior sancti Nicolai, Silvanectensis; Cluniacensis,

Prior

Anno Christi 1564.

Prior de monte Spoliaco de Herivalle,
Prior de Brayo, S. Victoris Parisiensis,
Prior de Espero, Cluniacensis.

MORINENSIS DIOECESIS.

Episcopus Morinensis,
Capitulum Morinense,
Capitulum sancti Audomari,
Capitulum sancti Petri Casletensis,
Capitulum B. Mariæ Casletensis,
Capitulum de Lisleriis,
Capitulum S. Pauli in Ternesio,
Capitulum Frumense,
Capitulum Falcobergense,
Capitulum Hisdunense,

Abbates:
Sancti Joannis Morinensis,
Hamensis prope Lilena,
S. Bertini in S. Audomaro,
Bergensis S. Vvinoci,
de Capella,
Audremensis,
S. Nivardi in nemore,
S. Mariæ in Bosco, ordinis sancti Augustini.
S. Mariæ in Bolonia,
de Dodedivilla,
de Bello-loco,
seu Præpositus de Zenebeca,
seu Præpositus de Naneston,
seu Præpositus de Lo,
seu Præpositus de Enresson.
seu Præpositus sancti Martini in Ypra.
seu Præpositus de Fourmezelles,
seu Præpositus de Natenes,
B. Mariæ de Cholies,
S. Augustini Morinensis,
de Liquea, ord. Præmonst.
S. Nicolai Furnensis,
de Longo Villari,
de Claro-mariseo, Cisterciensis ord.
de Divina,
Abbatissa de Bourbourgo,
Abbatissa de Gyssnea, ordinis sancti Benedicti,
Abbatissa de Melram,
Abbatissa B. Mariæ in Bosco,
Abbatissa Messinienſis,

Priores:
S. Georgii de Hisduno,
de Framancarta de Hanno, prope Libera,
de Oda majoris monasterii,
de Mastem de Bolonezgio,
de Sanctis, S. Joann. Morinens.
de Hello de Lisson,
de Baugessaut, Cluniac.
de Rennenaco,
de Rency,
de Ardea de Capella Moncienſi,
S. Andreæ prope Ariam Sancti Victoris Par.
de Bello ramo,
de Cochem prope Ariam de Molesmis.
de Mepagliſe majoris monasterii.
de Benncroya prope Bethalam de Charran.

Anno Christi 1564.

COMMISSIO

CONVOCATORIA DICTI CONCILII PROVINCIALIS RHEMENSIS,

AB ILLUSTRISSIMO CAROLO DIRECTA episcopo Morinensi.

CArolus, miseratione divina tituli sancti Apollinaris, sacrosanctæ ecclesiæ Romanæ presbyter, cardinalis a Lotharingia nuncupatus, dux Rhemensis, primus par Franciæ, sanctæque sedis apostolicæ legatus natus: Reverendo in Christo patri, ac fratri charissimo domino episcopo Morinensi, Ypris residenti: Salutem in domino. Cum tantis hactenus ecclesia nostra Gallicana procellis, & calamitatibus sit agitata, ut id summæ, atque ineffabili Dei nostri clementiæ & pietati unice sit referendum, quod illa jam non penitus a fundamentis disturbata corruerit: illud etiam profecto dici verbis, aut mandari literis non potest, quanta ejus bonitate & prudentia effectum sit ut non tantum eadem ecclesia, in eo in quo nunc est pessimo & periculosissimo statu quodammodo retineatur, verum etiam ea nobis relicta sint remedia quibus præclarissimum illud primitivæ ecclesiæ ornamentum eidem restitui, inque pristinos honores & libertates ea vindicari posse videatur. Neque enim certe potentius quidquam tantis malis remedium a mortalibus excogitari aut a divino immensoque clementiæ fonte peti potuit, quam hæ quæ nobis generalium conciliorum decretis, & sacrorum canonum constitutionibus ordinantur & instituuntur, sunt synodi provinciales, quibus etiam olim patres nostri ecclesiam catholicam hæreticorum injuriis prope prostratam, cum vitiorum deformitate labefactata videretur, restaurarunt, sartamque tectam conservarunt. Et quidem earumdem constitutionum observatio, quanto orbis Christiani præjudicio prætermissa sit, adeo notum est, ut illarum restaurationem non modo utilem sed etiam necessariam esse nullatenus dubitari possit. Hinc est quod nos pristino laudabilique ecclesiæ more malis ecclesiarum nostrarum morbis medere cupientes, matura super eo quorumdam comprovincialium nostrorum episcoporum, nec non fratrum nostrorum de capitulo nostro Rhemensi præhabita deliberatione, & consilio, prædictis canonibus & decretis inhærendo, concilium provinciale in ecclesia nostra Rhemensi, die vigesima sexta mensis Novembris proximi, celebrare decrevimus & statuimus. Quo ut eadem die in dicta ecclesia, semotis omnibus aliis impedimentis, compareatis sub pœnis ab eisdem conciliis, & canonibus indictis, vobis mandamus, & significamus, idemque ut præstent, diœcesis vestræ capitulis, abbatibus, ceterisque qui de jure & consuetudine interesse debent, mandetis & significetis. Et quoniam ea est vestra pietas, deque grege dominico cura & sollicitudo, ut id vos pro ovium Christi salute, proque salutari totius ecclesiæ exemplo non recusaturos esse confidamus, illud etiam vobis pollicemur nostram erga vos observantiam, studium, benevolentiam, cunctaque nostra nullo loco, & tempore in istius tam sancti & laudabilis negotii procuratione defutura, Deum opt. max. deprecantes, quatenus nobis omnibus in salubris concilii prosecutione adesse, & cordibus nostris Spiritum sanctum suum immittere dignetur, quo adjuvan-

ANNO CHRISTI 1564.

juvante ea decernamus quæ Christi corporis unitati, afflictissimæque ecclesiæ nostræ restaurationi consentanea videbuntur. Datum in ecclesia nostra Rhemensi, die nona mensis Octobris, anno domini millesimo quingentesimo sexagesimo quarto.

Signatum C. sigillis archiepiscopatus Rhemensis.

LITTERÆ

A REVERENDISSIMO D. DE CROVY,

EPISCOPO TORNACENSI,

Se excusante a comparitione dicti concilii domino archiepiscopo Rhemensi directæ.

ILlustrissime & reverendissime domine, mihi plurimum observande.

Dubium mihi esse non debet quin jam inde a felicis recordationis Pauli papæ IV. pontificatu illustriss. reverendiss. dom. vestræ, ob negotii præsertim magnitudinem, abunde significatum fuerit, quibus rationibus apostolica sedes ad sereniss. & catholici regis nostri instantiam, non solum e Rhemensi ecclesia esse censuerit, ut ecclesia Cameracensis in archiepiscopalem sedem erigeretur, sed etiam Tornacensem tamquam filiam, ab omni Rhemensis ecclesiæ jure & auctoritate solutam Cameracensi subesse imposterum sacro diplomate sanxerit, propterea que illustriss. & reverendiss. D. vestram existimare posse, quid ad ejus literas quibus ad provincialem synodum Rhemos vocor, jam respondere valeam, vel eo magis quod proximis his diebus Parmensis principis harum regionum moderatricis literis, ut ab ea Rhemensi profectione omnino me contineam, non ambigna regiæ voluntatis significatione serio mihi fuerit denuntiatum: eam itaque rogo ut pro sua humilitate insignique prudentia iis rationibus quibus ab ipsa profectione jam impedior, excusationem hanc meam legitimam & necessariam accipere, meque solita imposterum caritate & benevolentia fovere dignetur, cui me humiliter ex animo commendo. Datum in Cœnobio S. Gisleni, Idib. Novemb. 1564.

Illustriss. & reverendiss. D. vestræ humillimus servus CAROLUS DE CROVY, episcopus Tornacensis.

Litteræ

CAPITULI TORNACENSIS

EIDEM ILLUSTRISSIMO, ad eundem finem.

REVERENDISSIME & illustrissime domine,

Ut literis reverendissimæ dominationis vestræ respondeamus, quibus vocamur ad concilium provinciale, 6. Kal. Decemb. in vestra metropolitana Rhemensi celebrandum, visum est summo pontifici constituere & dirigere in his ditionibus inferioribus strenuissimo nostro regi catholico subjectis, aliquot novos episcopatus, & tres archiepiscopatus, ex quibus unus est constitutus Cameracensis, cui sua sanctitas nos voluit esse subjectos, atque exemptos, & absolutos a vestra jurisdictione & obedientia, & hoc ad instantiam & requisitionem præfati sereniss. domini nostri regis catholici & principis naturalis. Quod cum ita sit comparere etiamsi maxime vellemus, non possumus, sine rebellionis nota, aut crimine contra utriusque voluntatem & inobedientiam in illum cui uterque nos voluit subiici. Quare rogamus obnixissime, ac petimus, ut vestra reverendissima dominatio boni consulat quod non veniamus, aut aliquos ex nostro collegio non mittamus, ut fecissemus sine aliqua cunctatione aut mora, nisi prædicta nos moverent, ut novit Deus opt. max. quem oramus ut reverendissimam D. vestram suæ ecclesiæ diu servet incolumem, ad dilationem suæ gloriæ & pacem & unionem nostræ religionis catholicæ. Tornaci in nostro capitulo, die 15. mensis Novemb. 1564.

Reverendiss. & illustriss. dominat. vestræ humiles ac devoti oratores DECANUS & CAPITULUM Tornacensis ecclesiæ.

ILLUSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO

IN CHRISTO P. D. CAROLO A LOTHARINGIA principi & archiepiscopo Rhemorum dignissimo, salutem quam possunt humillimam.

VEstra dominatio, illustrissime, ad nos literas dedit, quibus vestrum singulare studium, proque Christi fide certamen cognovimus inter cetera, ad quondam florentissimi status ecclesiastici restitutionem concilium provinciale, sexto Kal. Decembr. indictum esse Rhemis, quatenus ex confratribus nostris deputati die præfixo convenirent. Ceterum regiæ majestati non modo, verumetiam sedi apostolicæ visum est, episcopatum Atrebatensem ex vestra provincia Rhemensi exemptum, & archiepiscopo Cameracensi subjectum esse, quod credebamus tuam illustr. dominationem non latere, eam ob rem humillime supplicantes, ut nos dignetur habere excusatos, ut qui regis mandatis non possumus non obedire, quos cum in his, tum in aliis omnibus est habiturus observantissimos, & ad sua vota paratissimos. Interim Deum opt. max. obnixe precamur, ut eamdem illustriss. reverendiss. D. vestram diutissime reipub. & ecclesiæ conservet salvam & incolumem. Datum in nostro capitulo Atrebatensi decimo die Kal. Decembris.

Ejusdem illustriss. dominationi vestræ, humillimi DECANUS & CAPELLANUS Atrebatensis.

ACTUM DATUM PROCURATORIBUS

REVERENDISS. EPISCOPI CAMERACENSIS.

De die Mercurii vigesima nona mensis Novemb. anno 1564. in congregatione sacri concilii provincialis Rhemensis, habita secunda hora pomeridiana.

COmparuerunt coram illustriss. ac reverendiss. D. Carolo, tituli S. Apollinaris, sacro-sanctæ Romanæ ecclesiæ presbytero cardinali de Lotharingia nuncupato, archiepiscopo & duce Rhemensi, primo Franciæ pari, in dicto concilio præsidente, ac coram reverendissimis in Christo patribus dominis coepiscopis provinciæ Rhemensis suffraganeis, pluribusque tam a capitulis ecclesiarum cathedralium & collegiatarum, quam abbatibus & prioribus, atque aliis in dignitate ecclesiastica constitutis ibidem assistentibus, Joannes Pierin curiæ Cameracensis promo-

Anno Christi 1564.

motor, & Adrianus Sevellart, presbyter perpetuus, capellanus ecclesiæ Cameracensis, illustrissimi & reverendissimi D. Maximiliani a Bergis, episcopi ducis Cameracensis, sacri imperii principis & Cameracesii comitis procuratores, literis procuratoriis datis in oppido castri Cameracesii, in ædibus dicti reverendissimi D. episc. Cameracensis, die decima quinta præsentis mensis Novembris, signatis, per Joannem de Pastura, & sigillo dicti reverendissimi domini sigillatis: qui quidem procuratores nomine procuratorio petierunt & requisierunt, ut sibi super quibusdam literarum apostolicarum transsumptis octo folia cum dimidio papyri continentibus, signatis Haglen, & sigillo curiæ sedis Cameracensis, in chorda rubea serica pendente sigillatis, & dicto reverendissimo D. cardinali a Lotharingia per eos una cum eodem procuratorio triduo ante præsentes, respondetur. Quibus a congregatione paulisper receſſis ac in eamdem paulo post revocatis, responsum est præfatum reverendissimum dominum cardinalem, sanctam synodum, habita super hoc deliberatione, decrevisse, ut dictum procuratorium una cum dictis transsumptis remanerent penes scribam concilii, ut maturius super in illis contentis suo tempore & loco deliberaretur. Quodque super his deliberatum fuerit, posthac pro parte dicti concilii præfato reverendissimo Cameracensi episcopo per expressum nuntium significabitur: Utque dictis procuratoribus hujusmodi acti copiam traderem ordinatum est mihi dicti concilii scribæ subsignato anno, mense, die & loco quibus supra.

N. Breton.

TRANSSUMPTUM
LITERAR. APOSTOLICARUM
A DICTIS PROCURATORIBUS
EPISCOPI CAMERACENSIS
CONC. PROVINCIALI ECCLESIÆ RHEMENSIS OBLATARUM.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen. Noverint universi & singuli hoc præsens publicum transsumpti instrumentum inspecturi, visuri, lecturi pariter & audituri, quod nos Joannes Valerius utriusque juris licentiatus, officialis Cameracensis, judex ordinarius & metropolitanus ad honorabilis viri magistri Guillelmi Petit, jurium licentiati promotoris officii instantiam & requisitionem. Omnes & singulos sua communiter, vel divisim interesse putantes, eorumque procuratores, si qui essent pro eisdem, ad videndum & audiendum literas quasdam apostolicas, sanctissimi in Christo patris, & domini nostri, domini Pii, divina providentia papæ quarti, in forma quæ rationi congruit super exemptione ecclesiæ civitatis, & diœcesis Cameracensis, ab omni jurisdictione, potestate, visitatione, & superioritate archiepiscopi Rhemensis, ejusque vicariorum & officialium per felicis recordationis Paulum papam IV. de data decimo Kalen. Januarii, pontificatus sui anno quarto facta, necnon & sumptum quoddam, seu copiam authenticam literarum apostolicarum ejusdem Pauli papæ IV. super erectione dictæ ecclesiæ Cameracensis in metropolitanam, ac exemptione, segregatione, divisione & separatione ecclesiarum, civitatum, & diœcesis Atrebatensis, & Tornacensis, ab omni archiepiscopi Rhemensis prædicti jurisdictione, potestate, & superioritate, sub data videlicet, anno incarnationis dominicæ millesimo quingentesimo quinquagesimo nono, quarto idus Maii, pontificatus sui anno quarto, ac alias quasdam sanctissimi in Christo patris, & domini nostri, domini Pii divina providentia papæ quarti, sub data Romæ apud sanctum Marcum, anno incarnationis dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo primo, septimo idus Augusti, pontificatus sui anno secundo coram nobis produci, & exhiberi & postquam producta forent dicendum, & excipiendum quidquid verbo, vel in scriptis contra hujusmodi literas apostolicas dictumque sumptum, seu copiam dicere vel excipere vellent, necnon ad videndum & audiendum nonnullos testes fide dignos de & super recognitione illarum produci, recipi, & jurare, ac illa transsumi, transcribi & exemplari, ac in publicam transsumpti formam redigi, mandari, auctoritatemque nostram judiciariam & decretum interponi, vel dicendum, & causam, si quam haberent rationabilem & efficacem cur præmissa fieri non debeant, allegandum per affixionem literarum citatorialium eorumque copiæ dimissionem ad valvas prædictæ ecclesiæ metropolitanæ Cameracensis: citari fecimus & mandavimus ad certum terminum peremptorium, & competentem videlicet diem & horam infrascriptos. Quibus advenientibus comparuit in judicio legitime coram nobis præfatus magister Guillelmus Petit, promotor officii nostri, & literas citatorias prædictas sic ut præmittitur debite exequutas facto reportavit, citatorumque in eadem contentorum non comparentium, nec hujusmodi diei termino in aliquo satisfacere curantium contumaciam accusavit, ipsosque contumaces reputari, & in eorum contumaciam dictas litteras apostolicas, ac sumptum seu copiam illarum authenticam prædictam manu secretarii status catholicæ regiæ majestatis signatam & subscriptam exhibuit, & nonnullos testes fide dignos super illarum recognitione produxit, quos ad jurandum admitti eorumque juramenta recipi, nec non postquam recognita forent transsumi, transcribi ac in publicam transsumpti formam redigi, mandari, auctoritatemque nostram judiciariam, & decretum interponi debita cum instantia postulavit. Nos, tunc Joannes Valerius, judex ordinarius & metropolitanus præfatus, attendentes postulationem hujusmodi justam fore, & rationi consonam, dictos citatos non comparentes, nec hujusmodi diei termino in aliquo satisfacere curantes reputavimus, non immerito justitia suadente contumaces, & in eorum contumaciam dictos testes super recognitionem dictarum literarum apostolicarum, ac bullarum subimpendentium, ac manus & signi dicti secretarii in forma juris recepimus & admisimus. Quibus bullis hujusmodi ac sigillo & subscriptione prædictis ostensis, ac per ipsos & eorum quemlibet successive visis & inspectis, ac ipsis super recognitione illarum diligenter examinatis, & interrogatis dixerunt, & eorum quilibet dixit mediis ipsorum juramentis per ipsos, & eorum quemlibet ad mandatum nostrum, in manibus nostris, tactis corporaliter scripturis sacrosanctis ad sancta Dei evangelia præstitis, quod literæ hujusmodi apostolicæ sunt bullatæ & expeditæ secundum stilum & morem Romanæ curiæ, scriptæ in pergameno, non vitiatæ,

non

ANNO CHRISTI 1564.

non ruptæ, non cancellatæ, nec in aliqua sui parte suspectæ, sed omni prorsus vitio atque suspicione carentes cum chordulis sericeis rubei croceique colorum, & appensione sigillorum plumbeorum, in quibus ab una parte dictorum sigillorum respective scripta sunt nomina dictorum sanctissimorum pontificum hoc modo, scilicet, Paulus papa IV. & Pius papa IV. & ab altera parte effigies apostolorum Petri & Pauli habebantur impressæ, quodque signum, & subscriptio dicti sumpti, seu copiæ est verum signum, & subscriptio magnifici viri domini..... Vander Aa, & quod idem est secretarius status dictæ regiæ, magistratus fidelis, & legalis, ac quod præfatis literis apostolicis sumptoque, seu copiæ prædictæ, sic ut præmittitur respective sigillatis & expeditis in judicio, & extra ubique plenaria solet adhiberi fides. Quibus sic peractis ad ulteriorem dicti magistri Guillelmi. Petit procuratoris instantiam dictas literas apostolicas, & sumptum prædictum ad nos recepimus, illasque & illud vidimus, tenuimus & diligenter inspeximus. Et, quia illas & illud sanas integras & illæsas, ac sanum integrum, & illæsum, omnique prorsus vitio, & suspicione carere reperimus: idcirco dictas literas apostolicas ac sumptum, seu copiam dictarum litterarum apostolicarum felicis recordationis Pauli papæ IV. de verbo ad verbum, ac priorem partem dictarum sanctissimi domini nostri Pii papæ moderni literarum reliqua parte, usque ad datum earumdem exclusive causa brevitatis omissa per notarium & scribam curiæ nostræ subscriptum transsumi, transcribi, & in hanc publicam transsumpti formam redigi fecimus. Volentes, & auctoritate nostra ordinaria, & judiciaria decernentes quod huic præsenti transsumpto per nos fideliter ac de verbo ad verbum cum dictis literis apostolicis, ac sumpto, seu copia authentica prædictis respective auscultatis, & collationatis de cetero in judicio & extra stari, & ubique plenaria debeat adhiberi fides, ac talis, & tanta quanta ipsis originalibus adhiberetur, si in judicium exhiberentur aut ostenderentur: dictarum vero literarum apostolicarum, ac sumpti seu copiæ tenores de verbo ad verbum sequuntur, & sunt tales:

PIus, episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Rationi congruit, & convenit honestati, ut ea quæ de Romani pontificis gratia processerunt, licet ejus superveniente obitu, literæ apostolicæ super illis confectæ non fuerint, suum fortiantur effectum, dudum siquidem felicis recordationis Paulus papa quartus prædecessor noster, qui circa statum ecclesiarum quarumlibet, præsertim cathedralium ac personarum earumdem suæ provisionis auspiciis auctore domino prospere dirigendum, sollicitis studiis invigilans, apostolicæ providentiæ partes libenter interponebat, prout in domino salubriter expedire conspiciebat, ex justis & rationabilibus causis animum suum moventibus, sub dato videlicet decimo Kalend. Januarii, pontific. sui anno quarto, ecclesiam Cameracensem, cui tunc per obitum bonæ memoriæ Roberti olim episcopi Cameracensis extra Romanam curiam defuncti pastoris solatio destitutæ, de persona dilecti filii Maximiliani de Bergis electi Cameracensis sibi & fratribus suis, de quorum numero tunc eramus, ob suorum exigentiam meritorum, accepta de fratrum eorumdem consilio apostolica auctoritate providerat, ipsumque illi in episcopum profecerat, & pastorem, curam & administrationem ipsius ecclesiæ sibi in spiritualibus & temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis literis, cum dictus prædecessor, antequam ejus literæ desuper conficerentur, sicut domino placuit, rebus fuisset humanis exemptus, plenius continetur, necnon civitatem & diœcesim Cameracensem, omniaque & singula earum, & in illis consistentia prioratus, præposituras, præpositatus, dignitates, personatus, administrationes & officia ac canonicatus & præbendas, necnon parœciales & alias ecclesias, ac capellas & hospitalia, ac alia pia loca ceteraque cum cura, & sine cura, sæcularia & quorumvis ordinum regularia beneficia ecclesiastica, cum omnibus & singulis suis juribus & pertinentiis, ac bonis mobilibus & immobilibus, necnon vicarios, officiales, & ministros pro tempore episcopatus episcopi Cameracensis, seu ipsius ecclesiæ præsules aut administratores, ac dilectos filios, clerum & populum civitatis ac diœcesis eorumdem, ab omni jurisdictione, potestate, correctione, superioritate, dominio, visitatione, & auctoritate in spiritualibus & temporalibus, venerabilis fratris nostri tunc dicti prædecessoris tunc moderni, cui metropoliticò jure ipsa ecclesia Cameracensis tunc subjecta existebat, ac pro tempore existentis archiepiscopi Rhemensis, illiusque vicariorum, officialium, ac ministrorum, & judicum quorumcumque pro tempore existentium, de simili consilio dicta apostolica auctoritate perpetuo exemit, ac totaliter liberavit, ac quoad omnia & singula, in quibus præfato archiepiscopo ejusque archiepiscopali, & metropoliticæ jurisdictioni & superioritati eatenus suberant, ac subesse poterant in jus & proprietatem, beati Petri ac dictæ sedis, & sub eorum ac præfati prædecessoris, ac pro tempore existentis Romani pontificis, speciali & immediata protectione suscepit, nec non sibi & eisdem, sed & pontifici immediate subjecit. Ita quod de cetero ipse archiepiscopus ejusque vicarii, officiales, ministri & judices tunc præsentes & futuri, aliquam jurisdictionem, superioritatem, vel correctionem, aut dominium in & pro tempore existentem, episcopum Cameracensem, seu ipsius ecclesiæ præsulem, vel administratorem ac ecclesiam, civitatem, diœcesim, clerum, populum, monasteria, prioratus, præpositatus, præposituras, dignitates, personatus, administrationes, officia, canonicatus, & præbendas, ac parochiales & alias ecclesias, necnon capellas, hospitalia loca, beneficia, res, bona, vicarios, officiales & ministros hujusmodi tamquam prorsus exemptos & exempta etiam ratione ..... delicti seu contractus aut rei de qua ageretur, ubicumque committeretur delictum, aut iniretur contractus, seu res ipsa consisteret, exercere, aut excommunicationis, suspensionis, & interdicti, vel alias sententias, censuras, & pœnas, promulgare, seu alias directe vel indirecte quovis quæsito colore vel ingenio, molestare, vexare, aut alias quomodolibet impedire nullatenus possent, seu deberent: sed episcopus, seu præsul & administrator, officiales, vicarii, ministri, clerus, & populus, ac alii præfati de eis querelantes, quoad ea quæ metropoliticam jurisdictionem hujusmodi concernebant, coram prædecessore, vel ejus successore, aut sedes, & præfatis vel ab eis ad id specialiter delegatis, de justitia respondere tenerentur, districtius inhibens archiepiscopo ac ejus vicariis, officialibus, ministris & judicibus, eisdem ac quibusvis aliis personis cujuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis existentibus, ne in episcopum, seu præsulem, aut administratorem, seu ecclesiam hujusmodi, aut vicarios, seu officiales & ministros eo-

ANNO CHRISTI 1564.

Anno Christi 1564.

eorum, necnon clerum & populum, ac monasteria, prioratus, præposituras, dignitates, personatus, administratores, officia, canonicatus, & præbendas, ecclesias, capellas, hospitalia loca, ac beneficia hujusmodi, aliquam jurisdictionem, superioritatem, dominium, potestatem, visitationem, correctionem, tam in civilibus, quam criminalibus causis metropoliticam jurisdictionem eamdem concernentia exercere, quoquo modo præsumerent ac decernerent, omnes, & singulos processus, sententias, censuras & pœnas, quos & quas per eos desuper pro tempore haberi, & promulgari contingeret, nullos & invalidos, nulliusque roboris vel momenti fore; sicque per quoscumque quavis auctoritate fungentes, judices, & alias personas, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, & authoritate, judicari & interpretari, omne irritum quoque & inane si secus super his a quoquam gravitatis auctore scienter, vel ignoranter contingeret attentari. Non obstante constitutione piæ memoriæ Innocentii papæ etiam quarti, etiam prædecessoris nostri, quæ incipit, *Volentes*, & aliis apostolicis, necnon in provincialibus & synodalibus conciliis editis, generalibus, vel specialibus constitutionibus & ordinationibus, ac dictæ ecclesiæ Cameracensis juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis apostolicis, archiepiscopo illiusque vicariis, officialibus, ministris, & judicibus præfatis, ac quibusvis aliis sub quibuscumque tenoribus, & formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, irritantibusque & aliis decretis, etiam iteratis vicibus, concessis, approbatis, & innovatis, quibus omnibus præfatus Paulus prædecessor etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, vel aliqua alia exquisita forma servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, inserti forent. Idem Paulus prædecessor pro sufficienter expressis habens, illis alias in suo robore permansuris ea vice dumtaxat specialiter & expresse derogavit, ceterisque contrariis quibuscumque. Ne autem de exemptione, liberatione, susceptione, subjectione, inhibitione, decreto, & derogatione præfatis, pro eo quod super illis dicti Pauli prædecessoris ejus superveniente obitu literæ confectæ non fuerunt, valeat quomodolibet hæsitari, ipsique episcopus seu præsul, aut administrator, ac vicarii, officiales, ministri, clerus, & populus illarum frustrentur effectu, volumus, & similiter apostolica auctoritate decernimus, quod exemptio, liberatio, susceptio, subjectio, inhibitio, decretum & derogatio Pauli prædecessoris hujusmodi, perinde a dicto die decimo Kalendas Januarii suum sortiantur effectum, ac si super illis ejusdem Pauli prædecessoris literæ sub ejusdem diei dato confectæ fuissent, prout superius enarratur: quodque præsentes literæ ad probandum plene exemptionem, liberationem, susceptionem, subjectionem, inhibitionem, decretum & derogationem Pauli prædecessoris hujusmodi, ubique sufficiant, neque ad id probationis alterius adminiculum requiratur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ voluntatis & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno incarnationis dominicæ millesimo quinquagesimo nono, octavo idus Januarii, pontificatus nostri anno primo, supra sic signatum.

Anno Christi 1564.

F. Buttierez.

PAULUS, episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam: Super universi orbis ecclesia, eo disponente, qui cunctis imperat, & cui omnia obediunt, quamquam sine nostris meritis constituti, levamus in circuitu agri dominici oculos nostræ mentis more pervigilis pastoris, inspecturi, quid provinciarum & locorum quorumlibet statui & decori, quidve illorum incolarum animarum saluti congruat, ac desuper hoc præsertim tempore quo humani generis hostis omni conatu ad ipsarum animarum perniciem, & fidei catholicæ eversionem incumbit, disponi debeat, & divino fulti præsidio exiguum quin potius debitum arbitramur in irriguo militantis ecclesiæ agro, novas archiepiscopales & episcopales sedes & ecclesias plantare, ut per hujusmodi novas plantationes popularis augeatur devotio, divinus cultus efflloreat, & ipsarum animarum salus subsequatur, ac loca insignia, ea præsertim quorum incolæ benedicente domino multiplicati noscuntur, dignioribus titulis & condignis favoribus illustrentur, & propagatione novarum sedium, venerabilium præsulum assistentia, regimine, & doctrina suffulti, cum apostolicæ auctoritatis amplitudine & orthodoxæ fidei augmento populi ipsi proficiant semper in domino, & quod in temporalibus sunt adepti non careant in spiritualibus incremento, præsertim cum id catholicorum regum, & principum exposcat devotio; cum itaque mentis nostræ aciem convertissemus in eam inferioris Germaniæ partem, quæ carissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici ditioni hæreditario jure subjecta est, scientes messem quidem ibi multam esse, operarios autem paucos, propter quod cum ea regio antiquitus erectionis cathedralium ecclesiarum suarum tempore sparsim, & infrequenter admodum habitaretur, a tot jam tantisque populis & gentibus incolitur, ut pro oppidorum celeberrimorum, quibus ubique referta est frequentia, & castellorum pagorumque multitudine, paucæ admodum ibi sint ecclesiæ cathedrales; quo fit ut tam pauci episcopi non ea qua opus esset diligentia tantam animarum multitudinem regere possint, quod quibusdam eorum hoc etiam esse difficilius, quod ipsorum diœcesani linguæ idiomate, institutisque differunt, & quidam eorum etiam hujusmodi privilegia habeant; ut ipsos ad sedem episcopalem non liceat evocare, ita ut nec fidei doctrina, & pie vivendi præceptis commode instrui, nec si quid deliquerint facile corrigi ab episcopis suis possint, ad ipsos vero episcopos visitandos, admonendos, & in officio continendos, ne una quidem in tota illa tam celebri, & tam longe lateque patente regione ecclesia est metropolitana, sed illæ quibus subjectæ sunt extra fines ipsius Philippi regis sunt, earumque archiepiscopi propter multa & varia impedimenta nulli suffraganeis suis usui jampridem fuerant, ad quæ tanta incommoda; cum hoc quoque accedat, quod cum ea regio omni fere ex parte cincta sit, & obsessa a populis hæreticis atque schismaticis, propter assiduas hæreticorum insidias, dolos, & fraudes, pestiferasque doctrinas, catholica illic fides, & ani-

ANNO CHRISTI 1564.

& animarum ſalus in maximo diſcrimine, ac periculo verſantur, his cauſis aliiſque, quæ animum noſtrum impulerunt adducti, precibus etiam annuere volentes, tamque pio deſiderio ſatisfacere ipſius Philippi regis, qui pro ſua pietate & catholicæ fidei ſtudio, hac de re nobiſcum & ſæpe ac per quam diligenter per literas & nuncios egit, habita ſicut rei magnitudo poſtulabat, cum venerabilibus fratribus noſtris ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalibus, deliberatione matura, tam graviter periclitanti in illis partibus fidei orthodoxæ, & animarum ſaluti aptiſſimum eſſe remedium duximus, ſi veterum eccleſiarum in illa regione poſitarum diœceſes commodioris regiminis cauſa divideremus, noviſque erectis cathedralibus eccleſiis ejuſmodi præficerentur epiſcopi, qui tum exemplo, tum verbo commiſſas ſibi oves paſcant, & proborum quorumdamque doctorum virorum copia muniti, idoneorumque opera miniſtrorum adjuti, illas adverſus inſidiantium luporum rabiem tueantur atque cuſtodiant, & metropolitanæ aliquot eccleſiæ opportunis ejus regionis locis erigantur, ad quas commode adiri poſſit, quibus qui præfuturi ſunt, ſuffraganeos ſuos in officio contineant. Ex certa igitur noſtra ſcientia, de eorumdem fratrum noſtrorum conſilio, ac de apoſtolicæ plenitudine poteſtatis, ad Dei omnipotentis honorem, & ſanctæ ipſius eccleſiæ utilitatem, Cameracenſem, Trajectenſem, Atrebatenſem, & Tornacenſem eccleſias, civitates, atque diœceſes, a Rhemenſi, Colonienſique provinciis, quibus ſunt metropolitico jure ſubiectæ, ac Mechlinienſe, Antuerpienſe, Harlemenſe, Daventrienſe, Levvardienſe, Groningenſe, Middelburgenſe, Buſcoducenſe, & Ruremondenſe, Namurcenſe, Audomarenſe, Yprenſe, Gandavenſe, & Burgenſe, celeberrima Cameracenſis, Trajectenſis, Leodienſis, Morinenſis, & Tornacenſis diœceſium oppida, a ſua quæque eorum diœceſi & provincia: Præterea ab eccleſia Cameracenſi, quam nuper ab omni poteſtate & juriſdictione Rhemenſis archiepiſcopi, cujus ſuffraganea erat, liberavimus, eam ipſius diœceſis Cameracenſis partem, quæ in Brabantiæ ducatu, & Flandriæ comitatu exiſtit; Itemque ab eccleſia diœciſique Leodienſi, eam ipſius diœceſis Leodienſis partem, quæ eſt in Namurcenſi & Hornenſi comitatibus ac Brabantiæ & Geldriæ ducatibus, ditionis ipſius Philippi regis; Itemque ab eccleſia & diœceſi Tornacenſi, eam partem ipſius diœceſis Tornacenſis quæ a Rocesbert pago, & Audonardo oppido ad oceanum vergit, ipſis pago & oppido incluſis. Itemque ab eccleſia & diœceſi Trajectenſi eam partem ipſius diœceſis Trajectenſis, quæ in Flandriæ comitatu exiſtit, & inſulas Zelandiæ, ac totam Hollandiam acquaticam, & partem illam Hollandiæ, quæ firmior appellatur, uſque ad oppida Leidenſe excluſive, & Amſtelrodamenſe incluſive, ac inſula Vlietlant & Texel ac Vvieringhen, & totam regionem Tranſinſulaniam, ac Groningam, & Phryſiam, cum magna parte ducatus Geldriæ quæ inferior appellatur, uſque ad Harderwicum & Schereaberghen oppida, incluſive, & uſque ad Arnhem & Vvagemugen oppida, ipſis tamen excluſis, necnon partes quas habet ultra Vvaliam flumen ad ipſum Geldriæ ducatum pertinentes, & magnam aquam Dordracenſem verſus Brabantiam, a dilectis autem filiis capitulo ipſius eccleſiæ Trajectenſis, ſeu illius menſa capitulari, omnem juriſdictionem, omniaque jura epiſcopalia ipſius capituli, quæ habet in regione Vveſt-Friſia vocata, ab Oſnaburgenſi vero, & Monaſterienſi ac Colonienſi, Paderbonenſi eccleſiis ac diœceſibus, & a Colonienſi provincia, eas partes Oſnaburgenſis, Monaſteri, ac Colonienſis & Paderbornenſis diœceſis, quæ intra fines regis Philippi exiſtunt, cum omnibus & ſingulis earum terminis, & territoriis, ac cleris, populis & perſonis, monaſteriis, eccleſiis, ac piis locis, ac beneficiis eccleſiaſticis cum cura, & ſine cura, ſæcularibus, & ordinum quorumcumque regularibus, ab ipſa autem eccleſia Morinenſi, per obitum bonæ memoriæ Franciſci de Crequi, olim epiſcopi Morinenſis, ab hinc circiter ſeptennio defuncti, paſtoris ſolatio deſtituta, eam partem ipſius diœceſis Morinenſis, quæ in Artheſia exiſtit, & Flandriæ comitatibus ditionis ipſius Philippi regis, cum ipſius terminis, territorio, caſtellis, pagis & locis, clero, populo, ac perſonis, monaſteriis, eccleſiis, & piis locis, & beneficiis eccleſiaſticis, cum cura & ſine cura, ſæcularibus, & ordinum quorumcumque regularibus, fructuſque, reditus, proventus, decimas, jura, & emolumenta, quæ epiſcopus Morinenſis, jura quoque quæ archiepiſcopus Rhemenſis in parte diœceſis Morinenſis, ac terminis, territorio, caſtellis, pagis, & locis prædictis, ſeu ratione viſitationis, aut quovis alio jure & cauſa percipere conſueverunt, a menſa archiepiſcopali Rhemenſi, & epiſcopali Morinenſi auctoritate apoſtolica, tenore præſentium perpetuo eximimus, ſegregamus, dividimus, & ſeparamus, ac ab omni juriſdictione, poteſtate, & ſubjectione Rhemenſis & Colonienſis archiepiſcoporum, & Cameracenſis, Trajectenſis, Leodienſis, Morinenſis, Tornacenſis, Oſnaburgenſis, Monaſterienſis, & Paderbornenſis epiſcoporum pro tempore exiſtentium, ac dilectorum filiorum capitulorum Rhemenſis, Colonienſis, Cameracenſis, Trajectenſis, Leodienſis, Morinenſis, Tornacenſis, Oſnaburgenſis, Monaſterienſis, & Paderbornenſis eccleſiarum, atque a ſolutione decimarum, & quorumvis aliorum jurium, eiſdem archiepiſcopis, epiſcopis, & capitulis, ac cleris, & alii prædictis ratione juriſdictionis, ſubjectionis, ac legis diœceſanæ, & metropoliticæ debitorum, ita ut poſthac epiſcopus Morinenſis juriſdictionem aliquam in partem a diœceſi ſeparatam, & illius territorium, capellas, pagos, & loca, ac clerum, populum, & perſonas, ac monaſteria, eccleſias, & pia loca, & beneficia exercere, & beneficia ſub hac ſeparatione ac diviſione comprehenſa, quæcumque & qualiacumque ſint, quæ ad ejus collationem antea pertinebant conferre; ſeu fructus, reditus, proventus, jura, obventiones, & emolumenta ab eo in parte a diœceſi ſeparata, terminis, territorio, caſtellis, pagis, & locis prædictis, ſubventionis cauſa, aut ulla qualibet ratione percipi ſolita, & epiſcopus Morinenſis atque archiepiſcopus Rhemenſis prædicti in parte diœceſis ipſis adempta, ac terminis, territorio, caſtellis, pagis, & locis præfatis, de iis quæ ad eos ratione viſitationis ipſorum, & legis diœceſanæ, ac metropoliticæ pertinebant, intromittere ſe nullo pacto poſſint, eximimus, & omnino liberamus; Cameracenſem vero, & collegiatam ſancti Rumoldi oppidi Mechlinienſem, & Trajectenſem eccleſias in metropolitanas, ac Cameracenſem & Trajectenſem ſedes epiſcopales in archiepiſcopales, eaſque & ipſam eccleſiam ſancti Rumoldi metropolitanorum præſidum ſedes ac provinciarum capita, ſcientia, concilio, & poteſtatis plenitudine, ſimilibus auctoritate, & tenore præmiſſis etiam erigimus & inſtituimus; ex quibus archiepiſcopis nuncupandis Cameracenſis quidem pro ſua diœceſi habeat viginti

ANNO CHRISTI 1564.

Anno Christi 1564.

ginti octo oppida cum caſtellis, pagis, & monaſteriis interjacentibus intra ſpatium ſeptuaginta duorum millium paſſuum Italicorum in longitudinem, ſexaginta vero in latitudinem, per nuncium noſtrum propediem illuc mittendum limitanda: Trajectenſis autem pro ſua diœceſi obtineat territorium Trajectenſe, & majoris partis Hollandiæ, magnæque partis Geldriæ; cum dominiis de Buron, Culenburets, de Vianen, Guimeiden, Iſerlſten triginta oppidorum præter pagos in longitudinem nonaginta, in latitudinem quadraginta millium paſſuum ſimilium terminanda, ut dictum eſt, eiſdem autem duobus, & tertio Mechlinienſi nuncupandis archiepiſcopis pallium & crucem, ſicut mos eſt deferendis, reliquiſque omnibus inſigniis, honoribus, ornamentis, privilegiis, & prærogativis eccleſiarum, ac ſedium metropolitanarum utendi jus & poteſtatem concedimus. Mechlinienſe autem, Antuerpienſe, Harlemenſe, Daventrienſe, Levvardienſe, Groningenſe, Buſcoducenſe, Ruremundenſe, Namurcenſe, Audomarenſe, Ypreuſe, Gandavenſe, Middelburgenſe, & Brugenſe oppida in civitates erigimus, ac in eis ſic erectis eccleſiam ſancti Albani Namurcenſem, ſancti Audomari ejuſdem civitatis ſancti Audomati, beatæ Mariæ virginis Antuerpienſem ſancti Joannis Gandavenſem, ſancti Donatiani Brugenſem, ſancti Lebuini Daventrienſem, ſancti Joannis evangeliſtæ Buſcoducenſem, & ſancti Spiritus Ruremundenſem, collegiatas; ac ſancti Bavonis Harlemenſem, ſancti Viti Levvardienſem, ſancti Martini Groningenſem, parochiales, necnon beatæ Mariæ Prænonſtratenſem Middelburgenſem, monaſterii ſancti Martini, ſancti Auguſtini, canonicorum regularium ordinum Yprenſem, ſub eiſdem invocationibus in cathedrales, ſcientia, conſilio, & poteſtate ac auctorirate, & tenore præmiſſis, erigimus; pro cujuſque earum civitatum creandis epiſcopis, qui ſuæ quiſque præſint, earumque ædificia augeant, & in cathedralium eccleſiarum formam redigant, ac juriſdictionem epiſcopalem, aliaque omnia, & ſingula quæ ad ordinem & juriſdictionem, ac munus epiſcopale pertinent, in civitatibus, oppidis, terminis, territoriis, inſulis, finibus & partibus diœceſium diviſarum, poſtquam terminata fuerint reſpective exerceant, atque in eiſdem metropolitanis archiepiſcopales in cathedralibus ſic erectis eccleſiis, epiſcopales dignitates cum ſedibus & menſis archiepiſcopalibus ac epiſcopalibus, aliiſque metropolitanarum & cathedralium eccleſiarum inſigniis, menſis, arcis, ſigillis, aliiſque capitularibus inſigniis, honoribuſque & privilegiis, quibus ceteræ metropolitanæ & cathedrales eccleſiæ de jure vel conſuetudine utuntur, vel uti poterunt, ſimiliter erigimus, ac inſtituimus. Eccleſiis vero ſupra commemoratis ſic in cathedrales erectis, eiſdem civitatibus in perpetuum concedimus & aſſignamus pro ſuis diœceſibus, Namurcenſi, comitatum Namurcenſem, & Gallicæ Brabantiæ partem longitudinis quadraginta, & latitudinis triginta millium paſſuum Italicorum: Audomarenſi diſtrictum decem oppida continentem longitudinis quadraginta duorum, latitudinis triginta novem millium paſſuum ſimilium: Mechlinienſi diſtrictum decem & ſeptem oppidorum cum pagis interjacentibus longitudinis ſexaginta novem, latitudinis triginta millium paſſuum ſimilium: Antuerpienſi, territorium ſeptem oppidorum, cum pagis interjacentibus longitudinis quinquaginta ſex, latitudinis triginta millium paſſuum ſimilium: Gandavenſi territorium quatuor oppidorum cum pagis interjacentibus, longitudinis quadraginta ſex, latitudinis viginti quatuor millium paſſuum ſimilium: Brugenſi territorium novem oppidorum cum pagis interjacentibus, longitudinis quinquaginta quatuor, latitudinis viginti quinque millium paſſuum: Yprenſi territorium decem oppidorum cum interjacentibus pagis, longitudinis quadraginta duorum, latitudinis triginta trium millium paſſuum ſimilium: Buſcoducenſi territorium decem oppidorum cum pagis interjacentibus, longitudinis quinquaginta, latitudinis triginta millium paſſuum ſimilium: Ruremundenſi territorium decem oppidorum cum pagis interjacentibus, longitudinis quinquaginta, latitudinis triginta millium paſſuum ſimilium, comitatu Horneuſi in eis comprehenſo: Harlemenſi territorium duodecim oppidorum præter pagos interjacentes, longitudinis nonaginta, latitudinis triginta millium paſſuum ſimilium: Daventrienſi territorium viginti quinque oppidorum præter pagos interjacentes, longitudinis ſexaginta duorum, latitudinis quadraginta ſex millium paſſuum ſimilium: Levvardienſi territorium decem oppidorum præter pagos interjacentes, longitudinis ſexaginta duorum, latitudinis quadraginta millium paſſuum ſimilium; Groningenſi territorium patriæ Groningenſis & Drentiæ..... ac inſularum Rothange & Vorchim: Middelburgenſi territorium decem oppidorum præter pagos adjacentes, longitudinis quinquaginta ſex, latitudinis triginta trium millium paſſuum ſimilium, pro ſua cujuſcumque eorum epiſcoporum diœceſi, ſicut dictum eſt, aſſignanda: perſonas vero eccleſiaſticas pro clericis, & laicos in illis habitantes pro populis eorumdem: præterea Cameracenſi, Atrebatenſem, Tornacenſem: Audomarenſem, & Namurcenſem: Mechlinienſi vero Antuerpienſem, Gandavenſem, Brugenſem, Yprenſem, Buſcoducenſem, & Ruremundenſem: Trajectenſi autem eccleſiis prædictis Harlemenſem, Daventrienſem, Levvardienſem, Gronigenſem, & Middelburgenſem civitates, diœceſque prædictas eiſdem ſcientia, conſilio, & poteſtatis plenitudine, ac auctoritate apoſtolica & tenore attribuimus, & pro cujuſque ipſarum metropolitanis provinciis eſſe ſtatuimus, ipſaſque ſic erectas cathedrales eccleſias, eoſque qui pro tempore fuerint ipſarum epiſcopi pro ſuffraganeis eorum, qui pro tempore fuerint Cameraci, Mechliniæ, & Trajecti, archiepiſcopi (qui ſuffraganei, ut membra capiti, ſic eiſdem archiepiſcopis metropolitico jure ſubjecti ſint) & Cameracenſis, Mechlinienſis & Trajectenſis provinciarum, cleros & populos, pro ſuis cujuſque eccleſiarum provincialibus, quorum ſingulorum cauſa ad ſuum cujuſque eorum archiepiſcopum ſecundum ſacros canones deferantur perpetuo ſimiliter concedimus & aſſignamus, & quod ad archiepiſcopalia, metropolitica, & provincialia jura pertinet, diœceſes, civitates, cleros, populos ſæpius commemoratos, eiſdem præſulibus qui pro tempore fuerint ſubjicimus, ſicut eaſdem civitates, diœceſes, cleros, & populos, quod ad ordinariam epiſcopalem juriſdictionem & poteſtatem attinet, ſuis quoque ipſorum qui pro tempore fuerint epiſcopis ſubjectos eſſe decernimus. Archiepiſcopali vero Mechlinienſi quinque millium, & quilibet ex epiſcopalibus menſis hujuſmodi trium millium ducatorum auri de camera annuos reditus ex certis decimis, & bonis ac fructibus reddi, ex proventibus eccleſiaſticis per dictum nuncium ſpecificandis, & repartiendis ex nunc prout, & econtra poſtquam ſpecificati fuerint & repartiti

ANNO CHRISTI 1564.

repartiti, ac interim donec ſpecificatio & repartitio hujuſmodi factæ ac effectum ſortitæ ſint, & non ultra. Mechlinienſi trium millium, ac quilibet ex epiſcopalibus menſis prædictis mille & quingentorum ducatorum ſimillum annuos reditus per ipſum Philippum regem ex redditibus & proventibus, quos ex dicta regione percipit aſſignandos, & archiepiſcopo Mechlinienſi, ac ſingulis epiſcopis præfatis pro tempore exiſtentibus, ſingulis annis quousque ſpecificatio, & repartitio prædictæ, ac pro ea tantum parte quæ plenarium ſuum effectum minus ſortita fuerit, & non ultra integre & proportionabiliter perſolvendos, pro earum dote ex pari conſilio eadem auctoritate etiam perpetuo applicamus, & appropriamus. Eidem autem Philippo regi, ejuſque ſucceſſoribus, qui pro tempore ejuſdem regionis in temporalibus domini extiterint, jus nominandi perſonas idoneas, in theologia magiſtros, aut in decretis doctores, ſeu licentiatos, nobilium univerſitatum more, diligenti examine præcedente promotos, ad Mechlinienſem, Antuerpienſem, Trajectenſem, Atrebatenſem, Tornacenſem, Harlemenſem, Daventrienſem, Lewardienſem, Groningenſem, Middelburgenſem, Buſcoducenſem, Ruremundenſem, Namurcenſem, Audomarenſem, Yprenſem, Gandavenſem, & Brugenſem eccleſias prædictas, tam pro hac vice quam quotieſcumque illas pro tempore vacare contigerit, nobis & Romano pontifici qui pro tempore fuerit, per nos & eumdem pontificem in archiepiſcopos & epiſcopos earum ad nominationem inſtituendos, de eodem conſilio, & ſcientia auctoritate præmiſſis, in perpetuum reſervamus atque concedimus, ac irritum & inane ſi ſecus ſuper his a quoquo quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus apoſtolicis, ac prædictarum & quarumvis aliarum eccleſiarum, necnon monaſteriorum & ordinum hujuſmodi, ex juramento, confirmatione apoſtolica, vel quavis firmitate alias roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis apoſtolicis, eccleſiis, monaſteriis, ordinibus, archiepiſcopis, epiſcopis, capitulis, & aliis prædictis, ac quibuſvis aliis ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis & inſolitis clauſulis, irritantibuſque & aliis decretis, & motu proprio, & ex certa ſcientia, ac conſiſtorialiter conceſſis, ac etiam iteratis vicibus confirmatis, & innovatis; quibus omnibus etiam ſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa mentio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi ac ſi de verbo ad verbum inſererentur præſentes, pro ſufficienter expreſſis & inſertis habentes illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat harum ſerie ſpecialiter & expreſſe derogamus, illaque adverſus præmiſſa ſuffragari nullo modo poſſe, ſeu debere, decernimus, ceteriſque contrariis quibuſcumqee. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrarum exemptionum, ſegregationum, diviſionis, ſeparationis, liberationis, erectionis, inſtitutionum, conceſſionum, aſſignationum, attributionis, ſtatuti, ſubjectionis, decretorum applicationis, appropriationis, reſervationis, & derogationis, infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno incarnationis dominicæ milleſimo quingenteſimo quinquageſimo nono, quarto Idus Maii, pontificatus noſtri anno quarto. Signata erat hæc bulla ſub plica *F. L. D. Cardinalis Ceſius*: & a latere ſiniſtro, *Franciſc. Aragonis*: ſuper plicam, *F. de Lyon*: & a tergo ſic habebatur Reverentia apud *Fr. Aragonis*: Infra autem ſcriptum erat: collata præſens copia cum bulla originali, & concordare inventa per ſubſignatum,

Vander Aa.

PIUS, epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam: Regimini univerſalis eccleſiæ diſponente domino præſidentes, pro eccleſiarum quarumlibet, præſertim metropolitanarum, illiſque præſidentium, & in divinis ſervientium, ſtatu ſalubriter dirigendo prout ex debito nobis invicti paſtoris officio tenemur, ſollicitæ conſiderationis aciem extendimus, & ad ea per quæ eccleſiarum ipſarum indemnitati, decori, & venuſtati, ſuorumque præſulum, epiſcoporum, & aliarum perſonarum divinis ibi laudibus inſiſtentium, ſtatui & opportunæ ſubventioni cum divini cultus augmento, & animarum Chriſti fidelium ſaluti conſulitur, noſtræ ſollicitudinis partes libenter adhibemus, ac alias ſuper his etiam nonnulla a prædeceſſoribus noſtris licet conſulte geſta fuerint, ex ſaniori tamen conſilio prudenter immutando diſponimus prout locorum, temporum, perſonarumque qualitas exigit, ac ipſarum eccleſiarum utilitas perſuadet, & in domino conſpicimus ſalubriter expedire. Cum itaque alias poſtquam felicis recordationis Paulus papa IV. prædeceſſor noſter providi paſtoris more conſiderans eam inferioris Germaniæ partem quæ cariſſimo in Chriſto filio noſtro Jeſu Chriſto Philippo Hiſpaniarum regi catholico, hæreditario jure ſubjecta eſt, pro tanta celeberrimorum quæ in ea ſita ſunt oppidorum frequentia, populorumque multitudine, tam paucas eccleſias cathedrales habere, ut illarum epiſcopi, ea qua opus erat diligentia tantam animarum multitudinem regere nequirent, idque quibuſdam eo eſſe difficilius quod homines diœceſani ſub vulgari idiomate, vivendi ritu, inſtitutiſque inter ſe differebant, & quoſdam eorum hujuſmodi privilegia habere, ut ipſos ad ſedem epiſcopalem non liceret evocari; unde præfati epiſcopi fidei catholicæ doctrinam, & rectam vivendi normam populum illum docere, ac in delinquentes animadvertere commode nequibant: ad ipſos vero epiſcopos viſitandos, admonendos, & in officio continendos, nullam in tota regione illa eccleſiam eſſe metropolitanam, ſed archiepiſcopos extra fines ſuæ ditionis exiſtentes propter multa, & varia impedimenta ſuffraganeis ſuis uſui jampridem eſſe deſiiſſe, ac ob aſſiduos hæreticorum & ſchiſmaticorum, quibus eadem regio omni fere ex parte juncta erat, inſidias peſtiferaſq; doctrinas, fidem catholicam & animarum ſalutem illic maxime in diſcrimine verſari; his aliiſque gravibus cauſis impulſus, volens etiam ipſius Philippi regis hoc illi humiliter ſupplicantis, pio deſiderio in ea parte ſatisfacere, habita ſicut rei pondus exigebat cum fratribus ſuis, de quorum numero tunc eramus, deliberatione matura, de eorum conſilio, deque apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, inter alia per eum provide diſpoſita, Cameracenſem, Atrebatenſem, & Tornacenſem eccleſias, civitates, & diœceſes, a Rhemenſi, cui tunc erant metropolitico jure ſubjectæ, ac Namurcenſem, Audomarenſem, & diverſa alia tunc expreſſa oppida

inſignia

Anno Chrati 1564.

insignia dictæ regionis, cum annexis & singulis suis terminis, territoriis, cleris, populis, personis, ecclesiis, monasteriis, & beneficiis ecclesiasticis, cum cura & sine cura sæcularibus, quorumvis ordinum regularibus, aliisque piis locis a suis quæque diœcesi & provincia per quasdam sub plumbo perpetuo segregaverat, divisserat, & separaverat, ac Namurcense, Audomarense, ceteraque oppida prædicta sic divisa in civitates, Cameracense vero in metropolitanam pro uno archiepiscopo, ac sancti Albani Namurcensis, & sancti Audomari Audomarensis oppidorum in civitates erectorum ecclesia in cathedrales pro totidem episcopis creandis, qui suæ quique ecclesiæ præessent, ac Namurcensi & Audomarensi ecclesiis, & civitatibus prædictis certos distrietus per nuncium suum postmodum ab eo illuc mittendum limitandos, pro suis diœcesibus concesserat, necnon Atrebatensi, Turnacensi, Namurcensi, & Audomarensi mensis episcopalibus annuum reditum trium millium ducatorum auri de camera ex certis decimis, & bonis ac fructibns, reditibus & proventibus ecclesiasticis per dictum nuncium specificandis & repartiendis, ex tunc prout ex ea die, & e contra postquam specificati & repartiti, ac interim donec specificatio & repartitio hujusmodi ractæ, ac effectum sortitæ forent, & non ultra quilibet ex prædictis mensis pro earum dote alium annuum reditum mille & quingentorum ducatorum similium, per ipsum Philippum regem ex reditibus & proventibus, quos ex eadem regione percipiebat Namurcensi & Audomarensi aliisque noviter institutis episcopis pro tempore existentibus singulis annis, quousque specificatio, & repartitio *prædicta facta*, ac pro ea tantum parte quæ plenarium suum effectum minus sortita foret non ultra integre, & proportionabiliter persolvendum applicaverat, & appropriaverat, ac eidem Philippo regi, ejusque successoribus, qui pro tempore ejusdem regionis in temporalibus domini essent jus nominandi Romano pontifici personas idoneas, ac alias certis tunc expressis modo, & forma qualificatas ad Namurcensem & Audomarensem, ac alias cathedrales ecclesias sic erectas, tam a primæva illorum erectione hujusmodi, quam deinceps quotiescumque illas vacare contingeret per ipsum Romanum pontificem pro tempore existentem in episcopos ad nominationem hujusmodi ordinandos in perpetuum reservaverat, & deinde per alias suas in forma brevi literas venerabili fratri nostro tunc suo Salvatori episcopo ..... suo & apostolicæ sedis in partibus illis nuncio dederat in mandatis, ut personas idoneas, quæ dictas provincias & diœceses distinguerent & limitarent, ac dotem ecclesiis ipsis assignandam ex monasteriis, & præposituris sub illis consistentibus dismembrarent cum potestate necessaria faciendi voce sua deputaret dilectus filius noster Antonius sanctæ Romanæ ecclesiæ presbyter cardinalis de Gravella nuncupatus, tunc episcopus Atrebatensis, ac quatuor alii scientia & probitate insignes viri, quos ad id ipse Salvator episcopus dicto prædecessore interim de medio sublato, prætextu mandati & posteriorum literarum hujusmodi subtituerat, licet forsan eorum aliqui de illis personis non essent quæ canonice subdelegari possent, facta nihilominus per eos quam diligenter rerum indagine, ac omnibus mature pensatis nonnulla monasteria, & præposituras mensis præfatis pro dote suarum ecclesiarum ad hoc ut ipsi præsules etiam illorum curam perinde, atque suam propriam perpetuo regerent; partim uniri, partim abbatiali nomine ibi suppresso illorum fructus mensis ipsis applicari, curamque conventuum illorum præsulibus ipsis demandari præstare judicantes, ac designationes & limitationes provinciarum & diœcesium, divisionesque & distributiones oppidorum & jurisdictionum in nonnullis partibus, ipsarum diœcesium, illis quæ per primo dictas literas statuebantur commodiores faciendas: statim quoque & formam in prædictis ecclesiis, & per hujusmodi suppressiones, applicationes & alias in universum accommodas rationes invitandas esse censuerit, ac super majore illorum parte processus rebus omnibus serie digestis formandos curaverint prout in illis ac singulis literis prædictis, aliisque scripturis desuper forsan confectis plenius continetur. Nos igitur qui dudum inter alia voluimus quod semper in unionibus commissio fieret ad partes vocatis, quorum interesset ex eorumdem subdelegatorum aliorumque fide digniorum relatione, attendentes reditus mensæ olim episcopalis, nunc vero archiepiscopalis Cameracensis propter ejus dismembrationem & separationem, bonorumque illius partem præfatis aliisque vicinis noviter erectis ecclesiis applicatam plurimum diminutos fuisse, & quod illi ex dismembratione & partitione hujusmodi reliquum est, pro congrua venerabilis fratris nostri Maximiliani moderni, & pro tempore existentis archiepiscopi Cameracensis sustentatione nullo modo sufficere: idcirco ut præmissa quibus ad hæreses illas quæ isthuc ex vicinorum contagio jampridem influxerunt extirpandas, dictosque populos in sinceritate fidei continendos nulla alia utiliora magisque opportuna remedia adhiberi potuisse videntur, juxta cordis nostri desiderium promptos & fœlices sortiantur effectus, eis nostri ministerii partes impartiri, & nihilominus eidem Maximiliano, & pro tempore existenti archiepiscopo nostro ex dismembratione & separatione prædictis nimium dispendium patiatur, sed ut statum suum juxta pontificalis dignitatis exigentiam decentius tenere valeat, de alicujus subventionis auxilio providere volentes, ipsumque Maximilianum archiepiscopum a quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequentem harum serie absolventes & absolutum fore censentes, necnon dismembrationis, separationis, assignationis, distributionis & ordinationis per eosdem subdelegatos quantum ad ecclesiam, civitatem, diœcesim & provinciam Cameracensem attinet prudenter examinatarum, & in scriptis concorditer digestarum, ac literarum prædictarum, aliarum scripturarum desuper confectarum tenores, necnon canonicatuum & præbendarum dictæ ecclesiæ Cameracensis, numerum & singulorum illorum fructuum, redituum, & proventuum veros annuos valores præsentibus pro expressis habentes, ac omnia & singula per Salvatorem episcopum, & ab illo deputatos præfatos in dismembratione & separatione ac partitione hujusmodi ecclesiam, civitatem, diœcesim & provinciam Cameracensem prædictas concernentes, facta & ordinata, auctoritate apostolica tenore præsentium confirmantes & approbantes, ac illis perpetuæ firmitatis robur adjicientes, eaque suos plenarios & integros effectus *sortiri debere* decernentes, necnon omnes juris & facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem suppientes, ac in his & circa ea

Anno Christi 1564.

ANNO CHRISTI 1564.

ca ea aliaque infrascripta præfati prædecessoris A partitionem & ordinationem literasque desuper confectas immutantes, motu proprio & ex certa scientia nostra, ac de apostolicæ potestatis plenitudine de persona dicti Maximiliani, qui etiam ecclesiæ Cameracensi tempore illius in metropolitanam erectionis hujusmodi rite præerat, eidem erectæ ecclesiæ, si opus sit eildem auctoritate & tenore providemus, ipsumque illi in episcopum præficimus, & pastorem, curam & administrationem ejusdem ecclesiæ dignitatisque archiepiscopalis plenitudinem sibi in spiritualibus & temporalibus plenarie committendo &c. Datum Romæ apud S. Marcum Incarnationis dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo primo, septimo idus Augusti, pontificatus nostri anno secundo, B sic subscriptum a parte dextra *Ferdinandus cardinalis Cæsius*: ab altera vero parte, *Cæsar Glorierius*, & paulo inferius *A. de Alexis*, & a tergo dictarum literarum, *registrata apud Cæsarem secretarium*. Quibus omnibus & singulis præmissis tanquam rite, & legitime factis & peractis, auctoritatem nostram judiciariam, & ordinariam interponendam duximus, & interposuimus præsentium per tenorem pariter & decretum: in quorum omnium & singulorum fidem & testimonium præmissorum, præsentes literas sive præsens publicum transsumpti instrumentum exinde fieri, & per notarium nostrum infrascriptum subscribi & publicari mandavimus, sigilloque sedis Cameracensis jussimus & fecimus appensio- C ne communiri. Datum & actum Cameraci in audientia curiæ nostræ causarum, consueta nobis inibi ad jura reddendum & causas audiendum, in loco nostro solito & consueto pro tribunali sedendo, sub anno a nativitate domini millesimo quingentesimo sexagesimo quarto, indictione septima, mensis vero Novembris die decima quarta, pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini Pii divina providentia Papæ quarti, anno quarto, præsentibus ad hæc honorabilibus viris dominis & magistris Huberto de Clusis, & Nicolao Charlet testibus, ad præmissa vocatis atque rogatis.

LITERÆ

ILLUSTRISSIMI DOMINI CAROLI ARCH. RHEMENSIS

SUIS COMPROVINC. ECCLESIIS, ET CAPITULIS CAMERACENSI, ATREBATENSI, ET TORNACENSI,

respondentis ad superiora.

Carolus, &c. *nostris comprovincialibus ecclesiis*, *& capitulis Cameracensi*, *Atrebatensi*, *& Tornacensi*: *Gratiam & pacem a Deo per Jesum Christum*.

QUOD nuper provincialis concilii diem, & officii nostri metropolitani rationem & juris ordinem vobis omnibusque sociis & fœderatis ecclesiis indixissemus (fratres carissimi) & ad præstitutum diem minime steristis, literæ nobis allatæ sunt a suffraganeo, & collega nostro episcopo Cameracensi, quibus opponit Cameracensem ecclesiam antea cathedralem in metropolitanam erectam esse, ejusque jurisdictioni coepiscopos nostros Atrebatensem & Tornacensem una cum suis ecclesiis subjacere, a nostra vero provincia perpetuo segregatos, & potestate liberatos. Sed cum earum literarum veritatem attentive inspiceremus, primum deprehendimus Hispaniarum catholicum regem harum rerum omnium apud sanctitatem pontificiam oratorem extitisse, eandemque hisce de rebus cum literis frequenter, tum verbis ab eo interpellatam; in instrumento vero procuratorio eamdem sua sponte, & ultro totum hoc negotium absolvisse, quæ parum inter se cohærere nobis visa sunt; tum præceptum esse ne res conficeretur nisi vocatis iis ad quos quomodocumque pertinet; at quum admonendi Christianissimi regis Gallorum, & metropolitani episcopi quotidie potestas esset, quinquennio quidem post, unus metropolitanus, & per occasionem certior factus est, coque modo uterque in dicta causa damnatus, demum rem omnem contra sanctorum pontificum conciliorum Nicæni, Ephesini, Chalcedonensis canone susceptam esse. Quod cum ita esse nobis sit persuasum, statuimus omni ratione adhibere juris remedia, ne quod ad provinciæ ornamentum a summis pontificibus per antecessores de manu in manum nobis traditum est, nostra negligentia ab alio occupatum, ut probrum nobis objici posset. Ceterum quam durum vobis esse scribitis contra stimulum calcitrare, quoties ecclesiam Rhemensem, quæ vos in Christo genuit agnoveritis, parata est ambabus manibus, omnique ut semper antea caritate vos amplecti, numquam carissimis filiis, neque re, neque consilio defutura. Datum Rhemis in concilio nostro provinciali, Idibus Decembris.

ANNO CHRISTI 1564.

CÆREMONIÆ,

ET SACRÆ PRECES,

QUIBUS IN PUBLICA SESSIONE CONCILII PROVINCIALIS RHEMENSIS solitum est uti.

QUONIAM observatum est omni memoria, ut priusquam in concilio provinciali Rhemensi publicæ celebrentur sessiones, solenne fiat sacrificium missæ in magno altari ejus ecclesiæ, in qua celebranda sit sessio: Laudabile erit si dominus archiepiscopus aut aliquis ex coepiscopis illud suis cæremoniis peragat perficiatque. Cui sacrificio missæ quicumque interfuturi sunt, qui in concilio provinciali comparere debent, ii in vestiario convenientibus se induent ornamentis, quolibet eum obtenturi ordinem in choro, quem privilegii dignitas postulaverit, juxta id, quod in literis publicis ecclesiæ Rhemensis legitur.

Cum autem ex laudabili consuetudine, ante inchoationem missæ, soleant haberi conciones e suggesto, commodior erit prædicatio divini verbi ante sacrum missæ, omissis interim supplicationibus. Quam si contingat a D. archiepiscopo, aut aliquo ex coepiscopis fieri, indutus is rochetum cum superpolita stola, orabit primum ante altare, deinde suggestum ascendens concionem ad finem usque perficiet.

Ceterum peracto missæ sacrificio, ac suis cæremoniis absoluto (inter quas prætermittendum non est episcopum celebrantem debere inter ejus-

dem

ANNO CHRISTI 1564.

dem missæ solennia, populo benedicere, & diaconum postquam evangelium legerit, apertum codicem eidem primo, deinde D. archiepiscopo, si non celebret, aliisque coepiscopis deosculandum deferre) apparabuntur a dextro & sinistro latere, infra magnum altare, eo numero cathedræ, quo apparebit, episcopos provinciæ coram adesse. Quorum aliqui si desint, eorum absentium procuratoribus non cathedræ, sed scabella pari numero quo adfuerint, apparabuntur. At vero paululum ultra cathedras, quæ dextrorsum & sinistrorum apparatæ sunt, collocabitur una in medio altaris, a qualibet earumdem sepositа. Eo itaque modo ordinatis sedibus, dominus archiepiscopus præcedente cruce, simul & coepiscopi, & absentium episcoporum provinciæ procuratores accedent ad majus altare, suam quique occupaturi sedem, eo quo infra describetur ordine.

Primus accedet D. metropolitanus, in ea, quæ in medio altaris sita est, cathedra confessurus. In illis vero quæ dextrorsum apparatæ sunt, primo sedebit loco R. episcopus Suessionensis, secundo Bellovacensis, tertio Noviodunensis, quarto Tornacensis, & postremo Silvanectensis. At in iis quæ sinistrorsum dispositæ sunt, primum occupabit locum R. episcopus Laudunensis, secundum Catalaunensis, tertium Ambianensis, quartum Bolonensis, & postremum Atrebatensis. Solus autem e regione D. metropolitani consedebit episcopus Cameracensis, si coram adsit. Præterea absentium episcoporum provinciæ procuratores, qui cum D. archiepiscopo & aliis præsentibus coepiscopis ad majus altare accesserunt, eum sedendo obtinebunt ordinem, quem domini sui, si concilio interessent, servare solent, posterioribus tamen locis post præsentes episcopos confessuri. Cum itaque omnes accesserint, primum procumbent ante altare, suis innixi sedibus, ibidem Deum aliquamdiu precaturi: deinde finitis precibus, stantes exuent se pluvialibus, præter procuratores absentium episcoporum, qui ea retinent ad finem usque sessionis celebrandæ. Tum sedentes episcopi, metropolitanus quidem a diacono & aliis ministris, coepiscopi vero a suis domesticis sacellanis induentur pontificalibus ornamentis, videlicet scandaliis rubri coloris, amictu qui humeris circa collum, non capiti superimponatur, alba, cingulo, stola, cruce pectorali, pluviali, mitra, alba simplici & baculo pastorali. Sed D. archiepiscopus præter pastorale pedum, utetur cruce episcopali & mitra aurifriglata.

Quod si contingat aliquem ex coepiscopis rem divinam ante inchoationem sessionis facere, is in vestiarium reversus exuet dalmaticas, manipulum & casulam, & accipiet pluviale, reliquas indutus sacras vestes, quibus peragendo sacro usus est, deinde albam mitram simplicem, relicta pretiosa assumet reversurus in chorum cum pedo pastorali, & in assignata sede cum coepiscopis consessurus.

Ceterum cum singulis imponi cœperint sandalia, incipiet cantor, aut alius, qui moderatur chorum in ea ecclesia, in qua sit sessio, cantare sequentem psalmum, quem integrum suaviter ac numerose modulabitur chorus.

QUAM dilecta tabernacula tua domine virtutum: concupiscit & deficit anima mea in atria domini.

Cor meum & caro mea: exultaverunt in Deum vivum.

Etenim passer invenit sibi domum: & turtur nidum, ubi reponat pullos suos.

Altaria tua domine virtutum: rex meus & Deus meus.

Beati qui habitant in domo tua domine: in sæcula sæculorum laudabunt te.

Beatus vir cujus est auxilium abs te: ascensiones in corde suo disponit in valle lacrymarum, in loco quem posuit.

Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus deorum in Sion.

Domine Deus virtutum exaudi orationem meam: auribus percipe Deus Jacob.

Protector noster aspice Deus: & respice in faciem Christi tui.

Quia melior est dies una in atriis tuis super millia.

Elegi abjectus esse in domo Dei mei: magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.

Quia misericordiam & veritatem diligit Deus: gratiam & gloriam dabit dominus.

Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia: Domine virtutum, beatus homo qui sperat in te.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

Finito psalmo, tantisper sedent in sedibus episcopi & procuratores absentium episcoporum, dum facto apud omnes silentio, diaconus, qui stat a dextra parte, proximus D. archiepiscopo, converso ad chorum vultu, plena voce cantat.

Orate.

Quo dicto, D. metropolitanus, suffraganei, & procuratores absentium suffraganeorum, cum reliquis omnibus, qui coram adsunt, genua flectunt, & orant detectis capitibus altare versus.

Interjecto autem intervallo, surgunt ab oratione D. metropolitanus, coepiscopi, & procuratores absentium episcoporum, reliquis adhuc in terram prostratis, & vultu ad altare converso, infrascriptam orationem absolute incipiunt detectis capitibus D. metropolitano eam decantante; suffraganeis vero demissa voce legendum, his verbis.

ADSUMUS domine sancte Spiritus. Adsumus quidem peccati immanitate detenti, sed in nomine tuo specialiter aggregati, veni ad nos, & esto nobiscum, & dignare illabi cordibus nostris: doce nos quid agamus, quo gradiamur, & ostende quid efficere debeamus, ut te auxiliante tibi complacere in omnibus valeamus. Esto solus suggestor & effector judiciorum nostrorum, qui solus cum Deo Patre & ejus Filio nomen possides gloriosum. Non nos patiaris perturbatores esse justitiæ, qui summam diligis æquitatem: Non in sinistrum nos ignorantia trahat, non favor inflectat, non acceptio munerum, vel personæ corrumpat. Sed junge nos efficaciter tibi, solius tuæ gratiæ dono, ut simus in te unum, & in nullo aberremus a vero: quatenus in nomine tuo collecti, sic in cunctis teneamus cum moderatione pietatis justitiam, ut hic a te in nullo dissentiat sententia nostra, & in futuro pro bene gestis consequamur præmia sempiterna.

Chorus respondet. Amen.

Hac finita oratione, surgens subdiaconus, & stans versus chorum, clara voce decantat.

Erigite vos.

Quo dicto consurgunt omnes. Deinde qui moderantur chorum, sive sit cantor ecclesiæ, sive succentor,

ANNO CHRISTI 1564.

tor, antiphonam ſequentem cantare incipiunt, ceteris in choro cum cantu proſequentibus ad finem uſque.

EXAUDI nos domine, quoniam benigna eſt miſericordia tua, ſecundum multitudinem miſerationum tuarum, reſpice nos domine.

Qua decantata, iterum diaconus verſus ad chorum cum cantu profert.

Orate.

Cum D. archiepiſcopus & coepiſcopi, cum cetera hominum turba, orant aliquantiſper ſecreto. Interjecto autem temporis intervallo, ſurgens ſubdiaconus, & ſtans verſus chorum, clara voce iterum profert.

Erigite vos.

Quo dicto conſurgunt omnes. Deinde D. archiepiſcopus & epiſcopi ſtantes verſus altare ſine mitris, ſequentem orationem abſolute proferunt, decantante quidem D. archiepiſcopo, ſuffraganeis vero ſubmiſſa voce legentibus.

Oremus.

MENTES noſtras, quæſumus domine, Spiritus paracletus qui a te procedit, illuminet, & inducat in omnem, ſicut tuus promiſit Filius, veritatem. Qui tecum vivit & regnat, in unitate ejuſdem Spiritus ſancti Deus. Per omnia ſæcula ſæculorum.

Chorus, Amen.

Qua finita oratione, D. archiepiſcopus, & coepiſcopi procumbunt ante altare cum mitra, ſuis innixi cathedris, interim dum decantatur litania per duos ex canonicis, ceteris omnibus, qui pſallentes aſtant in choro, alternatim reſpondentibus modo infraſcripto.

Canonici.

KYRIE eleiſon.

Chorus.

Kyrie eleiſon.

Canonici.

Chriſte audi nos.

Chorus.

Chriſte audi nos.

Canonici.

Pater de cœlis Deus, miſerere nobis.

Chorus.

Pater de cœlis Deus, miſerere nobis.

Canonici.

Fili redemptor mundi Deus, miſerere nobis.

Chorus.

Fili redemptor mundi Deus, miſerere nobis.

Canonici.

Spiritus ſancte Deus, miſerere nobis.

Repe. Chorus.

Spiritus ſancte Deus, miſerere nobis.

Canonici.

Sancta Trinitas unus Deus, miſerere nobis.

Repe. Chorus.

Sancta Trinitas unus Deus, miſerere nobis.

Canonici.

Sancta Dei genitrix.

Chorus.

Ora pro nobis.

Canonici.

Sancta virgo virginum,

Chorus.

Ora pro nobis,

Canonici.

Sancta Maria,

Chorus.

Ora pro nobis.

Canonici.

Sancte Michael,

Chorus.

A Ora pro nobis.

Canonici.

Sancte chorus Angelorum,

Chorus.

Ora pro nobis.

Canonici.

Sancte Joannes Baptiſta,

Chorus.

Ora pro nobis.

Canonici.

Sancte Petre,

Chorus.

Ora pro nobis,

Canonici.

B Sancte Paule,

Chorus.

Ora pro nobis.

Canonici.

Sancte Andrea,

Chorus.

Ora pro nobis.

Canonici.

Sancte Jacobe,

Chorus.

Ora pro nobis.

Canonici.

Sancte chorus apoſtolorum,

Chorus.

Ora pro nobis.

C *Canonici.*

Sancte Nicaſi,

Chorus.

Ora pro nobis.

Canonici.

Sancti Criſpine & Criſpiniane,

Chorus.

Orate pro nobis.

Canonici.

Sancte Firmine,

Chorus.

Ora pro nobis.

Canonici.

Sancte Luciane cum ſociis tuis,

Chorus.

D Ora pro nobis.

Canonici.

Sancte chorus Martyrum,

Chorus.

Ora pro nobis.

Canonici.

Sancte Remigi,

Chorus.

Ora pro nobis.

Canonici.

Sancte Gennebalde,

Chorus.

Ora pro nobis.

Canonici.

E Sancte Eligi,

Chorus.

Ora pro nobis.

Canonici.

Sancte Memmi,

Chorus.

Ora pro nobis.

Canonici.

Sancte chorus confeſſorum.

Chorus.

Ora pro nobis.

Canonici.

Sancta Eutropia,

Cho-

ANNO CHRISTI 1564.

Chorus.

Ora pro nobis.

Canonici.

Sancta Macra,

Chorus.

Ora pro nobis.

Canonici.

Sancta Catharina,

Chorus.

Oro pro nobis.

Canonici.

Sancta Andragariſma,

Chorus.

Ora pro nobis.

Canonici.

Sancte chorus virginum,

Chorus.

Ora pro nobis.

Canonici.

Omnes Sancti,

Chorus.

Orate pro nobis.

Canonici.

Propitius eſto,

Chorus.

Parce nobis domine.

Canonici.

Ab hoſte malo,

Chorus.

Libera nos domine.

Canonici.

Ab inſidiis diaboli,

Chorus.

Libera nos domine.

Canonici.

Ab omni malo,

Chorus.

Libera nos domine.

Canonici.

Per crucem & paſſionem tuam,

Chorus.

Libera nos domine.

Canonici.

Per reſurrectionem tuam,

Chorus.

Libera nos domine,

Canonici.

Per adventum ſancti Spiritus paracleti,

Chorus.

Libera nos domine,

Canonici.

In die judicii,

Chorus.

Libera nos domine,

Canonici.

Peccatores,

Chorus.

Te rogamus audis nos.

Canonici.

Ut pacem & ſanitatem nobis dones,

Chorus.

Te rogamus audi nos.

Canonici.

Ut iram, & indignationem a nobis auferas,

Chorus.

Te rogamus audi nos,

Canonici.

Ut eccleſiam tuam regere & defenſare digneris,

Chorus.

Te rogamus audi nos.

Canonici.

Ut domnum apoſtolicum, in ſancta religione conſervare digneris,

A *Chorus.*

Te rogamus audi nos.

Canonici.

Ut regem noſtrum in perpetua proſperitate conſervare digneris,

Chorus.

Te rogamus audi nos.

Canonici.

Ut dominum archiepiſcopum & omnes coepiſcopos cum omni grege ſibi commiſſo in tuo apto ſervitio conſervare digneris,

Chorus.

Te rogamus audi nos.

Quo decantato verſiculo, ſurgunt D. archiepiſcopus, & epiſcopi ſuffraganei, ſtanteſque ſine mitris,

B *ac pedum manu tenentes (ita tamen ut præter pedum unus ex ſacellanis ejuſdem D. archiepiſcopi crucem archiepiſcopalem ante teneat) ceteris in genua adhuc adſtantibus, benedicunt ſynodo, D. quidem metropolitano decantante, coepiſcopis vero ſubmiſſa voce legentibus, his verbis.*

Ut hanc ſanctam ſynodum & omnes gradus eccleſiaſticos benedicere digneris,

Chorus.

Te rogamus audi nos.

Ut hanc ſanctam ſynodum & omnes gradus eccleſiaſticos benedicere & regere digneris,

Chorus.

Te rogamus audi nos.

Ut hanc ſanctam ſynodum & omnes gradus ec-

C cleſiaſticos benedicere, regere, & conſervare digneris,

Chorus.

Te rogamus audi nos.

Quo dicto, qui litaniam decantare inceperant canonici, eam proſequuntur, donec totam perfecerint, procumbentibus iterum cum mitris, D. metropolitano & coepiſcopis.

Canonici.

Ut cunctum populum Chriſtianum pretioſo ſanguine tuo redemptum conſervare digneris.

Chorus.

Te rogamus audi nos.

Canonici.

Ut clerum & plebem totius provinciæ conſervare

D digneris,

Chorus.

Te rogamus audi nos.

Canonici.

Fili Dei,

Chorus.

Te rogamus audi nos.

Canonici.

Fili Dei,

Chorus.

Te rogamus audi nos.

Canonici.

Fili Dei,

Chorus.

Te rogamus audi nos.

E *Canonici.*

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, miſerere nobis.

Chorus.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, miſerere nobis.

Canonici.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, parce nobis domine.

Chorus.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, parce nobis domine.

Canonici.

ANNO CHRISTI 1564.

Canonici.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem.

Chorus.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem.

Canonici.

Christe audi nos.

Chorus.

Christe audi nos.

Canonici.

Kyrie eleison.

Chorus.

Kyrie eleison.

Canonici.

Christe eleison.

Chorus.

Christe eleison.

Canonici & chorus simul.

Kyrie eleison.

Finita litania, consurgunt omnes. Tum D. metropolitanus & comprovinciales episcopi stantes sine mitris, vultum ad altare convertunt. Interim vero suffraganeis legentibus, incipit cantare idem D. metropolitanus hoc modo.

Oremus.

Cui respondens diaconus, submittendo genu interram usque sic decantat.

Flectamus genua.

Interposita vero aliqua mora, erigens se subdiaconus, sic cantando respondet.

Levate.

Cum archiepiscopus decantans, suffraganeis legentibus, sequentem orationem prosequitur.

DA quæsumus ecclesiæ tuæ misericors Deus, ut Spiritu sancto congregata, hostili nullatenus incursione perturbetur. Per dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus. Per omnia sæcula sæculorum.

Chorus respondet.

Amen.

Qua dicta oratione, sedebit D. archiepiscopus cum ceteris coepiscopis, impositis mitris, donec ad eum puer chori thuriferarius accedat, qui petat benedici incensum, his verbis.

Benedic pater.

Respondente D. archiepiscopo.

Ab illo benedicaris, in cujus nomine cremaberis, In nomine patris, † & Filii, & Spiritus sancti.

Quo dicto, accedet item diaconus cum libro evangeliorum clauso, & ab eodem D. archiepiscopo genuflexus petet benedici, his verbis.

Jube domine benedicere.

Respondentes supradicto D. archiepiscopo.

DEUS sit in corde tuo, & in labiis tuis, ad pronunciandum populo sanctum evangelium Dei, In nomine Patris, † & Filii, & Spiritus sancti.

Qui surgens proficiscetur ad pulpitum, facta prius reverentia D. archiepiscopo, ac præcedente primum puero thuriferario, cum thuribulo suffumigante, in quo paulo ante impositum fuerat incensum ab eodem D. archiepiscopo, pone sequentibus duobus aliis ceroferariis, ibidem evangelium recitaturus competens rei, de qua agatur.

Inter proficiscendum vero assurgent eidem diacono librum evangeliorum reverenter portanti D. archiepiscopus metropolitanus, & coepiscopi omnes, inclinando caput ante illum. Et dum idem evangelium recitari incœperit, stabunt illi sine mitris, versa ad diaconum facie, tantisper erecti pedum in manu tenentes, dum integre diaconus cantando illud absolverit: interim animadvertentes non omitti debere, ut cum initio evangelii decantabitur.

Gloria tibi domine.

vertant se ad altare, paululum caput ante illud inclinando.

Cum autem diaconus totum absolverit evangelium, reversus ad D. archiepiscopum, offeret ei primum apertum codicem deosculandum, deinde coepiscopis & absentium coepiscoporum procuratoribus, primo quidem iis qui dextro sedent latere, postremo vero aliis qui sinistro, idque juxta ordinem, quem illi sedendo servant. Quo quidem ordine, iidem tam coepiscopi quam absentium coepiscoporum procuratores post deosculationem evangelii per subdiaconum incensabuntur post dominum archiepiscopum, impositis tamen mitris. Nam singuli episcoporum dum evangelium in sessionibus deosculantur, depositas mitras, dum vero a subdiacono incensantur, impositas habere debent: Procuratores vero detecto capite incensandi sunt.

Quod si aliquis adsit prorex seu rector ejus provinciæ, in qua concilium celebretur, is & librum evangeliorum deosculabitur apertum, & a subdiacono incensabitur post episcopos & absentium episcoporum procuratores.

Quibus ita peractis, sedent omnes.

Interposita autem aliqua mora, surgens D. metropolitanus sine mitra cum reliquis suffraganeis incipit hymnum, qui infra scribitur. Quo inchoato, simul ipse, simul coepiscopi procumbunt super cathedras, donec primus versus perficiatur.

VENI creator Spiritus,
Mentes tuorum visita:
Imple superna gratia,
Quæ tu creasti pectora.

Quo decantato versu, surgunt patres, & stant sine mitris altare versus, prosequente choro eumdem hymnum ad finem usque, prout infra descriptus est.

Qui paracletus diceris,
Donum Dei altissimi:
Fons vivus, ignis, caritas,
Et spiritalis unctio.
Tu septiformis munere,
Dextræ Dei tu digitus:
Tu rite promissum patris,
Sermone ditans guttura.
Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus:
Infirma nostri corporis,
Virtute firmans perpetim.
Hostem repellas longius,
Pacemque dones protinus:
Ductore sic te prævio,
Vitemus omne noxium.
Per te sciamus da Patrem,
Noscamus atque Filium:
Te utriusque Spiritum,
Credamus omni tempore.
Sit laus Patri cum Filio,
Sancto simul Paracleto:
Nobisque mittat Filius,
Charisma sancti Spiritus. Amen.

Quo completo hymno, D. A. metropolitanus sequentem versiculum incipit.

Emitte spiritum tuum, & creabuntur.

Prosequente choro.

Et renovabis faciem terræ.

Dum archiepiscopus.

Ore-

ANNO CHRISTI 1564.

Oremus.

DEus qui corda fidelium, ſancti Spiritus illuſtratione, docuiſti: da nobis in eodem ſpiritu recta ſapere, & de ejus ſemper ſancta conſolatione gaudere. Per dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, Qui tecum vivit & regnat in unitate ejuſdem Spiritus ſancti Deus, Per omnia ſæcula ſæculorum.

Chorus reſpondet.

Amen.

Deinde D. archiepiſcopus proſequitur.

Dominus vobiſcum.

Benedicamus domino.

Quibus abſolutis tractabitur inter ipſum reverendiſſimum dominum archiepiſcopum, & reverendiſſimos patres, de apertione hujus ſacræ ſynodi provincialis, mandabiturque ſcribis & ſecretariis ejuſdem, ut a ſingulis ſciſcitentur, numne ad Dei gloriam & eccleſiæ catholicæ decorem, ſanctum concilium provinciale Rhemenſe, legitime indictum, convocatum & congregatum aperiendum videatur, illiſque ſuper hoc per dictos ſecretarios interrogatis, & idipſum aperiendum eſſe aſtipulantibus uti dicti ſecretarii referent, præfatus reverendiſſimus dominus archiepiſcopus tam ſuo, quam coepiſcoporum ſuorum nomine dictam ſanctam ſynodum provincialem Rhemenſem apertam eſſe decernet & declarabit, ſub hac verborum forma.

Chriſti nomine invocato, decernimus ſanctam ſynodum Rhemenſem eſſe apertam, & ita judicamus.

Poſtea archiepiſcopus incipiet.

TE Deum laudamus:
Te dominum confitemur.

Cujus cantici cum recitatus fuerit primus verſiculus, ſurgent patres, & tantiſper ſtabunt ſine mitris, altare verſus, dum chorus cantando proſequutus fuerit ad finem uſque, quæ infra ſcribuntur.

Te æternum patrem:
Omnis terra veneratur.
Tibi omnes angeli:
Tibi cœli & univerſæ poteſtates.
Tibi cherubin & ſeraphin:
Inceſſabili voce proclamant.
Sanctus.
Sanctus.
Sanctus dominus Deus ſabaoth.
Pleni ſunt cœli, & terra:
Majeſtatis gloriæ tuæ.
Te glorioſus:
Apoſtolorum chorus.
Te prophetarum:
Laudabilis numerus.
Te martyrum candidatus:
Laudat exercitus.
Te per orbem terrarum:
Sancta confitetur eccleſia.
Patrem immenſæ majeſtatis.
Venerandum tuum verum:
Et unicum filium.
Sanctum quoque:
Paracletum ſpiritum.
Tu rex gloriæ Chriſte.
Tu patris ſempiternus es filius.
Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem:
Non horruiſti virginis uterum.
Tu devicto mortis aculeo:
Aperuiſti credentibus regna cœlorum.
Tu ad dexteram Dei ſedes:
In gloria patris.
Judex crederis eſſe venturus.

Cum autem perventum fuerit ad hunc verſum.

Te ergo quæſumus.

Simul atque hæc verba recitabuntur.

Quos pretioſo ſanguine redemiſti.

A *Genuflectent patres, deinde elevati finem cantici expectabunt, uſque ad verſum.*

In te domine ſperavi.

Incluſive, prout infra ſcribitur, ſtantes quo prius dictum eſt modo.

Te ergo quæſumus famulis tuis ſubveni:
Quos pretioſo ſanguine redemiſti.
Æterna fac cum ſanctis tuis:
In gloria munerari.
Salvum fac populum tuum domine:
Et benedic hæreditati tuæ.
Et rege eos, & extolle illos.
Uſque in æternum.
Per ſingulos dies:
Benedicimus te.
B Et laudamus nomen tuum in ſæculum:
Et in ſæculum ſæculi.
Dignare domine die iſto:
Sine peccato nos cuſtodire.
Miſerere noſtri domine:
Miſerere noſtri.
Fiat miſericordia tua domine ſuper nos:
Quemadmodum ſperavimus in te.
In te domine ſperavi:
Non confundar in æternum.

Quo finito cantico, amovetur cathedra D. metropolitani, ſi qua ibidem remanſerit. Deinde is aſcendens ad medium altaris, verſuſque ad populum, ac tenens baculum paſtoralem in manu, detecto tamen capite,
C *propter crucem, quæ ante eum immediate opponitur: ceteris coepiſcopis e regione ſtantibus, ac pedum in manu tenentibus, ſine mitra: Procuratoribus item abſentium epiſcoporum pro ſuo munere, abbatibuſque & prioribus, atque iis, qui in choro pluvialibus ſunt induti, itidem factitantibus, laicis tamen omnibus, qui coram adſint, genuflexis, benedicit ſynodo, his verbis.*

Sit nomen domini benedictum.
Adjutorium noſtrum in nomine domini.
Benedicat vos omnipotens Deus, Pater † & Filius † & Spiritus † ſanctus.

Tamen prætereundum non eſt, quod in concilio provinciali Rhemenſi, quod D. A. Guillelmus cognomento Trienſis, archiepiſcopus Rhemorum, Silvanecti cum ſuffraganeis habuit, anno domini milleſimo, trecenteſimo, viceſimo ſexto, anno epiſcopatus quarto, cum
D *de ordine procedendi in ſynodo provinciali Rhemenſi diſceptaretur, decreto cautum fuit, ut peractis concilii cæremoniis, benediceretur populo infraſcriptis verbis.*

Chriſtus Dei Filius qui eſt initium & finis: complementum vobis tribuat caritatis.

Chorus. Amen.

Et vos qui ad expletionem hujus fecit pervenire concilii: abſolutos vos efficiat ab omni contagione delicti.

Chorus, Amen.

Et ab omni reatu liberiores effecti: abſoluti
E etiam per donum Spiritus ſancti: felici reditu ſedium veſtrarum cubilia repetatis illæſi.

Chorus, Amen.

Quod vobis ipſe præſtare dignetur, cujus regnum & imperium ſine fine permanet in ſæcula ſæculorum.

Chorus, Amen.

Et benedictio Dei omnipotentis Pa†tris, & Fi†lii, & Spiritus † ſancti, deſcendat ſuper vos, & maneat ſemper.

Chorus, Amen.

CANO-

ANNO CHRISTI 1565.

CANONES ET DECRETA SACRI CONCILII PROVINCIALIS CAMERACENSIS.

Præsidente revetendissimo P. D. Maximiliano a Bergis, archiepiscopo & duce Cameracensi, sacri imperii principe, comite Cameracesii, &c.

INDEX CAPITULORUM.

Publicatio concilii.
Præfatio.
De libris hæreticorum suspectis, & vetitis.
De lectionibus theologicis in capitulis, & monasteriis.
De scholis.
De seminario.
De doctrina & prædicatione verbi Dei.
De cultu & ceremoniis, & officio divino.
De ministeriis ecclesiasticis.
De vita & honestate clericorum.
De examine episcoporum.
De examine pastorum.
De residentia episcoporum & curatorum.
De pastorum residentia, & eorum officio.
De visitatione.
De potestate, & jurisdictione ecclesiastica.
De matrimonio.
De decimis, oblationibus, & portione canonica.
De purgatorio.
De monasteriis virorum & mulierum.
De sanctis.
De imaginibus.
De reliquiis.
De indulgentiis.

MAXIMILIANUS A BERGIS

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA archiepiscopus, & dux Cameracensis; sacri imperii princeps, comes Cameracesii, &c. Universo clero, & populo nostræ provinciæ Cameracensis, salutem in domino perpetuam.

CUM interdum nobiscum reputamus, quantopere nostra causa hodie sancta mater ecclesia laboret, & quantis denique vulneribus ipsius membra, pluribus emortuis, saucia sint; sane crudeles nos merito filios ab ea censendos non dubitamus, nisi languenti congruentia remedia adhibeamus: ut qui inficias ire non possimus, quin sacrorum canonum neglectu, morumque deformatione, ac vitæ dissolutione, illius languori causam, immo & hostibus ejus contra illam arma dederimus. Proinde licet, causas nobis satis idoneas oblatas esse judicemus, ex concilii Tridentini mandato, quare synodum nostræ provinciæ quamprimum cogeremus; tamen ea res nos impulit maxime, quod veterem ecclesiæ consuetudinem hoc tempore restitui debere censeamus, cum aliis plurimis rationibus inducti, ac publico periculo moniti, tum ut quæ mala in ecclesiam invexit vitæ dissolutio, eadem morum reformatione tollantur. Est enim in primis necessarium; cum impiorum hominum improbitas ad consilia religionis evertendæ, sceleratis animis conspiret, passimque pestilentiæ cathedras erigat; ut ad publicum naufragium avertendum, A pii homines, quibus Christi gloria cordi est, conventus legitimos simul ineant, provideantque, collatis sententiis, qua potissimum ratione has pestes amoliri possint ab ecclesia. Quod majoribus nostris, jam inde ab apostolorum ætate, in more, & usu fuisse, ecclesiasticis historiis abunde relatum est. Nam in ecclesia si quid priscorum sæculo forte contigisset, ex quo detrimentum ullum respublica capere, aut doctrinæ, morumque sinceritas corrumpi posset, tum, quod singuli oneri sustinendo satis se esse minime putarent, multorum aggregatione de communi inter se negotio salutariter decernebant. Spectabant enim certam ac firmam Christi promissionem, qua collectis in suo nomine pluribus, medium se B interfuturum pollicetur. Nec dubitabant quin suam vim Spiritus sanctus certis indiciis proderet, quocumque piorum ecclesia legitime convenisset. Sic Petrus, apostolorum princeps, cum Spiritus primitias haberet, ipse tamen ex fratrum sententia, & judicio, Gentiles veteris pædagogi jugo maluit eximere, quam id sua solius auctoritate constituere: nec prius aut ipse, aut Jacobus ita Spiritui sancto visum esse pronunciavit, quam senatus apostolici de ea quæstione consensus est habitus. Hanc autem certissimam normam doctrinæ adversus hæreses asserendæ, morumque, ac disciplinæ retinendæ, non eo tantum tempore servavit ecclesia, quo principum beneficio securitas Christianis data est; sed eo quoque sæC culo, quo fasces imperii Christiani nominis interitum omni crudelitate molirentur: cujusmodi fuit ille patrum congressus adversus Samosatenum sæpius repetitus: illeque adversus Novatum habitus, & Carthagine, & Romæ multorum episcoporum conventus. Quam utilissimam consuetudinem, a sanctis patribus constabilitam, in quibus fuere Firmilianus, Cyprianus, Cornelius, complureſque pietatis maximæ viri, quamdiu posterior ecclesia retinuit, multo minus incommodi ab hæreticis impostoribus, perditisque hominibus pertulit, quam ubi desitum est, legitimo provincialium consessu, sacros conventus statis temporibus haberi: nec dubium quin exitialis ejus negligentiæ partus ad publicam calamitatem D in hæc tempora reciderit. Nam cum tranquillis rebus diuturna quies nonnullos ordinis ecclesiastici languidiores ad officium præstandum redderet, nec putarent in otio negotium molestè quærendum esse; nactus hanc opportunitatem satanas, astute machinas adornavit, quibus hodie religionem hæreticorum adminiculo tentaret evertere. Cui malo occurri certe melius non potuit, quam iisdem rationibus, quibus majores nostri semper ecclesiæ Christi propugnationem susceperè, id est, conciliis rite ac pie collectis. Quorum si ullo umquam tempore auctoritas, ususque fuit necessarius; pericula profecto nostra declarant, de re nulla potius nobis esse cogitandum. Quare cum sæpius inter nos de peri-

culo

Anno Christi 1565.

culo, quod maximum ecclesiis impendet, depel- A
lendo quæreremus, hæc una, in ceteris, sacra
nobis anchora visa est, si mature concilium pro-
vinciæ Cameracensis haberetur: in quo cum de
restauranda disciplina, tum vero de doctrina
Christiana conservanda inter patres agitaretur.
Huic autem inductioni nostræ addidit animum
invictissimi, atque religiosissimi principis Phi-
lippi, regis catholici, omnium optimi, ac ma-
ximi pietas: (in cujus ditione tota pene nostra
provincia patet) qui cum id sibi vehementer pla-
cere, ac probari pro suo erga rem Christianam
studio declarasset; tum nihil potius habuimus,
quam ut diem diceremus ejus ineundi concilii.
Is vero fuit dies Joannis Baptistæ nativitati fe-
stus: quo die fratres nostri suffraganei, capitu- B
lorumque cathedralium omnium deputati com-
plures abbates, item justo numero collegiorum,
decanorum, ac sacerdotum plurimi, frequenti
conventu ex tota provincia (quod felix sit, ac
faustum) convenere, qui omnes sancte, ac reli-
giose moniti, eum sibi in primis scopum spe-
ctandum nobiscum censuerunt, uti ante omnia
gloriæ divinæ serviatur, ut quidquid œcume-
nicum concilium Tridentinum statuerit, id sa-
crosanctum omnibus sit, & inviolabile, quid-
quid item anathemate damnaverit, id ut omnes
execrentur: uti præterea in cultu, cæremoniis,
moribus, disciplina, ceterisque iis rebus omni-
bus, quibus legitima ecclesiarum œconomia con-
stitui debet, in his nihil non integrum, ac sin- C
cerum admittatur; nihil, quod sit sanctum, ac
purum negligatur. Itaque ergo communi fratrum
nostrorum episcoporum comprovincialium con-
sensu, & astipulatione, duce & auspice Deo, a
quo omnis sufficientia nostra est, dictam syno-
dum provincialem editis, ac promulgatis certis
statutis, & ordinationibus, ad dicti sacri œcu-
menici, & generalis concilii executionem facienti-
bus, feliciter absolvimus.

Quamobrem Deo primum opt. max. gratiam
habentes, & agentes immortalem, vos omnes,
& singulos per viscera caritatis hortamur in do-
mino, ut parturientem, & totis jam viribus e- D
nitentem ecclesiam, vestris cum primis votis,
ac precibus adjuvetis; quo innovationem veteris
patrum sanctitatis in lucem edat: molitur enim
novum aliquid, & salutiferum Deus in servo-
rum suorum conatibus; estque id in exspectatio-
ne, ut convertat manum suam ad nos; &, quod
inquit Isaias, excoquat, ac purget argenti no-
stri scoriam, id est, pristinæ ecclesiasticæ sancti-
moniæ statum restituat. Quare æquum est vos
expromptum, & alacrem animum exhibere nu-
mini, ne hanc optimi patris gratiam pervicaci-
ter abjiciatis. Hoc denique certum, & indubi-
tatum habendum vobis est; nisi in ecclesiæ sinu,
& gremio manseritis, vobis nihil esse commune
cum Christo. Ea enim tabernaculum est Dei E
viventis; corpus est Christi electorum capitis
& antistitis; domicilium est Spiritus omnium
piorum doctoris, & sanctificatoris. Cujus quot-
quot participes effici cupiunt, illis necesse est
ut ab omnibus hæreticorum impostoris abhor-
reant, caveantque sibi ab eo fermento, quo cœ-
lestis doctrinæ panem vitiant, & corrumpunt.
Quod ipsi quidem facile consequentur, si iis salu-
taribus remediis se muniant, quæ in concilio Tri-
dentino & in provinciali nostro patres accuratissi-
me deprompserunt.

Quocirca etiam beatissimi summi pontificis
mandato innixi, vobis sub inobedientiæ, & a-
liis gravioribus pœnis, & censuris ecclesiasticis,
etiam in ipsis decretis contentis, districte præ- Anno Christi 1565.
cipimus, & mandamus, ut eadem decreta, &
quæ in dicta synodo nostra provinciali statuta
sunt, accurate observetis; & quilibet vestrum,
prout quemque concernunt, observet, & ob-
servari curet. Mandantes propterea prælatis
omnibus, ac parochis, & verbi Dei concionato-
ribus, ut ea populis suis, quatenus hosce, at-
que horum salutem respiciunt, quamsæpissime
(singulis suis sermonibus scilicet, eorum aliqua
annuncient, ac plane, dilucideque exponant. Ad
hæc cum pietas, quam professi sumus, id exigat,
ut Paulino præcepto moniti, pro iis, qui in pote-
state sunt constituti, Deo opt. max. supplicemus;
vos monemus, ac obsecramus, ut utriusque mi-
nisterii, id est, ecclesiastici, ac laici, principibus
fausta omnia, ac felicia, in oculis domini, com-
precemini, ut eorum cura, ac diligentia tranquil-
lum, ac pacatum statum reipublicæ Christianæ
omnes ordines retinere, & sine trepidatione Deo
servire queant.

Estote igitur memores in orationibus vestris
sanctissimi patris Pii quarti, pontificis maximi,
præpositorumque vestrorum, qui saluti vestræ
pro vobis advigilant; Cæsaris quoque, regum,
& præsertim pientissimi principis Philippi, re-
gis potentissimi, fortunam, incolumitatemque,
& regnorum stabilitatem Deo commendare; ut
divino semper præsidio septus, & hostem Chri-
stiani nominis fortiter a cervicibus fidelium re-
pellat; cum ecclesiam Christi tuendam susce-
perit, ejus conatus & sancta consilia, ipse, per
quem reges regnant, & imperant, sua benedi-
ctione fortunet. Datum in civitate nostra Ca-
meracensi, loco nostræ residentiæ, anno domi-
ni millesimo, quingentesimo, sexagesimo quin-
to: Beatissimi vero patris, ac domini Pii IV.
pontificatus anno sexto, Die tertia mensis Au-
gusti.

PRÆFATIO.

IN nomine sanctæ, & individuæ Trinitatis, Pa-
tris, & Filii, & Spiritus sancti.

Sancta synodus provincialis Cameracensis, in
Spiritu sancto legitime congregata, considerans
fidem spiritualis ædificii, ac religionis esse fun-
damentum, sine quo neque ecclesia subsistere,
neque quisquam Deo placere queat; statuit in
primis, more majorum, ut ejus fidei confes-
sio ante omnia præmittatur, ut quod corde credi-
tur ad justitiam, id ore profiteantur omnes ad
salutem. Quæ fides cum apostolo teste sit una,
eam ipsam, quam a majoribus acceptam, duc-
tamque a Christi & apostolorum doctrina, ec-
clesia sancta catholica, & apostolica integram
conservavit; eadem sancta synodus suscipit, &
amplectitur. Quoniam vero hæc fides ortho-
doxa in primis verbo Dei nititur, quod verbum
sacris literis nobis est expressum, traditioneque
apostolica declaratum, sed & sacrorum con-
ciliorum œcumenicorum, & universalis eccle-
siæ sensu fideliter explicatum; ea omnia san-
cta synodus in hunc, qui sequitur, modum
profitetur.

Credimus, & confitemur omnes utriusque te-
stamenti canonicas scripturas, quas Spiritu san-
cto auctore divinitus traditas esse profitemur;
sed & ea omnia, quæ symbolis in ecclesia rece-
ptis comprehenduntur, nempe apostolico, & eo,
quo sancta ecclesia Romana, atque catholica

Anno Christi 1565.

publice utitur, nempe Credo, &c. His, in- A
quam, symbolis comprehensa, & quæcumque
præterea de fide, & doctrina a sacris œcumenicis conciliis sunt definita, & tradita; maximeque a sancto generali Tridentino concilio, nulla hæsitatione complectimur. Sensum vero canonicarum scripturarum omnium eum esse verum, & germanum credimus; non quem hominum, sibi stulte sapientium, vanitas intulerit; sed quem doctorum, ac patrum consensus, usuque sanctæ matris ecclesiæ docuit, ac tradidit.

Traditiones ab apostolis verbo, & usu traditas, receptasque, ac conservatas ab ecclesia perpetuis temporibus, tametsi eas literis non mandaverint, tamen eas omnes ut ab ipsius Christi ore B
per apostolos acceptas, aut ab ipsis apostolis Spiritu sancto dictante positas agnoscimus, & suscipimus.

Septem ecclesiæ sacramenta, quæque de ipsis idem sanctum concilium Tridentinum mandavit, ac tradidit, ea omnia firmissime tenemus. Quæcumque vero statuit adversus omnes hujus sæculi hæreses, ea omnia recipimus; simulque detestamur, & anathematizamus quicquid idem sanctum concilium Tridentinum anathemate damnat, & detestatur.

* In hac editione titulis sive articulis numeros adscripsimus ad majorem lectorum opportunitatem.

TITULUS SIVE ARTICULUS I. * C

DE LIBRIS HÆRETICORUM suspectis, & vetitis.

CAPUT I.

Quo melius Tridentini concilii decreto fiat satis; scilicet ne libri vetiti, & suspecti (quorum lectione corrumpi rudiores facile possint) in ecclesias importentur; mandat sancta synodus, ut cum magistratibus agant episcopi, ut piæ memoriæ Caroli V. Cæsaris edictum accurate servetur: Ne liceat librariis, bibliopolis, typographis ullos inferre, edere, venales exponere, D
quorum catalogus non sit visus, & approbatus. Rogentur quoque iidem magistratus, ut in singulos annos fidem ex formula concilii Tridentini profiteantur iidem typographi, ac librarii, simulque obedientiam sanctæ sedi apostolicæ cum renunciatione, & abnegatione omnium hæresum promittere teneantur.

CAPUT II.

Quæcumque præterea clam in vulgus inferri, & spargi possunt, quibus magicarum præstigiarum, divinationum, aliarumque hujusmodi rerum detestandus usus retineatur, quibus satanas homines perditos dementare solet, ea omnia (quo- E
ad fieri potest) prohibeant, execrentur, damnent, & exterminent pastores, concionatores, episcopi.

CAPUT III.

Libri, quibus preces variæ continentur, plerumque falsis, superstitiosisque titulis aspergun-
tur: ea omnia purgari diligenter, ad proportionem fidei reduci episcoporum sedulitate præcipit sancta synodus.

Anno Christi 1565.

II.

De lectionibus theologicis in capitulis, & monasteriis.

CAPUT I.

Clerum rerum sacrarum non prorsus imperitum esse necesse est, scilicet ut reliquis dux esse, lucemque divini verbi præbere possit: ac maxime, ut divinarum scripturarum deliciis oblectatus, & imbutus, voluptates, & illecebras carnis oderit, & abjiciat: malitque pane patrisfamilias educari, quam porcorum siliquis, & glandibus obbrutescere. Quare decretum sessionis quintæ Tridentinæ synodi prorsus servandum sancta synodus denunciat.

CAPUT II.

Præcipit itaque in collegiis, atque monasteriis doctos viros constitui, qui theologiam doceant: quique in eo præstando eum ordinem teneant, qui maxime auditoribus sit commodus, ut lectionis adminiculo non doctiores tantum, sed probiores evadant.

CAPUT III.

Curent autem episcopi cum capitulis, & monasteriis, quacumque ratione commodius fieri queat, proposita sive pœna, sive præmio, ut frequens sit auditorium: qua in re plurimum valebit docentis industria, si sit efficax in docendo: ut non tantum rem exponere, sed auditorem dicendo retinere, & oblectare possit.

CAPUT IV.

Relinquatur autem episcoporum, capitulorum, & abbatum judicio, qua hora, quibusve diebus sit prælegendum.

III.

De scholis.

CAPUT I.

Cum non minore cura parentes proles suas instituere, quam nutrire, ac fovere debeant: æquum est ecclesiam liberos, quos Christo per lavacrum regenerationis peperit, omni disciplina, ac salutaribus præceptis erudire. Docet enim scriptura: Filii tibi sunt, illos erudi, neque enim justa crementa juventus ad capessendam virtutem suscipere facile potest: nisi a pueritia iis doctrinis imbuatur, quibus robur capere ad pietatem, & religionem colendam possit. Quod quia plerisque locis partim parentum incuria, partim pastorum negligentia contemptum est: excusso timore divino multorum temeritas, audacia, & peccandi licentia crevit. Quare, ut huic malo semel occurratur, statuit sancta synodus: Id curent episcopi, ut quamprimum scholæ in urbibus, oppidis, & pagis diœcesum suarum, si collapsæ fuerint restituantur: si conservatæ, colantur, & augeantur. Quibus scholis quicumque

ANNO CHRISTI 1565.

que præfuturi ſunt, ii diſcipulos fidei rudimenta doceant: ſymbolum apoſtolorum, ſcilicet, orationem dominicam, ſalutationem angelicam, decalogum, eccleſiæ præcepta, & formulam confeſſionis; idque Latine, & vernacule juxta formam catechiſmi, qui rudibus & puritiæ paulo poſt excudetur.

CAPUT II.

Multos inopia prohibet, ne filios in ſcholis literariis enutriant: quorum tamen ſalutis habenda eſt ratio, cum ſint & ipſi in Chriſti corpore, & familia. Quamobrem diebus feſtis, & maxime dominicis, expleto veſpertino officio, jubet ſancta ſynodus ludimagiſtros docere eadem rudimenta fidei, & cathechiſmi procaptu, & ingenio juventutis, quæ literas non didicit: necnon ſubinde per vices interrogare, ut ſciatur, an proficiat: atque huic negotio, tam in pagis, quam oppidis paſtores incumbant, aut ſacellani, aut clerici, ſeu matricularii. Parentes, ſi ſuos mittere negligant, moneantur: moniti, niſi pareant, magiſtratui deferantur. Paſtores vero, aut ludimagiſtri, ſi id contempſerint, ab epiſcopo corrigantur: &, quantum fieri poſſit, in ſcholis puerilibus puellæ ſeparentur a pueris.

CAPUT III.

Scholarum magiſtri libros, auctoreſque legant diſcipulis ex præſcripto edicti Caroli V. Cæſaris piæ memoriæ. Si quos alios prælegere velint, non ante tamen id tentent, quam epiſcopo probati fuerint, aut ejus vicariis: nam plerumque libri grammatici, ac dialectici, ab hæreticis variis erroribus contaminati, in lucem emittuntur. Et, ut huic malo ſecurius obviam eatur, ſancta ſynodus monet, & hortatur magiſtratus, & alios, quorum intereſt, ut in ſingulos annos fidei ex formula concilii generalis Tridentini profeſſionem, & obedientiam ſanctæ ſedis apoſtolicæ cum abnegatione omnium hæreſum a dictis magiſtris ſcholarum, ſeu ludimagiſtris recipiant.

CAPUT IV.

Mandat præterea ſancta ſynodus, ut preces, quas vocant horarias, nemo apud ſe retineat: ſi quid in eis aſtu, & nequitia ſectariorum aſperſum ſenſerint, quod cum eccleſiæ doctrina non conveniat. Quorum nihil poſthac proſtare, & exponi poſſit, quod non prius recognitum, & approbatum per epiſcopum fuerit, aut per eos, quibus id negotii mandaverit.

CAPUT V.

In omnibus parochiis ſint qui doceant primam juventutem, maxime in his, quæ numeroſam plebem habent: paſtorque ſingulis menſibus diligenter inquirat, quantum proficiat puericia: idque maxime provideat, ut a teneris annis imbuatur timore, & amore domini, nec corrumpatur ulla licentia, aut doctrina, quæ nec religioni, nec bonis moribus reſpondeat.

CAPUT VI.

Decani autem rurales, quos Chriſtianitatis appellant, ſingulis ſemeſtribus, aut ſaltem annis eas ſcholas minores viſitent: referantque diligenter ordinario, quæ ſit ratio inſtituendæ juventutis, quam quiſque præceptorum inierit.

ANNO CHRISTI 1565.

IV.

De ſeminario.

CAPUT I.

Cum ad hæreſes extirpandas, & reddendum eccleſiæ Dei priſtinum ſuum nitorem, & clero, ſacerdotioque priſtinum ſuum decus: ac conſequenter, ut intra non multos annos eccleſia mire floreat eruditione ſacra, pietate, vitæque puritate: habeantque ſingulæ diœceſes pleroſque omnes miniſtros bene idoneos ad laudabiliter obeundum munus ſuum, & non paucos excellentes eruditione, & pietate: nihil dici, aut cogitari poſſit exquiſitius illo decreto ſacroſanctæ ſynodi Tridentinæ, quo jubetur, ut in ſingulis diœceſibus inſtituantur ſeminaria miniſtrorum: atque adeo jam inde ab initio eccleſiæ vix quicquam præclarius, aut efficacius inſtitutum eſſe videatur, ad reddendum eccleſiæ Dei florentiſſimum ſtatum literarum ſacrarum cognitione, pietate, religione, vitæque puritate: ſanctiſſimum, & utiliſſimum illud decretum complectens ſancta ſynodus vehementer hortatur, & obſecrat omnes ordinis eccleſiaſtici viros, maximeque eos qui bonis eccleſiaſticis utuntur, in hanc rem & utiliſſimam, & ſingularis apud Deum & homines meriti, omnes conatus intendant, quo brevi perfici poſſit, ut uberem ſegetem reipublicæ Chriſtianæ hæc literarum ſeminaria proferant. Quæ ubi per ætatem maturuerit, ornet eccleſiam, & expleat horrea domini: neque enim melius opes eccleſiaſticæ, neque ſanctius collocari poſſunt. Nam cum ſint varia officiorum genera, quibus caritas erga proximos exercetur: tamen hoc genus officii in ceteris eſt maxime laudabile: in quo genere cum eccleſiaſtici prælucere ceteris debeant: debent & ipſi in tanta calamitate, ac neceſſitate promptum, hilarem, ac liberalem animum præbere. Quare præcipit ſancta ſynodus, ut, quamprimum fieri poſſit, modus conſtituatur facta omnium beneficiorum, atque eorum omnium, quorum decretum concilii Tridentini ſeſſionis XXIII. cap. XVIII. mentionem facit, æſtimatione, quoad hæc ſeminaria ponenda, & conſtituenda, ſufficiens contributio fiat.

CAPUT II.

Hic autem modus ubi certam, ac præſcriptam ſummam pecuniæ comprehenderit: tum videatur, quot quæque diœceſis alumnos in literis ad eccleſiarum adjumentum poſſit alere.

CAPUT III.

Id ubi conſtiterit: quæratur locus idoneus huic pædagogio, & accommodetur ſupellectile. Quærantur item magiſtri, qui doceant: quæ omnia intra diem feſtum divi Gregorii proximi perfici debebunt, vel citius, ut cuique commodum erit.

CAPUT IV.

Sint autem pueri, qui aſſumentur inſtituendi, ætatis non minoris quam duodecim annorum: teneant prima literarum rudimenta: ſitque tempus ſtudii ſingulorum in ſeminario quadriennium, aut eo plus, minuſve, ut epiſcopo viſum

Anno Christi 1563.

fuerit, & iis, quorum ex concilio Tridentino intererit, ex præceptoris, & eorum judicio, qui seminario præfuerint: ne vel inutiles studiis locum aliorum, qui frugi sunt, occupent, vel bonæ spei juvenibus tempus ad confirmanda studia præcludatur. Quo exacto ii, quos indoles commendaverit, quique bonam literis operam navaverint, ad majora studia mitti poterunt.

CAPUT V.

Et cum sint tria hominum genera: alii pauperes, alii divites, alii mediæ cujusdam conditionis, & fortunæ, qui non ea quidem sunt fortuna, ut possint sine subsidio aliquo liberos suos in studiis alere, sed tamen partem aliquam sumptuum ferre possunt: cujusmodi sunt plurimi, qui filios habent magnæ indolis, & spei, si in literis alerentur: decernit sancta synodus instituenda esse duo genera portionum, ut pauperum filiis pro victu, & amictu in singulos conferantur libræ triginta sex, quarum singulæ valent XL. grossos Flandriæ. At mediæ conditionis hominum filiis, in subsidium studii, octodecim libræ: plus, minusve, pro modo facultatum cujusque & ingenio adolescentum tribuatur. Sic enim & pluribus succurri poterit, & nullum hominum genus (quod quidem indigeat auxilio) conqueri poterit suos filios, quos habebunt boni ingenii, a seminariorum beneficio excludi: nulliusque virtutibus obstabit res angusta domi.

CAPUT VI.

Et cum admodum incerta esse soleant voluntas, & propositum adolescentum: nedum puerorum, quibus locus petetur in seminario: pater, aut tutores declarabunt se esse ejus propositi, ut, qui assumentur ad seminarium, vitæ genus ecclesiasticum sequantur: illudque animi sui propositum jurejurando confirmabunt.

CAPUT VII.

Reliqua vero omnia quæ ad utilitatem, atque commoditatem horum seminariorum pertinebunt: ut sunt collecta, rationes, provisiones, officiarii: ea omnia providebunt in diœcesana synodo.

V.

De doctrina, & prædicatione verbi Dei.

CAPUT I.

Quod sacrum concilium Tridentinum de explicanda doctrina in sacris literis expressa, eadem synodus provincialis servari præcipit: scilicet ut rectores ecclesiarum omnem diligentiam adhibeant, ut singulis saltem dominicis diebus, & festis solennibus populo sibi credito verbum Dei pure, & fideliter proponant, explicentque: ut res & opportunitas exegerint, vel evangelium, vel epistolam ejus diei, omnis enim scriptura, divinitus inspirata, utilis est ad docendum, arguendum, corrigendum, & erudiendum in justitia. Iidem pastores articulos fidei subinde, sacramentorumque fructum, & usum legitimum, maxime in illorum administratione, si sit commodum, doceant: nec præcepta decalogi, & ecclesiæ prætermittent, ut eorum ministerio perfectus sit homo, ad omne opus bonum instructus.

Anno Christi 1563.

CAPUT II.

Hortatur præterea, ut iidem pastores apostolicarum traditionum, ac sacrarum cæremoniarum vim, & institutionem pro re nata doceant; sic enim religiosius, & utilius, ac majore reverentia ab omnibus, qui pietatem colunt, servabuntur.

CAPUT III.

Ceterum in exponendis quæstionibus, de quibus controversia nobis est cum hæreticis, non jactent temere convicia: sed caritatem erga omnes, & benevolentiam præ se ferant. Explicent autem eas quæstiones pure, ac simpliciter: doceantque quid sit credendum: ac ante omnia diluant hæreticorum calumnias, dicentium sæpe, ecclesiam id sentire, quod re ipsa non sentit: caveantque ne cum volunt errorem hæreticorum fugere, in alium incidant. Quod si minus docti fuerint, quam ut ea dilucide, ac solide queant exponere: sint contenti simplici doctrina ecclesiæ: hortenturque plebem ad timorem domini, religionem, bonos mores: dehortenturque ab omni scelere, ac flagitio, atque ab his maxime vitiis, ad quæ propensos senserint esse populares suos.

CAPUT IV.

Pastores non ferant quemquam in suis ecclesiis concionari sine mandato ordinarii. Doceant autem pure, Christiane, ac catholice. Abhorreant non tantum ab omni hæresi, sed etiam ab omni superstitioso, ac fabuloso dogmate.

CAPUT V.

Mandat præterea synodus pastoribus, ne libros apud se teneant, aut legant, ex quibus corrumpi religio, bonique mores, ac studium boni operis, timorque, & amor domini languere possit: ut sunt libri, qui lasciva, scurrilia, vana, & impura continent: ne horum librorum frequenti lectione seipsos, & populos sibi creditos corrumpant, proclive est enim, ut quæ quis studiose legat, & eadem doceat. Instruant autem bibliothecas suas bonorum, & piorum auctorum libris ab academiis catholicis approbatis, ex quibus doctrinam hauriant, quam salubriter suis popularibus docendo, & concionando possint effundere. Quisquis autem non paruerit, puniatur: &, si libros suspectos, aut reprobatos servaverit, agatur in eum, ut in suspectos agi jure debet: nisi consensu ordinarii, aut ecclesiæ habeant ad refutationem: de quo consensu docere tenebuntur.

CAPUT VI.

Si pastor impeditus vel ægritudine, vel alio quovis impedimento concionari non possit: teneatur sæpe alienam operam certis temporibus, ex arbitrio tamen, atque mandato ordinarii, ad id munus adhibere, & eos apud populum suum habere commendatos, tanquam operarios mercede sua dignos. Quod si contempserit, episcopus sumptu ejusdem pastoris id curet.

Anno Christi 1565.

VI.

De cultu, cæremoniis, & officio divino:

CAPUT I.

Cum in universo cultus divini genere præcipuum, ac sanctissimum illud sit, quod in offerenda corporis ac sanguinis Christi eucharistia sacerdotes exequuntur: ante omnia sancta synodus prospiciendum judicat, ne quid in tanto mysterio celebrando per incuriam, inscitiam, vel contemptum admittatur, ex quo ejus mysterii dignitas apud populum minuatur: ne ex sacerdotum sordibus res, quæ sacrosancta est, in contemptum abeat; idemque probrum ecclesiasticis inferri possit, quo filios Heli sacerdotis summi infames fuisse sacræ literæ referunt, nempe quod nequitia, & improbitate populum revocarent a cultu, & sacrificiis. Quare sancta synodus ante omnia, quod ad hanc rem attinet, quæcumque sanctum œcumenicum Tridentinum concilium statuit observari mandat, atque omnibus modis hortatur, ut quicumque ad tremendum missæ sacrificium celebrandum accesserit, is in primis mentem puram, & attentam ad tanti sacramenti mysterium perficiendum adferat: nec nisi bonæ conscientiæ testimonio præditus, & pœnitentia sacramentali, si necesse fuerit, præparatus, & probatus, ac debita oratione prius accommodatus ad corporis & sanguinis Christi venerabile sacramentum Deo patri offerendum se conferat. Qui contra fecerit, a pastore, si sit in parochia: a decano, aut præposito, si sit in cathedrali, aut collegiata ecclesia, monitus, nisi resipiscat, superiori denuncietur severe castigandus.

CAPUT II.

Quicumque ad celebrandum se obtulerit, ac pridie temulentus, insolensve fuerit, aut crimen ullum notum admiserit: a rectore ecclesiæ castigandus non modo propter crimen admissum, sed & ob scandalum, & irreverentiam illatam sacramento denuncietur episcopo, aut ejus vicario, vel officiali. Rector vero, si denunciare neglexerit, tanquam tanti sceleris dissimulator puniatur. Est enim valde præposterum, & indignum quod velint sacerdotes omnem a laicis reverentiam huic sacramento exhiberi; nec ipsi tamen moribus, & religione sua exhibendam declarent.

CAPUT III.

In missis, quæ in choro canuntur, sive sint solennes, sive dominicæ, aut feriales: sic canatur & a choro, ac presbytero, & reliquis, ut non tantum aures voluptatem, sed mentes utilitatem capiant. Quoniam vero in his quædam ad doctrinam pertinent, & eruditionem fidelium: ut epistola, evangelium, symbolum: quædam ad laudes, quædam vero ad preces: statuit sancta synodus, ut quæ ad eruditionem leguntur, aut canuntur, ita legantur, & canantur ut præsentes distincte exaudire singula verba possint. Quare in symbolo canendo placet nec organa, nec musicam adhiberi: nisi sit simplex, ac talis ut singula verba sine repetitione possint intelligi. Quæ vero ad laudes pertinent: ut sunt hymni, Gloria in excelsis, Sanctus: in his musica locum habeat: sed nec lasciva, nec choreis potius, quam choro congruens: sed gravis, ac movens pios affectus. Quæ vero in missis ad preces referunt, ea sive legantur, sive canantur, sic fiant, ut affectus deprecantis potius, quam exultantis lætitia demonstretur. Id autem curent episcopi in sua quisque ecclesia, aut diœcesi. Anno Christi 1565.

CAPUT IV.

Organorum usum in missis sic servari statuit sancta synodus, uti concilio Tridentino mandatum est: id est, ne modulatione lasciva cantiones imitentur. Ceterum quæ in choro cani debent ad instructionem, ea canantur voce, ut intelligantur mente: non autem organis, quæ sic ædificare nequeunt ut viva vox, piæ mentis interpres, & nuncia. Tamen ad ornatum cultus divini liceat his modulis organicis uti in Prosis, Offertorio, Sanctus, & Agnus.

CAPUT V.

Sequentias, quas Prosas appellant, recognoscant episcopi, aut quibus hoc negotium dederint: antiquasque, & sensu commendabiles, & approbatas usu veterrimo conservent. Ceterum si quæ sine legitima auctoritate invectæ sunt, & cani cœperunt, eæ diligenter examinentur: nec sit earum frequentior usus in ecclesiis.

CAPUT VI.

Cæremoniæ omnes, quæ signacula sunt pietatis, & religionis Christianæ, quasque vel ab apostolis, vel ab ecclesiæ catholicæ traditione, quasi per manum accepimus: ut sancte, & pie sunt invectæ, sic religiose conserventur in ecclesiis. In his autem, ubi fides, & devotio accesserit, Spiritus sanctus operatur, ac præsentium mentes movet efficaciter.

Quæ vero particulares sunt in singulis ecclesiis hujus provinciæ, de his episcopi considerent, quam bene analogiæ fidei, & pietati Christianæ conveniant: adhibeaturque Augustini judicium super ea re scribentis ad Januarium epistola CXIX.

Novæ autem cæremoniæ nullæ in ecclesiis recipiantur sine episcopi judicio. Qui secus fecerit, puniatur: serventurque decreta concilii Tridentini de cæremoniis ecclesiasticis confectæ.

Superstitiones omnes, si quæ in ecclesiis cæremoniarum nomine inoleverunt, ut sunt quidam præscripti muneri cereolorum, & alia hujusmodi per episcopos, facta hujus rei diligenti disquisitione, prorsus tollantur: agaturque sedulo, ut decani rurales, & rectores ecclesiarum renuncient in synodis diœcesanis, quidquid circa hæc cognoverint esse corrigendum.

CAPUT VII.

In choro cum psallitur, canonici omnes qui in choro fuerint, & sacellani psallant: nec sint in sedibus suis otiosi: nec putent se functos officio, si vicaria tantum opera cultum divinum celebrari curent: modo tamen psallere per valetudinem queant, nec aliis impediti justis de causis fuerint.

In omnibus cathedralibus & collegiatis ecclesiis singuli canonici teneantur per vices altaris ministerium subire, ordinem scilicet sacerdotii consecuti: & in choro hebdomadarium officium, quod vocant, præstare: nec omnia ea commit-

Anno Christi 1565

tant capellanis, ut fit in quibuſdam eccleſiis: ſalvis tamen fundationibus eccleſiarum, in quibus aliter ſit conſtitutum.

CAPUT VIII.

Legendas & hiſtorias patrum, quæ legi ſolent in eccleſiis, epiſcopi diligenter per ſe, vel alios, quos ad hanc rem delegerint, examinent, ac repurgent: ne ſpuria, & incerta pro veris, certis, & germanis hiſtoriis legantur: & ea quidem ſic repurgata nec curſim, nec lentius legantur in eccleſiis: utroque enim impeditur auditor, ne intelligat. Legantur autem diſtincte, preſſe, & intelligenter.

CAPUT IX.

Quoniam multitudine ſuffragiorum, precum, & pſalmorum addititiorum in pluribus eccleſiis propter temporis anguſtiam fieri vix poteſt, ut attente, devote, ac religioſe ea omnia vel canantur, vel legantur: placet ſanctæ ſynodo per epiſcopos, & duos de capitulo, aut de monaſteriis, ut res poſtulaverit, ea reſcindi, quæ adjecta, & adventitia in ſervitio divino cognoverint: ut ſanctius, & devotius perfici poſſit; ſitque tempus aliquod relictum ſtudiis, & ſacratarum literarum interpretationi, ſit autem ejus rei poteſtas penes epiſcopos, & clerum in ſynodo diœceſana. Quod ſi muſicam in hujuſmodi ſervitio adhiberi contigerit: tollatur tamen illa prolixitas, quæ ad rem non pertinet, qua ſolent in fine antiphonarum in cathedralibus eccleſiis maxime prolixius abuti.

Diſtributiones canonicis, & reliquis percipientibus ex præſcripto ſynodi Tridentinæ aſſignentur matutino officio, miſſæ majori, veſperis, & anniverſariis officiis pro mortuis præſentibus, qui matutino quidem officio, ac veſperis ante primi pſalmi finem: in majore miſſa autem ante epiſtolam abſolutam in chorum ſe recipiant, nec inde exeant ante officium plane perfectum: niſi juſta, & rationabili cauſa urgente. Matutini tamen officii tempore licebit canonicis ſacri audiendi cauſa chorum relinquere, redituris tamen, alioqui diſtributiones non recipiant.

In choro colloquia nulla permittantur, ſed intendant omnes divino cultui. Qui contra fecerit, niſi monitus quieſcat, privetur ejus horæ diſtributione.

Deambulationes in templis divini officii tempore omnino tollantur: agantque epiſcopi, & capitula cum magiſtratibus, ne id laicis quoquo pacto liceat: & pœna conſtituatur tranſgreſſoribus. Canonicis autem pereat ejus diei totum emolumentum diſtributionis ordinariæ: Capellanis vero arbitraria pœna, & vicariis infligatur. Correcti ſi pergant, contumaceſque ſe præbeant, ut rebelles puniantur ſuperioris arbitrio.

CAPUT X.

Quoniam minime convenit prophana, & ſæcularia ſacris myſteriis adhiberi, vetat ſancta ſynodus proclamationes in templis fieri earum rerum omnium, quæ ad ſæcularem negotiationem pertinent: maxime, quo tempore miſſæ ſacrificium celebratur. Percuſſit enim dominus Aaronis filios, quod ignem profanum in tabernaculum tulerint. Sed id liceat in egreſſu templi abſoluto ſacro.

CAPUT XI.

Anno Christi 1565

Quoniam certis feſtis diebus ſolent prætextu recreationis honeſtæ multa a perſonis eccleſiaſticis patrari, quæ licentia creſcente grave pariunt fidelibus offendiculum, propter ſcurrilia quædam, & inepta, quæ parum decenter fieri quibuſdam locis, & eccleſiis ſolent, redolentque paganitatem potius, quam Chriſtianam modeſtiam: hinc fit, ut diſtricte mandet, ac præcipiat, ne quiſquam horum futuris temporibus fieri patiantur epiſcopi, ſive alii ſuperiores: ne in homines ordinis eccleſiaſtici illud attribui jure poſſit apoſtoli dictum: Sedit populus edere, & bibere, & ſurrexerunt ludere.

Doceatur præterea populus dies feſtos religioſa pietate, non ingluvie, & temulentia colere. Ceterum cum diebus feſtis, ut plurimum vulgus ad laxiorem, & diſſolutiorem vitam plerumque ſeipſum effundat, quam reliquis diebus: quo majore reverentia, & pietate queant obſervari ab omnibus, videant epiſcopi, ſint ne aliqui feſti dies, quos præſtet eſſe profeſtos, id eſt, ut vocant, operarios: atque his diebus renuncient popularibus integrum eſſe operas conſuetas exercere: necnon provideant iidem epiſcopi, ut & in feſtis diebus, & in jejuniis indicendis uſum metropolitanæ, quoad fieri poſſit, ſequantur, demptis patroni feſtis.

CAPUT XII.

Supplicationes publicæ, quas proceſſiones vocamus, prius, quam fiant, denuncientur populo, & cauſæ explicentur cur ab epiſcopo, aut clero decretæ fuerint: quo religioſius, & majore fructu perfici queant. Populo autem in ſtatione collecto fiat concio. Poſt concionem celebretur ſacrum: moneanturque omnes in templo eo toto tempore perſiſtere, orationique inſtare: quo melius & furorem divinum avertere, & favorem conciliare poſſint, ejus enim rei cauſa ut plurimum in eccleſia ſupplicationes fieri ſolent.

Supplicationes, quas uſitato vocabulo litanias dicimus, graviter, religioſeque, humili, & quaſi depreſſa voce cani debent: ut ea ceremonia pius, & attentus affectus deprecantis eccleſiæ declaretur. Propterea ſtatuit ſancta ſynodus, ne incongrua vociferatione, aut modulis minime convenientibus ejuſmodi litaniæ cantentur: quo populi devotio magis accendatur.

CAPUT XIII.

Archiepiſcopo, vel epiſcopo rem divinam in pontificalibus quoquo pacto in eccleſia ſua celebranti ſemper inſerviant, & aſſiſtant archidiaconi duo, aut dignitates proximæ, aut ſeniores eccleſiæ canonici, ut maxime viſum fuerit epiſcopo.

CAPUT XIV.

Introducta conſuetudo, quæ potius corruptela dici poteſt, abigendi per ſtrepitum eos qui chorum tardius ingrediuntur, quam pro more conveniat, non ſine ſcandalo præſentium cultum divinum interturbat. Cui ſcandalo ſancta ſynodus providendum putavit: ne errorem errore graviore videantur caſtigare. Propterea mandat eam conſuetudinem prorſus aboleri: nec prohiberi quemquam, quo minus chorum

ingredi

ANNO CHRISTI 1565.

ingredi possit: ita tamen, ut qui serius sit ingressus, distributione ejus horæ privetur, nisi legitimo impedimento justam excusationem habeat. Si quis tamen aliter se gerat in choro, quam pro more decet, ab eo, qui præest officio, signo aliquo, aut manus attactu moneatur.

CAPUT XV.

In pagis, & parochiis hora constituatur missæ diebus festis & dominicis celebrando: per hyemem hora nona: per æstatem hora octava, neque ab eo more parochus quavis de causa recedat. Extra natalis domini diem duas in die missas nemo celebret, nisi necessitatis causa, & per ordinarium cognita, Hora quoque versperarum in locis, ubi dici consuetum est, paulo ante tertiam.

Qui tintinnabula, & campanulas ad harmoniam quamdam pulsare solent, caveant omnino ne hujusmodi pulsatione cantiones turpes, inhonestas, & vulgo jactatas imitentur: sed potius hymnorum, & canticorum ecclesiæ modulationes. Si quis non paruerit, puniatur: ut qui multis labendi occasionem præbuerit, & in re sacris dicata, spurca, & inhonesta attulerit.

In ecclesiis sive cathedralibus, sive collegiatis non constituantur vicarii, qui canonicas, quas vocant, horas in choro canant: nisi aut sacerdotes, aut in sacris ordinibus constituti, aut saltem lectores ordinati: atque hi, quantum fieri potest, sint cœlibes, quorum mores, vitaque probata fuerit. Nec permittantur in choro psallere, nisi vestitu, & habitu corporis ministros se esse Dei, & ecclesiæ demonstrent.

Decani, seu præpositi collegiatarum ecclesiarum statuta capitali auctoritate ordinaria, aut alias stabilita, & confirmata, maxime quæ divinum officium spectant, servari: &, si antiquata sint desuetudine, restaurari diligenter curent: nec congregent capitulum, qua hora canonici in choro esse debeant, quantum fieri possit.

VII.

De ministeriis ecclesiasticis.

IN ministeriis ecclesiasticis non minor delectus adhibendus est, quam fuit in ordine sacerdotii Levitici: in quo cautum mandato divino legimus, ne, qui vitio aliquo corporis laboraret, ad consortium gerendi sacerdotii vocaretur. Qua in re demonstratum est quantopere sit providendum, ut in ecclesia nemo ministerium accipiat, quem nec ætas idonea, nec indoles, nec vitæ integritas, & eruditio commendaverit. Et eam ob rem mandat Timotheo apostolus, ne cui cito manus imponat: nec peccatis alienis communicet. Si enim recte Moyses soceri consilium recepit, ut viros fortes, prudentes, alienos ab avaritia populo præficeret, qui sæcularia obirent ministeria: multo magis idem in rerum divinarum procuratione debet observari. Quare sancta synodus inhærendo per omnia decretis sacri concilii Tridentini, hæc, quæ sequuntur, in ordinibus, ministeriisque conferendis omnino retinenda constituit.

CAPUT I.

In moribus, & sacris ordinibus conferendis episcopi comprovinciales eum teneant ordinem, qui in metropoli servabitur: scilicet qui in pontificali Romano habetur.

CAPUT II.

Quotquot promovendi sunt, pridie ejus diei, quo conferri ordines debent, aut prius, si episcopo ita videatur, veniant probandi: adsintque horæ, ut minimum, octava ante meridiem, qua hora vel episcopus, vel doctus vir aliquis doctrinam Christianam explicet, summaria quadam declaratione præcipuorum capitum cathechismi, ut sic discere queant, quæ sacerdotii ministerio conveniunt.

CAPUT III.

Hora autem post meridiem secunda pro more probabuntur justo examine promovendi. In quo subdiaconi nulli admittantur, nisi qui grammaticam probe teneant, & intelligant quæ legerint: diaconi, nisi catechismi Christiani rationem reddant interrogati; ut pote de symbolo apostolico, præceptis decalogi, & ecclesiæ sacramentis, & de his præterea, quæ conveniunt ordini diaconatus. Idem quoque fiat de presbyteris. Qui omnes teneantur testimonium afferre vitæ, & probitatis suæ: quod testimonium decanus ruralis, & pastor loci, in quo resident, dare poterunt. Qui si secus, atque res habeat, testificati quacumque ex causa fuerint, severe puniantur. Dominica quoque die sive per mensem ante ordines futuros, aut prius, pastores ecclesiarum nominatim denuncient populo eos qui promoveri velint ad sacros ordines, ut liceat opponere si quid vitii deprehendi possit: & hujus proclamationis factæ adferant testimonium.

CAPUT IV.

Eorum tituli, qui subdiaconatus ordinem quæsierint, si sint patrimoniales, an sint sufficientes, nec ne: aut per fraudem, aut dolum quæsiti, diligenter expendatur: nec recipiantur, nisi decani ruralis, vel officialis, aut utriusque testimonio per literas expresso comprobentur: sintque ut minimum quinque librarum grossorum in singulos annos. Si sint beneficiarii: ita valeant, dummodo constiterit beneficium fructus idoneos habere. Juret autem promovendus non alienaturum a se hujusmodi titulum patrimonialem, nisi aliunde sit sibi provisum; agaturque cum civili potestate, ut edicto caveatur, ne hujusmodi titulus alienetur. Beneficiarium vero non resignaturum, nisi aliud beneficium sufficiens ad se alendum susceperit. Et, ne in ea re fraus committi possit, nullam episcopi, aut ejus vicarii resignationem simplicem admittant: nisi ex literis procuratoriis, aut aliis constiterit id beneficium, quod resignandum proponetur, tituli loco non esse. Si quis vero pensionem habuerit, quæ tituli loco sit, ne extingui possit: nisi aliunde habeat, quo se alat. Qui fraudem in ea re, dolumve commiserit, arbitrio judicis ordinarii graviter castigetur.

CAPUT V.

Rejectus ab ordinario si superiorem adeat, ut negatum beneficium ejus auctoritate obtineat, superior illud beneficium illi nulla ratione conferat, nisi cognitis prius causis rejectionis. Et si idoneæ fuerint, cur rejici debuerit, omnino non conferat.

CAPUT

ANNO CHRISTI 1565.

CAPUT VI.

Quotquot habent curata beneficia unita suis ecclesiis, ut capitula, & abbates, non prius committant pastores iisdem beneficiis curatis, quam præsentati ordinario fuerint, & accepti ab eo: quoniam populus ejus curæ commendatus est, a quo iidem rectores potestatem, quam curam animarum vocant, accipient. Nec possint aut abbates, aut capitula admissos, & approbatos ab ordinario rectores revocare, nisi consenserit episcopus; & iidem rectores constituti mandatis episcoporum omnino pareant: ab iisque corrigantur, si quid deliquerint.

CAPUT VII.

Curati adminicularios sacerdotes non recipiant ad ministerium sacramentorum, & reliqua munera quacumque mercede; nisi episcopo oblati, acceptique ab eo, & approbati fuerint, & ejus concessionis literas habeant, & pastoribus ostendant.

CAPUT VIII.

Monachi cujuscumque sint ordinis, aut status, sæcularium confessiones non audiant, ac ne sacerdotum quidem, nisi id episcopus, habita hujus rei probatione, aut vicarius consenserit. Cuicumque vero rite probato episcopus id concesserit: caveat ne loco indecenti, neve tempore, quo deceat, hoc sacramentum pœnitentiæ ad ludibrium disciplinæ Christianæ ministret.

CAPUT IX.

Qui præsunt fabricis ecclesiarum nullos sacerdotes admittant ad suffragia, & sacrificia legatorum piorum causa præstanda: nisi ab episcopo, aut ejus vicario probatos, & ad id ministerium destinatos pastoris voluntate. Cui, quod ad officium ecclesiasticum pertinet, pareant: ne per licentiam aditus improbis, & vagis ad ecclesias concedatur cum detrimento, & scandalo publico. Et qui admissi fuerint, pastorem adjuvent in cultu, & officio divino.

CAPUT X.

Matricularii, & custodes ecclesiarum munera fordida, & plane laica non obeant: ne sint publicani, silvarum custodes, villici locaticii; nec vestitu præ se ferant aliud, quam castum, & modestum ecclesiæ ministerium, cui sunt attributi. Vestes, ornamenta, supellectilem diligenter conservent, exponantque, & reponant honeste, ut dignum est. Qui id non honeste præstiterit, fructibus episcopi judicio privetur: &, si necesse fuerit, officio submoveatur.

VIII.

De vita & honestate clericorum.

CAPUT I.

QUANTUM probri, & incommodi ebrietas adferat, cum omnibus ordinibus reipublicæ, tum clero maxime, res ipsa docet. Atque eam ob rem ebriosum hominem navigio jactato sine ullo gubernaculo Salomon comparat. Nec enim ullum potest virtutis, aut mentis constans officium præstare, qui temulentiam, & ebrietatem sectatur. Propterea lege veteri sacerdoti mandabatur, vino ut abstineret, quo tempore munus sacerdotii esset obiturus. Quare præcipit sancta synodus, ut quicumque in clero, id est, in sorte domini fuerit annumeratus, ab hac ebrietatis, & crapulæ macula se prorsus abstineat. Tollatur autem omnino turpis ea consuetudo, qua mutuo se quandoque provocant ad haustus æquales, certantque hac infamia reliquos vincere. Isajas enim iis execrationem denunciat, omnipotentes sunt ad bibendum vinum. Quicumque vero ex clero hanc normam contempserit, nisi a superiore monitus paruerit, castigetur: castigatus si non resipuerit, suspendatur ad tempus, sive ab officio, sive a beneficio.

CAPUT II.

Homini ecclesiastico, quacumque dignitate fulgeat, plus laudis affert frugalitas in mensa, quam sumptus: plus dedecoris exquisitus apparatus, quam simplex: plus molestiæ longus accubitus, quam brevis, & naturæ sufficiens. Sit ergo cultus in mensa, & conviviis potius in gravitate, sobrietate, & sale conditis sermonibus, quam in pompa, & deliciis: atque ita detestetur clericus comessationes; quæ ventri sic serviunt, ut menti noceant.

CAPUT III.

Consortium mulierum sacerdoti non convenit, quem castitas, & continentia ornare perpetuo debent: & utut castitas servari queat in muliebri consortio, raro tamen bonum nomen retineri potest. Quare præcipit sancta synodus, ne qui sacros ordines susceperit, in familia secum habeat mulierem extraneam, de qua suspicio facile sinistra concipi possit, quam suspicionem vitare nequeunt, qui juvenes, cultas, procaces, otiosas, impudentes, mali nominis ac famæ, aut quas anteactæ vitæ macula contaminet, vel secum alunt, vel frequenter aut adeunt, aut admittunt. Si quis hac parte peccaverit, monitus, castigatusque, nisi animum & vitam mutaverit, graviter ordinarii arbitrio puniatur.

CAPUT IV.

Clerici gestu, vultu, habitu, & vestitu statum, & ordinem suum profiteantur. Qui eam disciplinam neglexerit, & eum vestitum ambierit, qui deceat potius militem, aut laicum, quam clericum; castigetur, cogaturque in ordinem redigi.

CAPUT V.

Nec familiam habeant episcopi, reliquique omnes ordinis ecclesiastici, nisi recte institutam, moribus probatam, cultu & vestitu moderatam: quæ regulæ ac disciplinæ domesticæ certum apud eos, qui foris sunt, judicium præ se ferat.

CAPUT VI.

Clerici ne tabernas potorias adeant, neque diversoria frequentent, nisi sint viatores: nec omnino se misceant laicis compotantibus: vilescit enim plurimum ex ea turpi, & indecora consuetudine ecclesiastici ministerii dignitas.

CAPUT VII.

Sacerdote primitias celebrante, gratulatione publica æquum est auspicium tanti ministerii hilariter excipi: sed ita tamen id conceditur a sancta synodo, ut eam gratulationem, ac lætitiam nulla turpitudo vitiet. Absit igitur in convivio temulentia: ludicra omnia, cujusmodi sunt saltationes, choreæ, & hujusmodi reliqua prorsus tollantur. Servetur autem decorum per omnia, ac sacerdotalis dignitatis habeatur ratio.

IX.

ANNO CHRISTI 1565.

IX.

De examine episcoporum.

CAPUT I.

ECCLESIA cathedrali vacante fiant ante omnia publicæ supplicationes, & preces, quibus religiose postuletur a Deo, ut sedem tanti ministerii nemo suscipiat, & occupet, nisi quem ipse vocaverit, & miserit, quemque ad legitimam functionem dono spiritus sui accommodaverit. Ubi autem vel electio, vel postulatio, aut nominatio facta fuerit; per eos, eumve, quorum aut cujus interfit, auctoritate metropolitani, aut, si defuerit, vicinioris episcopi provinciæ affixis scedulis denunciatoriis ad valvas vacantis ecclesiæ, denuncietur patere aditum omnibus, qui sciant aut impedimentum, aut vitium esse aliquod, quamobrem electus, vel postulatus, aut nominatus minime promoveri debeat; ut libere, ac tuto eidem episcopo, aut archiepiscopo denuncianti intra tempus definitum significent: idemque assumptis secum duobus vacantis ecclesiæ canonicis testes productos audiat, & examinet: quæraturque de natalium integritate, de ætate, an sit annorum triginta: de vita, moribus, & exercitiis: de gradu, statu, facultate, an doctor, an doctus saltem; sitque iis virtutibus præditus, quas apostolus in episcopo requirit: & an sex mensium spatio in sacro ordine fuerit constitutus. Quæ omnia fideliter descripta, ac ejusdem episcopi, aut archiepiscopi manu, ac sigillo firmata, & obsignata mittantur ad S. D. papam, ut sufficienter instructus confirmare tutius electum, postulatum, aut nominatum queat. Sed & fidei, & obedientiæ professionem, quam præstare idem electus, postulatus, aut nominatus teneatur, mittat idem archiepiscopus, aut episcopus vicinior ad sedem: quo cognoscatur electus, postulatus, nominatus esse communionis catholicæ.

X.

De examine pastorum.

IN pastoribus constituendis, aut instituendis servari præcipit sancta synodus quicquid per sacrum Tridentinum concilium decretum est: nominenturque ab ordinariis in synodis diœcesanis, qui examen sancte, & nulla fraude exequantur, ut habetur sessione XXIII. cap. XVIII.

XI.

De residentia episcoporum, & curatorum.

CAPUT I.

SANCTUM Tridentinum concilium mandat episcopis, ut in diœcesi sua quisque resideat. Id vero omnino servandum sancta synodus declarat, nam cum prælucere reliquis doctrina, & vigilantia tutari greges suos, & pericula omnia speculari, & avertere debeant; id quomodo præstare poterunt absentes? Itaque præsentia sua doceant episcopi, quanta solicitudine gregibus prospiciant.

CAPUT II.

Ii vero si absint diutius ab ecclesiis suis, nec justa, aut necessaria causa, cur absint, reddi possit; plane demonstrant de salute ecclesiarum suarum se non esse valde solicitos, nec satis providere ut nomen episcopi re ipsa sustineant. Quare servandum erit omnino Tridentini decreti mandatum: id est, ne diutius quam per trimestre in anno sit absens episcopus a sua diœcesi; nisi causis legitimis excusetur, quas exponere metropolitano debebit: qui secus fecerit, pœnis eodem decreto contentis castigetur. ANNO CHRISTI 1565.

CAPUT III.

Dent autem operam episcopi, si abesse ab ecclesiis contigerit, id ne fiat adventus, & quadragesimæ tempore; nec diebus festis solemnibus, quibus maxime convenit episcopos ministerium obire suum in ecclesiis.

XII.

De pastorum residentia, & eorum officio.

CAPUT I.

PASTORES, ac rectores ecclesiarum Tridentini concilii decretum de residentia servent. Quod si horum aliqui quibus non erit integrum, aut fortasse commodum in ecclesiis, quas obtinent, residere, pastorisque munus exercere; intra dies quindecim post purificationis festum eas ecclesias idoneis, & approbatis resignent. Id vero si contempserit, conferat episcopus, aut qui jus habet conferendi, monitis tamen prius patronis, ut jure suo præsentandi utantur.

CAPUT II.

Pastores non modo præsentia, sed officio, ac ministerio resideant in suis ecclesiis: ac per se, quantum liceat, doceant, sacrificium offerant, sacramenta ministrent.

CAPUT III.

Venerabile corporis Christi sacramentum ad ægros non perferant rectores, nisi stola, & superpelliceo decenter ornati, lumine, & campanula præeunte; quo populus admoneatur officii sui tum erga sacramentum, tum vero erga laborantem infirmum.

Quæ septima sessione Tridentini concilii decreta, & explicata sunt, nec aliud sanctæ synodo constitui super hac re visum est, quam ut serventur.

XIII.

De visitatione.

CAPUT I.

EPISCOPI visitando, ceterique, quibus visitandi hæc provincia jure, vel consuetudine mandata est, Tridentini concilii decretum omnino servent, ac diligenter considerent, quid in gregibus ecclesiæ sit ægrum, aut sanum: debile, aut firmum; confractum, aut solidum. Hæc enim proprie ad episcopum pertinere nomen ipsum indicat. In id autem quantopere sit incumbendum, Petrus & Paulus non præcepto tantum, sed exemplo docuere, uti ex actis apostolorum facile colligitur. Quæ diligentia si contemnatur; reliquum est, ut ovilibus ad perniciem adductis, severius ruinas, & interitum e manibus pastorum requirat dominus. Quare sancta synodus serio præcipit, ut hoc tam salutare, ac necessarium munus omnes, quorum interest, nec perfunctorie, nec aliena, quantum fieri possit, opera subeant; sequanturque & episcopi, & archidiaconi per omnia præscriptum concilii Tridentini.

CAPUT

Anno Christi 1565.

CAPUT II.

In visitatsone primum cognoscant de fide, vitæ sanctimonia ac moribus: sive visitatio fiat in monasteriis, sive capitulis tam cathedralibus, quam collegiatis, vel etiam aliis ecclesiis. Quoniam id præcipue spectandum est, ne doctrinæ sinceritas ullo errore corrumpatur; nec præterea vitiis vita maculetur. Cognoscant deinde de regula, ac statutis; an serventur, an negligantur: & singula rite, ac ordinate constituantur.

CAPUT III.

Externa etiam visitando non negligant: ut sunt habitus, decens tonsura, & hujusmodi reliqua.

CAPUT IV.

Sed illud præcipue spectent, quam recte, & diligenter pastores ministeria sua obeant: sive docendo, sive sacramenta ministrando, & venerabile sacramentum, & unctiones, & baptisteria honeste conservando. Cognoscant præterea de bonis ecclesiarum, ac supellectile, de bibliothecis, & aliis hujusmodi, ne quid per negligentiam pereat. Provideant etiam ut & fundationes observentur, & eleemosynæ, liberalitate piorum hominum institutæ, pauperibus nulla fraude distribuantur.

CAPUT V.

Omnia, si quæ deprehenderint visitando, & ea publica fuerint, castigent publice: si occulta, sic punient, ne offendiculum nasci possit. Sic deformata reforment, ut visitationis fructus omnibus innotescat.

XIV.

De potestate, ac jurisdictione ecclesiastica.

CAPUT I.

NIHIL dubitandum est, duplex esse forum ecclesiasticum a Christo nomine Clavium nobis insinuatum: alterum sacramenti pœnitentiæ, quod proprie ad conscientiam spectat, in quo reus non nisi ex propria confessione solvitur, & ligatur; alterum vero jurisdictionis, & regiminis externi: in quo reus non solum ex propria confessione, sed etiam per testes convincitur, & judicatur, quo judicio publica delicta corriguntur, & puniuntur: ne per ea homines ab æterna beatitudine secludantur, sed ad vitam æternam perveniant.

CAPUT II.

Cumque in hunc finem excommunicationis gladium, veluti nervum ecclesiasticæ disciplinæ a Christo datum esse constet, quo contumaces, & rebelles a sacramentis, & communione fidelium separet, & præcidat; sane juri divino, nedum sacris repugnat canonibus, quod judices laici, quibus de rebus ecclesiæ disponendi nulla est attributa potestas, non raro prohibeant, mandentque judicibus ecclesiasticis ne excommunicatum a jure declarent, & denuncient; aut ne quem excommunicent; vel ut latam excommunicationis sententiam revocent. Proinde sancta synodus obsecrat, & obtestatur in domino sereniſſimum, ac invictiſſimum regem catholicum, alioſque principes, dominos, & magistratus civiles, ut ab hujusmodi prohibitionibus, & mandatis abstineant. Quin potius, si, quod absit, judicem ecclesiasticum sua jurisdictione, & potestate abuti contigerit, id ad superiores ejus ecclesiasticos referant: sintque memores pœnarum a sacris canonibus super his inflictarum.

Anno Christi 1565.

CAPUT III.

Prohibet autem hæc sancta synodus, decretis concilii sacri generalis Tridentini inhærens, omnibus, & singulis judicibus ecclesiasticis, ne leviter hujusmodi gladio feriant: sed aliis, ubicumque commode fieri poterit, tam in procedendo ac definiendo, quam exequendo juris utantur remediis, dicti sacri concilii inviolabilis præcipit auctoritas. Et, si pecuniarum pœnam indixerit judex, ad pios usus mox, ut exactæ fuerint, assignentur.

CAPUT IV.

Utque dispendiosæ litium protractioni obvietur, decernit quod in omnibus actionibus personalibus ad forum ecclesiasticum pertinentibus judex curet, quoad ejus fieri possit, reum comparere personaliter, atque ad factum suum proprium respondere, non admisso procuratore; nisi de legitimo ipsius rei, saltem summarie, aut verisimiliter, constet impedimento.

CAPUT V.

Ubi autem reus comparuerit, sit interrogatus a judice debitum fateatur, illico judex dabit ei præceptum ut solvat infra tempus de stylo, vel jure constitutum; aut si illud statim, ac simpliciter fateri nolit, sufficere poterunt tres, aut quatuor actus, seu termini judiciales: videlicet petitio actoris, & responsio rei ad petita, quæ si fuerit affirmativa, seu confessoria, statim condemnetur. Sed si negativa fuerit, & illico probetur, continuo quoque poterit ferri sententia definitiva: nisi reus in testes excipere, & contrarias defensiones proponere velit, quo casu brevis ei terminus, sive dilatio pro ratione, & qualitate negotii præfigi debebit.

CAPUT VI.

Si vero in jus peremptorie vocatus nec se sistere, nec litem contestari velit, citetur iterato cum monitione ut ad libellum, seu petitionem summariam actoris, cujus copia eidem tradetur, seu offeretur, responsurus compareat: deinde si tertio citatus, monitusque sub pœna confessati, respondere detrectaverit, perinde habeatur, ac si contenta libelli, sive petitionis confessus foret; præviaque alia citatione, ut cautius ac securius procedatur, actor ad probandum, si testes habuerit, admittatur: sin minus, juramentum illi ex officio judicis deferatur: ut iis rite peractis, aliisque observari solitis, observatis, in causa concludatur, ut sententia definitiva feratur.

CAPUT VII.

Quoniam non pauci in hac provincia reperiuntur presbyteri & clerici, seu pro talibus sese gerentes, qui se notarios publicos scribunt, & nominant; quorum imperitia non solum nullitatis, sed etiam falsitatis, aliaque vitia persæpe committuntur, cum maxima contrahentium, aliorumque injuria, & præjudicio: idcirco hæc sancta synodus, inhærens decretis sacri generalis concilii Tridentini, interdicit, & inhibet omnibus, & singulis presbyteris, & clericis prædictis, ne in negotiis, litibus, & causis rerum ecclesiasticarum, seu spiritualium

ANNO CHRISTI 1565.

hujusmodi officium in hac nostra provincia exercere præsumant, nisi prius a locorum ordinariis prævio diligenti examine probati, & admissi fuerint. Alloqui quoscumque illorum actus, & actitata, seu instrumenta non publica, sed privata fore decernit; & quibus in judicio, & extra, fides adhiberi non debeat: & ultra hoc etiam tanquam rebelles gravius arbitrio sui ordinarii puniendos.

CAPUT VIII.

Ut autem ratio fori, ac jurisdictionis exercendæ constituatur certa aliqua, sive stipendiorum, sive aliarum quarumcumque rerum, quibus gravari litigatores quoquo pacto possint; statuit sancta synodus præscriptam unam communem formam concipi, cujus erit usus in provincia, & a qua nemini resilire liceat, quod ut commodius perfici possit, stato die per patres, officiales suffraganeorum episcoporum, aut alii ab iisdem episcopis deputandi ad metropolitanam ecclesiam convenient; atque cum ejus ecclesiæ officiali eam formam, ac regulam inter se constituent, quæ postea metropolitani, & suffraganeorum auctoritate stabiliatur, ut servetur ab omnibus.

CAPUT IX.

Mandat præterea sancta synodus provincialis, ut episcopi ad sua reversi statim in synodo diœcesana designent personas idoneas, quibus causæ ecclesiasticæ in partibus delegandæ committantur, juxta decretum decimum sessionis XXV. concilii Tridentini. Quæ personæ per metropolitanum ad sedem mittentur.

CAPUT X.

Ceterum cum sacrum Tridentinum concilium alia multa decreverit, quorum nulla provincialis hujus synodi decretis fit mentio, quia satis expressa, ac explicata sint: ea omnia, sive ad doctrinam, sive ad ecclesiasticam reformationem, & morum correctionem pertineant, sancta synodus plane, atque integre servari debere, vimque, & auctoritatem inviolabilem habere declarat.

CAPUT XI.

Decernit præterea sancta synodus, ac mandat, ut in diœcesanis conventibus episcopi omnia decreta concilii Tridentini, & quæ in hac statuta, definitaque sunt, legi ac publicari curent: eaque, ubi typis mandata fuerint, in omnibus ecclesiis, ac a quibuscumque sacris initiatis ordinibus haberi præcipit.

XV.

De Matrimonio.

CAPUT I.

MATRIMONIUM res sacra est: sancta, & arcta conjunctione divinitus instituta, cum nondum inter homines peccatum natum esset. Quare nec suscipi, nec tradi nisi sancte, ac religiose debet: nec in profanis rebus haberi vinculum, cujus Deus auctor & conjunctor est. Ac propterea sancta synodus provincialis servari, ac recipi mandat quæcumque de matrimonio sacrum Tridentinum concilium decrevit: atque inter cetera, quæ sequuntur, præcipit.

ANNO CHRISTI 1565.

CAPUT II.

Doceant pastores, idque frequenter populares suos in matrimonio spectari debere fidem, prolem, & sacramentum: fidem scilicet, quæ jus conjugii conservet indissolubile: prolem, ut Dei beneficio susceptа, ac donata mutua benevolentia nutriatur, & instituatur religiose: Sacramentum autem, ut exemplo Christi, & ecclesiæ divortium conjuges non separet. Separatos quacumque de causa alienus thorus non recipiat, nisi mors alterius intercesserit.

CAPUT III.

Moneant pastores puberes, & aptos ad contrahendum matrimonium, ne pietatem erga parentes deserant: sed eorum arbitrio, & consilio ineant matrimonia: malintque Jacob sanctum virum imitari quam reprobum Esau.

CAPUT IV.

Moneant identidem parentes, ne per vim filios adigant ad hoc, illudve matrimonium. Declarent præterea contracturi an libere, an coacte consentiant, ubi nullam vim pastor cognoverit, nullumque impedimentum canonicum: hos conjungat in domino: si secus; differat.

CAPUT V.

Proclamationes ante matrimonium veteri more consuetas, & decreto Tridentini concilii mandatas non omittant pastores: jurentque contracturi nullo impedimento prohiberi, quod sciant, quin conjuges inter se esse possint.

CAPUT VI.

Sponsalia loco, ac tempore fiant commodo: id est, non in œnopoliis, aut tabernis potoriis: sed in loco sacro: non post dissolutas compotationes: cureturque, ut & sponsus & sponsa sobrii, non ebrii, neque alias mente capti sponsalia ineant.

CAPUT VII.

Matrimonia in facie ecclesiæ fieri mandat synodus, ac pastoribus præcipit, doceant conjuges non tantum esse honorificum, sed utile, faustum, & auspicatum si res sacra, cujusmodi matrimonium est, loco sacro celebretur: & uberiorem divinæ benedictionis fructum iis expectandum, qui pie, ac religiose ritum ecclesiæ sequuti fuerint, quam his qui contempserint.

CAPUT VIII.

Ut vitetur impudentium hominum temeritas, qui vagi frequenter per fraudem, & nefas multas diversis locis uxores ducere tentant: mandat sancta synodus, servetur Tridentini concilii de ea re decretum, ne temere ignotos pastores cum sacramenti contumelia conjungant.

CAPUT IX.

Qui falsum impedimentum sciens, prudensque attulerit, quo matrimonium futurum impediat: quique verum impedimentum sciens reticuerit: excommunicationis pœna castigetur.

CAPUT

Anno Christi 1565.

CAPUT X.

Si conjecturam habeat pastor impedimenti alicujus: Ordinarium consulat, antequam jungat matrimonio, de quibus dubitat.

CAPUT XI.

Gradus consanguinitatis, & affinitatis sive naturalis, sive spiritualis, quibus matrimonium impediatur. Tridentini concilii decreta constituunt, quæ servari omnino debere sancta synodus declarat.

CAPUT XII.

Susceptores e baptismo, aut susceptrices, quomodo, & cum quibus affinitatem trahant, idem concilium Tridentinum statuit: cujus normam observent, & sequantur pastores, qui nullos ad B hoc munus recipiant, nisi qui annos discretionis attigerint: & sciant, quæ scire debent susceptores hujusmodi.

CAPUT XIII.

Clandestina matrimonia, ut sunt ex Tridentini concilii decretis definita nulla, & irrita fore, episcopi denuncient, aut denunciari curent: scilicet trigesimo post die, qua id proclamatum fuerit.

XVI.

De decimis, oblationibus, & portione canonica.

CAPUT I.

Quæ de decimis ex concilio Tridentino clarissime mandantur, ea sancta synodus servari omnino præcipit, scilicet ut pro locorum consuetudine, juxta constitutiones apostolicas, ac edicta regia sub pœnis, ejusdem concilii decreto contentis, persolvantur: nec sint populares in Deum bonorum largitorem avari, & ministris ejus ingrati.

CAPUT II.

Oblationes solitas offerri in ecclesiis non laici, patroni nomine, sed pastores soli recipiant: est enim hoc prorsus indecorum. Earum autem oblationum partem, quæ patrono cedere debeat, D iidem pastores fideliter reddant: ac de re tota, ne ullum offendiculum nascatur, inter se conveniant: nec liceat pastoribus eas oblationes ullo pacto elocare.

CAPUT III.

Quod autem ad portionem canonicam assignandam pastoribus attinet, mandat sancta synodus omnibus episcopis diligenter in sua quisque diœcesi perquirant quantos reditus, & proventus pastor ratione pastoralis beneficii possideat: efficiantque, juxta Tridentini concilii decreta, ut pastoribus sit satis ad vitam commode sustinendam: idque vel beneficiorum unione, vel cremento, & auctu portionis decimalis. Quodsi nullas decimas beneficium habeat, provideatur E tamen pastoribus populi subjecti symbolis, &, ut dicunt, contributione, vel alia ratione, quæcumque commodior inveniri poterit.

CAPUT IV.

In eam rem autem ex proportione, quotquot decimas percipiunt, æquabiliter contribuant, quantum cuique pastori episcopi judicio ad victum sufficiat.

CAPUT V.

At vero quo celerius, ac melius huic necessitati prospiciatur, præcipit sancta synodus, ut mox, ubi ad sua redierint, episcopi adhibitis A duobus cathedralis ecclesiæ canonicis, duobusque, si fieri potest, prælatis in eam rem diligenter incumbant: ut proxima synodo diœcesana omnibus pastoribus sit sufficienter prospectum. Anno Christi 1565.

CAPUT VI.

Si uniones duarum ecclesiarum fieri contigerit: propter utriusque inopiam, unicus ambarum sit pastor. Cui sacellanum ad partem solicitudinis deligere liceat: admissum tamen ab episcopo.

CAPUT VII.

In ecclesiis, in quibus jura pastoralia vel conventione, vel auctoritate magistratuum sunt ordinata, ea jura maneant, si æqua fuerint: si minus, vel augeantur, vel minuantur episcopi ac magistratus judicio. In quibus autem non sunt determinata, ineatur ratio cum eodem magistratu, ut fiat.

CAPUT VIII.

In ecclesiis, quarum instaurari, ac refici chorus eorum sumptu debet, qui decimas capiunt, omnes ecclesiastici, qui easdem decimas obtinent, etiam si patroni non sint, ex proportione decimarum, quas recipiunt, pro sua quisque portione conferat: sive instaurari tantum iidem chori debeant, sive de integro ædificari. Chori autem si de novo construi debeant, totum ædificium eorum fiat arbitrio, qui sumptum facere debent.

C

CAPUT IX.

In ecclesiis autem, in quibus chori ædificari, & restaurari sumptu populi ex antiqua consuetudine debent, maneat in suo robore consuetudo.

CAPUT X.

Quædam monasteria decimas pastoribus, & episcopis persolvere recusant ob quædam privilegia suo ordini a summis pontificibus concessa: sed quia in nonnullis parochiis omnia propemodum prædia sunt eorum monasteriorum: hinc fit, ut vix quicquam supersit patronis, & pastoribus ad onera sustinenda. Quare sancta synodus hortatur dicta monasteria, ne privilegia sua, detrimento pastorum, & ecclesiæ sic extendant, ut alligetur os bovi trituranti. Quod si contempserint, nomine provinciæ recurratur ad sanctam sedem apostolicam.

XVII.

De purgatorio.

CAPUT I.

Cum de purgatorio, ac suffragiis, quæ pro mortuis præstantur, idem sentiat sancta synodus, quod semper sensit ecclesia, quodque maxime Tridentino concilio definitum est: eadem sancta synodus præcipit servari, ac doceri, scilicet esse locum destinatum earum animarum purgationi, quæ ex hoc sæculo migrant non plane purgatæ, neque ab omnibus pœnis debitis penitus absolutæ: easque animas precibus, eleemosynis, & sacrosanctæ eucharistiæ corporis Christi sacrificio, pro benignitate divinæ clementiæ juvari, quæ omnia sic offerantur a piis, & fidelibus, ut neque pro exclusis a gloria, neque pro iis, qui salutem æternam jam consecuti sunt, offerantur: sed pro iis scilicet, qui nec tam bene vixerunt, ut statim assumpti fuerint in gloriam; nec tam male, ut in damnationem sempiternam inciderint.

CAPUT

ANNO CHRISTI 1565.

CAPUT II.

Doceant præterea, moneantque populum paſtores, ut hæc ſancta piorum exercitia, pie ac ſancte ſuſcipiantur: nec ferant ſuperſtitiones ullas inoleſcere, aut incerta dogmata, quæ nulla auctoritate, nulloque eccleſiæ conſenſu probabilitatem habent: ſed turpis plerumque queſtus faciendi inſtrumenta ſunt. Hæc quidem epiſcopi diligenter curent, ut intelligant quid recte, quid perperam in his, quod ad hoc attinet, agatur, ubi primum intellexerint, hanc contagionem depellant: ne plebi imperitæ turpiter imponatur: aut hæreticis calumniæ inurendæ anſa præbeatur. Quicumque in hac re impoſturam feciſſe deprehenſus fuerit, graviter puniatur.

De doctrina autem purgatorii, ac ſequentium articulorum, nempe de invocatione ſanctorum, de imaginibus, reliquiis, & indulgentiiis copioſius, & uberius tractabitur in catechiſmo, quem patres excudi curabunt.

XVIII.

De monaſteriis virorum, & mulierum.

Ut in monaſteriis tam virorum, quam mulierum regularis diſciplina, ubi conſervata eſt, firmius ſtabiliatur: ubi vero collapſa eſt, facilius reſtituatur, hæc ſtatuit, & decrevit ſancta ſynodus.

CAPUT I.

Abbates, vel præpoſiti, abbatiſſæ, vel præpoſitæ, priores, ſeu prioriſſæ quorumvis regularium locorum ſtudeant in primis, concilii Tridentini decretis ſatisfaciendo, ſuam, ſuorumque vitam ad ſanctæ regulæ, ſecundum quam ſunt profeſſi, præſcriptum inſtituere, & componere.

CAPUT II.

Proinde frequenter divinis interſint officiis, tanquam gregis dominici veri & ſtrenui duces: inque oratorio id dumtaxat agi permittant, quod Dei laudem, animarumque ſalutem, necnon proximorum ædificationem efficaciter operari dignoſcatur: memores quod Dei domus, domus orationis ſit: & maledictus, qui facit opus Dei negligenter.

CAPUT III.

Ceterum, quia menſæ communio caritatis unionem deſignat, & a patribus, antiquitusque ſtatutum, obſervatumque fuerit in bene moratis cœnobiis ut omnes eodem in loco cibum ſimul caperent: ſtatuit ſancta ſynodus, ut ſuperiores ſevere prohibeant privatas menſas: cogantque omnes, qui legitime non fuerint impediti, ad unum convenire refectorium, communis refectionis gratia.

CAPUT IV.

Si locis quibuſdam lectio ſacra in conventuali religioſorum menſa hactenus omiſſa fuerit, & minus uſitata: ejus uſus reſtituatur. Jejunia item conventualia ſicubi minus fuerunt obſervata juxta regulæ, aut locorum bene reformatorum uniuſcujuſque ordinis conſuetudinem.

CAPUT V.

ANNO CHRISTI 1565.

Monet quoque ſancta ſynodus univerſos regularium rectores, ut una cum ſuis ſubditis corporis in conventu nonnunquam ſumant refectionem: niſi per occupationes legitimas, aut hoſpitum multitudinem penitus impediatur.

CAPUT VI.

Hortatur inſuper ſancta ſynodus, ut quando commode fieri poterit, initio menſæ ipſorum ſuperiorum ſacræ ſcripturæ, aut cujuſpiam pii, & catholici doctoris prælectio habeatur: ut una cum corpore ſumat quoque & mens cibum. Porro expleta hujuſmodi ſancta prælectione nulli ſermones irreligioſi ibidem miſceantur; ſed qui boni ſint, & honeſti.

CAPUT VII.

Omni diligentia curent, ut menſa ſit frugalis, vitenturque exceſſus: neque ipſi quemquam ad largius, ac immoderatius bibendum invitent; immo ne patiantur quidem, quoad ejus commode fieri poteſt, ne prophetæ comminatio in eos, eorumve convivas merito poſſit competere; Væ qui potentes eſtis ad bibendum: Et viri fortes ad miſcendam ebrietatem.

CAPUT VIII.

Mandat ſacroſancta ſynodus omnibus ſuperioribus, ut diligentiſſimam operam adhibeant ne votum caſtitatis inter ſubditos periclitetur. Quibus etiam omnes occaſiones conſortii ineundi, ac familiaritatis cum mulieribus adimere adnitantur. Quæ profecto ſi quandoque ad cœnobia venerint, non eis concedatur acceſſus, etiam ſi religioſæ ſint & moniales, ad religioſos, vel loca regularia, aut conventualia: niſi ex certa quadam, & multum rationabili cauſa ſuperior facultatem fecerit.

CAPUT IX.

Cum ſacroſancta ſynodus Tridentina & œcumenica præceperit ea quæ ad communem vitam, victum, & veſtitum conſervanda pertinent, fideliter obſervari; mandat hæc ſynodus omnibus monachis, & monialibus, religioſiſque, ut diligentiſſime paupertatis votum, tanquam ineffabilis cujuſdam, & dulciſſimæ quietis cauſam cuſtodiant: neque proprietatis vitio violent. Caveant igitur ne quid pecuniæ, aut alterius rei ſibi ita retineant, vel retinere deſiderent, ut communitati nolint eſſe commune: neve ad peculiares uſus eo utantur ſine ſuperioris conſenſu.

CAPUT X.

Ut autem huic peſtifero vitio obviam eatur, mandat ſancta ſynodus omnibus omnium ordinum ſuperioribus, ne ſubditis pecuniam pro quocumque cibo, vel potu, ſive veſtimentis, & quibuſcumque neceſſariis adminiſtrent: ſed victus omnis, potus, ac veſtitus, & quicquid neceſſarium fuerit, decenter, & prout ratio poſtulat, eis porrigatur: Reſcindant inſuper ſuperiores, & aboleant prorſus univerſa illa emolumenta, & jura, quæ antiquo more quibuſdam monaſteriorum officialibus concedi ſolebant. Breviter

ANNO CHRISTI 1565.

viter omnis illa pecunia, vel res, quam monachus, vel monialis acquirere sive labore, sive industria, sive amicorum liberalitate, seu denique qualibet alia occasione possit, superiori mox tradatur: ita ut ad nutum ejus, tanquam res communis, expendatur.

CAPUT XI.

Et quo hæc omnia facilius, diligentius, necnon absque tædio queant observari; præcipit sancta synodus cunctis cunctorum monasteriorum sexus utriusque superioribus, quatenus secundum regulam, ac majorum instituta benigne, necnon placide subministrent omnia in universum, quæ suis subditis necessaria fuerint, & convenientia, ne infirmioribus præbeant ansam detrimenti, voti paupertatis valde gravidi, nonnihil congerendi, & apud se retinendi: in qua quidem re si negligentiores exiterint, admoniti a suo superiore omnino compellantur.

CAPUT XII.

Quandoquidem raro admodum terminantur sine bono, quæ malo inchoantur principio: abesse omnino vult sancta synodus a religionis ingressu labem, etiamque speciem detestabilis simoniæ. Quocirca præcipit serio sacros canones insecuta, ne monachi, vel moniales aliquem, vel aliquam ad professionem recipiant mediante alicujus pecuniæ, aut muneris pacto: ne ea quidem ex causa, quod plures alere non possint sine aliquo subsidio; cum Tridentina synodus cap. III. De regularibus aperte velit, ne plures recipiantur in monasterium, quam ex propriis monasterii redditibus, vel ex consuetis eleemosynis commode ali possint. Vetat etiam sancta synodus, ne in ipsis diebus professionum, & primitiarum fiat lautus sumptus, lautusque apparatus, quantus plerisque locis fieri solet: sed sint frugalia omnia, & moderata.

CAPUT XIII.

Porro moniales studeant quam accuratissime, quas de consensu episcopi, aut superioris visitatoris juxta Tridentini concilii decretum educandas, & formandas susceperint, convictrices puellas pie, & catholice instituere: neque nimium curiose vestire, & ornare: verum prout decet puellas, inter Christi sponsas versantes, cum modestia, & timore dumtaxat ornentur.

CAPUT XIV.

Insuper quo novitiorum, vel novitiarum juvenum institutio, & formatio ubi laudabiliter continuata est, constantius conservetur: ubi vero neglecta est, diligenter instauretur: mandat omnibus monasteriorum superioribus sancta synodus, ut regulæ, ac statutorum monasterii, in quo juvenes cupiunt profiteri, lectio, & explicatio eisdem novitiis fiat: ne imprudentius voveant, si ipsis minus constet, ad quid se per professionem obligent.

CAPUT XV.

Nunquam religiosi foris pernoctent: nisi causa ægritudinis, negotiorum monasterii, visitationis parentum, vel amicorum eis concesserit superior. In quo non nimium faciles se præbeant superiores.

ANNO CHRISTI 1565.

CAPUT XVI.

Ceterum monet sancta synodus abbates, abbatissas, & alios monasteriorum præfectos, & præfectas, ut sui meminerint officii, seque non esse dominos bonorum monasterii, immo ne fructuum quidem: sed tantum dispensatores, & administratores: neque se pro libito dispensare posse, sed secundum intentionem ecclesiæ, & piorum fundatorum. Proinde valde reprehensibile esse eorum factum, qui ex bonis, vel etiam fructibus monasterii sui ditant propinquos, vel amicos suos. Itemque eorum, qui superfluum, & nimis fastuosum habent famulitium, & comitatum, & nimium equorum numerum; quique nimium splendide, & sumptuose ædificant, præsertim ædificia non sacra.

CAPUT XVII.

Postremo sicubi in monasteriis tam virorum, quam mulierum vel temporum lapsu, aut prælatorum negligentia propter bellorum longam continuationem insolentiæ, dissolutiones, ac denique abusus irrepserint: mandat sancta synodus, ut in eorumdem monasteriorum prima visitatione omnia, & singula supradicta tollantur, penitusque extirpentur: ac ad regulam, quam professi sunt, reducantur: quantumque fieri poterit decretis concilii Tridentini conformentur.

XIX.

De sanctis.

CAPUT I.

SANCTORUM, qui cum Christo regnant, venerationem, cultum, & invocationem ecclesia semper probavit. Hæretici vero non hujus sæculi tantum, sed vetustissimi rejecerunt: Atque in his non hæreticus sed apostata Julianus ecclesiæ sanctam consuetudinem irrisit, & damnavit, quasi Christi martyres pro diis ea coleret. Quemadmodum autem sancti patres minime destiterunt ob hæreticorum & gentilium contumelias, quin martyribus debitum honorem constanter semper impenderint: sic nec debent pii homines a legitimo cultu, & invocatione sanctorum abduci; quicquid adversus ecclesiam latrent nostri temporis hæretici. Sanctorum enim precibus infirmitatem mortalium juvari, firmissimis argumentis comprobatum est. Cujus rei testimonium Augustinus luculentum præstitit. Nec dubium ullum stare potest, quin, cum non diligant, in cœlis salutem quoque nostram votis, & precibus promoveant.

CAPUT II.

Doceatur tamen populus, alium esse cultum, quo Deus, ac mediator Dei ac hominum, homo Christus Jesus colitur, alium, quo sanctos venerari pie debemus: colimus enim Deum, cum agnoscimus creatorem, conservatorem, bonorum largitorem: quem expectamus judicem, cui

ANNO CHRISTI 1565.

uni reddere rationem vitæ actæ debeamus; qui A solus perdere, solus servare possit: cui soli sacrificium offertur cordis, labiorum, & sacrosanctæ eucharistiæ corporis, & sanguinis domini, quo genere cultus nec angelorum ullum, nec divorum, nec virginem deiparam colere licet.

CAPUT III.

Et quamvis divos recte colamus, vocemusque advocatos, & intercessores; non eo tamen ordine, atque loco, quo Christus homo advocatus, mediatorque esse dicitur, cujus rei admoneri debebunt populares a pastoribus, ut retundatur hæreticorum contumelia, qui dicunt ecclesiam catholicam divos æquare pontifici & mediatori no- B stro Christo.

CAPUT IV.

Preces fidelium analogiam & proportionem fidei sequantur. Quare admoneantur populares minus docti, ut, cum sanctorum memorias visitant, & eorum auxilium implorant, ac Christiana consuetudine orationem dominicam recitant; intelligant se eam non ad sanctos, sed ad Deum dirigere, adjunctis sibi comprecatoribus sanctis.

CAPUT V.

Doceatur præterea populus quo discrimine usa est, & utitur ecclesia in litania cum invocatur Deus, & cum invocantur divi. In ea enim fa- C cile perspicitur alium esse cultum, qui exhibetur Deo; alium qui sanctis defertur. Sic enim vulgus se non facile patietur abripi hæreticorum præstigiis.

CAPUT VI.

Doceatur itaque populus, preces quidem sanctorum admodum utiles ad impetranda dona non modo corporalia, & temporalia, sed spiritualia, & æterna. Sed tamen abominandam esse eorum vanitatem, ac superstitionem, qui certo pollicentur non ex hac vita migraturos sine pœnitentia, & sacramentis eos, qui hunc, illumve ex divis coluerint, qui securitatem in rebus gerendis, fortunæ certum, ac optatum eventum iisdem promittunt; & si qua alia hujusmodi profe- D rantur, & credantur, veluti & illud quoque plane reprobandum est, si qui certo numero, præscriptaque missarum forma aliqua, aut precum, affirmant certas, defunctasque animas e purgatorio semper liberari.

XX.

De imaginibus.

CAPUT I.

IMAGINES Christi, ac divorum in templis habendas esse, universalis synodus septima tradidit: idemque Tridentinum concilium confir- E mavit, quibus recte ejus honoris externa signa exhibentur, cultusque, & invocationis, quam rei significatæ deferimus, ut sunt genuflexio & reliqua hujus generis. Neque absurdum, aut impium quoquo pacto videri debet: cum in signis prototypa veneramur. Sicuti nec vituperari debet, si sceleratorum principum, odio tyrannidis, populus imagines evertat. Sed, ne quid agatur in ecclesia præpostere, quod ad hanc rem attinet, hæc sancta synodus, quæ sequuntur, constituit.

CAPUT II.

ANNO CHRISTI 1565.

Imagines in templis nullæ statuantur; nisi episcopi consensu, & judicio. Si quæ autem erectæ fuerint, ac præ se ferant quicquam, quod non deceat, neque prototypo congruat, tolli eas, aut mutari jubeto.

CAPUT III.

Doceatur præterea populus imagini cultum nullum deberi aut propter materiam, aut propter elegantiam, aut propter pretium operis, aut propter quidvis aliud, quod sit in artificio, aut imaginis substantia; sed propter rem significatam, ad quam hic cultus, & honos præcipue refertur. Et sic admonendus est, animum orantis, aut venerantis in rem signatam referri; & non in signum: quod nec audit, nec videt, nec sentit.

CAPUT IV.

Præterea admoneatur populus imperitæ plebis causa maxime positas esse imagines, ut illarum aspectu docti, & moniti patrocinium divorum, & pietatem in Christo conservemus, & eorum vitam imitemur.

CAPUT V.

Miracula nulla locum, aut auctoritatem habeant sine judicio ecclesiæ per episcopum declarato: ne præstigiæ dæmonum, aut impostura improborum hominum pro certis, verisque miraculis ad contumeliam nominis divini habeantur.

XXI.

De reliquiis.

CAPUT I.

SANCTORUM reliquias ita venerari præcipit sancta synodus, ut ex concilio Tridentino decretum accepimus, cum enim non tantum sint monumenta, quibus martyrum, ac divorum memoria renovetur, sed fuerint viva corporis Christi membra, ac templa Spiritus sancti olim ad sempiternam gloriam excitanda; eo propensiore devotione venerandæ sunt. Sed, ut in his omnis tollatur abusus, prohibet sancta synodus, ne quis novas, aut ignotas reliquias populo venerandas offerat; nisi prius ab ordinario probatæ fuerint: & in his, quas constiterit veras esse, ritus fieri vetat, quos ecclesiæ & religionis sinceritas non approbat: nec nisi decenter, & tempore congruo circumferantur.

XXII.

De indulgentiis.

QUIA per indiscretas, & superfluas indulgentias & claves ecclesiæ contemnuntur, & pœnitentialis satisfactio enervatur: ideo prohibet sancta synodus ne quis ullas novas, aut ignotas indulgentias populo commendet, & promerendas offerat, nisi prius ab ordinario visitatæ fuerint, & probatæ. Ac præcipit etiam eadem synodus, ut parochi populum suum diligenter admoneant, ne circum foraneis quibusdam, aut etiam impressis libellis temere fidem adhibeant, qui ex levibus, vanis, & superstitiosis causis exorbitantes indulgentias pollicentur; cum indulgentiæ

ANNO CHRISTI 1565.

non niſi ex piis, & rationabilibus cauſis concedi debeant.

Poſtremo mandat hæc ſancta ſynodus omnibus, & ſingulis epiſcopis, abbatibus, capitulis, & aliis quibuſcumque perſonis eccleſiaſticis & ſæcularibus ut præmiſſa omnia, & ſingula, & quæ a ſacro concilio Tridentino conſtituta ſunt, diſtricte obſervent, & obſervari faciant, ſub pœnis inibi reſpective contentis.

Anno domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quinto, menſis vero Julii die vigeſima quinta, de mandato reverendiſſimi archiepiſcopi Cameracenſis præſidentis, & reverendiſſimorum Atrebatenſis, Namurcenſis, & Audomarenſis, epiſcoporum comprovincialium, in ſancta ſynodo provinciali Cameracenſi, in Spiritu ſancto legitime congregata, aſſidentium: Nos ſcribæ infraſcripti, ab ipſa ſancta ſynodo deputati, & jurati præſcripta decreta, & ſtatuta ſynodalia aliena manu fideliter ſcripta, & cum originalibus collata, & concordata, in fidem omnium, & ſingulorum in eiſdem contentorum, ſubſcriptionibus noſtris conſuetis ſignavimus.

Jo. le Duc manu propria ſignavit.

Ita eſt Jo. Nerchier.

ACTA
CONCILII PROVINCIALIS
CAMERACENSIS.

Præſidente R. P. domino Maximiliano a Bergis, archiepiſcopo & duce Cameracenſi, ſacri imperii principe, comite Cameraceſii, &c.

Cum cæremoniis, & orationibus, quæ in illo habita fuerunt.

Literæ indictionis, & convocationis.

MAXIMILIANUS a Bergis Dei & apoſtolicæ ſedis gratia archiepiſcopus & dux Cameracenſis, ſacri imperii princeps, comes Cameraceſii, &c. Univerſo clero & populo noſtrarum provinciæ, civitatis & diœceſis Cameracenſis, ſalutem in eo, a quo eſt omnium ſalus. Eccleſiam ſuam pretioſiſſimo Fili ſui ſanguine redemptam Deus optimus maximus eouſque multo jam tempore jactari, affligi, labefactarique (exigentibus id noſtris, proh dolor, peccatis) permiſit, ut nemo bonæ mentis Chriſtianus non debuerit metuere, jam adeſſe diem, quo ſaltem in pleriſque, & quidem præcipuis hactenus in eadem utcumque manentibus regnis, & provinciis, velut a fundamentis diſturbata penitus corrueret, everteretur que. At quod idem tamen ipſe vere pius & miſericors dominus, totiuſque conſolationis pater, qui nunquam ita iraſcitur, ut miſericordiæ obliviſcatur, nondum omnino ſuæ clementiæ oculos ab eadem averterit, certiſſimum debet eſſe argumentum, quod proculdubio ipſe ſpiritu oris ſui eidem ſuggeſſerit, ut ad unicum illud tandem confugeret remedium, quo a primis ſuis incunabulis, ſimilibus agitata procellis, ad priſtinam tranquillitatem recuperandam, eodem ſuggerente, feliciter hactenus uſa fuit, ſacrum (dico) œcumenicum & generale concilium. Quum enim unicam ſuam ſponſam (quæ etſi aliquando ſine ruga fuit & macula; nunc eſt ita omnis generis tam doctrinæ, quam morum deformata ſordibus, ut genuinæ illius formæ vix ulla reſtent veſtigia) tanto dignatus ſit bono, ut poſt ſæpius repetitam, & per graviſſima, quæ inciderunt diſturbia & impedimenta, diſtractam concilii generalis convocationem, tandem ad optatum finem & conſummationem perduxerit legitime habitum generale concilium Tridentinum; æquum eſt certe ut ipſius, qui bonorum omnium eſt dator, tantam benignitatem experti, gratias eidem ex animo agamus omnes, & in ſpem ſeriam firmamque erigamur, futurum ut ejuſdem dono & favore res eccleſiaſticæ multo poſthac, quam antea, felicius meliuſque gerantur, & ſuccedant, ipſaque eccleſia priſtinæ ſuæ dignitati, ſaltem magna ex parte, aliquando reſtituatur: maxime ſi (quod debemus) divino primitus implorato auxilio operam adhibeamus omnes, ut quæ ſaluberrime pro mitiganda ipſius Dei juſtiſſima ira, ipſiuſque promerendis beneficiis ſunt conſtituta, debitæ & neceſſariæ demandentur executioni, & in praxim & obſervationem tranſmittantur. Nos itaque non ignorantes nobis non ſolum ex officio, verum etiam tam ex ipſius ſacri concilii, quam ſummi pontificis confirmatorio mandato incumbere, provincialem ſynodum ad finem effectumque prædictum indicere, & convocare: cupienteſque, quantum in nobis eſt, hac in parte, & officio & mandato prædictis, uti debemus, ſatisfacere, præhabita ſuper hoc cum reverendiſſimis in Chriſto patribus & fratribus epiſcopis noſtris comprovincialibus, ac capitulo eccleſiæ noſtræ metropolitanæ, eorumve reſpective ad hoc delegatis, matura deliberatione, dictam ſynodum provincialem in dicta civitate, eccleſiaque noſtra metropolitana, ad Dei omnipotentis laudem & gloriam celebrare decrevimus. Illamque in dicta noſtra eccleſia ad dominicam (Quaſi modo) diem ſcilicet octavam poſt ſacratiſſimum dominicæ reſurrectionis diem proxime futurum, incipiendam, proſequendam, & eodem domino adjuvante abſolvendam indicimus, convocamus, atque decernimus. Quocirca reverendiſſimos in Chriſto patres & fratres, Tornacenſem, Atrebatenſem, Audomarenſem, & Namurcenſem epiſcopos noſtros comprovinciales præfatos, ac alios quoſcumque, qui de jure vel conſuetudine ſynodo provinciali intereſſe debent, auctoritate noſtra archiepiſcopali & ordinaria ſerio requirimus, hortamur, & admonemus; eiſque nihilominus, & eorum cuilibet in virtute ſanctæ obedientiæ, dictique ſacri concilii œcumenici ac mandati confirmatorii, ſub pœnis inibi contentis & comminatis diſtricte præcipientes mandamus, ut ad dictam ſynodum ſeu concilium provinciale ibi celebrandum intra eam diem conveniant, & perſonaliter compareant: niſi forte juſto detineantur impedimento, quod per procuratores ſuos legitimos, qui huic concilio intereſſe debeant, probare tenebuntur (ipſique comprovinciales noſtri epiſcopi prædicti, quoſcumque etiam ſuarum reſpective diœceſium abbates, prælatos, & alios qui de jure vel conſuetudine, aut privilegio intereſſe debent, ad illam quoque tunc convenire, & comparere faciant, ad audiendum in primis a nobis, quæ rei, de qua agitur, pondus ſpectare videbuntur proponi: & deinde communicatis nobiſcum conſiliis, conſultandum de modo & ratione cum quam maximo fieri poterit fructu, prædictam executionem in hac noſtra

ANNO CHRISTI 1565.

ANNO CHRISTI 1565.

nostra provincia faciendi, ac ordinandum quoque, & concludendum, publicandumque quæ secundum sanctissimas dicti concilii œcumenici constitutiones & decreta, ad tollendum ex agro dominico in medio tritici jacta jampridem inimici hominis pravæ falsæque doctrinæ zizania, superstitiones, omnisque generis abusus & scandala e medio amovenda, moresque in melius reformandos, quam maxime utilia necessariaque ex communi consilio comperientur. Ad quam rem ut meliorem queat quisque præstare operam, operæ pretium erit ut diligenter perlectis perpensisque ejusdem concilii generalis constitutionibus, & decretis, diligenter quoque de defectibus massisque omnibus quæ in gregem sibi commissam irrepserunt, sive ea fidei nostræ orthodoxæ, sanctæque religioni adversari, sive morum emendationem, correctionemve postulare videbuntur, inquirat, eaque ita annotet, memoriæve commendet, ut in ipsa synodo (sicuti alioqui etiam ex officio quisque tenetur) fidelem, veracemque valeat facere relationem. Quo scilicet Deo spiritum sapientiæ mentibus nostris inspirante opportunis mediis, quæ in dicto sacro œcumenico concilio sancita sunt, exequi, malisque omnibus & abusibus prædictis obviare, &, quoad ejus fieri poterit, e medio omnia tollere possimus. Datum in civitate nostra Cameracensi, anno a nativitate domini nostri Jesu Christi, millesimo quingentesimo sexagesimo quinto, mensis Decembris, die vicesima octava.

Maximilianus a Bergis.

Ad præfati reverendiss. & illustriss. domini archiepiscopi domini mei gratiosissimi mandatum proprium.

G. de la Rue.

Literæ prorogationis datæ XX. *Aprilis.*

MAXIMILIANUS a Bergis Dei & apostolicæ sedis gratia archiepiscopus & dux Cameracensis, sacri imperii princeps, comes Camaracesii &c. Universis & singulis Christi fidelibus salutem in domino. Cum sacri œcumenici & generalis concilii Tridentini decreto sancitum sit, ut provincialia concilia, sicubi omissa sunt, pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, controversiis componendis, aliisque ex sacris canonibus permissis, renoventur; quodque propterea metropolitani intra annum ad minus a fine dicti concilii, & deinde quolibet saltem triennio post octavam paschæ resurrectionis domini nostri Jesu Christi, seu alio commodiori tempore, pro more provinciæ, non permittant synodum in sua quisque provincia cogere: atque deinde beatissimus in Christo pater & dominus noster D. Pius divina providentia papa quartus, præhabita desuper cum sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus matura deliberatione, de eorumdem consilio, pariter & assensu, omnia & singula dicti concilii decreta confirmaverit, & ab omnibus Christi fidelibus suscipienda & servanda esse decreverit, ac in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœnis a sacris canonibus constitutis, aliisque gravioribus, etiam privationis, arbitrio suo infligendis universis & singulis patriarchis, archiepiscopis, episcopis, & aliis quibusvis ecclesiarum prælatis, ut eadem decreta in judicio & extra diligenter observent, & a subditis quisque suis faciant inviolabiliter observari, districte præceperit & mandaverit: & ad hæc quoque prædicta decreta, ad reformationem, & jus positivum tantum spectantia, illa præsertim, quæ tempora certa præstituunt, veluti ad provinciales, diœcesanasque synodos celebrandas, ac complures res hujusmodi exequendas, a Kalendis Maii proxime præteriti, eos omnes, ad quos pertinent, obligare cœpisse, neque post eam diem excusationem cujusquam, quod ea ignoraverit, admittendam esse, auctoritate apostolica declaraverit: proinde nos nolentes nostro in hac parte deesse officio, synodum provincialem in ecclesia nostra Cameracensi, die octava post instans festum paschæ, jam pridem indiximus, & coegimus, illamque nostris comprovincialibus episcopis, ceterisque prælatis, capitulis, conventibus, collegiis ac personis qui de jure vel consuetudine interesse debent, significavimus, & ad eam quoque diem & locum comparere jussimus. Verum quia propter certas arduas & graves causas, quæ a perpaucis citra diebus obvenerunt, dicta dies rebus gerendis nondum satis commoda fore timetur, atque nonnullis nostris comprovincialibus minus opportuna: maturis desuper cum venerabilibus fratribus nostris capitulo ecclesiæ nostræ, consilio & deliberatione præhabitis, eamdem diem in festum nativitatis B. Joannis Baptistæ proxime futurum differendam & prorogandam decrevimus, ac differimus & prorogamus; ipsamque synodum seu concilium provinciale tunc in ecclesia nostra præfata celebrare statuimus. Quocirca reverendiss. in Christo patres, ac venerabiles fratres comprovinciales nostros episcopos, ipsorumque ecclesiarum cathedralium capitula, ac alios quoscumque, qui de jure vel consuetudine interesse debent, iterum requirimus, monemus, & exhortamur, eisque nihilominus, & eorum cuilibet, in virtute sanctæ obedientiæ, dictique sacri concilii œcumenici, ac mandati confirmatorii, subque pœnis inibi contentis, districte præcipientes mandamus, ut ad dictam synodum seu concilium provinciale, tunc in præfata ecclesia nostra celebrandum conveniant, & personaliter compareant ipsique comprovinciales nostri episcopi prædicti; quoscumque suarum diœcesium respective abbates, prælatos, conventus, capitula, & collegia, aliosque qui de jure, vel consuetudine interesse debent, ad illud tunc quoque convenire & comparere faciant, ad faciendum, fierique videndum & audiendum ea omnia & singula, quæ in priori nostro convocationis edicto, sive mandato continentur. Atque, ut præsentes nostræ literæ ad omnium, quorum interest, notitiam perveniant, earum exempla manu nostra subsignata, ac contrasigillo nostro eisdem subimpresso, munita, valvis sæpedictæ ecclesiæ nostræ, aliarumque ecclesiarum nostræ provinciæ, affigi volumus; illosque sic arctare, ac si ipsismet coram prælectæ, & insinuatæ forent, decernimus & declaramus. Datum in civitate nostra Cameracensi die vigesima mensis Aprilis, anno a nativitate domini nostri Jesu Christi millesimo quingentesimo sexagesimo quinto.

ANNO CHRISTI 1565.

Maximilianus a Bergis.

Ad præfati reverendissimi & illustrissimi domini archiepiscopi, domini mei gratiosissimi mandatum proprium.

De la Rue.

ANNO CHRISTI 1565.

QUIBUS quidem literis indictionis, & prorogationis per certos ſtatores, notarioſque, ſeu tabelliones publicos valvis eccleſiæ metropolitanæ Cameracenſis, & aliarum eccleſiarum cathedralium ejus provinciæ affixis, earumque epiſcopis, & capitulis, ac aliis, quorum intereſſe, debite intimatis, anno domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quinto indictione octava, menſis vero Junii die vigeſima, pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri, domini Pii divina providentia papæ quarti anno ſexto; cum jam complures adveniſſent ad dictum concilium provinciale vocati, præfatus reverendiſſimus dominus archiepiſcopus edicto publico, valvis dictæ eccleſiæ metropolitanæ, ac palatii ſui archiepiſcopalis affixo, juſſit intimari omnibus, qui concilio provinciali intereſſe debent, ut ipſo die nativitatis divi Joannis Baptiſtæ feſto ab officio veſpertino in aula juxta ſacellum ejuſdem palatii loco conſiſtoriali ad hoc ſpecialiter deſignato, & præparato comparerent.

Itaque die & loco ſic indictis, reverendiſſimus dominus archiepiſcopus, & reverendiſſimi patres, domini, Atrebatenſis, (ſede epiſcopali Tornacenſi, per obitum bonæ memoriæ quondam domini Caroli de Croy epiſcopi noviſſime defuncti, vacante) Namurcenſis, & Audomarenſis epiſcopi comprovinciales, ac epiſcopus Chalcedonenſis ejuſdem reverendiſſ. archiepiſcopi ſuffraganeus, ac in ſpiritualibus & temporalibus vicarius generalis, una cum inſignis capituli metropolitanæ Cameracenſis, cathedralium-que eccleſiarum, Tornacenſis, Atrebatenſis, Namurcenſis, & Audomarenſis, capitulorum delegatis, reverendiſque dominis abbatibus quamplurimis, ac capitulorum primariæ eccleſiæ collegiatæ ſancti Gaugerici Cameracenſis, beatæ Mariæ Walincurtenſis, ſancti Germani Montenſis, Condatenſis, Binchienſis, Antonienſis, Arienſis, ſancti Amati, ſancti Petri Duacenſis, ſancti Audomari Lilerienſis, ſanctæ Gudilæ Bruxellenſis, Anderlechtenſis, Lirenſis, Turnhoutenſis, Teneramundenſis, Aloſtenſis, & plurium aliorum capitulorum diœceſis & provinciæ Cameracenſis, reſpective eccleſiarum collegiatarum delegatis, & procuratoribus, ac quamplurimis archipresbyteris, ſeu decanis Chriſtianitatis, curatiſque diœceſis Cameracenſis, & plurimorum quoque abbatum, abbatiſſarum, priorum, & præpoſitorum procuratoribus, ad prædictam ſynodum provincialem ſpecialiter miſſis; ac multis denique tam ex Lovanienſi, quam Duacenſi academiis, ſacræ theologiæ, juriſque canonici doctoribus, eo quoque per præfatum reverendiſſimum dominum archiepiſcopum evocatis, convenerunt in loco conſiſtorii prædicto, ubi erectum erat altare continens in medio ſignum ſancti Spiritus, cui aſcriptum erat illud ad Epheſ. IV. NOLITE CONTRISTARE SPIRITUM DOMINI. Illis autem omnibus confidentibus, idem reverendiſſimus dominus archiepiſcopus, quo controverſis obviaret, quæ ex evocatione, aut ſedendi ordine, vel præcedentia (uti vocant) ſuboriri poſſent, declaravit, totum quicquid ejus fieret, nemini præjudicio fore, quominus quilibet jus, quod ſibi competere prætendit, ſalvum retineat. Atque demum patres, ordineſque ſynodi, ſeu concilii provincialis, ut ſepoſitis quibuſque humanis affectibus, & paſſionibus, una ſecum de modo exequendi, & obſervandi ſacrum œcumenicum, & generale concilium Tridentinum, (quandoquidem id quoque a beatiſſimo domino noſtro papa mandatum eſſet) deque morum reformatione, acreſtituenda, quoad ejus fieri poſſit, diſciplina eccleſiaſtica, aliiſque ad eam rem neceſſariis mediis, mature deliberarent, & conſulerent; ſequenti verborum forma cohortatus eſt.

ANNO CHRISTI 1565.

Cohortatio reverendiſſimi domini archiepiſcopi.

QUIA ex literis convocationis hujus noſtri conventus cauſas abunde ſatis cognoviſtis, eaſdem hic repetere operæ pretium non putamus: ſed reliquum eſſe, ut quæ nobis maxime ſalutaria compoſuit remedia ſacrum œcumenicum concilium Tridentinum, morbis ipſis nunc applicemus, atque in primis de modo, & ratione rei gerendæ mature conſulamus; idque eo animo, & zelo quo res tanti momenti merito tractari debet, quippe libero, & immuni ab omnibus humanis affectibus, ac maligni ſpiritus ſuggeſtionibus, ut ſolam Dei gloriam ob oculos habuiſſe videamur, certo nobis perſuadentes illius divinum numen continuo nobis adfuturum, cui non minus apertæ ſunt, & patent noſtræ cogitationes, quam actiones. Adeo ut ſi intus non habeamus eam ſinceritatem, quæ noſtræ reſpondeat profeſſioni; certe verendum eſt ne in nos conjiciatur, quod in ſcriptura de Scribis & Phariſæis legitur: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt a me. Nam ſi hoc non immerito dictum fuit iis, qui ſpecie quadam divini honoris promovendi, aliud ſpectant, inanem gloriam aut ſimile quid aucupantes, multo magis in eos quadrat, qui, quod recte ſit, ſi palam impedire non poſſunt vel non audent, affectu tamen, quantum poſſunt, remorantur. Porro ſi væ graviſſimum per prophetam ſuum comminatus eſt dominus eis qui opus ſuum faciunt negligenter, quanto magis illis, qui non modo negligenter; ſed & illud ne fiat, impedire ſtudent: vel, ſi hoc nequeunt, dum recte fit, & quo debet animo, alio torquent. Ideoque quod ad me attinet, patres, & fratres dilectiſſimi, profiteor me hic, Deo teſte, aliud nihil quærere aut ſpectare, quam nudam Dei gloriam, & animarum ſalutem, ſtudiumque præſtandæ obedientiæ, quam ſanctæ ſynodo Tridentinæ per ſedem apoſtolicam confirmatæ debeo: ac proinde me ipſum, illius, ac præſentis quoque ſynodi determinationi, in omnibus, prout vobis videbitur, & res poſtulabit, libenter ac reverenter ſum ſubmiſſurus, & accomodaturus. Voſque in viſceribus caritatis domini noſtri Jeſu Chriſti hortor, & moneo, (quamvis pro veſtra prudentia, & animi promptitudine hac admonitione mea nihil opus ſit) ut id ipſum quoque pari ſinceritate facere non gravemini. Cumque, ut jam dictum eſt, omnis actionis noſtræ ſcopus eſſe debeat Dei gloria, & animarum ſalus, ad quam inter alia dicti ſacri concilii antidota, neceſſaria eſt in primis noſtri ipſius emendatio, reſtauratioque eccleſiaſticæ diſciplinæ, noſtra certe culpa penitus collapſæ & obliteratæ: (utpote quorum incuria & negligentia omnes abuſus, & ex his ſcandala, hæreſeſque, mala denique omnia in eccleſiam irrepſerunt) maximopere igitur nobis laborandum eſt, ut ea priſtino eccleſiæ decori reſpondeat, & quidem in nobis ipſis (inquam) ne, dum alienorum morborum rationem habemus, noſtri ipſius languoris obliti, merito jubeamur trabem ex oculo proprio ejicere: nobiſque dicatur, quod aliis imponimus

ANNO CHRISTI 1565.

mus opera gravia, quæ ipsi digitos noſtemus attingere. Quo igitur majori cum fructu remedia, per prædictæ ſynodi decreta nobis exhibita, opportune applicare poſſimus, vos omnes oro, obſecro, & obteſtor ne præſentem hanc occaſionem, fortaſſe numquam redituram, nobis elabi patiamur; ſed potius conjunctiſſimis animis omnes juxta divi Pauli monitionem idem dicamus, idem ſentiamus, idem agamus omnes. Idque in ſpiritu humilitatis, & manſuetudinis. Abſit hoc loco indigniſſima omnis contentio, omniſque qui non ſit ſecundum ſcientiam zelus: ne ſecundum ejuſdem Pauli ſententiam ſic homines nos eſſe, & ſecundum hominem ambulare oſtendamus, uti ſpiritus Dei expertes nos eſſe declaremus: neque enim aliud eſt Paulo ſecundum hominem ambulare. Abſit quoque omnis rancor, & amarulentiæ affectus; cum nihil æque rectum conſilium impediat, judiciumque ſubvertat, & obſcuret.

Hunc unanimiter nobis ſcopum præfigamus, ut dum membra quædam noſtra, patrumque noſtrorum negligentia, deperdita, forſitan recuperare non poſſumus, ſaltem operam demus, ne malum hoc, quo perierunt, latius ſerpat, immo ſi qui aut vacillant adhuc, aut omnino jam ab eccleſia diſceſſerunt, non tamen penitus inſanabiles ſunt, noſtra diligentia, & bono exemplo confirmentur, & reducantur. Alioqui dubitandum non eſt nos idem manere judicium, quod olim per prophetam ſuum comminatus eſt dominus paſtoribus, gregem ſibi commiſſum negligentibus, dicens. Quod infirmum fuit non conſolidaſtis, quod ægrotum non ſanaſtis, quod confractum non alligaſtis, quod abactum non reduxiſtis, & quod perierat non quæſiſtis. Et paulo poſt adjunxit, Vivo ego, dicit dominus Deus, pro eo, quod facti ſunt greges mei in rapinam, & oves meæ in devorationem omnium beſtiarum agri, ecce ego ſuper paſtores requiram gregem meum de manu eorum. Et eamdem fere, quamvis aliis verbis, tam gravem comminationem, etiam alibi ſæpius repetivit. Quam ut evadere commodius queamus, continuo ob oculos ponamus paratam nobis mercedem, ſi paſtorali noſtro munere ſatisfacientes gregis nobis commiſſi ſaluti proſpeximus: & eas, quæ vel abactæ, vel transfugæ factæ ſunt oves, ad ovile reduxerimus: memores quod ipſe ſalvator noſter dixit maximum gaudium in cœlis fore angelis ſuper uno peccatore pœnitentiam agente. Quod cum ita ſit, non dubium eſt quin longe majus futurum ſit ibi gaudium, ſi nos ipſos in primis, noſtroque exemplo multas animarum chiliades ad rectam, tam vitæ, quam fidei rationem nobiſcum revocaverimus. Quod tanto certe nobis eſt agendum affectu & ſtudio, ut nihil tam earum eſſe debeat, quod hujus cauſa libenter non abjiciamus: nihil tamen ſuave, aut delectabile, quod tanto bono non poſtponamus. Et ſicut omnino confido vos omnes in hoc negotio libenter omnem operam, ingenium & laborem nobiſcum adhibituros: ita quoque ſpero vos alacriter laboraturos, ut eccleſiaſtica diſciplina reſtituatur: tollanturque e medio ſcandala, per quæ multa animarum millia una cum auctoribus eorum jam pridem in infernum eſſe demerſa vehementer eſt metuendum. Neque poſthac ſpero futurum, ut nos convinci patiamur quod uſque adeo ſimus obcæcati vitiis, & paſſionibus noſtris, ut, dum ab illis recedere differimus, noſtras in primis, & omnium denique nobis commiſſorum animas, in æternæ damnationis periculo ſimus diutius relicturi. Cujus tam piæ voluntatis nullum exhibere poterimus ſpecimen evidentius, quam ſi iis, quæ noſtra ſunt poſtpoſitis, tantum quæramus quæ ſunt Jeſu Chriſti, & perpendamus diligenter, quam ſemper fuerit Deo grata humilis obedientia, quantaque per illam ſimus aſſecuti beneficia: & quanta ex adverſo mala peperit tam inobediens ſuperbia, quam curioſa inobedientia: etiam ſi ſolum eam ſpectemus, qua primus noſter parens vetitum momordit pomum: quam tanti divina fecit juſtitia, ut adhuc totus mundus pœnas ejus luat. Quæ res merito monere nos debet, ut nihil tergiverſantes obviis ulnis acceptemus, quæ ſancta mater eccleſia nuper ad hoc in viris & piiſſimis, & doctiſſimis, undequaque convocatis, congregata Tridenti in hunc nobis præſcripſit finem. Ne, ſi non faciamus, in tam reprobum videamur traditi ſenſum, ut etiam Spiritui ſancto, per os illius loquenti, reſiſtere velle videamur, nolleque intelligere ut bene agamus: ſicque in manus Dei viventis (quod omnium maxime horrendum) culpa noſtra exigente incidamus. Meminerimus nobis, hoc eſt Dei ſacerdotibus, dictum, Vos eſtis ſal terræ: ac proinde nobis ſtudioſe curandum eſſe, ne quid inſulſum, aut corruptum in nobis inveniatur: ſive ut noſipſi ab omni corruptione mundi ſimus. Alioqui certe quid expectare poterimus, & debebimus, quam ut tanquam ſal, quod evanuit, abjiciamur foras, & conculcemur ab hominibus? Neque enim eſt quod ſperemus, niſi (dum adhuc durant longanimitas, & patientia Dei noſtri, ad pœnitentiam nos expectans) reſipiſcamus & ſerio ad illum convertamur: quin eadem nobis ſint eventura quæ per totam fere Germaniam, Galliam, Angliam, Scotiam, toti pœne ordini noſtro jam pridem vidimus eveniſſe ad oculum: Canonicorum ſcilicet loca vacantia, poſſeſſiones earum in prophanos uſus diſtractas, epiſcoporum ſedes, & parochorum eccleſias, pulſis, immo conculcatis illis, hæreticis commiſſas. Taceo de monaſteriis: cum lippis & tonſoribus notum ſit multis in locis ea, monachis, non ſolum expulſis, ſed & crudeliter trucidatis, direpta, & funditus everſa. Quæ certe nihil aliud ſunt quam certiſſima argumenta iræ Dei noſtri, & juſtiſſima ipſius judicia: quod ſcilicet evaneſcere ſal terræ, quod erant ipſi, paſſi eſſent. Quod autem non mitiora nobis immineant, qui velut puſillus grex hic conſtituti ſumus in medio luporum, illorum certe nos merito monere debent exempla, niſi (quod debemus) piæ matris noſtræ eccleſiæ conſiliis, monitiſque acquieſcentes, quæ ipſa nobis præparavit, ad mitigandam juſtiſſimam Dei iram remedia, demiſſe, humiliterque ſumamus, illiſque nos accommodemus. Quod ſi faciemus, non ſolum placabilem eum inveniemus, ſed & directorem habebimus eorum omnium, quæ ad eum finem acturi ſumus. Et, ut eam omnium veſtrum mentem, & intentionem eſſe credam, facit quod tam alacriter, tanto numero, tantoque itineris labore vos huc conveniſſe videam. Quæ quoque mihi ſpem faciunt certiſſimam rei bene gerendæ. Maxime, quia non dubito quin omnes ſe præparent jejuniis, & orationibus, ac aliis mediis, quæ Deo nos reconciliare, & gratiæ ejuſdem capaciores reddere ſolent: ſic ut impræſentiarum aliud nihil reliquum cenſeam, quam ut pro hac animi promptitudine nobis, immo potius Deo exhibita immenſas ei, ac vobis omnibus gratias agam: eumque ex animo orem, ut nos omnes in hoc ſancto propoſito confirmare, & conatus noſtros ad ſibi gratum, noſque ſalutarem deducere dignetur finem. Amen.

ANNO CHRISTI 1565.

Deinde

ANNO CHRISTI 1565.

Deinde reverendiſſimus dominus archiepiſcopus reliquum eſſe dixit, ut ſcriba & promotores conſtituerentur futuri concilii. Quapropter aſtipulantibus reliquis reverendiſſimis patribus ac dominis ibidem præſentibus, creavit venerabiles viros dominos Joannem le Ducque eccleſiæ metropolitanæ, & Joannem Merchier primariæ eccleſiæ collegiatæ ſancti Gaugerici Cameracenſis ſcholaſticos, & canonicos, dicti concilii provincialis ſcribas, & ſecretarios, atque Auguſtinum Convers utriuſque juris licenciatum, & canonicum dictæ eccleſiæ metropolitanæ, & Dominicum Merlin decanum, & canonicum dictæ eccleſiæ ſancti Gaugerici, ejuſdem concilii promotores: atque ab eiſdem reſpective fidelitatis juramenta recepit.

Hiſque peractis, mandatum eſt ex parte reverendiſſimi domini archiepiſcopi, ut die ſequenti, hora ſeptima matutina, omnes patres, abbates, priores, præpoſiti, & alii, convenirent in palatio archiepiſcopi, pontificalibus ornati inſigniis, aliiſque veſtimentis, cujuſcumque ordini congruis induti, reverendiſſimum dominum archiepiſcopum, ad eccleſiam metropolitanam deducturi, ubi reverendiſſimus dominus Atrebatenſis in choro ejuſdem eccleſiæ majoris habiturus eſſet orationem: ipſeque reverendiſſimus dominus archiepiſcopus celebraturus ſacrum de ſancto Spiritu, quo gratia ipſius humiliter imploretur: preceſque, in conciliis provincialibus fundi ſolitæ, devote perſolvantur, atque demum concilium ipſum provinciale Camera cenſe, quatenus id patres legitime convocatum & coactum eſſe judicaverint, aperiendum eſſe decernatur.

Die igitur vigeſima quinta menſis Junii, horaque prædicta reverendiſſimus dominus archiepiſcopus, pallio, mitra, aliiſque pontificalibus inſigniis amictus, cruceque archiepiſcopali ante eum delata, a reverendiſſimis dominis epiſcopis comprovincialibus, reverendiſque dominis abbatibus mitellatis, & pedis ſeu baculis (ut vocant) paſtoralibus decoratis, collegioque metropolitano Cameracenſi, ac Tornacenſi, Atrebatenſi, Namurcenſi, & Audomarenſi, eccleſiarum cathedralium delegatis, atque ſancti Gaugerici, & ſanctæ Crucis civitatis Cameracenſis, collegiatarum eccleſiarum: abbatiarumque ſancti Sepulchri, & ſancti Auberti Cameracenſis, & beatæ Mariæ virginis de Cantimprato canonicis, & religioſis chlamydibus (quas cappas vocant) inſignitis, reliquiſque collegiatarum eccleſiarum deputatis, habitu canonicali: archipresbyteris vero, ſeu decanis ruralibus & curatis: abſentiumque procuratoribus & legatis, ſeu nunciis, ſuperpelliciis & ſtolis indutis: ac copioſa denique cleri & populi multitudine, ad eccleſiam metropolitanam e palatio ſuo archiepiſcopali deductus fuit. Ubi cum ipſe reverendiſſimus dominus archiepiſcopus cum ſuis ſuffraganeis & aliis, flexis genibus, preces domino obtuliſſet, omneſque in cathedris & locis ſuis conſediſſent: (ubi etiam magiſtratui dictæ civitatis, qui illum comitatus erat, locus condignus fuit deſignatus) reverendiſſimus dominus Atrebatenſis conſcendit ſuggeſtum in medio chori conſtitutum, habuitque orationem non minus piam, & gravem, quam elegantem & doctam, ac præſenti negotio maxime accommodatam: qua cumprimis hujus noſtri temporis calamitatem deplorans, eccleſiam in hæc uſque tempora ſemper ab hæreticis plus eſſe paſsam, quam ab ethnicis & paganis, pluribus exemplis confirmavit, ac denique media quibus e medio hæreſes tollí ponent, adduxit.

ANNO CHRISTI 1565.

Qua quidem oratione habita, celebratum eſt per reverendiſſimum dominum archiepiſcopum miſſæ ſacrificium de ſancto Spiritu ſecundum morem eccleſiæ Cameracenſis, valde ſolenne, epiſtolam decantante abbate Maricolenſi: evangelium vero, abbate ſancti Giſlenſi in cella.

Peracto ſacro reverendiſſimus dominus archiepiſcopus, & ceteri epiſcopi in ſuis cathedris ſedentes, juxta magnum altare induti ſint ſandaliis, & aliis ornamentis epiſcopalibus: ſicque indutus archiepiſcopus ſurrexit, & chlamydem quoque paſtoralem, quam cappam vocant, aſſumpſit. Atque interea dum hæc fiunt, chorus decantabat pſalmum, domino cantore incipiente, *Quam dilecta tabernacula tua domine virtutum, &c.* quem cum vicarii & cantores muſici proſequerentur, vocati ſunt ſcribæ & ſecretarii concilii provincialis, juſſique aſtare reverendiſſimo domino archiepiſcopo, ut, quæ fierent, videntes & audientes in acta redigerent. Decantato autem dicto pſalmo, diaconus aſſurgens, verſa ad chorum facie, alta voce protulit, *Orate*: moxque dominus archiepiſcopus, coepiſcopi, & reliqui omnes genua flectentes orarunt detectis capitibus altare verſus. Deinde idem dominus archiepiſcopus, & coepiſcopi conſurgentes ceteris in terram procumbentibus ſteterunt abſque mitris, incipientes orationem ſubſequentem, decantante eam domino metropolitano, coepiſcopis vero remiſſiore voce legentibus. *Adſumus domine ſancte Spiritus*, adſumus quidem peccati immanitate detenti, ſed in nomine tuo ſpecialiter aggregati, veni ad nos, & eſto nobiſcum, & dignare illabi cordibus noſtris: doce nos quid agamus, quo gradiamur, & oſtende quid efficere debeamus: ut te auxiliante tibi complacere in omnibus valeamus: Eſto ſolus ſuggeſtor, & effector judiciorum noſtrorum, qui ſolus cum Deo patre, & ejus Filio, nomen poſſides glorioſum: non nos patiaris perturbatores eſſe juſtitiæ, qui ſummam diligis æquitatem: non in ſiniſtrum nos ignorantia trahat: non furor inflectat: non acceptio munerum, vel perſonarum corrumpat: ſed conjunge nos efficaciter tibi, ſolius tuæ gratiæ dono: ut ſimus in te unum, & in nullo aberremus a vero, quatenus in nomine tuo collecti, ſic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis juſtitiam: ut hic a te in nullo diſſentiat ſententia noſtra, & in futuro pro bene geſtis conſequamur præmia ſempiterna. Chorus reſpondit, *Amen*. Poſtea vero ſubdiaconus aſſurgens chorum verſus, clara voce præfatus eſt, *Erigite vos*. Conſurgentibus omnibus, ac poſtmodum dominis cantore, & ſuccentore hanc antiphonam incipientibus, proſequente eam choro ad finem uſque, *Exaudi nos domine, quoniam benigna eſt miſericordia tua: ſecundum multitudinem miſerationum tuarum reſpice nos domine*. Qua finita iterum diaconus protulit, *Orate*. Sicque dominus archiepiſcopus, & coepiſcopi cum aliis in terram proſtrati, aliquantiſper orarunt ſecreto: deinde ſubdiaconus cecinit, *Erigite vos*, conſurgentibus omnibus: ſtantes autem domini archiepiſcopus & coepiſcopi, abſolute protulerunt orationem quæ ſubſequitur, decantante quidem eam metropolitano, coepiſcopis vero legentibus, idque ſine mitris: *Omnipotens ſempiterne Deus*, qui ſacro verbi tui oraculo promiſiſti, ubi duo vel tres in nomine tuo congregati eſſent, te medium fore, adeſto propitius cœtui noſtro: & cor noſtrum illumina miſericors Deus, ut a bono miſericordiæ tuæ nullatenus aberremus: ſed rectum

juſti-